
BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XIV
F
22
NAPOLI

JUS CANONICUM UNIVERSUM,

AUTHORE

R. P. PETRO LEURENIO
SOCIETATIS JESU.



FORUM ECCLESIASTICUM,

IN QUO

JUS CANONICUM UNIVERSUM,

Librorum ac Titulorum ordine per Quæstiones & Responsa,

Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum,

IN IIS, QUÆ UTRIQUE JURI,

CANONICO ET CIVILI

COMMUNIA SUNT,

Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur.

AUTHORE

R. P. PETRO LEURENIO

SOCIETATIS JESU.

SS. Theolog. Doctore, & SS. Canonum quondam Professore.

LIBER PRIMUS DECRETALIUM.



VENETIIS, MDCCXXIX.

Apud Jo: Baptistam Recurti, sub Signo Religionis.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

AD LECTOREM.



Oro Beneficiali meo veluti magis particulari præmisso absolutoque, animum adjeci ad aperiendum forum alterum ampliùs & universale; in quo nimirum Jus Ecclesiasticum Titulorum Ordine exponeretur universum; inducto etiam ad illius majorem elucidationem & adjumentum Jure Cæsareo potiore sui parte; ubi nempe legibus & Sacris Canonibus idem, aut affine est objectum, seu materia (sicut enim, ut dicitur *c. 1. De novi oper. nunciat. Leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita & Sacrorum Canonum Statuta Principum constitutionibus adjuvantur*) necnon in societatem Canonicalis fori hujus una cum Canonistis frequentiore numero evocatis Legum Civilium Interpretibus celebrioribus, tam antiquis quàm recentioribus. Idque eo consilio ac intentione, ut hæ lucubrationes meæ in utroque foro deservirent commodius, admitterentur lubentius; dum tam Canonistæ apud Civilistas, quàm hi apud Canonistas a me citatos pro instruendis decidendisque causis tam profanis, quàm Ecclesiasticis opportunum reperient subsidium, & utrorumque responsa ampliore stabilientur authoritate. Quare confido amice Lector, cujus utilitati hanc meam operam postremam dedicavi, eandem non aspernaberis. Fave & Vale.

FACUL.

FACULTAS
ADM. R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis Jesu per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab Admodùm Reverendo Patre nostro P. Michaele Angelo Tamburinus Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto Librum, cui Titulus *Forum Ecclesiasticum, in quo Jus Canonicum per Quæstiones, & Responsa explanatur* à R. P. Petro Leurenio ejusdem Societatis Theologo conscriptum, & à Deputatis ad id Censoribus lectum & approbatum. In cujus rei fidem hasce literas officii mei Sigillo munitas manu propria subscripsi. Coloniæ 10. Septembris 1712.

(L. S.) *Christophorus Neander Soc. Jesu p.t. Provincialis ad Rhenum Inferiorem.*

EGo Petrus Schmitman ejusdem Societatis Jesu per Provinciam Rheni Inferioris p. t. Præpositus Provincialis D. Joanni Mayer Ser. Princip. Elect. Palatini Consil. Cameræ & Typographo Aulico Academici Mogunt. & Palatino, concedo Jus hujus Cæsarei Privilegii ad quatuordecim Annos usurpandi, ac excudendi librum, cui Titulus: *Forum Ecclesiasticum, in quo Jus Canonicum Universum per Quæstiones & Responsa explanatur* à R. P. Petro Leurenio ejusdem Societatis Theologo. In cujus rei fidem hoc testimonium manu propria subscriptum & consueto Officii Sigillo munitum dedi. Confluentiæ die 14. Septembris, Anno 1715.

(L. S.) *Petrus Schmitman Soc. Jesu p. t. Provincialis ad Rhenum Inferiorem.*

NOI RIFFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed approbazione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro Intitolato *Forum Ecclesiasticum, in quo Jus Canonicum Universum &c. Authore R. P. Petro Leurenio Societatis Jesu*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Secretario Nostro; niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza à *Gio: Battista Recurti Stampatore*, che possi esser Stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. primo Maggio 1727.

(
(Alvise Pisani Kav. Proc. Riffor.
(Z. Pietro Pasqualigo Riffor.

Agostino Gadaldini Segretario.

14. Novembre 1727. Registrato nel Magistrato Eccell. degli Essec. contro la Bestemmia.

Antonio Canal Nodaro.

INDEX

INDEX
TITULORUM, CAPITUM, AC QUÆSTIONUM LIBRI PRIMI DECRETALIUM.

QUÆSTIONES PRÆLIMINARES.

TITULUS I.

De summa Trinitate, & Fide Catholica.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

CAP. I.

De Constitutionis essentia, ubi de ejus promulgatione & acceptatione.

Quæst.

Quæst. 46. An & qualites à lege lata appellari possit, & num pendente appellatione liceat contra eam procedere, aesi lata non esset, & an, si facta sibi supplicatione taceat legislator, legem revocare censeatur.

C A P. II.

De causa efficiente legis, sive de iis, qui leges condere possunt.

QUæst. 47. An & unde sit potestas legislativa.

Quæst. 48. Qualites potestas condendi leges eiviles sit penes Papam.

Quæst. 49. An & qualites leges condere competat Imperatori.

Quæst. 50. An, licèt leges Imperatoriæ non obligant in Regnis & Provinciis nullatenus Imperatori subjectis, deficientibus tamen propriis illorum regnorum legibus, in causis decidendis Imperatoriis legibus gubernari debeant.

Quæst 51. Quid circa potestatem condendi leges civiles de aliis Principibus dicendum.

Quæst. 52. An dicti Principes condere possint leges contrarias legibus Imperatoriis.

Quæst. 53. An Regina condere possit leges.

Quæst. 54. An & qualites competat populo condere leges.

Quæst. 55. An & qualiter penes Papam sit potestas fesendi leges Ecclesiasticas.

Quæst. 56. An & unde potestas condendi leges Canonicas sit penes Episcopos, & qualiter ea uti possint.

Quæst. 57. An leges & statuta condita ab Episcopo sint perpetua seu durent post mortem illius.

Quæst. 58. Quid quoad potestatem ferendi leges specialiter dicendum de Arch.-Episcopis, Primatibus & Patriaschis.

Quæst. 59. Quid dicendum hoc in puncto de Legato Apostolico.

Quæst. 60. Quid dicendum de Cardinalibus.

Quæst. 61. Quid dicendum de aliis Prælatis Episcopo inferioribus.

Quæst. 62. An & qualites potestas legislativa competat Conciliis genesalibus.

Quæst. 63. An & qualites competat illa conciliis provincialibus.

Quæst. 64. An potestas legislativa competat congregationi Cardinalium.

Quæst. 65. An & qualiter competat capitulo Cathedrali Episcopo vivente.

Quæst. 66. Quid in ordine ad ferendas leges possit Capitulum Cathedrale, sede vacante.

Quæst. 67. Quid possint circa condendas leges vel statuta Capitula Ecclesiarum Collegiatarum.

Quæst. 68. An & cui delegari possit potestas legislativa.

C A P. III.

De causa formali & materiali legis.

QUæst. 69. An de ratione legis sit ejus constitutioni præmittere consultationem cum prudentibus.

Quæst. 70. An ad sui constitutionem requirat scripturam.

Quæst. 71. Qualia esse debeant signa, per quæ voluntas legislatoris vim legis habens manifestetur.

Quæst. 72. An voluntas legislativa sufficienter exprimatus prolatione sententiæ judicialis, ita ut hæc legis instar observanda sit & in similium casuum decisionibus custodienda.

Quæst. 73. An Epistola & rescriptum Principis sufficienter manifestet voluntatem illius legislativam.

Quæst. 74. An dicta de sententia & sescripto supremi Principis legislatoris etiam locum habeant in inferiosibus habentibus potestatem ferendi leges pro sua Provincia Diœcesi aut Usbe.

Quæst. 75 Quid hic veniat nomine causæ matesialis legis.

Quæst 76. An materia legis præcipientis necessariò debeat esse honesta & actus virtutis.

Quæst. 77. Num lege umana prohibeantur omnes actus vitiosi.

Quæst. 78. An & quæ in hoc puncto quòd leges respiciant virtutem tanquam materiam *circa quam*, sit differentia inter leges Canonicas & Civiles.

Quæst. 79. An & qualiter actus prætetiti sint materia legis.

Quæst. 80. An & qualiter actus merè interni possint esse materia legis humanæ.

Quæst 81. An sententia docentium in Ecclesia non esse potestatem præcipiendi vel vetandi actus internos nisi solùm indirectè &c. non sit ampliùs probabilia &c.

Quæst. 82. An dari possit lex humana purè directiva circa actus internos constringendo conscientiam &c

Quæst 83. An & qualites bona & Jura subditorum sint materia legis humanæ, ita ut de iis statuere & disponere possit Princeps.

Quæst 84. An & qualites Papa de rebus & bonis Ecclesiasticorum statuendo disponese possit.

C A P. IV.

De effectu Legis nimirum obligatione.

QUæst. 85. Quis sit effectus legis humanæ.

Quæst. 86. An lex omnis humana babeat vim obligandi.

Quæst 87. An leges humanæ obligare possint in conscientia & ita obligent.

Quæst. 88. An dari possint leges verè obligantes in conscientia, neque tamen sub mortali neque sub veniali.

Quæst. 89. An leges humanæ etiam civiles obligare possint sub peccato mortali.

Quæst. 90. An leges humanæ in re levi obligare possint sub culpa gravi ex intentione legislatoris

Quæst 91. An leges humanæ in re gravi obligare possint sub veniali ex voluntate legislatoris.

Quæst. 92 Quæ verba graviter legem obligare indicent.

Quæst. 93. An leges imponentes pœnas temporales obligent in conscientia ad actum immediatè præceptum & qualiter.

Quæst. 94. An leges imponentes pœnas spirituales obligent in conscientia ad actum immediatè præceptum.

Quæst. 95. An & qualiter lex injusta deobliget in conscientia.

Quæst. 96. An & qualites lex fundata in præsumptione obliges.

Quæst. 97. Leges fundatæ in fictione Juris an & qualites obligent in foro conscientiæ.

Quæst. 98. An Lex humana obliget cum periculo vitæ alteriusve mali gravis.

Quæst. 99. A quo tempore obligent Leges Civiles.

Quæst. 100. A quo tempore obligent Leges Ecclesiasticæ Pontificiæ.

Quæst. 101. An & qualiter Leges Humanæ obligent ignorantes quoad pœnam & culpam.

Quæst. 102. An & qualiter ignorantia mortaliter culpabilis sufficiat ad pœnam Lege statutam incurrendam.

Quæst. 103. An & qualiter ignorantia excusans à transgressione Legis allegari possit in foro externo & qualiter probanda.

Quæst. 104. An & qualites Legibus teneantur amentes, ebrii, dormientes.

Quæst. 105 An & qualiter pueri obligentur legibus.

Quæst. 106. An liceat excusatis à Lege cooperari in actione per legem prohibita.

Quæst 107. An infideles, Pagani, Judæi, aliique non baptizati obligentur Legibus Ecclesiasticis.

Quæst.

Quæst. 108. An Catechumeni obligentur Legibus Ecclesiæ.

Quæst. 109. An Hæretici & à fide apostatæ obligentur Legibus Ecclesiæ.

Quæst. 110. An & qualiter Clerici & Religiosi obligentur legibus civilibus.

Quæst. 111. An Leges tributariæ & vectigales obligent Ecclesiasticos.

Quæst. 112. Quid hac in parte sit circa Leges & Statuta municipalia prohibentia, ne res seu bona immobilia externis vel etiam personis Ecclesiasticis vendantur, donentur, &c.

Quæst. 113. An & qualiter Religiosi obligentur constitutionibus & præceptis Episcopalibus.

Quæst. 114 An Lex vel Statutum obliget subditos absentes, seu extra territorium statuentis existentes.

Quæst. 115. An, si in Parochia est Festum, & alibi non, Parochianus teneatur audire sacrum, antequam inde aliò discedat.

Quæst. 116. An, dum in urbe tua est jejunium, possis ibidem comedere carnes & sumere manè jentaculum, si scires; te vespere fore in loco, ubi non est jejunium; vel etiam, si manè non eras obligatus jejunare, quia existebas in loco, ubi non erat jejunium, liceat dein reliqua parte diei existenti in Loco domicilii, ubi est jejunium, non jejunare.

Quæst. 117. An accedentes ad locum animo ibidem perpetuò manendi teneantur quamprimum Legibus illius loci.

Quæst. 118. An extranei accedentes ad Locum animo ibidem majore parte anni commorandi teneantur legibus illius loci.

Quæst. 119. An peregrini teneantur Legibus loci, quem transeunt sine animo ibi persistendi.

Quæst. 120. An & qualiter vagi teneantur legibus Locorum, in quibus vagantur.

Quæst. 121. An & qualiter Legislator teneatur suis legibus.

Quæst. 122. An & qualiter Legislator obligetur Legibus latis ab inferiore.

Quæst. 123. An Uxor Legislatoris teneatur illius legibus.

C A P. V.

De effectu legis pœnalis & irritantis.

QUæst. 124. An & qualiter Lex pœnalis obliget in conscientia ad subeundam pœnam ante Judicis sententiam.

Quæst. 125. An aliquæ pœnæ à Legislatore annexæ sint delictis incurrendæ ante omnem Judicis sententiam, etiam declaratoriam.

Quæst. 126 Quandonam censendum, & unde colligendum, pœnam esse latæ vel ferendæ sententiæ

Quæst. 127. An pœna licitè ex mutuo consensu apposita contractui, dum contrahentes expressè se non obligarunt ad eam solvendam ante Judicis sententiam, si non stent contractui, debeatur ante Judicis sententiam.

Quæst. 128. Qualiter & quas pœnas exequi teneatur reus post latam sententiam.

Quæst. 129. An pœnam lege præscriptam Judex teneatur exequi.

Quæst. 130. An pœnæ solos delinquentes ligent, & qualiter quandoque extendantur ad conjunctos innocentes.

Quæst. 131 An & quotupliciter lex irritare potest actum.

Quæst. 132. An & quando leges irritantes sint pœnales,

Quæst. 133. An eo ipso, quòd lex prohibeat aliquem actum, censeatur illum irritare.

Quæst. 134. An eo ipso, quò lex irritat actum, prohibeat illum, ita ut obligetur quis in conscientia omittere illum.

Quæst. 135. Quæ sint verba, per quæ lex censeatur irritare actum.

Quæst. 136. Quandonam censeatur lex irritare actum ob non servatam formam à lege præscriptam.

Quæst. 137. An etiam omissio levia formæ substantiali reddat actum irritum.

Quæst. 138. An lex irritans hunc effectum habeat à puncto publicationis.

Quæst. 139. An & qualiter lex irritans actum egeat sententia, ut hunc effectum suum consequatur.

Quæst. 140. Quandonam pœna imposita efficiat actum irritum.

Quæst. 141. An & qualiter irritatio impediri possit.

C A P. VI.

De impletione Legis.

QUæst. 142. Quæ intentio requiratur in subdito, ut legi satisfiat.

Quæst. 143. An actu ex se bono, vitioso tamen ex fine aliave circumstantia extrinseca satisfieri possit præcepto humano.

Quæst. 144. An & qualiter uno actu satisfieri possit pluribus præceptis.

Quæst. 145. An omittens actum duplici lege vel præcepto debitum committat duplicem culpam.

Quæst. 146 Dum pro multiplicatione obligationum non potest satisfieri omnibus, cui ex illis satisfaciendum.

Quæst. 147. An & qualiter pluribus actibus eodem tempore factis satisfieri possit pluribus præceptis,

Quæst. 148. An & qualiter obligetur quis non ponere impedimentum impletioni legis, aut illud jam positum tollere.

Quæst. 149. An & quando metus excuset ab impletione præcepti.

Quæst. 150. An, qui implere nequit actum integrum præceptum, seu totam vel majorem partem, obligetur ad ejus partem.

C A P. VII.

De interpretatione Legis.

QUæst. 151. Quid sit interpretatio legis.

Quæst. 152. Quotoplex sit interpretatio.

Quæst. 153. Penes quos sit potestas interpretandi legem authenticè.

Quæst. 154. An & qualiter, ut interpretatio habeat vim legis, egeat publicatione.

Quæst. 155. An cuilibet liceat legem interpretari doctrinaliter.

Quæst. 156. Quid sit Epiikeia, qualiter ab Interpretatione differat, & an licitus ejus usus.

Quæst. 157. Quid generatim notandum circa Interpretationem legum.

Quæst. 158. Quæ in specie servandæ regulæ in legis interpretatione facienda per inferiorem

Quæst. 159. An & qualiter ob rationis similitudinem vel identitatem lex interpretanda extendi possit ab uno caso ad alium.

Quæst. 160. Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum correctivarum.

Quæst. 161. Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum exorbitantium à communi.

Quæst. 162. Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum pœnalium.

Quæst. 163. Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum favorabilium.

Quæst. 164. Quæ facienda interpretatio in beneficiis.

Quæst. 165. An & qualiter leges per interpretationem extendendæ ad præterita.

CAP. VIII.

De diſpenſatione Legis.

§. I.

De natura diſpenſationis ejuſque materia & effectu.

§. II.

De cauſa efficiente diſpenſationis.

§. III.

De Subjecto, cum quo diſpenſari poſſit.

§. IV.

De cauſa requiſita ad diſpenſandum.

§. V.

De modo & forma ſervanda in diſpenſatione.

fint imponere dispensandis mulctam pecuniariam vel opus personale.

Quæst. 214. An clausula, ut literæ dispensatoriæ dilacerentur à Confessario, & non reddantur oratori, necessariò servanda, tanquam de substantia dispensationis.

Quæst. 215. Qualiter impedimentum dispensandum pro foro conscientiæ debeat esse occultum, & non deductum ad forum contentiosum.

Quæst. 216. Qualiter observanda clausula illa, ut Conjux impedimenti ignarus certior fit factus de nullitate prioris matrimonii.

Quæst. 217. Qualiter prosit potestas legitimandi prolem concessa in dispensationibus.

Quæst. 218. Qualiter intelligenda clausula expediendi dispensationes gratis.

Quæst. 219. Quæ clausulæ apponi solitæ pro foro externo, & qualiter intelligendæ.

Quæst. 220. An, quibus dispensationes committuntur expediendæ, possint illas subdelegare.

§. VI.

De causis reddentibus rescriptum dispensationis nullum.

Quæst. 221. An invalida sit dispensatio per metum extorta.

Quæst. 222. An & qualiter ob ignorantiam dispensatio reddatur nulla.

Quæst. 223. An & qualiter suppressio veritatis vel expressio falsitatis circa finalem causam vitiet rescriptum dispensationis.

Quæst. 224. An in petitione dispensationis debeat fieri mentio, quod ea alio tempore sit petita & denegata.

Quæst. 225. An dispensatio sit nulla, si taceatur, aliam jam aliàs in ea materia concessam.

Quæst. 226. An, si quis nondum usus obtenta dispensatione, hac tacita valeat alia obtenta in eadem materia.

Quæst. 227. An ligatus impedimentis pluribus debeat omnium facere mentionem, dum unius impetrat dispensationem.

Quæst. 228. An in impetratione dispensationis super impedimento aliquo facienda sit mentio aliorum impedimentorum, quæ alia via v. g. irritatione vel remissione tolli possunt.

Quæst. 229. An in impetratione dispensationis super impedimento publico debeat facere mentionem impedimenti occulti, quod simul habet.

Quæst. 230. An, dum quis pluribus irregularitatibus obstrictus est, in dispensatione unius debeat fieri mentio alterius.

Quæst. 231. An & qualiter allegatis pluribus causis, dum una earum est falsa, corruat dispensatio.

Quæst. 232. An, si causa probata sit falsis testibus, valeat dispensatio.

Quæst. 233. An, quando subreptio commissa in aliqua tantùm parte rescripti dispensationis, totum sit nullum.

Quæst. 234. An in casu, quo Pars rescripti dispensationis carens dolo vitiatur ob alteram partem, in qua commissus dolus, vitietur ipso Jure.

C A P. IX.

De cessatione & abrogatione legis.

Quæst. 235. Qualiter differant cessatio, abrogatio, derogatio, irritatio legis.

Quæst. 236. An & qualiter cesset lex cessante ejus fine.

Quæst. 237. An, ut quilibet facere possit contra legem, requiratur, ut toti communitati constet cessare finem.

Quæst. 238. An sufficiat probabile judicium vel dubium de cessatione causæ, ut communitas possit procedere contra legem.

Quæst. 239. An cessante fine in aliquo speciali casu circa aliquam vel aliquas Personas, & perseverante circa reliquos, cesset obligatio istarum particularium Personarum.

Quæst. 240. An lex valida & utilis, manente ejus utilitate, abrogari possit etiam licitè.

Quæst. 241. An & quæ Publicatio requiratur, ut lex censeatur abrogata & desinat obligare.

Quæst. 242. An, qualiter, & quando lex prior abrogetur per posteriorem.

Quæst. 243. An revocatio seu correctio legum rectè inducatur per tacitos intellectus desumptos à contrario vel simili.

Quæst. 244. An Successor & Superior legislatoris possit tollere legem ab eo latam.

Quæst. 245. An & qualiter inferior abrogare possit legem Superioris.

Quæst. 246. An statuta confirmata à Superiore possit eorum conditor abrogare.

Quæst. 247. An Capitula similesque communitates tollere possint statuta sua à Capitularibus jurata.

Quæst. 248. An & qualiter Episcopus aut Archi-Episcopus possit abrogare constitutiones factas in Synodo Diœcesana.

Quæst. 249. Qualiter à Papa derogetur Conciliorum generalium Decretis.

Quæst. 250. An ad derogandum Decretis Concilii Trident. requiratur specialis hujus Concilii mentio.

T I T U L U S III.

De Rescriptis.

C A P. I.

De natura, varietate, impetratione & præsentatione Rescriptorum.

Quæst. 251. Quid nomine Rescriptorum veniat.

Quæst. 252. Qualiter Rescriptum strictè acceptum definiri possit.

Quæst. 253. In quo Rescriptum distinguatur à Privilegio & beneficio.

Quæst. 254. Qualiter distinguatur Rescriptum à mandato dato in Scriptis.

Quæst. 255. Quotuplicia sint Rescripta.

Quæst. 256. Quænam Rescripta, & quare dicantur Brevia.

Quæst. 257. Quinam interpretari possint Rescripta.

Quæst. 258. Quinam in Jure prohibeantur interpretari Rescripta.

Quæst. 259. Qualiter illa de excommunicato sint restringenda & extendenda.

Quæst. 260. An Rescriptum impetratum ab excommunicato sit ipso Jure nullum, an verò solùm ope exceptionis.

Quæst. 261. An quis impetrare possit Rescriptum gratiæ pro alio capace sine hujus speciali mandato.

Quæst. 262. An impetrare quis possit Rescriptum Justitiæ

C A P. I I.

De forma & variis Rescriptorum Clausulis.

C A P. I I I.

De Rescriptorum interpretatione, obreptione, subreptione, aliisque vitiis.

CA.

C A P. I V.

De Usu & Executione Rescriptorum, eorumque Abusu.

C A P. V.

De Derogatione, Revocatione, Renunciatione, & Expiratione Rescriptorum.

T I T U L U S IV.

De Consuetudine.

C A P. I.

De natura, divisione, & conditionibus Consuetudinis.

C A P. I I.

De causa Consuetudinis.

Quæst. 381. An actus, per quos inducitur consuetudo, debeant esse boni & honesti.

Quæst. 382. An actus inductivi consuetudinis tam præter quàm contra legem debeant esse voluntarii.

Quæst. 383. Num actos inducentes consuetudinem debeant procedere ex intentione inducendi consuetudinem.

Quæst. 384 Ao & qualiter dicti actus debeant esse externi & publici.

Quæst 385. An & qualiter debeant esse pariformes & pacifiei.

Quæst. 386 An requiratur saltem aliqua actuum frequentia tam ad consuetudluem præter quàm contra legem.

Quæst. 387. An & qui consensos populi requiratur ad inducend?m consuetudinem.

Quæst. 388 An & qualiter requiratur consensus Principia.

Quæst. 389. A quibus induci possit consuetudo habens vim legia.

Quæst. 390 An mulieres inducere possint consuetudinem.

C A P. I I I.

De Interpretatione seu Extensione, Probatione, Effectu, & Cessatione Consuetudinis.

Quæst. 391. An qualiter consuetudo extendenda ab uno loco ad aliom, à personis ad personas, à casu uno ad aliom.

Quæst. 392. Consuetudo an & à quo probanda.

Quæst. 393. An & cot consuetudo sit difficilis probationis.

Quæst. 394 An, & à quo, & qualiter consuctudo probanda plenè.

Quæst. 395. Quinam sint effectus consuetudinis.

Quæst. 396. Ao & qualiter consuetudo interpretetur legem

Quæst. 397. An & qualiter consuetudo abrogare possit legem pœnalem.

Quæst. 398 An consuetudo irritare possit leges irritantes.

Quæst. 399. An consuetudo abrogare possit legem humanam prohibentem consuetudinem per generalem clausulam: *non obstante quacunque consuetudine*.

Quæst. 400. An abrogare possit legem reprobantem consuetudinem.

Quæst. 401. An consuetudine abrogari possit lex versans circa Sacramentalia.

Quæst 402. An consuetudo possit prævalere contra Jus gentium.

Quæst. 403. An & qualem obligationem pariat consuetudo.

Quæst. 404. An consuetudioe Induci possit irritatio actuum validorum.

Quæst. 405. An consuetudo diuturna, minùs tamen justa, seu mala nollum penitus habeat effectum.

Quæst. 406. An & quot modis consuetudo rationabilis & legitima cessare seu tolli possit.

Quæst. 407 Per qualem legem censeatur derogatum consuetudini.

Quæst. 408 Ut lex destituta clausula derogatoria censeatur non derogare consuetudini, hæc necessariò debeat esse præscripta, an sufficiat tendere ad præscripeinnem.

Quæst. 409. An clausula generalis: *non obstante quacunque consuetudine*: se sola sufficiat ad derogandum consuetudini, etiam immemoriali.

Quæst. 410. An & qualiter consuetudo abrogetur per aliam consuetudinem.

T I T U L U S V.

De Postulatione.

T I T U L U S VI.

De Electione & Electi Potestate.

T I T U L U S VII.

De Translatione Episcopi.

Quæst. 411. Quid sit, & qualiter definienda Translatio.

Quæst. 412. Utrùm Episcopus aliusve Prælatus authoritate propria relinquere possit Ecclesiam suam.

Quæst. 413. Quæ sit pœna Episcopi confirmati propria authoritate de sua Ecclesia transeuntis ad aliam.

Quæst. 414. Quænam sit pœna aliorum Prælatorum, vel etiam Clericorum sine licentia Superioris à suis Ecclesiis ad alias transeuntium.

Quæst. 415 Cujus authoritate fieri debeat translatio Episcopi confirmati & consecrati ad aliam Ecclesiam.

Quæst 416. An & qua authoritate Episcopus consecratus à priore sua Ecclesia transferri possit ad aliam.

Quæst 417. Cujus authoritate fieri possit ac debeat aliorum Prælatorum Episcopo inferiorum vel etiam aliorum beneficiatorum translatio.

Quæst. 418. An Episcopus invitus à Papa transferri possit.

Quæst. 419 Ob quas causas fieri possit illa Episcoporum tranalatio.

Quæst. 420. Qualiter translatio hæc fieri possit ac soleat ab Ecclesia minore ad majorem, vel contra, vel à pari ad parem.

Quæst. 421. Qualiter translatio illa Episcopi fiat interveniente postolatione vel electione.

Quæst 422. An & qualiter per translationem vacet prior Ecclesia.

Quæst. 423. An per translationem amittatur alternativa, quam habuit Episcopus conferendi alternia mensibus beneficia.

Quæst. 424. Utrùm translatus possit secum asportare fructus jam perceptos, & bona sibi ex reditibus prioris Ecclesiæ comparata.

Quæst. 425. An fructus pendentes & tempore translationis inexacti pro rata temporis debeantur translato.

T I T U L U S VIII.

De authoritate & usu Pallii.

Quæst. 426. Quid nomine Pallii hic veniat.

Quæst 427. Quæ sit forma, & quæ significatio hujus pallii.

Quæst. 428. Quæ pallii hujus origo.

Quæst. 429. A quo illud olim obtineri solitum, & modò impetrari debeat.

Quæst. 430. Quibus concedatur palliom.

Quæst. 431. Qua ratione & modo impetrari soleat ac debeat.

Quæst. 432. Quæ sit forma traditionis pallii.

Quæst. 433. An propter objectionem criminis vel defectus differri debeat.

Quæst. 434 Quo in loco gestari pallium sit licitum.

Quæst.

TITULUS IX.

De Renunciatione.

TITULUS X.

De supplenda Negligentia Prælatorum.

CAP. I.

De supplenda Negligentia Prælatorum quoad administrationem & jurisdictionem.

CAP. II.

De supplenda Negligentia Prælatorum in materia beneficiali.

T I-

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum & qualitate Ordinandorum.

CAP. I.

De Quidditate & Numero Ordinum.

CAP. II.

De Subjecto Ordinum.

CAP. III.

De Titulo Ordinationis.

Quæst.

C A P. I V.

De Ministro Ordinis .

C A P. V.

De Circumstantiis faciendæ ordinationis & pœnis illegitimè conferentium Ordines & malè promotorum .

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine servando.

TITULUS XIII

De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui.

TITULUS XIV.

De Ætate, & Qualitate & Ordine præficiendorum.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.

TITULUS XIX.

De obligatis ad Ratiocinia ordinandis vel non:

QUæst. 637. An & qualiter obligati ad ratiocinia arceantur ab ordinibus.
Quæst 638. Num obligati ratiociniis arceantur quoque ab ordine Religioso.

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis vel non.

QUæst. 639. An & qui ob vitium corporis incapaces sint ordinum.
Quæst. 640. An inhabilis ob vitium corporis ad ordinem aliquem Superiorem v. g. Sacerdotium promoveri possit ad inferiorem.
Quæst. 641. An & à quo cum vitiatis corpore dispensari possit ad ordines.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

QUæst. 642. Quid & quotuplex sit Bigamia.
Quæst. 643. An & quomodo bigami repellantur ab ordinibus.
Quæst. 644. An, & quis dispensare possit cum bigamis.

TITULUS XXII.

De Clericis peregrinis.

QUæst. 645. Quinam hic veniant nomine Clericorum peregrinorum.
Quæst. 646. Quæ requirantur, ut Clerici peregrini admitti possint ad exercendos suos ordines, potissimum ad celebrandas Missas aliaque Sacramenta administranda.
Quæst. 647. Quinam concedere possint literas commendatitias.
Quæst. 648. An præter proprij Episcopi testimoniales egeat Clericus peregrinaturus aliorum Episcoporum chirographis
Quæst. 649. An Episcopus Clericis suis volentibus peregrinari, vel etiam omnino discedere, teneatur literas illas commendatitias concedere.
Quæst. 650. Quid agendum, ut, qui literas illas amiserunt, aut repentina hostium incursione eas obtinere non potuerunt, admittantur nihilominus ad divina celebranda.

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

QUæst. 651. Archipresbyter unde & quis dicatur.
Quæst. 652. Quot & quotuplices sint Archipresbyteri.
Quæst 653. An & qualiter, & à quo constituantur Archipresbyteri.
Quæst. 654. An Archipresbyteratus sit Prælatura & dignitas.
Quæst. 655. Quæ sit distinctio inter Archipresbyterum & Archidiaconum, item quis fuerit antiquitus à Vicario Episcopi.
Quæst. 656. Utrùm Archipresbyter subsit jurisdictioni Archidiaconi.
Quæst. 657. An Archipresbyter præcedat Vicarium Generalem Episcopi.
Quæst. 658. An & quando Archipresbyter præcedat Archidiaconum.
Quæst. 659. An Archipresbiter habeat Jurisdictionem.
Quæstio 660. Quodnam sit officium Archipresbyteri.
Quæst. 661. An & qualiter Missarum solemnium celebratio spectet ad Archipresbyterum præ Archidiacono.
Quæst. 662. An, quoties, & de quibus ab Archipresbyteris Ruralibus habendæ Parochorum conventiones.
Quæst. 663. Quæ ætas requiratur in Archipresbytero.

TITULUS XXV. XXVI. & XXVII.

De Officio Primicerei, Sacristæ & Custodis.

QUæst. 664. Primicerius unde & quis dicatur.
Quæst. 665. Quod sit officium Primicerei, & num habeat jurisdictionem.
Quæst. 666. Num Primiceriatus seu Cantoria sit dignitas.
Quæst. 667 Quis hic veniat nomine Sacristæ, & quod munus illius.
Quæst. 668 Num Sacrista obtineat dignitatem.
Quæst. 669. Quis hic veniat nomine Custodis, & quod ejus officium.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

TITULUS XXIX.

De Officio & potestate Judicis delegati.

CAP. I.

De Jurisdictione in genere, & judicis delegati definitione & variis divisionibus.

CAP. II.

De Personis, à quibus & quibus fieri potest Delegatio & Subdelegatio.

CAP. III.

De causis delegabilibus, delegationis forma, Interpretatione, probatione.

CAP. IV.

De Officio & Potestate Delegati.

CA-

C A P. V.

De recusatione Delegati & appellatione ab eodem.

C A P. VI.

De cessatione officii & potestatis Judicis delegati.

C A P. VII.

De Delegatis, qui Conservatores dicuntur.

T I T U L U S XXX.

De Officio Legati.

C A P. I.

De Legatorum Apostolicorum nomine, origine, diversitate, officio, jurisdictione & potestate in genere.

C A P. II.

De potestate Legati in materia beneficiali remissivè.

TITULUS XXXI.

De officio Judicis ordinarii.

C A P. I.

De appellatione Ordinarii & jurisdictione in genere.

C A P. II.

De Jurisdictione Papæ, & Cardinalium.

Quæst.

C A P. III.

De Potestate & Jurisdictione Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, Archi Episcoporum.

C A P. IV.

De Jurisdictione & Potestate Episcopi.

CAP. V.

De Potestate & Jurisdictione Prælatorum aliorum Episcopo inferiorum, præsertim Regularium.

TITULUS XXXII.

De officio Judicis.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate, & obedientia.

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

CAP. I.

De Pactis in genere.

CAP. II.

De Contractu.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

TITLUUS XXXIX.

De Syndico.

TITULUS XL.

De iis, quæ vi metusve causa fiunt.

TITULUS XLI.

De in integrum Reſtitutione.


TITULUS XLII.

De Alienatione Judicii mutandi cauſa facta.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

Quæſt.



JUS



JUS CANONICUM UNIVERSUM R. P. PETRI LEURENII.

QUÆSTIONES PRÆLIMINARES.

QUÆSTIO I.

Unde Juris nomen derivetur?



Esp. Tametsi hoc vocabulum primitivum & aun deductum censeat Gregor. Lopez *Animadverf. cap.* 3., *num.* 5. verisimilius tamen, omissis aliis minus convenientibus derivationibus, quas asserunt Alciat. *Lib.* 1. *pareg. cap.* 29. Connanus *L.* 1. *Comment. juris Civilis c.* 5. *num.* 4. & inter quas est etiam illa facta ab Isodoro relato in *can. jus generale dist.* 1. *à justo*; item allata ab Ulpiano in *L.* 1. *ff. de Just. & Jur.* sumta a *Justitia*; cum *Jus* sit quid simplicius *justo*, & tanquam objectum Justitiæ sit quid illa prius & antiquius: omissis illis, inquam, derivationibus, derivari videtur a *jussu* seu *jubendo* Arist. 5. *Ethic. c.* 1. juxta quod teste Festo jura seu leges priscis dicebantur *jussa*.

QUÆSTIO II.

Quid importet seu pro quo supponat vocabulum Jus.

1. RESp. Varias esse illius acceptiones & significationes. Accipitur enim primò pro facultate seu potestate morali legitimè seu licitè, hoc est, natura seu lege permittente & favente, agendi aliquid vel omittendi, vel etiam alium obligandi ad faciendum vel omittendum aliquid (subintellige, voluntate physicè vel interpretativè & moraliter propria, qualis respectu Infantium, amentium, pupillorum, prodigorum, qui etsi jus habeant, voluntatem tamen physicè propriam ad obligandum alium non habent, est voluntas parentum, tutorum, curatorum, quibus subjecti:) licitè non impedibili ab alio, sic quis dicitur: uti jure suo: transferre jus suum in alium: lædere jus alienum. Juris sic accepti alias similes ingeniosas definitiones vide apud Theologos.

2. Secundò sumitur pro sententia judiciali. Sic judex sedens pro tribunali, ac proferens sententiam dicitur Jus dicere, juxta *L. Jus pluribus ff. de Just. & Jure*, retinetque hæc sententia nomen *Juris*, etiam dum iniqua est. *L. pluribus modis. ff. de Just. & Jure* dicente JC. *Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam dum iniquè decernit*. relatione scilicet facta, non ad id, quod Prætor ita facit, sed ad illud, quod Prætorem facere convenit.

3. Tertiò pro loco, in quo jus dicitur, suumque seu debitum litigantibus per sententiam adjudicatur. *L. Jus. ff. de Just. & Jure*. sic dicimus: in jus ire, vocari. Juxta quod ait Cicero pro Murena: *ego te in jure conspicio*.

4. Quartò pro æquo & justo accepto generatim, nimirum pro eo, quod dictamini rationis, divinæ ac humanæ legi conforme est. Adeoque pro ipso objecto legum dirigentium ad vivendum honestè, non lædendum alterum, ad reddendum cuique suum: sic a S. Augustino *in Psal.* 145. *ad finem* jus vocatur, quod justum est, & *Lib.* 9. *de Civitat. Dei cap.* 21. justè fieri, quod jure fit. Atque ita spectat ad Justitiam generalem seu legalem.

5. Quintò significat idem, quod justum acceptum specialim pro eo, quod æquum sive æquale & alteri debitum est; non quocunque modo; sed ex justitia, & respicitur a justitia particulari tanquam ejus objectum.

6. Sextò sumitur pro ipsis legibus & constitutionibus, & in hoc dicitur naturale, gentium, & civile. Item ignorantia alia esse juris alia facti.

7. Septimò pro libro, in quo leges descriptæ continentur. Sic jus canonicum, seu corpus juris canonici dicitur liber, in quo continentur leges pontificiæ.

8. Octavò pro ipsa legum & canonum scientia seu notitia, quomadmodum notitia medicamentorum & peritia illa adhibendi medicina appellatur, denominatione ab objecto ad ipsum habitum scientiæ translata. Unde Ulpian. *L.* 1. *ff. de J. & J.* inquit: *Juri*, hoc est scientiæ legum operam daturum, &c. & jus definit, quod sit ars æqui ac boni, quique callent Jus, Jurisconsulti vel periti dicuntur, & ab Imperatore §. 1. *Instit. de J. & J.* Jurisprudentia dicitur divinarum atque humanarum rerum notitia: justi atque injusti scientia.

QUÆSTIO III.

Qualiter Jus acceptum pro potestate illa morali agendi aliquid vel omittendi dividatur.

1. RESp. Dividi in jus proprietatis & jus jurisdictionis. Jus jurisdictionis est potestas publica principaliter & directè ordinata in totius comunitatis aut etiam privatorum bonum alterum obligandi ad aliquid faciendum vel omittendum. Tametsi autem jus hoc jurisdictionis sit bonum proprium habentis illud, non secus, ac alia bona fortunæ, in cujus exercitio si impediatur, fiat ei injuria strictè dicta, cedatque in maximum ejus commodum, id tamen per accidens & merè concomitanter accidit, habetque se dictum commodum velut finis extrinsecus, non ex natura rei ei constitutus, sed ab habente illud, non tamen quà gubernante, intentus. Tale jus habent non solùm supremi Prin-

cipes & Magistratus, sed & quicuoque cum ordinaria vel delegata potestate constituti judices.

2. Jus proprietatis est potestas seu facultas ponendi actionem aliquam, vel omissiouem, vel etiam obligandi alium ad agendum vel omittendum aliquid, principaliter & directè ordinata in bunum sui subjecti. Hjs non obstante, quod vi juris proprietatis obligare possim alium ad ponendam actionem in bonum illius, v. g. ad reddendum mihi librum meum, oe ex illius lectione pervertatur. Finis enim hic est merè extrinsecus respectu hujus juris, quem proprietarius hic & nunc liberè intendit. Sed neque vi juris proprietatis potest quis uti re sua in perniciem suam, v. gr. gladio suo ad interficiendum se; vel etiam rem suam destruere, dum hæc destructio est illicita; cùm hic usus tanquam illicitus sit licitè impedibilis, quùm usus hujus juris non est impedibilis. Neque deoique jus hoc inductum est ad communem felicitatem, dum plurimùm intererat Reip. non omnia bona esse communia, nisi ad summùm tanquam ad finem mediatum & ultimatum.

3. Subdividitur jus proprietatis in jus in re & jus ad rem, & jus mixtum. Jus in re sui reale est, quod quis habet in re jam sua & obtenta disponendi de ea &c. seu quod rem ipsum immediatè respicit, eique per moralem quandam unionem inhæret. Quod qui habet, rem ita sibi devinctam & subordinatam habet, ut ad quemcunque detentorem, possessorem, sive bonæ sive malæ fidei ea pervenerit, & ubicunque extiterit, possit eam prosequi, repetere & sibi vindicare. Unde est, quod jus hoc semper fundet actionem realem, qua res ipsa immediatè petitur, nimirum rei vindicationem; dum actio in genere est jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur. *Inst.* de act. Quamvis sumatur etiam pro actu, quo res petitur seu vindicatur. *Inst. eod.m.* Ejusmodi jus in re est dominium perfectum, usus fructus, jus servitutis, hypothecæ &c. omneque jus, quod rem, sive corporalis ea sit (quales dicuntur, quæ natura sua tangi vel sentiri possunt, v. g. fundus, vestis, pecunia, mancipium) sive incorporea (quales dicuntur, quæ solo intellectu percipiuntur. v. gr. jura ipsa, officia, beneficia, servitutes &c.) ita nobis obtingit, ut possimus ex ea actu percipere utilitatem, fructum, securitatem creditorum, honorem &c. intellige per se loquendo, & quantum est ex vi juris. Nam quò minùs actu percipiamus utilitatem ex rebus, quarum domini sumus, contingit sæpe per accidens, obstante nimirum possessione illarum existente penea alium.

4. Jus ad rem describi potest, quod quis habet ad actum futurum vel ad rem debitam; nec dum obtentam, Dicitur etiam personale; quia ut plurimùm immediatè respicit & subordinat habenti illud personam unam certam, vel etiam plures determinatas, nimirum obligatas ex contractu vel quasi contractu, vel ex delicto ad aliquid præstandum, ad rem aliquam tradendam, exhibendam. Adeoque hoc jus est quasi jus ad jus in re, sive obtinendi jus in re, & parit actionem personalem, sive immediate contra personam, ut nimirum rem, ad quam jus habes, tibi procuret, extradat, satisfaciat &c. quæ actio vocatur condictio *Inst. de act.* §. 15. cujusmodi jus habes ad equum tibi venditum, necdum extraditum. Non enim hoc jus ita immediatè rem respicit, ut vi hujus juris possis equum apprehendere, & tibi vindicare invito venditore. Neque ipsi equo affigitur ita, ut hic secum trahat obligationem, ut tibi restituatur, a quocunque possessore detentus. Si enim hic equus secundò venditus fuisset & extraditus alteri, is non tenetur illum tibi immediatè restituere; nec illum ab eo judicialiter postea repetere. Sed hoc jus tibi soli inditum immediatè respicit venditorem tribuitque tibi actionem personalem contra illum, ut possis illum judicialiter convenire, & cogere ad extradendum equum, & satisfaciendum pro damno, quod fortè passus es ex non traditione equi. Tale jus habes ad præstandas tibi operas ab operariis a te conductis. Tale jus acquiris ad hæreditatem per cessionem illius. Ad beneficium per præsentationem, electionem. Dixi, plerumque hoc jus respicere personam, & parere actionem personalem. Nam habes jus ad fructus percipiendos ex re tua, & tamen hic nulla respicitur persona, quæ tibi obligata sit ad fructus illos tradendos.

5. Jus mixtum est, quod participat aliquid ex utroque jure, nimirum jure in re & jure ad rem, paritque actionem quasi mixtam ex reali & personali. *Inst. §. quadam de actionib.* ubi dicitur: *quadam actiones causam mixtam habere videntur, tam in rem quàm in personam.* Quarum actionum quatuor proponuntur, Prima finium regundorum; qua agitur de finibus prædiorum rusticorum confusis iterum dirigendis & terminandis. Familiæ erciscundæ, hoc est familiæ seu rei familiaris dividendæ inter cohæredes, cum discedere volunt a communione. Communi dividundo, quæ datur illis, inter quos res aliqua ex causa legati, donationis, vel alia causa communi, ut res vel dividatur, vel præstando præstetur. Ad exhibendum, qua quis petit copiam ad inspiciendam rem ab alio detentam; quia probabiliter putat esse suam. Soletque hæc quarta adduci pro exemplo explanandi hujus juris. Fugit servus meus, quem probabiliter suspicor apud te latere; jam eo ipso competit mihi jus contra te, ut exhibeas mihi illum hominem, ut cognoscam, sitne servus meus nec ne, & si nolueris eum exhibere, possum te convenire apud Judicem, ut cogaris mihi exhibere illum. Jam vero per illam actionem adhuc non vindico mihi, nec immediate repeto servum meum; sed solum per eam cogo personam ad exhibendum mihi servum. Et eatenus actio illa non tam est realis quam personalis, Quatenus tamen per eam præpono viam ad vindicationem instituendam, ubi cognovero esse servum meum. Et quia datur, apud quemcunque cognosco latere rem meam, inducit naturam actionis realis, adeoque bene appellatur mixta.

6. Subdividitur quoque jus proprietatis per respectum ad principium, unde ortum habet. Dum aliud dicitur primævum, quod a sola lege aliquâ generali, puta divina vel naturali originatur seu dependet. Quale est jus uniuscujusque ad usum membrorum suorum. Aliud non primævum, quod a lege aliqua particulari seu jure alio priore dependet. Qualia fere sunt jura, quæ acquiruntur per donationem, emptionem aliumve contractum.

7. Ratione subjecti, cui inest, subdividitur in herile seu dominativum. Quale est domini erga servum. Oeconomicum. Quale est mariti erga uxorem. Paternum, quale habet pater in liberos. Et civile seu politicum, quod regulat justitiam commutativam inter duos, habentes se disparate & ex æquo ad invicem. v. g. inter duos cives. Quamvis illa tria priora jura non sint proprietatis, sed habeant aliquid jurisdictionis sibi mixtum. Dum licèt detur jus strictè & pure proprietatis inter patrem & filium spectatos disparate ut duos homines diversos, vi cujus pater facit filio strictam injuriam infamando; mutilando illum; auferendo illi bona castrensia; jus tamen, quod datur inter patrem comparatum ut patrem, & filium comparatum ut filium, in tantum participat de jure proprietatis, in quantum filius a natura datur patri ad promovendam felicitatem patris, dum pater suo modo manet in filio, in tantum participat de jure jurisdictionis, in quantum pater datur a natura filio, ut is a patre bene regatur, & sic ordinatur ad promovendam filii felicitatem; adeoque quidquid disponit pater ut pater circa filium, ordinatur indivisim ad bonum & felicitatem utriusque.

8. Item, ratione subjecti subdividitur in altum, quod habet Princeps tanquam caput Reipubl. vel etiam ipsa Resp. disponendi de bonis subditorum vel civium ad bonum commune. Et bassum, quod habent singula Reipubl. membra in sua bona, salvo dominio seu jure alto Principis, quod is in eadem habet tempore necessitatis.

QUÆSTIO IV.

Qualiter jus acceptum pro lege dividatur.

RESP. Dividi minus artificiosè & aptè ad regulas bonæ divisionis solebat Jurisconsultis *l. 1. ff. de just. & jur.* & *§. fin. Inst. tit. eod.* immediatè in naturale, gentium & civile: Quippe plura sunt jura seu leges, v. gr. Canonicæ non paucæ, item leges multæ divinæ, saltem veteris testamenti, quæ triplici hac partitione non comprehenduntur. Melius cum Philosopho *5. Ethic. cap. 7.* dividitur a Theologis, Molin. *Tract. 1. de jur. & just. d. 3. n. 4. & 5.* Less. *de just. l. 2. c. 29.* (quos plures recentiores Juris consulti sequuntur) in jus naturale & positivum. Vel etiam cum D. Thom. 1. 2. *qu. 91. art. 1. & seq.* Suar. *de LL. lib. 2. quæst. 1. & seq.* trifariam in jus æternum, naturale & positivum (nisi velis sub jure naturali comprehendere tam jus naturale divinum æternum, quam jus naturale creatum participatum:) Et dein positivum in divinum & humanum. Et hoc ulterius in jus gentium, civile & canonicum,

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quid proprie sit jus æternum seu lex æterna, pro ut distinctum a jure naturali participato.

1. RESp. primo. Jus hoc æternum seu lex æterna latius & generaliter accepta, quatenus cadit super omnes creaturas tam irrationales quam rationales, nihil est aliud, quam ratio divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum creaturarum in suos fines. D. Thom. 1. 2. *q.* 93. *art.* 1. 4. & 5. Sicut enim in artifice præexistit ratio eorum, quæ fiunt per artem, sic in quolibet gubernatore oportet, quod existat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui ejus gubernationi subsunt. Adeoque necesse est, in Deo tanquam gubernatore totius universi, præexistere rationem directionis seu ordinis illius, juxta quem in tempore creaturas dirigere decrevit; & quidem ab æterno; cum nihil de novo cognoscat, aut velit in tempore; repugnaret enim idipsum infinitæ ejus sapientiæ & immutabilitati. Hæc itaque divina ratio & voluntas, quatenus concipit & constituit regulas quasdam veluti generales, juxta quas res omnes moveri debent & ordinari, creaturæ quidem irrationales & agentia naturalia modo naturali ac necessario, eorum naturis congruente: agentia vero libera modo agendi libero, lex dicitur æterna accepta in tota sua generalitate, quæ licet respectu creaturarum irrationabilium minus de ratione legis proprie dictæ participet, & ut Suarez *de LL. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. non nisi metaphorice lex & præceptum dicatur, suo tamen etiam modo respectu earum lex & imperium dici potest. Si enim voluntas humana exterioribus membris corporis, secundum se non habentibus rationem imperare potest, eisque suo imperio certam legem necessitatemque operandi imponere, quanto magis divina voluntas creaturis etiam irrationabilibus dici potest imperare, certasque leges ac necessitatem operandi conformiter naturis suis imponere. Suarez *de LL. cit. c.* 2. *n.* 10.

2. De cetero, dari istiusmodi legem æternam versantem tam circa naturalia quam moralia, sive non tantum circa actiones liberas, sed & naturales, & circa totum ordinem universi, cui subjecta sint & obediant omnia, constat ex S. August. (qui, ut ait Suar. *loc. cit. nu.* 12. præcipuus Author est, qui de lege æterna sermonem habuit) in pluribus locis, puta *de lib. arbit. cap.* 5. & 6. *de vera Relig. l.* 30. *de Civit. Dei c.* 11. Tenent idem D. Thom. 1. 2. *q.* 91. *art.* 1. & *quæst.* 93. *per totam*. Cajetan. *ibidem*. Suar. *loc. cit. c.* 1. *n.* 2. Sed & agnitam a Sapientissimis philosophis, testatur Cicero *lib.* 1. & 2. *de LL.* his verbis: *Hanc video Sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum esse aliquod populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia &c.* Esseque quoque hanc legem consideratam secundum statum, quem lex habet in interna dispositione legislatoris, quatenus in mente illius illa jam descripta est, ac ejus absoluto decreto ac firma voluntate statuta, satis constat ex dictis; etsi æterna non sit considerata secundum statum, quem habet exterius constituta & subditis promulgatis. Ita Suar. *cit. c.* 1. *num.* 5. qui etiam *n.* 11. ostendit ex mente D. Th. non esse de ratione hujus legis promulgationem actu factam subditis, secus ac contingat in aliis legibus; sed censeri eam consummatam & perfectam eo ipso, quod sit in mente legislatoris stabilita; eo quod decretum Dei æternum sit immutabile, & sine sui mutatione obliget pro tempore. Decretum autem hominis, quia mutabile est, habeat se semper potius per modum propositi ferendi legem, quamdiu promulgata non est. An vero & qualiter lex hæc æterna sit regula etiam ipsorum actuum divinorum, vide apud Suar. *lib.* 2. *c.* 2. *a n.* 1. Item an omnes actiones morales seu humanæ sint materia hujus legis, vide apud eundem *loc. cit. a n.* 14. An sit actus divinæ mentis differens ratione ab aliis, & an una sit vel plures, vide apud eundem *loc. cit. c.* 3. *per totum*.

3. Resp. secundo. Jus æternum seu lex æterna accepta restricte quatenus solas creaturas rationales respicit, aliud non est quam actus divinæ mentis, quo Deus concipit & judicat quasdam regulas practicas, necessarias & æternæ veritatis (hoc est, penitus immutabiles, & ex se ipsis formaliter & intrinsece tales, propter quas ipsas, & non tantum quia ab æterno in mente existit, lex hæc divina dicitur æterna) a creatura rationali observandas cum voluntate illam ad hoc obligandi. Quales regulæ sunt, Deum esse colendum; parentes honorandos, non mentiendum, nemini faciendam injuriam &c. Porro ab hac lege seu jure æterno derivari omnes leges alias, habet communis juxta illud *Proverb. c.* 8. *per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*, & illud S. August. *lib* 1. *de lib. arb. c.* 6. *nihil est in lege temporali justum, quod ex lege æterna non derivetur.* Lex siquidem æterna est ratio gubernandi existens in omnium gubernatorum primo ac summo Deo. Sic itaque imprimis seu naturalis est quædam impressio & irradiatio divini luminis, ac participatio istius æternæ legis præeminentis in mente divina, ostendens nobis, quæ recta & justa sunt, & e contra, quæ fugienda, quæ recta & justa non sunt. Ita fere Anaclet. Reiffenstuel *in proœm. ad jus can. n.* 23. & 24. Leges positivas tam divinas quam humanas derivari ab æterna illa lege, liquet ex enumeratione earum. Dum v. gr. ex lege illa æterna: Deus est colendus: derivantur omnes leges & ceremoniæ Sacræ a Deo diversis legibus, tam in veteri quam novo testamento præscriptæ circa fidem, sacrificia, Sacramenta aliaque ad cultum Dei pertinentia. Ex lege illa æterna: nemini injuriam feceris: derivantur leges quamplurimæ humanæ, quæ ad justitiam & rectitudinem humanæ conversationis spectant. Ac denique ex illa lege æterna generali: superiori legitime præcipienti est obediendum: derivantur vimque suam obligandi deducunt omnes leges positivæ. Vide de his pluribus Suar. *de LL. l.* 2. *c.* 4.

QUÆSTIO VI.

Quid sit jus naturale.

1. RESp. primo. De jure naturali accepto in significatione largissima & valde impropria, qua brutis quoque convenit, & vel hinc naturale commune dicitur ab Host. *in proœm. sum. §. sed & alia.* Archid. *in c. jus autem naturale, dist.* 1. *n.* 2. loquuntur jura civilia, dum *l.* 1. *ff. de just. & jur.* dicitur: *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus illud non humani generis proprium, sed omnium animalium quæ terra marique nascuntur, avium quoque commune est. Hinc descendit maris & fœminæ conjunctio. Hinc liberorum procreatio. Hinc educatio. Videmus enim cetera quoque animalia, feras etiam istius juris peritia censeri &c.* De cetero namque nullam veri juris seu legis speciem respectu brutorum dari, vel ex hoc constat, quod expertia sint rationis & libertatis, adeoque nulla cadat in ea obligatio, reatus & pœna.

2. Resp. secundo. Jus naturale acceptum proprie, prout nimirum soli creaturæ rationali competit, nullius legislatoris voluntate constitutum, sed cum ipsa natura rationali congenitum, sive, ut ait Imperator *§.* 1. *Inst. de just.* quod naturalis ratio inter homines constituit. Et Cicero *Lib. de Rep. quod est vera ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, & constans, quæ vocat ad officium jubendo & vetando &c.* a parte rei nihil est aliud, quam ab authore naturæ hujus Deo inditum illi lumen, ac inde profluens dictamen, quo agnoscit & indicat, quædam ex natura sua seu ab intrinseco sibi convenire moraliter, seu se decentia. Qualia sunt: Deum colendum, ablata restituenda: servanda promissa &c. Quædam vero ab intrinseco sibi disconvenientia & dedecentia. Qualia sunt blasphemare Deum, pejurare, mentiri &c. Adeoque ad hæc vitanda, ad illa agenda se obligari. Ita fere Theologi cum D. Th. *in* 4. *dist.* 33. *a.* 1.

3. Hoc jus naturale dari in nobis, de fide est, & desumitur ex *Ps.* 4. *v.* 6. ubi interrogantibus: *quis ostendit nobis bona?* id est, honesta, quæ sequamur, respondet Propheta: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ac si diceret: opus non est alio doctore; cum quilibet sibi infusum a Deo habeat lumen, quo videat, quid sibi honeste agendum, quid declinandum. Unde & Apostolus *ad Rom. c.* 2. ait: *gentes, quæ legem non habent* (id est scriptam) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, istiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et D. August. *lib.* 2. *confess. c.* 4. *lex tua scripta est in cordibus hominum.*

4. Hoc jus naturale non esse solum improprie legem; cum non sit a superiore (utpote qualis non est quisque sibi) seu legem tantum judicativam proponentem malitiam vel bonitatem in objecto, ut volunt quidam apud Suar. *lib.* 2. *de LL. l.* 2. *c.* 6. *n.* 3. siquidem alias & ipse Deus respectu sui haberet legem naturalem; sed esse quoque præceptivam, seu habere rationem veræ legis, pro qua habetur a SS. PP. & cujus prævaricatores sint vere peccatores, & ut tales puniendi; id inquam ex eo deducit Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 2. *num.* 3. citatn Suar. *ubi ante num.* 5. quod lex hæc includit simul legem Dei internam. Juxta quod ait D. Th. 1. 2. *qu.* 92. *art.* 2. legem naturalem esse participationem legis æternæ. Et D. August. loc. cit. dicit: *lex tua scripta est in cordibus nostris.* Siquidem Deus creare volens naturas rationales, easque regere & gu-

bernare, ad hanc gubernationem necesse habuit ei leges imponere tanquam regulas quasdam generales de vitandis his, quæ ab extrinseco mala, seu illis moraliter disconvenientia, & agendis quæ ab extrinseco bona. Ad hanc vero convenientiam & disconvenientiam cognoscendam lumen indidit & dictamen, quod quatenus repræsentat, quæ intrinsece bona vel mala, & hinc a Deo vetita vel præcepta, rationem legis habet; intellige, vel quatenus transcendentaliter respicit illam Dei prohibitionem, vel præceptum, vel quatenus eandem includit.

5. Denique jus hoc non solum actuum quorundam turpitudinem ostendere, sed & eorum nullitatem; atque ita actus quosdam hoc jure irritari & irritos esse, auctores passim supponunt, dum de variis quærunt, nam jure positivo, an naturali sint irrita. Sanchez *de matrim. lib. 7. d. 51. num. 3. & 4.* Suar. *de LL. lib. 2. c. 12. n. 3.* id comprobantes exemplis matrimonii initi in primo gradu consanguinitatis lineæ directæ. De cætero num jus hoc naturale mutari possit, vel in eo dispensari, & utrum in eo locum habeat epiikia, vide apud Suar. *lib. 2. art. c. 13. 14. 15. 16.*

QUÆSTIO VII.

Unde dicatur, & quid sit jus positivum.

1. RESp. ad primum. Jus positivum (quod aliqui apud Connan. *lib. 1. comment. jur. civil. cap. 8. positum* vocant) sic dictum, quia non ex necessitate & intrinseca objecti exigentia, sed accidentaliter & contingenter ponitur, & quasi additur legi naturali. Suar. *l. 1. c. 3. n. 13.* nimirum vel novo præcepto in tempore lato prohibendo vel præcipiendo ea, quæ jam lege naturali præcepta vel vetita sunt. Qualia sunt v. gr. honor parentum, perjurium &c. Nihil enim vetat, super idem cadere & legem naturalem & positivam, quæ & inde dicuntur non esse juris mere positivi: vel præcipiendo aut vetando aliqua, quæ jure naturali præcepta aut vetita non sunt.

2. Resp. ad secundum. Jus positivum definiri potest, quod sit seu ex libera Dei vel hominis aliquid præcipientis vel prohibentis voluntate dependens. Molin. *tr. 1. de just. d. 4. n. 2.* Unde jam triplex desumitur juris merè positivi a naturali differentia. Prima est, quod jus naturale obliget ex ipsa natura rei, in qua honestatem vel inhonestatem supponit. Positivum autem non nisi ex libera voluntate superioris, quæ non supponit, sed facit bonum vel malum, quod præcipit vel prohibet, ac ideo ea mala sunt, quia prohibita; non vero prohibita quia mala. Suar. *de l. 7. LL. n. 1.* Secunda, quod jus positivum multiplex sit & varium pro locorum ac temporum varietate: jus autem naturale, tametsi & ipsum multis præceptis constet, sit tamen unum idemque in omnibus hominibus ubique & semper. Arist. 5. *Eth. c. 7.* D. Thom. 1. 2. *q. 94. a. 4.* Imperat. *§. sed naturalia Inst. de Just.* Ex eo autem, quod quandoque gentes aliquæ præcepta aliqua naturalia particularia ignorantes putaverint esse licita, quæ revera jure naturæ sunt irrita (quemadmodum de antiquis Germanis scribit Cæsar. *Lib. 6. de bello gall.* furtum non fuisse reputatum ab eis iniquum, quamvis credibilius videatur, ab illis furta non tam fuisse habita pro licitis, quam tolerata solum) ex eo inquam, illud solum & ad summum infertur, quod jus naturale in actu secundo, sive quo ad actualem notitiam particularium præceptorum aliqualiter diversum, aut non integrum in omnibus fuerit: non vero, quod non fuerit unum idemque semper in omnibus in actu primo, & quo ad prima & generalissima principia v. gr. bonum esse faciendum; declinandum a malo: proximum non esse lædendum: quæ ex hominum cordibus aboleri & omnino ignorari non posse, tradit cum D. Th. *l. c. a. 6.* Suar. *l. 2. c. 8. n. 6.* Tertia, quod jus positivum ex legislatoris voluntate, etiam manentibus iisdem circumstantiis mutari, e usque obligatio omnino tolli possit, argumento *c. omnis de Regul. Jur.* Jus vero naturale ex sua natura sit immutabile, non tantum quoad eius prima & universalissima principia per se & immediate nota ex ipsa terminorum apprehensione; sed etiam quoad particularia, & ex primis illis principiis per evidentem discursum deducta præcepta (quæ nonminus ad jus naturale spectare, utpote non minus intrinsece bona vel mala, ac ideo præcepta vel vetita, quam dicta principia generalia, contra plures Juris Consultos & nonnullos Theologos, qui illa ad jus gentium pertinere volunt, defendunt D. Th. 1. 2. *q. 100. a. 1.* Suar. *l. 2. c. 7. n. 4.* Covar. *in reg. peccatum p. 2. §. 11. nu. 4.*) v. gr. non esse blasphemandum, pejurandum. D. Th. *cit. a. 4. & q. 100. a. 8.* Imperat. *cit. §. sed naturalia*, prout etiam agnoverunt gentiles. Arist. *cit. cap. 7.* Cicero *de LL. l. 1. & 2.* quidquid sit de eo, quod ut dictum, ab aliquibus potuerint ignorari, & iis contraria tolerare. Quod longe quid diversum est ab eo, quod immutari & abrogari possint. Ad illud, quod in contrarium moveri solet, nimirum primitus jure naturali omnia fuisse communia; quod dein immutatum est, introducta bonorum divisione: respondetur, omnia fuisse communia jure naturali permissivo tantum, non præceptivo, de quo intelligenda illa immutabilitas. Vel etiam, quod jure naturali omnia fuerint communia negative tantum quatenus illo jure nulla est facta divisio: non vero positive, nimirum, quod fuerit præcepta illa communitas rerum, & contrarium prohibitum. Similiter ad hoc, quod bella, captivitates, servitutes jure gentium sint introducta & licita; quæ tamen §. *Jus autem gentium de Jure nat. gent. & civil.* dicuntur juri naturali contraria: dicitur, esse juri naturali contraria non positive, quasi isto jure fuissent prohibita; sed tantum negative quatenus jure naturali, quo omnes homines ab initio liberi nascebantur, nondum introducta fuerint; sed prius postmodum, sic urgentibus rerum necessitatibus ad compescendos malos, injurias propulsandas, & jura propria tuenda, communi populorum consensu atque usu sunt inventa.

QUÆSTIO VIII.

Quid sit jus positivum divinum & quotuplex.

1. RESp. ad primum: Jus positivum divinum est, quod immediate a Deo latum in tempore, vel a Christo quatenus Deus & homo est, conditum, & vel ab ipsomet, vel Angelorum aut hominum ministerio promulgatum. Suar. *de LL. lib. 1. cap. 3. nu. 13. & 17.* Molin. *de Jur. & Just. d. 5. num. 2.*

2. Resp. ad secundum: Jus positivum divinum aliud vetus est, aliud novum. Vetus est, quod Deus in veteri testamento per se ipsum conditum, per Angelos, Moysen & Prophetas populo Judaico tradidit & promulgavit. Quo jure continentur imprimis præcepta moralia, quæ morum juxta rectæ rationis dictamen conformationem spectant, ut sunt præcepta Decalogi: *Exod. 2. a vers. 3.* quæ tamen non sunt juris mere positivi, sed divini naturalis, seu dictamina luminis & rationis naturalis, per id tempus, quo omnis caro corruperat viam suam, multum obscurati a Deo denuo in cordibus hominum per novam illam eorum promulgationem excitati. Unde etiam vim obligandi, quam habuerunt olim, habent & modo respectu Christianorum, non quatenus leges sunt veteris testamenti, sed juris naturalis, illiusque claræ interpretationes. D Thom. 1. 2. *q. 98. art. 5.* Covar. *l. 1. var. c. 17. n. 1.* Dein ceremonialia, determinantia ceremonias, tempus ac modum debitum cultum exhibendi Deo, contenta præcipue in Levitico de Sacerdotibus, Levitis, Sacrificiis, festivitatibus. Ac denique judicialia ad politicum reip. regimen, justitiæ, tam in civilibus quam criminalibus administrationem spectantia. Quorum plura referuntur *Exod. 21. & seq.* Mortua & abrogata sunt tam hæc quam illa per mortem Redemptoris nostri, adeoque Christianos non obligant, nisi quatenus a legislatore Christiano resuscitantur. Qualia ex judicialibus plura resuscitata aut retenta sunt in lege nova, ut constat ex *cap. 1. de decimis c. 1. de homicid. c. 1. de Adulter. c. 1. & seq. de injuriis.* Quin & ceremonialia, saltem præcipua concernentia sacerdotium, sacrificia legis veteris substantialia; quippe Messiam venturum, redemptionem humani generis, & legem gratiæ futuram tanquam figuræ significantia, adeoque modo fidei Christianæ adversantia, evasere quoque mortifera, ita ut nulla authoritate humana resuscitari valeant. Suar. *de LL. l. 9. c. 19. a nu. 13.* cum D. Thom. Porro dicta legis veteris præcepta ceremonialia, & judicialia non fuisse præcepta pure humana, a Moyse immediate profecta, ut putat Canus *lib. 2. locor. Theol. cap. 2.* & de plerisque censet Salmeron. *in act. Apost. tr. 61. & 62.* & de omnibus astruit Tiraq. *de retract. in præfat. n. 10.* eo quod vocetur lex Moysis. *Malach. 4. v. 4. Luc. 2. v. 22.* Sed a Deo omnia immediate condita melius censent D. Thom. 1. 2. *q. 98. a. 2.* Maldonat. *in Matth. c. 19.* Suar. *l. 9. de LL. cap. 2. n. 3. & 10.* Bellarm. *lib. 1. de verbo Dei Scrip. c. 5.* aliique præcipue Theologi. Et constare videtur ex *Exod. 20. v. 22.* ubi relatis præceptis moralibus subjungitur: *Dixit præterea Dominus ad Moysen; hæc dices filiis Israel: altare de terra facietis; & Levit. 1. vocavit Dominus Moysen, & locutus est ei Dominus dicens: loquere filiis Israel; & hæc dices;* quæ verba præceptorum ceremonialium enarrationi sæpe præmittuntur toto illo libro. Ac denique clarius in *Num. c. 1. v. 3.* ubi: *locutus est Moyses ad filios Israel omnia, quæ præceperat ei Dominus &c.* Neque hic excipiendus libellus repudii; quia & hic

hic noo propria autboritate Moysis, sed potestate quavis humana altiore, uempe divina per modum dispensationis permissus. Suar. *cit. c.* 2. *n.* 15.

3. Jus positivum divinum novum est, quod Christus Deus & homo in novo testameuto condidit, & perseipsum vel Apostolos promulgavit. Ad quod jus spectant præcepta de fide, spe, charitate, de recipiendo Baptismo, Sacramento pænitentiæ post lapsum baptizati in mortale. Sacramento Eucharistiæ aliquoties per vitæ decursum recipiendo. De ritibus substantialibus sacrificii & Sacramentorum. Porro in lege evangelica nulla esse præcepta obligantia pure jure divino positivo, nisi circa Sacramenta novæ legis, utpote a Cbristo ipsomet instituta, & circa fidem v. gr. credendi SS. Trinitatem, Incarnationem Verbi, docent D. Th. *1. 2. q.* 108. *a.* 1. & 2. Gonz. *in proœm. ad jus can. n.* 27. & 28. Fagn. *in c. cum esses de Testam. n.* 119. apud Reiffenstuel *in proœm. ad Jus Can. nu.* 25. Illa siquidem præcepta de observanda quadragesima die dominico. De bigamis non ordinandis, sunt immediate ab Apostolis, ad jus positivum humanum ecclesiasticum spectantia. Molin. *cit. d.* 5. *n.* 1.

QUÆSTIO IX.

Quid sit jus positivum humanum in genere.

1. RESp. Est illud, quod immediate ab hominibus, potestate ad hoc a Deo accepta pollentibus conditum. Suar. Molin. *l. loc. cit.* Quale jus humanum positivum adhuc constituunt, quæ Apostoli tanquam pastores & rectores supremi Ecclesiæ statuerunt, tametsi & inserta S. Scripturæ, actibus Apostolorum aut eorundem epistolis; & constat de præcepto abstinendi a sanguine & suffocato *Actor.* 15. ab Apostolis in primo Concilio Hierosolymitano de novo imposito gentibus ad Christum conversis scandali vitandi gratia; ac deinde, scandalo hoc cessante, sensim abrogato & antiquato juxta illud D. August. contra Faustum *Lib. 2. cap. 3. quis jam Christianus illud observet, ut turdos & minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est.*

QUÆSTIO X.

Quid sit jus gentium, & qualiter a jure naturali ac civili distinguatur.

1. RESp. primo. Jus gentium primarium (quod & antiquum jus gentium dicitur *l. 1. ff. de acquir. rerum Domin.* cum jure naturali proprie dicto coincidit, ac proinde improprie jus geotium dicitur sive (quippe non est jus humanum positivum) estque illud, ut dicitur *l. omnes ff. de just. & Jur. quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes homines utuntur.* Ad quod revocatur religio erga Deum, & ut parentibus pareamus. *l. 2. §. jus gentium ff. de just. & jur.* Item, *quod vim & injuriam propulsemus. Quod homine homini insidiari sit nefas. l. 2. ff. eod.*

2. Resp. secundo. Jus gentium proprie dictum, seu intermedium inter jus naturale & civile, & ab utroque distinctum (quod quidam secundario vocant) illud est, quod quidem rationi naturali conforme est, ac in ea fundatur, & ab ea profluit, non tamen simpliciter & necessario in solo naturæ instioctu nobis inditum; neque etiam a determinato aliquo Principe aut regno ortum habet, sed soppofita humana societate & communicatione politica, necessitate hujus convictus sic exigente, mediante discursu aliquo practico, inter omnes, vel ferme omnes gentes, non scriptura, sed usu ac moribus constitutum ad dictam socialem communicationem conservandam & redintegrandam, idque per modum legis præceptivæ aut probibitivæ, vel etiam per modum potestatis permissivæ agendi quidpiam; ac proinde, ut patet, immediate positivum & humanum est. Suar. *de LL. l. 1. c.* 18. 19. 20. Salas. *de LL. l. 2. s. 3. nu.* 21. Molin. *de just. tr. 1. d. 3. n.* 5. Castrup. *tr. 3. d. 1. p. 3. n.* 2. Sic vel ipsa discretio gentium & regnorum divisiu, dominiorum distinctio, maoumissiones juris sunt gentium, & ab eo ioducta. *L. ex hoc jure ff. de just. & jur.* Item sedium occupatio, ædificatio munitionum, bella, captivitates, servitutes, fœdera, paces, induciæ, Legatorum non violandorum religio, dicuntur juris gentium esse, *c. jus gentium dist.* 1. Jam vero jure naturæ stante, poterant esse omnia communia. Neque etiam introducta illarum divisione, jus naturale necessitabat ad illa

commercia, bella, servitutes &c. cum alia via poterant gubernari homines, propulsare iojuriam, & de iojuriis factis recipere satisfactionem. Suarez *lib. 2. cap. 19. nu.* 7. Castrop. *l. c.* Et ex altera parte etiam non sunt inducta & constituta, sed communi usu gentium determinata; ac consequenter hoc jus gentium jus est medium inter naturale & civile, utrique conforme, constituens speciem quandam tertiam. Castrop. *loc. cit.* quæ respicit homines, non consideratos, prout sunt creaturæ usu rationis præditæ; neque prout cives sunt alicujus principatus seu Reip. sed quatenus sunt cives seu membra totius communitatis humanæ ex omnibus populis ac gentibus constitutæ. Siquidem homines, etsi in varios populos, principatus & respublicas divisi, semper tamen præter unitatem specificam, fundatam io similitudine naturæ, retinet unitatem quaodam moralem & politicam, fundatam io præcepto mutui amoris & opitulationis poscentis, ut cum gens nulla ita sibi sufficiat, ut ad perfectam felicitatem alterius auxilio non egeat, mutua communicatione communis omnium felicitas conservetur & promoveatur. Wiestner. in dissert. proœm. ad Jus Can. n. 53.

QUÆSTIO XI.

Quid sit jus civile.

1. RESp. Quod principis aut alterius Magistratus sæcularis authoritate conditum est ad tranquillam rectamque reip. gubernationem ad pacem & temporalem felicitatem salutemque civium observandam & promulgandam. Suar. *l. 3. de LL. c.* 11. cum qua definitione fere coincidit illa Imperator. *§. 1. Instit. de Jur. natur. gent. civil. l. omnes populi ff. de just. & jur.* Jus civile est, quod quisque populus vel quæque civitas sibi proprium constituit. Atque hinc patet triplex ejus a jure gentium differentia. Prima desumpta ab origine, dum jus gentium totum moribus & usu introductum & receptum, Civile a majore sui parte constet legibus scriptis. Secunda ab extentione, dum illud omnes feru gentes obliget; huc non nisi populum vel civitatem subjectam jurisdictioni legislatoris. Tertia a firmitate, dum jus gentium, utpote vicinius juri naturali, sanctius minusque obnoxium mutationi est quam civile: Suar. *l. 2. c. 19. a nu.* 5. Gonz. *ad apparat. ad Jus Can. n.* 19. Wiestner. *loc. cit. nu.* 62. Licet de cetero jus gentium, utpote contingens, & non absolute necessarium, mutari & abrogari possit, ubi forte populus aliquis præceptum aliquod, juris gentium sibi noxium adverteos, id non usu, uluve cootrario, aut etiam lege publicata tolleret, crederetque gentes ceteras non esse invitas. Quod additur; quia ob communem gentium fere omnium utilitatem eorum mutuo consensu cum obligatione mutua receptum sit, ejus justa mutatio earundem gentium consensum exigere videtur. Argumento *c. 1. de Reg. Juris.* Ita fere Wiestner. *num.* 59.

QUÆSTIO XII.

Quod jus nomine juris civilis simpliciter prolato veniat & qualiter subdividatur.

1. RESp. ad primum. Tametsi populurum quoque aliorum v. gr. Francorum, Hispanorum &c. Rerumpublicarum, civitatum propriæ leges veniant nomine Juris civilis; quippe quod ab unaquaque civitate appellatur: nomine tamen hoc simpliciter prolatu, moderno usu & per antonomasiam venit Jus Romanum seu cæsareum. Juxta quod habetur *§. sed jus quidem. Instit. de jure nat. gent. & civil.*

2. Resp. ad secundum. Jus hoc dividitur varie. Primo in commune & particulare. Jus commune dicitur, quo omnes Romani Imperii provinciæ, civitates ac cives constringuntur. Et hoc in Corpore Juris cootinetur. Particulare seu provinciale & municipale est, quo unios solum provinciæ, Reip. vel civitatis imperialis incolæ obligantur. v. g. Austriacum, Saxonicum.

3. Secundo in publicum & privatum. §. fin. Instit. de just. & jur. ubi dicitur: *Hujus studii duæ sunt positiones. Jus publicum est, quod statum reip. Romanæ spectat,* subintellige principaliter. *Privatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet;* intellige principaliter. Declarantur hæc ipsa. Jus itaque publicum est, quod ad totum Reip. corpus pertinet, & publicum hoc est, ad totius populi oniversim & collective sumpti utilitatem respicit; non vero singulorum, oisi secundario & in consequentiam; quatenus nimirum secundario & per quandam sequelam singulorum civium Utilitas

est, Remp. salvam conservari. Consistit hoc jus publicum in tribus; nimirum in sacris v. gr. in Ecclesiis Deo dicatis, & in Sacerdotibus, in Magistratibus. *Can. Jus publicum dist. 1. & l. 1. §. hujus studii ff. de just. & jur.* Siquidem Ecclesiæ Deo dicatæ, uti & res aliæ sacræ, ac sacerdotum ministeria principaliter ordinantur ad hoc, ut iis mediantibus a tota Rep. debitus Deo cultus persolvatur. Magistratus aliæque personæ publicæ, ut sunt Præfecti, Prætores, Consules ad ipsammet Remp. gubernandam & regulandam constitui. Jus privatum econtra principaliter simulque generaliter singulorum utilitatem respicit; uti contingit in legibus contractuum, vindicationibus injuriarum, tutelis, testamentis & hujusmodi. Considerantur enim in iis principaliter bona hominum privatorum, resque privatas familiares civium concernunt, quamvis & horum prosperitas secundario & per quandam sequelam redundet in bonum universalis Reipubl. Ad tollendam vero hic æquivocationem aliquam, quæ reperitur, tum in *τὸ Jus publicum*, quam in *τὸ Jus privatum*, observanda sequentia. Primum quod licet, uti lex omnis est publica, ita etiam omne jus acceptum pro lege sit publicum, authoritate nimirum & intentione, quatenus non nisi authoritate publica, & in & ob bonum communitatis principaliter constituitur; non tamen utilitate & executione, ita ut non tantum intentio, sed & executio illius principaliter respiciat utilitatem publicam; cum jus privatum in executione secundario tantum respiciat utilitatem publicam. Secundum: quod jus privatum hic accipiatur pro jure privato communi; adeoque non confundendum cum alio jure privato, quod privilegium dicitur, & pertinet quidem ad privatam utilitatem eorum quibus conceditur, sed solum in specie seu singulariter, non generaliter sicut jus privatum commune. Hinc addebatur in declaratione: *simulque generaliter*. Ita fere Reiffenstuel *ad jur can. in proœm. a n. 160.* cum Mynsingero.

4. Denique jus civile dividitur in jus scriptum & non scriptum *§. constat autem. Instit. de jure nat. gent. & civil. can. jus generale & seq. dist. 1.* Jus non scriptum seu consuetudinarium est, quod diuturnis moribus, tacito utentium consensu approbatis, sine expresso Principis consensu primitus introductum est; non obstante illi, quod postmodum memoriæ causa in scripturam redactum sit. Tales sunt usus feudales, qui postmodum in scripturam redacti, & comprehensi duobus libris feudorum. Jus scriptum dicitur illud, quod expresso consensu Principis seu Magistratus habentis potestatem legislativam constitutum est. Non ideo dictum jus scriptum, quod de ejus essentia sit scriptura; hæc enim ad substantiam legis necessaria non est; sed juvit ad ejus probationem: Argumento *l. contrahitur ff. de pignor. & cap. 5. de renunciat. in 6.* (siquidem si Princeps oretenus quid statueret in bonum commune, illudque sola voce præconis communitati promulgaret, esset adhuc jus scriptum) sed ad differentiam juris consuetudinarii, & quia communiter in scripturam redigi solet, ut facilius promulgari, populo innotescere, ejusque memoria conservari queat.

QUÆSTIO XIII.

Quæ juris civilis Cæsarei origo & progressus, & quæ olim species.

1. RESP. primo. Populus Romanus a primo Urbis conditore Romulo ab initio pro ejus arbitrio rectus sine lege. *L. 2. necessarium 2. ff. de orig. jur.* Dein per leges ab eo conditas, auctas ab ejus in Regno Romano successoribus, quæ a Sexto Papirio Jurisconsulto in volumen collectæ, jus civile papinianum dictæ sunt. His legibus una cum Regibus regiaque potestate per legem tribunitiam abrogatis, *loc. cit. §. 2. & 3.* ne populi Romani tranquillitas consuetudine ac jure incertis utendo turberetur, per viros decem authoritate publica constitutos ac missos ad civitates græcas, maxime Atheniensem & Lacedæmoniorum tunc optime constitutas exquæsitæ sunt & relatæ leges decem tabulis æneis incisæ; quibus dein additæ aliæ, æneis quoque tabulis inscriptæ. Quæ deinceps promiscue dictæ leges decemvirales vel etiam duodecim tabularum. Wiestner. *l. c. n. 65.* citans Mynsinger, *ad §. 10. Inst. de jur. nat. gent. & civil. n. 6.*

2. Resp. Secundo. His etiam legibus emergentibus aliis & aliis casibus pro varia status rerum ac temporum mutatione, superaddita sunt alia & alia jura, quorum olim sex enumerabantur species sequentes.

3. Primo *leges*. Quales dicebantur, quæ populus sive universi cives, patriciis & Senatorio ordine annumeratis (hi enim omnes veniunt nomine Populi Romani, a quo plebs differt tanquam pars a toto) in comitiis a senatorio Magistratu veluti consule interrogatus, tanquam regulam agendorum & omittendorum constituebat. Crimer. *ad lib. decret. num. 30.* citans Manzium *in §. 4. Instit. de jur. nat. gent. Civ.*

4. Secundo *Plebiscita*, quæ plebs sine Senatoribus & Patriciis (quorum nomine hic veniunt ii nobiles Romani, qui a primis Senatoribus, sive a centum Patribus, quos Romulus in Magistratum adlegerat, oriundi) plebeio magistratu veluti Tribuno interrogante constituebat. Gellius *l. 10. c. 10.* Tametsi autem plebiscita primitus non nisi plebem obligarent (lege obligante totum populum) ortis tamen exinde discordiis, dein authoritate Q. Hortensii Dictatoris, æqualis cum lege erat eorum vis obligandi. *§. Lex Instit. de Jure N. G. C.*

5. Tertio *Senatus-Consulta*, quæ pro statu aristocratico, quo nimirum, aucto in immensum populo; ad Optimates Reip. jura & administratio devoluta, a Senatu absque plebe statuebantur, nomine hoc potissimum desumpto a nomine Consulis interrogantis, dicebantur v. g. Claudianum a Claudio, Libonianum a Libonio. Crimer. *l. c. n. 32.*

6. Quarto *Placita Principis* seu constitutiones, quæ nimirum pro statu monarchico solus Princeps seu Imperator generaliter constituebat, vel per epistolam seu rescriptum rescribendo, dum nimirum Epistolis vel libellis supplicantium Magistratui, vel consulentibus rescribit, quid pro jure servare velit; vel decernendo per sententiam quam pro tribunali sedens solenniter in judicio de negotio controverso, causa cognita, vel etiam extra illud ferebat. Talis enim sententia imperialis respectu omnium subditorum vim legis habet. *l. ult. C. de LL.* Vel denique per edictum, dum Princeps ex semetipso motu proprio, vel alio suggerente, statuit, jussit prohibuit. Vel etiam programmate publice proposito, vel voce præconis promulgavit ad utilitatem omnium. Differuntque hæc edicta, ut Crimer. *n. 33.* a rescriptis & decretis, quod edicta sint de rebus futuris generaliter sine complexu rerum & personarum emissa. Rescripta & decreta de rebus præsentibus & ad certas personas in specie directa.

7. Quinto *Edicta Prætorum* sunt sententiæ & mandata publica Prætorum. Dicebantur autem Prætores, qui constituti ad hoc, ut eorum, quæ per Plebiscita, Senatus consulta, placita & constitutiones Principum, statuta, executionem urgerent, & secundum ea causas definirent. Et quamvis primitus omnis Magistratus nomine prætoris veniebat (unde & locus, in quo Magistratus jus dicebat vel habitabat, *prætorium* dictus) postea tamen illi solum Magistratui hoc nomen datum, qui juri dicendo præficiebatur, & summam judiciorum potestatem habebat; cognoscendo nimirum causas graviores, dando alios Judices, præscribendo formas actionum, aut etiam extra judicium authoritatem suam interponendo, jubendo, vel adjuvando, vel emendandi juris civilis gratia edicta proponendo. Tametsi non omni tempore Romæ eadem eorum potestas fuerit; sed major in statu democratico & aristocratico, minor in monarchico; quin & aliquando sic fuerit juris publici & privati potestas, ut liceret eis jus novum condere, & vetus abrogare. Porro hæc Prætorum edicta etsi vim magnam, minorem tamen habebant quam plebiscita, Senatus consulta, placita Principum, dum hæc erant perpetua; illa cum eorum officio annuo exspirabant: hodiedum tamen sunt perpetua, ligantque omnes, non jure edicti, sed Justinianeæ constitutionis, quia pro lege habentur & jus prætorium constituunt.

8. Sexto *Responsa prudentum*, quæ sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus consultis & rogatis de jure jus respondendi permissum erat a principe quibus licet in principio permissu populi tanquam Juris peritis licebat leges 12. tabularum interpretari, sine speciali tamen authoritate: in statu tamen Monarchico, Augusto, & dein Tiberio sic constituentibus, eorum interpretationes & responsa hanc habebant authoritatem, ut Judici ab eis non liceret recedere (intellige, quando omnes in idem consentiebant) *§. responsa Inst. de Jure N. G. C.* item Manz. *ibidem.* Adimente tamen iterum postmodum hanc eis authoritatem Justiniano. Ita ut modo responsa Doctorum nonnisi præsumptionem faciant, & tantum iis credendum, quantum probant, non plus. Unde ea tantum responsa veterum prudentum vim legis obtinent, quæ in Pandectas relata & hoc non ex se, sed ex legis constitutione, & authoritate Theodosii & Justiniani, *l. 1. de jure vet. enucl. §. sed neque* de cetero ex glossis & opinionibus communibus probabilis quidem, sed nulla certa probatio est. Crimer. *n. 36.* in fine citans Scotanum *in Exam. jurid. p. 1. Pandectar. f. 48.*

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

Quæ hodiedum sint partes Juris Cæsarei communis scripti.

1. RESp. Jus hoc, prout ex dictarum sex specierum & duodecim tabularum selectis juribus collectum & in unum redactum volumen (quod *corpus juris* appellatur) quatuor partes complectitur, nempe Digesta seu Pandectas, Institutiones, Codicem, Novellas sive authenticas. De quorum nunc singulis.

2. *Pandectæ* dictæ a Græco Πᾶν vel πάντα omnia, & verbo δέχω complecti, eo quod omnem juris doctrinam (quo volumina olim propemodum infinita replebantur, *l. 2. §. omnia igitur C. de vet. jur. enucl.*) in dictum volumen collectam, ac præstantissimorum Jurisperitorum, Triboniani, Theophili, Dorothei, aliorumque opera in ordinem certum digestam (unde & nomen *digestorum* obtinuerunt) contineant; authoritate Justiniani Imperatoris vulgatæ & promulgatæ sunt anno 533. 17. Calend. Januar. Libris constat 50. in tria volumina distributis, quorum primum dicitur *Digestum vetus*, alterum *Infortiatum* (de quo nomine, unde sit, valde variant AA.) & tertium *novum*. Citari & allegari solent digesta seu Pandectæ antiquitus Litera π, modo etiam duplici ff. introducto hoc usu a librariorum inscitia & incuria literæ π substituentium ff. Præmittitur autem huic signo initium legis (aliquando adjecto quoque legis numero, aliquando eo omisso, quin & aliquando hoc numero solo posito, & omisso initio Legis) dein subjici solet rubrica seu titulus, sub quo lex comprehenditur, v. g. *l. jus publicum* 38. *ff. de pactis* vel *leg. jus publicum ff. de Pactis*. Vel *leg.* 38. *ff. de Pactis*. Et ubi lex in paragraphos divisa est, ejus quoque principium, vel §. vel versus exprimitur. V. gr. *l. juris gentium 7. pr.* vel §. 8. *vers. in rem ff. de Pactis*.

3. *Institutiones*, veluti totius Juris compendium, & legalis scientiæ prima elementa ex variis antiquorum institutionibus, præcipue Caii Commentariis, Pandectis & Codice eorundem Jurisperitorum opéra idem Imperator colligi, ac in libros quatuor distribui jussit, ac a semetipso lectas, recognitas, & institutionum imperialium robore constitutionum plenissime instructas, ut constat ex §. *quas ex omnibus Instit. proœm.* ac proinde non minore authoritate quam Pandectæ & Codex pollentes, evulgari fecit. Anno 533. 11. Cal. Decemb. nimirum 25. diebus ante Pandectas, etsi hæ jam absolutæ essent, antequam Institutionum compositio susciperetur, ut colligitur ex §. *Fin. Instit. proœm.* Allegari solent expressa una alterave syllaba initiali, quibus subjicitur initium paragraphi vel versus cum, vel sine numero paragraphi, vel etiam numero sine verbis expresso, & dein subjicitur rubrica, v. gr. §. *inter eas rev. & ideo Inst. de nuptiis*. Vel §. 2. *Inst. de nuptiis*.

4. *Codex* pars moderni Corporis Juris, non est primæ Lectionis, seu non confundendus cum eo, quem Justinianus ex trium anteriorum codicum, nempe Gregoriani, Hermogeniani, ac Theodosiani, sic dictorum a conditoribus suis voluminibus depromptis, & a Theodosiu illiusque Successoribus deinceps factis constitutionibus, quæ sui temporis usibus opportunæ videbantur, concinnatum, a suo nomine Justinianeum disit, pandectisque & Institutionibus præmisit §. & cum 2. Inst. proœm. Sed est lectionis secundæ, quem idem Imperator post dicta volumina edita, detractis ex priore nonnullis, & additis suis novis constitutionibus adjectis etiam 50. decisionibus auctum, & in 12. libros divisum, Codicis limati emendatique, & Repetitæ prælectionis nomine vulgavit 16. Cal. Decemb. anno 534. *l. unic. §. 3. 4. & fin. de emendat. Codicis*. Ita Wiestner. *in jus Can. num.* 69. quanquam Reiffenstuel dicat, Codicem hunc absolutum & publicatum fuisse anno 536. ac ita habere annorum digestionem factam per Consules Rom. ad finem Codicis appositam, id colligentem ex die & consulatu plerisque constitutionibus adscripto. Allegari plerumque solet Litera C. eique præmitti initium legis ejusque paragraphus, & subjici rubrica. V. gr. *l. Scimus 36. §. 2. v. Sancimus C. de inoff. testam.* Cùm autem in eodem contineantur aliquæ Authenticæ, dum illæ citantur, loco L. ponitur *Authentica*, nominando illam per verba initialia, & dein subjiciendo C. & titulum v. gr. *Authentica quas actiones C. de Sacro-Sanct. Eccles.*

5. *Authentica* seu liber Authenticorum, sic dictus, quod ei fides habeatur absque eo, quod egeat probationibus acquisitis aliunde veluti originali, cujus ipse Justinianus Author fuit, & ratum esse voluit. Crimer. *ad l. 5. decret. n.* 50. Vel etiam Novellæ sic dictæ tanquam jus novissimum seu novæ constitutiones Justiniani, ab eo post repetitæ lectionis codicem jam edit. m pro causarum de novo emergentium varietate, eo, quo referuntur, ordine, ab anno Imperii ejus octavo usque ad 38. ejusdem extremum & Christi 565. conditarum & promulgatarum. Wiestner. *num.* 70. citans Contium *Præfat. ad Novell. post pr.* argumento *leg. unica §. his igitur C. de emendat. Codic.* Ubi Imperator promittit novam constitutionum congregationem, quæ nomine Novellarum constitutionum significetur. Quas etiam Juris Civilis partem præstantissimam maximeque necessariam, ac veluti complementum illius; eo quod hæ solæ, utpote posteriores, ceteris partibus authoritatem addant, solæ detrahant, solæ novam formam attribuant, ex Minsyngero *in proœm. Instit. §. quorum utrumque num.* 11. vocat Reiffenstuel *ad jus Canon. num.* 167. Sed neque librum authenticorum antecessisse promulgationem Codicis emendati, ex eo infertur, quod plures authenticæ constitutiones Codici moderno in suis locis insertæ inveniantur. Siquidem hujusmodi Authenticas, & plerumque nimis generaliter conceptas, postea prius sub correspondentibus legibus Codici insertas ab aliquo Italo Himerio, vel, ut alii volunt, Irnerio, notat, Sperellus *decis. 33. fori Eccles. num.* 8. & ex eo Reiffenstuel *nu.* 168. Porro licet Novellæ, ut dictum, etiam Authenticæ vocentur; usu tamen moderno Authenticarum nomine venire dictas Authenticas, seu constitutionum quarundam Justinianarum, uti & Friderici Imperatoris, compendia, a dicto Italo, qui claruit anno 1137. confecta & Codici inserta, nit Wiestner *nu.* 71. quibus eatenus solum tribuatur juris authoritas, quatenus sensum referunt originalis seu Novellarum, unde summatim sunt transumtæ. Argumento *leg. quicunque ff. & c. 1. de fide instrument.* cum alias ea illis tribui non potuerit ab Irnerio. Wiestner. citans Widmont. *in Pandect. prælim. resol. num.* 40. Reiffenstuel *num.* 169. Engels *ad Tit. de præscript. num.* 82. Liber Novellarum seu Authenticarum dividitur in collationes, hæ in titulos & capita. Earum vero Novellarum citatio hodiedum fit hac ratione verb. gr. *Novell.* 118. *cap. 2. vers. si autem*. Antiquitus fiebat addendo titulum & numerum collationis, verb. gr. *authent. de hæred. ab intestat. venientib. collation. 9. titul. 1. capit. 2.*

6. Circa quas corporis Juris partes id notandum, quod cum lex præcedens determinetur per sequentem, *l. non est novum & l. seq. ff. de LL.* imo priorem directe contrariam penitus tollat, etiam non facta de ea mentione *c. 1. de constit. in 6.* ac proinde, ubi idonea conciliatione ab antinomia vindicari non possunt, prioribus per posteriores derogarum censeatur, *l. sed & posteriores ff. de LL.* diligenter attendendum, quo ordine præfati libri Juris Civilis evulgati fuerint, ut constet, quibus veluti posterioribus legibus potissima fides adhibenda. Sic reipsa, si textus voluminum priorum cum Novellarum, utpote posteriorum, dispositionibus conferantur, nemo negare potest, per has ab illorum jure non raro recessum, ut patet ex *Nov.* 2. 4. 18. 118. Dum vero Codex ipse emendatus, Institutiones, Pandectæ inter se conferuntur, putant quidam, nullam reperiri in illis contrarietatem, sententiasque inter se in speciem contrarias conciliare magno labore conantur. Et quidem Justinianus ipse *l. 1. l. tanta l. fin. C. de vet. jure enucl.* asserit de Codice nihil in eo aliis juribus contrarium reperiri. Nihilominus sentiunt alii, ne quidem ipsius Codicis textus omnes apte expositionis beneficio inter se conciliari posse; sed & in eo ipso leges legibus corrigi, abrogari & refigi variis exemplis ostendere contendunt; eo quod licet Justinianus Tribonio aliisque ejus adjutoribus in adornando repetitæ prælectionis Codice, mandarit, ut leges abrogatas tollerent, omnemque contrarietatem vitarent, id tamen ii non usquequaque feliciter implevisse, ut ait Wiestner *num.* 73. *in fine*.

7. Prædictis Juris civilis partibus adjecta, & Corpori juris clausa inveniuntur sequentia. Primo Edicta 13. in capita divisa a Justiniano, necessitate exigente, motu proprio promulgata. Item aliæ ejusdem Imperatoris uti & Justini & Tiberii Imperatorum novellæ constitutiones, quibus a suis conditoribus collata juris authoritas. Quia tamen magis provinciis orientalibus quam occidentalibus, item magis prisco quam moderno ævo & statui accomodata, non omnibus editionibus Juris Cæsarei inserta.

8. Secundo novellæ constitutiones Leonis Imperatoris, quæ tamen, ubi Juri Justinianeo adversantur, vim derogandi non habent; & quia prius occidente ab orientis imperio avulso, & Arnulpho in eo jam imperante promulgatæ, authentici juris vim in occidente non habent. Wiestner.

ner. *n.* 75. ex Widmont *prælim. resol. n.* 54. quamvis eis quandoque deferri soleat, dum Justinianeo juri non contradicunt, ut *Novell.* 77. & 102.

9. Tertio consuetudines feudales seu libri feudorum, partim ex constitutionibus Imperatorum, qui post Justinum in occidente imperarunt, partim ex consuetudinibus a Gerardo Nigro & Oberto Orto collecti, & ut Corvinus *de jure feudor. l.* 1. *tit.* 1. *§. juris*, sine ulla methodo temere, prout menti occurrerant, in Scriptum redacti. Et quidem dictis imperialium constitutioonum fragmentis ex sua editione anthoritatem competere, uti & istis consuetudinariis capitibus ab usu recepto, verisimilius est, & tenent Zoesius *in Epitom. feud. pr. n.* 3. Clarus *§. feudum q.* 3. *nu.* 1. Fachin. *controvers. l.* 7. *c.* 2. apud Wiestner *n.* 76. Quamvis magis nec immerito ambigant de anthoritate textuum post *l.* 2. *tit.* 58. *usque ad l.* 5. relatorum, eo quod adjecti sint a Cujatio aliisque Jurisconsultis. Adeoque iis negari posse sine injuria authoritatem, nisi uti relatæ consuetudines & ipsi Curiarum & Scholarum usu sunt recepti, ait Vviestner *l. c.* Citari autem solent hæ consuetudines feudales posito initio paragraphi & tituli, addendo *de feudis*, vel *in libro feudorum.* v. gr. *§. donare autem, de feudis, qualiter olim,*

10. Extravagantes, quas aliqui XI. coll. collationem appellanr, & liber de pace Constanriæ composita inter Fridericum Imperatorem & ejus filium Henricum, & aliquot Alemaniæ nobiles ex una parte, & inter civitates Lombardiæ, Marchiæ & Romandiolæ ex altera parte. Citari solent per §. vel textum in tali Extravagante. V. G. *Textus in Extravag. qui sint rebelles. Textus vasalli nostri, de pace Constantiæ,*

11. Et hic quidem de partibus juris iisque adjectis clausis in Corpore juris. Præter quæ explorati & perpetui juris vim in Imperin Rom. habent Bulla aurea de electione Imperatoris, Principum Electorum officiis, juribus, prærogativis & quibusdam aliis a Carolo IV. cum consensu ordinum Imperii promulgata Norimbergæ anno 1356. Edictum seu constitutin de pace a Maximiliano I. promulgata Wormatiæ anno 1495. ac deinceps ab Imperatoribus aliis ad Imperii tranquillitatem magis stabiliendam multis ordinationibus aucta, stabilita & repetita. Ordinatio Judicii Cameræ Imperialis ab eodem Maximiliano edita anno eodem, & a Carolo V. renovata anno 1584. Constitutiones Criminales vulgo *die peinliche Dalzgerichts Ordnung* de modo procedendi in judiciis publicis, & plerorumque crimioum pœnis a Carolo V. & Imperii ordinibus promulgatæ io comitiis Augustanis Anno 1530. & 32. aliæque ordinationes, quas recessus Imperii vocant. Item pacificationes, præsertim Passaviensis stabilita anno 1552.

QUÆSTIO XV.

Quid sit jus Ecclesiasticum & Canonicum.

1. RESp. Dici potest breviter, quod sit jus proveniens a potestate a Christo Ecclesiæ collata, subditos in finem supernaturalem dirigens. Dicitur *Canonicum* a Græco *κανών*. Quod regulam significat; eo quod sit regula & norma, juxta quam actiones suas in ordine ad cultum divinum justitiamque Christianam regulare debent fideles. Dicitur etiam *sacrum* a materia, quæ vel sacra est, vel ad finem sacrum dirigitur. Dicitur etiam *divinum c.* 2. *de privileg. in* 6. non quod immediate a Deo conditum sit, sed quia vel canones spiritus sancti instinctu dictati sunt, vel quia sunt veluti conclusiones ex principiis legis divinæ deductæ; vel quia ab eo conditum, qui ab ipso Christo potestatem ligandi accepit. Definiri potest aliquanto explicatius; quod sit jus (id est, complexio legum, statutorum & præceptorum) positivum, a summis Pontificibus (unde & pontificium dicitur) constitutum vel approbatum (quod additur, quia plura sunt in jure canonicn desumpta ex decretis Conciliorum, etiam provincialium, ex placitis Principum sæcularium, ex sententiis SS. PP. quibus nisi accidat authoritas & approbatio Summi Pontificis, vim regulæ & legis totam Ecclesiam obligantis non habent) Ecclesiæ traditum & actiones fidelium seu Christianorum (qui enim extra Ecclesiam sunt, regulariter huic juri non subjiciuntur juxta illud Apost. 1. *ad Cor.* 5. *quid mibi de his, qui foris sunt, judicare*) dirigendas, proxime ad cultum divinum, pacem & justitiam Christianam conservandam & augendam; ultimate vero ad æternam beatitudinem consequendam dirigens.

2. Atque ex his vides, differre jus canonicum a civili, non tantum ratione conditoris, dum illud a seculari mere profana, & proxime ab hominibus collocata; Canonicum vero a spirituali & immediate a Christo accepta potestate dimanat. Sed etiam ratione finis, qui est æterna beatitudo & salus animæ supernaturalis per vitæ & justitiæ Christianæ opera obtinenda: cum finis juris civilis sit felicitas mere temporalis ac politica Reip. illiusque civium. Ac denique ratione universalitatis; cum jus civile certum tantum populum v. gr. Romanum; hoc vero omnes Christi fideles, Reges ac Imperatores obliget juxta *c.* 1. *de const. c. omnes de majorit. & obed.* Abb. *in proœm. nu.* 16. Suar. *lib.* 4. *de LL. c.* 19. *n. n.* 2. Porro hanc juris canonici a civili differentiam fusius deductam, vide apud Reiffenstuel *in proœm. a num.* 189. qui etiam a *num.* 193. breviter enumerat 50. differentias seu contrarietates speciales inter jus utrumque.

QUÆSTIO XVI.

Qui sint fontes, unde Jus Canonicum desumptum.

1. RESp. Sunt primo Scriptura Sacra, qua passim respersum est, ac potissimum leges tam veteris quam novi Testamenti, *c. qualiter de accusat.* Ubi tamen hoc notandum, præcepta veteris Testamenti a summis Pontificibus repetita eorumque decretalibus inserta, non obligare Christianos, nec ab illis observari, ut legis veteris præcepta sunt, sed ut juris humani, nova nimirum constitutione a Pontificibus renovata & recepta, etsi interdum adhuc vocentur præcepta juris divini, non quod adhuc sint, sed fuerint. Pirhing. *in proœm. §.* 4. ex Canis. *in sum. juris can. lib.* 1. *tit.* 2. *in not.* Porro authoritates & loca S. Scripturæ relata in corpus juris canonici, & secundum ordinem librorum S. Scripturæ digesta. Vide in concordantiis Joan. Niviullensis Abbatis, & in calce Corporis juris Parisiis impressi anno 1618. collecta a P. Guenoys. Ad fontem hunc revocari possunt traditiones divinæ acceptæ a Christo docente Apostolos, quo ad ea, quæ materiam & formam Sacramentorum concernunt, quæque parem authoritatem & vim habent cum præceptis divinis in Evangelio scriptis.

2. Secundò sunt Concilia, tam generalia seu Oeconomica, authoritate summi Pontificis ex Episcopis totius orbis congregata ad leges universales, quæ totam Ecclesiam obligent, condendas, & fidei controversias decidendas, ac deinde eadem authoritate approbata & confirmata. Tum particularia, puta nationalia, seu integri alicujus regni & nationis; qualia sunt plura concilia Romana a summo Pontifice celebrata, convocatis solum Italiæ Episcopis. Provincialia Diæcesana seu Episcopalia, quæ tamen potius & magis proprie dicuntur Synodi. *c. sicut olim. de accusat.* Particularium conciliorum decreta, tametsi ad hoc, ut authoritatem habeant, obligentque nationem, provinciam, diœcesim, non requiratur consensus & approbatio summi Pontificis, modo in iis nihil statuatur contra canones & consuetudines Ecclesiæ universalis. Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. *§.* 1. *n.* 2. non nisi tamen relata in corpus juris canonici, vel alias a Pontifice generaliter approbata omnes Christi fideles obligant. Canones verò seu decreta Conciliorum generalium (hæc enim sola veniunt nomine Canonum stricte accepto. Fagn. *in c. statuta canonum de Constit. a n.* 18.) non habent authoritatem juris, nisi consensu summi Pontificis confirmata. *c. significasti. de elect. & ibidem.* Barb. *num.* 5. Quæ enim sunt universi corporis ecclesiastici, ad universalis Ecclesiæ rectorem & judicem supremum Christi fidelium spectant. Suar. *l.* 4. *de LL. c.* 6. *num.* 6 Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 6. *§.* 2. Et cum nemini universitas fidelium subdita nisi summo Pontifici, unico Christi in terris vicario; adeoque nemo legibus suis eam obligare potest præter summum Pontificem, vel eum, cui is illud commisit.

3. Tertiò sunt decreta & constitutiones summorum Pontificum, quæ omnes parem authoritatem & vim habent cum decretis conciliorum; cum hæc non nisi a Pontifice approbata authoritatem habeanr; idque iotelligendum etiam de decretis Pontificum, etsi & juri inserta non sint. Cassain. *de privileg. regular. tr.* 1. *c.* 1. *proposit.* 2. Juxta *c. si Romanum. dist.* 19. Quin & non solum decreta apostolica pro tota Ecclesia vel communitate, sed etiam epistolæ & responsa summorum Pontificum particularia ad instantiam & interrogationem unius personæ data jus commune efficiunt pro similibus casibus. Ubi enim eadem est ratio, eidem jus constitui debet *l. de quibus ff. de LL.* & omnis voluntas Pontificis, sive per epistolam, sive per decretum, sive per edictum promulgata, vim & authoritatem juris habet. *c.* 1. & 2. *dist.* 19. dummodo tamen tam hæc particularia responsa quam decreta universalia, si juri canonico inserta non, sunt, producantur in forma authentica prout immediate a summo Pontifice ema-

ma-

narunt, aut earum copiæ. Qualiter quia non producuntur Bullæ, eo ipso quod existent in Bullario Romano edito a Lacrtio Cherubino auctoque ab ejus filio Angelo Maria Cherubino (neque enim Bullarium illud ab alio Pontifice reperitur expresse approbatum, nec extat decretum de eo recipiendo, neque authoritatem canonicam ei confert, quod dictu, hortatu & auspicio Sixti V. sit editum, auctiusque dedicatum Urbano VIII. neque constat, an omnes Bullæ in eo contentæ rite sint promulgatæ, aut cum suis originalibus exacte conveniant) hinc inquam authoritatem legis non obtinent, & sententia contra eas lata irrita non erit. Tusch. *Lit. E. concl.* 679. *n.* 1. & 2.

4. Quartò sunt dicta & sententiæ SS. Patrum, quæ secundum se quidem nullam habent authoritatem legis seu juris (ad hoc enim condendum non tam scientia quam potestas est necessaria) sed solum ut in corpus juris relatæ, aut in alia constitutione pontificia comprehensæ, vel sic authoritate Papæ canonizatæ. Cessante tamen etiam dispositione juris, seu in rebus illis, de quibus jura non disponunt, ob authoritatem, quam ex se habent, allegari possunt ad probandas & decidendas causas, locumque habere prius non tantum post constitutiones Pontificum, sed & post leges civiles, ut Canis. apud Pirh. *in proœm. §.* 4. *n.* 20.

5. Quintò sunt placita seu leges Imperatorum ac principum sæcularium, quæ relatæ in corpus juris canonici (intellige ut bene notat Pirh. ipsis Decretalibus aut Clementinis aut Extravagantibus; non verò tantum decreto Gratiani insertæ) vel aliis Pontificum constitutionibus comprehensæ, juris quoque ecclesiastici robur & authoritatem obtinent. Sicut enim Imperator ait: *omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur, lib.* 3. *c. de jure vet. enucl.* ita & Pontifex. De cetero autem, quamvis quoad personas resque ecclesiasticas ex se vim nullam habent, recipiuntur tamen etiam in foro ecclesiastico. Sicut enim leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur, *c.* 1. *de nov. oper. nunciat.* modo sacræ scripturæ, decretis canonum, bonis moribus non adversentur, *c.* 1. 3. *& seq. dist.* 10. neque expresse ac nominatim de rebus aut personis ecclesiasticis statuant; sed simpliciter ac generatim loquantur, *c.* 7. *de const.* Unde nullius temeritate leges Imperatorum debent corrumpi; sed ab omnibus observandæ sunt, *c. fin. dist.* 10. Porro differentias & oppositiones juris civilis cum canonico in unum collectas, & qualiter illud ab hoc correctum; & quæ leges civiles e foro ecclesiastico eliminatæ, vide passim apud AA. quæque pro hujus rei notitia sint servandæ regulæ, subjiciemus paulo post ex Engels in proœm. n. 19.

QUÆSTIO XVII.

Quis ortus & progressus Juris Canonici.

1. RESP. Statim sub Ecclesiæ nascentis initia jus canonicum condi cœpit, dum Apostoli cogerent cætus, in quibus religionis negotia tractarent, & ea, quæ Ecclesiæ regendæ utilia, statuerent, canonesque & sanctiones ab omnibus fidelibus observandas conficerent ac promulgarent; quo etiam referuntur traditiones aliæ apostolicæ, quæ ex Apostolorum præceptis manasse creduntur. Quæ sanctiones etsi scriptis necdum consignata vim legis habebant, & servabantur a fidelibus; postmodum tamen a S. Clemente Petri discipulo ac successore græce conscriptæ, & a Dionysio Exiguo in latinum translatæ Canonum Apostolorum nomine, ut Baron. ad Annum Christi 102. circumlatæ. Canones hos omnes censendos authenticos & vere apostolicos, etsi negent aliqui, verisimilius tamen affirmant Covar. *lib.* 4. *var. c.* 17. *n.* 6. Gonz. *in apparat. jur. Can. n.* 42. Barbosa *in cap.* 1. *dist.* 16. *n.* 3. Et Turrianus integro libro defendit variisque SS. Patrum antiquissimorum testimoniis & Conciliorum decretis hanc suam sententiam stabilientes, his non obstante, quod *Can. sancta dist.* 15. liber Canonum Apostolorum inter apocryphos recenseantur a Gelasio Papa. Præterquam enim, quod ibi sermo sit de alio quodam libro eodem nomine inscripto multis erroribus scatente, a Priscillianistis supposito, ut ostendit Turrianus *lib.* 1. *cap.* 15. Fatentur omnes, hunc librum non esse apocryphum, hoc est, non esse Canonicum seu inter S. Scripturæ libros annumerandum, ut constat ex Trident. *Sess.* 4. decreto de scriptura Can. Etsi de cetero sit apocryphus, hoc est authenticus habens vim legis apostolicæ, aut alterius ecclesiasticæ; in utroque enim sensu accipitur τὸ liber apocryphus. Sed neque id authoritati libri hujus derogat, quod a Zephyrino & Leone Pontificibus, *cap. sexaginta & can. Clementis dist.* 16. horum canonum tantum 60. a Baron. *ad Annum Christi* 102. & aliis 52. vel etiam 50. tanquam authentici recenseantur. Id enim inde ortum, quod Canones hic a S. Clemente collecti, dein ab aliis diversimode relati, ita ut aliquando duos vel tres complecteretur unus, etsi revera essent 85.

2. His canonibus dein successerunt constitutiones ipsius S. Clementis aliorumque summorum Pontificum & Conciliorum decreta, eorumque græce ac latine conscriptæ collectiones. Ac prima quidem facta a dicto Dionysio Exiguo sub annum Christi 527. quæ creditur esse ea, quæ *Can.* 1. *§. rum & ipsi dist.* 19. a Nicolao Papa vocatur *Codex Canonum*. Secunda concinnata eodem sæculo, vel a Fulgentio Ferrando Ecclesiæ Carthaginensis Diacono, relata a Cresconio *Breviarii* nomine; cujus meminit Baron. *ad annum* 527. *nu.* 76. Tertia a Martino Monacho Benedictino Episcopo Bracharensi sub annum 571. ex Synodis Græciæ, partim etiam ex latinis præcipue Toletanis Conciliis elaborata, & a Concilio Lucensi sub idem tempus celebrato approbata, & a Gratiano deinde in decretum translati plures canones. Quarta sub idem fere tempus a Cresconio Episcopo Africano confecta, & nomine *Concordia Canonum* vulgata teste Baronio *loc. cit.* Quinta a S. Isidoro Hispalensi Episcopo digesta, ejusque nomine, adjecto tamen plurium canonum ex Conciliis Toletanis desumptorum auctario, & ita ab Isidoro Mercatore. Possevin. *in apparat. sacro Lit.* I. Sexta ex Pontificum epistolis, Conciliorum decretis, SS. Patrum sententiis, Imperatorum etiam sanctionibus compilata, & in 20. libros divisa ac *decretorum* nomine edita anno 1020. a Brocardo seu Burckardo Monacho Benedictino Episcopo Vvormatiensi. Possevin. *Lit. B.* Gonz. *nu.* 47. Septima a Cardinale Deusdedit, & post hanc alia collectio elaborata ab Anselmo Episcopo Lucensi, qui eodem sæculo floruerunt. Gonzal. *loc. cit.* Octava (quæ ante Gratianum habita in pretio) ab Ivone Episcopo Carnotensi, qui floruit sub Urbano II. usque ad annum 1114. in 13. partes divisa, dicta *Pannomia* a πᾶν omne & νόμος lex: quasi leges omnes ecclesiasticas complecteretur. Possev. *Lit.* I. Baron. *ad annum* 1114. *n.* 4.

3. Atque relatæ hæ factæque ab aliis minoris notæ collectiones tanquam jus ecclesiasticum sunt observatæ, usque dum in lucem prodiret Corpus Juris Canonici, quo hodie in foro & Scholis utimur, in quo leges seu jura ad totius Ecclesiæ gubernationem spectantia continentur.

QUÆSTIO XVIII.

Quot partes complectatur dictum corpus juris.

5. RESP. Complectitur tria volumina aliis collectionibus uberius & longe accuratius a diversis temporibus diversis adornata. Primum est & dicitur decretum Gratiani. Alterum continet 5. libros decretalium Gregorii IX. Tertium continet sextum librum decretalium Bonifacii VIII. Clementinas & Extravagantes de quorum nunc singulis.

2. *Decretum* dictum Gratiani ab authore suo Gratiano monacho Benedictino professo in monasterio S. Proculi apud Bonomienses. Qui opus hoc suum ex S. Scripturæ textibus, Conciliorum tam generalium quam particularium decretis, summorum Pontificum constitutionibus & rescriptis, ex Imperatorum legibus sanctionibusque juris civilis, ex SS. Patrum, tam etiam historicorum ecclesiasticorum sententiis (quibus hinc inde diverso ab aliis textibus charactere inseruit & proprias sententias, & canones, qui *palea* dicuntur) a se compilatum intitulavit *Concordantias discordantium canonum* editum anno 1059. ut Genebrardus *Chron. l.* 4. vel vel potiùs anno 1150. ut aliis relatis Barbos. *in proœm. decret. num.* 3.

3. Dividitur hoc decretum in tres partes, quarum prima constans 101. distinctionibus subdistinctis in canones & capitula, agit de origine, partibus & speciebus juris canonici, deque iis, quæ ad jura, dignitates, gradus, electiones, ordinationes & officia personarum ecclesiasticarum spectans. Et sic allegari solent v. g. *c. omnes Leges dist.* 1. vel *dist.* 1. *c.* 1. *omnes leges.* continetur que sub *dist.* 1.

4. Pars altera hujus decreti constans 37. causis divisis in quæstiones, & his subdivisis in capita, materiam rerum judicatarum & judiciorum ecclesiasticorum complectitur. Et sic citari solet, v. gr. *c. si quis suadente* 17. *qu.* 4. vel 17. *qu.* 4. *cap. si quis suadente.* Hoc est, capite, quod incipit; *si quis suadente*, & continetur sub *causa* 17. *quæst.* 4. Quia tamen *quæst.* 3. *causa* 33. agens de pœnitentia subdividitur 7. distinctionibus divisis in sua capitula, sic ea allegari solet. v. gr. *cap. cogitationis dist.* 1. *de pœnit.* subintelligendo: *quæst.* 3. *causa* 33.

5. Ter-

5. Tertia pars decreti constans 5. *dist.* Divisis in sua capitula seu canones, ministerii ecclesiastici jura, ritus, ordinationes, consecrationes, executiones explicans, sic allegatur, v. g. *cap. solennitates dist.* 1. *de consecrat.*

6. Porroopus hoc decreti a Gratiano, utpote qui privato studio illud compilavit, lapsusque est in multis, ut ostendit Bellarm. *de scriptor. eccles.* & cujus plores errores referunt Cæpolla *tom.* 1. *tract. de cognit. libror. juris can. n.* 14. & *seq.* Reiffenstuel *in proœm. a nu.* 81. Felin. *in c.* 2. *de rescript. n.* 43. & alii passim. Sæpe tribuens D. Hieronymo, August. Chrysost. quæ ex aliis, etiam hereticorum scriptis desumpta fuit. Sententias insuper SS. Patrum summorumque Pontificum sępe suis verbis & glossis permixtas proferens, hinc inquam, authoritatem juris approbati & indubitati seu legis ecclesiasticę non habet, saltem generatim. Sed nec ab ullo Pontifice. Tametsi enim a Pio IV. Pio V. & Gregor. XIII. ab innumeris mendis ac testimoniotum depravationibus purgari mandatum, & sic emendatum retineri jussum, ut habetur in literis Gregor. XIII. hodie ad principium decreti impressis; per hoc tamen nec alias generatim confirmatum & approbatum ot infallibile fuit, ut contra Abb. *in c. ex parte de rescript. n.* 9. Tusch. *v. decretum concl.* 110. *n.* 11. Martam *de jurisd. p.* 1. *c.* 30. *num.* 17. & alios. Ant. de Butr. *in decret.* §. *sane num.* 20. Canis. *in sum. Lib.* & *tit.* 1. Suarez *de LL. l.* 4. *c.* 5. *nu.* 6. Layman *Theol. Mor. l.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 12. & alii citati a Wiestner *in jus can. n.* 90. Sed ad summum id pręstitum, ut mereatur fidem, quod canones ibidem allegati cum suis originalibus sine errore aut falsitate concordent. Ita AA. citati & Engels *in proœm. n.* 5. Quare decreti canones & textus revocandi ad primęvam authoritatem, id est, illam, quam a suis conditoribus acceperunt (neque enim illos per compilationem illam suam canonizationem aut novam authoritatem addendi potestatem habuit Gratianus) ita ut inserta decreto ex doctrina evangelica vim juris divini vel naturalis habeant. Juria vero canonici totique Ecclesię communis anthotitatem obtineant insertę eidem decretō constitutiones apostolicę, & conciliorum sive generalium sive particularium authoritate Apostolica pro tota Ecclesia approbatorum decreta; uti & pręcepta apostolica & veteris testamenti pręcepta ceremonialia ac judicialia, dum hęc constitutione Apostolica decreto Grariani inserta comprehenduntur. Particularium vero Conciliorum a Sede Apostolica pro tota Ecclesia non confirmatorum, aut illius generali consuetudine non receptorum canoues in hoc decretum traducti non nisi ultra propriam proviociam vel diœcesin extendantur. Sententię item ac dicta ex SS. Patribus, maxime Doctoribus Ecclesię, desumptę, etsi ob defectum potestatis legislativę vi juris per se noo polleant, ex consuetudine tamen ob maximum eorum authoritatem causarum decisionibus in foro & non satis explorati juris elucidationi accommodentur & recipiantur juxta rescriptum Leonis IV. relato *in can.* 1. *dist.* 20. Leges etiam civiles, sicut non amiserunt pristinam, seu sibi propriam, ita nec novam ecclesiastici juris vim per hanc sui in decretum traductionem sunt consecutę: nisi forte generali Ecclesia usu receptę, vel Apostolica authoritate approbatę, aut constitutioni Apostolicę in decretum translatę sint insertę. Hujusmodi enim receptione, approbatione, insertione canonizantur, & vim juris ecclesiastici consequuntur, ut Abb. *in c.* 1. *de præscript.* Felin. *ibidem n.* 1. Fagnanus *in c. inter alia n.* 6. Suarez *l.* 4. *de LL. cap.* 5. *num.* 7. Ac denique desumptę ex historiis narrationes decreto insertę non aliam quam Authores earum mereantur fidem. Nihilominus diuturna consuetudine & usu tam scholarum quam judiciorum in foro externo ad causarum decisionem adminiculum prębent, & teste Laym. ut Canones authentici allegari & observari solent.

7. Jam vero etiam *Palea*, quo nomine (incertum onde derivato, an a Gręco [illegible], id est antiqua, quasi antiqui canones, ut Cujatius in c. 1. de Sponsal. eo quod & apud antiquiores Gratiano collectores habeantur. Engel. *in proœm. n.* 7. an ab adverbio [illegible], depravata voce [illegible], id est rursum, quasi repetitæ additiones, an a quodam Gratiani discipulo, dicto Protopalea, ut Jo. And. vel PręKapalea) quo nomine inquam plura capitula inscribuntur, etsi non omnino ut paleę, hoc est, ot nullius utilitatis quisquilię, ut putant aliqui, contemnendę sint. Quin &, ut Pręposit. *in c. imprimis caus.* 2. *qu.* 1. quibus communiter creditur, & quę ut alię privatorum assertiones probabilis doctrinę vim habent, nisi detur jus in oppositum. Barbos. *in proœm. decret. n.* 6. Laym. *l.* 1. *Th. mor. tr.* 5. *c.* 6. *nu.* 12. Minoris tamen adhuc sunt authoritatis quam alia decreti capitula aut quam dicta Gratiani (quem, ut ait Fagn. *in c. canonum statuta nu.* 44. *de consti.* in confesso est, non fuisse palearum authorem; idemque seotit Barbos. Cępol. *nu.* 2. & 3. aliam hujus nomiois derivationem refundentes in celebre quoddam factum, cujus quoque narrationem vide apud Reiffenst. *nu.* 86.) ita etiam, ut Authores, qui decręto tribuunt authoritatem legis, eandem negent Paleis; cum nec Glossas habeant nec allegentur sub nomine capitulorum, sed Palearum. Idem fere judicium esto de glossa, quam composuit Joan. Seneca Theutonicus apud Possev. in apparat. io aliquibus etiam ab erroribus gravibus non immunis.

7. Decreto Gratiani subjecti sunt 47. Canones ex variis Pontificum decretis collecti, dicti pœnitentiales; quia gravium quorundam criminum reis pœnitentię agendę certum tempus & modum pręscribebant, quorum rigor, qui olim forum externum potissimum spectabat, hodiedum fere antiquatus. Navar. *in c. falsas dist.* 5. *n.* 17. Suar. *de pænit. d.* 38. §. 4. *n.* 2.

8. Pars altera Juris Canonici sunt *decretales* Gregorii IX. sic inscripti, non quia omnia in iis contenta sunt rescripta & responsa hujus Pontificis tantum; sed quia omnes partim illius, partim aliorum summorum Pontificum sunt decretales epistolę, alięque authoritate ejusdem Gregorii mandato per Raymundum de Pennafort illius Capellanum & Pęnitentiarium ex ordine S. Dominici, quem postmodum Clemens VIII. in Sanctorum numerum retulit An. 1601. in hoc volumen congestę, ejusdemque pontificis authoritate promulgatę, ac pręceptę ab omnibus fidelibus tanquam norma ac regula, non tantum doctrinę in scholis tradendę sed & rerum in judiciis agendarum & defio iendatum observari, ut patet ex ejusdem Papę epistola huic operi pręfixa; ut vel hinc abunde constet, contenta in his decretalibus omnia authoritatem legis universalis obtinere. Proinde his non obstat, quod relatę in eo sententię non omnes sint summorum Pontificum, aut illorum authoritate confirmatorum conciliorum canones. Complura etiam ex rescriptis SS. Pontificum non toti Ecclesię, sed particulari alicui Ecclesię aut diœcesi, oti & oon pauca noi vel pluribus personis particularibus sint inscripta. Cum etiam Justinianus veterum Imperatotum rescripta, etiam privatis personis reddita, Jus imperiale fecit, ea referendo in codicem toti Populo Romano proponendo, *leg.* 1. *ff. de constit. Princip.* ubi inquit: *omnia* (quæ relata fuerunt in Codicem) *nostra facimus; quia ex nobis omnis eis authoritas impertitur.* Uti & *c. si apostolica, de preb. in* 6. dicitur; *cum ipsa post impertitam a nobis authoritatem nostra censeantur affecta.* Gonzalez *in proœm. ad decret. n.* 30. & 54 Sic generaliter loquendo, dum Papa respondet ad consultationem alicujus, etsi verba dirigat ad casum consulentis, tamen censetur ostendere, vel etiam condere jus commune per hanc responsionem. Glos. *in c. ex tua v. consultationem. De filiis presbyteror.* Felio. *in c. canonum statuta nu.* 17. *de const.* &c. Excipiuntur tamen rescripta illa, quibus certas tantum personas aut locum affici ex ipsorum materia aut circumstantiis constat; sicut notant de *c.* 1. *de locato* Barbosa *ibidem n.* 3. *de c. cum esset de testam.* Gonz. *n.* 5. irem textibus insertæ allegationes partium litigantium, seu adductæ ab eis probationes; cum hæ vim juris ecclesiastici non obtineant, nisi subjecta illis conformi causæ decisione vel sententia, aut responso Papæ firmatæ, aut alio juris textu approbatæ, prout hujus rei exemplum adducit Wiestner *n.* 98. *ex c. dilectus de Capell. monachor.* ac denique excipiendi textus, quorum dispositioni præscripta consuetudine aut contraria constitutione posteriore derogatum.

9. Dividitur hoc opus decretalium in libros 5. hi in titulos, & tituli in capitula. Allegari solent exprimendo numerum vel initium capituli, & dein titulum. v. gr. *c.* 10. vel *c. cum in Ecclesiis de majorit.* & *obedientia.* Qui titulus in quo libro & quotus in ordine sit, requirendum in indice titulorum, qui præmittitur Decretalibus. Dum ab aliquibus in citando has decretales additur particula *extra* vel brevitatis causa Littera X. superne duobus notata punctis, v. gr. *c. qualiter & quando extra de judiciis* indicantur per hoc proprie decretales ad distinctionem aliarum partium, & quod hæ decretales siot extra decretum Gratiani jam ante illas compilatum. Quod observandum, ne quis putet per particulam illam *extra* significari extravagantes. Dumque initium capituli, quod citatur, idem est in pluribus capitulis ejusdem tituli, ad distinctionem quandoque addi solet *primo, secundo, tertio,* v. g. *c. ex parte, primo, de sepulturis.*

10. Porro materia horum 5. librorum sic digesta est, ut in primo post positum fidei fundamentum expositaque Juris Canonici principia, ut sunt constitutiones, consuetudines, rescripta, agat de ordinibus, gradibus, jurisdictionibus, officiis Magistratuum ac Judicum Ecclesiasticorum, subjungendo quædam veluti præparatoria judiciorum, & circa ea, per quæ controversiæ ante litis contestationem & extra judicium componuntur, personas, resque litigantium io prio-

principio judiciorum v. gr. de pactis, transactionibus & restitutionibus in integrum &c. In secundo de judiciis eorumque ordine in prima & secunda instantia. In tertio de vita clericorum, eorumque juribus, tum propriis, ut sunt beneficia ecclesiastica, tum communibus cum laicis, ut sunt contractus, testamenta &c. In quarto de sponsalibus & matrimonio. In quinto de criminibus eorumque accusationibus. Quibus omnibus ad exemplum Pandectarum adjiciuntur duo tituli de verborum significatione & regulis juris.

11. Pars tertia seu liber sextus decretalium Bonifacii VIII. sic dictus, quod libris 5. Decretalium Gregorii IX. accesserit postmodum, tanquam sextus liber specialis mandato ejusdem Pontificis compilatus a variis, ut glossa hic, puta Guilielmo Episcopo Ebredunensi, Berengario Episcopo Bituricensi; Richardo de Senis Cardin. partim ex ejusdem Bonifacii, partim ex aliorum Pontificum, qui inter ipsum & Gregorium IX. intercesserunt; quin & ex quibusdam ipsius Gregorii rescriptis, ac præcipue ex decretis Conciliorum Lugdunensium primi & secundi generalis. Dein approbatus ejusdemque Pontificis nomine inscriptus & authoritate publicatus Anno 1294. vel ut alii 1300. Gonz. *l. c. n.* 55. Adeoque & parem habens cum Decretalibus Gregorii authoritatem. Dividitur pari modo hoc volumen in quinque libros, hi in titulos habentes easdem rubricas & materiam, etsi non omnem, quam Decretales Gregorii (uti etiam contingit in Clementinis & Extravagantibus & tituli in capitula. Adjectæ sunt in fine 86. regulæ juris. Citatio fit ut in decretalibus Gregorii, addendo tantum in fine *in sexto*, v. gr. *c.* 1. vel *c. periculoso de statu monachor. in 6.*

12. Pars Quarta constitutiones Clementinæ, sic dictæ ab earum authore Clemente V. qui plures constitutiones, partim in Concilio Viennensi, partim ante & post illud a se editas in unum volumen compilari fecit. Quod tamen prius post mortem Clementis ejus Successor Joannes XXII. absolvit, & in lucem edidit, ac promulgavit Avenione 8. Cal. Novemb. 1317. Dividitur iterum hoc volumen in 5. libros, hi in titulos & capita. Citatur ut decretales, addendo tantum in fine *in Clementinis*, v. gr. *c. cum judæi de Testibus in Clement.* vel ponitur loco capituli *Clementina* v. gr. *Clementina cum judæi de Testibus*.

13. Quinta pars duo libri Extravagantium (intellige constitutionum pontificiarum) retento scilicet antiquo earum nomine, quo prius, antequam in Corpus juris redactæ essent, sic appellabantur; quasi extra Corpus juris incerta sede vagarentur. Quæ licet non satis certum, an alicujus Summi Pontificis authoritate & jussu in hos libros relatæ sint & publicatæ, saltem, si sermo sit de communibus; priores enim Corpori juris additæ seu insertæ ab ipso earum authore Joan. XXII. ut Vallens. *in proœm. §. 8. n.* 10. Quia tamen & hæ sunt decisiones Summorum Pontificum, eorum authoritate editæ, ut liquet ex earum omnium superscriptionibus, & ex data pluribus subscripta, item ex concordantia, qua originalibus in archivio Apostolico asservatis correspondent, ut Wiestner *n.* 107. famosorum item Jurisconsultorum Romanorum notis illustratæ, & a multo tempore possessionem in Corpore juris acceperunt, passim pro authenticis habitæ apud DD. habentur. Engels *in proœm. n.* 10. Scientibus etiam & consentientibus Summis Pontificibus, simulque ex universalis Ecclesiæ tanto jam tempore firmatæ, habentur pro sufficienter promulgatis & authenticis. Reiffenstuel *ad jus Can. n.* 91. Ac proinde fidem in judiciis faciunt, etiamsi non producantur, & sententia contra illas prolata est nulla, utpote contra jus notum. Tusch. *L. E. concl.* 679. Quamvis tamen Wiestner *num.* 103. citans pro hoc Engels *ad tit. de præb. & dignit. n.* 52. dicat; Extravagantes illas posteriores sive communes, quia nullius Pontificis authoritate compilatæ, ad authores suos & datæ tempus reducendas; ita ut, si constitutionibus Apostolica authoritate Corpori juris insertis sint contrariæ, iis non derogent, si ante illarum compilationem publicatas ex data constet. Primus Liber Extravagantium est Joannis XXII. quæ numero sunt 20. divisæ in 14. titulos juxta ordinem in Decretalibus observatum. Alter est liber Extravagantium communium variorum Pontificum, divisus in 5. Libros, subdivisos in titulos & capita. Porro utriusque libri Extravagantes citari solent ut Clementinæ, v. gr. *c. ad nostri de privileg. in Extravagantibus Joannis* XXII. vel *Extravag. Joan.* XXII. *ad nostri de privileg.* Item *c. vices illius de Treuga & pace inter communes*, subintellige, *Extravagantes*, vel *Extrav. vices illius de Treuga & Pace inter commun.*

14. Ad has Extravagantes reduci possunt Canones & decreta Conciliorum generalium, imo & particularium a Summis Pontificibus vel universali Ecclesiarum consuetudine approbatæ. Item Bullæ & Extravagantes constitutiones posteriorum Pontificum necdum alias in Corpus juris receptæ. Quarum præcipuas licet Petrus Matthæus Jurisconsultus Lugdunensis, & juxta ordinem 5. librorum decretalium distributas in unum volumen, quod septimum Decretalium appellavit, collegerit; hic tamen liber publica authoritate necdum receptus in Corpus Juris Canonici, etsi in recentiore ejus editione in calce additus sit aliis Libris decretalium; nec ullam ullius Summi Pontificis habeat approbationem (etsi ad eum compilandum perficiendumque serio animum adjecerint varii Pontifices. Gregor. XIII. Sixtus V. Quin & jam typis excusus sub nomine Septimi Decretalium libri Clem. VIII. vulgandus fuerit) quin & illius publicatio suppressa fuerit ob causam optimam, quam vide apud Fagnanum *in c. cum venissent, de judiciis*, Canonicus censeri non potest, & constitutiones in eo contentæ, nisi de earum promulgatione, receptione, & cum originalibus conventione constet, seu in forma authentica producantur, vim obligandi non habent. Francis. de Pavinis *in prælud. ad Extrav. Joann.* XXII.

Occasione harum constitutionum Apostolicarum extra Corpus juris vagantium, de quibusdam aliis similibus non inutiliter hic quæri potest, an & quam habeant juris authoritatem. Unde sit

QUÆSTIO XIX.

Quæ sit authoritas Glossæ.

RESp. Cum Glossa digna judicata fuerit, ut ad Canonis seu Legis declarationem, in Corpore juris apponeretur, magna est ejus authoritas, ut habet communis. Quin & major quam alterius etiam eximii Doctoris. Bartol. *in l. ut vim. & ibid.* Jason. *num.* 34. *ff. de just. & jur.* antecedit que omnes alias authoritates, ut Bald. *in l. cum hæreditas c. depositi.* Et ubi cum glossa concordat Doctor aliquis, illa opinio censetur communis in judicando, ut ait Jacob. Butrius *in l.* 1. *c. quia sua jurisdict.* Imo glossam præferendam communi opinioni censet, ac proinde ab ea in causis etiam magnis non recedendum tradunt Felin. *in c.* 1. *de const. num.* 54. Bald. *in l. quamquam C. de sentent. quæ sine certa*. Cævall. *in præfat. ad commun. opin. a n.* 61. Mascard. *de probat. concl.* 803. *n.* 1. Unde est, quod glossæ opinio teste Cyno *in l. non moriturum ff. de contrah. & commit. stipulat.* vocetur & adoretur tanquam idolum a veris Jurium peritis & advocatis. Nullatenus tamen glossa vim legis habet; cum authores, a quibus ea profecta, & quorum nomina ad finem glossarum communiter apponuntur, potestatem legis condendæ non habuerint. Sed neque ea illi a quopiam alio habente hanc potestatem attributam legatur. Quin & dicta ejus authoritas, qua præferenda dicitur cuicunque alteri opinioni etiam communi, & ab ea non recedendum, ita recte temperatur a Mascard. *l. c. n.* 13. 14. & 19. aliisque, maxime recentioribus interpretibus juris, ut dicta procedant, cum glossa nititur jure vel ratione, nec dissidet a textu, aut alias glossas sibi contrarias non habet, vel etiam juris textum aliter intelligendum doceat consuetudo optima legum interpres. Quin & dum communis imo unius Doctoris sententia conformior est juri, nititurque meliore ratione, relinqui & rejici potest (uti non raro reprobatur, etiam ut erronea) inter plures enim opiniones illa præferenda, quæ meliore & subtiliore nititur ratione, ut Abbas *in c. Capellanus de feriis*. Neque in delectu opinionum habendus est respectus ad qualitatem personæ, sed ad rationem illius juxta *l.* 1. *C. de vetere jure enucl.* ubi: *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius & æquius est, judicatote; cum possit unus, forsan & deterior, sententia & multos & majores in aliqua parte superare &c.* Illud hic notandum ex Felin. *in c. canonum statuta de constit. n.* 55. & Laym. *ibid. n.* 20. quod quando glossa refert plures opiniones in dubio præsumatur ultimam approbare. Item ex eodem Laym. *loc. c.* quod glossæ authoritas inaniter allegetur sine textu, si ipsum jus expressum habeatur.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

Quæ sit authoritas Rubricarum.

1. RESp. Rubricæ (quo nomine veniunt inscriptiones, scripti tituli præfixi & superscripti libris, legibus, distinctionibus, capitulis, exprimentes per verba generalia illud, de quo ibi potissimum agitur; dictæ Rubricæ, quia antiquitus plerumque rubro charactere scribi solebant; vel etiam rubrum ad distinctionem nigri, per quod intelligitur textus ipse legum, & constitutionum) Decreti Gratiani non magis sunt authenticæ quam ipsum Decretum: uti enim illud non apparet approbatum pro authentico ita nec illa. Abbas *in proam. decretal. Gregor. IX. §. Rex n.* 8. quin & minoris authoritatis quam illud; cum nequidem ab ipso decreti compilatore Gratiano, sed ab alio quodam sint præfixæ. Abbas *l. c.* Cæpol. *tr. de cognit. librar. Juris Canon. num.* 16. adeoque; ut ait Reiffenstuel. *in proam. ad Jus Can. n.* 94. allegari non possunt.

2. Rubricæ vero Decretalium, Clementinarum & Extravagantium (uti & Rubricæ Juris Civilis) maxime sunt authoritatis: sed & authenticæ. Glos. *in proam. Sexti decret. v. tituli*. Abbas *l. c.* Jason. *in l.* 1. *ff. de reb. credit. n.* 2. quippe authoritate apostolica additæ, & una cum tota compilatione & textuum digestione approbatæ, juxta quod dicit. Bonifac. VIII. *in proam. 6. decretal. Nos decretales hujusmodi diligentius fecimus recenseri, & in unum librum cum nonnullis constitutionibus nostris redigi mandavimus, & sub debitis titulis* (hoc est, rubricis,) *collocari &c.* Cumque rubrica præfixa sit legalis interpres, Wiestner *n.* 108. a qua subjecti Canones non satis perspicui interpretationem accipiant, rubricæ recte allegantur in judiciis ad decisionem causarum, & a rubrica ad textum canonis seu legis, sive a rubro ad nigrum valet argumentatio. Mascard. *de probat. concl.* 1291. *a nu.* 1. Tusch. *Lit. R. concl.* 370. Abbas Jason. *LL. cit.* & alii communiter cum Glos. *in can. hæc autem verba, v. statuit. de pænit. dist.* 2. Sic v. gr. Executorum & Conservatorum a Papa datorum jurisdictionem (cujus qualitas textu non exprimitur) esse delegatam, desumitur ex eo, quod de ipsis agatur sub rubrica seu titulo de Offic. & potest. Jud. delegat. Sic ex generalitate rubricæ *Novell.* 66. infertur, quod licet *c.* 1. illius textus loquatur de testamentaria, comprehendantur tamen illius dispositione quæcunque constitutiones imperiales, & testamentariæ tantum ponantur exempli gratia. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 11. *n.* 3. Siquidem rubrica generalior nigro, & habens perfectam orationem (quales v. gr. sunt: *Ne sede vac. aliquid innovetur. Ne monachi sæcularibus negotiis se immisceant*) potest allegari dispositive (qualiter allegari non possunt rubricæ non habentes perfectam orationem, & quales v. gr. sunt *de rescriptis, de consuetudine &c.* cum nihil disponant) debetque attendi, & non restringitur per nigrum; sed potius illud ampliat. Tusch. *l. c. n.* 1. Abb. Jason. *LL. cit.* argumento. *L.* 1. *c. de diversis rescript. juncta l. Titia §.* 2. *ff. de verbor. obligat.* ubi, quod ea, quæ in præfationibus dicuntur, in sequentibus repetita intelliguntur. Et sic talis rubrica habetur pro textu & lege; adeoque allegari potest, non tantum extensive, sed & dispositive. Reiffenstuel *num.* 99. & 100. Possunt tamen etiam rubricæ non habentes perfectam orationem allegari utiliter declarative. Dum enim verba canonis vel legis sunt obscura vel ambigua, declarari possunt & debent per rubricam iis præfixam. Sic Abb. *loc. c.* docet, quod quando ex una lege vel uno canone eliciuntur variæ lectiones, ea attendenda sit, quæ congruit rubro. Sic Glossa *in cap. monasterium v. postulantes de elect.* ex rubrica dicti *cap.* infert, quod ibi facta sit electio & non mera postulatio; cum illud non ponatur sub rubrica *de postulatione*, sed *de electione*.

3. Limitanda tamen hæc sunt, ut non procedant. Primo si rubro contrarium sit integrum, & intelligendo rubrum generaliter insurgeret correctio nigri, tunc enim nigrum veluti posterius, magisque speciale ac deliberatum restringit rubricam. Abbas *in cit. proam. Rex pacificus nu.* 8. Jason. *loc. cit. n.* 12. *&c.* siquidem generali per speciale derogatur. *c. pastoralis de rescript. juncta regul. jur.* 34. *in* 6. Hac autem ratione a rubrica generaliter loquente postmodum sæpe excipiuntur casus speciales, v. gr. *cap.* 1. *in* 6. *ne sede vac. aliquid innovetur*. Ab hac rubrica generaliter loquente excipitur collatio præbendarum spectantium simul ad collationem Episcopi & Capituli. Sic *in l. unica C. de salario præstand.* non obstante, quod rubrica videatur esse affirmativa, subjungitur in nigro casus, in quo illud non præstandum. Secundum ex nigro generaliter intellecto sequitur iniquitas vel absurdum Barbosa *loco a rubrica nu.* 4. tunc enim textus a rubrica non declaratur; sed illi per textum utpote posteriorem derogatur. Mascard. *loc. c. nu.* 12. & 14. argumento *l. pacta novissima C. de pactis*. Idem est, dum rubrica generalis extenderetur ad aliquid contra vel præter significationem verborum; cum in materia odiosa locutio indefinita non æquipolleat universali: sed strictissime debeat intelligi, *c. odia de Reg. jure in 6. juncta l. venia edicti C. de in jus vocando*. Ita Tusch. Jason &c. Tertio si nigrum est clarum, & rubrum est dubium, prævalet rubrica, nec recipit ab ea interpretationem seu ampliationem. Tusch. *cit. n.* 1. *& seq.* Roman. *consil.* 104. *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 101. Ac denique si consuetudo vel stylus sit contrarius; cum consuetudo sit optima legum interpres, *cap. cum dilectus de consuetud. L. si de interpret. ff. de LL.*

QUÆSTIO XXI.

Quæ sit authoritas superscriptionum & summariorum capitulorum.

1. RESp. ad primum. Superscriptiones capitulorum (quæ distinguendæ sunt a summariis capitulorum, & sunt v. gr. *Innoc. III. Eliensi Episcopo*. Superscriptio *cap.* 14. *de rescriptis*. *Honor. III. Capitulo Calaritano*. Superscriptio, *cap. 6. de elect.*) positas in decretalibus esse authenticas, & ex illis in jure fieri validum argumentum, tradit Reiffenstuel *in proam. ad jus can. n.* 108. citatis pro hoc Petro de monte *Tom.* 3. *tractatuum tr. de potest. Pontif. §. quinto quæro n.* 2. & Glossa *in c. quorundam prædictorum de elect. in* 6. eo quod, cum totum volumen decretalium approbatum, & in ipso omnia superflua sint resecata, sequatur, has superscriptiones, cum sint relictæ, censeri, authenticas. Sic ex hac superscriptione: *Idem Gradensi Patriarchæ & S. Vitalis Presbytero Cardinali* præfixa *Capiti constitutis de appellat.* recte inferri ait, spectato jure communi, & præscindendo a consuetudine Curiæ Rom. sedes patriarchales, etiam minores (inter quas juncta Archid. in *c. cleros n.* 20. *dist.* 1. numeratur etiam Gradensis) esse præferendas Cardinalibus Presbyteris; quia Papa in dicta superscriptione Patriarcham Gradensem præponit Cardinali Presbytero. Sic quia *Capiti* 1. *de decimis*, habetur præfixa hæc superscriptio: *Gregorius IX. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus*, inferri a Glossa *in cit. can. Cleros*, Fratres Prædicatores deberi præferri Minoribus. His non obstante *c. si Papa de privileg. in* 6. ubi, quod Ecclesia per hoc non sit exempta, quod Papa in aliquo privilegio vel scriptura, principaliter non facta super donatione vel sententia exemptionis, eam appellet exemptam. Item *Clem. si summus §. fin. de sent. excom.* ubi deciditur, quod si Papa aliquem sub titulo cujuslibet dignitatis, ex certa etiam scientia, verbo, constitutione vel literis nominet, honoret, aut quovis modo tractet, per hoc non intelligatur, eum in tali dignitate approbare, aut jus novum ei tribuere. Nam dicta procedunt de subscriptionibus juri communi insertis, & summa maturitate resecatis quibuscunque superfluis, authoritate Pontificis in unum volumen collectis & confirmatis: citata autem capita procedant de rescriptis novis, in quorum impetratione præsumuntur tales qualitates rescribenti Papæ prius per supplicantem suggesta. Quin & in iis, quæ facti sunt, & in facto consistunt, Papa probabiliter possit errare, *c.* 1. *de const. in* 6. hinc tales qualitates insertæ rescriptis Pontificiis per hoc non probari, nisi de iis aliunde doceatur. Reiffenstuel *n.* 111. citans Engels *ad tit. de rescript. n.* 8.

2. Resp. Ad Secundum: Summaria, quibus capita summantur, & dicta in iis veluti compendio proponuntur, pro agentium commoditate, desumpta ex scriptis diversorum, præcipue Abbas Jo. And. etsi sint doctrinalia magnæ æstimationis; Siquidem constituta seu confecta ex his, quæ Canonum vel legum expressa sonant. Reiffenstuel *n.* 107. non tamen sunt de textu, nec vim authenticam & decisivam in judiciis habent, nisi in quantum concordant cum textu subsequente, adeoque longe minorem rubricis authoritatem habent, & vix majorem, quam quæ iis a suis Authoribus vel usu Doctorum conferri potuit. Wiestner *ad jus Cod. de can. n.* 109.

QUÆ-

QUÆSTIO XXII.

Quam authoritatem obtineat Bullarium seu liber ille diversas summorum Pontificum constitutiones continens.

RESp. Præter dicta supra: Bullarium hoc plus authoritatis non habet, etiam vi præfixi illi privilegii Urbani VIII. (quippe quod respicit favorem solius Bibliopolæ, sine cujus licentia ab alio imprimi aut vendi, prohibetur) quam alii libri continentes istiusmodi Pontificum aut Imperatorum constitutiones, authoritate eorum non confirmati & publicati. Quare contentæ in Bullario Bullæ & constitutiones Apostolicæ juris auctoritatem non obtinent, nisi eas pro tota Ecclesia latas & rite promulgatas, usuque receptas, & cum originalibus suis correspondere constet. Engels *proœm.* *n.* 8. Wiestner *n.* 114. de cetero dum Bonifac. VIII. constitutione sua, quæ incipit: *Sacrosancta* 1298. edita cum sexto decretalium de non recipiendis & pro decretalibus habendis Prædecessorum suorum constitutionibus, quæ sexto illo libro clausæ non reperiebantur, decernit, cassatio illa & annullatio referenda tantum ad eas constitutiones, quæ juris communis Ecclesiastici vim habere videbantur & credebantur; non vero ad eas, quæ post editionem illam pro tota Ecclesia latæ & publicatæ sunt, aut etiam, quæ pro personis, locis vel civitatibus particularibus, v. gr. favore certæ alicujus diœcesis, civitatis, religiosi ordinis, Monasterii &c. cujusmodi plures exstant in Bullario, & hodiedum valorem suum retinent. Wiestner *loc. cit.*

QUÆSTIO XXIII.

An & quale jus faciat Concilium Tridentinum aliaque Concilia universalia.

1. RESp. Indubitatum est, non solum hujus œcumenicæ Synodi sub Paulo III. & Carolo V. Imperat. cœptæ anno 1545. & sub Pio IV. finitæ anno 1563. decreta & dogmata sive ad doctrinam fidei spectantia obtinuere rationem articulorum fidei orthodoxæ, seu fide divina firmissime credendorum; sed etiam ejusdem constitutiones concernentes morum & Ecclesiasticæ disciplinæ reformationem, habere authoritatem & rationem legis universalis, & tanquam jus commune ecclesiasticum novissimum observandas esse, ubicunque hæ legitime promulgatæ eisque non usu vel usu contrario, aut privilegio Apostolico derogatum non est. Siquidem Concilium hoc legitima authoritate Apostolica congregatum ejusque decreta omnia post *sessionem* 25. seu ultimam absolutam 4. Decemb. anno 1563. confirmata sunt a Pio IV. anno 1564. 26. Jan. in consistorio secreto. Cumque omnia concilii hujus exemplaria ubilibet impressa accuratissime concordent, nulla ratione est eis deroganda fides. Verum quidem est, quantum est de facto concilii hujus decreta non dogmatica seu fidem non concernentia non esse ubique recepta; an etiam jure non recepta, ex eo pendet, an in loco tali, ubi non receptum dicitur concilium, fuerit aliquando debite promulgatum, an justa causa non recipiendi. De quo statues dicenda infra ad titulos de constitutionibus & consuetudine.

2. Resp. Ad secundum, pari modo loquendum & sentiendum de Conciliorum omnium aliorum œcumenicorum seu universalium legitime congregatorum & authoritate apostolica approbatorum decretis & constitutionibus; nimirum habere ea parem authoritatem seu legis universalis rationem, etsi corpori juris non inserta. Porro Concilium legitimum perfectum non est. Primo, nisi ad illud convocentur omnes Christiani orbis Episcopi; etsi illos omnes interesse necesse non sit. Bellarm. *de Concil. l.* 1. *c.* 19. Layman *lib.* 1. *n.* 4. *c.* 6. *nu.* 9. & nisi convocatio hæc fiat consensu & authoritate Papæ, utpote qui solus omnium Christi fidelium ipsorumque ordinariorum ordinarius est, & supremus Christi in terris Vicarius. Barbosa *de off. Episc. p.* 1. *tit.* 3. *c.* 2. *n.* 17. Azorius *p.* 2. *institut. l.* 4. *c.* 14. *qu.* 1. Secundo, nisi forte Papa lapsus in hæresin, vel duorum de Papatu contendentium neuter in concilii convocationem consentiret. Tunc enim a collegio Cardinalium fieri istam convocationem exigit necessitas Ecclesiæ. Bellarm. *loc. cit. c.* 14. vocans tamen tale concilium imperfectum, quod nihil statuere posset in causis fidei vel etiam aliis majoribus Cajet. *opusc. de potest. Papæ c.* 15. & 16. Tertio nisi Papa per se suosve Legatos tanquam Judex & moderator præsideat, uti id exemplo omnium Conciliorum œcumenicorum ostendit Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 19. Porro licet Episcopi in generalibus conciliis suffragium seu vocem non mere consultativam, sed decisivam habeant; idque non ex consuetudine mera vel privilegio (uti id quibusdam aliis hac ratione competit) Sed jure ordinario & ex officio proprio; eorum tamen suffragiis factæ definitiones seu decisiones infallibilitatem, & decreta moralia legis universalia plenum robur & authoritatem non habent, nisi Papæ authoritate approbata & confirmata fuerint Bellarm. *l.* 2. *c.* 2. & 11. Suar. *l.* 4. *de LL. c.* 6. Et licet Sotus *in* 4. *dist.* 2. *qu.* 1. *art.* 4. & 2. putet, istiusmodi decretis conciliaribus universalis legis vim competere ante eorum a Papa factam confirmationem; eo quod Concilio Generali ipsa ejus convocatione hujusmodi leges condendi potestas conferatur: id tamen verius negant Næv. *de const. Cons.* 1. *nu.* 4. Suarez *loc. cit.* Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *part.* 23. *num.* 15. de quo tamen infra pluribus. De cetero hanc de Conciliis materiam accuratius & fusius tractatam vide apud Bellarminum & per compendium a Wiestner *a num.* 118.

QUÆSTIO XXIV.

Quam authoritatem habeant declarationes S. Congregationis Cardinalium interpretum Concilii Tridentini.

1. RESp. Postquam Pius IV. in bulla confirmatoria hujus Concilii data 1564. 16. Febr. sub gravissimis pœnis vetuisset, ne quis sine authoritate & licentia Papæ ullarum interpretationum aut glossarum genus in dictum Concilium ederet, primitus motu proprio emanato eodem anno 5. Augusti dictam congregationem instituit ad hoc, ut decreta hujus Synodi servanda curarent, & si quod dubium aut difficultas in eorundem executione occurrunt, ad Pontificem referrent. Et cui dein Sixtus V. in Bulla *immensa æterni Patris*, data anno 1587. 11. Cal. Februar. contulit facultatem, consulto tamen Pontifice, per se ipsos etiam interpretandi dubia & difficultates occurrentes in his, quæ de morum Disciplina, Judiciis Ecclesiasticis, aliisque similibus statuta sunt, reservata sibi & successoribus interpretatione decretorum concernentium dogmata fidei. Hujus congregationis declarationes non solum in genere magnam authoritatem, aut etiam vim decisivam in illo solo casu particulari huic congregationi proposito, & respectu personarum proponentium tantum; sed vim legis universalia in utroque foro habent, licet ad instantiam particularium personarum emanarint. Garc. *de benef. in proœm.* Si tamen affectæ sint his tribus conditionibus. Primo, ut factæ sint consulto Papa: hanc enim clausulam: *Nobis tamen consultis:* Addit Sixtus V. dum congregationi hanc facultatem interpretandi confert. Secundo, ut sint tantum declarativæ & interpretativæ, & vel sic dictæ *comprehensivæ*; non autem dispensativæ, aut ultra verborum proprietatem (& hinc dictæ *extensivæ*) nisi forte desuper habito speciali mandato Pontificis. Tertio ut producantur in forma authentica, hoc est, a Cardinale Præfecto & Secretario subscriptæ, ac consueto sigillo obsignatæ. Aliter enim productis fidem nullam habendam in judiciis vel extra jussit Urbanus VIII. apud Barbosa. *Jur. Eccles. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 81. Ita sentiunt Pagn. *in c. quoniam de const. n.* 8. Garc. *loc. c.* Barbosa *l. c. n.* 82. Zypæ. *in analys. jur. Pontif. in præfat.* Ridolph. *pr. judiciar. p.* 1. *c.* 7. *n.* 8. Pignat. *tom.* 1. *consult.* 86. *n.* 19. Castrop. *Tract.* 3. *d.* 5. *p.* 3. §. 1. *num.* 4. Mirand. *tom.* 2. *Man. Prælator. q.* 26. *art.* 11. & alii complurimi contra Bellizar. *in man. tr.* 4. *c.* 4. *n.* 508. Bonac. *de LL. d.* 1. *q.* 1. *p.* 8. *n.* 4. Sanch. *de matrim. tom.* 3. *l.* 8. *d.* 2. *n.* 10. Petr. Ledesm. Vegam & nonnullos alios maxime Theologos, inter quos a Castrop recensetur Vasq. *l.* 2. *d.* 177. *cap. ult.* docentes habendas has declarationes solum ut doctrinales. Pro ratione esse potest, quod edantur authoritate & nomine Pontificia; uti ea omnia edi & constitui censentur, ad quæ facultatem alias sibi reservatam (qualiter Pius IV. sibi reservaverat authoritatem declarandi decreta Concilii Tridentini) Pontifex contulit, *cap. cum aliquibus de Rescript. in* 6. Adde, quod quæ fiunt ex consultatione Pontificis (uti fiunt hæ declarationes; quin & illius nomine expresso consulentibus redduntur ex concessione Gregorii XIV.) vel hoc ipso robur accipiant, ut jus universale constituant, *c. ex multa de voto.* Unde nec mutari nec corrigi possunt hæ declarationes, nec a sententia lata ab illa congregatione appellari. Atque ita censuit vel ipsa Congregatio teste Garcia *de Benef. in Præfat.* habere has suas declarationes hanc vim legis, ac si a Romano Pontifice emanassent. Si autem a Pontifice declarationes suarum legum promulgatæ sunt vim legis habent in omnium

sen-

sententia ait Castrop. verum de hac promulgatione an & qualiter ea oecessaria, colliges ex sequentibus. Et infra ubi de legis interpretationo.

2. Dixi: jus universale constituant: Tametsi enim declarationos has dictis tribus conditionibus affectæ dicantur habere vim legis, saltem respectu eorum, quibus redduntur, v. gr. dum super casu aliquo controverso a partibus vel Episcopo pro recta gubernatione super dubio aliquo orto ex coociliaris decreti non satis claro tenore, consulentibus redduntur, saltem a partibus illis & ab Episcopi subditis sint observandæ instar legis diœcesanæ, ut nemo facile negaverit. Wiestner *n.* 146. In casibus tamen etiam declarato casui omnino similibus vim legis habent respectu eorum, qui de iis ita redditis, id est, cum subscriptione dicta & Sigillo, notitiam habeot. Wiestner *n.* 147. citato Gobat. *Experient. tr.* 3. *n.* 604. Et Coton. *controvers. l.* 3. *controv.* 8. *cap.* 3. Adductis etiam in exemplum geminis istiusmodi sive congregatioois declarationibus. Quin & declarationes istiusmodi comprehensivas in forma authentica non productas, dum eas super eodem casu vel dubii juris articulo sæpius & uniformiter sive eodem semper sensu redditas, aut secundum eas a Rotæ aliorumque Romanorum tribunalium Judicibus pronunciatum esse constat vim legis habere, habet idem Wiestner *n.* 151. quia uniformitas responsorum & sententiarum super eodem articulo sępius uniformiter redditorum inducit stylum & praxin Curię, ut Cynus *in l.* 1. *c. quæ sit longa consuetudo*. Bald. *in l. fin.* & Bartol. *in lib.* 2. *tit. cod.* Stylus autem seu praxis Curię jus facit, *l. fin. C. de crim. fals.* Suarez *l.* 7. *c.* 5. *n.* 5. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 5. *n.* 3. Licet autem Urban. VIII. decreto suo edito, 1631. 2. Aug. quod incipit: *Cum sacra* deroget fidem & vim omnem declarationibus aliis omnibus impressis & imprimendis, etiam manuscriptis, in & extra judicium nisi Cardinalis Prefecti & Secretarii dictę Congregationis subscriptione & consueto sigillo munitæ sunt; eo quod similium declarationum plures alteratas, dimiuutas, & forte omnino confictas esse, pervenerit ad notitiam S. Congregationis. Huius tamen decreti rigore non obstante, declarationibus istiusmodi subscriptione non munitis, sed solum a privatis, probatis tamen AA. dum hę seosum a proprietate verborum non recedentem, nec rationi aut communibus juris Regulis non repugnantem reddunt, non ęgre deserunt, & ab iis sine gravi ratione recedendum non esse, eo quod Romana alięque Curiæ ecclesiasticę contra illas pronunciare non soleant, creduntque eas ipsas ex ipsis originalibus aliove principio authentico depromptas, asserunt Fagnan. *in c. quoniam de constit. num.* 59. Peliz. *l. c. n.* 108. Sanch. *l. c.* Dian. *p.* 2. *tr.* 10. *resol.* 29. *in fine*, & cum illis Wiestner. *n.* 153.

3. De cetero vi legis harum declarationum dictis circumstantiis non affectarum non obstat Primo, quod declarationes istæ frequentissime per verba *censuit* vel *censemus* concipiantur; lex autem soleat fieri per verba pręceptiva vel prohibitiva. Nam potius ea vis exinde roboratur; cum eo etiam modo olim Senatus, d m quid juberet, utebatur, ut constat ex *l. Senatus ff. de contrab. empt.* & *censere* frequentius & juridice idem sit quod *constituere*, *decernere*, *jubere loc. cit. l. censeri ff. de* V. S. Neque secundo, quod constitutio vim legis habens authentice innotescere debeat civitati, *l. leges C. de LL.* ad hoc enim satis dictum ante. Neque tertio, quod conciliaris decreti sensus a S. Congregatione redditus per declarationem ante hanc vim legis non habuerit, & non obligarit eos etiam, quos ignorantia juris alias non excusat, adeoque nec eam consequi potuerit a Congregatione per dictam declarationem utpote non habente per hoc potestatem legislativam. Nam, cum hujusmodi declarationis sensus ipsi conciliari decreto insit, actus, quem illa validum, licitum aut illicitum dicit, reipsa talis est vi ipsius decreti, licet agens talem eum esse ignoret, & propter ignorantiam inculpabilem veri sensus excusetur a pœna & culpa. Castrop. *tr.* 3. *d.* 5. *p.* 3. §. 1. *n.* 6. & ex eo Wiestner *n.* 149. Quod autem quandoque istiusmodi declarationes sint innumerę, & plures earum referantur sępe diminutę: imo inter se contrarię, id saltem nihil facit contra declarationes exhibitas in forma authentica, cum tales neque adeo multę, nec falsę, neque etiam facile inter se contrarię reperiantur teste Fagnanus *loc. cit. nu.* 57. qui 15. annis isti Congregationi a secretis fuit.

4. Porro licet dictę declarationes non habeant vim novi juris, oihilque pręcipiant aut vetent, quam quod ipsa lex & decreta, quorum sunt declarationes. Tusch. *v. declaratio concl.* 94. *n n.* 6. habent tamen vim declarativam antiqui juris, ut illud sic & non aliter sit intelligendum, obligantem omoes. Ad quam vim, ut Tusch. & communissime Canonistę, non requiritur publicatio declarationis, utpote quę, ut dictum, jus novum non coustituit; sicut solennitas ista publicationis requiritur, dum leges novę conduntur. Sed nec requiritur expressio temporis & loci in legix editę declaratione, sicut ea requiritur ad valorem coustitutionis papalis, dum ea editur; de quo tamen vide dicenda infra de promulgatione legis. Estque etiam in hoc disparitas inter decisiones Judicum aliorum, qui omnem authoritatem habent a Priocipe, & declarationes has S. Congregationis, quod illę vel ideo vim legis generalis non habeant; sed solum inducant parendi necessitatem in particulari causa, in qua emanant; quia eorum jurisdictio restricta est ad certas personas determinatosque territorii limites; Authoritas vero hujus S. Congregationix extendat se ad omnia Concilii decreta declaranda & pro toto orbe Christiano. Quod si etiam aliquę harum declarationum vere, & non tantum in speciem ob mutatas circumstantias, sibi contrarię sunt, posteriores prioribus derogant, *c.* 1. *de constit. in* 6.

QUÆSTIO XXV.

Quæ sit authoritas decisionum Rotæ Romanæ.

1. RESp. Primo prænotando, quod Rota Romana sit tribunal seu Judicium Summi Pontificix, in quo cognoscuntur & deciduntur causæ litigiosę fori ecclesiastici ex toto orbe Catholico. Fori vero sęcularis causę civiles, non criminales (mox enim, ut agnoscitur adesse suspiciu criminis, causa a Rota Romana remitti debet ad Judicem ordinarium: Paul. V. *constit.* 71. §. 22.) & quidem ut plurimum via appellationis illuc devolutę tantum ex Urbe Romana illaque Italię parte, quę Status ecclesiasticus nominatur, nec non Civitatis Avenionensis & Comitatus Venuxini, utpote etiam dominio temporali Papę subjecti. De cujus Tribunalis origine, ministris, modo procedendi, vide inter alios Cardinal. de Luca *in Relat. Curiæ Rom. discurs.* 32. *n.* 61.

2. Resp. Secundo decisiones hę (quicquid in contrarium velint alii apud Engels *in proam. Iur. Can. n.* 17.) legis universalis authoritatem non habent. Card. de Luca. *LL. n.* 66. Fagn. *loc. paulo post citand.* citans Gemin. *in c. duobus. n.* 9. & *ibi* Francum. *n.* 10. *de Rescrips. in* 6. Bellamer. Garc. *in proam. To.* 1. Engels *l. c.* cum Rota ipsa eas pro talibus non agnoscat, sæpiusque contra pręcedentes Rotę decisiones sententiam tulerit: dicatque Pręposit. & alii insignes Rotę Auditores apud Fagn. *in c.* 12. *de Iudiciis. n* 41. decisiones nostræ non sunt jura, & ideo possunt reprobari. Ubi & illud observandum ex Card. de Luc. *l. c. n.* 57. quod dum priores senteotię in Rota invalidantur per posteriores, Rota eo sensu dicatur retractare sua decreta, quo unum tribunal, ad quod appellatum fuerat, revocat sententiam alterius tribunalis prioris instaotiæ; Cum in Rota etiam in secunda instantia mutetur Judex & corresponsales, hoc est, quatuor Auditores Rotę, qui per turnum constituti in causa a Ponente, hoc est, ab uno Auditore, qui in causa Judex constitutus erat, sententiam proferuot.

3. Nihilominus tamen decisiones hę non tantum jus & authoritatem faciunt inter ipsas tantum partes litigantes (quas tamen alii Judices sequi non tenentur, si meliora juris fundamenta habeant) quod ipsum commune est ceteris sententiis judicialibus, a quibus intra legitimum tempus non fuit appellatum: transit enim tunc sententia in rem judicatam juxta *c. quod ad consultationem de sent. & re judicat.*) Verum etiam magna eis, extra statum etiam & territorium Pontificis, tribuitur authoritas; cum non nisi summa cum maturitate ab uno ex supremis orbis tribunalibus prodeant; quin & loquente Rota, ut Mandos. *tr.* 3. *de monitoriis. q.* 27. *n.* 6. alia tribunalia obmutescant. Excipianturque tanquam doctrina magistralis plurium judiciorum in idem pręvia causę cognitiooe tendentium. Ita etiam, ut juxta Imol. *in c.* 1. *de litis contestat.* si super eadem juris quæstione sint plures seu sæpius repetitę uoiformes Rotę decisiones, faciant consuetudinem & Stylum in Curia Romana. Pavin. in pręlud. ad Extrav. Jo. XXII. v. decisiones Rotę Fagn. *in c. cum venissent. n.* 23. *de Iudiciis*. Engels *l. c.* Hic tamen etiam stylus Curię Romanę nullam vim legis habet, nec reduci potest ad coosuetudinem juris, ita ut alios obliget pręter Curiales Romanos, sive ut inducat necessitatem aliis judiciix & tribunalibus extra Curiam Romanam illum sequendi & servandi, quicquid in contrarium dicat Garc. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 199. nisi sit stabilis, inconcussus, notorius, & speciali decisione ac declaratione Pontificis confirmatus. Cęvall. *qq. commun. contra Com. q.* 737. *n.* 3. Ferret. Boerius &c. apud Krimer *de Rescrips. n.* 1467. Quin & hic sty-

hic stylus sit variabilis ad mutationem Papæ & Auditorum, dicaturque modo albus modo niger. Caval. *l. c.* Paris. *de resignat.* L. 3. q. 6. *n.* 34. citans Felin. *in c. Rodulphus de rescrip. n.* 22. & dicat Garc. *l. c. n.* 120. dum Rotæ sententiæ, quæ transiit in stylum, contrarius est stylus Datariæ & Cancellariæ, huic, utpote magis propinquo Papæ organo potius standum.

QUÆSTIO XXVI.

Regulæ Cancellariæ quid sint, & quam habeant authoritatem & vim.

1. RESP. ad primum. Regulæ hæ sic dictæ; vel quia bona earum pars concernit expeditionem literarum apostolicarum; vel quia in Cancellaria publicantur & regestis consignantur, idque authoritate Papæ! ChoKier *in Rubr. Regul. Cancell. a.* 17. Sunt constitutiones quædam pontificiæ; majore ex parte concernentes causas & reservationes beneficiales (de his enim agitur, a prima ad 27. usque, & a 60. ad finem usque) quas quilibet Pontifex mox die insequente assumptionem seu electionem sui, ut Barbos. *de Jur. eccles. L.* 3. *c.* 13. *n.* 95. facere seu reassumere & publicare solet, mutando addendove quandoque aliquid, ubi id res postulaverit, postquam prius excussæ fuerint maturo judicio præcipuorum Curiæ officialium, & maxime antiquiorum Rotæ Auditorum, ut Lotter. *de re benef. L.* 1. *q.* 41. *n.* 41. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 30. *n.* 18. Eas primus omnium edidisse & sic appellasse dicitur Joannes XXII. Engels in proœm. n. 14. Earum ortum ad annum 1330. refert. Cardin. de Luc. *de benef. d.* 5. *n.* 23. Exspirant hæ regulæ contra naturam aliarum legum & Canonum cum morte Pontificis, ita ut Sede papali vacante nullam vim habeant. Engels *l. c.* ChroK. *l. c. n.* 70. Barbos. *l. c.*

2 Resp. ad Secundum: Licet harum Regularum eæ, quæ sunt de dandis, ipsius Cancellariæ Apostolicæ præscribantur: & quæ Literarum solummodo expeditionem in Curia faciendam concernunt, illam duntaxat illiusque officiales ligent, eæ tamen, quæ sunt de reservationibus Apostolicis, dispensationibus, indulgentiis impetrandis, de beneficiis conferendis per Papam eorumque Reservationibus, de annali & triennali possessione &c. non solum jus particulare inducunt, seu sunt locales, hoc est, certo loco v. g. Cancellaria Romana circumscriptæ: Sed revera jus universale faciunt, seu legum universalium rationem habent, ita ut per totum orbem ligent. Gonz. *in apparat. n.* 57. Pavin. *l. c.* ChoK. *l. c. n.* 18. citans Gomes. *in proœm. ad has Regul. q.* 2. *n.* 4. Et quidem mox a puncto constitutionis earum quo ad effectum nullitatis actus in contrarium, ita ut v. g. provisio, etiam bona fide facta de beneficio in iis reservato sit nulla ob decretum irritans in iis contentum. Ad valorem siquidem sui, dictumque effectum nullitatis nulla alia solemni publicatione egent, etsi quo ad effectum incurrendi pœnas in iis contentas non ligent nisi post publicationem. ChoK. *l. c. n.* 20. Barbos. *l. c.* Qualiter vero hæ Regulæ, ut ligent seu jus faciant extra Curiam, & sententia juxta illas lata subsistat, sint producendæ, item an & quando derogetur illis per alias constitutiones vel rescripta appostolica, vide fuse tractatum a me *in Foro benef. p.* 2. *qu.* 581. & 543.

QUÆSTIO XXVII.

An in jure canonico reperiuntur textus sibi invicem contrarii?

1. RESP. primo; In Decreto Gratiani inveniri hujusmodi contrarietatem, admittunt libenter AA. dum in eo contentorum canonum non pauci ab aliis ejusdem Decreti canonibus ita correcti esse constat, ut non videatur modus eos inter se conciliandi. v. g. *can. unius dist.* 1. cum *Can. Acutius dist.* 26. *can.* 1. §. *quapropter dist.* 23. & *can.* 1. *dist.* 63. cum *can. Adrianus eadem dist.* &c. plures hujusmodi antinomias vide apud Wiesner. *n.* 104.

2. Resp. secundo: In Decretalibus Gregorii nullas inveniri tales contrarietates censent Gl. *in proœm. ad decretal. V. contrarietates*. Moneta *de distribut. c.* 11. *n.* 31. Barbos. *in proœm. num.* 42. Engels *ibid. n.* 18. eo quod in una eademque compilatione contrarietas generatim non sustineatur. L. 1. §. 8. *L. tanta* §. 15. *de vet. Iure enucl.* Verum licet Gregor. IX. compilatori horum decretalium studiose mandarit, ut omni cura curaret tales in iis contrarietates, dubitari tamen non vane, num compilator omnino feliciter hoc Papæ desiderium impleverit, & assecutus fuerit, ait Wiesner. *n.* 105. allegatu uno alterove talis contrarietatis textuum exemplo; quos tamen conciliare nituntur AA. num utili, num casso labore videndum alibi.

3. Idem de Codice Justinianeo novo seu emendato dicitur. *L. tanta* §. *contrarium C. de vet. jur. enucl.* ubi: *contrarium autem aliquid in hoc Codice positum nullum sibi locum vendicabit; nec invenitur, si quis subtili animo diversitatis rationes excutiat*. An autem propterea reipsa nullæ in eo sint contrarietates; Reiffenstuel *in proœm. n.* 206. ait videndum apud Covar. *L.* 1. *variar. resolut. c.* 3. *n.* 7. De cætero intervenire inter canones contrarietatem necesse est, dum prior per posteriorem corrigitur. Quod ipsum accidere ait Reiffenst. *n.* 209. *in c. Exigit. de censibus in* 6. & *in c. Filiat eod in* 6. ubi posterius capitulum expresse derogat priori, illudque quoad certa puncta revocat. Qua ratione autem non exinde lex vel canon correctus per subsequentem non sit quid superfluum rejiciendum ex Corpore juris, ostendit Idem *a n.* 208. nimirum, quia lex, cui quoad omnia derogatum, etsi non amplius allegari possit in judiciis ad decisionem causarum, imo eam sic allegans incurrat pœnam falsi, argumento *L. unic. C. de Justinian. codice confirm.* utiliter tamen adhuc retinetur ad hoc; ut posteri noverint facta priora. *c. fuerint dist.* 7. sciantque male gesta reprobare. Argum. *Can. qui de mensa dist.* 37. Dein ad hoc, ne successores legislatores incidant in illud ipsum incommodum, propter quod lex prior fuit abrogata. Item quia talis lex abrogata allegari possit adhuc in iis locis, in quibus lex abrogans non fuit usu recepta. Item quia allegari potest ad decisionem casus præteriti & facti ante abrogationem, nisi in lege nova sit expressa dispositio etiam de præteritis. Item ad ostendendam mentem prioris legislatoris, qui eam tulit. Item propter sui rationem; duo enim hæc, lex & ratio legis diversa sunt, potestque proinde lege abrogata adhuc subsistere ratio illius, nisi & ratio ipsa fuisset sublata seu cessasset. Pelm. *in c. Canonum Statuta &c.* de cætero namque ratio legis innixa æquitati naturali est æterna & immutabilis; vel tanquam non innixa æquitati (quod prior legislator non scivit) reprobatur.

QUÆSTIO XXVIII.

An & quando, & qualiter in libris decretalium aliisque partibus juris inveniatur & toleretur quid superfluum?

1. RESP. primo: Neque in his libris neque in aliis constitutionibus, dispositionibus, rescriptis admittenda verborum superfluitas. Gl. *in c. solitæ v. tanquam, de major. & obed.* ubi; quod *nulla dictio debet vacare in rescripto* (multoque magis in canone vel lege communi) *aliquin frustra membranam occuparet*. Gl. *in c. si Romanorum v. membranas dist.* 19. ubi: quod nullum verbum positum in aliqua scriptura debet vacare vel superflue poni. Constant hæc in *proœm. decretal.* ibi. *resecatis superfluis*, ex *proœm. sexti decretal.* ubi Papa testatur, compilationem illam factam resecatis superfluis. Item ex *L.* 1. §. *quibus C. de novo codice faciend.* Ibi: *resecatis tantum superfluis*. Proinde necessario verba singula legis interpretanda, ut aliquid operentur. *c. si Papa de Privileg. in* 6. *L. ait Prætor.* §. 1. *ff. de jurejur. L. si quando* §. 1. *ff. de Legatis*, & ibi Glossa *v. frustra*. Quin nec syllaba ulla in lege esse debet sine mysterio & effectu aliquid operandi. Fagn. *in c. Taurum de privileg. n.* 26. Tusch. *lit. v. concl.* 895. *n.* 7. & 9. Barbos. *Axiom* 222. *n.* 12. apud Reiffenst. *in proœm. ad jus can. n.* 114. Estque hoc ipsum: quod verba singula debeant aliquid operari, atque ita interpretari ut vitetur superfluitas in illis: ita verum, ut potius verba ad impropriam significationem trahi debeant, quam ut sint superflua, ait Reiffenst. *num.* 116. citando pro hoc Tusch. *ubi ante n.* 30. Barbos. *l. c. n.* 22. Cravett. *cons.* 294. *n.* 3. & hoc ipsum procedere etiam in odiosis ac pœnalibus, ut Tusch. *n.* 31. Barbos. *n.* 14. argum. *c. si sententia, de sent. excomm. in* 6. Modo tamen ex tali interpretatione nihil iniquum vel absurdum sequatur. Potius enim admittenda in statuto superfluitas, quam quod statuentes voluerint statuere iniquum aliquid vel absurdum. Barbos. *axiom* 216. *n.* 10. & 11. Tusch. *l. c. n.* 55. & *sequent.* Cravet. *cons.* 70. *n.* 26. apud Reiffenst. *n.* 117. Atque ex his jam deducitur, quod a superfluitate vitanda fortissimum fiat in jure argumentum. Gratian. *discept. for. c.* 306. *n.* 16. Murga *Tom.* 2. *disquisit. mor. & can. disquisit* 11. *n.* 175. Federic. de Senis. *cons.* 45. qui id ipsum hoc exemplo ostendit:

ostendit: nomine monasterii non semper intelligi Monasterium ordinis non mendicantis, ex eo probatur, quod *c. 1. §. sane, de statu regular.* dicatur: *in Monasteriis ordinum non mendicantium*; si enim *Monasterium* ex natura sua & primæva significatione importaret monasterium ordinis non mendicantium, frustra & superflue addidisset Pontifex verba illa: *ordinum non mendicantium*, & sufficisset dixisse: *monasteriorum*.

2. Resp. secundo: Toleratur nihilominus in pluribus casibus superfluitas verborum, vel ea non intervenire censetur. Felin. *in c. solitæ de major. & obed. n. 4.* Tusch. *Lit. S. concl. 895. n. 44. & seq.* Barbos. *axiom. 146. n. 6.* Sic Primo toleratur in dispositionibus, ne tollatur voluntas testatoris vel disponentis, aut ne quid fiat contra mentem illius. Barbos. *l. c. n. 9.* Reissenst. *cit. n. 117.* Secundo toleratur vel non intervenit superfluitas, quando in dispositione mixtum est aliquid novi v. g. quod exempli loco ponit Reissenst. *n. 118. c. si tibi absenti de præb. in 6.* dicitur; *si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium*: verba illa: *per tuum Episcopum*, videri possent superflua; idem enim esset, si alius contulisset beneficium. Quia tamen ponunt factum, quod tunc acciderat, & vel sic habent admixtum aliquid novi, tolerantur, vel non sunt superflua. Tertio licet expressio eorum, quæ tacite insunt, nihil operetur. *L. non rectè ff. de fidejussorib. juncto summario*, (idem est, dum id, quod alicui competit de jure communi, conceditur, ut ei mos geratur,) non tamen talia superflua exprimuntur. Tum quia poni censentur ad majorem cautelam *L. testamentum C. de testam.* tum quia plus timeri solet, quod specialiter injungitur; ut notatur *c. sin autem de hæretic.* Quarto dum quid apponitur ad tollendam dubitationem vel sophisticam malignam interpretationem, vel ad majorem declarationem, cum enim tunc verba habeant hunc proprium effectum, nimirum majorem declarationem, dici non possunt superflua. Felin. Tusch. *LL. cit.* Qualiter etiam non nisi majorem declarationem important verba idem significantia, dum per ea in legibus dispositum magis inculcatur, vel etiam significatur concedentis effectus, ut sæpe contingit in bullis apostolicis, ut Suar. *L. 8. c. 16. n. 8.* Barbos. *cit. n. 6.* Tusch. *cit. n. 40.* Quinto superfluitatem quoque excusat consuetudo; ut si juxta eam Notarius in instrumento dicat: *fecit, constituit, creavit, talem Procuratorem*. Reissenst. *n. 122.* citans Felin. Speculator. &c.

QUÆSTIO XXIX.

Quis & quando sit usus utriusque juris in utroque foro?

1. Resp. Circa hoc assignari & observari fere regulas sequentes. Prima. Dum casus aliquis dubius est in jure civili, clare vero decisus in jure canonico, hujus decisio in foro civili est observanda: Laym. *in c. super literis; de rescript. n. 6.* Engels *in proœm. n. 10.* Wiestner. *in proœm. n. 161.*

2. Secunda; e contra, si quid in jure canonico dubium (uti circa contractus, pacta, feuda paucæ sunt in canonibus decisiones) in jure vero civili clarum, ejusque materia sit profana, etiam in foro ecclesiastico juri civili est locus. Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 5. n. 6.* juxta *c. 1. & c. cum ex injuncto, de novi oper. nunc.* ubi hujusmodi leges SS. Canonibus non contradicentes ab Ecclesia videntur approbatæ. Dum *ibidem* dicitur: *sicut leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur*. Et sic in genere ait Fagn. *in c. cum esset, de testam. n. 28.* ubicunque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum & civile. Imo lex civilis servari debet etiam in foro ecclesiastico, ut *c. 1. de nov. oper. nunc. & ibi* Jo. And. *n. 5.* Abb. *n. 3.* quod: *causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectum canonum: omnes enim leges Principum non contradicentes Canonibus sunt approbatæ ab Ecclesia &c.* Quæ tamen Abbatis dicta intelligenda de legibus Cæsareis seu communibus; non vero de municipalibus, quæ contra jus commune nonnunquam ab inferioribus Magistratibus eduntur, tradit Pirih. *ad tit. de const. n. 81.* & ex eo Reissenst. *in proœm. n. 226.* qui etiam *n. seq.* multa exempla adducit, in quibus Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur. Atque ita dum leges non contradicunt canonibus, mixtim & leges & canones in utroque foro allegari utiliter, constat ex recepta tribunalium & Juris-Consultorum passim in utroque foro tales probationes adducentium & admittentium praxi. Cui favet *Can. si in adjutorium, dist. 10.* ubi: *si in adjutorium vestrum etiam terrenas leges Imperii assumendas putatis, non reprehendimus*, Unde si quandoque in materia spirituali leges civiles in foro canonico procedunt, non contingit id aliter, quam si expresse a SS. Canonibus approbentur & recipiantur. Engels *l. c.* Wiestner. *n. 162.*

3. Tertia. Dum contrarietas est inter utrumque Jus, nec attingit conscientiam vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, Judiciorum, contractuum &c. quodlibet Jus in suo foro servandum est, nimirum civile in terris Imperii sæcularis; Canonicum in terris summi Pontificis dominio temporali subjectis. Laym. *l. c. c. cum ad verum 6. dist. 96. c. venerabilem, qui filii sint legitimi.* Gl. *in c. ut quæstionibus v. lex civilis de Arbitr. in 6.* Abb. *n. 7.* In causis clericorum etiam temporalibus & extra territorium Romanum Pontificis juri canonico insistendum. *c. Clericis de foro compet.* qui tamen textus juxta Barbos. *in idem c. n. 5.* non procedit, dum clericus actor convenit Laicum. Eo quod sicut clericus actor sequitur forum Laici, ita & ejusdem fori leges sequi debet.

4. Quarta: ubi de re conscientiæ vel materia peccati agitur, si Jus Canonicum differt a civili; Standum & Juri Canonico, etiam in terris Imperii; & ab hoc leges civiles contrariæ corriguntur & abrogantur; *Can. certum est, constitutiones dist. 10.* Abb. *in c. 1. de nov. oper. nunc. n. 5.* Pirh. *ad tit. de constit. n. 69.* Wiestner. *in proœm. ad Jus Can. n. 159.* juxta quod generaliter dicitur *c. fin. de præscrip.* omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari &c. Exemplum hujus regulæ inter plura alia est *in c. ult. de præscript.* ubi corrigitur Jus civile permittens præscriptionem longissimi temporis cum mala fide.

5. Quinta: in materia Spirituali & Sacramentorum (qualis est beneficiorum, decimarum, oblationum, Juris patron. sepulturæ, votorum, juramentorum, causarum piarum &c.) neglecta juris civilis dispositione, universim recurrendum est ad Jus Canonicum *c. quanto c. decernimus, de Judiciis. c. tuam. de ordine cognat.* Hinc licet jure civili invalidum sit matrimonium filii familias contractum sine consensu parentum, in quorum potestate existit, Jure canonico tamen est validum.

6. Sexta. Leges civiles disponentes de personis & rebus ecclesiasticis ex defectu Jurisdictionis (siquidem Ecclesiæ, personæ & res ecclesiasticæ sunt extra limites jurisdictionis & potestatis sæcularis; ideoque de illis Princeps & Magistratus mere secularis nihil disponere potest. *Can. si Imperator. dist. 96. c. fin. de reb. Eccles. alien. L. privilegia. & Auth. cassa. C. de SS. Ecclesiis*) invalidæ reputantur. Idque licet favorem Ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum concernant. *c. denique cum seq. dist. 96. c. Ecclesia de constit.* Abb. paulo post citand. Laym. *n. 1.* ne prætextu favorabilis constitutionis Principes sæculares jurisdictionem in ecclesiasticos usurpent. Quod tamen ita intelligendum, si lex favorabilis continent aliquam obligationem seu mandatum & jurisdictionis speciem, pro ut fit in *L. jubemus. C. de SS. Ecclesiis &c.* dum enim nullam obligationem annexam habent leges civiles, sed sunt pure favorabiles & pura privilegia (quale, sunt *Auth. quas actiones. C. de SS. Ecclesiis*. Qua Romanæ Ecclesiæ centum annorum, ceteris autem Ecclesiis quadragenariæ præscriptionis privilegium conceditur. Item *Auth. ingressi C. de SS. Eccles.* qua bona ingredientium religionem, si intestati decedant, acquiruntur monasteriis) utique subsistunt, & observandæ sunt in utroque foro. Abb. *in c. Ecclesia. de const. n. 37.* Laym. *n. 2.* Ne quod in favorem Ecclesiarum est introductum, quod legibus sæcularium non subjaceant, in eorum odium retorqueatur, si nullo Principum sæcularium favore affici possent.

7. Septima. In Casibus mixti fori Judex ecclesiasticus canonico, Judex sæcularis civili jure decretas pœnas irrogat. Wiestner. *num. 163.* remittens ad *loc. cit. L. Vit. 2. on num. 97.*

QUÆ-

QUÆSTIO XXX.

Quid agendum, ubi jura videntur, vel etiam reipsa sunt sibi contra.

1. RESp. primo. Ante omnia jura juribus sunt conciliandа neque eorum correctio sine necessitate asserenda. *c. cum expediat. de Elect. in §. L. unic. de inofficios. dotib.* Cum enim lex debeat esse honesta, justa & constituta pro communi utilitate. *Can. erit autem dist.* 4. correctio jurium est odiosa. Unde si, sive in eadem juris Pontificii compilatione v. g. in Decretalibus Gregorii; sive inter diversas juris partes. v. g. inter dictas Decretales & Sextum Decretalium vel Clementinas apparere videatur aliqua contrarietas quæ non est prorsus manifesta, sed re penitius inspecta, commodam admittit interpretationem & conciliationem, salva verborum proprietate faciendam, hæc facienda est. In ea tamen conciliatione nunquam sine necessitate a propria verborum significatione est recedendum. Argum. *c. ad audientiam de decimis* & *ibi* Abb. *juncto c. ult. de verbor. signif.* Imo, ut hæc *L.* 1. *§. si it, qui navem ff. de Exercitator. action.* in re dubia melius est verbis edicti servire. Secus foret, ubi aliunde appareret de mente legislatoris. v. g. ex ratione per legem expressa; tunc enim standum menti illius etiam contra proprium significatum verborum. Argum. *L. cum pater §. dulcissimis ff. de legat.* ubi verba restringuuntur propter expressam rationem. Verba siquidem intentioni deserviunt, & non è contra. *c. secundo requiris. de appellat.* & *c. intelligentia de verborum signif.*

2. Resp. secundo. De cetero si contrarietas manifesta appareat, quæ conciliationem non admittat priores textus a posterioribus, sive sint ejusdem in compilationis libro, sive in diversis libris, correctos esse cum communi DD. dicendum est. Wiester. *in proœm. n.* 104. ad correctionem tamen jurium antiquorum requiri, ut quid in posteriore lege specialiter expressum inveniatur, habetur ex *c. Constitutio juncta gl. v. in casu de elect. in* 6. & *ex l. præcipimus, §. fin. c. de appellat.*

DECRETALIUM GREGORII IX.

LIBER PRIMUS.

QUÆSTIO XXXI.

Synoptica. Quæ & quo ordine in hoc Libro contineantur.

1. RESp. Postquam relicta tantisper dispositinne, qua ab aliis Jus universum tam civile quam canonicum juxta triplex objectum suum non incongrue ad tria capita revocatur; nempe ad personas, res & actiones, & harum singula subdividuntur; nimirum personæ in superiores sive Prælatos, quibus competit potestas jura condendi, condita tuendi, & juxta eorum præscripta subditos judicandi: & inferiores seu subditos, nempe in Clerum tam regularem quam sæcularem. Res in eas, quæ specialiter Clericis competunt, ut sunt beneficia & dignitates ecclesiasticæ; & quæ ad laicos tantum spectant, ut sunt sponsalia & matrimonium. Actiones seu judicia in civilia & criminalia. Compilatori harum Decretalium aliam immediatiorem jurium iis contentorum lubuit inire digestionem. Agere nimirum primo de Prælatis seu Judicibus ecclesiasticis. Dein de Judiciis potissimum civiliter intentatis. Tertio de personis rebusque earum ecclesiasticis; utpote circa quas dicta judicia exerceri solent. Quarto speciliter de matrimonio causisque matrimonialibus: ac denique de criminibus & processu criminali. Quæ omnia glossa eodem ordine complectitur hoc versiculo: præfixo Decretalium Gregorianarum proœmio:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

2. Librum itaque hunc primum, postquam, non secus ac Imperator Codicem suum, exorsus a fide Catholica & Orthodoxa, tanquam legum omnium, ac potissimum ecclesiasticarum, fundamento: postque traditam tribus titulis primis materiam legalem jura omnia pervagantem tanquam prima principia, agit de personarum ad prælaturas ecclesiasticas promotione, de earum renunciatione. De earum supplenda negligentia. De clericorum ordinatione & sacris unctionibus. De ordinandorum & præficiendorum qualitatibus. De officiorum variorum administratione ac munere. De Judicum ecclesiasticorum tam ordinariorum quam delegatorum potestate, & hinc orta eorum majoritate & obedientia iis debita. Ac dein pergit ad pactationes & transactiones. De Procuratoribus ad agendum, Syndicis similibusque, quibus negotia talia committuntur. Ac denique de remediis extraordinariis, quibus metum vel vim passis subvenitur, puta de restitutione in integrum &c. Ecce perbrevem tam totius Decretalium voluminis quam specialem Libri primi Synopsin.

TITULUS PRIMUS.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

QUÆSTIO XXXII.

Quæ contineat hic titulus.

1. RESp. Titulus hic, quoque reperitur in sexto Decretalium & Clementinis, absolvitur hic duobus capitibus, nimirum *c. firmit.* & *c. damnamus*. Utrumque est Decretalis Innocentii III. ab eo edita in Concilio generali Lateranensi quarto celebrato anno 1215. In prima asseritur & credendum proponitur mysterium SS. Trinitatis. Creatio utriusque substantiæ, nimirum spiritualis & corporeæ. Incarnatio Filii Dei, ejusdemque Passio, Resurrectio, Ascensus ad cælos, Descensus ad judicium. Una Ecclesia. Sacramenta Eucharistiæ, Baptismi, Pænitentiæ. In secunda pergit idem Pontifex cum Concilio dicto statuere, stabilire & explanare mysterium SS. Trinitatis; damnando inprimis ut hæresin errorem Joachimi Abbatis Florensis (non tamen damnando tanquam hæreticum ipsum Abbatem, utpote qui illi errori pertinaciter non inhæsit, sed scripta sua judicio & correctioni S. Sedis submisit, ut dicitur in ipsa Decretali) negantis contra Petrum Lombardum (quem propterea dictus Abbas hæreticum nominabat) Magistrum sententiarum. 1. *sentent. c.* 4. id asserentem. Dari in Deo summam aliquam rem, quæ sit Pater Filius & Spiritus S. sive essentiam, substantiam, naturam, quæ vere ac proprie communis tribus personis; ne alias, ut ajebat, non Trinitas, sed in Deo daretur quaternitas, scilicet tres personæ & dicta res summa seu una. Ac proinde in Deo admittentem non nisi unitatem aliquam impropriam ac collectitiam, nimirum, ut sicut multi homines unus sunt populus, ita Pater & Filius & Spiritus S. improprie tantum sint una natura per charitatem.

2. Damnat præterea sub finem decretalis hujus cujusdam Almarici Galli, patria Carnotensis, non tam ut hæretica quam ut insana dogmata perversissima; quæ etsi in specie non referantur (ob reventiam fortasis, ut putat Hostiensis aliquorum ejus discipulorum in Concilio illo præsentium) recensentur tamen aliqua a Jo. And. *in cit. c. damnamus. n.* 36. & ceter. *in Director. Inquisit. p.* 2. *q.* 7. vide de his etiam Wiestner. *ad h. t. n.* 9.

3. In *capite* vero *unico h. t. in sexto*. quod incipit: *Fideli*, & est Gregorii X. in generali Concilio secundo Lugdunensi celebrato anno 1274. astruitur, Spiritum S. ex Patre & Fi-

& Pilio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno, non duabus sed unica spiratione procedere.

4. Ac denique uoico h. t. in Clemeot. quod incipit: *Fidei Catholicæ*, & est Clementis V. in Concilio generali Vienoensi celebrato anno 1311. in quo decernitur Dei Filium in essentia Dei æternaliter subsistentem verum corpus humanum assumpsisse de Virgine, & in eo passum, & jam mortuum Lancea perforatum. Reprobatur deio tanquam doctrina hæretica, quæ docet, quod substantia animæ rationalis vere & per se non sit forma humani corporis. Ac denique asseritur, confitendum unum Baptisma, & approbatur per illud conferri etiam parvulis gratiam ac virtutes.

Atque hæc pauca ad titulum hunc primum dixisse sufficiat, profundissimorum mysteriorum SS. Triados & Iocarnationis, præcipuorum in eo contentorum explanatione accuratiore, uti & de fide tractatione Theologis tanquam eorundem propria relicta. Videri tamen etiam poterunt sat fuse hujus tituli materiam prosequentes ex recentioribus quidam, qui Jus Caoononicum universum complexi, puta P. Jacob Wiestner S. J. & P. P. Anacletus Reiffenstuel.

TITULUS SECUNDUS.

De Constitutionibus.

CAPUT PRIMUM.

De Constitutionis essentia. Ubi de ejus Promulgatione & Acceptatione.

QUÆSTIO XXXIII.

Quid vel significet seu importet Constitutio.

1. RESp. Constitutio, sic dicta a statuendo, in sensu ordioario solum legem positivam scriptam denotat. Jus enim naturæ, quod, ut Isidor. *in c. 7. dist.* 1. ex instinctu naturæ, non constitutione procedit: & consuetudo, quæ non de statuto sed moribus solum tracta est. *c. 4. dist.* 1. improprie *constitutio* diccrentur. Et quidem generaliter ac late accipitur pro omni jure humano scripto: specialiter vero ac stricte pro jure bumano scripto, quod vel Papa vel Imperator vel alius supremus Princeps statuit vel edicit *c. constitutio dist.* 2. Quamvis autem, ut dictum, constitutio generaliter pro omni jure humano scripto, usus, tamen hodiedum fere obtinuit, ut constitutiones Principum sæcularium potius quam summorum Pontificum vocentur leges. Azor *Inst. mor. p.* 1. *L.* 5. *q.* 3. desumpto hoc nominc *legis* sive a *legendo*; co quod leges olim solebant io publicis tabulis scribi, & populo legendæ proponi. Isidor. *L.* 1. *Etymol c.* 10. sive ab *eligendo*, quod ad recte vivendi usum eligant & proponant aptiora. Cicero *L.* 2. *de nat. Deorum*. sive a *ligando*; quod ad sui observantiam ligent & astriogant subditos. Thom. 1. 2. *q.* 90. *a.* 1. Quod *legum* appellatione jura civilia, & appellatione *canonum* veniant canooica.

QUÆSTIO XXXIV.

An idem vel diversam, & quid importent hæc nomina. Constitutio, Canon, decretum, decretalis epistola, dogma, statutum, mandatum, interdictum, Sanctio, Bulla, Breve.

1. RESp. Tametsi hæc nomina accepta latius sæpe ioter se confundantur & tanquam Synonima accipiantur pro eodem; atque ita constitutiones ecclesiasticæ appelleotur quandoque Canones, decreta, saoctiones, dogmata &c. Pirh. *ad h. t. sect.* 1. *§.* 1. patetque ex *c. si quis dogmat.* 25. *q.* 2. Strictius tamen accepta inter se differunt. Nam Primo *Constitutio* est quid generalius, & reliqua fere sub se complectitur.

2. *Canon* in sensu latiore sumitur pro omni constitutione ecclesiastica (quippe quæ norma est recte vivendi) sive ea fiat io Concilio, sive extra illud a solo Papa juxta illud *c. 1. h. t. canonum Statuta custodiantur ab omnibus*. Quin & ex larga significatione & in materia favorabili competit constitutioni capitulari. Tusch. *Lit. C. concl.* 23. *n.* 4. Barbos. *de appellat. verbor. Jur. V. canon.* Reiffenstuel. *in Jus Can. n.* 7. Strictius tamen acceptum hoc nomen importat constitutionem ecclesiasticam editam in Conciliu generali. *Can. Nicæn. dist.* 31. Abb. *in c. Canonum. h. t.* Et quamvis in Tridentino Canones fidei distinguuntur ab ejusdem decretis reformationis; tamen & hæc veniunt Caoonum nomine; ut constat in *proœm. sess.* 14. ubi: *hos, qui sequuntur, canones, statuendos & decernendos duxit*. Fagn. *in c. canonum statut. h. t.* convenire quo statutis in concilio provinciali notat Reiffenstuel. *n.* 8. *ex vocabular. Jur. v. Canon.* & argum. *can. de libelles dist.* 20.

3. *Decretum* (quod alias dicitur sententia Principis inter partes, de quarum ipse causa cognovit & sententiam dixit, vel interlocutus est. *L. si minor. ff. de minorib. & L. 1. de constit. Principum*.) hic sumitur pro eo, quod Papa statuit de consilio Cardinalium suorum ad nullius consultationem. Gl. *in sum. dist.* 20. *v. omnes* Fagn. *l. c. n.* 18. Sumitur tamen etiam modis aliis, ut videre est apud Durand. *in specul. tit. de* 1. *&* 2. *Decreto*. Uti & a Trident. usurpatur pro iis, quæ saluberrime ab eo pro reformatione morum statuta.

4. *Decretalis Epistola* idem fere est quod rescriptum, nimirum qua Papa ad consultationem alterius quædam statuit Glos. *l. c.* & scripto transmittit.

5. *Dogma* quemadmodum sumitur generaliter pro doctrina cujuscunque sectæ, juxta quod dicit S. Hieron. *in c.* 1. *Daniel. dogmata Philosophorum*. ita cum addito dogma fidei dicitur, quod tanquam articulus fidei definitum credendum proponitur.

6. *Statutum* ad distinctionem legis, quæ est supremorum Principum, & quod observandum statuitur ab inferioribus Principibus, civitatibus, populis in Principis potestate & ditione degentibus. Azor. *Instit. mor. par.* 1. *L.* 5. *c.* 1. *q.* 3.

7. *Mandatum* est constitutio ecclesiastica pertinens ad mores & disciplinam, *c. Mandamus de off. Archid. c. his igitur. dist.* 23.

8. *Interdictum* (quod hic non sumitur pro censura, sed pro constitutione ecclesiastica) est constitutio prohibitiva nulla adjecta pœna in Transgressores. Argum. *c. interdixit.* 32.

9. *Sanctio* est constitutio prohibitiva, irrogans simul certam pænam non obtemperantibus. Dicitur autem sanctio pragmatica, quod Imperator de consilio Procerum sanxit & statuit. *L. ult. C. de divers. rescript. c. pervenit. dist.* 100. Quamvis de cetcro hæc duo nomina *Sanctio* & *interdictum* multoties sumantur pro eodem, ut liquet, ex *Can. sancimus*. 12. *q.* 2. ubi etsi initium dicti Canonis importet sanctionem, oulla tamco pæna adjecta est. Ita observat Reiffenstuel *n.* 14. citato Fagn. *ubi ante*.

10. *Breve Apostolicum* (sic dictum ad distinctionem Brevium Pænitentiariæ, quæ ab hoc tribuoali expediuntur ut plurimum pro foro interno, quandoque etiam externo, circa absolutiones a censuris & dispensationes in quibusdam irregularitatibus & hujusmodi habentium diversam omnino formam & sigillum AA. paulo post citandi) sunt literæ Pontificiæ in membranis subtilibus & candidis charactere latino & nitido descriptæ, & a tergo cera rubra cordulis lineis inclusa, illitis, annuloque piscatorio, sic dicto ab insculptura S. Petri piscantis, signatæ, ac manu Secretarii subscriptæ. Dicuntur etiam alio numine

Litera

Litera in forma Brevis, voce jam antiquitus usurpata *l. 1. C. de Apoch. public.* quia verbis brevius in iis contenta describuntur. Vel etiam, quia in materiis brevius; seu breve negotium concernentibus conceduntur; dum in negotiis arduis communius Bullę expediuntur. Quanquam & illæ gratiæ excipiantur etiam in negotiis gravioribus quandoque a Papa concessæ, quæ regulis Cancellariæ vel ex stylo non exigunt literas sub plumbo: ac proinde expediuntur in forma Brevis. Rebuff. *in addit. ad Reg. Cancell. 24. §. Breve.* Card. de Luca *in relat. Curiæ Rom. disc. 7. n. 9.* & ex illis Reiffenstuel. *n. 16.*

11. *Bullæ* dicuntur literæ Apostolicæ expeditæ per Cancellariam sub plumbo seu sigillo plumbeo (habente ex una parte inscriptas imagines Apostolorum Petri & Pauli, ex altera nomen Pontificis regnantis) pendente ex chordulis, conscriptæ in membrana magis rudi antiquo charactere gallico (nimirum recepto & practicato a tempore, quo sedes Apostolica resedit Avennione in Galliis) Cardin. de Luca *l. c.* Rebuff. *ad Reg. 34. circa finem.* Reiffenstuel. *num. 17.* qui etiam ex eodem Rebuffo & Felin. *in cap. postulationi de rescript.* addit, praxin habere, quod si Bulla expediatur in materia gratiæ, sigillum pendeat chorda serica. Si in materia justitiæ, seu contentiosa, ex chorda de canabe. Hodiedum verò (pro quo citat Vincent. de Justis *dispensat. matrimon. l. 1. c. 1. n. 299.* Vivian. *de Jurep. p. 2. l. 13 cap. 5.*) ubi Bullæ gratiæ expeditæ in forma gratiosa habeant chordulas ex serico rubri vel crocei coloris: si verò in forma *Dignum*, uti & Bullæ matrimoniales chordulas habeant ex canabe. Porro tametsi Brevia Apostolica rite confecta tantam vim habeant im materiis, in quibus conficiuntur, quantum Bullæ in ceteris materiis, distinguuntur tamen, ut patet ex dictis ex forma scriptionis & sigilli; item ex loco, in quo expediuntur; dum Bullæ expediuntur per cancellariam; Brevia per Secretariam Apostolicam. Hoc utriusque commune, quod sigillum sit ultimum consummativum literarum Apostolicarum ante cujus expeditionem hæ necdum expeditæ censeantur *c. Licet de crimine falsi.* Et si Filum seu chorda in totum sit rupta, Bulla non probet amplius. Rebuff. *l. c.* gl. magna *in c. Nobilissimus. dist. 97.*

QUÆSTIO XXXV.

Qualiter constitutio accepta generaliter & confusa cum lege humana scripta, uti in hac rubrica accipitur, sit definienda?

RESP. Diversas, vel in ipso Jure, reperiri constitutionis seu legis hoc modo acceptæ definitiones. Communior & receptior est illa allata a D. Thom. *1. 2. q. 9. a. 4.* quod sit ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. Ita ut lex includat actum intellectus, quo is judicet, id, quod præcipere vel prohibere intendit legislator conducere Reip. & expedire, ut ab omnibus observetur. Nam absque dicto judicio, nec prudenter nec justè præcipere potuit adeoque eo deficiente, lex deficiat; quia vim obligandi non haberet, utpote injusta; Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 1. n. 2.* Dein actum voluntatis, quo id, quod judicavit expedire, amplectatur, & velit à subditis observari. Ac denique ipsum imperium seu signu aliquo externo subditis facta intimatio dictæ voluntatis suæ. Ita ferè Suar. *l. 1. de LL. c. 4. n. 2. & c. 5. per totum.* Cui tamen in data definitione potissimum obstare videtur; quòd in ea non satis exprimatur perpetuitas & stabilitas, quæ ad rationem legis requiritur. Cùm Prælatus ordinare possit subditos secundum rectam rationem ad aliquid agendum, sufficienter proponendo communitati voluntatem suam: & tamen non ferre legem. Quia id totum convenit præcepto lato pro unico actu ad unum diem. Quare Suar. *c. 12. n. 4.* sic legem definit distinctius exprimendo ferè omnia ejus essentialia: quòd sit præceptum commune, justum, (subintelligo stabile a republ. humana aut homine communitatis humanæ curam gerente) latum & sufficienter promulgatum.

QUÆSTIO XXXVI.

Quid intelligatur hic per præceptum commune?

1. RESP. Præceptum, quod quatenus hic loco generis stat, significat ordinationem habentem vim obligativam, ut distinguatur a consilio, quod proficisci potest a non superiore, & absque eo, quod inducat obligationem exequendi illud, quod consulitur; qua subditus ordinatur ad faciendum omittendumve aliquid.

2. Dicitur essentialiter lex *præceptum commune l. 1. ff. de LL.* non tantum quia communi consensu seu authoritate, vel etiam quia pro bono communi lata; sed quia Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur *l. 8. ff. de LL.* hoc est, pluribus; & his quidem tanquam communitati perfectæ. Quæ describitur esse multitudo creaturarum intellectualium communi quodam vinculo, sive naturæ sive juris, sive ordinis ad aliquem conjuncta, capaxque gubernationis politicæ, ab eo, qui potestate jurisdictionis ei præest. Qualem proinde conficiunt regna, civitates, pagi, religiones, confraternitates, capitula: non vero domus una, seu familia æconomica, cui potestate solùm dominativa præest paterfamilias. Atque ita adhuc communitati perfectæ dicuntur ferri leges, dum feruntur pro una parte, pro unico vico civitatis. Et aliæ pro Judæis, pro Gallis, Hispanis, Mercatoribus, Studiosis &c. in eadem urbe morantibus, eandemque communitatem constantibus. Tametsi enim tales partes communitatis non sint communitates perfectæ, respectivè nimirum ad communitatem totam seu civitatem, quam integrant: sunt tamen tales absolute & secundum se, quatenus in tali etiam parte est sufficiens communitas, sufficiensque fundamentum ad perpetuitatem legis, & ut procedat ex jurisdictione politica. Quin etiam lex, quæ fertur pro una tantum persona contenta in tali communitate, v. g. pro Prætore, Secretario, aliove simili officiali, vel ex eo dicitur adhuc habere hanc universalitatem requisitam, quod non respiciat hanc solam individuam personam, sed omnes ei in illo officio successuros.

3. Jam vero necesse non est, legem constitui communitati collectivè, uti quandoque fit, dum prohibetur vel præcipitur actus, qui non nisi a communitate ut communitas seu unum corpus politicum est, & dicitur una persona ficta; sed vel collectivè, vel distributivè, id est, ab omnibus & singulis de communitate servandus. Quamvis, & dum lex aliqua fertur communitati collectivè, in tantùm feratur simul distributivè, in quantùm per illam obligantur singuli de illa communitate ad non operandum vel cooperandum contra talem legem. Suar. *hoc c. 6. n. 17.*

4. Porro ratio hujus universalitatis ad legem requisitæ non est alia, quàm communis acceptio hujus vocis *lex*; utpote qua homines non utuntur ad significandum præceptum aliquod, uni tantum personæ impositum. Cui communi acceptioni non obstat, quòd pauci cum glossa sentiant contrarium. Dum autem *l. 1. ff. de constitut. Princip.* admittuntur leges personales, eæ sunt privilegiorum, quæ quidem versantur aliquo modo circa commoda particularium personarum; nihilominus tamen, quatenus præcipiunt aliquid feruntur ad communitatem subditosque omnes legislatoris, obligantis illos ad servandam, seu ad non lædendam talem vel talem immunitatem tali personæ concessam. Dum Canones distinguere solent inter legem privatam & publicam, hancque imponi dicunt communitati, illam privatæ personæ, legem privatam accipiunt pro voto facto ex speciali inspiratione, aut pro ipsa inspiratione, qua quis specialiter vocatur ad altius aliquod bonum. Quę non nisi metaphoricè lex scripta in cordibus hominum dicitur. Suar. *l. c. n. 15.* Denique dum D. Thom. ait, particulare præceptum relatum ad bonum commune induere rationem legis, loquitur de præcepto particulari, non ex parte personæ, cui imponitur, sed ex parte operis, de quo in particulari datur.

QUÆSTIO XXXVII.

Quid intelligatur per ri justum?

1. RESP. primò. Intelligi, quod lex debeat esse honesta objectivè, hoc est, ut ejus objectum sit tale, ut subditus illud honestè possit exequi. Nemo enim ad faciendum malum morale seu operandum inhonestè obligari potest.

Sed nec Deus summa bonitas & sanctitas præcipere inhonesta, aut dare jurisdictionem ad talia præcipienda potest: multoque minus Resp. aut Princeps. Unde leges permittentes meretrices & fornicationem objectum non habent inhonestum; cum earum objectum non sit opus malum operabile; sed ut permissibile, vel melius secundum Arriagam negatio punitionis illius operis mali, quæ impunitas non est intrinsece mala; sed sæpe bona & necessaria, eo quod expediat communitati aliqua minora impunita relinquere; ne majora committantur.

2. Resp. secundo. Intelligi, quod objectum debeat esse tale, ut in obligatione ad exequendum illud non fiat subditis injuria, sive ut imperando non peccetur contra Justitiam. Lex enim esse non videtur, quæ justa non fuerit. S. August. *L. 1. de libert. arbitr. c. 5.* & quod jure fit, juste fit. Quod autem fit injuste, nec jure fieri potest; non enim jura putanda sunt vel dicenda iniqua hominum constituta. Idem *L. 19. de civitat. c. 21.* Imprimis itaque in ferenda lege peccari non debet contra Justitiam Legalem, nocendo bono communi. Si enim de essentia legis est, ut quantumcunque etiam legislator in condendis legibus prava abripiatur intentione commodi proprii aut alterius privati, ea respiciat & cedat in bonum communitatis juxta illud legis decemviralis: *Salus populi suprema lex esto*: & juxta quod potestas legislativa & gubernativa aliter collata non fuit, neque a Deo, neque a subditis aut Republ. in Principem, quam propter commune bonum; multo magis de ejus essentia est non cedere in detrimentum boni communis. Qualiter, quantum est ex hoc capite, justæ leges sunt privilegia edictaque quædam Principum concepta in favorem personæ alicujus, seu familiæ privatæ; non enim contrariantur bono communi; sed potius ei positive suffragantur. Siquidem cedit in non leve Reip. bonum, dum per similium privilegiorum collationes factas aliquibus ob rem præclare gestam excitantur ceteri ad similia audenda, cumque unaquæque persona sit pars communitatis, bonum uniuscujusque, quod non redundat in damnum aliorum, bonum est totius communitatis. Dum vero eidem Principi subsunt diversæ provinciæ seu communitates, quæ non componunt inter se unum corpus politicum, injustum erit, iisdem legibus eas communitates obligare, si talis obligatio uni tali communitati foret utilis, & alteri nociva. Comparantur enim tunc non ut bonum commune & particulare, quod alias isti cedere debet; sed ut duo bona communia, & ac si essent sub diversis Principibus constituta, nisi tamen forte bonum unius cederet indirecte in bonum alterius: poterit enim tunc gravari una istarum communitatum in bonum alterius; quia vel sic lex directe gravans hanc communitatem non est absolute ei nociva, sed proficua.

3. Dein non peccatur contra Justitiam commutativam cum enim neque DEUS neque resp. det Principi jurisdictionem ad inferendam alteri injuriam; neque etiam per jurisdictionem talem legislator acquisierit dominium rerum privatarum spectantium ad subditos, non poterit Princeps etiam supremus absque justa causa (secus, si hæc adsit, v. g. bono communi sic exigente, ut habet communis apud Felin *in c. qua Ecclesiarum 7. h.* t. *n.* 26. Abb. *ibidem* & alios passim) statuere vel decernere aliquid cum præjudicio seu diminutione juris aliorum, etiam subditorum, juxta communem & certam AA. citati. Habetque id ipsum locum, etiamsi jus & dominium Rei solo jure positivo & humano, scilicet beneficio præscriptionis sit acquisitum, Pirb. *h. t. sect.* 1. *§.* 3. *n.* 20. Abb. *l. c.* contra Felin. *l. c.* licet facilius possit Princeps statuendo præjudicare huic juri quam juri acquisito jure naturali vel gentium; cum jus positivum, non vero jus naturale aut gentium mutare possit. Pirb. *l. c.* Laym. *n.* 11. uti & facilius minoreque ex causa statuendo derogare potest juri alterius tantum in spe seu acquirendo. Gail. *L.* 2. *observat.* 142. *n.* 14. V. g. patre consentiente, legitimare ejus filium illegitimum in præjudicium juris aliorum liberorum, quod ii non nisi in spe seu tantum acquirendum habent in bonis paternis dum è contra non nisi ex causa gravi & ob publicam necessitatem illum legitimare potest post mortem Patris; eo quod jam hæreditas patris filiis legitimis est delata & acquisita, quæ illis jure naturali & gentium debetur, exclusis illegitimis. Covar. *L.* 3. *resol.* r. 6. *n.* 2. Gail. *l. c.* Hinc jam Papa, etsi liberam plenamque habeat potestatem disponendi de beneficiis ecclesiasticis. *c.* 2 *de preb. in* 6. uti & de aliis bonis & redditibus ecclesiarum; adeoque possit valide, & si adest justa causa, etiam licite statuere, transferendo ea ab una ecclesia ad aliam. Felin. *in c. qua in ecclesiarum h.* t. non potest tamen statuere de redditibus Ecclesiasticorum non superfluis, quorum dominium & proprietas ad ipsos Clericos spectat; multoque minus de eorum bonis patrimonialibus. Laym. *in cit. c. n.* 12. apud Pirh. *ad h. t. Sect.* 1. *§.* 2. *n.* 23. Item licet Princeps concessa subditis privilegia, etiam sine causa revocare potest, etiamsi jam jus illis quæsitum sit. (Secus tamen, etiam est, si per modum contractus concessa fuerit; uti conceduntur feuda, quæ non sunt beneficium mere gratuitum. Felin. *in c. qua ecclesiarum n.* 51. lib. 6. *ibid.* Gail. *observat.* 55. *n.* 6.) non potest tamen juri acquisito & adjudicato per justam Judicis sententiam, rescissa sententia, præjudicare. Laym. *in cit. c. quæ ecclesiar. n.* 11. Adeoque invalidum etiam est impetratum a Principe rescriptum contra sententiam, quæ transiit in rem judicatam, quia ab illa non fuit appellatum *L. ult. C. sententiam rescindi non posse. L. causas C. d. transaction.* Etiamsi adjecta sit clausula: *non obstante tali sententia* Gail. apud Pirh. *loc. cit.* Unde jam, cum Principis & legislatoris officium sit, colere Justitiam, & subditis jus reddere, ejus rescripta Justitiæ semper hanc tacitam clausulam: *Salvo jure alterius*: vel *sine præjudicio alterius*. habent, hoc est, ita intelligenda sunt, ut nemini injuriam faciant. *L. ex facto ff. de vulgari substitut. L.* 2. *§. si quis a Principe ff. ne quid in loco publ.* Quin &, dum dubium est, utrum Princeps Supremus ex plenitudine potestatis ob causam publicam urgentem voluerit statuendo derogare juri subditorum (uti potest juxta communem) præsumendum non est, quod id voluerit. *cit. L.* 2. *§. eod.* quodve ea potestate sua absoluta uti voluerit, nisi id exprimat. *c. innotuit de Elect.* Gail. *observ.* 58. *num.* 9. Ubi tamen id eum voluisse constiterit, præsumendum est ex justa causa ab eo factum fuisse. Abb. *in cit. c. qua Ecclesiar. num.* 14.

4. Denique per τὸ *justum* intelligitur, ut non peccetur in ferenda lege contra Justitiam distributivam, imperando v. g. onera non servata æqualitate proportionali imponendo quibusdam legem & non aliis, ad quos tamen æque pertinet materia legis dum non adest rationabilis causa talis exceptionis. Tales enim potius sunt violentiæ quam leges, & ideo non obligant in conscientia. D. Thom. apud Suar. *hic L.* 1. *c.* 9. *n.* 14. Quod tamen ita limitandum putat idem Suar. si tanta sit improportio & inæqualitas legis, ut redundet in detrimentum commune, & in grave injustumque onus plurium membrorum communitatis. Si autem lex faciens exceptionem aliquam iniquam, de se sit adhuc utilis, putat non esse omnino nullam, aut cessare obligare alios; eo quod iis proprie non fiat injustitia positiva; sed solum improportio quædam respectu aliorum totiusque communitatis. Et licet ea quorundam exceptione graventur alii ultra æquitatem, quo ad excessum illum non obliget; posset tamen obligare quo ad aliud, in quo non est injusta.

Porro illud hic generaliter observandum, in dubio, an materia legis sit honesta & juste imperabilis, teneri subditum obedire; quia legislator est in possessione imperandi, & subditus non est in possessione contra illum; sed potius in possessione subjectionis erga illum. Et in summa, cum definire, quando defectus ex hac parte commissus sit substantialis, pendeat ex prudente judicio, hoc oportere esse valde certum, & injustitiam claram ad hoc, ut ex hac parte lex censeri possit nulla. Suar. *l. c.* Quin &, dum certe est injustitia, aliunde quandoque obligari subditum, nimirum ad vitandum scandalum, etiam cum detrimento aliquo temporali. *c.* 2. *de præscript.* & *ibi* Canonistæ. Abb. *in c. de constit. n.* 9.

QUÆSTIO XXXVIII.

An & qualis stabilitas seu perpetuitas sit de essentia constitutionis seu legis.

1. Resp. Ad primum. Statutum, constitutio, lex essentialiter est stabilis & suo modo perpetua. Cl. *penult. in fin. in c. a nobis* 1. *de sent. excom.* Abb. *ibid. n.* 12. Card. *in c. perpendimus tit. eod.* Bartol. *in L. omnes populi ff. de jure & Just.* Fertur enim lex pro communitate quæ de se perpetua est, & propter bonum commune, quod etiam debet esse stabile. Suntque ad rectam Reip. gubernationem necessaria præcepta stabilia, quæ sint certæ & permanentes Regulæ operationum. Hæc autem præcepta veniunt nomine legum juxta usum jurium & DD. Suar. *l. c. C.* 10. *n.* 15.

2. Resp. Secundo, non tamen de essentia, nec conditio essentialis legis, aut constitutionis est actualis ejus perpetuitas, seu ut ea actu duret perpetuo, vel ad longum tempus.

tempus. Quid enim vetat, veram legem hodie latam cras ab eodem Legislatore vel ejus Successore ob justas causas abrogari? sed perpetuitas aptitudinalis & in actu primo; hoc est, ut cum vi semper durandi feratur. Adeoque non exspiret vel morte legislatoris, vel etiam eorum, quibus in præsenti lata est: sed indefinitè lata sine restrictione ad tempus aliquod, aut etiam præsentes tantum tunc existentes, pergat etiam post horum fata obligare successores illius communitatis, cui lata est, usque dum (si positiva est) vel revocetur, vel mutatione causæ aut materiæ desinat esse justa vel utilis. Dum e contra præceptum purum regulariter loquendo expiret morte mandantis physica vel civili, hoc est, dum hic desungitur officio. Abb. *in c. irrefragabili de off. Jud. ordinar.* Sylv. *v. mandatum q. 3. & v. delegatus q. 6.* Quod verum est non tantum de præcepto dato singulari personæ, sed etiam dato communitati in bonum illius. Menoch. *de arbitr. l. 1. q. 69.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 27. cap. 2.* Quamvis tamen etiam in particularibus quibusdam casibus præceptum non statim expiret a morte mandantis: ut videre est in mandato ad pias causas, dum quis v. gr. mandavit dare eleemosynam: aut etiam in mandato facto in favorem dotis & Scholasticorum. Item, dum is, qui potestatem legislativam habet, aliter statuisset. Quemadmodum apud Arriagam *de LL. d. 3. S. 1.* Mutius Vitelescus Societatis Jesu Generalis statuit, ut præcepta, etiam particularia a quocunque Superiore imposita privatæ personæ, etiam post mortem vel depositionem ab officio superioris mandantis durent, donec revocentur a Successore. An verò simili modo validè possit disponere, qui non habet potestatem legislativam, sed tantum præceptivam, ut nimirum præceptum suum duret post mortem suam, usque dum a Successore revocetur, de hoc loquam dubitat Suar. Porro dum legislator ipse ferret præceptum, declarans, velle se, ut duret tantum pro tempore vitæ suæ, non fore illud veram & simpliciter dictam legem, qualiter nunc significatur hoc nomine absolutè sumpto, sed secundum quid & analogice, & uti tunc legislatorem non potestate legislativa, sed præceptiva, vult Suarez.

Unde etiam de Regulis Cancellariæ multi apud Gomez *in proœm. ad Reg. Cancell.* & Felinum *in c. ex parte de rescript. nu. fin.* censent non esse proprie leges: vel si per modum legum & Constitutionum ferantur, modus durationis, ut vult Suarez, ex se perpetuus est, licet ex speciali Papæ declaratione forte aliquam limitationem habeant. Dum autem *c. 1. d.* 29. dicuntur leges quædam temporales, non significatur; quòd non sint de se perpetuæ; sed quod judicandæ, intelligendæ & interpretandæ sint, attenta ratione temporum & locorum, in quibus latæ. Sed nec *Extravag. ad regimen inter communes* reservatio illa, quam valde amplam fecit Benedictus XII. circa promissionem Præbendarum & Beneficiorum tantum pro tempore vitæ suæ, rationem veræ Constitutionis habet; quia ex parte materiæ, quæ temporalis fuit, certam durationem habuit. Vocatur autem ideo ab ipso hoc Pontifice *constitutio*; quia voluit illam pro illo tempore habere vim & stabilitatem legis.

3. Atque ex his jam vides, qualiter lex distinguatur a simplice præcepto, utpote quod datum non per modum constitutionis; sed tendens ad personas singulares, cum iis plerumque extinguitur, nec ad earum successores transit. (dito plerumque: nam si Princeps præciperet aliquid generaliter omnibus, sed tantum ad dies vitæ suæ, illud præceptum, vivente illo Principe, transiret ad subditorum illorum successores) lex vero non tantum loquitur ad præsentes, sed & ad futuros juxta illud L. Leges. C. de LL. & c. ult. h. t. *Leges & constitutiones futuris certum est dare formam negotiis.* Item lex, ut dictum, etiam post mortem legislatoris vim suam habet. Præceptum simplex exspirat morte præcipientis & absque nova revocatione cessat cessante vita illius aut officio. Laym. *in c. gratum n. 6. de off. deleg.* juxta dicta n. præced.

QUÆSTIO XXXIX.

***Quid importent verba illa*: sufficienter promulgata.**

1. **R**Esp. Intelligitur, quòd ad hoc, ut lex obliget, debeat esse intimata & manifestata subditis memorata legislatoris voluntas juxta illud *Can. 3. dist. 4. leges instituuntur, cùm promulgantur.* Et sufficienter quidem, hoc est, imprimis solenniter promulgata (de quo tamen dubin expressius & fusius *q. seq.*) dein ita proposita, ut legis dispositio & mens legislatoris minimè sed clara & distincta

appareat, ne, ut Isidor. *l. 2. Etymol. c. 10.* relatus *Can. 2. dist. 4.* aliquid per obscuritatem vel captionem contineat. Et licet Suarez *loc. cit. c. 11. n. 1.* doceat, pertinere ad perfectionem, non verò ad substantiam legis, quod ita sit manifesta, ut in ea nullum sit dubium; cum vix diligentia ulla humana ab earum conditoribus id evitari possit. Nihilominus efficaciam & vim obligandi non habere legem, cujus post accuratæ investigationis diligentiam apud interpretes & DD. varii & ambigui sunt intellectus, astruit Wiestner *ad jus Can. num. 12.* cum quod multipliciter intelligitur, ejus veritas ignoretur, juxta Baldum, *in l. data opera. Cod. de his, qui accus.* Unde etiam lex istiusmodi multiplicis ac dubii intellectus ad causarum decisionem allegari utiliter nequeat juxta Bartol. *in l. in ambiguo, ff. de reb. dub. num. 2.* Quin & in praxi aliquem, qui unum ejusmodi talis legis dubię sensum secutus est, violatæ legis reum & pœnæ obnoxium haberi non posse, nisi postea, eo sensu rejecto alius seosus legitima authoritate usuque approbatus sit & receptus, ait Wiestner *num. 13. argum. c. Capellanus de Feriis*, ac citans pro hoc Abb. *in idem cap. n. 6.* Barbos. *n. 4.* & Gl. *v. alii*.

2. Atque, his omnibus perpensis, deprehendes, datam a Suarez legis definitionem continere omnes, quas ad *legem requirit* Isidor. *l. c.* cum ait: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, patriæ consuetudinem loco temporique conveniens. Necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta &c.* Etsi earum qualitatum requisitarum aliquæ videantur a Suarez omissæ Erit enim possibilis secundum naturam, hoc est, quæ spectata fragilitate & communi hominum conditione, a majore saltem parte communitatis prudenter sperari potest observanda (& qualis v. g. non esset quæ pueris ac senibus æquè præciperet jejunium quadragesimale, vel etiam aliis in pane & aqua) si sit honesta & justa; nihil enim honestum & justum est impossibile, & impossibilium nulla est obligatio, *l. impossibilium, ff. de Reg. jur. & Reg. jur. 6. in 6.* Et quidquid contra bonos mores & rationem militat, de jure censetur impossibile, *leg. filius, ff. de Condition.* Erit utique secundum consuetudinem, intellige honestam, dum honesta est; inhonesta enim consuetudo potius lege corrigenda & tollenda quàm observanda a legislatore. Suarez *cap. 9. n. 17.* Erit quoque conveniens loco & tempori, si justa est. Cum enim non eædem actiones omni tempori & loco conveniant, non nisi justè & prudenter præcipi possunt, nisi congruentes tali tempori & loco. Ac proinde hæ circumstantiæ in omni lege actionem aliquam communitati præcipiente ante oculos a legislatore habendæ, ut D. August. *l. 3. confess. c. 37.* Quin & ut Suarez. *loc. c.* ex ponderatione harum circumstantiarum deprehenditur, an actio lege præcepta vel prohibita sit possibilis. Erit quoque necessaria, intellige, ad malum aliquod impediendum vel tollendum, vel ad emolumentum communitatis promovendum, si justa fuerit. Cum enim lex inducat obligationem & onus, quæ rationabiliter non imponuntur, nisi exigente necessitate vel suadente utilitate, non nisi id exigente tali necessitate ferri lex justè poterit. Ac denique satis in eo, quod sit justa, & non contra justitiam legalem includitur, quod nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate debeat esse conscripta.

QUÆSTIO XL.

Utrum de facto ad hoc, ut constitutio vim habeat obligandi de se completam, requiratur ejus promulgatio externa & publica, & utrum ea sit de ipsa legis substantia seu essentia.

1. **R**Esp. Ad primum affirmative juxta illud: *leges instituuntur, dum promulgantur:* Constat ex utroque Jure, ex ipsa voluntate legislatorum seu ex ipsa determinatione Principum non obligare leges humanas tam canonicas, quam civiles, nisi adhibita aliqua solenni promulgatione. Quidquid sit de eo, utrum hoc ideo velint, quia aliter non possunt, eo quòd aliter iis jurisdictio a Deo vel Rep. collata non fuerit, quam cum hac limitatione, ut si velint obligare subditos, manifestent exterius hanc suam volitionem hac vel illa solennitate: uti de facto contigisse, non incongruè præsumitur vel ex hoc, quod lex sit regula publica totius communitatis; Adeoque conveniens sit, ut ea sensibili applicatione applicetur toti communitati,

hoc est, ita uno actu publicetur, ut dein omnia communitatis membra facile in ejus notitiam devenire possint. Cum interim negari non possit, potuisse Remp. tali modo dare legislatori jurisdictionem, ut, si vellet, obligaret subditos, cum primum illis constaret de ejus volitione, etiam sine solenni promulgatione. In quo casu adhuc mansisset in potestate legislatoris ita statuere leges, ut nolit eas obligare, nisi sub hac vel illa solennitate promulgarentur; cum non teneatur obligare subditos omni eo modo, quo potest.

2. Unde jam recte primo infert Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 10.* cum Azor. *p. 1. lib. 5. c. 3. q. 7.* Bonacina *de LL. d. 1. p. 4. nu. 13.* & aliis, legem quoque revocatoriam antiquæ legis egere publicatione, ut vi illius lex antiqua abrogetur. Licet enim hæc quoque cessaret præcise per hoc, quod legislator nollet, eam amplius obligare, hac sua nolitione nullatenus etiam manifestata (qualiter nunquam censetur legislator velle suam legem non obligare, quousque revocationem publicet) non tamen cessaret in eo casu lex authenticè & per legem revocatoriam, sed per defectum alicujus constitutivi legis.

3. Infert secundo idem Castrop. *l. c. n. 4.* citans Suarez *de LL. l. 3. c. 15. n. 17.* Bonac. *de LL. d. 1. p. 4. n. 12.* requiri quoque publicationem juridicam declarationis factæ a Principe super lege sua jam ante lata, ut hæc declaratio obliget. Quia in quantum tali declaratione Princeps vult omnes teneri ad legem suam in sensu a se declarato observandam, necesse est eam publicari; siquidem sine hac publicatione facta communitati hæc voluntas vim obligandi non haberet, velletque obtemperari legi a se constitutæ in sensu legis a se ignorato. Idem quoque esse de rescriptis seu epistolis & responsis Principum, in quantum constituunt legem proprie dictam; sive ea sint constitutiva novi juris, sive declaratoria juris jam ante a se vel prædecessoribus suis conditi, tradunt iidem AA. *LL. cit.* Tametsi his contrarium astruat Reissenstuel *in proœm. ad Jus Can. nu. 132.* occasione Declarationum S. Congr. Card. Conc. Trident. ubi ait: quod requiratur promulgatio procedit in legibus, quę novum jus constituunt: non item in declarationibus legum quæ legibus ipsis intrinsece insunt, ac proinde non faciunt jus novum, sed solummodo jus, quod prius erat, manifestant atque declarant. Hujusmodi enim Declarationes, cum contineant meram legis jam præexistentis explicationem, retrotrahuntur ad tempus conditæ legis, atque huic jam a principio inesse & infuisse censentur, & juxta ipsas leges semper fuit intelligenda. Gl. *in c. sicut nobis v. respondemus de verb. signif.* ac desumitur ex *Authentic. de raptis mulier. §. fin. collat. 9.* ubi Imperator de tali legum suarum declaratione loquens ait: *Quam interpretationem non in futuris solum casibus; verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum tali promulgatione fuisset a nobis &c.* Concordat textus *l. ita fidei ff. de jure Fisci* ubi: non tantum legem circumvenire voluit, sed etiam interpretationem legis; ita verbo tenus Reissenstuel.

4. Quin etiam inferunt probabiliter aliqui, quòd non sit mens Papæ irritantis contractus ex natura rei validos & licitos, prius irritare respectu ignoranter eos celebrantium, quam in unaquaque Diœcesi sit sufficienter promulgata lex irritans, aut alia via potuerit ad omnium notitiam pervenire. Ita Crimer. *ad l. 1. decret. n. 116.* citans Molin. *tr. 2. de just. d. 395.* addens quoque rationem: quod nullus legum conditor intendat legem condere sine eo, quod est de substantia omnis legis seu juris in quantum obligantis; quale quid est notitia legis hausta ex publicatione illius. Verum de hoc statuens melius ex dicendis infra.

5. Infertur tertio, consiliarium Principis, qui fuisset in consilio, in quo lex lata & jam scripto consignata v. g. de valore monetæ minuendo, adhuc ante publicam illius legis promulgationem posse monetam suam juxta valorem currentem distrahere. Idem est, si quis in typographio vidisset talem legem Principis consignari. Castrop. *l. c.* Menoch. *de arbitr. casu 185. n. 22.* & alii apud illum contra Felin. *in c. cognoscentes col. 4.* Farinac. *v. constitutio. n. 647.*

6. Infertur denique; quod si lex coram paucis ita promulgetur, ut communitas tota moraliter in ejus notitiam venire nequeat, ne quidem illos, qui tali promulgationi interfuerunt, obligari.

7. Resp. Ad secundum etiam affirmativè. Eo ipso enim, quod legislator non velit voluntatem suam habere vim obligandi, prius quam ea publice & solenniter promulgata fuerit, non vult eam esse legem; adeoque sola hac promulgatione deficiente, ceterisque omnibus positis; nimirum, quod hæc voluntas concepta sit ab habente authoritatem, versetur circa bonum commune, materiam honestam, possibilem &c. deficiet lex, tanquam sublata parte sui intrinseca; promulgatione autem illa posita cum tali volitione, consurget & complebitur vis ipsa obligandi omnes, quantum est de se, etiam eos, qui hanc promulgationem inculpabiliter ignorant, quamvis hi transgrediantur legem non nisi materialiter ex defectu notitiæ & privatæ sibi factæ intimationis legis. Quæ proinde privata intimatio, supposita jam promulgatione publica, non erit nisi mera conditio ad hoc, ut quis in actu secundo obligetur.

8 Jam vero his binis responsionibus nequaquam adversatur primo, quod Regulæ Cancellariæ vere sint leges, & tamen obligent ante sui publicationem cum Pontifices eas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, observari velint, ut habet præfatio ad has Regulas. Nam ante publicationem obligant solum quo ad nullitatem actus in contrarium gesti, & ut ita Judices pronuncient: non quo ad culpam & pœnam. Engels *tit. de prob. n. 17.* Neque secundo, quod dicitur *c. 1. de postulat.* Legem obligare, si solenniter editur, aut publice promulgatur. Nam non est cum Ab. *in cit. C. n. 10.* particula *aut* accipienda disjunctive, ut hic fiat sensus: ad obligationem legis vel requiritur & sufficit ut solenniter edatur in consistorio seu consilio Principis: vel ut sine solennitate edita seu concepta a Principe promulgetur publice: sed potius cum Suar. *hic l. 3. c. 16. n. 2.* editio solennis, & publica legis promulgatio accipienda pro æquipollentibus; ita ut *τo aut* idem significet quod *seu*. Vel certe, ubi hæc duo distinguuntur, fiuntque diversis actionibus & temporibus, necesse est, ut utrumque concurrat; atque ita *τo aut* accipiatur copulative, ut volunt Hostiens. *ad cit. c. n. 21.* Navar. Bonac. apud Castrop. *l. c.* sensusque hic fiat: ut lex obliget, debet solenniter edi & publice promulgari; nequaquam autem sufficiet talis solennis editio. Quæ enim solennior tunc editio legis esse posset, quàm dum ea statuitur; & ore omnium editur in Concilio generali? & tamen hæc non obligaret, usque dum secuta publica promulgatio. Si autem talis solennis editio legis fieret in conspectu totius populi, hæc sola sufficeret; quia includeret, imo esset simul realiter ipsa publica promulgatio. Et de tali editione legis, quod ea præter se non requirat aliam promulgationem, loqui Abbatem, existimat Suarez *l. c.* qui tamen *n. 3.* hanc facit differentiam inter promulgationem & divulgationem legis; quod promulgatio sit publica illa propositio seu denunciatio legis, quę fit aut voce præconis, aut per affixionem legis scriptæ in loco publico, similive alio modo. Divulgationem vero appellat applicationem illius primæ promulgationis ad notitiam & aures subditorum absentium, qui aut legere aut audire illam primam promulgationem non potuerunt.

QUÆSTIO XLI.

Qualis in genere & ex natura rei requiratur promulgatio constitutionis.

1. RESp. Primo, ex natura rei publicationem illam debere esse talem, ut vi illius causari possit in subditis actualis scientia vel actualis vincibilis ignorantia. Talis autem scientia vel ignorantia in communitate aliqua causari poterit, si ejus notitia per eam sit moraliter diffusa. Quod fit, quando taliter promulgata, ut ex loco promulgationis quasi continue, successive tamen (quia non statim ad distantia loca pervolare potest) ad alia loca vicina & distantia extendatur, seu potius extendi valeat. Quod voluit D. Th. 1. 2. *q. 90. a. 4. ad 2.* dum ait: lex obligat, in quantum ejus promulgatio in omnium notitiam per se vel per alios potest pervenire.

2. Resp. Secundò ex natura rei positive determinata non est certa promulgatio publica & solennis; sed ex ipsomet Jure Civili vel Ecclesiastico vel ex recepta consuetudine, vel ex expressa voluntate legislatoris determinanda. Cum enim ex Jure naturæ id solum habeatur, quod lex humana sufficienter debeat esse communitati proposita; modus autem hujus sufficientiæ non sit definitus a jure naturę seu ex natura rei, & tamen de facto necessarium sit, ut hæc promulgatio fiat determinato modo; qui ad legem stabiliendam requiratur & sufficiat (ceteroquin enim nunquam subditis constare poterit, quando lex sit sufficienter constituta ita, ut obliget) necesse erit, ut hæc determinatio a jure ipso humano aut ipso legislatore (qui sicut potest ferre legem, ita & modum ejus determinare) constituatur. Suar. *de LL. l. 3. c. 16. n. 4. 5. & 6.*

QUÆSTIO XLII.

Qualis requiratur & sufficiat promulgatio legis civilis?

1. RESp. primo : Leges latæ pro una tantum provincia aut parvo regno sufficienter promulgantur unica promulgatione facta in curia vel præcipua civitate, vel in loco juxta morem patriæ consueto, nisi in ipsa lege aliud præscribatur. Suar. *l. c.* Azor. *Tom.* 1. *L.* 5. *c.* 3. *q.* 2. Sylv. *v. lex q.* 3. Castrop. 42. 3. *d.* 1. *p.* 12. hæc enim promulgatio est sufficiens, ut notitia perveniat, & Lex divulgetur per totam provinciam seu territorium, qualis & quanta præcise promulgatio ex jure naturæ requiritur; nec etiam jure positivo aliud præscriptum invenitur.

2. Resp. Secundo : Leges latæ amplissimis communitatibus, puta pro pluribus provinciis, ita ut singulæ provinciæ per se componant aliquo modo unum corpus, & unaquæque suam quasi habeat metropolim, licet ex illis omnibus provinciis unum regnum coalescat, etsi jure naturæ seu ex natura rei necesse non habeant, nisi ut in tali loco promulgentur, unde illarum notitia moraliter certo devenire potest ad omnes provincias. Crimer. *ad L.* 1. *decret. n.* 120. citans Bonacin. *Tom.* 2. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 18. Salas *de LL. d.* 1. *§* 9. *n.* 34. Carden. *in crisi Theol. tr.* 2. *de opin. probab. d.* 9. *c.* 20. *n.* 420. Jure tamen positivo civili necesse habent solenniter promulgari in cujusque provinciæ metropoli. Bartol. & Bald. *in L. Sacratissimæ C. de LL.* Abb. *in c.* 2. *de Constit. a. q.* Navar. *cons.* 1 *de Constit. q.* 4. *n.* 19. Gomez. *in proœm. ad Reg. Cancell. q.* 2. Suar. Castrop. *LL. cit.* & alii passim. Fundatur hæc sententia in Auth. qualiter novæ constit. Tametsi enim dicta Auth. expresse solum loquatur de LL. quæ pro testamentis fiunt, possitque in his ob materiam testamentariam pluribus litibus obnoxiam esse peculiaris ratio, cur eas potius voluerit Imperator promulgari in singulis provinciarum metropolibus; ex ejusdem tamen Authenticæ Rubrica seu titulo, qui perfectum sensum reddit, & est universalis scilicet hic : *ut novæ constitutiones post insinuationes earum valeant* : Recte concluditur Authenticam illam extendendam ad omnes Leges civiles juxta commune & receptum juristarum dogma ; *Rubrica reddens* perfectum sensum habet textus & legis authoritatem, & per textum sub se contentum regulariter loquendo non limitatur, nisi necessitas cogat uti ea cogit, dum ex non limitatione sequeretur absurdum. Atque ita Imperatorem *loc. cit.* non loqui indefinite de omnibus legibus suis, si spectentur verba : secus tamen, si spectetur intentio. Ubi autem constat de intentione legis, non attenduntur verba; vel etiam non loquitur indefinite, spectato solo textu ; loquitur tamen sic, textu juncto rubricæ.

QUÆSTIO XLIII.

Qualis hoc est, in quo loca facta requiratur & sufficiat publicatio legis Ecclesiasticæ Pontificiæ.

1. RESp. Non requiri ut lex pontificia astringens omnes Christi fideles publicetur in singulis Episcopatibus; sed sufficit, debite factam esse Romæ seu in Curia romana, nisi lex ipsa vel Papa expresse declaret aliud. Suar. *l.* 4. *de LL. c.* 15. *n.* 3. Vasq. 1. 2. *d.* 156. *c.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 3. *qu.* 3. Castrop. *tr.* 3. *d.* 12. *n.* 2. qui etiam hanc sententiam certam & omnino tenendam dicit. Carden. *in Crisi Theol. tr.* 1. *d.* 9. *c.* 2. *a.* 11. *n.* 476. qui ait, contrariam sententiam esse jam antiquatam, & amplius non probabilem (cujus tamen rationem, ob quam id astruit, fuse refutare conatur Crimer. *ad l.* 1. *Decretal. a n.* 160.) Abbas apud Reiffenstuel *n.* 128. *in c. innotuit de sent. excom. n.* 3. ubi expresse, quod constitutio Papæ non est necessario publicanda in qualibet provincia, quia satis est, quod publicetur in Curia Romana &c. etsi pro opposita sententia citetur ab aliis *in c. cognoscentes de constit. n.* 7. Menoch. *l.* 2. *cas.* 185. *n.* 8. Navar. *consil.* 1. *de constit. n.* 19. (quamvis apud Azor. expresse dicat, sententiam hanc tenendam propter consuetudinem usu firmatam, etsi contraria magis juri scripto congruat ; quin & in Sum. *c.* 34. *n.* 44. citetur a Castrop. pro sententia contraria) Farinac. *fragm. crim. p.* 1. *v. constitutio n.* 653. ubi, quod hæc opinio sit verior magisque communis, canonizata a Rota. Mandos. *in repetit. ad c.* 2. *b. t. n.* 79. dicens, hoc indifferenter servari, & se per 50. annos & ultra vidisse sic servari, citatque Paul. de Eleaz. *in proœm. clement.* Jo. And. & alios. Card. de Luca *Tom.* 3. *de benef. disc.* 76. *n.* 7. allegans Rotam. Laym. *in c.* 2. *de postulat.* dicens, hanc sententiam haberi in hoc textu juncta glossa. Pirh. *ad h. t. n.* 32. etsi *n.* 31. dicat contrariam non esse improbabilem Crimer. *ad l.* 1. *decretal. n.* 139. etsi *n.* 140. judicet oppositum esse valde probabile &c. contra Sotum *l.* 1. *de Just. qu.* 1. *a.* 4. *vers. at vero*. Angel. *v. lex. n.* 9. Molin. *Tom.* 2. *d.* 995. *n.* 4. & alios loquentes de legibus pontificiis corpori juris non insertis. Item contra Felin. *in c. cognoscentes h. t. n.* 7. Butrium, Imol &c. qui tamen AA. ut testatur Azor. *l. c.* asserunt, aliter dicendum spectata consuetudine. Item contra Marchant. *Tom.* 2. *Tribun. tract.* 1. *tit.* 8. *qu.* 5. Sannig. *Theol. Schol. tract. de LL. dist.* 3. *qu.* 31. Becan. 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *qu.* 6. *n.* 6. Giballinum *Tom.* 1. *de scientia can. l.* 7. *c.* 2. *qu.* 1. *n.* 7. ubi teste Crimer dicat, sententiam hanc esse plurium graviorum DD. juri etiam & rationi conformiorem & apposita multo probabiliorem, & praxi veteris Ecclesiæ maxime consentaneam, & Reginald. in quantum is *l.* 13. *n.* 136. ait, non satis constare, juri scripto, cui hæc sententia conformior sit, universaliter derogatum consuetudine contraria, etsi de cetero sequatur sententiam contrariam.

2. Præcipua responsionis nostræ seu sententiæ prioris ratio est, quod neque ex natura rei, neque ex jure positivo alia promulgatio legis pontificiæ requiratur. Non primum; quia talis promulgatio facta solum Romæ, si sumatur cum debita latitudine temporis, per se sufficit, ut legis talis editæ ejusque publicationis factæ notitia diffundatur, & ad diœceses omnes, & consequenter ad earum subditos perveniat; ultra qualem legis notitiam ex natura rei ad obligandos lege subditos plus non requiritur. Non secundum; quia nullibi in jure ecclesiastico communi alia promulgatio præscribitur. Quin potius ex eo convincitur dictam promulgationem sufficere; argumento *c.* 1. *de postulat.* ubi dicitur, quod id solum sufficiat, ut ad constitutionis pontificiæ observantiam teneantur, *qui noverint eam solenniter editam aut publice promulgatam*. Siquidem ibi Papa per dicta verba reprobat excusationem cujusdam Magistri nomine Episcopi Altessiodorensis factam, in cujus diœcesi decretum pontificium de servando interdicto, cujus ibi fit mentio, non fuerat promulgatum. Adeoque ostendit, decreta pontificia obligare in diœcesi, etsi in ea non fuerunt promulgata. Unde etiam, ut dictum supra, Laym. ait, haberi hoc in textu juncta glossa nostram sententiam. Item argumento *cap.* 1. *de prab. in* 6. ex eo enim, quod ibi dicatur : lex seu constitutio & mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, infra quod ignorare minime debuissent &c. a contrario, præter dictam notitiam ad obligationem legis solenniter editæ & promulgatæ a jure ecclesiastico aliud, nimirum publicationem in provincia seu diœcesi non requiri. Sed neque jus civile contentum in *Authen. ut factæ novæ constitution.* ubi ad obligationem legum imperialium requiritur publicatio earundem in provinciis, ne legum ignorantia prætendi valeat &c. respectu legum ecclesiasticarum acceptatum & approbatum a jure canonico seu Pontificibus ; aut etiam hi in ferendis suis legibus illud imitari tenebantur aut necessitabantur ; cum superiorem authoritatem haberent. Quin & necessarium videtur, dicat Crimer. *n.* 142. ut non imitentur eum modum ferendi leges; eo quod, si earum vis obligativa essentialiter dependeret a promulgatione facta in singulis provinciis, ea sæpius deficeret penitus, & leges non essent; cum frequenter contingeret, a Principibus sæcularibus in provinciis eorum jurisdictioni subjectis promulgationem legis pontificiæ impediri. Etsi de cetero leges civiles non repugnantes rationi aut authoritati ecclesiasticæ ab Ecclesia acceptari soleant, & secundum eas causæ decidi, dum non adsunt leges canonicæ juxta quas fiat illa decisio ; eo quod tunc acceptatio eorum erat moraliter necessaria : cum causæ decidendæ regula aliqua egeant. Quanquam & in hoc diversum quid sit circa causas decidendas & circa modum condendi & ferendi leges, ut notat Crimer. *ad L.* 1. *decretal. n.* 141. Ostenduntque hoc ipsum Pontifices ipso facto, dum intendentes obligare omnes Christi fideles ad observantiam constitutionum novarum, eas Romæ promulgant, ea promulgatione contenti ordinarie, & nequaquam eas alibi promulgari mandantes. Quin & plures Pontifices in Bullis suis quibusdam (quarum plures videre est apud Reiffenst. *n.* 123.) signato expresserunt, velle se eas etiam tantum Romæ promulgatas obligare. Quod idem de Tridentini decretis concernentibus reformationem ait Azor.

p. c. l. 5. c. 3. q. 3. & sanè tunc in confessu est, aliam earum publicationem in provinciis non requiri. Confirmatur idem à praxi quotidiana Ecclesiæ, obligantis omnes Christi fideles ad observantiam novarum constitutionum, etsi hæ extra Romam solenniter publicatæ non sint. Quod certè neque Pontifices, neque Ecclesia faceret, si alias à jure canonico solennis alia promulgatio requireretur. Ac denique ex recepta praxi, consuetudine (quæ est optima Legum interpres, *c. cum dilectus. De consuetudine & Leg. si interpretatione ff. de LL.*) ac stylo Curiæ, qui & ipse vim legis habet, *c. quam grave, de crimine falsi*. Quo Judices Urbis omnes totius orbis Christianos secundum leges seu constitutiones Pontificias Romæ tantum promulgatas judicant, nisi justam probent ignorantiam. Congruentias quoque alias, ob quas potius sufficiat una illa promulgatio in legibus Papalibus, quàm in imperialibus vide apud Castrop. *loc. cit. num. 5.* Reiffenst. *num. 122.* Unde jam vides, nullam omnino esse præsumptionem, in qua se fundant AA. opinionis contrariæ, dum præsumunt, Papam non aliter velle obligare suas leges quam prævia illarum promulgatione facta in singulis provinciis. Castrop. *loc. cit. num. 2. in fine*. Vides etiam quod opinio opposita, ut bene inquit Azor. *l. c. §. in hoc quæst.* non sit magis conformis juri scripto; cùm si sermo est de jure canonico, nullum de hoc exstet vestigium; si de civili, leges Papales ad illud trahendæ non sint.

3. Ad illud, quod opponitur, grave nimis esse & durum obligare fideles per totum orbem diffusos unica promulgatione; & è contrario longè convenientius, ne obligati ignorantiam allegare possint, suaviusque induci legem, si ea promulgetur in singulis provinciis; facile respondetur dicendo, leges Romæ promulgatas non obligare statim in actu secundo, sed tempore solummodò, intra quod moraliter earum publicatarum notitia haberi potuerit. Quo etiam eodem responso diluitur ratio deducta ab inconvenientibus, quæ oriri dicuntur ex sufficientia unius talis promulgationis, nimirum obligandos esse ignorantes, plures contractus celebratos, alias juris naturæ validos, Sacramenta administrata, aliaque similia fore invalida, & adveniente legis notitia declaranda nulla; adeoque, cum hæc vergant in maximam Reipublicæ confusionem, leges obligantes in vi unicæ promulgationis, unde ea oriuntur, leges non esse, utpote non tam bonum commune, quam ejus ruinam importantes. Licet enim leges istæ statim, ac debitè promulgatæ Romæ tantum, ita tamen, ut ad notitiam aliarum diœcesium ac subditorum moraliter pervenire valeant, quantum est ex parte earum, ac in actu primo habeant vim omnem obligandi pro toto orbe; per accidens tamen & in actu secundo non obligant eos, ad quos dicta notitia necdum devenit inculpabiliter. Castrop. *cit. p. 12. nu. 5.* Sed neque complete seu proximè aptæ & potentes sunt obligare ut Crimer. *n. 144.* nisi compleantur publicatione sumpta cum latitudine temporis. De qua infra, ubi de effectu legis nempe obligatione expressius. Et sanè, si dicta inconvenientia non urgent, dum Papa expressè declaret, quod ad obligationem Bullæ suæ de novo editæ sufficiat publicatio Romæ facta (uti id declaravit Clem. VIII. in sua constitutione 115. *quorumque*. Urban. VIII. in Bulla sua *Romanus Pontifex* in Bulla *in eminenti*; quæ omnes habentur in Bullario, & Innoc. XII. in Bulla sua *Speculatores* edita 1694. 4. Novemb.) etiam non urgebunt in aliis Pontificiis constitutionibus, ubi id expresse non cavetur. Reiffenst. *n. 123.*

4. Ad argumentum deductum ex *c. infirmitas, de pœnit. & remiss.* ubi statuitur, publicationem in particularibus locis necessariam esse, facile respondetur, id speciale ibi caveri, tum propter pœnam ibi appositam, tum & præcipuè, quia est in materia maximè necessaria, in qua nulla ignorantia prætendi debet. Ex hoc autem textu non posse formari sequelam ad alias omnes leges, in quibus id specialiter non cavetur. Sicuti ex lege Tridentini *Sess. 24. c. 1. de reform.* irritante matrimonia clandestina, quum Concilium noluit hunc effectum inducere priusquam in qualibet parochia promulgata, malè infertur, omnes leges Pontificias irritantes contractus debere sic promulgari. Castrop. *l. c. n. 9. in fine*.

5. His tamen omnibus non obstantibus, oppositam sententiam remanere probabilem, dubium non est, ut sentiunt plerique etiam AA. pro responsione nostra citati & insuper Engels *ad h. 3. n. 67.* Less. *de Just. & jure c. 22. dub. 13. n. 98.* censet probabiliorem Laym. *Th. Mor. L. 1. tr. 4. cap. 3. n. 6.* in praxi tutam. Quin & Reiffenst. *à num. 125.* etsi sectetur nostram oppositam tamen stabilire conatur, tum ratione, tum dilutione argumentorum contra illam allatorum. Inter alias rationes non contemnendam hanc affert. *n. 127.* Quod Pontifices in quibusdam suis constitutionibus, ut indicatum a nobis paulò ante expresse declarent, quòd facta earum publicatione solenni Romæ omnes perinde arctentur, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; hoc ipsum autem superfluum esset, si Pontifex generaliter & absque tali declaratione per legem suam duntaxat Romæ promulgatam intenderet, illico totum mundum obligare. Si quidem in lege, ut dictum supra in qq. præliminaribus, nec syllaba debet esse superflua & sine mysterio aliquid operandi. Pagn. *in c. tuorum; de privileg. nu. 26.* adeòque in talibus Bullis debeat admitti aliquid speciale, quod non reperitur generaliter in omnibus. Ad textus allegatos ait, quòd imprimis in *cit. c. 1. de postul.* fiat solummentio de constitutione aliqua particulari continente sententiam interdicti localis Regum Francorum, non de constitutione Pontificia lata generaliter pro toto orbe, unde & Menoch. *l. 2. de arbitr. judic. casu 185. n. 17.* arbitratur, textum illum procedere in solo casu interdicti de jure canonico. Præterea, cum ibi dicitur, sententia interdicti solenniter promulgata in regno & provincia (etsi non in diœcesi Altissiodurensi) & observata in Metropolitana Ecclesia, textus ille potius deserviat ad probandam hanc sententiam posteriorem, nimirum ad constitutionum Pontificiarum obligationem de vigore juris requiri earum promulgationem in provincia & hujus Metropoli. Intentio quoque Papæ hic non sit alia, quàm contra frivolam cujusdam Magistri excusationem ostendere, necesse non esse, legem solenniter editam & promulgatam singulorum auribus inculcari. In *cit. cap. 1. de concess. præb. in 6.* ait, sermonem esse de singulari constitutione, nempe privilegio cuidam concesso specialiter, in qua certum est, opus non esse alia solenni publicatione, sed sufficere, quod perveniat ad notitiam illius, cui conceditur.

Ad consuetudinem illam & stylum curiæ in contrarium, ait procedere hanc & illam tantum in foro externo, quando causæ Romam devolvuntur, præsertim dum litigatur super valore & nullitate actuum in contrarium gestorum, habeatque hic stylus præsertim locum in causis beneficialibus & aliis, in quibus Papa habet liberam & absolutam dispositionem, ut notat Engels *h. t. n. 67.*

6. Jam verò quod attinet ad praxin seu practicam hujus quæstionis resolutionem utrinque tot rationibus & authoritatibus firmatę, attendendam ait *num. 133.* praxin & consuetudinem locorum hactenus receptam; utpote quę, si irrationabilis non est, efficaciam habet jus dubium interpretandi, *c. cum dilectus*, de consuetud. quin & derogandi legi cetèroquin claræ *c. ult. de procurator.*

QUÆSTIO XLIV.

Quid in hoc puncto promulgationis sit circa leges declarativas vel abrogativas legum præcedentium, item legum irritantium & inhabilitantium?

1. RESp. ad primum. Ut lex declarativa prioris legis canonicæ legitime promulgatæ Romæ, sed sensus ambigui propter opiniones diversas obliget etiam in provinciis, sufficit esse Romæ solenniter promulgatam cum memorata temporis latitudine, ut in provinciis morali certitudine innotescere possit. Ratio est eadem, quæ præcedentis quæst. Sic enim sufficienter constat aut constare potest, operari juxta illam aliter intellectam esse illicitum. Crimer. *ad 1. L. decretal. n. 151.*

2. Resp. ad secundum. Lex quoque revocans priorem legem aliam promulgationem non requirit. Ita Crimer. *n. 152.* Azor. *l. c. q. 7.* qui tamen de latitudine illa temporis tacet, dum ait: Longe verius est, leges istiusmodi, quæ tollunt alias, incipere vim suam habere statim, ut sunt promulgatæ legitime; contra alios, qui volunt tales leges abrogandas statim cessare, quam primum Princeps vult eas abrogatas, etsi lex abrogans necdum sit publicata; eo quod, cum lex non nisi ex voluntate Principis liget, ea voluntate cessante cesset. De cetero et eo, quod leges abrogantes privilegia & facultates vim non habeant, nisi denunciatæ iis, quibus concessa, ut Azor. *l. c. q. 6.* dicens esse communem tam civilis, quam juris Pontificii DD. idque etiam, dum privilegium concessum alicui communitati, vel etiam certæ provinciæ aut regno ita, ut illud non desinat, antequam lex illud tollens sit denunciata (nomine denuntiationis intelligendo certam notitiam legis talis abrogantis ut Azor.)

Azor.) illi communitati, vel etiam in Metropoli provinciæ illius, vel si est integrum regnum, in locis, quæ capita sunt provinciarum constituentium regnum illud, ut Azor. *l. c.* ex eo inquam non est inferendum, idem esse de legibus abrogantibus alias leges publicas.

3. Resp. ad tertium. Idem dicendum de legibus irritantibus & inhabilitantibus asseris Crimer. *l. c.* eo quod accepta illa unica promulgatio Romæ facta sine alia promulgatione juridica seu solenni in provinciis cum latitudine temporis caveat satis incommoda, de quibus supra. Nam qui moraliter certus est, aut, si voluisset, potuisset habere certitudinem moralem de promulgata lege, vi cujus v. g. aliquis contractus sine tali forma celebratus sit justus, & tamen omittit talem formam, nullitatem sibi imputare debet, non defectui sufficientis promulgationis. Et sic sentire videtur Suar. *L. 5. de LL. c. 33. n. 6.* ubi: quando lex ecclesiastica irritans simpliciter fertur sine adjectione alicujus particulæ, quæ sufficienter excludat illud tempus, tunc illa non irritat ante lapsum ordinarium temporis in singulis provinciis ad obligandum necessarium. Contrarium sentiunt alii, & inter illos Reiffenst. *n. 124.* nimirum has leges irritantes & inhabilitantes sortiri suum effectum mox a publicatione facta Romæ seu operari actuum contra illas gestorum etiam ab inculpabiliter ignorante nullitatem absque ulla temporis latitudine, ut patet ex stylo Curiæ Romanæ juxta tenorem illarum in foro externo procedentis. Siquidem talis nullitas non habebit rationem pœnæ, quæ inducitur in odium operantis contra legem, & ab inculpabiliter ignorante incurri nequit; sed ad summum damni, quod, ut Azor. *p. 1. L. 3. c. 3. q. 9. in fine.* citans Abb. etiam ab ignorante incurri potest. Pro hac sententia a Suar. *l. c. n. 5.* citantur Abb. Felin. *in c. 2. de constit.* Nav. *in summ. c. 23. n. 44.* & *Consil. 31. de regular. n. 5.* Soto *de Just. L. 1. q. 1. a. 4.* Staphil. *de gratiis & exspect. forma 8. n. 8. &c.* Alii denique docent, leges has irritantes, non tantum cæsareas, sed etiam pontificias, si irritent contractum vel alium actum, qui jure divino & naturali alioquin est validus, plerumque non quidem stricto jure, sed ex æquitate, & benigna interpretatione non prius effectum habere censendas esse, quam si in singulis provinciis aut diæcesibus promulgatæ sint, vel alia via communiter sciantur. Ita Pirh. *ad h. t. n. 36.* citans Molin. *tr. 2. de Just. d. 395.* Salas *tr. de LL. d. 12. s. 2. n. 11.* & *s. 4. in fine.* Laym. *L. 1. Th. mor. tr. 4. c. 2. n. 7.* Rationem dant, quod alias istiusmodi leges plus sint obfuturæ quam profuturæ bono reipublicæ, & in grave plurimorum detrimentum, v. g. si statueretur nova lex irritans matrimonium in quinto gradu consanguinitatis, ut ea post generalem promulgationem factam in Curia Romana ubique locorum effectum hunc sortiretur etiam in provinciis, in quibus nondum particulariter promulgata; vel necdum communis ejus notitia haberi potuit, dum multi, qui etiam ex invincibili ignorantia (lex enim irritans, etiam contra eam invincibiliter ignorantes vim habet, ut dicetur alibi) in tali gradu contraxissent matrimonium, deberent cum magno scandalo & damno suo ab invicem separari. Excipiunt tamen iidem AA. leges illas pontificias irritantes, quæ versantur circa beneficia, professionem religiosam, similesve res aut actus, in quibus Papa liberam habet potestatem disponendi vel dispensandi, ut nimirum hæ statim post promulgationem factam in curia ubique vim suam & effectum habeant. Ita Pirh. *l. c.* citans quoque pro hoc postremo Suar. *de LL. L. 7. c. 33. n. 7.* ubi tamen is id limitat hoc modo: si leges irritantes habeant adjunctam particulam *ex nunc*, ita ut tunc sufficiat una promulgatio cum exclusione omnis dilationis. Affirmatque id in genere de legibus Pontificiis irritantibus habentibus adjunctam talem particulam, citando pro hoc Gloss. communiter receptam *in Clem. 2. de haret. v. ex nunc.* Sanch. *de matrim. L. 3. d. 17. num.* 10. & ait, esse communem Theologorum. Quamvis paulò post subjungat: observandum autem est, hujusmodi leges, in quibus tales particulæ apponuntur, regulariter loquendo esse de quibusdam rebus vel actionibus, in quibus potest Pontifex libere disponere & dispensare, ut sunt beneficia & collationes eorum; & ideo in his sæpe inhabilitat personas, vel impedit valorem collationis a die promulgationis &c. Et, ut prosequitur n. 8. in aliis rebus, quæ non ita pendent ex voluntaria institutione Pontificum, sed supponunt jus aliquod naturale, quod per humanam legem interdum modificatur, id nunquam fit sine concessione sufficientis temporis, ut Lex ad notitiam deveniat &c. Verum de his plura inferius, ubi de effectu legis, nempe obligatione.

QUÆSTIO XLV.

An acceptatio populi sit de essentia legis, ita ut ea ante illam vim nullam habeat obligandi.

1. RESP. primo. In democratiis valor legum civilium pendet ab acceptatione populi; cum in iis potestas legislativa, saltem ex parte, sit penes populum, qui decretis a Senatu factis intercedit. Ita Wiestner. *ad h. t. n.* 71. Verum, ut vides, ea non tam est acceptio quam constitutio legis partialiter procedens a populo.

2. Resp. Secundo. De cetero neque ad civilis neque ad Ecclesiasticæ legis intrinsecam constitutionem seu valorem requiritur acceptatio populi, nisi aliud in ipsa lege exprimatur, vel privilegio & consuetudine sit receptum. Suar. *L. 3. c. 19. s. 3. n. 1.* Fagn. *in c. treugas. de treuga. n. 48.* Barbos. *in can. in istis dist. 4. n. 6.* Castrop. *tr. 3. d. 5. p. 13.* Laym. *th. mor. L. 1. tr. 4. c. 3. n. 1.* Pirh. *ad h. t. n.* 45. Wiestner. *n. 72.* Reiffenstuel. *ad h. t. n. 136.* (ubi etiam ait, hanc sententiam videri modo indubitatam post damnatam ab Alex. VII. Anno 1665. 24. Sept. hanc propositionem: *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam*) cum communiore contra Glos. *in c. 1. de treuga v. frangere.* Navar. *c. 23. man. a n. 40.* Covar. *L. 1. Var. c. 56. a n. 6.* quibus etiam a Castrop. *cit. p. 13. n. 2.* annumerantur Azor. *p. 1. L. 5. c. 4. q. 1.* Salas *de LL. d. 13. s. 5. & 5.* Reginald. *L. 13. n.* 160. Bonacin. Henriq. Armill. & alii, & quidem id sentientes de lege canonica. Ratio est, quod, ut lex intrinsece constituta sit, & vim obligandi perfectam habeat, requiruntur ex parte legislatoris duo, potestas nimirum & voluntas obligandi subditos ad observantiam illius, quod præcipit. Utrumque habet, saltem immediate independenter ab acceptatione populi: ergo. Primum; quia imprimis potestatem illam inesse summo Pontifici, utpote ei immediate collatam a Christo, adeoque omnino independenter ab ovibus seu fidelibus, quos tanquam supremo suo in terris Vicario gubernandis commisit, fatentur Catholici omnes. Deiu Imperator aliusque saltem supremus Legislator sæcularis potestatem hanc gubernandi subditos, adeoque legislativam vel habet jure belli vel electione populi. In utroque casu independentem & independenter deinceps a voluntate populi; in primo, ut patet; si enim bello justo occupavit regnum vel provinciam, potestatem gubernandi nullatenus a populo seu subditis accepit. Cardenas *in Crisi Th. tr. 1. de LL. d. 29. n. 46.* cum communi. In secundo, ut ex eo convincitur, quod populus electione sua constituens eum in caput & gubernatorem suum, plenam se gubernandi potestatem (cujus præcipua pars est potestas legislativa) in eum transtulisse credatur ac recte præsumatur, vel ex eo, quod id ad bonum publicum tranquillamque reipublicæ administrationem & gubernationem maxime conducat, imo sit necessarium, ne, si dicta potestas absoluta & efficax non esset, sed a subditorum leges illius de cetero justas non nisi pro libitu suo admittentium tergiversatione in exercitio sui dependeret, adeoque leges ab eo latæ frequenter deluderentur, & effectu suo privarentur, id cederet in reipublicæ summam confusionem & ruinam. Sed neque deesse alterum nimirum voluntatem obligandi patet ex ipsis verbis legum absolute aliquid præcipientium vel vetantium & nequaquam alligatam isti conditioni: si populus consentiat seu acceptet: constat ex usu recepto, dum legislatores tam sæculares quam ecclesiastici eas latas urgere pergunt, primosque illarum transgressores puniunt, non admittentes excusationem illam, quod populus necdum illas acceptaverit, cum hanc ipsam acceptationem intendat legislator inducere & stabilire. Proinde jam etiam cadit præsumptio, in qua se fundant AA. contrariæ sententiæ, & nominatim Escobar. *Th. mor. L. 5. c. 2. n.* 100. nimirum quod legislator ubi non excipit contra, existimandum sit, eum velle suas leges non ante, quam populus acceptaret, habere vim obligandi, aut etiam, ut Less. *L. 2. c. 22. dub. 13. n. 93.* Felin. & alii apud Crimer. *ad h. t. n. 185.* quod populi non aliter se subjecerint ejus potestati legislativæ, quam sub dicta conditione, nimirum non subeundi obligationem legum ab eo latarum, nisi ipsi eas acceptarint.

3. Ulterior responsionis probatio hæc esse potest, quam affert Castrop. *l. c. n. 3.* in specie pro Lege Canonica. Ipsa acceptatio populi ad legem sequisita vel est observantia ipsius legis, vel est quædam approbatio distincta & præcedens obser-

obſervantiam. Non primum: quia obſervantia legis (intellige quæ procedit ex judicio, quo obligatum ſe agnoſcit obſervans:) ſupponit legem ejuſque vim obligandi, ideoque eam non conſtituit. Non ſecundum, quia ſi talis juridica approbatio populi requireretur, is eſſet conlegislator, quod ſaltem reſpectu Pontificis dici non poteſt: ſed neque etiam reſpectu ſæcularis legislatoris, ſaltem in ſtatu ariſtocratico & monarchico. Ad hæc ponatur lex aliqua lata a Papa (idem eſt de alio legislatore ſupremo), & inſtare tempus obſervationis illius, in quo tempore neque eſt approbata neque reprobata a populo. Si eam de facto non obſerves, peccas (quod eſt ſignum & probatio evidens a poſteriore, eam jam habere vim obligativam independenter a populi acceptatione & reprobatione) quia in tantum excuſari poteras ab obſervatione legis, in quantum populus ſciens non acceptavit, cujus acceptatio, cum non ſit per judicium aliquod commune, rarò cognoſci poteſt. Ita Caſtrop. *l. c.*

4. Limitat tamen Caſtrop. *n.* 4. hanc ipſam Doctrinam in legibus, quæ ſunt difficilis obſervationis, vel quæ adverſantur conſuetudini receptæ, ut nimirum in his ex benigna interpretatione mentis Legislatoris credendum ſit, excuſari quemlibet ab ejus obſervantia, quouſque Princeps informetur de difficultate vel recepta conſuetudine; cum prudenter præſumere poſſit, proceſſiſſe legem illam ex ignorantia dictæ difficultatis vel conſuetudinis, citat pro hoc *c. certificati de ſepultura c.* 1. *de conſtit. in* 6. & Suar. *l.* 4. *c.* 16. *n.* 4. *in fine*, & *n.* 7. & 8. loquentem de legibus civilibus. Monet tamen etiam Caſtrop. hoc ipſum, nimirum, ut probabiliter præſumere poſſis, legem eſſe ita gravem, ut meritò excuſari poſſis ab ejus obſervantia, quouſque Pontifex de difficultate informetur, non metiendum ex tuo cerebro tantum, ſed ex conſilio prudentum vel timoratorum facto, dum eorum plures vides ob dictam difficultatem tractare de interponenda ſupplicatione vel appellatione legis.

5. Sed neque in contrarium magnopere urgent ſequentia. Primo illud *can.* 3. *diſt.* 4. *leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Nam præterquam hoc dictum ſit Gratiani, non habentis poteſtatem legislativam, potius confirmat noſtram reſponſionem; ſi enim leges conſtituuntur, ſeu conſtitutæ jam ſunt, ut dicitur, per legitimam promulgationem, approbatio dicta earum conſtitutionem intrinſecam non ingreditur; ſed ſicut, dum leges quandoque moribus utentium in contrarium abrogantur, hæc abrogatio eas ſupponit perfectè conſtitutas in ſuo eſſe, ita etiam, dum moribus conformiter illis operantium firmantur, hæc confirmatio illas jam conſtitutas ſupponit. Accipiunt proinde leges a moribus utentium firmitatem non niſi extrinſecam & accidentalem, quatenus vel ſic comprobatæ non ita facile per legem vel conſuetudinem contrariam abrogantur. Sive ut Fagn. *in c.* 1. *de treuga & pace n.* 49. & 57. accipiunt firmitatem ſtabilitatis (intelligo accidentalis) non autem firmitatem authoritatis: vel, quod idem eſt, ut Caſtrop. *n.* 6. ex Turrecremat. *in cit. can.* moribus ſubditorum firmantur de facto, non de jure, quippe quo jam ſatis firmatæ ſunt per legitimam inſtitutionem.

6. Non ſecundo illud *l. de quibus ff. de LL. ipſæ leges nulla alia ratione nos tenent, quam quod judicio populi receptæ ſunt.* Nam etſi id intelligi poſſit de legibus conceptis in ſtatu democratico, quòd nimirum non teneant ab initio, niſi populi judicium & acceptatio accedat. De aliis tamen legibus id aliter accipiendum non eſt, quam de obligatione legis continuata & perſeverante, nimirum, quod licet, quod abſolute teneamur ad earum obſervantiam, ſit a legislatoris voluntate, quod tamen firmiter pergamus obligari, id ſit a continuato uſu & acceptione earum; cum non uſu ſeu uſu contrario longo tempore continuato poſſent denuo abrogari, non obſtante, quod a principio independenter ab ea receptione obligaſſent; adeoque, quod perſiſtant, habeant ſuo modo dependenter ab uſu & acceptione populi.

7. Non tertio, quod lex eſſentialiter debeat cedere in bonum ſubditorum, hoc autem non fiat, dum major pars populi reſiſtit; cum ideo reſiſtat legi, quia judicat eam eſſe ſibi diſconvenientem. Nam, ut bene Caſtrop. *n.* 13. communitas ſæpe reſiſtit legi, non quia judicat, eam eſſe ſibi diſconvenientem, ſed quia ſentit ſubjectionem & gravamen ſibi impoſitum. Ex eo autem præcisè, quod lex ſit gravis, non evadit juſta reſiſtentia; cum illud gravamen exigi poſſet à gravi neceſſitate boni communis. Si tamen ideo judicaret communitas vel major pars populi ſibi diſconvenientem, vel quia injuſta, vel quia nimis gravis, probabile eſſe, ait Caſtrop. excuſari ab ejus obſervantia; quia legislator humanus populo rationabiliter reſiſtente ipſi legi, non poteſt præſumi velle nihilominus eo caſu obligare. Debet autem moraliter certò conſtare populo de juſtitia cauſæ reſiſtendi: nam ubi eſt dubium, num adſit juſtitia cauſæ reſiſtendi, lex, de qua conſtat, eſt in poſſeſſione.

8. Non quarto quòd modus ferendi legem ſub hac expreſſa conditione: ſi populus acceptaverit ſit ſuavior accommodatiorque bono communi, quod intendere tenetur legislator, adeoque præſumendum, leges ordinariè ferri ſub tacita illa conditione, quo caſu certum eſt, requiri acceptationem populi. Nam ex dictis conſtat, præſumptionem illam non ſubſiſtere; cum modus ille, utpote derogans poteſtati & authoritati legislatoris non ſit aptus ad bonum regimen communitatis, ſed origo plurium diſſentionum.

9. Non quinto quod conſuetudo populi habeat vim abrogandi Leges, ergo multo magis impediendi earum obligationem. Nam ſicut verum eſt de conſuetudine contraria legitime præſcripta, quod tollat obligationem legis, quæ jam aliquamdiu obſervata fuit, ita etiam verum eſt, quod non acceptatio conſiſtens in non uſu continuato tollet vim obligativam legis ſeu legem nunquam in uſum deductam; non tamen impediat, quo minus naſcatur, ſeu nata fuerit vis illa obligativa per legislatoris voluntatem; ſeu, quod idem eſt, quo minus lex illa aliquando quoad eſſentialia ſua perfecta extiterit. Porrò tunc dicitur lex uſu non recepta, quando inſtante tempore, quo urgebat ejus obſervatio, de facto obſervata non fuit; non autem tunc, quando proponebatur populo obſervanda abſque eo, quod inſtaret tempus obſervationis; cum actus talis ſimpliciter negativus non inducat non uſum, intellige, elidentem vim obligativam legis. Ut vero non obſervatio ſeu transgreſſio legis, conſiſtenſque in ea non acceptatio ſit perfecta & efficax ad legis obligationem impediendam, vel potius tollendam, requiritur, ut hic non uſus introductus ſeu poſitus ſit a tota communitate, vel ſaltem a majore ejus parte, cum conſenſus majoris partis ſit conſenſus communitatis. *L. quod major ff. ad municipalem.* Caſtrop. *l. c. n.* 9. & apud illum Suar. *l.* 4. *c.* 16. *n.* 9. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *q.* 3. & nomine communitatis, ut rectè Bonac. *d.* 1. *de LL. q.* 1. *p.* 4. *n.* 33. & ex eo Caſtrop. *n.* 5. hic non intelligatur tota communitas, ad quam lex dirigitur, ſed etiam particularis communitas, quæ per ſe capax legis eſſe poteſt, v. g. reſpectu regni aliqua ejus civitas, vel ejus pars major, ita ut, ſi ea legem non obſervet, ceteri illius urbis excuſentur a culpa; quia in illa civitate lex recepta non eſt, etſi in omnibus aliis partibus regni lex obliget, quia recepta, pro ut tenent Azor. *part.* 1. *l.* 5. *cap.* 4. *qu.* 5. Bonac. *loc. cit.* Navar. *conſil.* 1. *de conſtit. quæſt.* 5. & *ſeq.* Requiritur inſuper ab aliquibus ſaltem tacitus conſenſus legislatoris in hunc non uſum, qualis eſſe cenſetur, dum is ſcit legem non obſervari, & non obſervationem non punit cum poteſt. Sed probabilius, imo certum judicat Caſtrop. *n.* 10. citans pro hoc Felin. *in c.* 1. *de treuga & pace n.* 23. Nav. Azor. *ubi ante* Bonac. *l. c. n.* 35. & 45. Suar. *l.* 3. *c.* 19. *nu.* 10. & *l.* 4. *c.* 17. *n.* 10. Qui id ſupponat; etiam ignorante Principe poſſe induci talem non uſum ſeu deſuetudinem, habentem efficaciam impediendi obligationem; eo quod, ſi poſſit in hoc caſu ignorantiæ conſuetudo abrogare legem, quæ fuit in uſu, a fortiore deſuetudo poſſit elidere legem, quæ necdum fuit in obſervatione. Et, ut Azor. & Nav. *loc. cit.* ſi legislator habeat hanc voluntatem, ut leges ſuæ retineant vim obligandi, quamdiu in contrarium non eſt conſuetudo, a fortiore cenſendus ſit, habere voluntatem, ut leges eam retineant, quamdiu in contrarium non eſt deſuetudo, ſive non uſus contrarius. Requiritur denique ab omnibus, ut ille non uſus ſeu deſuetudo duret per aliquod tempus, quod aliqui determinandum relinquunt arbitrio prudentum. Alii 40. annorum præcipue ad præſcribendum contra legem Canonicam, alii decennium ſufficere, utpote quòd a jure reputatur tempus longum gl. recepta *in c. ult. de conſuetud. in* 6. ſive ſciente, ſive ignorante Principe, contingat non uſu, eo quod hoc ſufficiat etiam ad abrogationem legis jam obſervatæ, judicat Caſtrop. *cit. n.* 10. cum Azor. *l. c. q.* 4. Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 6. Suar. *l.* 4. *c.* 16. *n.* 12. Quin etiam nequidem neceſſarium eſſe decennium, ſed etiam breviſſimo tempore, uno alterove actu tolerato a principe, ex una parte ſciente legem non obſervari a majore parte populi; ex altera parte non puniente tranſgreſſores, ait idem Caſtropal. cum Navarr. *loc. cit. quæſt.* 5. *num.* 24. Azor. *loc. cit. quæſt.* 5. Quinimo cenſet cum Suar. *num.* 12. etiam ignorante Principe minus ſufficere tempus, præcipue in lege civili, eo quod,

cum

cum decennium sufficiat ad abrogandam legem usu receptam, minus requiri debeat ad impediendam legem necdum in usum deductam.

Nec urget denique, quod populus sæpe appellet vel supplicet a lege promulgata, qua appellatione stante lex vim obligandi non habeat. Occasione hujus objecti sit

QUÆSTIO XLVI.

An & qualiter a lege lata appellari possit, & num pendente appellatione liceat contra eam procedere, ac si lata non esset, & an, si facta sibi supplicatione taceat Legislator, legem revocare censeatur.

1. RESp. ad primum Primo. A lege lata ab inferiore Legislatore licet appellare ad ejus superiorem, quia lex difficilior, subsistente tamen cum ea difficultate ejus justitia; quia alias lex injusta non est lex. Siquidem hæc est causa rationabilis appellandi.

2. Resp. ad primum Secundo. A lege supremi legislatoris appellari nequit; cum appellatio essentialiter sit ab inferiore ad superiorem; cum habeat effectum devolutivum & suspensivum. Supplicari tamen poterit a lege, hoc est, rogare legislatorem, ut legem tollat, in quo nihil est inconveniens & sic usum obtinuisse, præcipue in legibus pontificiis latis pro toto orbe; cum sæpe alicui provinciæ disconvenientes sint, Papa illam disconvenientiam ignorante. Castrop. citans Abb. & Felin. *in c. 1. de tregua* Suar. *cit. L. 4. c. 16. a n. 6.*

3. Resp. Ad Secundum. Dum est justa & rationabilis causa supplicandi pro legis revocatione, interim, quo pendet supplicatio, posse subditos agere, ac si lex non esset, tradunt Bonac. *d. 1. de LL. q. 1. p. 4. n. 41.* Salas *de LL. d. 18. S. 4. n. 41.* Rodriq. *qq. regular. Tom. 4. q. 6. n. 7.* Salon. *de Contract. Tom. 2. de censibus a 3. disp. 4. concl. ult.* Et alii communius; eo quod sit magis conveniens suavi Reipublicæ gubernationi, subditos non statim onere legis premi, donec legislator requisitus desuper mentem suam magis explicet; & ne alioquin subditi allegantes justam causam, ob quam nequeunt servare legem ipso facto sibi contradicerent, ostendendo ipsa legis observantia hanc sibi observatu esse possibilem. Quod etsi Castrop. *n. 14.* fateatur esse probabile, probabilius tamen censet contrarium, secutus in hoc Suar. *L. 4. c. 16. n. 8.* eo quod non sit sufficiens ratio præsumendi, legislatorem nolle obligare subditos, quando hi habent rationabilem causam supplicandi pro legis revocatione; cum simul stare possint, adesse causam sufficientem, ut petatur revocatio, & adesse efficaciorem, ut non concedatur. Unde certa legis obligatio ex dubia causa cessare non videtur. Addit nihilominus Castrop. ex Suar. quod si tamen interea lex observari nequiret sine scandalo, aut gravi rerum mutatione, ex benigna interpretatione Principis judicandum esse, cessare legis obligationem, & sic subditos excusari posse, non nisi tamen ex epiikia, quia credunt legislatorem illum casum non comprehendere.

4. Resp. Ad Tertium, probabilius videri, Principem accepta supplicatione tacendo, legem revocare, eo quod, si animum retinebat obligandi subditos, tenebatur insistere, & subditos ad illius observationem urgere. Ita Castrop. *cit. p. 12. n. 15.* & apud illum Bonac. *l. c. n. 43.* Salas *l. r. a. 21.* quos sequitur Reiffenst. *h. l. a. 146.*

CAPUT SECUNDUM.

De causa efficiente Legis, sive de iis, qui Leges condere possunt.

QUÆSTIO XLVII.

An & unde sit potestas legislativa.

1. RESp. ad primum. Esse penes homines potestatem condendi veras leges certum est; Quia certum est, communitatem humanam, saltem in moderno statu naturæ lapsæ sine gubernatore humano subsistere non posse juxta illud *Proverb. 11. ubi non est gubernator, corruit populus.* Gubernator autem hoc suum officium sine mediis legibus exercern nequit. Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 22. n. 1.* cum communi. Neque Scriptura improbat mandata humana per legitimam potestatem juste & debite imposita; Sed solum mandata hominum convellentia legem Dei, aut ejus observationem impedientia. Dumque dicit: *Solus DEUS legifer noster:* Non derogat homini potestatem legislativam, sed significat, Deum per excellentiam solum esse legislatorem ab aliis omnibus independentem.

2. Resp. ad Secundum primo. Cum omnes homines natura liberos fecit, neminique in alium potestatem & jurisdictionem politicam concesserit, non est potestas hæc legislativa a natura, sive ex natura rei non est potius in uno vel aliquibus quam in aliis; sed solum & ad summum est hæc potestas a natura penes communitatem hominum radicaliter, eo ipso, quo plures familiæ volunt se invicem juvare, & inter se vinculo Societatis uniri. Siquidem hoc supposito, sine potestate ferendi leges ab uno vel pluribus non possunt in justitia & pace conservari. Castrop. *l. c. n. 2.* Quin &, licet de jure naturæ non sit, ut actu sit aliqua potestas unius in alios (possent enim homines nulla constituta Republica, nulloque constituto capite vivere, sicut de facto multi Indi vivunt in America:) est tamen de jure naturæ, posse convenire in unam rempublicam, adeoque unum posse in alios habere hanc potestatem jurisdictionis & legislativam.

3. Resp. ad Secundum secundo. Aliqua potestas legislativa est positive a Deo, illam positive conferente per specialem volitionem suam. Aliqua autem potestas legislativa non est a Deo aliter quam ut creante homines eosque conservante, & nullo actu contrario illam impediente. Pars prior patet: sic enim contingit, dum Deus ipse speciali sua voluntate præficit communitati alicui volenti nolenti Judicem Regem. Pars altera probatur ex eo, quod si per impossibile non existente Deo intelligerentur homines existere, esset adhuc in illis potestas constituendi, unam rem publicam, & eligendi sibi caput, a quo gubernarentur, quodque pro illis conderet leges. Ergo de facto præter actionem creativam & conservativam hominis, præterque concursum, quo concurrit Deus cum hominibus volentibus convenire in unam rempublicam, & hunc vel illum eligere in suum gubernatorem, ac denique præter negationem volitionis impediendi hanc potestatem necesse non est in ordine ad existentiam potestatis legislativæ concipere volitionem aliam positivam Dei conferentes illam potestatem, seu etiam condescendentis in illam; sed concipitur eo ipso existere in aliquo hæc potestas, quod existant homines constituentes unam rempublicam, volentes ab hoc vel illo gubernari, & Deus nolit contrarium. Neque obstat primo illud Pauli *ad Rom. 13. non est potestas nisi a Deo.* Quia hoc verificatur per hoc, quod homo dependeat a Deo, Deus influat in hominum volitiones, quibus volunt hunc vel illum esse suum caput, & Deus non impediat hanc potestatis collationem. Nec obstat secundo, quod videatur potestas occidendi nocentem non posse esse nisi a Deo. Nam sicut posse occidere alterum injuste me aggredientem, dum non suppetit alia evadendi via, est jure naturæ permissum, nec pendet a speciali & positiva permissione Dei, etiamsi non sum Dominus vitæ alterius & necis, ita statuta semel legitime republica, lumen rationis dictat, ad propulsanda gravissima damna licitum esse reum punire etiam capite. Nec obstat tertio, quod potestas legislativa sit potestas obligativa in conscientia; non possit autem esse potestas obligativa in conscientia nisi a Deo. Nam sicut jus naturæ obligat in conscientia, absque omni lege positiva Dei, sic etiam potestas talis obligabit in conscientia eo ipso, quod Deus non prohibeat illam. Dictat siquidem lumen naturæ, esse dedecens non obedire legitimo Superiori, etiam libera mea voluntate mihi constituto. Neque denique ex eo, quod hæc potestas humana sit, sequitur, posse quoque eam semel collatam pro libitu iterum ab hominibus auferri. Nam sicut homo in potestate sua habet vendere se alteri, aut non vendere, dum tamen semel se vendidit, non potest postmodum pro libitu se liberare. Sic in potestate multitudinis est eligere aliquem in caput suum, & se illi subjicere, ubi tamen semel se tali capiti subjecit, non est in ejus potestate, se ab hac subjectione subtrahere, collatamque potestatem iterum auferre, nisi communitas ipsa, dum eligit sibi hoc caput, hanc conditionem mutandi illud, auferen-

auferendo illi pro libitu potestatem, apposuerit, vel in gravissima aliqua causa occurrente, etsi hunc casum in electione non apposuerit explicitè; talis enim causa ex natura rei censetur imbibita in tali electione capitis.

3. Resp. Ad secundum tertio. Hæc potestas legislativa civilis immediatè est a Republica. Castrop *cit. num.* 2. cum Canonistis communiter in *c. per venerabilem. Qui filii sint legitimi*, & juxta *l. 1. de constit. Princip.* & *l. 3. §. novissime, ff. de origin. juris.* Siquidem quia communitas judicavit, se rectius gubernari posse ab uno singulari vel aliquibus, quam ab omnibus (cum si omnes ad regimen ejus concurrerent, magna oriretur confusio & perturbatio, præsertim ubi esset ingens multitudo) transtulit dictam potestatem in unum vel aliquos determinatos. Castrop. *loc. cit.* citaos *D. Th.* 1. 2. *q.* 90. *ar.* 3. *ad* 3. Suar. *de LL. l.* 3. *c.* 2. *n.* 3. Cov. *practicar. c.* 1. *concl.* 1. Navar. *in c. novit. de judic. n.* 119. Non tamen Respublica manet superior eo, in quem hanc potestatem transtulit; cum hac translatione abdicaverit se dominio, & se Principi subjecerit. Sicut, si te venderes in servum, supposita hac venditionn, esses inferior.

4. His tamen non obstantibus, hanc potestatem esse adhuc immediate a Deo in Rege vel Principe, censet Castrop. *cit. n.* 3. Crimer. *ad h. t. n.* 471. juxta illud Apostoli *ad Rom.* 13. *non est potestas nisi a Deo.* Et *Proverb.* 8. *per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Non tantum, quis supposita potestate in Superiore, hic vices Dei gerit, & quidquid juste imperat, Deus imperat. Et qui potestati (intellige legitimæ) resistit, ordinationi Dei resistit. Neque tantum, quia Deus speciali sua providentia hanc potestatis translationem seu successionem ordinavit; neque quia eadem omnino potestas & non alia, quæ a Deo erat in communitate, est in Principe. Sed quia populus sua electione vel subjectione ponst conditionem, qua posita lex divina, quæ est origo omnis potestatis; taliter electo faveat in ordine ad omnes illas actiones per ordinem ad quas favebat ante illi communitati, a qua in electum dicta potestas transferri dicitur. Quemadmodum contingit in translatione dominii. Quippe potestas disponendi perfectè de re legitima constituituitur favore legis aut pacti legitimi ntendi re dominio subjectæ in commodum libertatis propriæ. Hoc enim modo & non alio transfertur v. g. a donante in donatarium, nisi quatenus posito donantis coosensn legitimo, leges impartiuntur donatario favorem suum ad rei usum, quem ante concesserant donanti. Ita non incongruè hanc immediationem potestatis legislativæ a Deo explicat Crimer. *loc. cit.*

QUÆSTIO XLVIII.

Qualiter potestas condendi leges civiles sit penes Pont ficem.

1. RESp. primo. Papam posse condere leges civiles pro provinciis ac subditis Dominio & jurisdictioni temporali illius subjectis, non secus ac alium Principem sæcularem non recognoscentem in terris suis superiorem, indubitatum est. Nequaquam tamen hanc jurisdictionem & potestatem sæcularem accepit a Cristo aut etiam a Deo aliter, quam qualiter eam sæculares Principes a Deo accipiunt medis populorum electione aut donatione ei facta tanquam conditione, modo *in respons. 3. ad præced. quæst.* explicato. Sic itaqne accepere eam Summi Pontifices per donationem terrarum ac ditionum iis factam ab Imperatoribus aliisque Principibus, ut constat ex *Can. Constantinus, dist.* 96. *Can. Ego Ludovicus, dist.* 63. *c. fund. de el. in* 6.

2. Resp. secundo. Papa tamen condendi leges mere civiles extra terras ejus dominio temporali non subjectas, seu obligantes aliorum Principum sæcularium supremorum subditos potestatem non habet. Navar. *in c. novit. de judic. nu.* 19. Covar. *in reg. peccatum, p.* 2. *§.* 9. *n.* 7. Bellarm. *l.* 5. *de Pontif. c.* 2. Molin. *tr.* 2. *de jure & just. d.* 29. *n.* 19. Suar. *de LL. l.* 3. *c.* 6. *n.* 3. cum communi contra aliquos relatos a Navar. Siquidem potestas hæc legislativa civilis respicit essentialiter subditos in civilibus & temporalibus; taliter autem Papæ subiecti non sunt omnes Christi fideles, cum potestatem non nisi spiritualem in eos per illud Christi *pasce oves meas*: acceperint. Neque etiam temporalem jurisdictionem ab eo ipsis concessam ex ullo textu Scripturæ vel traditione constet. Quin & ipsi Pontifices Imperatori, regibus aliisque Principibus hujusmodi supremam potestatem & jurisdictionem temporalem extra terras temporaliter sibi subjectas astruant. *Can. cum ad verum, Can. duo sunt: dist.* 96. *Can. inter hæc* 33. *q.* 2. *c. solitæ, de major. & obed. cit. c. novit. &c.* Unde jam etiam sequitur, non posse Papam legem civilem, seu cujus materia profana & mere temporalis est, nullum involventem periculum animarum, aut quidquam libertati Ecclesiasticæ noxium, ab aliis Pontificibus latum abrogare. Nihilominus

3. Resp. tertiò. Papa tanquam universalis pastor omnium Christi fidelium habet indirecte ratione nimirum supremæ potestatis suæ spiritualis in ordine ad regimen totius Ecclesiæ, adeoque huic subordinatam potestatem supremam, ubi id necesse ad Ecclesiæ ac veræ fidei conservationem, aut animarum salutem, judicandi & disponendi in & de rebus Christianorum omnium temporalibus, ut constat ex *c. per venerabilem, qui filii sint legitimi.* Ubi Pontifex non solum in Ecclesiæ patrimonio, verum etiam in aliis regionibus certis causis inspectis temporalem jurisdictionem exercere pluribus S. Scripturæ testimoniis probatur; de qua potestate temporali Papæ indirecta & casuali (quam tamen non mere temporalem, sed ex parte, scilicet ratione finis spiritualem advertit Molin. *loc. cit. n.* 23. apud Wiestner. *ad h. t. num.* 30.) intelligendi textus illi *Can.* 1. *dist.* 22. ubi Papa ait, B. Petro terreni simul & cælestis imperii jura commissa esse. *Extrav. unam sanctam inter communes*, ubi Bonifac. VIII. Summum Pontificem duobus gladiis, spirituali videlicet ac temporali a Christo munitum ostendit. In virtute hujus potestatis quasi extraordinariæ Leo Papa Imperium Romanum a Græcis transtulit in Carolum Magnum. Etiam Imperatores deposuit, ut videre est apud Bellarm *loc. cit. c.* 8. Item plures leges civiles & Imperatorias correxit v. g. permittentes præscriptionem cum mala fide, utpote quæ fovebat fraudes, *c. fin. de præscript.* item quæ negabant filiis illegitimis alimenta, quia adversabatur pietati naturali, *c. cum haberet. de eo qui duxit &c.* adeoque quæ bono animarum vehementer obstabant. Item contractus aliosque actus versantes circa res temporales alias jure civili permissos annullant & prohibent tanquam juri naturali aut divino contrarios. Sic quoque ait Reiffenst. *ad h. t. num.* 58. uti posse Papam hac potestate, dum factum aliquod est valde arduum, difficile & ambiguum, atque idcirco ad Papam tanquam supremum in terra judicem provocetur, ut contingit *in cit. c. per venerabilem.* Item Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 22. *§.* 1. *num.* 2. ait quod, quando Papa videt, Principes sæculares negligentes esse in statuendis quæ ad rectum regimen suorum subditorum pertinent, ob quam negligentiam peccata grassentur, posse eum suis legibus ea præcavere; cum id non sit habere directè potestatem temporalem in subditos imperiales vel regios, sed habere potestatem in illos spiritualem, eorum conscientias spectantem.

QUÆSTIO XLIX.

An & qualiter leges condere competat Imperatori.

1. RESp. primo. Uti olim Imperatores habuerunt potestatem condendi leges obligantes totum eorum imperium, ut constat ex toto corpore juris civilis, ac specialiter ex *l. 2. Cod. de vet. jure enucleand.* ita & modo Imperator legitime electus eandem potestatem habet pro regnis & provinciis sibi subditis, utpote in quæ supremam potestatem & jurisdictionem habet, *cit. l.* 1. & *l.* 1. *& ult. Cod. de LL. l. bene a Zenone. Cod. de quadrien. præscript.* Quod si tamen legitimè electus non esset, vel etiam per vim & injustitiam imperium occupasset, hac potestate legislativa careret. Habiturus tamen etiam eandem io hoc casu ex consensu populi, dum forte ab eodem successu temporis admitteretur in Imperatorem. Suar. *de LL. l.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. Castrop. *loc. cit. n.* 4. Quin & dum expelli non potest, censendum illum adhuc habere illam potestatem ne majus proveniat malum; majus enim malum esset, populum destitui omni gubernatione, quam permitti se gubernari a Tyranno (modo is justas de cetero leges ferret) quem expellere nequit. Suar. Castrop. LL. cit. Molin. de Just. *tr.* 2. *d.* 13. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 5. *&c.*

2. Resp. secundo. Habet quoque Imperator potestatem ferendi leges respectu regnorum & provinciarum, in quas dominium directum habet, seu quæ illum cognoscunt tanquam supremum Principem jure feudi aliove simili titulo; etsi dictæ provinciæ ab alio de cetero tanquam supremo domino gubernarentur. Neque tamen etiam leges Imperatoriæ solæ pro dictis provinciis locum & vim obligandi habent; cum præter eas proprias quoque a suis Principibus latas leges habere possint. Castrop. *l. c. n.* 6. Suar. *c.* 8. *num.* 2. Salas, *d.* 7. *§.* 8. *n.* 46.

QUÆ-

QUÆSTIO L.

An licet leges imperatoriæ non obligent in regnis & provinciis neque jure feudi, neque alio titulo Imperatori subjectis; deficientibus tamen propriis illorum regnorum legibus, in causis decidendis legibus Imperatoriis gubernari debeant.

RESP. Affirmativè, sub limitationibus tamen paulo post subjiciendis. Sic imprimis id affirmandum de provinciis Pontifici temporaliter subjectis (intellige, etiam absque eo, quod feuda sint imperatoria) Quia ita Pontifex ipse statuit, *c. 5. de novi operis nunciat.* Et hoc ipsum, ubi nimirum deficiunt leges Ecclesiasticæ, pro causis spiritualibus decidendis vim habere in tota ecclesia; pro temporalibus autem solum in ditionibus Papæ temporaliter subjectis, astruunt Suar. *cit. c. 8. n. 3.* Bonac. *n. 5.* Salas *l. c.* Vasq. *d. 153. c. 2.* & cum illis Castrop. *n. 7.* Sic idem dicendum de regno Lusitaniæ, quod in eo deficientibus legibus propriis decidendus sit locus legibus juris Cæsarei, non Pontificii, etsi hoc contrarium sit, eò quod sic expressè statuatur, *l. 3. ordinat. tit. 64.* affirmat Castrup. *loc. cit.* Quinimo locum habere in Hispania, sive teneri Judices Hispanos, saltem ex consuetudine in causis decidendis sequi leges Imperatorias, ubi deficiunt propriæ, tanquam probabilius affirmat Castrop. *n. 9.* citans Burgos de Paz *in l. tauri a n. 520.* Anton. Gomez. *ibid* Didac. de Castello &c. contra Suar. *n. 5.* referentem pro se Diaz *pract. qq. q. 144. circa finem.* Vargas, *tr. de potest. Pontif. axiomat. 7. n. 10.* & alios id negantes, eò quod non constet de tali consuetudine, nec etiam ea probetur per hoc, quod Judices frequentius in eo casu judicent juxta leges imperatorias; cum id fieri possit non ex obligatione, sed imitatione, quia hæ leges æquitati viciniores videntur. Quod si tamen in dicto casu jus Pontificium (intellige Civile non Canonicum) contrarium esset juri civili communi (de cetero tamen justo) Suar. *n. 6.* censet, neutrum ex obligatione sequendum; ex consilio tamen sequendum potius Pontificium. Lopez & alii censent, ex obligatione sequendum jus Pontificium. Castrop. *n. 12.* melius censet, præferendum civile Pontificio, eo quod cæsareum vocetur commune, quia sequendum omnibus regnis, dum proprium deficit, & vel maximè, quia ipse Papa mandat jus cæsareum sequi in suis provinciis, ubi proprium deficit. Illud tamen Suar. Lopez & aliis rectè monet Castrop. *n. 11.* in deficientia legum propriarum neminem puniendum esse propter transgressionem legum civilium, si actus non sit contra jus naturale vel regni. Neque contractum fore irritum, etsi a jure civili irritetur, si tamen jure naturali vel regio non irritetur, ne alias, si leges civiles haberent hunc effectum, obligarent tanquam propriæ, quod dicendum non est.

QUÆSTIO LI.

Quid circa potestatem condendi leges civiles de aliis Principibus dicendum?

1. RESP. primò. Reges, uti & Principes alii & Respublicæ in provinciis sibi subjectis non recognoscentes superiorem idem hac in parte possunt, quod Imperator. Et in specie S. R. Imperii Principes, ut observat Laym. *in c. quæ Ecclesiarum de Constit. n. 4.* habentes a Cæsare regalia, ejusque benignitate summum repræsentantes Magistratum, juxta exigentiam locorum pro territoriis suis leges condere possunt, modò neque Imperatori aut aliis Principibus non sint præjudicantes & alias licitæ. Ubi tamen illud notandum, quòd quandoque, ut leges eorum totum regnum, provinciam, statum obligent, exigant consilium vel etiam consensum Procerum, Parlamenti, Statuum Provincialium, supremi Senatus. Unde & hodiedum ad constitutiones totum Romanum Imperium obligantes, Electorum illius aliorumque Principum ac Statuum consensum requiri, ex variis constitutionibus ac Recessibus imperialibus desumi ait Wiestner. *ad h. t. n. 31.* teste Hermes *fascicul. juris publ. c. 11. n. 74.*

2. Resp. secundò. Principes ceterique magistratus recognoscentes superiorem in temporalibus leges condendi potestatem non habent, nisi fortè de consuetudine aut speciali privilegio; idque secundum limites concessæ sibi aut præscriptæ potestatis. Abb. *in cit. c. quæ Ecclesiarum num. 6.* Suar. *l. 3. c. 9. num. 10.*

QUÆSTIO LII.

An dicti Principes condere possint leges contrarias legibus imperatoriis?

RESP. Tametsi, quòd talium Principum potestas legislativa extendat se non tantum ad leges secundum, sed etiam præter jus commune condendas, facilè concedi ab omnibus asserat Wiestner. *n. 32.* num tamen extendat se quoque ad leges juri communi contrarias, valde controvertunt AA. Posse eos condere statuta utrique juri civili & canonico contraria, modò nihil injusti aut illiciti contineant, ob paritatem consuetudinis, qua utrique juri derogari potest juxta communem, affirmant Rocbus de Curte *de consuetud. §. 3. n. 7.* Alberic. *de Statut. p. 1. qu. 7.* apud Wiestner. *n. 33.* E contra, tales per suas leges contrarias neutri juri derogare posse, censent apud eundem Azor. *instit. mor. p. 1. l. 5. c. 25. qu. 11.* Suar. *l. 6. c. 26. a n. 6.* ducti generali ratione; quòd vis ac potestas inferior prævalere nequeat superiori tanquam fortiori *can. inferior, dist. 21.* & *c. inferior, de major. & obed.* uti & *Clem. ne Romani de elect.* ubi Papa Clemens V. *nos attendentes, quod lex superioris per inferiorem tolli non possit &c.* Distinguunt melius cum Abb. in *c. fin. de consuetud. n. 9* Felin. *in c. quod super, de majorit. n. 2.* Engels *ad h. t. n. 19.* Reiffenst. *a num. 81.* Wiest. *a num. 34.* & alii, nimirum quòd possint condere leges contrarias juri communi civili, non verò canonico; eo quòd hoc expressè a Papa inhibeatur Episcopis aliisque Prælatis, per *cit. c. quod super, can. institut. 25. qu. 2. can. amputato, can. Ecclesiasticum ead. qu.* illud verò ab Imperatore concedi *in l. omnes ff. de jur. & just.* habeat communis DD. interpretatio, etsi Suar. illud accipiat de legibus Imperialibus ultra jus commune latis. Quodque illud facilius concedat Imperator quam Pontifex, hanc ex Abb. l. c. AA. assignant rationem: nimirum, quòd majus manifestumque salutis animarum & circa hanc errandi periculum incurratur, concedendo potestatem inferioribus constituendi aliquid contra jus canonicum ordinatum principaliter ad dirigendum hominem ad Deum & finem ultimum, quale periculum non intervenit in regimine politico ex concessa potestate inferioribus magistratibus statuendi aliquid contra leges imperatorias seu jus civile commune principaliter tendens in bonum publicum temporale subditorum, utpote, quòd tales inferiores, dum melius norunt naturam & mores particularium suarum nationum, item hic & nunc occurrentes diversimodas circumstantias locorum & temporum quam Imperator, statuendo contraria legibus Imperatoriis sine tali errandi periculo intendere possunt. Neque hic valet argumentum desumtum a consuetudine; cum hæc vim suam habeat non tantum a tacito consensu, sed etiam ab authoritate Papæ, qui eam contra leges canonicas induci permisit, & introductam approbavit *c. fin. de consuetud.* ubi juri positivo contraria consuetudo, dum rationabilis & legitimè præscripta, generaliter nullo facto discrimine inter leges & canones, approbatur.

QUÆSTIO LIII.

An Regina condere possit leges?

1. RESP. primò. Regina domina regni non juncta matrimonio non secus ac quilibet rex ferre potest leges Abb. *in c. dilecti.* Suar. *l. 3. c. 9. num. 9.* Bonac. *d. 1. qu. 1. p. 3. num. 8.* Castrop. *cit. §. 2. n. 3.* cum communi. Ex una enim parte fæmina est capax jurisdictionis, maximè civilis, etiam regiæ, *c. dilecti de arbit. c. ex parte ib. 2. de privileg.* ex altera parte ratione dominii in regnum habet hanc potestatem legislativam; cum sine ea regnum gubernare non possit. Neque obstat primo Apostolus *ad Timot. 2.* nam ibi Apostolus prohibet mulieri docere publice doctrinam fidei; quia id indecens; quæ indecentia non invenitur in legibus ferendis, utpote quas ferre potest secretè, & postea voce præconis promulgare. Item prohibet fæminam dominari viro in iis, quæ spectant ad usum matrimonii & regimine familiæ, in quibus ut ait Castrop. natura fecit fæminam inferiorem viro; non autem in gubernatione politica. Neque secundò *l. fæminæ ff. de Reg. juris*, nam ibi solummodo excluduntur fæminæ communes nullam habentes jurisdictionem ab officiis publicis, non eæ, a quibus officia publica pendent.

2. Resp. secundò. Quin etiam Regina juncta matrimonio retinet potestatem ferendi leges, quia retinet jus & dominium regni, ad quod dominium necessario sequitur administra-

stratio & gubernatio regni. Regnum enim transferri non potest in maritum sine consensu regni, quod nullibi constat, dedisse suum consensum in dictam translationem reginæ ineunti matrimonium; alias ea mortua sine liberis maritus maneret Rex & dominus regni. Ita Castrop. *cit.* §. 2. *num.* 3. dicens esse communem. Sed neque relicta uxori reginæ proprietate regni, ejus administratio in maritum fieri potest sine consensu regni. Neque illud censetur præbere consensum, cum sit contra naturam ipsiusmet regni; dum enim regnum transfert dominium sui, transfert quoque in eum potestatem jurisdictionis. Neque in contrarium probat acceptum simile a dote, cujus administratio est apud maritum, proprietas apud uxorem. Quia dos ad subeunda onera matrimonii data est, & ideo ejus administratio esse debet apud maritum. Regnum autem concessum non ad onera matrimonii subeunda, sed ad regendos subditos. Unde jam maritus non habens dominium in actiones uxoris, nisi tantum eas, quæ ad regimen familiæ spectant, prohibere nequit, ne uxor leges ferat, & ipse iis obligetur; sed solum ei ratione conjugii cum Reginæ conceditur nomen Regis & honor regni. Castrop. *n.* 7. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 10. Tiraq. *de nobilis. c.* 18. *num.* 3. Bald. *in c. significavit de rescript. n.* 3. *&c.*

QUÆSTIO LIV.

An & qualiter populo competat potestas ferendi leges?

1. RESp. primo. Competere hanc potestatem cuilibet populo (subintelligendo constituenti communitatem perfectam. V.g. civitatem, quæ ut Cicero *in somnio Scipion.* est cœtus hominum jure sociatus; item vivendi in statu democratico) ait Reiffenst. *ad h. t. n.* 81. *& nu.* 100. allegans §. *est in-stit. de jure nat. gent. & civil.* & *can.* 1. *dist.* 2. citatque insuper Fagn. *in c. quæ Ecclesiarum à nu.* 3. qui id probat ex *l. item eorum ff. quod cujuslibet universitatis*, & *l. prohibere ff. quod vi vel metu*. Quod si tamen populus potestatem hanc a se abdicasset, transferendo eam in unum vel plures aliquos, & factum ex democratico regimen monarchicum vel aristocraticum, nihil amplius quò ad condendas leges poterit, quam quod vel ex indulto istius sui Principis, aut optimatum vel denique ex usu vel consuetudine acquisivit. Castrup. *cit. p.* 22. §. 2. *num.* 11.

2. Resp. secundò. Communitates civiles imperfectæ, quales sunt una familia, domus, vel etiam pagus exiguus leges condere nequeunt, uti habet communis cum Bartol. *in l. omnes popul. ff. de just. & jur. q.* 5. & Canonistis *in c. cum Ecclesia S. Mariæ de constit.* & *c. solitum de major. & obedient.* Siquidem potestas legislativa supponit potestatem jurisdictionis in rempublicam, quæ talibus communitatibus non inest. Et licet quandoque tales pagi similesve communitates imperfectæ habeant forum causarum valde levium, in eo tamen non lege sua vel statuto, sed Principis, procedere possunt ac debent. Crimer. *ad h. t. n.* 498. De cetero licèt statuta pertinentia ad rectam & politicam gubernationem, habentia vim legis facere nequeant, ut Castrop. *l. c.* citans Suar. Salas &c. contra Barthol. *in cit. l. omnes populi.* Sylv. *v. lex q.* 4. & alios, possunt tamen tales imperfectæ communitates singularibus personis præcepta imponere, sicut potest paterfamilias pro sua domo; hoc enim iis ab eorum Dominio indulgeri probat osus. Nec iis inhibitum est facere conventiones inter se, quibus vi contractus obligentur, sed tantum durabiles, quousque ab eorum gubernatore non revocentur, Castrop. *l. c.* Suar. Bonac. cum D. Thom. 1. 2. *q.* 90. *a.* 3. Atque ex his colligitur multò minùs singulares personas ratione Dominii, quod habent in aliquos v. g. maritalis in uxorem, paterni in filios, herilis in famulos, despotici in servos, nullatenus leges aut statuta facere posse, sed solum præcepta; cum ad hoc non sufficiat potestas dominativa, neque etiam gubernativa alicujus imperfectæ communitatis. Castrop. *l. c. n.* 8. qui etiam *n.* 9. fusè ostendit, in quo dicta potestas dominativa a potestate jurisdictionis distinguatur.

QUÆSTIO LV.

An & qualiter penes summum Pontificem sit potestas ferendi leges ecclesiasticas?

1. RESp. primò. Esse hanc potestatem in Pontifice legitimè electo, utpote cui tanquam summo Christi in terris Vicario commissa potestas gubernativa totius Ecclesiæ, quæ sine potestate legislativa esse non potest, nemo Catholicorum dubitat. Esse quoque hanc potestatem a Christo, constat ex eo, quod sit supernaturalis. Et quidem immediatè, & non mediante Concilio seu congregatione Cardinalium. Non enim eam Christus contulit Ecclesiæ, ut hæc illam in Petrum transferret, sed immediate Petro, ut ab illo in successores derivaretur. Suar. *l.* 4. *c.* 3. Bellarm. *l.* 4. *de Rom. Pontif. c.* 23. *& seq.* Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 23. *n.* 5. juxta *c. novit. de Judic. cap. significasti. de elect.* & prout deciditur a Trident. *sess.* 14. *c.* 7.

2. Resp. Secundo. Sed neque hæc potestas Pontificis in usu dependet a consilio vel consensu Cardinalium. Sed etiam sine consilio & consensu eorum, imo ipsis contradicentibus, leges ferre potest. Felin. *in rubr. de constit. nu.* 2. Decius *ibid. Lect.* 1. *q.* 3. Suar. *l. c. n.* 14. Castrop. *n.* 3. cum communi, pro ut decisum videtur *c. cuncta q. q.* 3. ubi: *Apostolica sedes sine ulla Synodo præcedente solvendi & damnandi habuit potestatem*: contra And. Siculum *tractat. de præstant. Cardinal. p.* 1. *q.* 1. Cardin. *cons.* 518. Jo. Monach. & Anehar. *in c. super eo de hæret. in* 6. Siquidem Papa eandem potestatem habet, ac habuit Petrus; sed is independenter ab aliis Apostolis potuit ferre leges. Sed neque a Christo ullibi insinuata illa dependentia, sed potius contrarium. Cumque sit de jure divino & divina, prout dicitur *Extrav. unam sanctam, de major. & obed. inter commun.* astringi aut limitari nequit ab ullo hominum cœtu, etiam concilio generali, supra quod est Papa, & a quo omnis ejus authoritas dependet, ut ostendunt Bellar. *de Concil. c.* 14. Azor. *Tom.* 2. *l.* 5. *cap.* 12. *q.* 5. Molin. *de Just. tr.* 2. *d.* 21. Valent. 2. 2. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 7. Quod autem quandoque Papa ad ferendas leges expostulet a congregatione Cardinalium consilium aut assensum, non est de necessitate, sed æquitate, ut omnes intelligant, summa maturitate & prudentia gubernari Ecclesiam. Unde etiam, ut observat Wiestner *ad h. t. nu.* 11. juri communi insertis constitutionibus Apostolicis raro addita leguntur illa verba: *Sacro approbante concilio*: vel *de Fratrum nostrorum consilio*: quæ tamen ejus rescriptis corpori juris non insertis frequenter apposita leguntur.

3. Resp. tertiò. Habet hanc potestatem regendi Ecclesiam, adeoque & ferendi leges Ecclesiasticas Papa immediate post canonicam sui electionem præstitumque suum in eam consensum, etiam ante consecrationem *can. in nomine Domini, dist.* 23. *Extr. annulli de sent. excomm. inter commun.* cùm jurisdictionem omnem accipiat immediate ab Ipsomet Deo, neque in terris agnoscat superiorem, a quo confirmetur.

QUÆSTIO LVI.

An & unde hæc potestas condendi leges canonicas sit penes Episcopos, & qualiter ea uti possint?

1. RESp. ad primum. Certum est Episcopos in & pro suo Episcopatu ferre posse leges, *c.* 2. *de major. & obedient. c.* 2. *de Const. in* 6. & DD. communiter *in rub. & cap. cum accessissent de const.*

2. Resp. ad secundum primò. Hanc tamen potestatem jurisdictionis Episcopalis & legislativam non habent immediatè a Christo, cum soli Petro ejusque successoribus dictum: *Pasce oves meas*. Sed a Pontifice, illo nimirum tanquam primo fonte mediante. Ita ut hæc potestas non immediatè a Deo conferatur huic singulari personæ, quæ in Episcopum particularis Ecclesiæ electa seu denominata est (uti contingit in Papa respectu universalis Ecclesiæ) sed solum mediante authoritate Pontificis per factam ab eo institutionem & confirmationem Episcopi. Unde & is potestatem Episcopi sic constituti limitare & restringere (intellige etiam directè) possit, quod facere non posset, si Episcopi immediatè eam haberent. Adeoque non tantum dependenter in hoc sensu illam habent a Pontifice, ut vult Vasq. 1. 2. *d.* 152. *c.* 2. secutus a Catio *de justa hæret. punit. c.* 24. Quòd Papa assignet illis materiam circa quam exerceant jurisdictionem, nempe subditos, qua assignata, illi utantur potestate sua jam habita a Christo. Quemadmodum ignis verè habet in se potentiam comburendi; sed comburere nequit, nisi materia ei applicetur. Responsionem nostram tenent Suar. *de LL. l.* 4. *c.* 4. *a num.* 6. ubi eam dicit communem Theologorum & Jurisperitorum, a qua recedendum non sit. Bellarm. *de Rom. Pontif. c.* 15. *& l.* 4. *c.* 54. Valent. *Tom.* 2. *d.* 2. *q.* 1. *p.* 7. Castrop. *cit. p.* 23. *num.* 4. & alii passim. Eique non obstat primò, quòd Episcopi sint successores Apostolorum, quibus collata immediatè a Christo potestas una cum S. Petro gubernandi totam Ecclesiam. Sunt enim successores Apostolorum non in Apostolatu seu jurisdictione, alias enim haberent pro toto mundo jurisdictionem sicut & illi, & consequenter parem cum

Pon-

Pontifice, sed tantum in Episcopatu, hoc est, in consecratione. Neque secundò, quod Apostolus *Actor.* 2. dicat Episcopos positos a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei. Satis enim salvatur id per hoc, quod Spiritus S. inspiraverit & providerit, quin & præceperit, ut a Pontifice crearentur Episcopi, & illis ab eo conferatur jurisdictio, etsi de cetero eorum consecratio immediatè a Christo instituta. Castrop. *n.* 6. Neque tertiò, quod habeant jurisdictionem ordinariam. Nam ex eo non repugnat illos eam babere a Papa; talis enim dicitur, quam quis accipit ratione officii cum potestate delegandi. Neque quartò, quod dici possit recipi ab illis potestatem illam immediatè a Christo in habitu, & dependere illam quo ad usum a Papa in assignatione materiæ seu subditorum. Siquidem illa dependentia tollit omninò potestatem antecedentem, cum jurisdictio & potestas esse non possit sine subditis. Alias quilibet dici posset habere potestatem regiam in habitu, quia habet potestatem, ut eligatur in Regem, ut bene Castrop. *cit. num.* 6. Ad hæc illam potestatem, non accipiunt Episcopi immediatè a Christo ratione consecrationis Episcopalis; cum multi Episcopi consecrati nullam habeant jurisdictionem, dum nimirum non est illis Episcopatus assignatus, *c. inter corporalia, de translat. Episcop.* & sanè alias ea esset illimitata, adeoque æqualis Pontificiæ; cum non sit unde limitetur. Neque per electionem & confirmationem illam habent a Christo, alias quilibet Prælatus eam haberet. Hoc tamen verum, quod mox ac Episcopus electus & confirmatus, vel etiam institutus a solo Papa citra electionem, pro jure (intellige Pontificio, non divino) ei concessum sit, condere leges absque alia speciali concessione sedis Apostolicæ. Castrop. *num.* 7. cum communi. Per quod tamen non tollitur, quo minus dicatur eam habere a Papa immediatè; quippe hoc censeor habere a Papa immediatè, quod habeo ipso jure a Papa constituto.

3. Resp. tertiò. Competit hæc potestas condendi leges Episcopo nondum consecrato; cum hæc sit potestas jurisdictionis non ordinis. Castrop. *n.* 7. Reiffenstuel. *ad h. t. n.* 71. juxta *c. si quis venerit, de major. & obed. c. ut animarum, de const. in* 6. An autem competat Episcopis electis ultramontanis, quibus ante confirmationem conceditur administratio Episcopatus ex privilegio, etiam dicta potestas ferendi leges, meritò dubitari potest.

4. Resp. quartò. Nequeunt tamen Episcopi condere leges contrarias legibus Pontificiis, seu juri communi juxta dicta superius ubi allegati pro hoc textus. Quin & ne per Episcopos etiam in Synodo diæcesana statuatur aliquid, quod canonicis obviet institutis, expressè prohibetur *cap. super his de major. & obed. can. institutionis*, 25. *q.* 2. His tamen non obstantibus, leges superioris, etiam divinas, per inferiores adjuvari posse per adjectionem pænæ. V. g. præceptum de non furando lege diæcesana per adjectionem excommunicationis; cum hoc nullibi prohibitum in jure; neque per hoc leges superioris tollantur, cum communi tradunt Abb. *in c. licet de pœnis num.* 5. Menoch. *de Arbitr. jud. casu* 398. *n.* 46. Sanct. *de matrimon. l.* 3. *d.* 47. *n.* 12. Item his non obstantibus possunt Episcopi quandoque in particulari casu dispensare in jure communi, dum superior consuli seu adiri nequit. Bonac. *d.* 1. *p.* 2. *p.* 3. *n.* 23. Decius *in c. at si Clerici n.* 81. *de judic.* Sed, ut bene Castrop. non est hoc legem contrariam juri communi ferre. Nequeunt etiam contravenire statutis (intellige Capitulorum & similium congregationum) a Pontifice confirmatis. Suar. *l.* 4. *c.* 5. *num.* 2. Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 17. *num.* 30. Navar. *ad tit. de regular. cons.* 26. *nu.* 4. Castrop. *cit. p.* 23. *n.* 7. Item non possunt Episcopi leges condere in rebus gravioribus; tum quia hæc in generali regula sunt Pontifici reservata, *c. majores, de Baptismo c.* 1. *de translat. Episcopor.* Castrop. *nu.* 8. in signum supremæ potestatis: tum etiam, quia causæ graviores sæpe adversantur juri communi. Porrò tales causas graviores esse, ex Suar. Salas & aliis ait Castrop. quæ ad universalem Ecclesiam ex se pertinent; qualis v. g. est canonizatio sanctorum, continentia Sacerdotum, revocatio consuetudinis vel privilegii universalis, Episcopatus unire, dividere &c. Proinde jam vulgare axioma illud (quod tamen reprobat Fagn. *in c. perniciosum de off. Ordinar. num.* 29.) Episcopus potest in sua diæcesi, quod Papa in tota Ecclesia: accipiendum juxta adjectam ei limitationem, nimirum exceptis Papæ reservatis specialiter, quales sunt dictæ causæ majores, uti & immutatio constitutionum Apostolicarum.

5. Resp. quintò. Possunt Episcopi leges condere diæcesanas, hoc est, obligantes totam diæcesim, etiam extra Synodum, *c. si quis venerit de major. & obed. c. vestra juncta glossa v. statuto de locato.* Reiffenst. *ad h. t. num.* 69. qui etiam id ipsum procedere ait de statutis pænalibus, v. g. pœnam excommunicationis transgressoribus infligentibus juxta *c. ut animarum de constit. in* 6. est enim Episcopus in sua diæcesi Princeps *c. miramur §. principatus dict.* 61. & *c. principatus* 1. *q.* 1. cui specialiter & independenter a Synodo Pontifex hanc potestatem contulit, vocando ipsum in partem sollicitudines, non in plenitudinem potestatis. *Can. decreto* 2. *q.* 6. *juncto c. si quis vixerit de major. & obed.*

6. Resp. Sextò potest quoque regulariter loquendo condere leges & statuta independenter a consensu Cleri vel Capituli; cum potestatem hanc ab illo non habeant: neque etiam reperiatur ullibi concessa illi hæc potestas cum hac dependentia & limitatione. Suar. *l.* 4. *c.* 5. *num.* 2. Salas, *d.* 8. *de LL. S.* 7. *num.* 71. Castrop. *cit. p.* 23. *n.* 10. Reiffenst. *ad h. t. nu.* 72. Crimer. *n.* 507. argument. *c. novit. & c. quando, de his, quæ fiunt a Prælatis.* Dixi regulariter loquendo; nam excipiuntur quædam in quibus statuendis requiritur consensus, aut ad minimum consilium Capituli. Talia sunt primò, dum statuendum aliquid de rebus spectantibus simul ad Episcopum & Capitulum requiritur non tantum consilium, sed & consensus Capituli. Reiffenstuel. *n.* 73. citans Abb. *in c. cum consuetudinis n.* 5. *de consuetud.* juxta *Reg.* 29. *juris in* 6. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Secundò in illis, quæ cedere possunt in præjudicium Capituli vel Cleri, ut si fieret nova constitutio militans contra privilegium Capitulo a superiore concessum, vel contra consuetudinem legitimè præscriptam, requiritur consensus Capituli, utpote cujus specialiter jura tanguntur. Crimer. *l. c.* Reiffenst. *n.* 73. citans Suar. *l.* 4. *Cod.* 5. Pirh. *ad h. t. num.* 4. juxta *cit. c. novit.* Tertiò in festis statuendis requiritur etiam consensus Cleri, aut etiam populi, ut Castrop. *cit. num.* 10. citans *c. ult. de feriis.* Quartò in rebus Ecclesiæ alienandis, idem est de beneficiorum unionibus, dismembrationibus & similibus faciendis. *c. quanto c. vestra de his quæ fiunt a Prælatis*, quamvis is non sit usus potestatis legislativæ, sed alterius. Quintò in rebus arduis & gravibus ad minimum requiritur consilium Capituli, ut Crimer. *num.* 507. & secundum Reiffenstuel etiam consensus.

QUÆSTIO LVII.

An leges & statuta condita ab Episcopo sint perpetuæ seu durent post mortem illius.

RESP. Præterquam quod de hoc satis ex dictis constare videatur; dum enim dictum, illos condere posse leges, intelligendum utique de veris legibus, quæ ex natura sua sunt stabiles, & durant post mortem conditoris. Statuta Episcoporum facta in Synodo diæcesana perpetuo durant, nisi revocentur, ut habet communis. De factis vero extra Synodum id negant Barbos. *p.* 3. *de off. & potest. Episc. allegat.* 93. *num.* 23. asserens id pro certo supponi a Rota *decis.* 76. *n.* 6. *p.* 1. *recent.* Zerola *prax. Episc. p.* 1. *v. edicta §. ad Bantium.* Sperel. *Fori eccles. dec.* 14. *n.* 21. & 22. citans alios, & inde post Riccium *decis.* 149. *n.* 2. *p.* 1. inferens, quod casus ab Episcopo reservati per ejus obitum exspirent, nisi reservatio facta in Synodo atque ideo Vicarii Capitulares solent statim defuncti Episcopi edicta & casus reservatos revocare, pro ut se idipsum practicasse testatur idem Sperellus quos tamen AA. loqui tantum de edictis & mandatis Episcoporum absque consensu & consilio Capituli universaliter latis, ait Reiffenst. *ad h. t. num.* 70. inter quæ & statuta vel in hoc ipso faciendum discrimen, ait Fermos. *de potest. Capitul. tr.* 2. *q.* 4. *num.* 1. & 2. Sed quidquid sit de hoc, de statutis factis extra Synodum, saltem de consensu vel consilio Capituli in rebus arduis requisito, quod durent perpetuò, probabilius docent Federic. de Senis *cons.* 16. ubi addens rationem, ait; quia natura statuti est, quod sit perpetuum *cap. ult. de const.* Bald. Perusin. *Tom.* 2. *tractatuum tr. de statut. §. Episcopus num.* 2. ubi, quod Episcopi facere possint statuta; quæ comparari non debent Magistratibus municipalibus, sed Præsidibus Provinciarum. Jason. *in l. stipulationem alia, ff. de verb. oblig.* ubi quod constitutio Episcopi sit jus prætorium, & quod statuta Episcoporum sint perpetua. Ac denique Gloss. *in c. ult. de off. Legat.* (ubi dicuntur statuta Legatorum perpetua) *v. statutum*, dicens idipsum intelligendum de statutis Episcoporum pro sua diœcesi. Et sanè, si idipsum dicendum de statutis factis a Capitulo sede vacante, ut paulò post dicetur, multo magis id dicendum de statutis Episcopalibus.

QUÆ-

QUÆSTIO LVIII.

Quid quo ad potestatem ferendi leges specialiter dicendum de Archiepiscopis, Primatibus & Patriarchis.

RESp. Licet pari modo ac Episcopi pro sua diœcesi, ita Archiepiscopi seu Metropolitani pro sua Arehidiœcesi possuot coudere leges; coustitutiones tameu novas seu leges obligantes suorum suffraganeorum Episcoporum diœceses seu totam provinciam, facere non possunt, nisi in Concilio provinciali & de consensu suorum suffraganeorum seu comproviucialium Episcoporum. Fagn. *in cap. Antigonus de pactis*. Suar. *l. 4. cap. 5. num.* 3. Sanch. *de mat. l. 8. d. 17. num.* 36. Castrop. *cit. p.* 23. *num.* 11. Reiffenst. *ad h. t. nu.* 75. Wiestner. *n.* 22. eum communi juxta expressos textus *c. nullus Primas & c. olim de accusat.* Et quamvis Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 25. excipiat tempus, quo visitaret Archiepiscopus in diœcesibus suorum suffraganeorum, melius tamen ait Castropal. eitans Suar. *l.* 1. *cap.* 10. *nu.* 7. quòd tune non tam leges quam præcepta non duratura perpetuo imponere possint. Proinde Archiepiscopo & Episcopis comprovincialibus iu aliquo statuendo discordantibus, adeundum superiorem; cùm & illi habeant votum decisivum, & sint Judices, ait Fagn. *loc. cit. num.* 61. Potest autem Archiepiscopus etiam aute susceptum pallium exercere ea, quæ sunt jurisdictionis. Fagn *in c. quanto de consuetud. n.* 37. *ex c. quod sicut de elect.* consequenter & leges condere. Crimer. *ad hoc t. nu.* 527. De cetero Primates, Patriarchas & Exarchos oihil specialis privilegii habere præ ceteris Episcopis, nisi in quantum Canones concedunt, & prisca consuetudo illis contulit, decernitur a Nicolao I. *Epist. sua edita anno* 864. ad Archiepiscopum Bituricensem, prout refertur *c. conquestus* 9. *qu.* 3. Cujus ea est ratio, quod digoitates illæ Metropolitica, Patriarchatus, Exarehatus, ratiooe quarum præeminent Episcopis, sint solum ea jure Ecclesiastico, adeòque nihil aliud iis tribuunt, quàm quod illis jure speciali concedit Ecelesia. Ait etiam Crimer. *n.* 502. hæc nomina Archiepiscopus, Metropolitanus, Primas, Patriarcha quandoque confundi, sumi etiam quandoque latius quandoque pressius, & varias eorum sigaificationes videndas apud Gibalin. *de scicatia Can. l.* 5. *c.* 5.

QUÆSTIO LIX.

Quid dicendum hoc in puncto de Legato Apostolico.

RESp. Potest ferre leges obligantes totam provinciam seu districtum legationis suæ, non solum tempore legationis, sed etiam eo finito, donec a Pontifice vel alio Legato revocetur. Castrop. *l. c. n.* 12. juxta *c. ult. de off. Legat.* Videturque idipsum dicendum de Legatis, etsi non sint de latere, aut cum potestate Legatorum ex latere.

QUÆSTIO LX.

Quid dicendum de Cardinalibus.

RESp. In vi sui tituli, ratione cujus habent jurisdictionem episcopalem in Ecclesiam sibi subjectam, possuot ferre leges illam solùm ecclesiam obligantes. Suar. *l. c. n.* 4. Bonac. *l. c. p.* 3. *n.* 26. Salas *d.* 8. *s.* 8. *n.* 45. Castrop. *cit. n.* 12. Argumento *c. his quæ de major. & obed.* & *c. quadam de el.* & *ibi* Abb.

QUÆSTIO LXI.

Quid dicendum de aliis Prælatis Episcopo inferioribus.

1. RESp. primò. Prælati exempti habentes territorium cum subditis, etiam sæcularibus, & in eo jurisdictionem episcopalem, possunt pro eo ferre leges; cum potestas legislativa sit jurisdictionis non consecrationis episcopalis Suarez, Castrop. Wiestner. *LL. cit.* Hostien. *in summ. num.* 3. & 4. Pirh. *ad h. t. num.* 4. cum communi veniuntque tales nomine diœcesani. Abb. *in Clem. diœcesanis de vita & honestat. clericor.* & in locis pleno jure sibi subjectis suot similes Episcopis *cap. constitutis de appellat. cap. translato de constitut.* Unde, quoties agitur de his, quæ sant jurisdictionis, esto fiat tantum mentio de Episcopis, idem intelligitur de quocunque alio Prælato inferiore habente jorisdictionem quasi episcopalem. Abb. *in cap. sicut unire de excess. Prælat. n.* 3.

2. Resp. secundò. Prælati ordiuum regularium respectu religiosorum sibi subditorum condere possunt Leges & statuta juxta modum in regula præscriptum & consuetudines ac privilegia. Suar. *de LL. l. 4. cap. 6. n.* 21. habent enim veram jurisdictionem quasi episcopalem & potestatem gubernativam in suus religiosos, secus, ac olim antiquorum monachorum Abbates & superiores habuisse videntur, utpote ut Crimer. *num.* 538. in quibus uulli effectus jurisdictionis propriè talis. V. gr. dispensatio iu votis & præceptis Ecclesiæ, inflictio censurarum &c. deprehenduntur. Jurisdictiu etiam illa & potestas gubernativa non tantum est ex vi voti obedientiæ & traditionis, qua subditi se is tradiderunt gubernandos; sed etiam concessa a summo Pontifice ad subditos juxta tegulæ præscriptum gubernandos. Suar. *l. c.* Crimer. *num.* 536 juata *c. in singulis de statu monachor.* ita tamen, ut in quo resideat dicta jurisdictio, pendeat a peculiaribus religionum statutis.

3 Resp. tertiò. Abbatissæ, Præpositæ similesque monialium Præfectæ leges ferre non possunt respectu suarum religiosarum; cum non habeant jurisdictionem propriè talem, utpote quæ jurisdictionis spiritualis incapaces sunt. Suar. *To. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c.* 1. cum D. Thom. *in quart. dist.* 25. *qu.* 2. *ad* 1. *num.* 1. Ad hoc autem, quod monialibus suis dare possint præcepta, & hæ iis obedire teneantur, quodque eas etiam pœnis corporalibus cogere possint ad ea, quæ præcepta, quæque regulæ & votorum observantia postulant, sufficit potestas quædam dominativa & guberoativa spiritualis quasi materna, quæ competit superioribus tegularibus ex voto obedientiæ supra subjectos suos, ut eos secundum regulam dirigant in vitam æternam. D. Thom. Suar. *LL. cit.* Passerin. *de elect. cap.* 25. *num.* 344. Quamvis Castrop. *cit. part.* 23. *num.* 27. dicat, Abbatissis & similibus monialium Præfectis concessam esse potestatem præcipiendi, non solum ex voto, sed etiam ex jurisdictioue a Papa, alias non possent moniales delinquentes punire. Citatque pro hoc Sanch. *l. 6. in decalog. cap.* 1. *num.* 21 Vasqu. 1. 2. *d.* 166. *cap.* 4. *numer.* 28. Bonacinam &c.

4. Resp. quartò. Decanus (qui, ut Fagn. *in cap. ut Abbates de ætat. & qualit. numer.* 20. est honorabilior de Capitulo, non est tamen de Capitulo, nisi simul sit Canonicus, vel id habeat consuetudo; cum dignitates, qualis est Decanus Cathedralis & collegiatæ, non alius, ut idem Fagn. *loc. cit. num.* 23. non sint de capitulo *cap. novit. cap. quanto de excess. prælator.*) nou videtur se solo, seu ut distinctus a capitulo, & caput illius, etiam de hujus consilio vel consensu posse ferre leges aut statuta facere, ut patebit ex dicendis paulo post de Capitulo.

5. Resp. quintò. Archidiaconus tametsi jurisdictionem habeat ordinariam, etiam contentiosam, diversam a jurisdictione Episcopi, & quidem a lege, & nou ab Episcopo, pro ut hæc habentur iu *Can. perlectis dist.* 25. *juncta gl. v. & jurgia* & *cap. ad hæc de offic. Archid.* possitque salubriter multa ordinare, statuere, corrigere iu Archidiaconatu suo, pro ut pluribus infra *ad tit.* 23. *de offic. Archid.* leges tamen proprie tales ferre non potest; tum quia jurisdictio ejus valde subordinata est jurisdictioni Episcopi; tum quia ardua (iuter quæ esse videtur condere leges) expedire nequit *cit. c. ad hæc* neque etiam censuras ferre. Similiaque præstare, quæ signa sunt jurisdictionis diminutæ & ad potestatem legislativam insufficientis.

QUÆSTIO LXII.

An & qualiter potestas legislativa competat Conciliis generalibus.

1. RESp. primò. Concilium generale seu œcumenicum vivente Pontifice absque ejus authoritate & consensu congregatum uullatenus leges condere potest. Bellarm. *l.* 2. *de concil. cap.* 14. Suar. *de LL. l. 4. cap. 6. num.* 3. Castropal. *tr.* 3. *d.* 1. *part.* 23. *numer.* 14. Molin. *de Justit. tractat.* 2. *d.* 21. utpote quod vel hoc ipso uimirum deficiente illi capite, verum Concilium non est. Sumitur enim Concilium pro cœtu & conventu Episcoporum maximè aliorumque Prælatorum pro resolvendis rebus fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis a legitimo superiore, in unum congregatorum. Et Concilia generalia eorumque decreta authoritatem nullam habeut, dum authoritate Papæ sunt destituta. Constat

stat manifeste ex *capit. Significasti de elect.* & *ibi* Barbos. *nu.* 5. Ratio etiam a priore est, quod hæc potestas ferendi leges & sanctiones canonicas collata non nisi Petro ejusque successoribus, ut iis tanquam a capite ad reliqua membra derivanda. Castrop. *l. c.* Et quæ sunt universi corporis Ecclesiastici, de iis judicare spectet ad universalis Ecclesiæ omniumque fidelium supremum rectorem & caput. Suar. *cit. c.* 6. Laym. *Th. Mor. tr.* 4. *c.* 2. § 2. *n.* 9.

2. Resp. secundò. Concilium generale legitimè authoritate Pontificis congregatum condere non potest leges totam Ecclesiam obligantes, antequam hæ a Pontifice approbentur. Castrop. *l. c. n.* 15. citans Molin. Bellarm. Suar. *ubi ante* Navar. *cons.* 1. *ad tit. de Consl. n.* 2. Cajetan. *opusc. de comparat. Papæ & Concilii*. Turrecrem. & alios contra Bonacin. *d.* 1. *quæst.* 1. *p.* 3. *num.* 13. Soto *in quartum dist.* 20. *q.* 1. *a.* 4. *ad* 2. & alios censentes, hoc ipso, quod tale Concilium authoritate Papæ congregatum ad ferendas leges posse eas condere, & hæ ulteriore Papæ approbatione & confirmatione non egeant, Verum in contrarium est praxis & usus Ecclesiæ, dum non solum postremum Concilium generale Tridentinum, in quo præter Canones & dogmata fidei multa decreta circa reformationem morum sunt edita, a Papa postulavit decretorum suorum confirmationem, ut constat ex ejus *sess.* 25. *in fine*; sed & in prima Nicæna Synodo sub Sylvestro Papa celebrata, ceterisque Conciliis, tametsi in iis præsederint Legati pontificii, factum. Unde rectè infertur, judicasse Concilia illa, leges & decreta a se facta egere dicta confirmatione, & absque ea totam Ecclesiam obligare non posse. Patet quoque ex eo, quod ad hoc non sufficiat, Concilia authoritate Pontificis congregata esse, quod etsi sic congregata, postmodum tamen in varios inciderint errores, ac Deo reprobata, ut constat de Concilio Ephesino 2. per Leonem I. indicto. De Basileensi congregato sub Eugenio IV. & tamen ex parte reprobato. Taliaque plura recenset Bellarm. *l.* 1. *de Concil. c.* 6. & 7. Ratio etiam accedit, quod Papa Patres Concilii adhibeat tanquam consiliarios suos, eorumque consilio utatur ad res fidei decidendas, legesque pro bono Ecclesiæ condendas, simulque tanquam Judices universalis Ecclesiæ, qui sententiam suam super rebus fidei ac morum ferre possunt, non tamen tanquam Judices supremos a se ulterius independentes, sed a sua approbatione superventura dependentes. Reiffenstuel. *ad h. t. n.* 64. Unde jam etiam a tali Concilio, cui ipse non interfuit, ante ejus confirmationem posse appellari ad Papam tanquam superiorem (secus, si ipse Papa interfuit) ex dictis infert Castrop. *n.* 17. citans pro hoc Bonac. *d.* 1. *qu.* 1. *p.* 3. *num.* 13. Salas *d.* 8. *s.* 14. *circa finem* & alios, idque argumento *l.* 1. *ff. quis & a quo* & *capit. quæstionem de offic. deleg.* Neque tamen etiam hinc sequitur, Concilium generale convocari frustra ad leges condendas, si hæ insuper egeant Papæ approbatione, ac ita ab ea sola vim suam accipiant. Nam licèt Papa solus posset toti Ecclesiæ præscribere leges ad præcavendos irruentes in eam abusus, longè tamen suavius res agitur, & facilius leges illæ acceptantur, dum concordante idemque sentiente & statuente generali Concilio, Ecclesiam universam repræsentante, hæ conficiuntur, & observandæ proponuntur.

3. Resp. tertiò. Concilium generale congregatum ob defectum Pontificis, vel quia ipse factus est hæreticus, vel quia schisma est inter electos, & nescitur, quis eorum sit legitimus, statuere quidem posse, quæ rectæ Ecclesiæ gubernationi pro illo tempore visa sunt convenientia; cùm id illi jure naturali competat, ne Ecclesia omni remedio destituatur. Non posse tamen condere leges perpetuò duraturas, eo quòd nulli ea potestas concessa, tradit Castrop. *num.* 16. citans Suar. *ubi ante n.* 4.

QUÆSTIO LXIII.

An & qualiter potestas legislativa competat Conciliis particularibus.

1. RESp. primò. Concilia tam episcopalia (hoc est, quæ fiunt ab Episcopis in suis diœcesibus convocatis Abbatibus & ecclesiarum rectoribus) quam provincialia (quæ habentur ab Archiepiscopo convocatis Episcopis suffraganeis, invitatis etiam capitulis cathedralibus, quæ tamen non nisi suffragium consultativum habent ut Crimer. *num.* 318. citatis Abb. *in cap. ultim. de his quæ fiunt a Prælat. num.* 2.) & nationalia (quæ celebrantur convocatis a Primate vel Patriarcha Archiepiscopis, Episcopis unius regni aut nationis seu duarum, trium vel plurium provinciarum) ferre posse leges seu constitutiones vim legis habentes, singula pro suis territoriis, puta, pro diœcesi, pro provincia, pro regno, extra dubium est. Si enim id possunt Episcopi, Primates seorsim a suo clero, multò magis id poterunt una cum clero, seu de consilio & consensu illius, ut bene Castrop. *n.* 18. Neque ad hoc requiritur consensus vel approbatio Pontificis, modò nihil statuant contra Canones & Consuetudines universalis Ecclesiæ. Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 1. *n.* 2.

2. Resp. secundò. Nequaquam tamen ferre possunt leges obligantes extra territoria sua totam Ecclesiam; cum extra illa jurisdictionem non habeant; extra territorium autem jus dicenti impunè non paretur *cap.* 2. *de constit. in* 6. *fin.* & *l. ff. de jurisdict.* Nihilominus dum horum Conciliorum decreta quandoque a Pontifice approbata sunt (intellige non simpliciter tantùm, sed pro tota Ecclesia) vim legis universalis habent ratione hujus approbationis, & non quatenus a tali Concilio emanarunt; carentque tunc omni errore; quia Papa in his, quæ pertinent ad universale Regimen Ecclesiæ, errare non potest. Ac proinde obligant Christi fideles, ac si ab ipso Papa convocata & celebrata essent illa Concilia juxta illud *l.* 1. *Cod. de jure vet. enucleand. omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.* Quæ tamen approbationem habere non sunt censenda per hoc, quod in Decreto Gratiani contineantur. Ita tenent Suarez *l.* 4. *cap.* 6. *num.* 8. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 1. *part.* 3. *num.* 14. Castrop. *cit. nu.* 18. cum communi.

QUÆSTIO LXIV.

An potestas legislativa competat Congregationi Cardinalium.

RESp. Hæc Congregatio neque vivente Papa, neque sede papali vacante habet potestatem condendi leges; sed solùm conceditur illi, ut sede vacante statuant ea, quæ pro electione Summi Pontificis & pro Ecclesiæ defensione, & periculorum occurrentium aversione visa fuerint, expedire *c. ubi periculum, de electione in* 6. caveturque de cetero *in Clem. ne Romani de elect.* ne Cardinales in alio negotio se intromittant, & quidquid aliud fecerint, irritum & inane decernitur. Unde, cum præceptorum impositione sufficienter periculis occurrentibus provideri possit, legem, quæ est statutum permanens, edere nequeunt. Ita Suar. *l. c. n.* 5. Bonav. *n.* 26. Castrop. *nu.* 19. Sed neque in *c. Constantinus dist.* 96. assimilantur Senatui Romano in potestate leges condendi; utpote quam, quia spiritualis, iis concedere nequibat Constantinus, sed solum in dignitate. Neque bene infertur: habent potestatem eligendi supremum legislatorem Papam; ergo & ipsi leges condere possunt. Nam potest alicui concedi actus nobilior, denegato inferiore; sicut Christus concessit Sacerdotibus potestatem consecrandi corpus suum, non tamen calices, ut *gl. in Clem.* 2. *de elect. v. potestatis*. Suar. Bonac. Castropal. *LL. cit.* Porrò de Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini in specie dictum est supra in *quæst. præliminaribus*.

QUÆSTIO LXV.

An & qualiter potestas legislativa competat Capitulo Cathedrali, Episcopo vivente.

1. RESp. primò. Certum est, tunc Capitulum ferre non posse leges obligantes externos; cùm nullam habeat in diœcesanos jurisdictionem nisi per mortem Episcopi. Castrop. *cit. p.* 23. *n.* 24.

2. Resp. secundo. Nequit etiam sine consensu Episcopi facere statuta obligantia suos Canonicos circa ea, quæ concernunt communem statum ecclesiæ sive Episcopatus ejusque jura vel etiam alia ardua negotia *gl. in c. constitutionem v. statutum de verb. signif. in* 6. Barbos. *de Can. & Dignitat. cap.* 42. *num.* 16. Fermos. *de potest. Capit. tract.* 3. *quæst.* 4. *nu.* 1. & alii apud Reiffenst. *num.* 84. Et quidem de statutis contra antiquas consuetudines est expressus textus *in cap. cum consuetudinis de consuetud.* ubi Honorius III. Capitulo Parisiensi rescribens ait: *Cum consuetudinis ususque longævi non sit levis authoritas, & plerumque discordiam pariant novitates, authoritate præsentium vobis inhibemus, ne absque Episcopi vestri consensu immutatis ecclesiæ vestræ consuetudines & constitutiones approbatas, vel novas etiam inducatis, si quas forsè fecistis irritas decernentes &c.*

4. Resp. tertiò. Certum etiam est, Capitulum, etiam accedente consensu Episcopi, non posse facere statuta juri communi contraria, eaque facta sunt omnino invalida.

Fermos. l. c. n. 29. Oldrad. cons. 359. nu. 6. Feder. de Senis cons. 27. cum inferior non possit tollere legem superioris, constat ex dictis supra. Sic in specie, etiam cum consensu Episcopi, statuere nequit, ut descendentes ex genere Judæorum, Maurorum &c. ceteroqui tamen digni non admittantur ad beneficia ecclesiastica; quia id est contra jus commune *cap. cum te de Rescript.* Ubi Papa sic rescribit: *pro eo vero quod Judæus extiterit, ipsum dedignanti non debet recipere in Canonicum &c.* Ita Barbos. *l. c. n. 18. & l. 3. Jur. eccles. c. 32. nu. 18.* allegans Decis. Rotæ *in Cordub. dimidiæ post 28. Jun. 1628. coram Merlin.* Fermos. *l. c. n. 6.* aliique ab iis citati. Sic non valet statutum Capituli, ut non admittantur Canonici nisi probata nobilitate, quia est contra *c. venerabilis de præb.* ubi allegata hujus ratione sic dicitur: *non generis sed virtutum nobilitas vitæque honestas gratum Deo faciunt, y dignumque Servitorem, ... nec est acceptio personarum apud Deum; & vix ad culmina Dignitatum (nedum præbendas) viri eminentis scientiæ valent reperiri*. Ita Reiffenst. *n. 86.* citans Abb. *in cit. c. venerabilis nu. 4.* Barbos. *ibid. n. 5.* allegantem plures alios. Pirh. *cod. tit. 112.* qui tamen *nu. 113.* excipit ecclesias, in quibus ex primæva institutione requiritur nobilitas; uti & excipiendum tale statutum a Sede Apostolica specialiter confirmatum. Sic quoque non valet statutum, ut capiens possessionem Canonicatus vel beneficii teneatur aliquid solvere convertendum in commodum aliorum Canonicorum, beneficiatorum, quia id tanquam Simoniacum reprobatur *Can. si quis præbendas 1. q. 3. & cap. Jacobus de Simonia* ubi Abb. *n. 2.* Jo. And. *n. 4.* Felin. & alii. Tusch. *Lit. S. concl. 392. n. 12.* Garc. *de benef. p. 8. c. 1. n. 83. & 84.* citans declarationem S. Congreg. *in una Leodiens.* juncto Trid. *sess. 24. c. 14. De reform.*

Nihilominus illud hic observandum, quod si in certis ecclesiis Capitulum acquisivisset sibi præscriptione vel privilegio jura episcopalia incluso Episcopo (ut fieri potest *c. audita de præscript.* Fagn. *in c. tua de Clericis non resident. in 6.* ex Calderino) Capitulum tale etiam collegiatum posse, quod posse diximus Prælatos exemptos habentes jurisdictionem quasi episcopalem. Crimet. *n. 541.* adeoque etiam ferre leges, si habent territorium.

4. Resp. quarto. Potest tamen in rebus particularibus concernentibus particularia negotia ipsius Capituli reclamque illius & ecclesiæ ordinationem. V. g. ut certo modo quotidianæ obventiones distribuantur, ut tali vel tali ordine, aut ad pulsum hujus vel illius Campanæ Canonici ad Chorum vel Capitulum vocentur, ut determinatis temporibus etiam non vocati in capitulo compareant &c. potest inquam in his facere statuta, etiam absque Episcopi consensu. Gl. *in c. constitutionem v. statutum, de verbor. significat. in 6.* Abb. *in c. cum omnes, de constitut. num. 4.* Felin. *ibid. num. 10.* Barbos. *de Canonic. c. 42. num. 16.* Castrop. *cit. p. 23. num. 25.* dicens, esse sententiam communem, & hæc non procedere, ut quidam volunt, tantum per modum regulæ & directionis, ad quam teneantur, si jurent vel promittant, vi juramenti vel promissionis, sed ex vi legis & veri præcepti; cùm in his habeant jurisdictionem & jus in seipsos statuere possint. Argumento *c. cum omnes de const.* Neque his obstat præstitum desuper juramentum a Canonicis; hoc siquidem expostulatur ad majorem statuti observantiam & obligationem, non verò, quia simpliciter Canonici ratione statuti obligati non sint. Neque etiam, quod Episcopus sit caput Capituli, adeòque sine illo statuere quicquam nequeant. Cùm in talibus caput Capituli non sit Episcopus, sed caput illius immediatum sit Decanus sine quo proinde talia statuere nequeant. Ita Castrop.

Porrò, ut statutum circa talia valeat, requiri quatuor, notant Barbos. *l. c. n. 15.* Fermos. *c. 4. n. 17.* & ex iis Reiffenst. *h. t. n. 88.* Primum, ut Capitulares consentiant in tale statutum, non quovis in loco, sed in domo seu conclavi ad capitulum celebrandum deputato, Canonicis capitulariter, hoc est, non quocunque modo vel singulariter, sed per modum unius communitatis præsentibus. Secundum, ut omnes fuerint vocati, alioqui unus vocandus non vocatus seu contemptus possit reclamare, & actum irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit. Argum. *cap. bonæ memoriæ de elect.* Tertium, quod duæ saltem partes capitularium adsint. Argum. *l. 3. & 4. ff. quod cujusque univers. nomine.* Quartum, ut major & sanior pars illorum, qui adsunt, consentiat. Ea demque quatuor requiri ad validè revocandum statutum a Canonicis editum, ait Barbos. *de Canonic. 38. n. 16.*

QUÆSTIO LXVI.

Quid in ordine ad ferendas leges possit Capitulum Cathedrale sede vacante.

1. RESP. primò. Potest ferre leges & statuta obligantia totam diœcesim, etiam pro tempore futuri Episcopi, quousque ab illo aut Pontifice revocentur. Abb. *in c. olim de major. & obed. n. 24.* Felin. *in c. cum omnes de const. n. 9.* Pavin. *de potest. Capit. sede vac. p. 1. q. 6.* Suar. *l. 3. de LL. c. 6. n. 14.* Castrop. *l. c. n. 22.* Barbos. *Jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 7.* Zerola *in p. 2. episc. p. 1. v. Capitul. §. 13.* Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 47* Azor *instit. mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 12.* ubi, quod condere possit statuta, quæ facere potest Episcopus vivens. Transit enim in Capitulum administratio rerum omnium tam temporalium quàm spiritualium *c. si Episcopus de suppl. negl. Prælat. in 6.* & succedit in tota jurisdictione episcopali, exceptis, quæ ei specialiter prohibita *c. olim de major. & obed.* adeoque & in potestate ferendi leges; id enim specialiter ei prohibitum non est. Sic in specie facere potest statuta concernentia augmentum cultus divini. Barbos. *l. c.* Tusch. *Lit. C. concl. 53. nu. 1.* Sic potest facere statuta imponentia pœnam pro delicto futuro. Fagn. *in c. a nobis II. 1. de sent. excom. nu. 31.* ubi: *Capitulum sede vacante, si procedit per modum statuti, & tunc, etiamsi statutum imponat pœnam futuro delicto, non exspirat sede plenâ; secus; si procedat per modum sententiæ*; quod, secundum stabilit fuse per *nu. seq.* Sic etiam potest facere constitutiones, per quas abrogentur statuta antecedentia Episcoporum. Azor. *l. c.* & abrogare leges latas a prædecessore Episcopo, non obstante textu *cap. novit. ne sede vac.* cùm ibi solùm dicatur, ne sede vacante aliquid de bonis pertinentibus ad ecclesiam & dignitatem episcopalem innovetur, sicut nec Episcopus ipse bona Ecclesiæ sibi subjectæ alienare potest *c. si quis Episcopus 10. qu. 2.* ita Castrop. *n. 24.* Reiffenst. *ad h. t. n. 92. & 93.* vide meipsum *in Vicario episc. q. 470.*

2. Neque his obstat primò, quod Capitulo prælimitato tempore concedatur jurisdictio. Nam etiam Proconsul exercet jurisdictionem solummodo in adventum successoris *l. 1. ff. de off. Præfect. Urbis* item Legato suo Papa concedit jurisdictionem ad tempus, & tamen ferre possunt leges perpetuò duraturas. Neque secundo, quod Collegium Cardinalium sede Papali vacante ferre nequeat leges. Nam id specialiter ei inhibitum, ut constat ex textibus supra citatis, ne fortè contingat electionem Pontificis diutius differri, si cœtus Cardinalium sede vacante possit exercere jurisdictionem papalem, ut liquere videtur ex *c. ubi periculum de elect. in 6.* dum interim tempus pro electione Episcopi est determinatum trimestre. Rationem etiam disparitatis assignat Castrop. *cit. n. 24.* quod nimirum potestas legislativa Pontificis, utpote quæ est de jure divino, non potuit transferri, quin & ex jure humano, nimirum *cit. Clem. ne Romani de elect.* sit Cardinalium cœtui denegata.

3. Resp. Secundo, limitandam esse responsionem. Primò ut Capitulum nihil statuere valeat ecclesiæ aut juribus episcopalibus acquisitis præjudicans. Azor. Barb. Pirh. *ll. c.* Molin. *de Just. tr. 5. d. 120. n. 7.* Sic condere non posse statutum, quo subsidium charitativum debitum Episcopo minuatur. Azor. *l. c.* Barbos. *l. c. & de pot. Episc. p. 3. alleg. 87. nu. 14.* Secundò ut nihil statuere possit de his, quæ competunt Episcopo speciali jure. Azor. *cit. c. 39. q. 11.* Sic etiam non potest conferre præbendas spectantes ad collationem Episcopi, Gl. *in c. olim & c. his quæ de major. & obed.* Castrop. *cit. n. 24.* De cetero, quod dictum hac in parte de Capitulo; dicendum quoque idem de ejusdem Vicario seu vicario capitulari. Et sic in specie posse eum facere constitutiones obligantes totam diœcesin perpetuo duraturas, tradit Ventrigl. *to. 2. §. 2. n. 39.* citans Quarant. *in sum. Bull. v. Cap. sede vac. §. quarto quæro.* Vulpejum *in pr. c. 24. n. 56. &c.* & etiam antiqua statuta a prædecessoribus Episcopis revocare, ut idem citans Zabarell. Felin. Pavin. &c. quia hæc omnia potest Capitulum. Nihilominus in condendis istiusmodi statutis generalibus egebit speciali saltem consensu Capituli, si non demandatione & commissione. Potest etiam ad observanda statuta sua cogere intentatis pœnis, & transgressores punire. Ad pœnas tamen has infligendas non videtur egere speciali consensu aut commissione Capituli.

QUÆ-

QUÆSTIO LXVII.

Quid possunt circa condendas leges vel statuta Capitula Ecclesiarum collegintarum.

RESp. Tametsi Abb. Felin. *inc. cum omnes & c. accesserunt.* Sylv. *v. lex q.* 5. Alberic. *tract. de statutis quæst.* 5. & 6. Salas *de LL. d.* 8. *sect.* 17. *num.* 89. apud Castrop. *loc. cit. n.* 26. idem de his capitulis aliisque universitatibus, societatibus, collegiis statuant, quod dictum de cathedralibus sede plena, posse nimirum in rebus levibus leges ferre, secus in gravioribus, Suar. tamen *cit. c.* 6. *nu.* 19. Bonac. & alii quibus cum sentire videtur Castrop. *l. c.* dum ait: & quidem si ex usu & consuetudine non habent, ex jure certum est non habere; quia nullibi invenitur illis concessa potestas jurisdictionis; cum sit res facti, præsumenda non est, nisi probetur. Poterunt tamen, ut idem AA. constitutiones & ordinationes facere tam dispositivas quàm pœnales, quæ ad culpam obligent, vel ratione potestatis dominativæ, quam communitas acquirere potest traditione, quam unusquisque de se communitati vel illius Rectori facere potest, ut gubernetur & puniatur, si non obedierit, vel ratione promissionis & juramenti, quod solent præstare de similibus ordinationibus. Ita verbo tenus Castrop. Porrò quod hoc in puncto dictum de Capitulis ecclesiarum collegiatarum, idem dicendum de aliis universitatibus v. gratia studiosum, societatibus &c. ut iidem AA.

QUÆSTIO LXVIII.

An & cui delegari possit potestas legislativa.

1. RESp. primò. Potestatem legislativam, cum sit pars jurisdictionis, delegari posse, certum est. Abb. *in c. gravem, de sent. excom. n.* 1. Suar. *c.* 6. Salas. *d.* 8. *l.* 19.

2. Resp. secundò. Potestas ferendi leges immediatè pertinentes ad honestatem intrinsecam morum seu mores per se malos vel bonos, neque Concilio generali, neque privatæ personæ ab homine delegari potest. Castrop. *cit. p.* 23. *num.* 30. quem sequitur Crimer. *ad h. t. num.* 549. eo quod, ut idem Castrop. dictæ leges, V. g. lex prohibens matrimonium eunuchorum, bigamiam, vagum coitum, & forte etiam præscriptionem rei mala fide possessæ &c. sint potius definitiones fidei & conclusiones deductæ in principiis naturalibus vel revelatis, quam positivæ constitutiones, in quibus nullus alius præter Pontificem possit aliquid firmiter statuere. Pontifex verò in statuendis similibus concernentibus mores per se bonos aut malos errare non potest approbando per se turpia ut honesta, justa tanquam iniqua, ut Suar. *de fide d.* 5. *l.* 8. *num.* 7. Bellarm *de Rom. Pontif. leg.* 4. *cap.* 1. & 5. erraret siquidem & tunc tota Ecclesia in materia morum approbando & reprobando, quod eam doceret Papa: adeoque jam sancta non esset, ut vocatur in symbolo, approbando, quod turpe est. Jam verò potestas tales leges ferendi infallibiliter & sine periculo reprobandi, quæ de se bona, & approbandi, quæ de se mala, utpote fundata in infallibili assistentia Spiritus S. delegari non potest, & in hoc consentiunt Suar. & Bonacina.

3. Resp. tertio. Potestas tamen ferendi leges, obligantes etiam totam Ecclesiam in materia per se non bona vel mala (quas Castrop. vocat remote tantum pertinentes ad salutem, eo quod sine illis, imo, si quid contrarium iis statueretur, salus adhuc obtineri posset, quales v. g. sunt, quibus præscriberentur jejunia, certus modus servandus in resignatione & acquisitione beneficiorum, vel etiam ceremoniæ aliquæ adhibendæ in sacrificio Missæ) hæc inquam potestas delegari potest etiam personæ privatæ, cum ea non requirat infallibilem Spiritus S. assistentiam, præcipuè in delegato, possitque semper Pontifex pro libitu suo legem talem a Vicario seu delegato latam revocare.

4. Resp. quartò. Non videtur repugnantia in eo, quòd Pontifex hanc potestatem ferendi leges, uti & imponendi censuras delegare possit mulieri. Castrop. *l. c. n.* 31. Salas *num.* 44. Bonac. *l. c.* contra Victoriam *relect.* 2. *de potest. Eccles. qu.* 2. *a num.* 3. His non obstante dicto Apostoli 1. *ad Cor.* 14. *mulieres in Ecclesia taceant; turpe est enim mulieres in Ecclesia loqui.* Cum Apostolus loquatur tantum de publica expositione doctrinæ, non de legislatione. Adhæc ut dictum supra, legem posset secreto ferre, dareque alteri publicandam. Et licèt turpe sit mulierem ex motu proprio loqui in Ecclesia, non est tamen turpe, si id faciat ex speciali Papæ commissione ob causam gravem, quemadmodum S. Catharinam Senensem admissam fuisse ad concionandum coram Pontifice & Cardinalibus, refert ex Bonacina Castropal.

CAPUT TERTIUM.

De Causa formali & materiali Legis.

QUÆSTIO LXIX.

An de ratione legis sit, ejus constitutioni præmittere consultationem cum prudentibus.

RESp. negativè. Imprimis enim ex natura non requiritur talis consultatio. Siquidem ea, uti & exquisitio consilii requiritur tantum ut medium ad inquirendum, num lex ferenda hic & nunc conveniat reipublicæ; hanc autem convenientiam Princeps per seipsum explorare potest. Castrop. *tract.* 3. *disp.* 1. *part.* 7. *num.* 5. citans Suar. *de LL. l.* 3. *cap.* 15. *nu.* 3. Bartol. *in l. omnes populi ff. de LL.* & Jason. *in l.* 1. *de constitut. Princip. num.* 1. Sed etsi Princeps absque omni consultatione & consideratione secum habita, parum sollicitus, num conveniret Reipubl. nec ne, etiam ex perversa intentione commodi proprii facere constitutionem animo obligandi subditos, modo reipsa esset conveniens Reipublicæ, & cederet in bonum communitatis, haberet illa rationem legis. Dein nullo jure positivo humano id requiritur. Non canonico, quia, ut bene Castropal. in eo nullus exstat textus hanc exquisitionem consilii necessario requirens. Non civile, siquidem *L. humanum C. de LL.* quæ allegari forte posset, dicitur; quod si imposterum lex nova statuatur, ea ab omnibus Proceribus tractari debeat, & si universis placuerit, tunc dictari, & collectis omnibus recenseri, & cum omnes conscripserint, in sacro Imperatoris concilio recitari poterit. Nam tali lege non arctantur Imperatores ex necessitate, sed ex benignitate, ut Suar. & Castrop. *ll. cit.* tum quia ipsi suis legibus arctari non possunt; tum quia possunt ipsi secum dispensare in suis legibus. Vel etiam, quia possunt talem legem abrogare.

QUÆSTIO LXX.

An lex ad sui constitutionem requirat scripturam.

RESp. Tametsi lex frequentius feratur in scripto quam voce vel alio signo (quod, & non plus probant, quæ obmoveri possunt) non est tamen scriptura de ratione legis. Ab. *ad rubric. de constit. num.* 3. Felin. *num.* 4. Suar. *d. LL. l.* 1. *c.* 11. *in fin.* Azor. *Tom.* 1. *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 2. cum Aristotel. 10. *Ethic. c.* 9. ubi: *scripta sint leges, an non scripta, nihil referri videtur* contra Alberic. *de statut. p.* 1. *q.* 14. Salicet. Archid. & alios relatos a Felin. Neque enim scriptura requiritur ex natura ipsius legis; siquidem seclusa lege, statuto, vel consuetudine, per se & valorem legis plus non requiritur, quàm ut legitimi conditoris rationabilis voluntas obligandi innotescat communitati, quocunque modo id fiat, sive voce sive scripto, ut patet ex præceptis latis a Christo & Apostoli tempore nascentis Ecclesiæ, quorum plura sine scriptura ex sola prædicatione illorum ceperunt obligare. Neque stabilitas legis essentialis scripturam includit: cum lex sine scriptura per traditionem conservari valeat, & ab uno ad alium propagari, quemadmodum etiam præceptum superioris, etsi per actum transeuntem latum, permanet tamen. Neque etiam requiritur ex jure aliquo positivo. Imprimis enim nullum de hoc extat jus Canonicum, sed potius hoc est in contrarium, ut dum *cap. consuetudo dist.* 1. dicitur non differre

legem sive scripturam sive ratione subsistat & *c. institut. 25. q. 2. institutionis nostra decreta, sive qua scripto decernimus, sive qua in nostro prasentia videntur esse disposita, volumus ex quavis occasione convelli*. Sic quoque jus civile potius est in contrarium, dum *§. sed & constitutum. Instit. de Jure N. G. & Civili* dicitur: *quodcunque ergo Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto pracepit, legem esse constat*. Quòd autem lex dividatur in scriptam & non scriptam seu consuetudinem, non importat, scripturam unam constituere speciem legis, adeoque esse ei condistinctæ a consuetudine essentialem; sed accipitur pro lege, quæ decreto Principis constituitur, & ut talis distinguitur ab ea, quæ usu populorum inducta, seu a consuetudine. Dicitur autem ideo lex scripta, quod ordinariè in scriptum soleat referri. Non tamen per hoc distinguitur a lege non scripta seu consuetudine, quæ est lex usu populorum inducta, cui non scriptura, seu quod in tabulas redacta non sit, per accidens est, sicut alteri scriptura.

QUÆSTIO LXXI.

Qualia ergo esse debeant signa, per quæ voluntas legislatoris vim legis habens manifestatur.

1. RESP. primò. Debent esse talia per quæ non simpliciter voluntas aliqua legislatoris exprimitur; cum ea possit esse consensus consilii, approbationis, beneplaciti, desiderii, ut res talis vel talis fiat, absque eo, quod vim legis habeat: sed per quæ manifestetur voluntas illius imperans seu intendens subditis imponere obligationem faciendi vel omittendi aliquid. Castrop. *d. 1. p. 9. n. 1.* Talia enim signa sunt forma vel modus legis, ut Wiestner. *ad h. t. n. 59.* Unde jam in casu dubio, an verba aliqua præceptum & legem, an verò solum consilium, exhortationem, desiderium simplex importent, reputanda sunt significativa consilii &c. non legis. Castrop. *l. c.* citans Castro *l. 2. de lege pœnali, c. 5. docum. 4.* Sanch. *in Decalog. l. 6. c. 4. n. 27. & 66.* Item, quoties verba legis intelligi possunt de obligatione veniali non debent ad mortale extendi. Sanch. Castrop. *LL. cit.* cum in dubio & pœnis benignior semper sit facienda interpretatio, juxta *l. interpretatione, & l. si pœnis, ff. de pœnis*, & *reg. in pœnis de reg. juris in 6.*

2. Resp. secundò. Verba significantia illam voluntatem legislativam & moralem necessitatem seu obligationem passivam importantia sunt; *præcipimus, mandamus, jubemus, obligamus, inhibemus, vetamus, interdicimus &c.* Suar. *l. 3. de LL. c. 15. n. 6.* Sanch. *l. 6. mor. c. 4. n. 38.* Castrop. *loc. cit. n. 2.* Azor. *Tom. 1. l. 5. c. 6. q. 5.* Vasq. *1. 2. d. 158. c. 3. n. 21.* Sic in specie verbum *præcipimus* seu præceptum ex vi nativæ suæ significationis, quam habet ex communi ac naturali usu suo tam in jure civili quam Canonico, importare semper obligationem aliquam in conscientia, nisi ex adjuncto aliquo significato minuatur; & quidem attenta gravitate materiæ, gravem asserit & pluribus probat Cardenas *in Crisi Th. tr. 3. de LL. d. 24. a n. 5.* prout declaravit Pontifex *in Clem. exivi de verbor. signific.* Quod tamen Crimet. *num. 289.* sic limitat: ut quandoque in communitatibus privatis sumatur infra suam significationem nativam, nimirum absque obligatione peccati pro debito solius decentiæ, item ut in casu, quo legislator transgressoribus apposuit pœnam temporalem, & utitur verbis præceptivis, si ea non dirigantur ad actum immediatè præceptum a lege, importent solam obligationem conscientiæ ad pœnam, non autem ad actum positum sub lege. Dictis verbis æquipollentia & de se præceptum importantia sunt: *teneantur, obligentur, nemini liceat*, & in genere verba omnia importantia necessitatem moralem. Vasq. *a. 21.* Suar. Sanch. Castrop. *LL. cit.* Sic verbum *debeo* non importare debitum honestatis, ut quidam volunt, sed necessitatis, & imperium propriè significare; dicunt Sanch. *n. 36.* Vasq. *cit. a. 21.* Castrop. *num. 1.* dicens, esse communiorem. Barbos. *de dictionib. dict. 77. a. n. 1.* Ubi tamen verbum *debet* dirigitur ad personam, cujus favore profertur, non significare necessitatem vel præceptum, sed tantum debitum honestatis & decentiæ; cum enim ea persona possit renunciare favori, eo ipso non est debitum præcepti, ait Crimer. *ad h. t. num. 277.* ubi etiam, citans pro hoc Sanch. *de matr. d. 13. n. 2.* Abb. Felin. &c. apud Barbos. *loc. cit.* quod non nisi debitum decentiæ importet, etsi addatur dictio *omnino*, ubi materia, in quam cadere deberet præceptum repugnaret præcepto; vel etiam, si significaretur præceptum, resultaret inde absurdum, vel alicujus juris correctio. Pro quo postremo citat *l. prætor. ff. de edendo*, & Imol. *in Clem. attendentes de statu Monachor. num. 7.* E contra verbum *oportet* importare tantum honestatem & convenientiam rei, sentiunt Suar. *num. 10.* Sanch. *num. 37.* Castrop. *loc. cit.* contra Nav. *in sum. cap. 23. num. 53.* Salas, *v. lex. num. 6.* censentes importare imperium. Interdum tamen etiam excludit Judicis arbitrium, ut habetur *l. verbum oportere ff. de verb. signif.* Interdum pro consentaneo & opportuno, ut Rebuff. apud Pereyram *in Elucidar. de LL. l. 1. elucidat. 9. num. 223.* Verba: *volumus, decernimus, ordinamus, statuimus, monemus, introdimus, sancimus, innovamus* & similia esse indifferentia & communia præcepto & exhortationi, ait Castrop. *num. 2. in fine* citatis Azor. *ubi ante.* Sanch. *n. 40.* Specialiter circa verbum *statuo* ait Crimer. *num. 291.* an importet præceptum, an non, non tam definiendum spectato nudo ejus cortice, sed potius spectata proferentis intentione (& vel maximè in materia legum, ubi id præcipuum est, ut stetur intentioni ferentis legem) cum huic verba deservire debeant, non è contra; considerata tamen substrata materia cum suis circumstantiis. Exstat quoque speciale capitulum de dicto verbo *statuo*, nimirum *c. in iis, de verb. signif.* ubi, quod habent vim sententiæ inter partes, dum nimirum Archiepiscopus Mediolanensis in prolatione sententiæ non fuerat usus his verbis: *talem partem condemno; vel talem partem absolvo*, prout sententia proferri solet, sed illis: *statuo ac præcipio.*

3. Resp. tertiò. Verba imperativi modi & in actu exercito v. g. *facite, cavete, solvite, abstineant omnes, nemo audeat*, absolutè prolata non continere præceptum, sentiunt Cajet. *2. 2. q. 166. a. 9. circa solut. ad 2.* Castrop. *L. 1. de lege pœnal. c. 5. docum. 4.* & alii apud Castrop. *num. 3.* continere solum obligationem sub veniali, putant Nav. *num. 49.* Sà. *loc. cit.* Standum hac in parte consuetudini regionis quo ad significantiam horum verborum, & si de tali consuetudine non constet, attendendam materiæ gravitatem & necessitatem, quæ, si magna est, & graviter ponderata a legislatore, esse illa præceptiva, censent Castrop. *loc. cit.* Sanch. *num. 39.* & sic ferè semper accipienda esse in decretis Conciliorum & summorum Pontificum, ajunt Vasq. *loc. cit. c. 2. a. 14.* Bonac. *d. 1. q. 1. p. 7. §. 4. n. 20.* quibus consentire videtur Castrop. citans insuper pro hoc Abb. Felin. Imol. &c. *in c. nam concupiscentiam de const.* ac dicens, id efficaciter probari ex *Clem. exivi, de verb. signif.* item probari ex Trident. *Sess. 13. c. 5. & 6.* ubi, dum dicitur: quod, si necessitate urgente sacerdos absque præmissa confessione celebraverit, quam primum confiteatur: *confiteatur* importare præceptum, uti id definivit Alexand. VII. 18. Martii 1665. dum hanc propositionem damnavit: *verba Trident. Sess. 13. c. 7. quamprimum confiteatur: non sunt præceptum.* Quamvis Crimer. *n. 282.* dicat, rationem præcepti non erui ex solo verbo *confiteatur*, sed simul ex materia substrata, quæ gravis est. Item probari e decreto Clem. VIII. de casuum reservatione ubi *caveant diligentissime* (nimirum superiores) *ne ea notione, quam de aliorum peccatis hauserint, ad externam gubernationem utantur*: ubi iterum *caveant* est præceptum.

4. Resp. quartò. Quotiescunque verbis alias indifferentibus adjunguntur alia, ex quibus juxta receptam consuetudinem judicatur animus superioris intendentis obligare, verba illa continent legem vel præceptum, v. g. si superior dicat *ordinamus hoc faciendum in virtute obedientiæ, in virtute Spiritus S. in nomine Jesu Christi, sub interminatione maledictionis æternæ vel gehennæ: vel indignationis SS. Apostolorum &c.* imponitur obligatio præcepti, & quidem gravis, seu sub culpa gravi. Azor. Tom. 1. *l. 5. c. 6. q. 5.* Vasq. *cit. d. 158. c. 5. n. 46.* Sanch. *in Decal. c. 4. n. 43.* quos citat & sequitur Castrop. *p. 9. n. 4.* quia sine culpa gravi talis maledictio & indignatio non incurritur.

E contra verba alias verè præceptiva præceptum non continent, dum constat ex communi usu religiosorum; jussiones superiorum non obligare ad culpam (saltem gravem) quibuscunque demum verbis proferantur, nisi addatur illis: *in virtute S. obedientiæ*, vel *in virtute Spiritus S. &c.* uti contingit in Societate JESU, *p. 6. const. c. 5. in fine*, Vasq. *c. 3. n. 24.* Sanch. *loc. cit. n. 70.* Less. *de just. leg. 2. c. 41. d. 9. n. 76.* Castrop. *l. c.* Idem esse, ait Sanch. si superior præciperet sub excommunicatione vel maledictione æterna, etsi non adderet *in virtute S. obedientiæ*; satis enim adhuc explicaret voluntatem suam obligandi. Signanter hic notandum, quod ex Sanch. *ubi ante* subjicit Castrop. nimirum, quod si parentes respectu filiorum, Abbatissæ respectu monialium, qui jurisdictionem spiritualem non habent, ac proinde nequeunt in virtute Spiritus S. vel obedientiæ præcipere, præcipiant sub maledictione æterna vel similibus verbis sufficienter explicantibus voluntatem eorum, & materia præcepta sit gravis, quia graviter gubernationi domesticæ conducit, absque dubio sint obligantia sub mortali.

QUÆ-

QUÆSTIO LXXII.

An voluntas legislativa sufficienter exprimatur prolatione sententiæ judicialis, ita ut hæc legis instar observanda sit, & in similium casuum decisionibus custodienda.

1. RESp. primò. A legislatore in speciali materia lata sententia, quæ tantum est declaratoria legis jam ante ab eo vel ejus prædecessore latæ etsi legem novam non constituat, facit tamen, ut lex illa declarata obliget secundum sensum sic expressum; cum lex obliget secundum voluntatem & intentionem expressam legislatoris, quæ voluntas & intentio illa declaratione sufficienter manifestatur. Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 8. n. 1.* cum communi.

2. Resp. secundò. Sententiam decisivam litis eo ipso habendam ad similes causas pro lege affirmant Gomez. *in proœm. ad reg. Cancell.* Felin. *in rubr. de rescript. n. 5.* Jason. *in l. 1. ff. de const. Princip. n. 1. &c.* quam sententiam Castrop. l. c. nu. 3. dicit communem esse utriusque juris interpretum. Pro se adducunt hi AA. jus utrumque. In primis civilem, dum *leg. fin. Cod. de LL.* dicitur: *si Imperialis Majestas causam judicialiter examinaverit, & pluribus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino Judices, qui sub nostro Imperio sunt, sciant, hanc esse legem non solum illi causæ, pro qua producta est, sed & omnibus similibus &c.* Dein etiam Canonicum, dum *c. in causis 19. de sent. & re judicat.* in causis judicio Apostolico decidendis ordinem juris accuratè observandum monet, ejus rationem reddit: *cum in similibus causis cæteri teneantur similiter judicare.* Quam legem intelligi non posse, ut vult Covar. de sententia declaratoria legis, ait Castrop. ex eo, quod requirat causæ cognitionem & partium præsentiam, quæ ad legem declarandam necessaria non sunt. Rationem quoque addunt hi AA. quod sensus & sententia Judicis sit regula, cui inferiores Judices omnes se conformare debeant. *Quis enim tantæ superbiæ fastidio tumidus est, ut regalem sensum contemnat?* inquit Imperator l. c. Quod aliqui horum AA. sic limitent suam sententiam, ut procedere velint in sententia decisiva & ultimò definitiva litis, non verò in sententia interlocutoria, hoc inquit Castrop., esse frivolum; eo quod etiam sententia interlocutoria procedat cum cognitione & inter partes, propter quod sententia definitiva habetur pro lege. Quin & sententia interlocutoria sit etiam in eo puncto decisiva & ultimo definitiva, & sæpe sententia etiam corpori juris inseratur, & tanquam lex constituatur. Fortè melius limitant seu potius distinguunt alii, nimirum ut sententiæ decisivæ sæpius conformiter latæ super eodem juris articulo constituant legem, eo quod istiusmodi sententiarum conformitate inducitur stylus Curiæ, qui jus facit, *c. quam gravi de crim. falsi.* Ita sentit Wiestner. *ad h. t. n. 63.* vel etiam, ut idem, minus tamen bene, quod sententiæ decisivæ, si simul sint juris (intellige non intercedentis inter partes, sed juris accepti pro legibus) declarativæ.

3. Negant è contra Covar. *p. 1. de Sponsal. c. 7. §. 4. num. 15.* Suar. *de LL. l. 3. c. 15. n. c. 16.* quibus accedit Castrop. *cit. p. 8. n. 5.* & Crimer. *n. 462.* Adducunt & hi AA. pro se jus civile non minus clarum, dum nimirum. *L. 2. C. de LL.* (quæ est constitutio Theodosii & Valentiniani Imperatorum) dicitur: *quæ ex relationibus & suggestionibus judicantium procerum introducto negotio statuimus, generalia jura non sunt; sed leges faciunt his duntaxat negotiis atque personis, pro quibus sunt promulgata.* Item jus Canonicum *c. quamvis de sent. & re judicat.* Rationem quoque addunt, nimirum, quod sententia decisiva non respiciat bonum commune, sed speciale, non casum etiam futurum, sed præteritum, vel jam præexistentem inter partes; cum semper declaret jus præexistens inter partes, non de novo constituat. Sive sententia decisiva litis est tantum applicativa uni potius parti quam alteri, & non constitutiva alicujus obligationis in populo. Ad hæc sententiæ decisivæ sæpius nitantur jure speciali & particularibus circumstantiis in earum pronunciatione sæpe non expressis, adeoque ab aliis Judicibus ignoratis; ac proinde, dum ab iis dantur similes decisiones in causis, ubi dictæ circumstantiæ non sunt, falluntur. Ac denique, ut Castrop. quod sententia talis decisiva procedens ex propria opinione obnoxia sit errori. Qualem continebat illa, qua decisum, matrimonium ratum dissolvi per matrimonium subsequens consummatum, cujus meminit Alex. 3. in *c. licet, de sponsa duorum.* De cetero hanc sententiam ita limitat Castrop. *l. c.* ut sententia decisiva litis vim legitime habeat, ubi Princeps hanc ipsam suam intentionem signo aliquo manifestaret, v. g mandando eam inseri corpori juris, aut curando alia solemni forma publicari. Siquidem leges juris Canonici potissimum ex hujusmodi sententiis constituuntur; atque ita sententiam latam a Papa & universali Ecclesiæ propositam non posse errorem continere. Et de his sententiis intelligendum textum *c. in causis* paulò supra allegatum.

QUÆSTIO LXXIII.

An epistola & rescriptum Principis sufficienter manifestet voluntatem illius legislativam.

RESp. Pari modo de hoc ac de sententia decisiva Principis loquuntur AA. dum per epistolam vel rescriptum declarat, leges suas, habituram illam vim legis juxta dicta *respons. 1. ad quæst. præced.* admittunt facilè omnes. Epistolam & rescriptum Principis, etsi non declaret jus jam constitutum, esse tamen novi juris seu legis novæ constitutivum, admittunt AA. primæ sententiæ, de quibus & adducunt pro se illud *l. 1. ff. de const. princip.* quodcumque Imperator per epistolam constituit vel edicto præcepit, legem esse constat &c. Quod etiam contrariæ sententiæ AA. admittunt tam de epistolâ, quæ ad nullius consultationem emanavit, quam de rescripto, quo respondet, ad partium interrogata circa illarum jura, ubi constituit, illum tali epistola vel rescripto intendere constituere jus novum imposterum observandum. Sic enim Castrop. *cit. p. 8. n. 6.* ait: si opinione propria interpretante jus naturale aut divinum respondeat Princeps consultationi, vim legis non habent ejus rescripta, nisi aliquo signo sufficienter manifestet, se tale responsum velle pro lege haberi &c. additque hoc præcipuè locum habere, quando tale rescriptum adversaretur juri communi; eo quod tunc præsumendus sit Princeps, non voluisse legem constituere, sed privilegium concedere, & cum aliquibus dispensare.

QUÆSTIO LXXIV.

An dicta hæc de sententia & rescripto supremi Principis legislatoris etiam locum habeant in inferioribus habentibus potestatem ferendi leges pro sua Provincia, diœcesi, aut urbe.

RESp. Hæc illis in omnibus non posse applicari. Nam si sententia vel responsum talis Magistratus sit declarativum juris communis toti regno, non habere vim legis, etiam in Provincia illi Magistratui subjecta, ait Castrop. *num. 7.* citato Suar. *ubi supra c. 15 num. 18.* & *l. 4. c. 14. num. 13.* cum dicta declaratio non procedat ab habente potestatem in omnes provincias regni; inordinatum autem sit, legem communem in una provincia regni habere hunc sensum, in alia alium. Unde credibile non sit, talem potestatem a supremo legislatore concedi tali magistratui. Si verò sententia & responsum non sint contraria juri communi, neque illius declarativa, sed solum explicativa, quid videatur sibi in illa causa juri naturali, divino, aut humano communi conforme, posse habere vim legis, si magistratus velit, hancque voluntatem signo aliquo publico manifestet; alias mansura intra limites particularis sententiæ & responsi. Illud tamen hic observandum, quod ut sententia, epistola, rescriptum sive supremi Principis sive inferioris vim habeant legis pro similibus causis debere necessario illas omnino iisdem circumstantiis affectas esse, quibus affectæ erant, supra quas talis decisio, epistola &c. emanavit, modò ea fundata fuerit in illis circumstantiis, qualitate &c. alias enim erit applicatio diversi ad diversum, quæ non tenet. Unde frequenter contingit, indefinite rescripta Pontificum malè hic & nunc applicari, si hæc non observentur. Crimer. *ad h. t. num. 466.* idipsum exemplificans.

QUÆSTIO LXXV.

Quid hic veniat nomine causæ materialis legis.

RESp. Non venire hic partem aliquam intrinsecam, quæ una cum forma comparte constituat compositum aliquod physicum, vel etiam morale; sed potius materiam seu objectum circa quod lex præcipiendo, prohibendo vel permittendo versari potest; quod aliud non est quam operationes seu actus humani; adeoque non tantum actus Justitiæ, sed & aliarum virtutum, qui præcipi, aut

vitiorum illis oppositorum, qui prohiberi possunt, vel etiam actus mali, qui quandoque permitti possunt ad vitanda alia mala graviora.

QUÆSTIO LXXVI.

An materia legis præcipientis necessariò debeat esse honesta, seu actus virtutis.

RESp. Legis omnis, tam naturalis quam positivæ humanæ; tam civilis quam Canonicæ præcipientis materia debet esse de actu aliquo virtutis (intellige saltem fundamentaliter talis, hoc est, ordinabili ad finem virtutis) Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 5. num.* 1. & cum eo Crimer. *ad h. t. num.* 319. aliique passim. Siquidem lex omnis debet esse honesta & rationi conformis, *c. omnis lex. dist.* 3. Item finis legis est facere subditos bonos, seu præditos bonis moribus; sed talis lex non esset, neque hunc finem intendere posset, nisi, quæ agenda præscribit, sint honesta & rationi conformia. Quidquid autem honestum & rationi conforme, ad virtutem spectat, vel tanquam actus illius, vel tanquam ad eam ordinabile, aut ab ea imperabile. Sed neque his obstat, quod plures leges attendant potius gubernationi politicæ quam morum honestati. Qualis est, quæ concedit præscriptionem possidenti bona fide contra proprium dominum. Quæ negat actionem adversus defraudantem infra dimidium justi pretii. Nam & illæ leges respiciunt actus fundamentaliter bonos, nimirum ordinabiles ad bonum commune & tranquillitatem Reipublicæ, v. g. lex illa de præscriptione, ne scilicet maneant incerta rerum dominia, caveantur plurimæ lites, & Domini juribus suis diligentius invigilent. Idem ferè est de legibus versantibus circa res indifferentes de se; etsi enim hæ, quatenus indifferentes, non sint materia legis; sunt tamen tales, quatenus necessariæ vel utiles sunt ad finem intrinsecum a legislatore qua tali intentum, qui semper honestus esse debet, ex cujus honestate etiam ipsæ honestatem recipiunt. Castrop. *l. c. n.* 2. cum Suar. *de LL. l. 3. c. 12. a num.* 57. Bonac. *de LL. d. 1. q. 1. p. 5. n. 4.*

QUÆSTIO LXXVII.

Num lege humana prohibeantur omnes actus vitiosi.

RESp. Negativè, sed nec prohiberi possunt, aut etiam conveniens est, attenta hominum conditione & fragilitate ea omnia prohiberi; sed potius spectat ad rectam gubernationem aliqua mala permittere & impunita relinquere. Estque idipsum, nempe mala aliqua minora permittere (intellige non positivè approbando, sed non puniendo) ne in majora prolabantur, honestum. Ita Suar. *l. c. n.* 12. Salas, *d. 9. s. 3. n.* 39. Castrop. *l. c.* Unde & desumitur discrimen inter legem humanam & divinam, & naturalem, quod hæc omnes, etiam minimos actus vitiosos vetet; quia attendit, quid cuique conveniat, lex vero positiva, cum attendat, quid communitati conveniat, ea omnia prohibere nequeat; quia id communitati humanæ conveniens non est. Neque contrarium, nimirum conveniens esse lege positiva prohiberi omnia, quæ a lege divina vel naturali prohibita sunt, ex eo infertur, quod nulla specialis malitia per hoc, quod etiam lege humana prohibeantur, illis superaddatur. Cum etsi nulla major malitia, superaddatur tamen majus gravamen nempe subjectio ad pœnam cui subjectus non erat delinquens contra solam legem naturalem. Et licèt de quolibet peccato verum sit, committentem dignum esse pæna, etiam in hac vita, & hanc etiam a Republica posse imponi; at tamen de omnibus collectivè, non esse dicendum, conveniens esse, ut pœna imponeretur; imò potius conveniens esse, ut ea impunita relinquatur, ait Castrop. *loc. cit.*

QUÆSTIO LXXVIII.

An & quæ in hoc puncto, quod leges respiciant virtutem tanquam materiam circa quam, sit differentia inter leges canonicas & civiles.

RESp. Esse differentiam, quod licèt tam hæ quam illæ respiciant virtutem, leges tamen Canonicæ respiciant eam per se ac primò, quatenus ea mediante homines dirigantur in finem supernaturalem, leges autem civiles respiciunt eam, quatenus conducit ad rectam gubernationem politicam, unde & materia legis canonicæ dicitur spiritualis; legis civilis materia temporalis. Castrop. *num.* 7. argumento *c. solita de major. & obed.* & *can. bene quidem*, *c. Imperator dist.* 96. His non obstante, quod leges civiles prohibeant matrimonia clandestina, juramenta, incestus, quæ etiam prohibentur lege canonica & sunt spiritualia. Non enim prohibentur lege civili, quatenus impediunt homines a fine supernaturali consequendo, sed quatenus impediunt, pacem & rectam Reipublicæ gubernationem, atque ita legum civilium materia temporalis est, ita ferè Castrop. *cit. n.* 3.

QUÆSTIO LXXIX.

An & qualiter actus præteriti sint materia legis.

1. RESp. primò. Esse non possunt materia legis præcipientis vel prohibentis, patet ex eo, quod materia legum debeat esse possibilia, *c. erit autem dist.* 4. ad præteritum autem, ut pro præterito factum aut infectum sit, potentia non datur, *can. si Paulus* 35. *q.* 5. Et ratio ulterior est, quòd lex sit regula externa actuum humanorum, actus autem præteriti qua tales non sunt amplius capaces ullius regulæ; adeoque lex prohibens & præcipiens ex natura sua tantum fertur pro futuris actibus. Item, cum lex sit præceptum, hoc autem ut tale dici nequeat de actu præterito; adeoque legislator, etiamsi maximè velit, quò ad effectum obligandi non possit legem novam extendere ad actus præteritos, ita ut, si hi facti sint sine culpa, non possint fieri culpabiles propter legem postea latam. Pirh. *ad h. t. num.* 119 citans Suar. *de LL. l. 3. c. 14. n.* 8. Et hæc de lege propriè dispositiva, si ea præcipiendo vel vetando decernat de ipso facto vel forma faciendi, ut ea non extendatur ad præterita, seu quæ facta jam sunt. Si verò disponat tantum de executione aut ulteriore processu negotii jam cæpti, extendatur ad præterita nondum executioni data, modò eadem omnino vel major ita statuendi ratio reperiatur in præterito, quæ in futuro. Pirh. *num.* 120. citans Abb. *in c. ult. h. t. n.* 11. Navar. *in c. si quando, de rescript. except.* 21. Laym. *ibid. num.* 10. Sic v. g. constitutio, ut religiosi deputati ad executionem ultimæ voluntatis teneantur reddere rationem executionis suæ ordinariis locorum, comprehendat etiam eos, qui tempore, quo emanavit, hæc constitutio deputati jam erant ad executionem, sed nondum executi, non tamen ad eos, qui jam fuerant executi. Sic constitutio, ut debitores, si intra 20. dies non solverint, moniti, nec moram purgarint, conjiciantur in carcerem, extendatur non tantum ad futura debita, sed etiam ad jam contracta; quia disponit de modo & forma contracti debiti, sed de futura executione seu solutione debiti contracti. Laym. Pirh. *LL. cit.* Unde jam etiam lex prohibere potest, ne actus inchoatus perficiatur. Sic lex lata a Trid. *Sess. 25. cap. 12. de regular.* de novo prohibens, ne quis intra annum probationis emittat professionem, extendatur etiam ad eos, qui tempore, quo lex hac nova edita est, jam erant in novitiatu. Suar. *l. c. n.* 12. Pirh. *loc. cit.*

2. Resp. secundò. Neque actus præteriti nulla lege anteriore prohibiti vel præcepti esse possunt materia legis punientis; quia hoc ipso, quod non habeant rationem transgressionis pœnam, quæ est transgressionis ultio, promereri nequeunt. Gl. *in c. cognoscentes, de const. v. culpa*, & *ibi* Barbos. *n.* 2. Potest nihilominus pœna impropriè talis, id est, mera inhabilitas actui præterito annecti, & ab eo, qui culpam non admisit, contrahi, uti & privilegium denegari & revocari. Wiestner. *ad h. t. n.* 43. ex Suar. *l. 3. c. 14. n. 9.*

3. Resp. tertiò. Novæ tamen & ad actus præteritos anteriore aliqua lege prohibitos sive ad delicta jam præterita extendi possunt a legislatore, si is id exprimat, secus, si id expressè cautum non sit, Wiestner. *num.* 44. cum novas leges ad præterita, si nominatim de præterito tempore vel dependentibus delictis, cautum non sit, non revocari, sed de futuris tantum negotiis formam modumque præscribi generaliter & indistinctè dicatur, *l. fin. Cod. de LL.* & *c. fin. de const.* & extensio in legibus facienda non sit, sed potius tanquam odiosæ restringendæ, juxta *c. odia* & *c. in pœnis, de reg. jur. in 6.* Item in pœnis irrogandis non ea, quæ nunc per leges novas imponitur, sed ea, quæ delicti perpetrati tempore per leges anteriores imposita est, spectandum sit, nisi post commissum delictum publicata nova lege aliter exprimatur.

4. Resp. quartò. Actus præteriti, licèt esse possint materia legis irritantis, ut patet ex eo, quod actus mero jure validi per sententiam Judicia rescindi, & vota liberorum ante pubertatem emissa irritari possint a parentibus; regulariter

tamen

tamen actus præteriti non censentur irritari, nisi lege id exprimatur, cum licèt Princeps ex causa justa & publica jure quæsitu privare possit; eo tamen neminem privare censeatur, si id non exprimat, *c. super eo*, juncta Gl. *v. intentionis de off. deleg.* Gail. *l. 2. observ. c. 58. n. 5.* Laym. *l. c. n. 4.* Pirh. *ad h. t. n. 122.* Si verò lex ita actum respiciat, ut impediat, ne validus fiat, quia v. g. novam formam præscribit, secundum quam contractus fieri debeat, alioquin non sit validus, ejusmodi lex, ad actus præteritos extendi non debet. Laym. *ad c. ult. h. t. n. 8.* & cum eo Pirh. *l. c.* tum quia leges & constitutiones futuris negotiis non præteritis, dant formam, *cit. c. ult.* tum quia, quando nova constitutio aliquid circa contractus disponat, semper leges & consuetudines, quæ tempore contractus extiterunt, non quæ postea introducuntur, sunt spectandæ; quia contrahentes futurorum scientiam seu cognitionem habere non potuerunt. Gail. *l. 2. observ. 9. n. 3.* tum etiam, quia ipsis per mutuum contractum jus acquisitum, eo privati non debent. Unde cum etiam infertur, quod si lex nova præscribat certam formam actui v. g. faciendis testamentis, ea non extendatur ad testamenta ante illam jam edita vivente testatore adhuc; adeòque ea sint valida, etsi in iis non servata illa forma de novo præscripta, Pirh. *n. 123.* citans *l. jubemus C. de testam.* Abb. *cit. n. 11.* eò quod actus jam sit perfectus, etsi, quò ad effectum pendeat usque ad mortem testatoris, at Nav. *in c. si quando except. 21. n. 13. de rescript.* Pirh. *h. t. n. 123.* qui tamen cum Laym. *l. c. n. 9.* ait, vel maximè attendendum ad verba constitutionis, an ea etiam ad testamenta ante hanc legem novam editam referri nec ne possint.

5. Resp. quintò. Actus præteriti possont esse materia constitutionis declaratoriæ juris præcedentis, etiam naturalis & divini. Abb. *in c. fin. h. t. n. 8.* Felin. *n. 4.* Laym. *n. 6* Pirh. *ad h. t. n. 121.* Weistner. *n. 46.* Sumiz. ex *c. cum tu. de usuris*, ubi constitutio juris naturalis, quod usurarii obligati sint ad restitutionem, extenditur ad præterita, usuras nimirum ante illam constitutionem extortas, item *ex Can. cit. lex 27. q. 1.* quo clerici in sacris constituti matrimonium, & ex *c. fin. de sponsa duor.* ubi ex duobus matrimoniis, quorum prius ratum tantum, posterius consummatum est, hoc nullum esse declaratur. Et ratio est, quia qui jus solummodo declarat, non de novo condit; sed solum id, quod ante positum est, manifestat argum. *l. heredes ff. qui testam. facere poss.* Circa quæ illud notandum, quod licèt quandoque lex videatur præcipere aliquid, vel prohibere in futurum revera, tamen sit potius tantum declarativa juris antiqui seu prioris, & velle illud in usum deducere, quod ipsum colligi posse, ait Pirh. *n. 121.* partim ex verbis legis, partim ex materia & ratione illius, præsortim si ratio non sit motiva tantum, sed etiam decisiva, id est, ex se sufficiens ad ostendendum, materiam illa sive actum, etiam seclusa nova lege, jam fuisse malum & illicitum. Suar. Nav. Pirh. *ubi ante.* Porrò dum lex est partim declarativa juris antiqui, partim constitutiva novi juris, non nisi quatenus est declarativa prioris juris, extendit se ad præterita, nisi contrarium exprimatur Pirh. *cit. n. 125.* citans Abb. *in c. fin. h. t. n. 8. & 11.* Unde, si constitutio nova declaret jus antiquum & renovet irrogando novas pœnas jam ante decretas ultra verborum proprietatem & juris terminos, extendendo eas pœnas, non incurrunt eas illi, qui jam ante deliquerunt Sylv. *in sum. v. lex n. 23.* Azor. *p. 1. l. 5. q. 16. n. 13.* Huc spectat, seu extenditur ad præterita lex declaratoria irritans, quæ actum jam legibus anterioribus, præsertim in re naturali jam irritatum, declarat nullum & irritum, modò eadem sit ratio irritationis in præteritis, quæ in futuris, adeòque jam ante constitutionem declaratoriam inerat causa annullationis præteritis actibus. Abb. *cit. c. 11.* Imol. *ibid. nu. 13.* Laym. *ibid. num. 7.* Pirh. *num. 122.*

6. Porrò pro majore *hujus quæst.* elucidatione notandum, vel ex dictis inferendum cum Pirh. *l. c.* Primò, quod si lex loquens per verba præsentis vel præteriti temporis aliquid indulgeat, v. g. concedendo veniam delicti criminosi, ea non debeat extendi ad futura, sive ad eos, qui ex post delinquunt, ne detur ansa delinquendi juxta illud *l. cum lex. ff. de LL. cum præteritum quid indulget, futurum vetat.* Abb. *in c. 2. h. t. n. 2.* Sic v. g. si lege caveatur, ut omnes banniti solvendo decem aureos liberentur, id non extenditur ad eos, qui futurò tempore banno afficientur. Abb. *l. c.* Secundo, quod constitutio nova respiciat tantum futura generatim, sic limitandum. Primò, nisi contineat aliquid pertinens ad jus naturale vel divinum. Secundò, nisi constitutio nova concordet cum jure seu lege antiqua, per quam idem præcipiatur; quia tunc potius est constitutio declaratoria & confirmatoria juris antiqui. Tertiò, nisi in nova constitutione exprimatur, quod extendatur ad præterita *c. ult. h. t.*

QUÆSTIO LXXX.

An & qualiter actus merè interni possint esse materia legis humanæ.

1. RESP. primò. Neque lex civilis, neque Canonica præcipiendo aut vetando versari potest circa auctus merè internos proximè ac directè. S. Th. *1. 2. q. 91. ar. 4.* ubi. *de his homo potest legem ferre, de quibus potest judicare.* Nav. *in man. cap. 27. num. 17.* Covar. *in leg. peccatum 2. part. num. 7.* Suar. *de LL. leg. 4. cap. 12. num. 5.* Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 6. num. 2.* (qui de lege civili id certum, de canonica probabilius esse censet) Vasq. *Tom. 2. d. 160. c. 2.* Laym. *Th. Mor. l. 1. tr. 4. c. 4. n. 9.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 10. §. his constitutis*, contra Gl. *in can. cogitationis, 1. de pænit.* Adrian. *quodlibet 8. a. 1.* Rosett. *v. absolutio 1. n. 28. & 9.* Abb. *in c. 2. de off. Ordinar. n. 12.* Felin. *in c. porrò de sent. excom.* & plures alios apud Azor. Ratio specialis de lege civili est, quod ea habeat ortum a potestate populi; hic autem dare non possit jurisdictionem supra id, quod ei omnino incognitum, & in quo nullam inter se cives habent communicationem; neque bono communi obesse aut prodesse potest, quales sunt actus merè interni secundum se spectati. Castrop. *cit. n. 1.* Specialis quoque ratio est de lege canonica, quod ea ortum a Christo habeat; Christus autem, etsi potuisset hanc ecclesiæ suæ in actus pure internos fidelium concedere potestatem, hanc tamen illam ei concessisse, nullum est vestigium in scriptura aut traditione, dum & ipsi Pontifices, qui non solent alias jurisdictionem suam negare aut restringere, expresse concedunt, se non habere vim in actus internos, ut Innoc. III. *in c. sicut tuis, & c. tua nos, de Simon.* disertè fatetur, Ecclesiæ, non de occultis, sed de manifestis tantum judicare datum, quin & eam non concessam Ecclesiæ ex eo positivè patere, ait Castrop. quod potestas hæc ferendi leges ecclesiasticas data sit primò ac per se ad rectam Ecclesiæ gubernationem; Ecclesia autem visibilis non rectè gubernatur actu invisibili sed mere externo. Quæ tamen binæ rationes, etsi ad summum suadeant, legem humanam de facto non versari aut etiam versari non posse directè circa actus merè internos, ex defectu nimirum conferentium hanc potestatem, nolentium eam conferre; non tamen persuadent id repugnare legi humanæ, seu id absolutè non posse. Nam sicut ipse Christus per se immediatè præcipere poterat actus merè internos, sic etiam potestatem præcipiendi illos conferre poterat Ecclesiæ, siquidem supremus legislator, qui dicere potest Petro: ego mando tibi hunc actum, dicere etiam potest Paulo: ego do tibi potestatem, ut, si velis, mandes hunc actum Petro. Similiter independenter ab eo, quod Christus statuisset de hoc aliquid, potest absolutè communitas conferre alicui hanc potestatem in actus suos merè internos; cùm quilibet non minus sit dominus actionum suarum internarum quam externarum; adeoque non minus quò ad istas quam ad has potest cedere juri suo, & obligare se alteri ad obediendum etiam in iis: & ita quidem, ut si aliquando constiterit superiori vel per confessionem ipsius rei, vel per revelationem, de transgressione interna, possit illum punire. Quod autem vim coactivam per punitionem quo ad tales actus transferre nequeat communitas, eò quod coactio talis esse non possit ad rem natura sua occultam, nihil obest; cum hæ duæ jurisdictiones seu potestates, nimirum legislativa & coactiva ad legis impletionem separari possint. Contra quod postremum tamen est (unde & communiter alias formari solet argumentum commune legi civili & canonicæ) doctrina desumpta ex Aristotele 10. *Ethicor. c. 5.* Quod potestas legislativa conjuncta esse debeat cum coactiva, seu facultate coercendi ac puniendi transgressores; idque non solum imponendi pœnam per legem, sed etiam cognoscendo de delicto, eique infligendo pœnam, vel a jure latam declarando & exequendo, ne alias potestas legislativa omni efficacia destituatur. Jam verò neque Magistratui Civili, neque ecclesiastico competit potestas cognoscendi & judicandi actus internos juxta *c. sicut tuis & c. tua nos*; quia nequit Ecclesia illos cognoscere, & consequenter nec imperare.

2. Resp. secundò. Potest tamen Magistratus civilis & ecclesiasticus legibus suis indirectè præcipere actus internos; dum nimirum hi cum actibus externis præceptis necessariò conjuncti sunt, utpote vel necessarii ad eos physicè ponendos humano modo; qualiter quia voluntas vendendi merces, solvendi tributa, celebrandi contractum necessaria est ad contrahendum, ad solutionem, ad venditionem, non potest præcipi aut vetari hæc solutio, hæc venditio, nisi una præcipiatur aut vetetur dicta voluntas interna, cujus

actus ille externus venditionis, solutionis sufficienter manifestativus est. Qui enim prohibet actus externos, prohibet consequentet apponere causas efficaces illorum, & qui imperat actum externum, necessario imperat apponi causas ad illius executionem necessarias, in quo casu non præcipitur actus internus per se sed per accidens, quatenus ad actum externum est necessarius. Castrop. *num.* 3. cum omnino communi. Vel tanqoam necessarii, ut actus externus, non in esse physico, sed in esse morali constituatur, qualitet, quia v. g. attentio interna ad constituendam veram orationem vocalem, intentio ad actiones externas constituendas in ratione Sacramenti necessaria est, non potest præcipi actus internus v. g. oratio vocalis vera, vera confectio Sacramenti, quin actus ille internus simul præcipiatur, non quidem per se, quatenus est forma actus illius exterioris, constituens illam tanquam forma, non tantum in esse actus humani sed etiam in esse talis compositi moralis. Quod autem præceptum tale actus interioris non excedat potestatem legislativi humanam, inde probat Castrop. quod istiusmodi actus interiores pertineant vel ad humanam & politicam gubernationem, vel ad religiosum cultum debitum Deo, siquidem negari non potest, ad haoc pertinere orationes veras, veram & non irrisoriam Sacramentorum confectionem, item contractus fictos & fraudulentos sine animo interno contrahendi factos obesse Reipublicæ; ita Suar. *de LL. l.* 4. *c.* 13. *a* *n.* 5. Vasq. *l. cit. c.* 5. quos sequitur Crimer. *ad h. t. n.* 331. juxta quod definiri videtut *in c. dolentes de celebrat. Missar.* ubi mandatur divinum officium studiosè, attente & devotè recitari. Ubi illud notandum cum Crimer. *loc. cit.* quod esse morale actus considerari possit dupliciter. Primò quatenus importet actum externum ut conjunctum cum interno, quo constituitur præcisè in linea actus moralis sub denominatione talis actus moralis v. g formalis donationis, confectionis Sacramentalis, contractus &c. Secundò, quo constituitur in linea actus virtutis seu honesti formaliter, quod fit intendendo finem alicuius virtutis, responsionem verò procedere tantum de actu externo quo ad esse Morale acceptum in primo sensu, nimirum quando actus exterior sortitur denominationem formalem v. g. donationis, orationis simpliciter &c.

3. Resp. tertiò. E contra, dum actus interior non est necessarius neque ad efficiendum physicè actum externum, neque ad constituendum illum in esse morali seu compositi moralis, sed in utroque esse morali, & physico ab illo independens est, & non nisi per accidens illi conjungitur (unde & imperare illum ad rectam Ecclesiæ gubernationem necessarium non videtur) nequit a Magistratu civili aut etiam ab Ecclesia imperari, ne alias propriè & per se ac directè dicendus sit imperatus. Suat. *loc. cit. n.* 14. Castrop. *n.* 4. qui etiam inde deducit, Ecclesiam nunquam imperare posse fidelibus, ut orent, jejunent, dent eleemosynam ad hanc vel illam intentionem, sed tantum, ut in necessitatibus jejunent, dent eleemosynam. Uti id constare ait ex eo, quod si quis posito illo præcepto, jejunaret; oraret ex vana gloria vel ob alium pravum finem, non peccaret contra legem vel præceptum illud Ecclesiæ.

4. Atque his positis; jam facilè diluuntur, quæ videntut contrarium persuadere. Imprimis enim ex eo, quod potestas Ecclesiæ legislativæ sit spiritualis, tum quia a Christo procedit, tum quia ad bonum animarum ordinatur, & in materia Sacramentorum & virtutum supernaturalium versetur, non infertur, esse ad actus merè internos, quia hæc omnia hæc potestas respicit, quatenus fideles inter se conveniant, & unum corpus constituunt, & ad illius rectum regimen conducere possunt, quæ omnia exteriora esse debent per se cognoscibilia. Castrop. *p.* 6. *in fine*.

5. Secundò. Non sequitur, quod prohiberi a lege humana quoque nequeant actus externi occulti, v. g. adulterium, homicidium occultum, utpote qui etiam obesse non possunt bono communi Rempublicam turbando. Nam quod hi occulti sint, & in foto extetno probari non possint, est per accidens & quasi extra eorum naturam, quæ de se cognoscibilis; adeòque etiam per accidens est, quod de facto non habeant effectum illum turbandi Rempublicam; & quod puniri non possint, secus est de iis, qui natura sua sunt incognoscibiles. Azor. Castrop. *LL. cit.*

6. Neque tertio sequitur ex eo, quod legislatotes Ecclesiastici a Christo, qui etiam in internos actus potestatem habet, habeant hanc suam potestatem. Licèt enim, ut dictum eam ab illo habere potuissent, quòd tamen de facto non habeant, ex eo suadetur, quod ea necessaria non sit ad rectam Ecclesiæ gubernationem; sicut ad illam pertinet potestas ligandi & solvendi Sacramentaliter ab actibus merè internis; cum Ecclesia non solum attendat bonum commune fidelium, quatenus hi inter se communicant (quod spectat ad potestatem legislativam) sed etiam bonum cujuslibet proprium, ad quod procurandum dicta potestas solvendi etiam ab internis maximè erat necessaria. Idem est de votis ac juramentis, maximè internis, in quibus Ecclesiam, jurisdictione a Christo accepta, in bonum singulorum nomine Dei dispensare posse constat.

7. Dum *Clem.* 1. *§. verum de hæretic.* excommunicantur Inquisitores, si ex odio vel amore lucri omittant procedere erga aliquem in causa fidei, non puniuntur præcisè ob actum internum, sed ob actum externum tali conditione affectum, nempe, si procedat ex odio &c. quod non est extensio potestatis, sed restrictio illius; cum poterant ob actum externum, nimirum omissionem, quia malus est, puniri. Ita Castrop. quamvis Vasq. *d.* 160. *cap.* 3. Salas, *de LL. d.* 9. *s.* 3. *num.* 8. & 9. censeant, non posse aliquem puniri censura, nisi extrinsecus moraliter manifestetur talis affectus interior. Quod ipsum, etsi non certò, probabiliter tamen & moraliter cognosci posse, & hoc sufficere, ait Castrop. Ita & Azot. *cit. c.* 8. *§. ad argumentum* ait: negamus in ea Clement. vitari actus simpliciter internos, sed quosdam affectus animi, qui tanquam causæ & origines actus externos solent inficere, ac proinde ex actibus externis tanquam ex effectibus solent nobis esse noti & comperti ad sententiam de iis ferendam.

8. Dum in *c. commissa*, *de elect.* Ecclesia in recipientibus beneficium curatum postulat intentionem recipiendi inter annum sacerdotium, fit hoc, non in vi sulius præcepti, sed in vi legis cujusdam conventionalis & pacti, ut fructus percipere & beneficium tetinere queat. Potest enim Ecclesia, cum sit beneficiorum domina seu administratrix, illa sub hac vel illa conditione conferre, quæ si deficiat, nec fructus faciat quis suos, nec possit beneficium retinere. Idem est, dum Ecclesia indulgentias concedit facientibus aliqua opera sub hac vel illa intentione, quod non est ferre legem de interioribus, sed nolle beneficium tribuere, nisi sub condictione actus alicujus interni ponendi. Azor. Castrop. *LL. cit.*

9. Ad hoc quod additur de præcepto Ecclesiæ percipiendi Sacramenta cum debita intentione & sine conscientia peccati mortalis, Castrop. negat & probabilius censet, non esse de hoc præceptum Ecclesiæ, sed hoc ab ea relinqui divino præcepto, quod obligat sancta sancte tractari.

10. Ac denique; si verum est, Ecclesiam posse interna peccata reservare, disparitatem inter reservationem peccatorum & legem haoc ostendit Azor. quod, cum Ecclesia reservat peccatum aliquod, subtrahat solummodo absolutioni materiam a qua alias sacerdos absolvere poterat; qua subtracta nulla est absolutio. Lege autem aliquid prohibere vel præcipere sit uti jurisdictione seu jus dicete in nobis subditos, & ea vitare vel præcipere, quæ cognoscere, judicare & punire possumus. De cetero, quod sacerdos possit absolvere a peccatis occultis in confessione expositis nomine Christi, non sonat actum potestatis legislativæ humanæ, quæ non respicit directè bonum speciale unius, sed commune, in quo omnes communicant.

QUÆSTIO LXXXI.

An sententia docentium, in Ecclesia non esse potestatem præcipiendi vel vetandi actus internos, nisi solum indirectè, quatenus per se necessarii sunt, ut actus externus existat in esse physico & morali actus externi humani secundum denominationem, sub qua præcipitur, v. g. contractus, orationis &c. non sit saltem virtualiter damnata, ut vult Cardenas.

RESp. negativè. Neque enim ea opponitur ulli principio certo, neque evidenter infertur etiam virtualiter ex aliqua sententia decreto Pontificio damnata, neque talem infert. Ita Crimer. *ad h. t. a num.* 366. fusè per folia plura id deducens, ac respondens ad argumenta Cardenæ, cujus hæc est doctrina, 3. *p. Crisis Th. dissert.* 34. *c.* 2. *a.* 1. *a num.* 7. posse non solum præcipi actus internos, quatenus hi constituunt externos in esse physico morali jam explicato, nimirum, ut actus externi liberè ponantur ordine ac tempore ac modo præscripto (quum vult esse virtualiter propositionem damnatam) sed etiam in esse morali virtutis. Duplex siquidem esse morale actus externi considerari potest. Unum, a quo habent denominationem actus humani ac liberi, quod habetur per actum voluntatis imperantis actum externum, ut in esse physico modo debito ac præscripto externè existat, Alterum a quo habeat esse morale in linea alicujus virtutis vel vitii, aut inducentis aliquem effectum moralem.

ralem. Quòd si igitur dicas, faciens confessionem voluntariè nullam omittendo v. g. contritionem eo tempore, pro quo præcepta confessio, transgreditur præceptum Ecclesiæ (hujus enim contrarium taoquam falsum damnatum est ab Alexand. VII.) Respondet Crimer. *ex n.* 357. non violari formaliter ac directè præceptum Ecclesiæ voluntaria illa nullitate confessionis, dum nimirum omittendo contritionem, omittitur substantia confessionis jure divino debitæ; sed tantum consequenter & indirectè, nimirum directè omittendo circumstantiam confessionis jure divino debitæ, non ponendo confessionem talem, qualem jus divinum requirit tempore præscripto, & consequenter omissione temporis, in quod fertur præceptum Ecclesiæ, & ad quod ea præceptum divinum restringit, ratione sui formaliter & directè est violatio præcepti Ecclesiæ, & omissio contritionis non nisi illativè & consequenter; quatenus secum trahit omissionem illam circumstantiæ temporis, cujus esse physicum haberi nequit nisi existat confessio jure divino valida. Confirmat hoc ipsum Crimer. *n.* 376. a Sanch. debet quis alteri 100. Judex dein debitori præcipit, sub pœna certa, ut solvat 1. Maji. in quo casu nemo dicet, debitorem violare formaliter præceptum Judicis omissione solutionis quo ad substantiam, & hinc incurrere pœnam; sed solùm propter omissionem circumstantiæ temporis, nimirum non ponendo jure naturę debitam 1. Maji. Atque ita lex Ecclesiæ præcipit directè tempus ad actus internos jure divino directe debitos, & indirectè solum debitos nempe ratione circumstantiæ temporis jure humano. Cui si apponas tempus non esse materiam præcepti, sed operationem humanam; respondet *n.* 379. tempus quidem secundum se, præscindendo ab operatione, non esse materiam præcepti, esse tamen talem, si consideretur in ratione circumstantiæ operationis. Quin & ait in fine *n.* 380. ex eo, quòd directè præcepto Ecclesiæ pręcipiatur circumstantia illa confessionis jure divino debitæ, non sequi, quòd necessariò etiam indirectè eodem Ecclesiæ præcepto præcipiatur confessio jure divino debita; cum hæc aliunde jam, nempe pręcepto divino sit debita, & ab Ecclesia præcipiente illam circumstantiam id sit cognitum.

QUÆSTIO LXXXII.

An dari possit lex humana purè directiva circa actus internos, constringendo conscientiam, ita ut ejus obligatio soli judicio conscientiæ relinquatur, aut etiam simul coactiva coactione interna, hoc est, quæ præcipit aliquid sub pœna incurrenda ante sententiam Judicis, qualis est censura latæ sententiæ.

1. RESp. primam affirmari a Cardenas *l. c. n.* 2. *n n.* 32. nimirum non esse de ratione legis humanæ ut sic, ut sit coactiva, & efficaciter, nimirum proposita pœna, inductiva ad virtutem, sed posse Ecclesiam ferre leges directivas constringentes conscientiam circa actus internos absque eo, quòd habeant vim coactivam. Probatur id ipsum primò ex eo, quòd Princeps astringatur sua lege respiciente bonum commune, absque eo, quod subjiciatur ei quo ad vim coactivam. Secundò, quod leges civiles respicientes bonum commune seu universorum ligent clericos vi directiva, non coactiva. Tertiò, quod præceptum, quo Prælatus potest obligare ad orationem mentalem, sit pure directivum. Quartò, quòd lex naturalis, prout distincta a divina sit solum directiva, non coactiva metu pœnæ. Quintò, quòd Ecclesia non possit judicare, de internis adeoque nec eis pœnam decernere; possit tamen eas præcipere, præcipiendo nimirum actus mixtos ex internis & externis.

E contra tenet Crimer. *n a.* 390. quòd licèt non sit de ratione legis vel præcepti ut sic, esse coactivam seu efficaciter inductivum ad observantiam sui metu pœnæ supponentis culpam. Neque sit de ratione illius, ut omitti possit nisi per omissionem peccaminosam, uti hoc ultimum patere ait in præcepto, quòd habuit Christus ad moriendum. Sit tamen hoc ipsum de conceptu legis humanæ pertinentis ad jurisdictionem fori externi. Ad rationes oppositę sententiæ respondet. Primò, Principem ligari ad observandam legem a se editam, non in vi hujus legis, sed in vi juris naturalis ac divini, quo is tenetur exemplo suo inducere suos subditos ad observantiam legis pro illis latæ. Distinctionem tamen, quam subjungit, dicendo; in lege, prout præscindit ab humana & divina, separabilia esse vim coactivam & directivam; non vero in lege contracta ad humanam, & pro foro fori constitutam; distinctionem illam, inquam, non capio; cum etiam lex divina non sit purè directiva; nisi fortè intelligat de lege naturali prout distincta a lege divina. Sic quoque ait Crimer. *nu.* 391. Clericos non teneri ad servandam talem legem civilem, v. g. de certa taxa servanda in venditione frumentorum, in vi illius legis latæ à Principe sæculari, sed in vi legis naturalis ac divinæ, qua pars communitatis in his, quæ spectant ad bonum universorum, tenetur concurrere, se illi suas actiones conformando.

Ad tertium negat *a.* 393. præceptum Prælati præcipientis orationem mentalem esse merè directivum, aut etiam directè imperare actum internum ex vi obedientiæ. sed solùm indirectè quateans illud præceptum imperat orationem voto promissam, seu debitam ex vi voti. Sed non videtur omnino satisfacere dicta responsio; cùm imprimis vi voti obedientiæ sibi præstitę Prælatus verè imperet orationem mentalem directè, quæ in actu solo interno consistit, & quia neque de se, neque per aliud est cognoscibilis, puniri nequit ejus omissio. Ergo non est præceptum simul coactivum, saltem coactione extrinseca. Ad quartum dicit, inde bene deduci, esse coactivum non esse de ratione legis ut sic. Ad quintum dicit, quòd ut lex dicatur coactiva, & non merè directiva, sufficere, quod Legislator possit judicare de illius transgressione, secundùm quod implicat omissione alicujus partis, sine qua non stat observantia talis legis. Sic licèt non possit punire omissionem actus interni solitariè sumpti, potest tamen punire omissionem actus externi, consequenter aliquam partem actus mixti, si per ejus omissionem violetur præceptum de ponendo actu mixto, quia tunc præsumitur omissio actus interni. Vide de his pluribus Crimer. *a n.* 402. confirmantem D. Thomæ doctrinam, quæ negat potestatem directam legislatori humano in actus mere internos.

2. Resp. ad secundum. An Ecclesia præcipere possit actus internos sub pœna ipso facto incurrenda, videri probabilius quòd non, si actus sint interni nullo signo extrinseco manifestati. De quo vide dicta quæstion. ante hanc penuit. ex Vasq. & Salas. Forte aliud dicendum de actibus externis hic & nunc per accidens occultis, ita ut nulla ratione probari queant. De quo alibi dictum.

QUÆSTIO LXXXIII.

An & qualiter bona & jura subditorum sint materia legis humanæ, ita ut de iis statuere & disponere possit Princeps.

1. RESp. primo. Nullus Princeps, etiam supremus, absque justa causa potest statuere aliquid cum præjudicio sive diminutione juris aliorum, etiam subditorum. Pirh. *ad h. t. n.* 18. dicens, esse certam & communem DD. apud Felin. *in cap. quæ in Ecclesiar. h. t. num.* 26. & 33. & Abb. *ibid. num.* 31. & 12. Wiestner. *h. t. n.* 49. dicens: standum in hac sententia omnium melioris notæ & sensus DD. pro certo unanimiter statuentium, plenam hujusmodi potestatem Principum terrenorum non humanitati duntaxat & æquitati, sed divinis humanisque legibus jurique & rationi, etiam naturali adversari &c. Etsi enim Princeps jurisdictionem etiam supremam habeat in universos subditos suos, non tamen habet dominium absolutum rerum privatarum spectantium ad subditos; adeoque sine causa justa non potest statuendo vel decernendo jus & dominium illarum illis auferre. Felin. *loc. cit. num.* 27. Gail. *l.* 2. *observ.* 56. *nu.* 2. Quinimò ad officium, ad quod constitutus est princeps, spectat colere justitiam, jus subditis reddendo. Unde & rescripta justitiæ a Principe emanata hanc tacitam habent clausulam: *Salvo jure alterius*; vel *sine præjudicio alterius*. Hoc est ita intelligenda sunt, ut jus alterius non lædant, sed salvum & illæsum servent. Pirh. *loc. cit.* Gail. *l.* 2. *observat.* 58. *num.* 4. *l. ex facto ff. de vulgar. substitut. l.* 2. *ff. ne quis in loco publ. &c.* Et, quod speciale est legi Civili & Magistratui Sæculari, Princeps non aliam habet potestatem, quàm quę in ipsum a populo translata est; adeòque, cum populus in singulorum civium bona ita absolutam potestatem non habuerit, ut de iis pro libitu possit disponere, neque Princeps eam habebit. Quod autem talis potestas contraria sit Legibus humanis, ex eo patet, quòd hę refutari jubent rescripta etiam imperialia, quę contra jus elicita, & alium lędunt. *L. rescript. Cod. de precibus Imperator. offer.* dum ab emptione & venditione jure perfectis, contrahentium altero invito recessum ex ejusmodi rescripto alteri non permittunt. *L. de constructn C. de rescind. vendit. &c.* Quod contraria sit rationi & juri naturę, inde liquet, quòd ex illius principiis ac pręceptis (quibus omnes indiscriminatim subduntur) sit alterum non lędere, jus suum cuique tribuere. *Inst. de Justit. & Jure*, & quod Princeps non sit, qui violenter alteri aufert suum. *Can. fin.* 2. *q.* 1.

Ac

Ac denique, quòd contraria etiam legi divinę positivę dicit scriptura *Ezech. c. 46. num. 18. non accipiet Princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum.* Unde merito gravissimè punitus Achab. 4. *Reg.* 10. quòd vineam Naboth vi occupasset. Neque 1. *Reg* 8. *v.* 11. Deus per Samuelem tam regii juris amplitudinem, omniaque bona subditorum in Regis potestate constituit, quàm iniquam futuri Regis tyrannidem comminatur, uti hunc locum explicat D. Thom. 1. 2. *q.* 105. *art.* 1. *ad* 5. Neque talis Regis juris amplitudini leges favent, ut dum dicitur. *L.* 1. *ff. de constit. Princip. quia quod Principi placuit, legis vigorem habet.* Cùm intelligatur, non quodcunque placuit, sed solùm illud, quod utile honestum rectæque rationi ac juri divino, naturali consentaneum est adeoque non tendit in alterius læsionem; hæc enim sola potestas competens populo ab eo in illum translata. Unde jus alteri auferre, si libitum est, non eo ipso licitum. Neque ex eo, quod Princeps supra leges esse dicatur. *L. Princeps ff. de LL.* & quod hæ *Nov.* 105. *cap.* 2. *sub finem* ei subjectæ asseruntur, rectè infertur: quod dominium rerum, saltem earum, quas ex legis dispositione privati obtinent, illis possit auferre. Dum enim Princeps indistinctè omnibus legibus solutus non sit, sed ligatus ipse etiam Legibus divinis & naturalibus, earumque vi etiam ad humanarum legum, quæ materiam ipsi & subditis communem continent, & ad contractuum cum privatis initorum observantiam tenetur: adeoque ei rem cujuscunque postquam etiam juris civilis dispositione acquisita, invito domino sine causa publica auferre jus naturale vetat. *l. jure natur. ff. de R. J.* Neque dicitur dominus Mundi *l. Rhod. de jactu.* Ut quæ in mundo sunt, ejus esse omnia intelligantur, *l. bene a Zenone C. de quadrien. præscript.* ac proinde sicut privato cuivis de re sua, sic ipsi de omnibus mundi seu principatus sui & quorumcunque sibi subditorum rebus liberè disponendi competat facultas, vi cujus de rerum dominio per viam præscriptionis ab uno in alterum transferendo leges constitutæ sunt. Id inquam tam crudè accipiendum non est, quasi Imperator sit dominus quò ad rerum singularum proprietatem earumque liberum usum; sed solum quo ad jurisdictionem aliquam dominiumque eminentiale & altum, spectans Reipublicæ necessitatem & utilitatem, argumento, *l. præcipimus. Cod. de appell.* cujus intuitu præscriptio constituta. *Inst. de usucap.* & ex flumine publico aquæ ductus, quo v. g. id minus navigabile redderetur, prohiberi a Principe potest Gail. *l.* 2. *observ.* 56. *num.* 4. Vasquius *illustr. controvers. cap.* 5. & cum illis Wiestner. *ad h. t. num.* 58. Neque denique ad probandum supremum Principem sæcularem habere potestatem in bona & jura subditorum temporalia, adduci potest, quod Papa de quibuslibet spiritualibus & ecclesiasticis rebus ac juribus habeat plenam & absolutam potestatem disponendi, ut cui vult, ei auferre & conferre libere possit. Argum. *c. cuncta per mundum* 9. *quæst.* 3. *c. licet de præbend. in* 6. *& Clem.* 1. *ut lite pendente.* Nam neque Papam, licèt amplissima quoad spiritualia & res ecclesiasticas polleat potestate immediatè a Christo accepta; adeoque a nulla potestate humana limitabili, non habere tamen eam potestatem ut istiusmodi res & jura locis & personis ecclesiasticis quæsita sine legitima causa pro voluntatis suæ arbitrio auferre ei liceat, cum bonorum ac jurium ecclesiasticorum tam spiritualium quam temporalium non sit absolutus Dominus, sed solum administrator, sic inquam doceant D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *ar.* 1. *ad* 7. Abb. *in cap. constitutus de religios. domib. a num.* 14. Navarr. *de spol. clericor. §.* 2. *num.* 2. Redoan. *de reb. Eccles. non alienand. rub.* 30. *casu* 4. *num.* 15. Quamvis quo ad beneficia ecclesiastica Papæ a Christo concessum esse jus plenum, seu summum absolutamque potestatem & plenariam dispositionem expresse tradant Castropal. *tractat.* 13. *de benef. d.* 2. *part.* 14. *num.* 2. Laym. *in cap. quæ ad ecclesiar. de constitut.* Lotter. *de re benef. l.* 2. *quæst.* 22. *num.* 9. dicens Catholicorum neminem id negare, ita ut non solum dicatur beneficiorum administrator absolutus, ut cum D. Thom. *loc. cit.* Theologi & Canonistæ omnes Lott. *loc. cit. num.* 10. sed etiam Dn. Lotter. *l. c. num.* 11. citans Menoch. *cons.* 192. *num.* 7. Bursat. *cons.* 126. *num.* 11. Surdum *cons.* 25. *num.* 2. in tantùm, ut ubi constat de ejus voluntate frustra quæratur de ejus potestate, stante ei in his pro ratione voluntate Lott. *num.* 13. ex Ferret. *consil.* 65. *num.* 5. & Glos. *in cap. si gratiosè de rescript. in* 6. Utendo proinde Papa hoc jure suo & liberrima potestate non lædit jus alterius dum fructus beneficiorum gravat pensione, etiam beneficiato invito. Lotter. *num.* 17. citans Card. Paris. *l.* 4. *cons.* 5. *num.* 85. aut etiam alteri Ecclesiæ applicat Lotter. *num.* 18. Ferret. *consil.* 32 *num.* 31. vel concedit beneficiato facultatem disponendi, de fructibus etiam in præjudicium successorum Lotter. *num.* 19. Menoch. *cons.* 382. *num.* 4. Ferret *consil.* 128. *num.* 5. quin etiam beneficiatum absque causa privare potest beneficio, ut Garc. *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. citans quamplurimos. Vide de his meipsum in *foro benef. part.* 2. *quæst.* 512. Exinde tamen non inferendum, habere quoque Principes sæculares similem potestatem circa bona suorum subditorum, cùm talem neque a Christo seu Deo, neque ab ullo alio acceperint.

2. Porrò extenditur responsio, ita ut non tantum Princeps supremus tollere nequeat jura privatorum provenientia ex jure naturali aut gentium, sed neque provenientia ex lege aliqua positiva, v. g. præscriptionis, quæ solo jure humano introducta. Pirh. *l. c. n.* 20. citans Abb. *in c. quæ ecclesiar. n.* 7. contra Fel. Rationem dat, quod princeps veluti vindex & custos legum publicarum debeat procedere & decernere juxta leges positivas publicas, non contra illas sine causa statuere. Quamvis tamen, ut idem citans Felin. & Layman Princeps facilius decernendo vel statuendo præjudicare possit juri alterius quæsito beneficio legis positivæ, quam naturalis aut gentium, quia est supra jus positivum & illud mutare aut tollere potest, non item jus naturale aut gentium. De cetero licèt supremus Princeps possit potestate absoluta hac ratione legi publicæ positivæ derogare, & res privatorum vi talis legis quæsitas auferre, in dubio tamen censendum non esse, voluisse uti ista extraordinaria potestate, nisi id exprimat, aut aliunde id constet, observat idem Pirh. ex Gail. *l.* 2. *observ.* 58. *num.* 9. *& observ.* 529. *num.* 12.

3. E contra limitatur responsio, ita ut Princeps facilius & ex minore causa possit statuendo derogare juri alterius nondum acquisito, sed acquirendo, sive juri in spe. Pirh. *num.* 22. ex Gail. *l.* 2. *observ.* 142. *num.* 14. *&* 15. Sic v. gr. potest Princeps filium naturalem & illegitimum legitimare, patre illius adhuc vivente, & multo magis id petente, etiam extantibus liberis legitimis in eorum prejudicium; quia hi habent in bonis paternis tantum jus in spe, non in re seu acquisitum. Non tamen potest Princeps talem legitimare mortuo patre extantibus aliis filiis legitimis, nisi ex causa gravi & ob publicam necessitatem; quia jam hereditas filiis legitimis acquisita, quę illis jure naturali ac gentium debetur, exclusis illegitimis. Gail. *loc. cit. num.* 7. *&* 8. Covar. *l.* 3. *var. resolut. cap.* 6. *num.* 2. Pirh. *num.* 22. quin etiam tradunt, posse Principem ex legitima causa legitimare illegitimum ad feuda etiam antiqua, quę ex pacto & providentia primo acquirentis descendunt, in prejudicium agnatorum; quia hi non habent ad ista feuda jus quęsitum, sed solùm in specie, seu spem successionis, si possessor feudi mortuus fuerit; adeoque tantum acquirendum cujusmodi jus acquirendi sive succedendi non censetur esse in bonis nostris. *l. pretia ff. ad l. falcid.* Ex dictis infero &c.

4. Resp. Secundò. Tametsi igitur Princeps etiam supremus circa res & jura subditorum lege disponere nequeat sine urgente causa (foret enim lex talis injusta) potest tamen publica necessitate vel evidente utilitate suadente, de iis disponere, auferendo privatis & in alios transferendo, aut publico applicando legali aliave ordinatione. Abb. *in cap. cum ecclesiar. h. t. num.* 11 Felin. *num.* 76. Jason. *in L. Barbarius ff. de offic. Prætor. a num.* 24. Gail. *cit. observ.* 26. *num.* 3. Pirh. *h. t. num.* 18. Wiestner. *num.* 55. cum communi & recepta juxta *L. ædificia L. si quando Cod. de oper. publ.* quibus ædificia privata propter publica dejici permittuntur. Siquidem bonum publicum est universalius & præstantius, meritò præferendum cuilibet bono privato seu singulorum. *L. feudor.* 2. *t.* 55. ut sicut illius gratia a communibus regulis in multis receditur *cap. cum Abb. de sent. & re judicat. in* 6. & *L. ita vulneratus §. fin. ff. ad l. Aquil.* ita quod pro illius incolumitate Princeps vel Magistratus supremus statuit, justum sanctumque habeatur, quamvis inde singuli in rebus suis patiantur detrimentum juxta Ciceronis sententiam *l.* 2. *de LL. respublica nomen universa civitatis est, pro qua mori & nos totos dare, & omnia nostra consecrare debemus.*

5. Limitanda hæc sunt primo, ut Principem legali, aliave dispositione velle privatis jus quæsitum tollere, in dubio nunquam præsumi. Ideoque ejus rescripta, si aliud non exprimant, ita accipienda, ut neminem lædant, aut ulli præjudicent *cap. super* 10. *juncta glos. v. intentionis de offic. delegat. l. Prætor ait, ff. ne quid in loc. public.* Gail. *l.* 2. *observ.* 58. *num.* 4. Pirh. *h. t. num.* 19. Wiestner. *num.* 56. Idque etiam in rescripto adjecta clausula: *motu proprio & ex certa scientia* cum hæc nihil operetur in præjudicium tertii, eaque in iis vim habeat, in quibus Principis scientia, non autem ignorantia præsumitur, hoc est, in iis, quæ in facto consistunt.

stunt. Pirh. *l. c.* citans Gail. *ubi ante n.* 5. Dum autem constat certò, Principem alterius juri derogare voluisse, id ex justa causa ab ipso factum esse præsumi debet. Pirh. *l. c.* citans Abb. *in cap. quæ in ecclesiarum h. t. num.* 14. Guido-Papam *decis.* 689. *numer.* 4. ubi is: *pro Principe præsumitur & pro gestis ejusdem.*

6. Limitanda secundò. Ita ut res, quæ a Principe dictæ necessitatis vel utilitatis gratia privato ablata est, cessante illa necessitate vel utilitate sit restituenda, argum. *c. cum cessant. de appellat.* si nequeat restitui, eo quòd v. g. domus, hortus, ager qui pro muniendis mœnibus vel ampliandis propugnaculis subtractus est, non exiter amplius, ejus jactura pretii refusione sit compensanda. Pirh. *cit. num.* 20. citans Felin. *in cap. cum in ecclesiar. num.* 29. Gail. *l.* 2. *observ.* 56. *num.* 8. (qui tamen id limitat: nisi velit uti absoluta potestate) Laym. &c. quos sequitur Wiester *n.* 58. Unde etiam inferunt Felin. *l. c. num.* 52. Laym. *in c. cum in ecclesiar. num.* 14. Pir. *l. c.* non posse principem componere pacem cum hostibus, nisi eo pacto, ut damna subditis injustè illata resarciantur. Si tamen pax Reip. necessaria vel utilis aliter obtineri nequeat, nisi damna illa remittantur, neque Princeps ea restituere possit, tunc bonum publicum pacis præferendum damnis subditorum.

7. Limitanda tertiò. Ita ut solus Princeps supremus possit rem vel jus uni acquisitum auferre & alteri dare ex plenitudine potestatis, non autem magistratus inferior, etiam ex causa, nisi id ei concessum seu delegatum a supremo Principe, a quo & alia regalia aut reservata Principi demandari possunt. Felin. *l. c. n.* 32. Gail. *l. c. n.* 12. *& ex eo* Pirh. *cit. n.* 20. citatis insuper Abb. *in c. cum in ecclesiar. n.* 12. & addit, posse principem etiam sine causa urgente derogare juri subditorum, si modicum inde illis damnum inferatur. Et sic posse Principem dare debitori dilationem ad tempus, ut non possit interim conveniri a creditore *l.* 2. *C. de precib. Imperator. offer.* quamvis non possit sine gravi & publica causa concedere, ut non possit unquam conveniri.

8 Resp. tertio. Potest etiam Princeps gratias & privilegia a se, vel etiam a prædecessoribus suis, concessa subditis, etiam sine causa, ordinatione vel lege sua revocare & auferre, nisi tamen per modum contractus concessa sint; cum Princeps jure naturali teneatur observare contractus & donationes absolutè factas. Gail. *l. c. observ.* 55. *num.* 6. Felin. *l. c. nu.* 51. Pirh. *num.* 21. Unde etiam Princeps non potest auferre feudum Vasallo suo sine causa legitima, eaque cognita; cum feudum non est merè gratuitum beneficium, sed quidam contractus ultro citroque obligans. Abb. *loc. cit. numer.* 15. Felin. *l. c. nu.* 5. Pirh. *l. c.* Quemadmodum etiam Princeps non potest jus alicui per sententiam justam adjudicatum, & ab eo acquisitum, sententia rescissa (nisi forsan in ea commissus error, vel contentus nimius rigor) sine causa auferre; cum sententia Judicis non tam jus de novo tribuat, quam authenticè interpretetur & declaret, quod parti, quæ in judicio vicit, jus competierit. Pirh. *n.* 21. Laym. *in c. cum in ecclesiar. h. t. num.* 11. Unde etiam rescriptum contra sententiam, quæ transiit in judicatum, quia, ab ea appellatum non fuit, impetratum a Principe invalidum est. *L. ult. C. sententiam rescindi non posse, & l. causas C. de transaction.* idque etiamsi adjecta sit clausula: non obstante tali sententia. Gail. *observ.* 58. *num.* 8.

QUÆSTIO LXXXIV.

An & qualiter Papa de rebus & bonis ecclesiarum statuendo disponere possit.

1. Resp. primò. Habet liberam potestatem disponendi de beneficiis ecclesiasticis *c.* 2. *de preb. in* 6. juxta dicta *quæstion. praeced.* Licet autem, quamdiu beneficium persistit in suo esse, negari non potest Papæ absoluta ejus administratio, uti nec absolutum dominium respectu formæ ipsius seu tituli beneficii, qui uti creatur per Papam, ita & per illum destrui, & annullari potest. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 22. *n.* 15. citans Menoch. *cons.* 197. *n.* 5. non tamen de ipsa substantia & materia beneficii disponere potest; utpote quæ consistit in eo, quod ob laborem & ministerium spirituale præbeantur alimenta seu stipendium, quod juris est divini, adeoque a Papa impediri nequit. De quo vide Lotter. *l.* 1. *q.* 4. *a nu.* 53. Item de aliis bonis & redditibus ecclesiarum, saltem validè, & ex causa justa etiam licitè; adeoque transferendi illa de una Ecclesia ad aliam. Pirh. *ad h. t. nu.* 23. citans Pelin. *in c. cum eccl. num.* 40.

1. Resp. secundò. De fructibus seu redditibus Ecclesiasticorum non superfluis, utpote quorum dominium & proprietas spectat ad ipsos, non habet liberam potestatem disponendi; multoque minus de bonis eorum patrimonialibus. Pirh. *ibidem* citans Laym. *in capit. cum Ecclesiar. num.* 12.

CAPUT QUARTUM.

De Effectu legis, nempe obligatione.

QUÆSTIO LXXXV.

Quis sit effectus legis humanæ?

Resp. est obligatio passiva nata in subditis, seu resultans in iis ab obligatione activa, seu vi legis obligativa per modum vinculi moralis, quo illi adiguntur & restringuntur ad faciendum, quod præceptum, & retrahuntur ab eo, quod prohibitum, seu quod leges fieri nolunt.

QUÆSTIO LXXXVI.

An lex omnis humana habeat vim obligandi.

Resp. Omnes veræ leges habent hanc vim S. Thom. 1. 2. *q.* 92. *ar.* 2. *ad* 1. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 14. *n.* 3. dicens esse omnium Theologorum & Juristarum. Lex enim vera procedit a superiore, quatenus superior est, adeoque quatenus habet potestatem cum intentione obligandi. Ergo intelligi nequit lex imposita subditis, & hos obligatos non esse parere. Unde jam poterit legislator pro sua voluntate limitare obligationem legis, v. g. obligare non nisi ad culpam venialem; sed tollere omnimodam obligationem & legem relinquere, est impossibile. Sic itaque jus gentium, quo licet justo bello captos redigere in servitutem, etsi, quatenus id permittit lex non sit; ex eo tamen resultat obligatio respectu aliorum, ne capiens in hoc impediatur. Idem est de permissione seu lege permittente & privilegio. Etsi enim lex non sit respectu particularis illius personæ, cui facta permissio, vel datum privilegium; quatenus tamen ex iis immediatè in subditis concedentis privilegium oritur obligatio non impediendi utentem privilegio vel permissione, respectu illorum lex dici possunt. Castropal. *loc. cit. num.* 5. Sic leges pœnales etsi non obligent in conscientia ad actum immediatum, ratione cujus pœna imponitur, obligant tamen ad subeundam pœnam, & Judices ad eam infligendam. Consilium verò non nisi latè lex dici potest, quatenus nimirum dirigit ac docet, citra tamen obligationem. Qualiter tamen & illud quandoque obliget, vide apud Reiffenstuel. *ad h. t. n.* 159.

QUÆSTIO LXXXVII.

An leges humanæ obligare possint, & obligent in conscientia.

1. Resp. ad primum. Leges humanæ, etiam civiles, absolute præcipiendo vel prohibendo quid obligare posse in conscientia, non minùs quam alia præcepta justa superiorum, habet communis tam TT. quàm J. Consultorum. S. Thom. 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. Suar. *l.* 3. *de LL. c.* 21. *nu.* 5. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 14. *nu.* 2. Cardenas *in crisi part.* 2. *d.* 22. *num.* 13. qui etiam censet, illud esse de fide. Et alii passim contra Gerson. *de vita spirit. p.* 3 *Lect.* 4. *alphabet.* 62. negantem tam de lege ecclesiastica quam civili, quòd de se obligare possint in foro conscientiæ, sed tantum quatenus declarant legem divinam. Et Almainum *de potestat. eccles. cap.* 12. id negantem de lege civili. Et constat, tum ex scriptura, dicente

Apo-

Apostolus *ad Rom. 13. v. 1. omnis anima sublimiori potestati subdita sit* & v. 5. subjiciente : *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram*, (hoc est, metu pœnarum ab offensis propter transgressionem, ac ideo iratis superioribus) sed *etiam propter conscientiam*, id est, ne peccetis. Item in ratione. Si enim legislator humanus, etiam civilis, tanquam minister Dei, & accepta ab eo potestate condit leges, juxta illud proverb. 8. 15. *per me Reges regnant & legum conditores justa decernunt* : non minus recta ratio & conscientia dictat, illi etiam ex voluntate Dei obediendum, quam ea dictet, mendacium esse fugiendum ; ac consequenter, sicut vi hujus dictaminis naturalis obligamur in conscientia ad fugiendum mendacium, ita etiam ad obediendum legitimo superiori. Porrò posse legislatorem humanum in conscientia obligare maximè est necessarium ad rectam gubernationem Reipublicæ & bonos mores subditorum, si enim sic obligare nequirent, sed solum timore pœnæ cogere ad servandam legem, a plerisque lex nulla perfectè servaretur. Siquidem tunc solùm observarent legem, ubi timor est, se manifestandos superiori & puniendos. Castropal. *loc. cit. num. 3. in fine*. Atque ita eliditur, quod inter alia ubmoveri solet ; nimirum legem humanam, maximè civilem respicere solùm bonum politicum Republic. ad quem finem necessaria non videtur illa obligatio in conscientia utpote quæ interior est bonum cujusque privati respiciens. Sed neque ex eo, quod peccatum definiatur, esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, infertur, nullum dari peccatum contra legem humanam, adeoque hanc non obligare in conscientia ; cùm ea, quæ sunt contra legem humanam, sint etiam contra legem Dei. Neque etiam ex eo, quod homo non possit cognoscere, quę in conscientia alterius aguntur, sequitur, nullum hominem posse alium obligare in conscientia, potest enim obligare homo ad actus externos, etsi ad internos per se obligare nequeat.

2. Resp. ad secundum. Obligant quoque leges humanæ in conscientia, dum feruntur simpliciter & absolutè absque eo, quod legislator exprimat, se velle sic obligare. Quin etiam absque eo, quod habeat intentionem positivam sic obligandi (qualiter communiter legislatorum sæcularium, præsertim gentilium, intentio non est, ferre leges in ordine ad conscientiam, sed tantùm in ordine ad statum externum politicum) modò tamen etiam non habeat positivam nolitionem sic obligandi, ut fit in legibus pœnalibus. Etsi enim, dum abest positiva illa intentio obligandi in conscientia, leges illæ non obligant in conscientia, ex intentione legislatoris secundarii nimirum humani, obligant tamen sic ex intentione legislatoris supremi seu primarii qui est DEUS, jubens servari leges justè & ritè latas a superioribus humanis. In quo casu licèt vis obligandi oriatur a lege naturali & divina tanquam a causa universali & remota, oritur tamen pariter a lege humana tanquam causa particulari & proxima, quatenus immediatè ac proximè a lege humana oritur, quod subditus teneatur hoc vel illud facere aut omittere, ad quod non teneretur, nisi id per legem humanam fuisset injunctum. Patetque hoc ipsum manifestius in lege prohibente. Dum enim legislator lege sua prohibet objectum, reddit illud a se prohibitum malum, & sic causat, si non directè, saltem indirectè in altero obligationem in conscientia non faciendi illud, siquidem principium naturale est, teneri nos in conscientia declinare malum.

QUÆSTIO LXXXVIII.

An dari possint leges verè obligantes in conscientia, neque tamen sub mortali neque sub veniali.

1. RESp. Tametsi id supponant AA. talesque videantur esse regulæ aliquorum religiosorum, difficile tamen est explicare, in quo consistat illa obligatio. Suarez sic explicat, quod talium legum obligatio immediatè, seu quatenus præscribit faciendum vel vitandum, non sit obligatio in conscientia ; ea tamen resolvatur in obligationem in conscientia, quatenus tales leges obligant in conscientia ad subeundam a transgressoribus illam pœnam, quam si subire noluerint, peccent. Sicut, qui vovit, daturum se eleemosynam, si luserit, vi hujus voti non tenetur in conscientia non ludere, obligatur tamen in conscientia ad dandam eleemosynam, si luserit, & eam non dando peccat. Sed huic explicationi obstat, quod is non dicatur servare regulas alicujus religionis, qui nihil eorum facit, quæ regula præcipit, libenter tamen subit pœnitentias propterea impositas ; adeoque hæ leges non habent rationem legis ab obligatione hac subeundi pœnitentias, sed obligatio servandi regulas est quid distinctum & antecedens, & obligatio subeundi pœnam est quid consequens ad transgressionem regulæ ut aliquo modo malam & continentem in se condignitatem ad pœnam ; & sic obligatio observandi regulam constitui nequit in obligatione subeundi pœnam.

2. Ariaga aliquanto melius satisfacit sic explicando, quòd obligatio talium legum seu regularum sit obligatio sub quadam indecentia & imperfectione positiva, quæ quidem ad veniale non sufficiat, nec odium, nequidem leve, mereatur tamen, quodammodo ne tali transgressori Deus speciales favores conferat, reddatque subjectum suum quodammodo irregulare, quemadmodum dantur, & agnoscuntur quædam imperfectiones exteræ, ob quas minùs decens esse dicimus, ut quis talia vel talia officia habeat, v. gr. ut gibbosus sit sacerdos. Vocat autem hanc imperfectionem positivam, ut eam distinguant ab imperfectione purè privativa, quatenus v. gr. quis non est tam perfectus & sanctus, quam possit esse, etiamsi omnino nihil indicens faciat, & qualis imperfectio pure privativa est non observatio consiliorum.

3. Veruntamen facilius se expediunt illi, qui cum Sanchez *in decalog. l. 6. cap. 4. num. 11.* Bonacin. *de LL. d. 1. qu. 1. part. 7. §. 2. num. 5.* & aliis, quos refert Castropal. *tract. 3. d. 1. part. 14. nu. 7.* volunt tales regulas neque esse propriè leges, neque etiam propriè consilia. Non primum, quia non ligant ; cum de rationem legis sit, esse vinculum & obligationem. Non secundum ; quia etsi sint de rebus ad perfectionem pertinentibus, procedunt tamen modo imperativo, & a superiore habente authoritatem condendi leges veras & præcepta, ordinenturque ad bonum commune, & transgressoribus irrogatur pœna, quæ omnia aliena sunt a consilio : adeoque plus a ratione consilii recedunt, & viciniùs accedunt ad rationem legis. Unde & nomen legum obtineant, sive, ut Bonac. dicuntur regulæ & ordinationes, utpote ordinantes & dirigentes ad bonum, ostendendo quid faciendum, quid omittendum. Atque ex his & illud consequitur, quòd pœnitentiæ transgressoribus similium regularum irrogari solitæ non habeant rationem propriæ pœnæ ; utpote quæ culpam supponit, culpam autem obligationem, obligatio verò ipsa subeundi istiusmodi pœnas oriatur immediate a voluntate obstringentis seu subjicientis se talibus regulis. Sicut, dum quis vovit dare eleemosynam vel jejunare, si luserit, vel non oraverit, ad quæ nullam aliàs habet obligationem, contrahit obligationem hanc quasi pœnam subeundi ex hac voluntate vel voto suo, absque eo, quòd lusus vel non oratio de se habuerit quicquam condignitatis ad pœnam talem.

QUÆSTIO LXXXIX.

An leges humanæ, etiam civiles, obligare possint sub peccato mortali.

1. RESp. affirmativè Suar. *de LL. l. 3. cap. 21. num. 6.* Azor. *par. 1. l. 5. cap. 6. qu. 1. 2. & 3.* Navar. *in sum. cap. 23. n. 54.* & alii apud Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 14. num. 2.* cum communi. Nequit tamen Legislator humanus sub peccato mortali, adeoque sub incurrenda pœna inferni, suis legibus directè obligare. Ita ut culpa illa & pœna correspondeat immediatè illius legibus qua talibus, sed tantum indirectè quatenus nimirum illius legibus, hoc ipso, quòd justè ferantur, sub tali culpa & pœna, conjuncta est obligatio legis æternæ seu divinæ de servandis legibus humanis sub interminatione talis culpæ & pœnæ. Quod ipsum sic declarat Suar. *l. c. num. 13.* & ex eo Castrop. *l. c. num. 3.* Princeps aliquis solus potens constituere & irrogare pœnam aliquam, potest hanc pœnam suæ jurisdictioni reservatam assignare transgredientibus legem suorum gubernatorum, dum hi sub interminatione illius, non quidem a se, sed a Deo infligendæ, eam tulerunt. In hoc casu dici non possunt directè obligare sub dicta pœna, utpote quam illi irrogare non possunt, sed tantum indirectè, quatenus, posita eorum obligatione sic concepta, subintrat obligatio illa Principis, utpote eorum obligationi applicata ac veluti alligata.

QUÆ-

QUÆSTIO XC.

An leges humanæ in re levi obligare possint sub culpa gravi ex intentione legislatoris.

RESp. negativè, idque universaliter tam de legibus ecclesiasticis quam civilibus. Suar. *l.* 3. *de LL. cap.* 25. *num.* 2. Vasq. *in* 1. 2. *Tom.* 2. *d.* 158. *cap.* 4. *nu.* 34. Sanchez *in Decalog. l.* 1. *cap.* 4. *nu.* 3. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. Castrop. *tract.* 3. *d.* 2. *par.* 8. *num.* 2. contra Sayr. *in clave reg. l.* 3. *c.* 7. *n.* 17. id affirmantem de legibus ecclesiasticis. Tam in legislatore ecclesiastico quam sæculari desiderari materiæ gravitatem tanquam fundamentum necessarium gravis obligationis, ex eo probatur, quod intentio legislatoris talis, qua vult transgressioni legis vel præcepti sui, versantis circa materiam, consideratis omnibus etiam circumstantiis, levem, conjungere culpam gravem & pœnam æternam est iniqua & injusta. Unde non obstat in contrarium, dum aliquando regulæ religiosorum rem levem v. gr. fractionem silentii prohibent in virtute obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, adeoque sub culpa gravi. Siquidem materia de se levis hic & nunc ex circumstantia vel fine extrinseco potest esse gravis, adeoque ut talis prohiberi graviter. Quemadmodum, quia abstinentia a commestione pomi, res in se levis, mandata tamen erat à Deo in recognitionem divinæ authoritatis & humanæ subjectionis, ex hoc fine evadebat materia gravissima. Proinde jam, dum dicitur *l.* 1. *ff. de constitut. Princip. quod Principi placuit, legis habet vigorem*, subintelligendum: quod Principi placet rationabiliter; qualiter materia undequaque levis, ut obliget graviter rationabiliter ei placere nequit.

QUÆSTIO XCI.

An leges humanæ in re gravi obligare possint sub veniali ex voluntate legislatoris.

1. RESp. affirmativam videri probabiliorem. Ita Suar. *l. c. cap.* 27. *num.* 17. Valent. 1. 2. *d* 7. *quæst.* 5. *p.* 2. *quæstiunc.* 2. Sanch. *l. c. num.* 25. *& de mat. l.* 1. *d.* 9. *num.* 6. Nav. *in sum. c.* 23. *n.* 49. Bonac. *d. LL. d.* 1. *qu.* 1. *p.* 7. *§.* 4. *num.* 23. Castrop. *l. c. nu.* 4. & apud hunc plures alii. Contra Bellarm. *Tom.* 2. *controvers. part.* 2. *controv.* 5. *de membr. Eccles. milit. l.* 3. *c.* 11. Becanum *tr.* 3. *cap.* 6. *q.* 3. *num.* 20. Salmeron. *Tom.* 4. *in Evang. part.* 3. *tr.* 13. *§. differt autem*. Reginald. *l.* 15. *a num.* 44. Vasq. *l. c. cap.* 3. *num.* 17. & *c.* 4. *a num.* 32. *&c.* Censentes in genere, in potestate legislatoris esse ferre legem, seu imponere præceptum: illo autem posito, non esse in ejus potestate obligationem coarctare, sed eam necessariò metiendam juxta materiæ qualitatem. Item contra Sotum *l. c. de just. q.* 6. *a.* 4. Salon. 2. 2. *q.* 77. *a.* 1. *controv.* 4. alios id admittentes de legislatore sæculari. Ratio universalis responsionis nostræ fundatur in opposito, nimirum, quod obligatio legis positivæ humanæ aliam non habet causam, quam voluntatem legislatoris. Imò formaliter consistit in ea volitione, ergo repugnat esse majorem, quam velit seu intendat legislator; cum obligatio legis ultra mentem legislatoris extendi nequeat. *l. si quis nec causam & l. non omnis ff. si certum petatur*. Sed neque ratione materiæ gravis, seu quæ poterat esse objectum gravis obligationis repugnat, obligationem esse tantum sub veniali; quia poterat nulla lege positiva ad eam, v. gr. ad comedendas carnes obligari subditus. Neque ex voluntate legislatoris: sicut enim is poterat summè, vel nullatenus obligare, ita poterat velle obligare media quadam obligatione, seu sub levi tantùm. Neque ex parte jurisdictionis. Si enim habet jurisdictionem liberam ad obligandum vel non obligandum ad talem materiam, habet & eandem ad obligandum graviter vel leviter. Unde jam etiam vides non solam obligationem (intellige passivam in subdito, ut volunt adversarii,) resultare a lege humana, sed etiam obligationis qualitatem, nimirum gravitatem vel levitatem, prout nimirum legislator coarctat vel non coarctat voluntatem suam legislativam. Ita ut, dum positivè non coarctat voluntatem suam ad obligationem levem, obligatio legis versantis circa materiam gravem censeatur gravis. Et hoc ideo, quia tunc volens obligare censetur velle obligare juxta qualitatem materiæ. Si verò coarctet voluntatem suam ad obligandum leviter, non nisi levis resultat in subdito obligatio quasi præter naturam materiæ, potentis aliàs fundare obligationem gravem, quatenus potest esse objectum volitionis graviter obligantis.

2. Male autem ex eo, quod lex humana vel etiam divina positiva possit obligare in materia gravi leviter, infertur, posse & eam in materia levi obligare graviter; cum hæc voluntas sit injusta & irrationabilis, & subdito injuriosa, & obligatio gravis essentialiter supponat materiam de se gravem, aut saltem ex circumstantiis. Sic quoque ex eo, quod lex naturalis in materia gravi non possit obligare leviter, male infertur; id quoque posse legem humanam vel etiam divinam positivam. Siquidem obligatio legis naturalis est ex ipsis rebus, & deordinatione, quam habent immutabilem cum recta ratione; adeoque tolli non potest. Obligatio verò legis positivæ, cum tolli possit omnino pro voluntate legislatoris, potest etiam pro eadem voluntate limitari. Castrop. *loc. cit.* Neque intentum adversariorum sequitur ex eo, quod faciens juramentum promissorium in materia gravi non possit se obligare sub culpa levi (quod admittit Castrop.) quod enim jurans non possit limitare obligationem ad peccatum veniale, dum materia promissa gravis est, inde est, quod obligatio implendi promissum in cujus testem & fidejussorem invocatus est Deus, non pendeat a voluntate jurantis. Cujus contrarium videtur esse in vovente, ita ut is se obligare possit in materia gravi sub culpa tantum levi, ut docent Castrop. *loc. cit.* Sanch. *de matrim. l.* 1. *d.* 9. *n.* 6. quia sicut omnis obligatio ab ejus voluntate ortum haberet, ita etiam ortum habere potuit limitato modo, & non secundum omnem materiæ capacitatem. Neque ex eo, quod pœnitens teneatur pænitentiam gravem acceptam pro peccatis gravioribus implere sub mortali, etsi confessarius dicat, velle se eum tantum obligare sub veniali. Nam dato hoc (quod tamen negant Suar. *Tom.* 4. *de pœn. d.* 38. *l.* 7. *n.* 5. Medin. &c.) in hoc adhuc est disparitas, quod confessarius non nomine suo, sed nomine Christi, cujus vices gerit, imponat satisfactionem; Christus autem non censeatur velle gravem satisfactionem levi obligationi adstringere. Castrop. *loc. cit.* item quod pœnitens non obligatur implere satisfactionem in virtute solum præcepti a confessario impositi, sed & in virtute Sacramenti, ne illud imperfectum relinquat. Et ex inde non possit hæc obligatio esse sub veniali, dum materia gravis est. Ita Castrop. citans pro hoc Coninck. *de Sacram. d.* 10. *de Sacram. pœnit. div.* 8. *n.* 5. Bonac. *de Sacram. pœnit. d.* 5. *qu.* 5. *s.* 3. *p.* 4. *n.* 4. Jo. Sanch. &c.

QUÆSTIO XCII.

Quæ verba graviter legem obligare indicent?

RESp. Videnda de hoc dicta supra, ubi, qualiter esse debeant signa, per quæ voluntas legislativa indicatur. Præter quæ hic notanda sequentia, probabilius videri, quod tradunt Cajet. Nav. Medin. Ariaga contra Suarez, Salas, & alios, verba illa, *præcipio*, *mando*, supposita etiam materia capace gravis obligationis in lege civili prolata, aliud nihil addendo, non importare obligationem gravem; eo quod verba legis non sint semper accipienda in summo rigore, modo vera & propria eorum significatio retineatur, & nullæ leges contrariam eorum significationem declarent. Dicta autem verba, etiam in materia gravi prolata possint propriè intelligi cum sola obligatione sub veniali, alteraque illa eorum significatio sub mortali sit rigidissima; nullaque alia horum verborum significatio exstet in jure civili. Quamvis & hi AA. suam sententiam sic limitent: quod etiam in legibus civilibus hæc verba præsumi prudenter possit, importare obligationem gravem, & Legislatores, quantum potuerint, voluisse obligare, ubi materia præcepta esset gravissimi momenti, ne alioquin satis provisum foret rei tanti momenti. De cetero usurpata in legibus canonicis importare obligationem gravem, consentiunt; eo quod ipsum declaratum videatur in Jure Canonico. *Clem. Exivi, de verbor. signific.* legesque canonicæ, utpote per se ad spiritualem hominis gubernationem ordinatæ, magisque proinde directè respicientes obligationem interiorem sub peccato, præsumantur per talia verba denotare materiam gravem.

QUÆ-

QUÆSTIO XCIII.

An leges imponentes pœnas temporales obligent in conscientia ad actum immediatè præceptum & qualiter.

1. RESP. primò. Maxime in hoc puncto inter se dissidere AA. Nam universaliter de omni lege tam civili quam canonica, quantum namque procedat per verba præceptiva, nisi aliud exprimatur a legislatore, id negat Nav. *in sum. C. 23. a num. 55. & l. 1. consilior. cons. 3. de consi.* Azor. *Tom. 1. l. 5. cap. 6. q. 4. vers. qua verò* censet, hanc opinionem non esse condemnandam; cum a gravibus TT. & Juris can. peritis teneatur. Citatque pro ea Felin. *in c. 1. de sponsal.* Imol. *in c. cum contingat de jurejurando, &c.* Eandem probabilem censet Bonac. *de LL. d. 1. q. 1. p. 7. §. 2. n. 3.* Videaturque sententiæ hujus AA. id non tantum sentire de Legibus simpliciter pœnalibus, quibus nihil præcipitur aut vetatur, sed solum statuitur talis pœna iis, qui hoc vel illud fecerint v. g. qui noctu detulerit arma, solvet 500. ducatos, qui post talem horam silentium non servaverit, recitabit 7. Psalmos; & de qualibus legibus loquitur Crimer. *ad h. 1. num. 297.* dum ait; nec ex gravitate pœnæ temporalis, nec ex verbis graviter præceptivis, si hæc non dirigantur in actum immediate præceptum a lege, rectè arguitur obligatio gravis. Sed etiam de legibus mixtis, quibus nimirum primo aliquid jubetur aut prohibetur fieri, ac dein non obtemperantibus statuitur pœna, v. gr. prohibetur, ne quis noctu arma gerat, & si illa gestaverit, mulctabitur 500. ducatis. Rationes siquidem horum AA. de utrisque procedunt; quales sunt, quod subditis sine manifesta necessitate non sint imponenda onera, adeoque præter pœnam statuenda non sit culpa, cum satis timore pœnæ arceantur a transgressione legis. Quod, cum legislator possit obligare ad culpam & pœnam, si tantum exprimat pœnam temporalem, nihil de culpa curare videatur. Argum. *c. nonne, de præsumpt.* ubi: *qui unum exprimit, & aliud tacet censetur excludere, quod tacet.* Atque ita etiam legislatores ecclesiastici ad modum Legislatorum sæcularium non apponendo nisi pœnas temporales, videantur procedere. Ac tandem pro hac sententia facit, quod in dubio obligationis mitior interpretatio facienda, qualis est ad pœnas temporales tantum, & non simul ad culpam.

2. Directè contrarium, nimirum omnes leges pœnales, tam civiles quam ecclesiasticas obligare ad culpam & pœnam, tenent Sanch. *in Decal. c. 4. num. 39.* Azor. *loc. cit.* Bonac. *loc. cit. num. 2.* Rodriq. *qq. regul. qu. 6. a. 7.* Covar. *Reg. peccat, 2. part. §. 5. num. 2. & 3.* Sylv. & plures alii apud Castrop. *tr. 3. d. 2. p. 15. num. 7.* Rationes hujus sententiæ sunt, quod, si leges pænales veræ leges sunt, inducant obligationem in conscientia & ad culpam; Cum id sit de natura legis & præcepti; & quod cum pœna propriè talis sit proptor culpam. S. August. *1. retract. c. 9.* ubi: *omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* D. Th. *2. 2. qu. 108. a. 4.* lex obligare nequeat ad pœnam, nisi obligarit prius ad culpam. Adeoque, cum legislator quandoque leviorem imponat pœnam, signum est, eum in transgressione legis agnoscere majorem vel leviorem culpam.

3. Media quasi via incedit Castrop. *l. c. num. 8.* tenendo tanquam probabiliorem secundam sententiam, ubi verba legis pœnalis, sive civilis ecclesiasticæ sunt præceptiva, obligareque talem legem etiam sub mortali, dum materia gravis est, & legislator non declaret, se nolle obligare ad culpam. Citat pro hac parte Suar. *de LL. l. 5. c. 3. num. 3.* Castrop. *l. 1. de legi pœn. c. 8.* Bonac. *l. c. §. 4. nu. 3. 4. 6.* Covar. *l. c. num. 2.* Ratio præter adductas, *num. præced.* est, quod lex utens verbis præceptivis sufficienter indicet, voluntatem Legislatoris esse, imponere præceptum, quo imposito, resultet necessario obligatio in conscientia obediendi illi pro materiæ gravitate. Ita Castrop. Contra quam tamen rationem sunt dicta a nobis *quæst. præced.* nimirum, quod ex lege saltem civili, prolata illis verbis: *præcipio, mando,* etiam supposita materia gravi, non necessario videatur resultare obligatio gravis, aut etiam necessario censendus Legislator civilis juxta materiæ gravitatem semper velle obligare graviter; cum etiam materia gravis lege humana leviter, vel etiam nullatenus præcipi aut vitari possit. Admittatque id ipsum Castrop. *num. 9.* in casu saltem, ubi Legislator, etiam statuta pœna gravi declararet, se nolle obligare ad culpam. Quamvis de cetero, ubi Legislator id non declararet, ex apposita pœna valde gravi forte rectè præsumi posset, illum quoque obligare velle ad culpam gravem. Quod, quare potius in lege canonica locum habeat, & ibi apposita pœna gravis sit signum gravis obligationis quo ad culpam, dicetur paulo post.

Unde jam etiam vides, quam firmitatem habeant, quæ Castrop. loco confirmationis adjicit, nimirum, talia verba præceptiva, etiam absque comminatione pœnæ significare obligationem gravem, supposita capacitate materiæ ad culpam gravem. Hanc autem obligationem non diminui ex appositione pœnæ; cum hæc contraria non sit obligationi in conscientia. Neque etiam innuet, intentionem legislatoris esse, non velle obligare in conscientia; imò potius, illum velle obligationem illam in conscientia roborare appositione pœnæ. Quod ipsum hoc exemplo allato ex Suar. confirmat: quod lex canonica sub obligatione restituendi fructus præcipiat recitationem officii B. Virginis Clericis pensionariis.

Ubi vero lex pænalis fertur per verba indifferentia, quæ præceptum sufficienter non indicant, Castrop. *num. 10.* censet probabilius, nullum inde in conscientia obligationem oriri, nisi forte usu & consuetudine, quæ est optima legum interpres, *c. cum dilectus de consuetud. L. minimè ff. de LL.* declaretur per talia verba animus legislatoris intendentis obligare ad culpam. Citat pro hac parte Azorium, *p. 1. l. 5. c. 6. q. 5.* Suar. *l. 5. c. 4. n. 9.* Sanch. Bonac. &c. Rationem quoque dat Castrop. quod, cum legislator sufficienter intentionem suam obligandi graviter manifestare posset, & id non faciat, censendus sit, talem intentionem non habere; cum hæc præsumptio sit benignior & subditis favorabilior. Sic itaque dum lex diceret: ordinamus, ne quis pecunias regno efferat sub amissione illarum: elationem pecuniarum non prohiberi rigoroso præcepto vel lege, sed transgressores illius ordinationis vi illius subdi pænæ, ita ut vi & armis resistere ei non possint.

Ut verum fatear, non video quomodo hæc doctrina Castropalai cohæreat cum illis, quæ habet *n. 12.* ubi, postquam *num. 11.* præmisisset, pænam gravem esse indicium sufficiens obligationis sub mortali. Et quidem de pæna mortis teneri tanquam sententiam communem a Covar. *reg. peccatum 2. par. §. 5. num. 3.* Castrop. *de leg. pæn. c. 5. docum. 4.* Vasq. *cit. d. 159. c. 3. num. 23.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 6. q. 3.* Suar. *de LL. l. 5. c. 4. num. 1.* Sanch. &c. De pæna mutilationis idem teneri ferè ab omnibus. De pæna gravis infamiæ, flagellationis, triremis, exilii perpetui, carceris diuturni, amissionis bonorum, aut magnæ partis illorum, esse sententiam communiorem; eo quod sint pænæ gravissimæ, quas imponi pro culpa levi sit iniquum. Dum post hæc inquam *num. 12.* subjungit, se probabilius existimare, nullam pænam temporalem indicium esse sufficiens obligationis mortalis ad actum, cui pæna imponitur, & sic latè doceri ac probari in Navar. *c. 23. a num. 57.* & Reginald. *l. 15. num. 10.* Rationem quoque dat hanc; quod Resp. optimè possit transgressores legum suarum obligare ad sustinentiam pænam, quin obliget sub culpa mortali ad actum immediatè intentum seu præceptum; eo quod sufficere videatur, quod committatur culpa civilis & politica, etiamsi non committatur culpa mortalis. Et sic in bello custodibus murorum lex de vigilia imponi possit sub pæna capitis absque eo, quod sub peccato mortali teneantur ad vigilandum. Confirmarique id ipsum ait, pæna flagellationis & infamiæ imposita effractoribus carceris: cum hæc pæna a Repub. imponatur in defensionem sui juris, ne subditi audeant illud violare, absque eo, quod in dicta effractione committatur culpa mortalis, ut dicit, habere sententiam communiorem. Neque ex eo, quod quis talem legem pænalem transgrediendo se exponet periculo mortis, sequatur, hanc ipsam legem obligare graviter ad sui observantiam; quia hæc obligatio non exponendi se periculo vitæ oritur ex alia lege naturali, vi cujus talem pænalem tenebitur observare. Quamvis, ut Castrop. ex causa rationabili & ob gravem necessitatem sui liceret, se exponere periculo mortis; adeoque tunc non peccaturum, qui contra legem prohibentem sub pæna capitis non efferre frumenta ex urbe, ea efferret. Neque etiam tamen hinc sequi ait Castrop. non teneri aliquem in conscientia ad solvenda justa vectigalia, si lex imponat pænam non solventibus, ut sentit Nav. *cit. c. 23. num. 6.* & Angelus *v. pedagium*, quia si lex feratur verbis præceptivis immediatè directis ad solutionem vectigalium, est præceptum de re justa & debita Principi. Si per verba indifferentia, jam quidem, non in vi legis humanæ, sed in vi legis naturalis, illo decreto Principis determinato tenentur subditi solvere tributa, cum teneantur ad sustentationem Principis concurrere, quo autem modo debeant succurrere, id Principem tali sua ordinatione declarare.

Non inquam video, quomodo hæc: *probabilius existimo nul-*

nullam pœnam temporalem indictam esse sufficiens obligationis mortalis ad actum (intellige, etiam verbis præceptivis præceptum) cui pœna imponitur. Item *Resp. posse legem saltem transgressorem obligare ad pœnam sustinendam, quin obliget sub mortali ad actum immediatè præceptum.* Item *de ratione legis est obligatio in conscientia vel ad actum immediatè ordinatum, vel ad sustinendam pœnam impositam ob ejus transgressionem &c.* quomodo inquam hæc conveniant cum sequentibus, dum *p.* 9. *num* 2. ait: verba, jubeo, præcipio, mando &c. significare præceptum. Neque audiendos Sà & Azor. dicentes, verba *præcipio, jubeo* non importare gravem obligationem, & *part.* 15. *num.* 8. legem tam civilem quam ecclesiasticam (loquitur autem de lege pœnali) latam verbis præceptivis obligare semper ad culpam mortalem, si materia sit gravis juxta communem TT & *eodem num.* 8. ex appositione pœnæ non minui, sed potius augeri obligationem gravem in conscientia, & *num.* 14. legislatorem utentem verbis præceptivis (intellige, in lege pœnali) necessario duplici vinculo subditum ad observationem legis obligare, & timore pœnæ & horrore culpæ.

4. His omnibus expensis & combinatis, videtur satis probabile, pœnam gravem statutam in lege civili præcipiente aut vetante signum esse indubitatum, materiam præceptam aut prohibitam continere jam antecedenter & independenter ab hac lege gravem aliquam obligationem in conscientia, vel saltem gravem culpam politicam, fundatam in eo, quod vel graviter disconveniat naturæ rationali qua tali, vel graviter necessaria vel nociva sit bono communi & tranquillitati publicæ; quia rei leviter tali bono repugnanti sive disconvenienti tam gravis pœna statui non potest. Non verò esse signum indubitatum, quod vi ipsius talis legis obligationem gravem habeat, sive quod legislator, uti poterat, intenderit etiam hac sua lege inducere gravem obligationem in conscientia ultra culpam politicam; cum legislatores sæculares possint non tantum positivè nolle obligare in conscientia, sed etiam ordinariè contenti sint intentione talis pœnæ gravis ad deterrendum subditos a tali actu graviter nocivo Reip. aut ad ponendum actum valde Reipub. proficuum aut necessarium.

QUÆSTIO XCIV.

An leges imponentes pœnas spirituales, (quales non sunt nisi canonicæ & ecclesiasticæ) obligent in conscientia ad actum immediatè præceptum.

1. RESp. primò. In genere pœna spiritualis gravis irrogata per legem canonicam signum est obligationis gravis in conscientia incumbentis transgressori; secus est de levi. Imprimis tales leges, quæ conceptæ verbis præceptivis, cur potius censeantur obligationem gravem inducere, quam civiles, dictum est paulo supra. Dein hanc obligationem minui ob adjectam pœnam spiritualem, nulla est ratio, sed potius roborari, sive intentionem legislatoris ecclesiastici per hoc manifestius declarari, infertur ex dictis.

2. Resp. secundò. In specie, excommunicationem minorem non esse signum sufficiens culpæ gravis seu mortalis, sed bene venialis; eò quod excommunicatio minor, etsi aliquando ob mortale, soleat tamen etiam incurri ob veniale. Castrop. *cit. p.* 15. *num.* as citans Suar. *de LL. l.* 4. *c.* 15. *num.* 4. & *leg. c.* 3. *a.* 2. Sanch. *in Decal. l.* [illegible] *c.* 4. *num.* 48. Vasq. *1. 2. d.* 158. *c.* 5. *num.* 40. Secundò, excommunicationem majorem ipso jure latam esse signum gravis obligationis & culpæ, cum communi docent Castrop. Suar. Sanch. *num.* 49. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *§.* 4. *num.* 30. Tertio idem de excommunicatione, dum est sententiæ ferendæ, sentiunt plurimi. Equidem si absque alia monitione, & contumacia inferri possit, id Castrop. ait esse certissimum; si verò egeat alia monitione, ut imponatur, non posse ex eo colligi, legem obligare sub mortali tenent Castrop. *num.* 3. Vasq. *num.* 5. Castrop. *de lege pœn. l.* 1. *c.* 5. *du. num.* 4. Henriq. *de excom. l.* [illegible] *num.* 1. Sanch. *loc. c. num.* [illegible] ubi generaliter, quotiescunque ex consuetudine vel usu etiam monitio requiritur, non est sufficiens signum mortalis obligationis. Verum contrarium tenent alii, *scilicet* minimum excommunicationem per sententiam incurrendam, sive ea imponi possit absque nova admonitione, sive non, esse signum peccati mortalis; eo quod tunc, saltem post admonitionem, supponatur transgressio mortalis, adeoque & ante illam fuerit mortalis, cum illa admonitio non sit præceptum de novo rem illam prohibens, sed tantum revocatio in memoriam obligationis, ex qua revocatione veniale non potest evadere in mortale. Ad quæ tamen respondet Castrop. contrarium illam non imponi præcisè ob factum præteritum, sed ob illud novæ resistentiæ & contumaciæ vestitum, & sic, ut dicunt Vasq. Suar. Sanch. citati, posse fieri mortale factum illud post monitionem, quod ante non erat mortale; quia resistere monitioni novæ cadit in contemptum majorem, non solum legis, sed etiam superioris, ratione cujus causa talis excommunicationis complectur. Quartò pari modo de suspensione, interdicto & irregularitate pœnali sentiunt Vasq. *n.* 48. Sanch. *n.* 54. Suar. *n.* 14. Bonac. *num.* 30. Castrop. *num.* 4. esse nimirum signum mortalis obligationis, si absolutè proferantur, & sint censuræ ipso facto incurrendæ, secus, si sint ferendæ; nisi fortè suspensio & interdictum sint levia, v. gr. unius actus ad breve tempus; tunc enim non esse signum obligationis gravis, sentiunt Sanch. Suar. Castrop. Quamvis Arriaga censeat valde probabiliter, particularem suspensionem a re magni momenti (qualis v. g. est suspensio a celebratione Missæ; non verò ab auditione confessionis) esse signum gravis obligationis. De cetero tamen & hic attendendum videtur ad materiam; cum suspensio interdum & irregularitas imponantur aliquando sine culpa. Ob quam rationem Nav. *cit. c.* 23. *n.* 53. simpliciter negat, esse ea indubitatum signum culpæ gravis. Quintò pœnæ depositionis, degradationis, privationis ecclesiasticæ sepulturæ esse indicium mortalis obligationis, cum sint gravissimæ pœnæ; idque etiamsi verba legis sint indifferentia, ut *statuimus, ordinamus &c.* eò quod magnitudo pœnæ spiritualis sufficienter indicet, esse in legislatore ecclesiastico voluntatem graviter obligandi ad actum ordinatum, cui pœna imponitur; docent iidem.

QUÆSTIO XCV.

An & qualiter lex injusta obliget in conscientia.

1. RESp. primò. Lex injusta ex parte rei præceptæ, quæ nimirum præcipit contrarium bonis moribus, vel etiam adversantia bono communi Reip. non est lex, & nullatenus obligat. Non enim datur obligatio ad peccandum. Sed neque legislator ullam potestatem habet condendi leges, nisi quatenus hæ utiles Reip. cum legislator ecclesiasticus a Christo potestatem acceperit non in destructionem, sed ædificationem Ecclesiæ, similiter legislator civilis a Rep. non in perditionem, sed commodum illius.

2. Resp. secundò. Lex injusta ob deficientem potestatem in eo, qui fert eam, nullatenus obligat, cum de ratione legis sit, procedere a superiore verè tali, vel pro tali habito. Nihilominus obediendum esse legibus de cetero justis latis a tyranno, seu eo, qui injustè invasit regnum, postquam illud pacificè possidet, neque a Rep. expellitur tradunt Castrop. *p.* 15. *num.* 10. & quos citat Salas *de LL. d.* 16. *f.* 5. *num.* 14. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 29. *dit.* 9. *n.* 70. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *§.* 3. *num.* 12. Siquidem præsumendum est, Remp. dare tyranno potestatem leges & sententias ferendi, dum eum expellere non potest, ne multiplicentur incommoda, sintque omnia confusione & perturbatione plena. Quamvis autem Less. *l. c. n.* 7. & Suar. *de LL. l.* 3. *c.* 10. *num.* 9. sentiant peccare talem tyrannum ferendo leges & sententias, quia usurpat facultatem non nisi coactè & ad redimendam vexam concessam sibi a Rep. & hac usurpatione injustè confirmat se in regno. Peccare tamen illum magis, censent, non ferendo sententias & judicia. Unde, ut ait Less. licitum est subditis a tali petere leges, quibus gubernentur, & sententias, quibus in pace custodiantur; cum petant ab eo, non absolutè, sed ex suppositione, quod velit in regno persistere, quod est petere & consulere minus malum. E contra nullatenus per hoc peccare tyrannum, tenet Castrop. cum Salas & Bonac. eo quod, supposita voluntate permanendi in regno, obligetur talia jus petentibus dicere, suppositaque illa violenta occupatione regni habeat a Rep. liberè ac voluntariè potestatem ferendi leges; cum hoc non sit in bonum tyranni, sed ipsius Reip.

3. Resp. tertio. Dum est lex injusta, quia inæqualiter gravat subditos sine rationabili causa v. g. in impositione tributorum & vectigalium, excusantur subditi ab observatione legis in ea parte, qua injustè gravantur supra alios; non autem ex altera etiam parte. Cum lex talis inæqualiter imperans tributum non sit absolutè injusta, sed ex parte, & utile per inutile non vitiatur. Ita Suar. *de LL. l.* 1. *cap.* 9. *num.* 26. Bonac. *loc. cit. num.* 3. Castrop. *loc. cit. num.* 14. qui etiam monet, non facile judicandum non adesse causam legitimam & rationabilem gravandi plus unum quam alium; dum in dubio semper præsumendum pro justitia legis.

4. Resp.

4. Resp. Quartò lex cessante seu non existente fundamento & ratione ex parte subditorum, ob quam fertur, nullatenus obligat. Ad hoc ipsum declarandum sit.

QUÆSTIO XCVI.

An & qualiter lex fundata in præsumptione obliget.

1. RESp. primò. Dum lex seu præceptum fertur ob præsumptionem aliquam facti seu delicti, seu propriè ob præsumptionem juris de aliquo singulari facto, si præsumptio falsa est, talis lex seu præceptum non obligat; cum cesset adæquatus finis legis & præcepti. Sic v. g. si quis contraxit matrimonium cum impedimento dirimente, præcepto superioris ignari hujus impedimenti cogatur, etiam sub excommunicatione uxori putatitiæ reddere debitum, non tenetur, imò nec potest reddere, *cap. de tua nos cap. eiq. qui de sponsa c. inquisitioni de sent. excom.* Castrop. *tract. 3. d. 4. part. 14. num. 12.* Item per falsos testes convictus de debito, quod a parte rei nullum est, per Judicem adactus solvere, non tenetur; quia tota ratio, ob quam Judex imponit ei præceptum solvendi, nimirum, quia præsumit eum debitorem, corruit, seu nulla est. Sanch. *l. 4. in Decal. c. 35.* Navar. *cap. 17. num. 283.* Castrop. *loc. cit.* Hinc talis reipsa solvens, quod a parte rei non debebat, potest uti occulta compensatione & injuriam sibi factam repellere. Suar. *l. 3. c. 23. & l. 5. c. 10. num. 3.* Bonac. *de LL. d. 1. q. 1. part. 7. §. 3. num. 1. & 6.* Azor. *part. 1. lib. 5. c. 6. q. 4.* Nam Sanch. Castrop. *LL. cit.* Intelligenda tamen hæc, secluso scandalo, de quo vide dicenda ad finem *hujus quæst.* Item privatum officio honorifico, eo quod descendat a patre condemnato de crimine per falsos testes probato, vel quod ipse timore tormentorum confessus, posse in foro conscientiæ uti illo officio, & non teneri stare illi sententiæ fundatæ in falsa præsumptione, tenent Castrop. citans Poncium *l. 5. de matr. c. 9. num. 10.* Rodriq. *qq. regular. Tom. 1. q. 63. art. 3.* Sed neque his obstat, quod legislator talis aut Judex procedat secundum allegata & probata, adeoque ejus sententia sit justa, cui obediendum. Item ratio præcipiendi talia non sit debitum a parte rei existens, sed solum in æstimatione Judicis ad legitimam probationem legitimè concepta, quæ ratio semper perseverat. Nam talis Judex justè procedit quo ad se & conscientiam suam, non autem quo ad rem ipsam. Et hinc est, quod non tenearis ei obedire. Atque hic distinguenda occasio ferendi talem sententiam seu præceptum, quæ est præsumptio & probatio legitima, qua movetur Judex vel legislator ad talem sententiam vel præceptum ferendum a ratione ipsa præcipiendi, seu fine ipsius præcepti, qui intenditur, qui est satisfactio partis, quæ cum, debito revera nullo existente, nulla sit, ratio finalis in eo casu præcipiendi omnino cessat.

2. Resp. secundò. Dum lex fundatur in præsumptione fraudis, damnificationis, alteriusve culpæ in quolibet simili actu particulari intercedentis, quamdiu hic & nunc de falsitate talis præsumptionis non constat, obligare legem illam in conscientia, habet communior. Cum enim, quod lex justè præsumit, pro veritate habeatur, quamdiu non constat de contrario, lex illa est in possessione, ideoque ejus conditio melior. Hinc, qui post professionem invalidè a parte rei emissam quinquennio perseveravit in religione, ab ea recedere nequit juxta Trident. *sess. 25. c. 19. de regular.* si non sciat, sibi defuisse animum ratificandi professionem, quem Trident. post illud tempus adfuisse præsumit. Sanch. *l. 7. de matrim. d. 39. num. 20. &c.* Si verò certo constet, præsumptionem, in qua talis lex fundatur, fuisse falsam; lex non obligat. Innoc. *in c. quia plerique, de immunit.* Abb. *in c. is qui de Sponsal. num. 4.* Covar. *in c. cum esset de test. num. 7.* Menoch. *de arb. l. 1. q. 8. n. 1.* Suar. *de LL. l. 3. c. 23. n. 5.* Laym. *Th. Mor. l. 1. tr. 4. c. 21. num. 4.* Wiestner. *ad h. t. num. 87.* Reiffenst. *ad h. t. num. 270.* contra Federic. de Senis *consil. 21.* Fagn. *in c. si quis de regular. num. 69. & 72.* ubi, quod quando ex observatione constitutionis nullum in foro animæ resultat peccatum, seu iniquitas, præsumptiones habeant locum etiam in foro conscientiæ. Siquidem præsumptio, cum sit quædam verisimilitudo, movens ad rem dubiam credendam. Bald. *in l. non ideo, Cod. de accusat.* cedit veritati apparenti. *L. si Imperator ff. de probat.* adeoque mens legislatorum nunquam fuit, per leges in præsumptione fundatas disponere quicquam contra veritatem, adeò, ut hac cognita etiam in foro externo non amplius procedant, multoque minus in foro interno seu conscientiæ, ubi talis veritas manifesta est. Sed neque dici potest, mentem talium legum in præsumptione tali fundatarum esse, jus suum (quod innocenti falsa præsumptione tali non deficit, sed sola ejus probatio) etiam cognita veritate (prout ea hic & nunc cognoscitur pro foro conscientiæ) cuique adimere; cum jus suum cuique tribuere sit inter tria Juris præcepta juxta illud *§. Juris Inst. de Just. & jure: Juris præcepta sunt hæc honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.* Ac proinde dicendum, leges illas in præsumptione fundatas nihil disponere voluisse pro foro conscientiæ in casu cognitæ veritatis ab eo, contra quem procedunt. Atque ita, præscindendo a scandalo, non teneri talem, cui de falsitate præsumptionis constat, se conformare sententiæ, dicunt citati AA. & inter alios Laym. citatus a Reiffenst. *Th. Mor. l. 1. tr. 4. c. 17. num. 7.* ubi: quando alicui in foro externo causa abjudicatur solum propter defectum probationis, tunc pars litigans, si veritatem perspectam habet, non tenetur in conscientia se conformare sententiæ, nisi propter vitandum scandalum.

3. Confirmantur dicta exemplis. Sic jus præsumit, in quocunque, copulam habitam post sponsalia cum sponsa, esse habitam animo conjugali, *c. veniens & c. is qui fidem de sponsal.* & hinc præcipit eam ducere. Et tamen, qui reipsa non animo conjugali sed fornicario talem copulam habuit, non tenetur in conscientia illi tanquam conjugi, adhærere, sed potest validè contrahere cum alia. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 21. num. 4.* Wiestner. *cit. num. 87.* Sic jus præsumit, quemcunque post quinquennium professionis eam alias emissam invalidè ratificasse, & hinc non permittit Trid. *loc. cit.* recedere. Et tamen ea non tenetur, qui ejus nullitatem ignoravit, aut certò scit, se nunquam habuisse animum illam ratificandi. Barbos. *ad cit. loc. Trid. num. 14.* Sic lex statuit, ut qui adiit hæreditatem, solvat legatariis aliisque creditoribus, etsi hæc excedant vires hæreditatis; quia præsumit, aliqua bona hæreditatis occultata. Et tamen bona fide, non confecto inventario, adiens hæreditatem ultra vires hæreditatis in conscientia nihil tenetur solvere. Menoch. *de arb. l. 2. q. 8. n. 3.* Sic elapso biennio a dato Chirographo de recepta a Titio pecunia est præsumptio juris & de jure, pecuniam receptam esse. Et tamen, qui spe accipiendæ pecuniæ, dato Chirographo confessus est, se recepisse pecuniam, eam autem revera non recepit, in conscientia non tenetur eam solvere. Menoch. *loc. cit. n. 2.* Wiestner. *l. c.* qui tamen cum Menoch. *n. 7.* & Soto, *l. 4. de just. q. 5. n. 3.* & aliis sic limitat hanc doctrinam, ut procedat ante latam sententiam; post eam verò, seu ex tali præsumptione condemnatus in judicio sententiæ & mandato Judicis præcipientis solutionem teneatur parere, licèt de falsitate præsumptionis sit certus. Idque, quia sententiam formaliter justam in foro externo servandi, est obligatio in conscientia ad evitanda scandala aliaque mala oritura ex neglectu talis sententiæ & publicæ potestatis, cujus authoritas, ut integra sit, res & bona uni ablata in alium transferri posse, hoc ipso, quod utilitas publica præferenda sit privatæ: tradit Wiestner. *loc. cit.* citatis *c. bona de postulat. l. utilitas. Cod. de primipilo.* Covar. *l. 3. var. c. 6. num. 8.* Fachineo, *controvers. l. 8. c. 63. q. 5.* Atque ita ad summum per accidens ratione scandali imminentis ex earum transgressione obligant etiam in conscientia leges fundatæ in præsumptione a parte rei hic & nunc falsa, uti & sententiæ iis conformiter latæ in judicio. Quod tamen ipsum etiam procedit non nisi, ubi ex observantia talium legum vel constitutionum peccatum nullum aut iniquitas in conscientia resultat. Fagn. *loc. cit. num. 70.* juxta *c. literas, de restitut. spoliat. c. inquisition. de sent. excom.* ubi id deciditur in casu matrimonii, cujus nullitas in foro externo probari nequit, est tamen manifesta contrahenti. Occasione cujus & illud observandum, quod licèt quis ad solvendum debitum, quod reipsa non debet, aut jam semel solvit ex præsumptionibus a parte rei falsis per Judicem legitimè procedentem secundum allegata, & probata per sententiam condemnaretur, & ad vitandum scandalum solvere deberet; non posse tamen alterum indebitam illam solutionem scienter recipere aut retinere; cum ex parte hujus resultaret peccatum injustitiæ & iniquitatis in foro conscientiæ. Reiffenst. *ad h. t. num. 275.* Quin & qualiter talis materialiter injustè adactus solvere quod non debebat, secluso scandalo, possit non obedire tali sententiæ aut etiam post solutionem uti occulta compensatione, dictum est *in respons. 1.*

4. Resp. tertiò. Dum lex seu præceptum fundatur non in præsumptione facti alicujus, puta fraudis, negligentiæ, damnificationis intervenientis in particulari aliquo casu, vel etiam in quovis casu particulari; sed in periculo illius, seu

seu in universali periculo multarum fraudum, damnificationum saepe & plerumque intervenientium vel securturarum, nisi certa legis cautio adhibeatur, & stabiliter observetur; talis inquam lex, licet hic & nunc in casu aliquo particulari certo constet, non intervenisse fraudem, culpam &c. & absuisse omnino tale periculum, quia tamen non cessat dictum periculum generaliter & absolute, lex & praeceptum, etiam in illo particulari casu non cessabit obligare in utroque foro. Sic matrimonium clandestinum, alienatio bonorum ecclesiasticorum facta sine solennitate, professio edita ante annum aetatis 16. contractus pupilli sine tutore &c. quia in illo modo contrahendi, alienandi, profitendi &c. praesumitur fraus, vel judicatur adesse periculum fraudis, etsi hic & nunc certum sit, nullam adesse fraudem aut fraudis periculum, nullam idem damnificationem, sunt & manent prohibita & invalida. Ita Suarez Bonacina *LL. cit.* Castropalao *num.* 13. Ponc. *loc. cit.* qui etiam *num.* 11. hinc colligit, praecepta quorundam religiosorum prohibentia in virtute S. obedientiae ingressum in cellas aliorum, colloquium cum foemina in loco clauso sine socio, egressum nocturnum ex monasterio &c. ad scandalum aliorumque incommodorum pericula evitanda obligare in casu, ubi certo scitur, non adesse scandalum aliudve periculum, ratione cujus impositum praeceptum.

QUAESTIO XCVII.

Leges fundatae in fictione juris an & qualiter obligent in foro conscientiae.

1. RESp. Leges disponentes aliquid per fictionem juris sunt justae, & obligant non tantum in foro externo, sed etiam interno seu conscientiae. Ita communis. Fundantur enim in naturali aequitate (fictio enim semper fundata est in aequitate. Bartol. *in l. si is qui pro emptore ff. de usucap.* cum communi, & nihil operatur fictio, quando deficit aequitas. Menoch. *lib. 4. praesumpt.* 39. *num.* 16. Argum. *leg. postliminium §. transfugae ff. de captivit. & postlim. revers.*) propter quam aliquid disponit in casu ficto, quod observaretur in vero. Sic v. gr. Canonicus causa infirmitatis absens per fictionem juris censetur praesens in ordine ad percipiendos fructus beneficii, & hoc ob eam aequitatem naturalem, ne clericus infirmus destituatur necessariis vitae, & ne afflicto addatur afflictio, deterreanturque alii a suscipiendo statu clericali, *c. 1. & seq. de cleric. aegrot.* His non obstante, quod alias dicitur a Tusch. *lit. F. concl.* 222. Pederic. de Senis *cons.* 21. fictio in spiritualibus non accipitur pro vero: fictio non habet locum in fore conscientiae, ubi veritati per fictionem non praejudicatur. Cum hujusmodi non procedant de fictione juris, sed hominis, sive pro ut fictio coincidit cum praesumptione, de qua dictum *quaest. praeced.* qualiter cedat veritati & locum non habeat in conscientia.

2. De cetero regula illa, quod fictio juris idem operetur in casu ficto, quod veritas in casu vero. Jason. *in l. si quis pro emptore ff. de usucap. n.* 216. Fagnanus *in cap. nos quidem de testam. num.* 37. Barbosa *axiom.* 97. *num.* 5. procedit solum in casibus fictis; pro ut a jure exprimuntur. Reiffenstuel *h. tit. num.* 189. Dum alias fictionem non esse omnimode tantae potentiae & efficaciae, quantae est veritas, seu actus naturalis in casu vero, admittitur passim. Tusch. *l. c. concl.* 221. *nu.* 1. Bald. *in l. 4. C. ad Senat. consult. Vellejan.* Fagnanus *in cap. de cetero de cler. non resid.* Sic plures censentur homicidae fictione juris; non tamen pari poena puniuntur. Sed neque fictio juris plus operari debet in casu ficto, quam veritas in casu vero, sive actus fictus non debet esse majoris potentiae quam actus verus seu naturalis. Bald. *l. cit. num.* 2. Fagnanus *in cap. quia diversitatem de concess. praeb. num.* 23. juxta *Reg. juris* 50. *in* 6. ubi: *ratihabitionem retrotrahi & mandato, non est dubium, comparari*, juncta Glossa dicente: ratihabitio operari non potest, nisi quod posset mandatum expressum. Neque locum habet nisi in casibus a jure expressis. Fagnanus *in c. in praesentia de probat. n.* 23. Felinus *ibid. n.* 42. ubi specialiter disponitur favore religionis, quod monasterium habeatur loco filii per quandam fictionem juris. Quod nequaquam ita extendendum, quod monasterium quo ad omnia habeatur loco filii. Hinc fictio non est extendenda de casu uno ad alium *L. ult. C. de his, qui veniam aetat. impet.* Felin. *l. cit.* quod tamen Tusch. *l. c. concl.* 223. *n.* 1. Gemin. *concl.* 66. *nu.* 5. volunt procedere tantum in materia odiosa, idque ostendunt hoc exemplo: quod jura loquentia de vacatione per mortem naturalem in favorem Ecclesiae locum etiam habeant in vacatione per mortem civilem. Hinc quoque fictio juris non habet locum in statutis, ita ut casus fictus non comprehendatur sub eorum generali dispositione; cum fictio involvat improprietatem, statutorum autem verba debeant accipi proprie Argum. *lib. 3. §. hac verba ff. de negot. gestor.* Menoch. *lib. 1. praesumpt. quaest.* 8. *num.* 26. Tusch. *loc. cit. concl.* 222. *num.* 220. exemplificans hoc: quod licet appellatione diei ex fictione juris veniat nox *l. more rom. ff. de feriis*. Secus tamen sit in statuto puniente seu alterante certo die; cum hoc non extendatur ad noctem. Ac denique fictio non est extendenda ad ea, quae sunt impossibilia secundum naturam. Glossa magna *in leg. Gallus §. si etut ff. de liberis & posthum.* Jason. *loc. cit. n.* 217. Siquidem fictio imitatur naturam quantum potest. *L. adoptio ff. de adopt.* adeoque trahi non debet ad ea, quae secundum naturam sunt impossibilia. Exemplificat hoc ipsum Stephan. Costa, *in repetit. c. cum quis num. 4. de sentent. excom.* apud Reiffenstuel *h. tit. num.* 196. hoc casu quo quis interfecisset hominem nomine infantis, & hic major factus ratificaverit hoc homicidium, ista siquidem ratificatio retrotrahi per fictionem juris nequit, eo quod per naturam impossibile fuerit, infantem illum tunc tempore occidere, vel mandare homicidium.

QUAESTIO XCVIII.

An lex humana obliget cum periculo vitae, aut etiam alterius gravis mali.

1. RESp. primo. Lex humana etiam civilis, obligare potest ad actum, cui periculum vitae annexum. V. gr. ad inserviendum pestiferis, ad habendas & non differendas vigilias hic & nunc, ubi periculum mortis est certum, si ita necessario exigit bonum commune, quod praeferendum saluti cujuslibet (secus tamen est, si id non maxime & extreme est necessarium: cum Resp. non sit domina vitae subditorum) teneturque quilibet subditorum, obedire tali praecepto, periculumque tale subire. Nec ullus ab ejus observatione se excusare potest ex eo, quod sint alii, qui illud subire possint, & aeque obligentur. Siquidem vel sic Princeps efficaciter consulere nequiret bono communi; cum quilibet id dicere posset. Id verum, quod ante determinationem & praeceptum nemo ad hoc specialiter obligatus sit, facta autem illa determinatione & imposito praecepto, quisque, cui illud imponitur, ad hoc obligatur. Ita cum communi tenent Soto *de Justit. lib. 1. quaest. 6. art. 4. in fine*. Suarez *lib. 3. de LL. cap.* 30. *num.* 4. Covar. *in c. alma mater 5. p. §. 3. num.* 9. quos citat & sequitur Castrop. *tract.* 3. *d. 1. p. 17. num.* 2.

2. Resp. secundo. Dum periculum vitae annexum non est actioni, sed vel a natura, vel ab extrinseco incutitur, & actiones aut omissiones ex se seu intrinsece malae, lex prohibens illas aut praecipiens obligat cum periculo vitae alteriusque cujuscunque mali. Sic, etsi te moriturum propterea scias, non licet mentiri, fornicari, occidere directe innocentem &c. vel etiam manducare oblata idolo, violare jejunium, si in contemptum religionis talia expostularentur. Quia vel sic actiones illae de se non malae continent contemptum religionis, quod est intrinsecè malum. Est communis.

3. Resp. tertio. Dum actiones solo jure positivo humano vel divino praeceptae vel prohibitae speciales sunt v. gr. communicatio cum excommunicato, commestio carnis die vetito, auditio sacri, recitatio horarum, solutio decimarum, communio in paschate &c. lex regulariter non obligat ad illas cum periculo vitae, aut etiam detrimento valetudinis, honoris, rei familiaris notabili. Suarez *loc. cit. n.* 6. Castropalao *loc. cit. num.* 3. cum communi. Dixi *regulariter*. Nam etiam tales leges obligant, cum vitae, honoria & fortunarum dispendio, quando earum observantia hic & nunc, ut dictum, extreme necessaria ad bonum publicum, aut earum transgressio afferret grave scandalum, cederet in Christianae & Catholicae Religionis, vel potestatis clavium contemptum. Qualiter, quia excommunicatorum sepultura ecclesiastica in dictum contemptum redundaret, adeoque talis communicatio cum excommunicato legia quoque naturalis prohibitioni adversaretur, ut Azorius *p. 1. Instit. mor. cap. 11. quaest.* 1. Suarez *de cens. disp. 6. lib. 3. nu.* 11. legem ecclesiasticam eam prohibentem etiam cum periculo vitae observandam respondit Innoc. III. *in cap. sacris de sepultur.*

4. Resp. quarto. Si tamen actiones sint communes, hoc est, pertinentes ad communem ritum Sacramentorum,

qualis est v. g. consecratio sub utraque specie, in pane azymo in Ecclesia latina, miscere aquam cum vino, celebrare in vestibus sacris &c. legem eas præcipientem obligare cum periculo vitæ; cum earum observatio pertineat ad bonum commune religionis, quod præferendum cuilibet speciali temporali cujusvis, censet Castrop. *cit. n.* 3. Et quia id certum est de servando sigillo confessionis, de non consecrando nisi sub utraque specie, & quidem ob nullam aliam rationem, quam quia pertinet ad ritum communem & rectam sacramentorum administrationem, quæ ratio etiam militat in aliis enumeratis, etsi non ita efficaciter, censet quoque extendendum ad illa. Ita illa remittens ad *tr. de peccat.* 2. *d.* 1. *p.* 9. §. 3.

QUÆSTIO XCIX.

A quo tempore obligent leges civiles.

1. RESP. primo. Leges civiles (idem tamen etiam est de legibus ecclesiasticis) non obligant nisi a tempore, quo earum notitia habita aut haberi potuit; cum ad obligationem incurrendam necessaria sit legis notitia. Unde non statim a facta earum promulgatione in curia obligantur subditi existentes in partibus a curia remotis; sed concedendum illis tempus moraliter necessarium, ut lex ad eorum notitiam per se vel per alios possit pervenire. Ita Suar. *l.* 3. *c.* 17. *a n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 7. Quin & hinc sequitur, Principem non posse intendere per leges suas obligare aut subditorum aliquos priusquam notitia legis ad eos pervenerit. Probatur hæc sententia ex eo, quod legis promulgatio requiratur, ad hoc, ut lex obliget, jam vero promulgatio etsi fieri videatur in instante, & coram paucis in curia eidem præsentibus, revera tamen non fiat in instante, sed successu temporis, quo paulatim ad magis & magis distantes diffunditur ejus notitia, ita ut ante diffusam ad eos hanc notitiam lex respectu illorum promulgata dici nequeat, & tunc tandem integre promulgata respectu totius communitatis censeatur, & esse in esse suo cum effectu perfecte constituta, quando etiam ad subditorum remotissimos pervenit aut pervenire potuit. Neque his obstat, quod per leges irritantes vel etiam taxativas mercium, ubi ita vult Princeps, mox a puncto factæ promulgationis in curia irritentur & irriti maneant omnes contractus ab illo puncto celebrati, etiam in toto regno, quantumvis subditi hujus legis notitiam non habuerint, neque habere potuerint. Nam ea est inter has & alias constitutiones disparitas, quod ista irritatio & taxatio non procedat a Principe ex potestate legislativa, sed dominativa, quæ non indiget ad sui integritatem notitia subditorum. Castrop. *loc. cit. num.* 9. Unde etiam si ignorans talem legem taxativam pretii mercium eas venderet altiore pretio, quam quo taxatæ, obligari illum ait ad restituendum, non quia peccavit, sed quia accipit, quod sibi non debebatur. Pro quo citat Bonac. *de LL. d.* 1. *q.* 4. *n.* 22. Quamvis hoc in puncto circa leges ecclesiasticas distinguant alii, ita ut, si lex irritet actum, qui alias jure naturali subsisteret, ea, ex æquitate saltem, vim in actu secundo non habeat, priusquam in diœcesibus sit nota, aut saltem moraliter innotescere possit. Si vero sit actus, de quo liberam disponendi facultatem habeat Papa. V. g. collatio vel resignatio beneficii, lex irritans illum vim suam habeat mox ac promulgata est Romæ, saltem, si adjecta sit clausula *ex nunc.* Wiester. *ad h. t. n.* 70. citans Suar. *l.* 3. *c.* 33. *num.* 7. & 8. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 7. Pirh. *ad hoc tit. num.* 36.

4. Resp. secundo. Probabilius videri, quod lex publicata loco debito non statim obliget eos, qui ejus notitiam habuerunt, antequam ea pervenerit ad notitiam reliquæ communitatis pro qua lata. V. g. lex pro toto imperio promulgatur Viennæ, illa promulgatio, quæ ibidem fit in foro, non potest simul & eadem hora per totum Imperium, imo nec per totam civitatem diffundi; adeoque neminem, etiam qui præsens fuit publicationi in foro obligat, priusquam elabatur tempus, quo per totam civitatem aut etiam Imperium diffundi potuit. Castrop. *num.* 7. Cujus contrarium, nimirum leges facta earum solenni promulgatione statim obligare scientes; ignorantes autem & absentes post tempus, quo pervenisse vel pervenisse potuisse earum notitia, rationabiliter præsumi potest, sentire videtur Suar. *loc. cit.* & quos citat, Nav. *cons.* 1. *de const. quæst.* 4. *ad Respons. ad* 4. *object.* Abb. Felin. *in c.* 2. *de const. num.* 7. & 8. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *a.* 4. citat. a Castrop. item Engels *ad h. t. num.* 46. Reiffenstuel *num.* 113. qui tamen immerito pro hac sententia citat Castrop. Rationem hanc dat Castrop. quod lex prius arctet communitatem quam singulos illius; cum singuli communitatis in tantum arctentur lege, in quantum sunt partes communitatis, pro qua lex lata, & per hoc inter alia lex differat a præcepto, quod illud respiciat singulos; quia in bonum ipsorum ordinatum est, lex vero communitatem, quia in ejus bonum primo ac per se ordinata est. Quod si tamen Princeps expresse in lege declararet, velle se subditos, quam primum possit, obligare, cum possit propinquiorem civitatem prius quam remotiorem, & prius eos, qui promulgationi interfuerunt quam alios velle obligare, tacite innuit, se ita velle; adeoque hi prius quam alii obligabuntur. Castrop. *l. c. num.* 8. citans pro hoc Suar. *cit. c.* 17. *num.* 10. ut & *p.* 12. *num.* 4. ubi: *infertur constitutionem Principis supremi, qualis est Rex vel Pontifex, ligare subditos, in quorum notitiam devenire potest, cum primum publicatur, si expresse id in constitutione notetur.* citans pro hoc Menoch. *de arb. lib.* 2. *cap.* 185. *num.* 3. Farinac. 5. *part. fragm. crim. v. constitutio num.* 666. *Jansen. num.* 669.

3. Resp. tertio. Speciale hoc est, quod leges imperiales, seu latæ pro pluribus Imperii Rom. provinciis non obligent, nisi post exactos a publicatione earum in singulis provinciis facta duos menses *Novell.* 66. *rubrica, ut facta nova constitutiones post insinuationem earum post duos menses valeant*: juncta Gloss. *ibid. v. hujusmodi lex.* quæ id ad omnes imperatorias constitutiones, in quibus aliud nihil speciale exprimitur (uti de cetero contingit *in Auth. ut in privatis domibus §. hac enim collat.* 5. ubi statuuntur tres menses. Item in *Auth. ut neque miles §. sint igitur collat.* 8. ubi ponuntur 30. dies computandi ab insinuatione seu promulgatione dictarum legum) extendit. Rubricas autem esse authenticas & paris fere authoritatis cum textu seu nigro, & recte allegari sentiant Jurisconsulti communiter juxta dicta a nobis supra in qq. præliminar. Dico; speciale hoc est dictis legibus, siquidem dicta Novella ejusque rubrica locum non habet in regnis & provinciis Imperio Rom. non subjectis, neque etiam in legibus aliorum legislatorum, etsi sint Principes & civitates Imperii. Quippe, cum de his simile nihil lege statutum sit, nimirum, quod factam earum publicationem & habitam notitiam obligatio earum ulterius ad duos menses aut brevius etiam tempus differatur, id temere asserendum non est. Proinde de iis loquendum juxta *respons. præced.* De cetero, si etiam in legibus inferiorum Principum exprimatur certum tempus, quo lex obligare incipiat, uti utiliter quandoque post legis publicationem datur dilatio certi temporis, quo obligare incipiat, & quidem eo fine, ut alioquin, dum aliqui ob publicationem prius apud se factam obligantur ante alios, oriatur confusio. Id inquam indubitato servandum.

QUÆSTIO C.

A quo tempore obligare incipiant leges ecclesiasticæ pontificiæ.

1. RESP. Tametsi idem de legibus ecclesiasticis universalibus, quod non nisi post duos menses ab earum promulgatione facta in Episcopatibus obligent, teneant cum Gloss. *in c. cognoscentes h. t. v. ante prohibitionem.* Felin. *ibid. num.* 7. Butrio *num.* 16. & 17. Bellarm. *num.* 1. Nav. *in man. c.* 23. *num.* 44. Sotus *de just. lib.* 1. *quæst.* 1. *a.* 4. Host. *in sum. h. tit. num.* 13. Mandos. *in repet. in c.* 2. *de const. num.* 77. & 78. Menoch. *de arb. lib.* 2. *cas.* 185. *num.* 19. Item apud Castrop. Valent. *disp.* 7. *quæst.* 5. *part.* 6. Reginald. *lib.* 13. *num.* 152. negantes illas obligare saltem in foro conscientiæ, sed ad summum in foro externo; eo quod ubi jus Canonicum, uti in præsente fit, nihil disponit, jus civile sit observandum, si bonis moribus non repugnet. Argumento *cap.* 1. *de novi operis nuntiatione* ubi: *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum Canonum Statuta constitutionibus Principum adjuvantur*, uti & *cap. si in adjutorium distinct.* 10. ubi Augustinus: *si in adjutorium vestrum etiam terreni Imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus.* Item quod vel sic suaviore modo lex ecclesiastica inducat obligationem, nimisque durum sit, statim a publicatione Romæ facta obligari omnes Christi fideles.

fideles. E contra tamen, non requiri dictos duos menses, sed statim ac Romæ, consuetisque locis promulgatæ, quantum est de se mox obligare incipiant omnes Christi fideles tenent Abb. *in cap. noverit de sent. excomm. num.* 3. Barbosa *in cit. c. cognoscentes. num.* 10. Farinacius *par.* 1. *fragm. crim. num.* 655. citans Imola, Zabarella Alexander, ac dicens: hanc opinionem veriorem magisque communem, canonizatam in Rota, Cardin. de Luca. *Tom.* 1. *p.* 1. *de benef. disc.* 76. *num.* 7. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 12. *num.* 3. (qui vocat hanc sententiam non tantum probabiliorem, sed & certam existimat) citatique ab eo Suar. *de LL. l.* 4. *c.* 15. *n.* 3. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 3. *q.* 3. *circa medium*. Vasq. *d.* 156. *c.* x. Bonacina & alii, quos sequuntur recentiores. Reiffenstuel *ad h. tit. num.* 116. Wiestner. *num.* 68. Ratio præcipua hujus sententiæ est, quod sicut ex natura rei, ut lex civilis obligare mox incipiat, quantum est de se, sufficiat facta promulgatio debito loco ac modo; ita quoque, quantum est ex natura rei, id sufficiat ad inducendam mox a promulgatione legis ecclesiasticæ ejus obligationem. Quodque sicut Jus Canonicum non acceptavit citatam Authenticam quo ad promulgationem faciendam in singulis provinciis, ita etiam non acceptavit illam quod ad terminum illorum duorum mensium, in ea determinatorum. Uti id colligitur ex eo, quod sæpe in Bullis Pontificum non exspectentur dicti duo menses, quandoque etiam excedantur. Item ex eo, quod quoties Pontifices ob speciales causas volunt, constitutiones suas non obligare ante certum tempus, id in eis explicent; adeoque ubi illud non exprimunt, censendi sunt, velle illas obligare, quam primum ex natura rei possunt, hoc est, statim a promulgatione. Confirmantur hæc praxi & Stylo Curiæ Romanæ in foro judiciali punientis transgressores constitutionum apostolicarum; bimestri non exspectato, teste Navarro, *cons.* 1. *de consti. num.* 18. quamvis, ut idem, hic stylus dici posset restringi ad solum forum externum, vel etiam ad solos incolas Urbis Romæ. Ex eo autem, quod soleant leges civiles non repugnantes rationi acceptari ab Ecclesia in causis decidendis, quando non adsunt leges Canonicæ, quibus talis causa decidi possit; cum hæc acceptatio sit moraliter necessaria, ne alias deficiat omnis regula decidendi, ex eo inquam non sequitur, quod quoque Ecclesia in modo ferendi leges suas debeat servare modum præscriptum in legibus civilibus; cum id necessarium non sit; quia & superiorem habet authoritatem, & majorem inter se seu subditos suos unitionem, dum omnes Christi fideles unum corpus mysticum efficiunt, cujus caput est Papa.

x. Dixi *per se* statim omnes Christi fideles obligari lege universali ecclesiastica. Quia per accidens est, quod ob defectum conditionis alicujus, scilicet notitiæ particularium diæcesium subditi non statim a publicatione Romæ facta in actu secundo obligentur, sed tunc prius, quando ea innotescit juxta *c.* 1. *de concess. præbend. non vac. in* 6. ubi: *lex seu constitutio & mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent &c.* ita ut in actu secundo prius obligentur Itali, utpote viciniores, quam Germani, & hi ante Anglus &c. Unde etiam diluitur id, quod adversarii opponunt, nimirum durum esse, omnes Christi fideles statim ab una promulgatione Romæ facta obligari; quia in actu secundo non obligantur, nisi a tempore, quo illius legis notitiam habere possunt. Adeoque aliqui non nisi post mensem, alii non nisi post duos, tres vel quatuor menses. Castrop. *cit. pag.* 12. *num.* 5.

QUÆSTIO CI.

An & qualiter leges humanæ obligent ignorantes quo ad pœnam & culpam.

1. RESp. primo. Lex seu constitutio post legitimam sui promulgationem, etiam post tempus quo publice innotescere potuit toti communitati, adhuc non obstringit ignorantes neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam, modo ignorantia non sit crassa, affectata, adeoque culpabilis, sed justa, probabilis, invincibilis, adeoque inculpabilis. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 3. *q.* 9. Suar. *l.* 3. *c.* 18. *in fine*. Pirh. *ad h.* 1. *num.* 49. Abb. Innoc. Felin. *in c. cognoscentes h. t.* cum communi juxta *c.* 2. *h. t.* & *c.* 1. *de concess. præb. in* 6. contra Medin. 1. 2. *qu.* 90. *a.* 4. Soto *l.* 1. *de Just. q.* 1. *a.* 4. Quos tamen hac via in concordiam cum aliis redigi posse, dicit Castrop. *cit. p.* 12. *num.* 6. Si dicatur, quod dum lex ita est publicata, ut moraliter ad notitiam omnium seu totius communitatis devenire possit, hoc est, elapso etiam tempore ad hoc moraliter necessario; ignoretur tamen adhuc hic & nunc per accidens ab aliquibus, lex ex se, seu quantum est de se, obliget etiam hos ignorantes; per accidens tamen eos non obliget, quia de facto inculpabiliter ejus notitiam non habent. Si vero lex ita est publicata, ut impossibile sit, in omnium notitiam devenire statim, hoc est, necdum elapsum tempus, quo ea diffundi potuit ad omnes (quam diffusionem quasi continuatam promulgationem, & ante quam diffusionem non esse perfectam promulgationem censet idem Castrop. *pag.* 11. *num.* 6.) lex ne quidem ex se obliget ignorantes. Quia tunc ex parte illius non adest, quidquid ad obligationem inducendam requiritur. De cetero ratio responsionis patet; cum præcepto, quod nescio, parere non possim, & ignorantia tollat voluntarium. Ubi autem voluntarium non est, nulla culpa est, & consequenter nec pœnæ locus esse potest: cum culpa & pœna sint correlativa juxta illud *reg. Jur.* x3. *in* 6. *sine culpa non est aliquis puniendus*. Quod si autem ignorantia fuerit affectata vel crassa, in foro quidem interno non præstabit excusationem a culpa, in foro tamen externo dandam actionem, quia admittitur probatio & exceptio ignorantiæ, ait Azor. *loc. cit.* citans Abb. *in cap. cognoscentes h. tit. num.* 9. Afficitur tamen etiam pœna legis in foro judiciali tali ignorantia laborans transgrediens legem. Si tamen ignorantia orta ex culpa levissima vel levi, violatorem legis in dicto foro arbitrio Judicis, non vero pœna legis ordinaria puniendum, asserit *ibidem* Azor.

x. Resp. secundo. Legibus quoque particularibus non ligari inculpabiliter ignorantes, habetur *cap.* 2. *h. tit. in* 6. ubi dum dicitur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, sermo non est de sententiis, quibus inter partes lis orta definitiva Judicis pronuntiatione terminatur, sed de legibus ligantibus animam, & quidem ferentibus simul censuram: Gloss. *ibidem v. sententiis*. latis, non a Papa, sed per Episcopos aliosque Prælatos inferiores. Cum statuti nomine proprie ac stricte sumptu plerumque non comprehendantur canones seu leges universales juris communis, quæ omnibus sciri & custodiri debent. Glossa *in cap.* x. *h. tit. in* 6. *v. statuta*. Licet autem citatum *cap.* specialiter de dictis statutis loquatur, eo quod hæc in diæcesibus promulgata facilius in notitiam omnium diæcesanorum deveniant, ideoque minus probabiliter ignorari posse videantur ac constitutiones & decreta Pontificum de novo Romæ edita; idem tamen dicendum de censuris latis per Bullas pontificias aut Canones generales juris, quod non ligent probabiliter ignorantes. Quin & nomine *statuti* in *cit. cap.* comprehendantur dicta decreta, cum nomine Ordinarii veniat etiam Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum, asserunt Pirhing *ad h. tit num.* 51. Layman *in cit. cap.* x. *h. tit. in* 6. *num.* 2. uti idipsum recte infertur ex ratione decidendi dicti textus, quæ est, ut animarum periculis obvietur. Gravius enim, ut ait Castrop. periculum animarum adesset, si ignorantes ligarentur legibus pontificiis, quam si ligarentur legibus municipialibus; tum quia graviores, tum quia minus cognitæ sunt. Porro quod dictum, de ignorantia juris, idem, & quidem a fortiore locum habet in ignorantia facti V. gr. ignorans invincibiliter hunc, quem percutit, esse clericum, non incurrit censuram, nisi sciat, hanc annexam percussioni clerici. Molin. *Tom.* 4. *distinct.* 53. *num.* 1. & 2. Sanchez *num.* x3. Salas. *de LL. distinct.* 15. *sec.* 9. *num.* 100. Castrop. *loc. cit. num.* 3. juncta *cap. si vero de sent. excomm.* eo quod talis ignorantia facti reddat actum illum (nimirum percussionem clerici, qua est percussio clerici) involuntarium, adeoque incapacem censuræ. Item, etiamsi talis percussor haberet animum percutiendi clericum. Etsi enim ille animus sit malus, adhuc tamen illa percussio clerici non est voluntaria. Sanchez *num.* 26. Molin. *num.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 126. *a num.* 4. Castrop. *tr.* 2. *disp.* 1. *pag.* 17. *num.* 3. Item projiciens lapidem intendens occidere Petrum Clericum, casu occidat Joannem Clericum, non incurrit censuram; censura enim non ob intentionem, sed ob opus externum incurritur. Occisio autem Joannis criminola non fuit. Sanchez. *num.* 27. Bonacina *de censur. distinct.* 1. *quæst.* x. *part.* 1. *num.* 10. Castrop. *loc. cit.*

3. Resp. tertio. Non tantum ignorantes statutorum

ctatam ignorantiam, quæ scientiæ æquiparatur, censent Suar. *Tom. 5. in 3. p. d. 4. Sect.* 10. *n.* 3. Sanch. *n.* 37. & 39. Si lex feratur (intellige signate) adversus temere consulto violantes præsumentes violare, vel audentes violare. Quin & Bonac. *de cens. d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 11. putat, necessario requiri certam scientiam, & non sufficere in hoc casu ignorantiam affectatam nisi sit juncta cum ingente temeritate.

2. Resp. secundo. Dum lex non utitur dictis verbis scientiam, præsumptionem & temeritatem importantibus, sed absolute dicit: qui deliquerint, tali pæna punientur; quo ad contrahendas censuras & irregularitatem non sufficit quælibet ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis, sed requiritur crassa & supina: quam jus vocat ignorantiam ex lata culpa. Bonac. *l. c. n.* 10. Sanch. *l. c. n.* 30. *& seq.* Castrop. *l. c. n.* 2. eo eo quod censuræ & irregularitas sint pænæ, quæ contemptum legis requirunt, ut Nav. *in c. accepta. de rest. spoliat. opposit.* 81. *illat.* 9. *n.* 35. contemptus autem non videatur adesse, ubi aliqua diligentia adhibita; hæc enim diligentia excusat a dolo; cum causa quælibet sive justa sive injusta ab illo excuset. Paris. *de confid. q.* 46. *n.* 8.

Quo ad alias pœnas contrahendas censet Castrop. *n.* 3. sufficere, non fuisse adhibitam diligentiam sufficientem (intellige tamen, intercedente negligentia adhuc mortaliter culpabili, dum pæna gravis est; siquidem, ut ipse Castrop. *n.* 2. ignorantia leviter culpabilis & negligentia mortalem culpam non attingens, sicut excusat a peccato mortali, itam etiam a censuris & qualibet pæna gravi) eo quod de iis pœnis nihil specialiter decretum, nisi tantum in pæna non petendi debitum imposita conjugibus habentibus copulam cum consanguineis suæ conjugis, vel sine necessitate baptizantibus aut levantibus ex Baptismo prolem conjugis. Ad quas pænas incurrendas non sufficit ignorantia crassa, sed requiritur certa scientia, aut ignorantia affectata juxta *c.* 1. *de eo, qui cognovit consang.* & *c. si vir. de cognat. spirit.* ubi ignorantiam non quamcunque, sed affectatam, probat Sanch. *l. c. n.* 47.

QUÆSTIO CIII.

An & qualiter ignorantia excusans a transgressione legis allegari possit in foro externo & qualiter probanda.

1. RESp. primo. Tametsi adversus ignorantem jus statutumque commune sit præsumptio; ideoque illi incumbat onus probandi & elidendi præsumptionem. Castrop. *cit. §.* 2. *p.* 19. *n.* 3. Nihilominus allegari potest & probari ignorantia legis Abb. *in c. cognoscentes b. 8. num.* 9. & gl. *ibi in fine*. Menoch. *de arb. Jud. l.* 2. *centur.* 2. *cas.* 186. Castrop. *l. c. n.* 2. dicens esse certam; contra Mascard. *v. ignorantia concl.* 879. *n num.* 22. probantem, nemini patrocinari ignorantiam decreti publici, edicti ordinarii & cujuscunque statuti quo ad homines loci illius. Ratio responsionis patet, eo quod notitia legis positivæ non sit a natura insita, sed cujusque diligentia & aliorum manifestatione haberi potest; hæc autem ex multis capitibus impediri possint, & pro scientia legis non sit præsumptio juris & de jure, sed præsumptio juris tantum, quæ, ut Alciat. *de præsumpt.* 3. *p. in prælud. n.* 9. est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur, & contra quam, ut Paris. *de confid. qu.* 77. *u. num.* 8. admittitur probatio. Et quamvis adversus præsumptionem juris & de jure non admittatur probatio ignorantiæ simplici verbo, imo nec juramento, admittitur tamen, qui alia via probare contendit, nempe allegando causas, ex quibus efficaciter præsumitur. Castrop. *cit. num.* 3. Sed neque allegans ignorantiam legis, ut excusetur a transgressione illius allegat culpam latam; quia non allegat ignorantiam vincibilem, sed invincibilem & probabilem.

2. Resp. secundo. Probatur ignorantia primo conjecturis. *c. cum in tua qui matrim. accus. poss. c. præsumitur. de Reg. Jur. in* 6. Bald. & Abb. *in c. cognoscentis b. 8. num.* 10. Pelin. *n.* 19. Castrop. *cit. p.* 19. *n.* 4. Tales conjecturæ sunt, si probetur absentia tempore promulgationis. Si detinebaris infirmitate. Si in tenera ætate eras constitutus *cit. c. cum in tua*. Menoch. *l. c. n.* 16. Quamvis Mascard. *l. c. concl.* 880. *n.* 1. advertat, hanc probationem non esse plenam, ac proinde Judicis arbitrio relinquendam. Secundo juramento. Gl. *in c. pronunciasti* 82. *dist.* Abb. *l. c. n.* 9. Covar. *l.* 2. *var. c.* 10. *n.* 1. Mascard. *de prob. concl.* 881. *n.* 1. Menoch. *loc. cit. num.* 3. Quod ipsum etsi probabile dicat Castrop. *tract.* 2. *dist.* 1. *part.* 19. *num.* 5. Contrarium tamen, nimirum non admittendam probationem juramenti de ignorantia legis sufficienter promulgatæ probabilius & magis receptum asserit, citatque pro eo Sanch. *de mat. l.* 9. *dist.* 32. *num.* 5. Mascard. *concl.* 881. *num.* 17. & 26. quem tamen *num.* 4. allegaverat pro opposito.

Porro tunc juramentum ignorantiæ sufficiens est, quando alio modo præter illud probari nequit. Felin. *in cap.* 2. *hoc. tit. num.* 12. Mascard. *l. c. num.* 23. argum. *can. præsentium de testib.* & *can. ex literis de præsumpt.* Cum juramentum sit probatio privilegiata, cui locus est tantum, cum aliæ probationes deficiunt. Mascard. *num.* 7 Non tamen sufficit juramentum, quando non tam agitur de probanda ignorantia, quam de justificatione ignorantiæ: ut dum ignorantiæ causæ allegantur absentia, infirmitas &c. tunc enim absentia, infirmitas legitimis probationibus probari debent. Pelin. *num.* 23. Menoch. *num.* 15. apud Castrop. *num.* 5. eo quod hi actus, ignorantiam justificantes non consistant in animo allegantis, sed sensibus objiciantur; adeoque probandi aliis signis. Neque sufficit, quando adversus ignorantem jurantem esset maxima juris præsumptio, vel ex publica fama, vel ex facti notorietate, vel ex longi temporis præscriptione aliove simili. Decius *in c. cognoscentes num.* 18. Felin. *num.* 17. Covar. *Regul. possessor.* 3. *p. §.* 4. *n.* 4. Menoch. *l. c. num.* 7. & 8. & *tr. de recup. possess. remed.* 16. *num.* 36. Sed neque, dum lex vel statutum prohibet ignorantiam allegari, nullatenus admittendam probationem ex juramento, cum statutum tale valeat & operari aliquid debeat, tradit Castrop. *num.* 5. *in fine*, citans pro hoc Felin. *in c. cognoscentes b. 8. num.* 15. Mascard. *cit. concl.* 881. *num.* 20. Bald. *in l.* 1. *ff. de LL. num.* 6. Quamvis subjungat *num.* 6. si alia via probari possit ignorantia invincibilis, admittendam probationem, etsi lex prohibeat allegari ignorantiam, quia id intelligi debeat de ignorantia culpabili, crassa, ne, si lex prohiberet allegare ignorantiam justam & probabilem, prohiberet justam innocentis defensionem, intenderetque innocentem, tanquam nocens esset, punire. Neque denique adversus legem admittitur probatio per juramentum, dum agitur de tertii præjudicio; cum justum non sit, alteri, pro quo stat præjudicium legis, præjudicari suo solo dicto. Castrop. *num.* 6. *in fine*. citans Menoch. *ubi supra num.* 9. Mascard. *num.* 12. qui tamen id limitat, ut procedat in præjudicio gravi, non levi.

3. De cetero ignorantia facti sufficienter probatur juramento, quia hæc ignorantia, ut dicitur *c. ignorantia de Reg. Jur. in* 6. regulariter non præsumitur. Castrop. *cit. p.* 19. *num.* 7. dicens, hanc esse regulam generalem, eamque colligi ex *c. si vero il* 2. *de sent. excom. c. cum in tua qui matrimon. accus. poss.* a qua tamen regula eximi factum pro cujus scientia est a Jure præsumptio, ut si sit publicum, illudque non probari sufficienter juramento, sed allegandam esse & probandam causam ignorantiæ, ait Castrop. *num.* 8. *in fine*. Quæ autem sint facta, pro quibus a jure est præsumptio scientiæ vel ignorantiæ, vide apud Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 23. & 24.

QUÆSTIO CIV.

An & qualiter legibus teneantur amentes, ebrii, dormientes.

RESp. Ebrii, amentes, infantes usu rationis carentes; cum ipso tempore hujus carentiæ usus rationis capaces non sint agnoscendæ obligationis legis, etiam pro eo legibus non obligantur, & ab earum transgressione excusantur. Eosdem tamen, uti & dormientes; dicendos esse affici legibus; quia suapte natura legem intelligere possunt, & ad eos, ut ad subditos per se lex dirigitur, ait Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 24. *§.* 2. *num.* 2. cum Sanch. *l.* 1. *moral. c.* 12. *n.* 3.

QUÆSTIO CV.

An & qualiter pueri obligentur legibus,

1. RESp. primo. Quidquid sit de eo, num pueri ante usum rationis dici possint legibus naturalibus teneri, ut astruit Castrop. *L. c. num.* 3. Eo quod harum legum obligatio cum ipsa natura, quæ de se rationis capax est, ortum habeat, etsi propter defectum usus rationis a transgressione & peccato excusentur. Illud certum est, pueros ante usum rationis nullis legibus ecclesiasticis (idem est de aliis legibus positivis) obligari; quia harum obligationum in iis deficit fundamentum. Castrop. *num.* 3. qui & cum Salas *de LL. d.* 14. *s.* 12. Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 12. *num.* 3. Suar. *Tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 4. *s.* 2. Bonac. *de LL. d.* 1. *qu.* 1. *p.* 6. *num.* 6. Azor. *Tom.* 1. *l.* 7. *qu.* 40. *n.* 6. &c. hinc deducit, posse pueros tales vesci carnibus, divinis interesse tempore interdicti, claustra monialium ingredi &c.

Porro dum dubitatur, an usum rationis habeant, præsumendi sunt eum habere completo septennio, secus ante illud; cum præsumptio sumenda sit ex communiter contingentibus. Castrop. *l. c.* Quin etiam Jo. Sanch. *in select. disp. d.* 51. *num.* 31. *in fine* censet, quod licet constaret, puerum ante septennium habere usum rationis, non tamen exinde obligari legibus positivi juris; eo quod hæ attendant ad ea, quæ communiter contingunt *l. nam de ea. ff. de LL.* communiter autem non contingat usus rationis ante septennium.

2. Resp. secundo. Pueri, dum ad usum rationis pervenerunt, obligantur legibus ecclesiasticis, dum eæ tempus obligationis non determinant, uti fit in lege jejunii. Sanchez *in Decal. l.* 1. *c.* 12. *n.* 6. Castrop. *cit. p.* 24. *§.* 2. *n.* 5. Laym. *Th. mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 10. *num.* 4. Azor. *Tom.* 1. *l.* 7. *c.* 2. *qu.* 3. ... 20. *qu.* 6. Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *p. D.* 36. *s.* 2. *num.* 3. qui duo postremi loquuntur etiam in specie de præcepto confessionis & abstinentiæ a carnibus. Suar. insuper de præcepto Missæ contra Henriq. *l.* 8. *de Euch. c.* 42. *num.* 4. *in comment. lit. N.* censentem, pueros non statim, ac ad usum rationis perveniunt, teneri his legibus, & hinc iis aliquo adhuc tempore dari posse lacticinia & carnes tempore jejunii. Item contra Sa tenentem non teneri illos præcepto confessionis ante pubertatem. Item contra Sotum 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *a.* 11. tenentem, pueros ad annum 12. nullis teneri legibus Ecclesiæ. Ratio est clara; cum eo ipso, quo quis usum rationis habet, capax est cognoscere obligationem, adeoque ea ligari. Et quo ad præceptum confessionis videtur decisum *in c. omnes utriusque sexus. de pænit. & remiss.* uti præcipitur omnibus Christi fidelibus, cum ad annos discretionis pervenerunt, confiteri. Quod præceptum transgredientur pueri post discretionem attactam, si conscii peccati mortalis confessionem omiserint, Nihilominus

3. Limitatur responsio primo. Licet ordinarie & regulariter completo septenario usus rationis respectu omnis materiæ habeatur; adeoque contrarium alleganti incumbat onus probandi; cum procedat contra præsumptionem fundatam in communiter contingentibus. Castrop. *cit. n.* 5. quia tamen indubitatum etiam est, aliquibus usum rationis advenire citius tempore; quin & non æqualiter respectu omnis materiæ; cum aliqua sint faciliora, aliqua difficiliora, ut Vasq. 1. 2. *d.* 149. dici posse, ait Castrop. puerum completo septennio peccare posse jurando, mentiendo &c. non tamen comedendo carnes, omittendo confessionem annuam &c. hinc

4. Limitatur secundo communiter a DD. de præcepto communionis Paschalis, ita ut regulariter non nisi uno alterove, aut etiam tertio anno a septennio completo ad hoc mysterium cum debita reverentia suscipiendum discretionem habere censeantur sufficientem; adeoque prius ad hoc non teneantur. Nav. *in man. c.* 21. *n.* 33. Fagn. *in cit. c. omnes, n.* 33. Quin & exspectare posse propterea ad annum 12. doceri communiter, testatur Castrop. *l. c. n* 6. eo quod *cit. c. omnes*, ubi hoc præceptum imponitur, judicio confessarii remittatur prorogatio temporis, qua prorogatione posita, puerum hoc præcepto non teneri, verum fatetur Castrop. *n.* 7. Nihilominus, deficiente hac expressa prorogatione confessarii, se summopere inclinari ait ad asserendum, quemlibet puerum, cum ad annos discretionis pervenerit, & obligatus est lege confessionis, obligatum quoque esse ad recipiendam Eucharistiam, nec exspectandum ulterius & citat pro hac sententia Jo. Sanch. *in select. d.* 26. *n.* 5. Palud. *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *n.* 25. Valent. *Tom.* 4. *d.* 6. *q.* 8. *p.* 2. *&c.* Probat id ipsum, quia *in c. omnis utriusque sexus*, omnibus fidelibus æqualiter imponitur præceptum confessionis & communionis paschalis, ut *ibi* Gl. quamvis addatur, communionem differri posse ex consilio confessarii, non quia obligatus confiteri obligatus non sit communicare, sed quia plures esse possunt causæ prorogandi tempus communionis, cum tempus signatum communioni determinatum sit, quod non est determinatum confessioni. Confirmat item primo hac ratione, si puer discretionem habens, & obligatus præcepto confessionis eget dicta prorogatione confessarii ad hoc, ut a dicto præcepto excusetur, jam illa prorogatione deficiente, erit obligatus, si non eget ea prorogatione ad hoc, ergo *cit. c. omnis* non æqualiter de præcepto confessionis & communionis loquitur, quod falsum videtur; cum verba sint uniformia, & ex parte fidelium ad hanc obligationem plus non requirat quam discretionem. Secundo, quod non minor discretio requiratur ad sacramentalem absolutionem, quam ad recipiendam reverenter Eucharistiam. Tertio, quia in articulo mortis capacibus Sacramenti pœnitentiæ dari possit viaticum, ut Cajet. *v. minister. commun. in fine*, Salas *l.* 24. *s.* 13. *n.* 117. Suar. *Tom.* 3. *m.* 3. *p. d.* 70. *s.* 1. *in fine*, Henriq. Nav. Reginald. &c. ex quibus etiam aliqui, quod debeat illi dari viaticum; quod signum est, habere illos discretionem ad Eucharistiam, & consequenter ligari præcepto illius extra articulum mortis.

5. Resp. Tertio. Pueri ante pubertatem non ligantur censuris & pœnis ab hominibus latis. Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 12. *n.* 7. Jo. Sanch. *d.* 26. *n.* 18. Castrop. *cit. §.* 2. *n.* 8. Azor. *Tom.* 1. *l.* 7. *c.* 40. *q.* 6. *&c.* juxta *c.* 1. *de delict. pueror.* & *c. referente tit. eod.* ubi: *etsi pueri possint ante pubertatem peccare, at ex benignitate Ecclesiæ a pœna peccato imposita excusantur.* Extenditurque hoc ipsum non tantum ad censuram specialiter ab hominem latam, sed etiam ad latas generaliter, Castrop *l. c. n.* 9. cum decisio *c.* 1. *de delict. pueror.* sit communis, & odia sint restringenda. Proinde excommunicationem latam ab Episcopo contra non communicantes aut confitentes in anno non comprehendere impuberes doli capaces, tradit *ibidem* Castrop. citatis Jo. Sanch. *n.* 18. Filiuc. *Tom.* 1. *tr.* 11. *c.* 5. *n.* 130. non tamen hinc sequi ait, citatis pro hoc Suar. *Tom.* 5. *de cens. d.* 5. *s.* 1. *n.* 19. Azor. *Tom.* 1. *l.* 7. *c.* 41. *q.* 10. Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 12. *n.* 8. Sylv. *v. interdictum* 2. *n.* 18. *&c.* impuberes doli capaces non comprehendi interdicto locali; eo quod licet non includantur in aliqua pœna ipsis imposita ob præcepti alicujus transgressionem, comprehendantur tamen ratione præcepti in interdicto lati.

6. Resp. Respondeo quarto. Ligari pueros censuris & pœnis a jure latis, ex *c. super. eo. c. puerîl quomodo de sent. excom.* tradunt Suar. *l. c. n.* 19. Sanch. *l. c. n.* 8. Jo. Sanch. *n.* 18. Azor. *l. c.* Ugolin. *de cens. c.* 27. *§.* 3. *n.* 5. Henriq. &c. assignata quoque a Suar. & Ugol. hac ratione disparitatis, cur potius pœnis juris quam latis ab homine ligentur; quia nimirum ætas impuberis non censetur apta ad ordinem judiciarium intelligendum, ac proinde neque de jure citari impubes potest, neque ad agendum & defendendum in judicio admitti. juxta *c. ultim. de Judiis in* 6. quod tamen ad incurrendam censuram latam ab homine est necessarium. Verum contrarium satis probabiliter defendit Castrop. *n.* 9. nimirum nullam censuram inde latam, præter unicam excommunicationem latam a jure ob percussionem Clerici propter ejus singularem gravitatem incurri ab impuberibus. Quin etiam irregularitatem ob occisionem non incurri ab illis, tenent, Avil. *de cens.* 7. *p. d.* 6. *s.* 1. *div.* 13. Henriq. *de irregular. c.* 3. *n.* 4. *lit. Z.* Jo. Sanch. &c. contra Thom. Sanch. & Sylv.

QUÆSTIO CVI.

An liceat excusatis a lege cooperari in actione per legem prohibita.

1. RESp. primo iis, qui excusantur a lege, quia sub illa non comprehenduntur (qualiter infideles excusantur ab omnibus legibus ecclesiasticis, infirmi a lege jejunii, pueri ante usum rationis ab omnibus legibus positivis) licitum est cooperari seu ministrare in actione alias per legem prohibita; quia illa actio nec de se mala est, nec eis prohibita; adeoque nec formaliter nec materialiter mala. Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 12. *a n.* 9. Bonac. *de LL. d.* 1. *q.* 1. *p.* 6. *a. n.* 2. Castrop. *cit. p.* 24. *§.* 2. *n.* 10. Sic licet subministrare carnes die Veneris pueris carentibus usu rationis, amentibus, infidelibus; cum nec ipsi comedendo peccent etiam materialiter, nec etiam tibi specialiter illa subministratio prohibita AA. iidem *LL. cit.* Sic licitum est, pueros ante septennium intromittere in monasteria monialium, puellas in monasteria virorum;

quia

quia neque ipsi ingredientes per hoc peccant, neque illa intromissio ullo jure prohibita; cum ex ea non sequantur ea incommoda, quæ sequerentur si infideles, amentes, puberes introducerentur in ea, ita Sanch. *l. c. c.* 16. *n.* 5. Bonac. *n.* 6. Castrop. *n.* 13. Barbos. *remiss. concil. Trid. sess.* 25. *c.* 1. Unde jam etiam vides, contingere posse, ut aliqua actio, quatenus fit ab alio, interdicta non sit, tibi vero sit interdicta cooperatio ad illam. V. g. infidelibus, etiam puberibus non est lege ecclesiastica interdictus ingressus in monasteria, tibi tamen interdictum illos illuc introducere. Quemadmodum pueri ante usum rationis non ligantur legibus positivis, licitum tamen non est, eos in ætate defunctos sepelire in loco interdicto; cum hæc prohibitio, non tam ipsos, quam sepelientes concernat. Sanch. *cit. c.* 12. *n.* 21. Bonac. *num.* 7. Castrop. *num.* 11. Suar. *de cens. Tom.* 5. *d.* 35. *s.* 1. *n.* 2.

2. Resp. secundo. Illis, qui comprehenduntur sub lege, adeoque ab ea non excusantur, sed solum a transgressione illius, seu potius, ne transgrediendo illam peccent, nullatenus licitum cooperari in tali actione, utpote mala & de se illis prohibita. Sic non licet ebriis die Veneris apponere carnes ad comedendum; quia absolute tenentur lege jejunii, esto, ab illius transgressione pro illo statu excusentur. Sanch. *l. c. n.* 16. Bonac. *n.* 5. Castrop. *n.* 12. qui etiam ait, quod licet amentibus ministrare carnes die vetito, id non esse ex eo, quia carent ratione, sed quia amentia est infirmitas excusans a jejunio, citat pro hoc Sanch. & Bonac. *LL. c.* De cetero non licere perpetuo amentes aut pueros ante usum rationis, vel etiam ebrios pellicere ad copulam inter se habendam; cum ista actio de se omnibus sit prohibita, etsi illis ob defectum usus rationis non imputetur ad peccatum, consequenter ad suam doctrinam tradit Castrop. *n.* 14. etsi addat, docentes, quod pueri ante usum rationis non teneantur legibus naturalibus, consequenter debere affirmare, quod consulere illis congressum, non esse de se magis malum, quam bestias conjungere.

QUÆSTIO CVII.

An infideles, pagani, Judæi aliique non baptizati obligentur legibus ecclesiasticis.

1. RESp. primo, certum videri, illos non ligari his legibus, nisi quatenus hæ forte continent jus naturale aut divinum; est communis, præcipue Theologorum contra veteres aliquos Canonistas, puta Innoc. *in c. super his de voto n.* 3. ubi, quod Vicarius Christi habeat potestatem etiam super infideles. Abb. *ibid. n.* 12. asserens, quod si crimina sint ecclesiastica, Papa possit exercere jurisdictionem contra infideles sicut contra fideles, aliosque, quos citat & sequitur Fagn. *in c. canonum statuta. h. t. a n.* 79. Quia sunt extra ecclesiam, & hæc in eos jurisdictionem non habet, prout constat *ex c. gaudemus. de divortiis.* ubi ab Innoc. III. diserte pronunciatur, paganos constitutionibus canonicis non arctari, & adducitur in hanc rem illud Apostoli 1. *ad Cor.* 5. *v.* 12. *Quid enim ad nos de iis, qui foris sunt, judicare?* Item ex Trid. *Sess.* 14. *c.* 2. *de pœnit. sacram.* ubi: *cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam sit ingressus.*

2. Unde jam facile diluuntur, quæ in contrarium a citatis AA. afferuntur. Primo, quod varii textus ob generalitatem verborum videantur hanc Ecclesiæ super infideles potestatem legislativam & jurisdictionem asserere, ut dum dicitur *c. canonum statuta, h. t. canonum statuta custodiantur ab omnibus. c. fin. h. t. constitutio apostolica omnes constringit. c. cuncta 9. q. 3. Romana Ecclesia fas de omnibus habet judicandi &c.* Siquidem generalitatem illam verborum accipiendam in sensu accommodo, & restringendam ad omnes tantum Christi fideles & Ecclesiæ subditos, eam per Baptismum ingressos, liquet ex dicto Apostoli, rescripto illo Apostolico. *c. gaudemus* & decreto Tridentini. Cum explorati juris, sit regula, locutionem generalem intelligendam cum temperamento, & restrictione adhibita accommodandam materiæ subjectæ, quando id necessarium est ad excludendam jurium correctionem, argum. *c. cum expediat. de elect. in* 6. & *L. præcipimus. c. de appell.* Tusch. *v. correctio concl.* 1036. *a n.* 7. Menoch. *de adipiscend. remed.* 4. *n.* 21.

Secundo, quod *Extrav. unam sanctam de major. & obed.* dicatur: *Porro subesse Rom. Pontifici omni humanæ creaturæ, definimus & pronunciamus; omnino esse de necessitate salutis.* hoc enim absque eo, quod infideles, actu infideles, seu necdum ingressi Ecclesiam subsint Pontifici, verum est in hoc sensu; quod omnis creatura humana jure divino & de necessitate salutis teneatur suscipiendo Baptismum ingredi in Ecclesiam, ac ita subesse Pontifici.

Tertio, quod in jure Canonico habeatur integer titulus de Judæis & Saracenis, minime urget; cum plurima capitula huic rubricæ subjecta directe spectent solos Christianos, prohibendo v. g. ne in illorum domibus habitent. *c.* 5. ne permittant novarum synagogarum constructionem: *c.* 7. ne eorum familiari servitio se addicant *c.* 8. & 13. ne iis publica officia inter Christianos, & in hos jurisdictionem concedant. *c.* 10. ne arma aliaque belli instrumenta & commeatum Saracenis subministrent. *c.* 6. & 12. Canones vero ibi contenti, dum directe aliquid præcipiunt Judæis, illos solum constringunt, qui sub jurisdictione & territorio temporali Papæ aliorumque Prælatorum ecclesiasticorum vel Principum Christianorum existunt, quibus non minus quam aliis subditis pro ipsorum pacifica inter Christianos cohabitatione, horumque legitima indemnitate conservanda leges præscribi possunt. Denique neque ex eo, quod Christus, cui data omnis potestas in cœlo & in terra, Apostolis & Ecclesiæ præceptum dederit docendi omnes gentes servare omnia, quæ mandaverat, sequitur, contulisse eis jurisdictionem in infideles, quamdiu infideles sunt. Quod si tamen etiam infideles prædicationi Evangelii, ad cujus receptionem ipsi jure divino tenentur, obsistant, & prædicatoribus illius injuriosi sunt, tanquam violatores divinæ legis puniri possunt. Qua ratione puniri quoque posse Judæos, qui plures hæreses contentas in suo Talmud sequuntur, puniri, ait Reiffenst. ad *h. t. n.* 288.

QUÆSTIO CVIII.

An Catechumeni obligentur legibus Ecclesiæ.

RESp. Negative Suar. *de Sacram. d.* 31. *s.* 2. Vasq. *in* 3. *p. d.* 150. *c.* 2. & 3. Laym. *L.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 24. §. 2. Wiestner. *ad h. t. n.* 97. Reiffenst. *n.* 278. &c. Tametsi enim ipsi se subjecerunt Ecclesiæ instructioni præparatoriæ ad Baptismum, & per votum Baptismi effecti sint membra Christi. *c. debitum de Baptism. c. fin. de presbyt. non baptiz.* quia tamen actu sacramentum fidei, seu verum Baptismum fluminis, qui est janua, per quam ipsi & quicunque infideles primum in Ecclesiam visibilem ingrediuntur, non susceperunt, Ecclesiæ judicio & legibus non subjiciuntur. AA. iidem. Unde & catechumenis terminus pro Baptismi susceptione lege ecclesiastica non præfigitur, sed declarari solum potest, intra quod tempus illum ex lege divina suscipere teneantur. Wiestner. *l. c.*

QUÆSTIO CIX.

An hæretici & a fide apostatæ teneantur legibus Ecclesiæ.

RESp. affirmative. Laym. *in c. canonum h. t. n.* 2. Bellarm. *de justif. l.* 4. *c.* 1. Card. de Lugo *Tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 15. *s.* 7. *n.* 147. dicens absurdissimum esse id negare. Et bene; cum nemo ex suo delicto & perfidia reportare debeat commodum. *L. nemo ex suo. ff. de reg. Jur.* quale foret eximi a legibus Ecclesiæ per recessum ab ea. *c. intelleximus. De Judiciis c. ex literis de do'o.* Ratio responsionis est, quod quantumcunque velint ipsi se separare ab Ecclesia, ejusque constitutionibus se opponant, quantumcunque etiam censeantur per excommunicationem veluti membra putrida rescissa ab Ecclesia, adeoque, loquendo simpliciter, fructuose communicando in communibus fidelium suffragiis, non sint in Ecclesia: perseverant nihilominus aliquo modo in ea, postquam eam semel ingressi, effectique ejus membra, & perpetuo ecclesiasticæ jurisdictioni subjecti juxta totam rubricam de hæreticis & apostatis. Unde dum hoc vinculum, quo obstricti Ecclesiæ ratione characteris baptismalis indissolubile perseverat, patet, non esse omnimodam paritatem inter eos & membrum abscissum a corpore reali & physico. Et certe si hæretici nullis Ecclesiæ legibus obligarentur, frustra tot leges pœnales in Jure canonico toto titulo de hæreticis contra illos latæ fuissent.

QUÆSTIO CX.

An & qualiter clerici & religiosi obligentur legibus civilibus,

1. RESp. primo. Non obligantur legibus civilibus, quæ sacris Canonibus, libertati Ecclesiasticæ adversantur; sive statuta & leges civiles, sive directe sive indirecte adversantes & derogantes immunitati Ecclesiarum vel personarum Ecclesiasticarum, earumque rebus sunt ipso jure nullæ, & utroque jure reprobatæ. Qualia non tantum sunt statuta contraria iis, quæ jure Canonico, vel etiam civili competunt Ecclesiis & personis Ecclesiasticis; vel etiam contraria privilegiis iis concessis a Deo, a summis Pontificibus, Imperatoribus, ut probant textus paulo post citandi; item statuta laicorum, per quæ clerici reddantur timidiores: ut si onera ipsis a laicis imponantur, per quæ status Ecclesiasticus dehonestatur, despicitur, ipsique clerici a ministeriis suis, & alii a statu clericali absterrentur, Pirh. *h. t. n.* 82. Laym. *in c. Ecclesia. h. t. n.* 8. Bartol. *Auth. cassa. n.* 5. Verum etiam, quæ de Ecclesiis, personis aut rebus Ecclesiasticis specialiter aliquid præcipiendo vel prohibendo disponunt (in quo casu directe repugnant libertati Ecclesiasticæ) vel etiam quando circa propriam materiam ita disponunt, ut ex observatione earum aliquid in præjudicium Ecclesiæ, vel personarum Ecclesiasticarum & jurium earundem redundat (in quo casu indirecte immunitati Ecclesiasticę repugnant) cum in moralibus directum & indirectum æquivaleant, & tam indirecta quam directa violatio jurium Ecclesiæ per SS. Canones reprobetur, ut Suar. *l. 3. de LL. c. 34. n.* 3. Abb. *in repetit. c. Ecclesia. n.* 27. De cetero est responsio nostra ferę communis omnium DD. Orthodoxorum, & constat ex *c.* 1. *dist.* 10. *c. si Imperator dist.* 96. *c. quæ in Ecclesiarum c. Ecclesia h. t. c. si diligenti. de foro compet. c. fin. de rebus Eccles. non alien. c. quanquam de censibus in 6. c. noverit, c. gravem. de sent. excom.* ubi generatim omnia statuta edita contra libertatem ecclesiasticam servari prohibentur. Bulla cænæ *censura* 14. excommunicantur, qui statuta, ordinationes vel constitutiones, in genere vel in specie, quovis colore quæsito fecerint vel publicaverint, vel factis usi fuerint, unde libertas Ecclesiæ tollitur, seu in aliquo læditur, aut alio quovis modo restringitur. Item ex Trid. *Sess.* 25. 20. *de reform.* Ratio est, quod Ecclesiæ, loca, res, personæ ecclesiasticæ, sunt exemptæ a jurisdictione sæculari, si non immediate jure divino, ut multi volunt, saltem ad imitationem legis veteris & ex instinctu divino condito jure humano, ut Wiestner *ad h. t. n.* 115. ait, non solum jure canonico textuum citatorum, sed & Cæsareo, *l. privilegia. C. de SS. Eccles. & Auth. cassa.* ubi Fridericus Imperator cassa & irrita denunciari præcipit omnia statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ ejusque personas inductas adversus canonicas & imperiales sanctiones. Sic itaque in specie irritum est statutum, quo decernitur, ut ingredientes religionem a successione hæreditaria excludantur, vel ut parte aliqua hæreditatis, vel usufructu bonorum ad vitam sint contenti; quia præjudicat libertati ecclesiasticæ; cum per hujusmodi statuta retrahantur homines ab ingressu religionis, fiantque deterioris conditionis quam laici. Abb. *in repet. c. Ecclesia h. t. n.* 35. Pelin. *ibid. n.* 78. Gail. *l. 2. observ. 32. n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 87. Porro de legibus civilibus tributariis, item de prohibentibus vendi ecclesiasticis bona immobilia, agetur specialiter *quæst. seq.*

2. Procedit responsio quoque in legibus & statutis sæcularium, quæ specifice & nominatim disponunt de ecclesiis & ecclesiasticis etiam in horum commodum & favorem, pro ut expressum est *c. quæ in ecclesiarum h. t.* Et ratio esse potest; quod si laici statuere possent, & leges ferre circa ecclesias & personas ecclesiasticas, saltem in commodum illarum, hoc ipso significaretur, & per observantiam talium legum recognosceretur superioritas laicorum super ecclesias, personas resque ecclesiasticas. Neque tamen hinc sequitur, privilegia per Imperatores aliosque Principes seculares concessa ecclesiis & ecclesiasticis nullius esse roboris. Nam privilegium, quod est præter jus, & mere concessivum gratiæ, potest concedi etiam non subdito, ejusque concessio non est actus jurisdictionis, sed meræ liberalitatis erga privilegiatum, cessatque in hac concessione ratio superioritatis, quę requiritur in ratione legum, perque harum acceptationem & observantiam recognoscitur. Pirh. *n.* 78. Reiffenst. *h. t. n.* 294. citans Abb. Quin &, si lex vel statutum in genere aliquid disponat, quod merum favorem & commodum Ecclesię personarumque ecclesiasticarum continet, illud quoque extendendum ad ecclesias & personas ecclesiasticas v. g. dum statuit, ut femina non succedat, quamdiu superstes est agnatus masculus; modo ista dispositio non fiat pręcipiendo vel prohibendo; quia tunc inde non infertur pręsumpta superioritas; cum tale statutum potius censeatur habere rationem privilegii. Pirh. *l. c.* citans Abb. *in c. quod clericis. h. t. n.* 41. & 42. & *in repet. c. Ecclesia. n.* 37.

3. Procedit item responsio de istiusmodi legibus & statutis specifice disponentibus de patrimonialibus bonis personarum ecclesiasticarum. Pirh. *h. t. n.* 77. Abb. *in c. Ecclesia. h. n.* 21. Felin. *ibid. n.* 8. sumitur ex *c. 5. de immunit. ecclesiar. in* 6. ubi indistincte: quęcunque res seu bona ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum dicuntur exempta esse a jurisdictione secularium, etiamsi intra illorum districtum vel territorium sint constituta. Dum enim personę sunt exemptę ab omni jurisdictione & foro seculari, etiam bona illarum sunt exempta, quippe accessoria & adherentia personis. Abb. *in c. qualiter. de Judiciis n.* 8. ubi: *certum est, quod si persona est exempta, ergo & res.* Adde, quod lex vel statutum nequeat statuere de bonis, utpote de se non capacibus legis vel statuti, nisi obligando personam illa possidentem. Excipiuntur tamen bona feudalia. Nam vasalli clerici feudum a domino laico habentes, quoad illud jurisdictioni ejusdem & potestati subjiciuntur. *c. transmissa. & c. seq. de foro compet.* Pirh. *l. c.* citans Abb. *ubi ante n.* 23. Et ratio est, quia dominium directum feudi seu proprietas manet penes dantem, ratione cujus retinet jurisdictionem in bona. *c. Obertus. in fine. in quibus caus. feud. amitt. l. 2. feud.* Non tamen è contra valent aut obligant statuta sæcularia, de rebus & bonis ecclesiasticis, quæ ratione solius dominii directe pertinent ad communitates vel personas ecclesiasticas, & quo ad dominium utile ad laicos. Abb. *in cit. c. Ecclesia. n.* Pirh. 2. *n.* 77. Sic v. g. si statutum habeat, licere vasallo, ubi probaverit, se ad inopiam vergere, alienare feudum, quod habet ab Ecclesia vel persona ecclesiastica, illud sit nullius roboris juxta *c. noverit de sent. excom.*

4. Atque ex his jam recte infertur, leges illas contentas in codice Justinianeo. *tit. de SS. Ecclesiis. de Episcopis & clericis.* & in Authenticis. *de Episc. & monachis*, similesque de se nullam habere vim obligandi clericos; cum disponant specialiter de ecclesiis, rebus & personis ecclesiasticis. Abb. *in c. Ecclesia S. Mariæ h. t. n.* 10. Laym. *ibidem n.* 3. Fagn. *n.* 17. Gail. *l. 2. observ. 32. n. 1. &* 2. Non tamen propterea hi tituli & leges tanquam inutiles de corpore juris sunt resecandæ & tollendæ, dum plures earum ob naturalem æquitatem, quam continent, successu temporis per Ecclesiam sint receptæ, & vel per SS. Canones singulatim canonizatæ vel longævo usu approbatę. Unde etiam quotidie in libris publicisque judiciis allegari solent, multaque etiam in memoratis titulis sint privilegia mera ab imperatoribus piissime ecclesiis concessa. Ac denique quia istiusmodi leges sępe serviunt ad compescendos Ecclesię hostes, leges ecclesiasticas contemnentes. Lancell. *in instit. Juris can. tit.* 2. Uti, quod hujusmodi legibus civilibus, quę, si canonicis decretis non contrarientur, reverentia dignę sint, Ecclesia sepe contra hęreticos, tyrannos & quoscunque alios pravos utatur, quamvis alioquin firmitatis cujuspiam non existant, nisi ab Ecclesia fuerint approbatę juxta textum *in Can. leges Imperatorum dist.* 10. §. *fin.* ubi: *non quod Imperatorum leges, quibus sæpe utitur Ecclesia contra hæreticos, sæpe contra tyrannos atque contra pravos quosčunque defenditur, dicamus penitus respuendas.*

5. Porro posse hujusmodi leges civiles approbari, eisque authoritatem tribui ab Ecclesia seu Papa, constat ex *cit. c. Ecclesia S. Mariæ.* ubi: *nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* In quo casu non obligabunt clericos in vi secularis; sed potestatis ecclesiasticę, a qua approbationem & confirmationem, sicque authoritatem obligandi clericos acceperunt. Quam tamen approbationem & confirmationem per hoc non acceperunt, quod earum aliquę insertę sint Decreto Gratiani; cum is nullam potestatem habuit leges civiles canonizandi vel approbandi. Jo. And. *de rescrip. c. 2 n.* 33. & *seq.* Felin. *ibid. n.* 39. & 44. sed solus Papa, non item Pręlati ecclesiastici alii inferiores. Imol. *in c. Ecclesia. h. t. n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 70. Fit vero talis confirmatio a Papa quandoque per speciale decretum. Qualiter Joannes 3. confirmavit titulum primum Codicis. *de sum. Trinitate & fide catholica*, ut liquet ex literis ejusdem Papę ad Justinianum Imperat. datis, quę *ibidem* verbatim allegantur. Dein si Papa in suis decretalibus quandam Imperatoris de rebus ecclesiasticis constitutionem allegaverit, quamvis tunc ejusdem leges taliter canonizatę non amplius dicantur leges civiles, sed canones. Fagn. *in c. inter alia. de immunit. Eccles. n.* 2. & 6. Reiffenst. *ad h. t. n.* 297. Ac denique, ut dictum, dum tales imperiales constitutiones, quę ex objecto videbantur utiles, non ob-

non obstante, quod specialiter loquerentur de ecclesiis, rebus & personis ecclesiasticis, generali ecclesiarum usu acceptantur. Occasione cujus illud hic notandum, a jure canonico potissimum approbatas esse leges civiles, maxime Cæsareas, modo non sint contrariæ S. Canonibus; non tamen ita jura municipalia seu statura specialia locorum contra vel præter jus commune a Magistratibu inferioribus edita. Abbas *in repet. c. Ecclesia n.* 14. & *in cap.* 1. *de novi oper. munciat.* Pirhing *n.* 81. quem vide.

6. Resp. secundo statuta quoque a Magistratu lata generaliter toti communitati, nulla in specie facta mentione ecclesiarum vel personarum ecclesiasticarum, quantumcunque alioquin justa sint & rationabilia, non comprehendunt ecclesias aut personas ecclesiasticas aut earum bona in præjudicium earundem. Pirh. *h. t. nu.* 83. citans Abb. *in c. Ecclesia. h. t. n.* 1. Felin. *ibid. nu.* 8. Sicut enim Magistratus sæculares expresse & specialiter nihil disponere possunt de ecclesiis & personis ecclesiasticis earumque bonis ob defectum potestatis in illas earumque bona, ita nec tacite seu generaliter possunt de iis quicquam disponere; cum lex vel statutum tale generale non debeat nec possit extendi ad non subjectos potestati seu jurisdictioni legislatoris vel statuentis, sed verba generalia legis vel statuti sint restringenda ad limites potestatis statuentis, ut non comprehendant nisi subditos. Abbas *in c. a nobis, de sent. excom.* Sed neque quod statutum alias secundum se sit æquum & justum, tribuit hanc potestatem statuenti in non subditos. Nec dicas, istiusmodi legibus in genere imponentibus talia onera clericos non obligari ea eo, quod laici potestatem jurisdictionis in ecclesias, personas & res ecclesiasticas habeant, sed ex vi taciti pacti alicujus seu consensus Ecclesiæ vel Papæ ex quadam æquitate juris naturalis, qua, cum clerici sunt partes & membra Reip. & communitatis civilis, gaudeantque communibus commodis ac juribus, æquum est, ut etiam communia onera & gravamina ferant juxta *Reg. Jur.* 55. *in* 6. Nam imprimis tale pactum & consensus allegari nequit, cum Pontifices non solum in Canonibus & Decretalibus antiquis, sed etiam in novis constitutionibus suis tales leges & statuta sæcularium Magistratuum damnent & reprobent, ac ipso jure irritas, nullamque habere vim obligandi clericos declarent, non obstante, quod per tempus immemoriale hujusmodi onera sint clericis imposita, aut ab iis exacta, etiam sub prætextu & fama privilegii Apostolici, vel quod hujusmodi constitutiones & Bullæ non sint publicatæ vel usu receptæ, ut patet ex Bulla Urbani VIII. edita anno 1641. 23. Decemb. incipiente *Romanus Pontifex* & Bulla Cœnæ quotannis promulgari solita. Dein tales leges & statuta niti nequeunt æquitate naturali; cum quod personæ ecclesiasticæ fruantur communibus juribus & commodis Reip. seu civium, id eis debeatur ob administrationem Sacramentorum & spiritualia officia, quæ clerici laicis continuo præstant; adeoque non debent ab illis aliis oneribus gravari contra eorum jura & privilegia utroque jure stabilita, dicente Apostolo 1. *ad Cor.* 9. *v.* 7. *Si vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Neque etiam titulo defensionis possunt Principes sæculares contra immunitatem ecclesiasticam gravare seu onera imponere personis ecclesiasticis earumve bonis; quia ad hanc defensionem in officio tenentur; nemo autem possit juste exigere aliquid, vel onus imponere ratione ejus, ad quod ex officio & justitia tenetur, Laym. *in c. ecclesia h. tit. n.* 6. Pirh. *n.* 83. *in fine.* Unde jam in specie deduces sequentia. Primo non obligari personas ecclesiasticas statuto, quo Magistratus sæcularis statuit, ut si quis incolarum ex civitate migret alio, ex bonis, quæ secum defert, teneatur solvere Fisco vel communitati partem aliquam. Laym. *l. c. n.* 7. Pirhing *n.* 86. Secundo statutum municipale, quo statueretur, ut res immobiles sicut mobiles triennio præscribantur, non obligare personas ecclesiasticas, sed quo ad illas irritum esse; cum sit contra libertatem ecclesiasticam. Pirh. *nu.* 88. citans Gail. *l.* 2. *observ.* 32. *n.* 4. ubi ita decisum esse ait in Camera Imperiali.

7. Resp. Tertio. Legibus & statutis civilibus, quæ non facta expressa mentione ecclesiarum, rerum aut personarum ecclesiasticarum ob publicam utilitatem seu necessitatem generaliter præcipiunt aut prohibent quidpiam ecclesiis & statui ecclesiastico ejusque privilegiis non repugnans, sed clericis & laicis commune deserviens ad rectam Reip. gubernationem (quales sunt v. gr. prohibentes, noctu deferri arma, exportari frumenta, statuentes valorem pecuniæ, pretium mercibus, formam contractibus, testamentis, judiciis.) His inquam legibus pariter ligari quo ad vim directivam clericos, religiosos, ac sæculares & laicos, contra Decium *in c. Ecclesia S. Mariæ h. t. n.* 24. Nav. *conf.* 3. *de const. consil.* 3. *n.* 4. Sperellum *decis.* 13. *fori Eccles. a n.* 4. & paucos alios cum communi tam Canonistarum quam TT. tradunt Abbas *in cit. c. Ecclesia S. Mariæ n.* 13. Fagn. *ibid. nu.* 29. Covar. *practicar. c.* 33. *nu.* 94. Suar. *de LL. l.* 3. *c.* 33. *nu.* 6. Vasq. 1. 2. *d.* 177. *c.* 4. Bellarm. *de cler. c.* 28. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 13. *nu.* 1. Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 24. §. 6. *n.* 1. Card. de Luc. *tom.* 1. *disc.* 8. *miscellan. n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 79. Wiestner *ad h. t. n.* 116. Reiffenst. *num.* 301. &c. qui etsi omnes in eo consentiant, maxime tamen in eo, unde oriatur hæc obligatio dissentiunt. Nam

8. Primo docent Vasquez *l. c.* Azot. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 12. *q.* 3. Salcedo *in pract. canon. cap.* 55. *vers. non tamen intelligat.* apud Castrop. *l. c. nu.* 3. quos sequuntur Wiestner *l. c.* & *num.* 117. Reiffenst. *a n.* 302. hanc obligationem legum civilium, quatenus clericos & religiosos afficit, non oriri immediate & directe ex vi ipsarum harum legum, sed ex æquitate naturali, exigente eas semel latas ad pacem & felicitatem Reipublicæ conservandam ab omnibus Reipublicæ membris æqualiter observari, ubi statui nulli specialiter repugnant; quemadmodum eadem æquitas exigit, ut leges, quarum materia subditis & legislatori communis est, ab eo quoque observentur. Addit etiam Reiffenst. *n.* 303. quod teneantur jure tum naturali, tum divino ob vitandum scandalum proximi: dum nimirum scandalizantur subditi sæculares, & a debita harum legum observantia retrahuntur, quando vident, clericos statum perfectiorem profitentes, & ceteros ad eandem legum observantiam adhortantes, passim ac libere contra tales leges operari. Verum contra hanc sententiam esse videtur, quod non magis peccent cives exempti ab alicujus legis obligatione per hoc, quod non conformentur in obligatione illius aliis civibus, quam legitime dispensati in tali lege. Item quod etsi clerici cum laicis sint membra ejusdem Reip. dissonantia tamen nulla sit in hoc, quod in modo procedendi non conformentur aliis; cum in qualibet rep. non omnes personæ eodem modo obligatæ esse debeant, imo, ut ait Castrop. *n.* 4. potius varietas in hac parte sit quædam uniformitas. Qua ratione Equites & Nobiles non subeunt eadem onera ac plebei, neque tamen exinde causetur dissonantia.

9. Secundo docet Suarez *de LL. l.* 3. *c.* 3. & *c.* 34. *num.* 13. leges civiles qua tales non obligare personas ecclesiasticas, sed solum, quatenus a Papa approbatæ & canonizatæ ad hunc effectum, citanturque ab eo plures, scilicet Decius *in c. Ecclesia h. t. n.* 3. Marius Mantua *ibidem n.* 23. Maranta *d.* 8. *num.* 17. & 47. Rebuff. *in comment. ad constit. Galliæ tom.* 1. *in proæm. gl.* 1. *n.* 62. &c. quos tamen omnes, ait Castrop. *nu.* 4. solum dicere, has leges civiles approbari a Papa, & neminem eorum dicere, quod seclusa hac approbatione vim obligandi ecclesiasticos habeant; sed potius supponere, ideo esse approbatas, quia vere leges erant, & approbatione dignæ, uti ex ipsis textibus, *c.* 1. *de novi oper. munciat.* & *c. intonuis. de arbitris*, in quibus se fundat potissimum Suarez, potius colligi, has leges civiles obligare clericos ratione sui, quam ea approbatione Papæ; cum in iis decidantur casus ea solum ratione, quia legali constitutioni adversabantur, adeoque supponit Papa, legalem illam constitutionem ex se vim habere.

10. Tertio docet Castrop. *n.* 6. citans Salas, *de LL. d.* 14. *s.* 8. *a n.* 94. ac dicens, secum sentire fere omnes a se sub initium §. citatos ut sunt Molin. *de Just. tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 32. *sub finem.* Bellarm. Covar. Bonac. &c. nimirum dictas leges civiles per se & directe obligare clericos; eo quod clerici sint cives & partes præcipuæ Reip. civilis, ac proinde gubernatori politico Reip. debeant esse subjecti. Gubernator autem politicus in tali republica habens jurisdictionem temporalem non sit Papa, sed Rex aliusve Princeps sæcularis. Sed neque jure divino aut humano clerici exempti sint a gubernatione politica Reip. adeoque teneantur ejus legibus recipientibus bonam gubernationem, non secus ac reliqui cives. Non jure divino, contrarium potius innuente Apostulo *ad Rom.* 13. *v.* 1. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*, quæ verba D. Chrysostomus *homil.* 23. *ad Rom* extendit ad clericos, dum ait: *sive Apostolus sit, Evangelista, Propheta, nec enim pietatem subvertit illa subjectio:* postquam paulo supra dixerat, Christum leges suas non ad hoc induxisse ut politicas evertat, sed ut ad melius instituat. Non jure humano; cum jure canonico ejusmodi leges sæpe præcipiantur observari. Unde jam, cum personæ ecclesiasticæ dicuntur exemptæ a jurisdictione laicorum, intelligi id debet quo ad vim coercitivam seu punitionem, & quo ad vim directivam in rebus spiritualibus tantum, & quæ eorum immunitatem spectant. Ita fere Castrop. cujus sententiam probabiliorem censeo. Cur autem potius hæ leges generales, non facientes expressam specialem mentionem de personis & rebus ecclesiasticis, obligent, quam aliæ facientes illam

men-

mentionem, ratio bene assignatur a Reiffenst. *nu.* 351. quod sic nulla prætendatur in eas superioritas.

11. Illud tamen hic observandum, quod dum leges civiles reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum &c. in pœnam delicti proprii vel parentum, non obligent personas ecclesiasticas; sed quo ad illas sint irritæ; cum sint leges pœnales, & vim coactivam contineant. Navar. *l.* 1. *cons.* 3. *n.* 5. *h. t.* Suar. *lib.* 4. *de defens. fidei c.* 16. *num.* 21. Laym. *Th. Mor. c.* 13. *n.* 5. quos citat & sequitur Pirb. *n.* 89. sic v. gr. statutum disponens, ut illi illegitimi de bonis suis testari nequeant, non extenditur ad clericos; idque non solum quo ad bona acquisita ex quacunque causa post clericatum susceptum, utpote quæ subjecta non sunt Magistratui sæculari (cum enim personæ ecclesiasticæ sint exemptæ a jurisdictione sæculari per clericatum, consequenter etiam illarum bona) Abbas *in c. ecclesia h. t. n.* 26. Sed etiam quo ad bona ab iis ante clericatum acquisita. Siquidem hæc bona illegitime nati ratione statuti non sunt per se obligata Fisco, sed tantum per accidens propter personam subjectam, si ea subjecta maneat usque ad mortem, antequam tale statutum effectum suum sortiri nequit, secus si eximatur a sæculari magistratu, uti fit per clericatum susceptum; eo ipso enim res quoque illius seu bona eximuntur. Layman *loc. cit. num.* 7.

12. Resp. tertio. Legibus civilibus quo ad vim coercitivam seu punitivam non obligantur clerici aut religiosi, ita ut hi obnoxii non sint pœnis statutis transgressoribus illarum legum per leges ipsas aut sententiam a potestate sæculari infligendis. Cum potestate sæculari omne judicium sublatum sit in ejusmodi personas, & cujuscunque criminis, adeoque & harum legum violatarum reæ ratione pœnæ conveniendæ coram Prælatis Ecclesiasticis, prout habet certa & communis sententia, & patet ex textibus, *c. si clerici c. qualiter ait de judiciis, c. nullus, c. si diligenti de foro compet. cap. sæculares tit. eod. in* 6. *c. si Judex de sent. excom. in* 6. qui non solum probant de punitione, quæ causæ cognitionem requirit, sed etiam de punitione, quæ ipsi delicto annexa est; cum & hæc sit quædam virtualis sententia lata, non adversus communitatem, sed adversus quamlibet personam delinquentem, ut Castrop. *n.* 7. Sed neque potestati præcipiendi per se ita conjuncta potestas puniendi, quin ex privilegio illa ab hac separari queat, uti de facto contigit, dum clerici, per se & ex natura rei non secus ac laici transgredientes tales leges politicas a sæculari magistratu puniri poterant, ex privilegio & exemptione iis concessa a Christo vel Papa puniri nequeunt ab alio, quam a Judice ecclesiastico, qui eandem pœnam impositam transgressoribus laicis per leges politicas imponere potest clericis, non tamen tenetur, sed eam pro arbitratu moderari potest. Castrop. *n.* 7. in hoc convenire dicens Suar. *de LL. c.* 34. *nu.* 15 & 18. Vasquez *cit. d.* 167. *c.* 4. *n.* 30. Covar. *l. c. n.* 33. *n.* 7. Bellarm. *l. c.* Bonac. &c. Neque Judex aut Magistratus sæcularis clerico ferenti arma noctu contra legem id prohibentem sub amissione armorum ea auferre potest. Neque pecuniam extorquere per modum mulctæ impositam ingredienti sylvas venandi gratia aut etiam non contribuentibus pro reparatione viarum, dum hæc requirunt cognitionem causæ; cum tunc tantum coram Judice ecclesiastico conveniri possint clerici qua tales exempti a potestate civili quo ad tribunalia & judicia juxta *cap.* 2. *de foro compet. c. clerici c. etsi clerici de judiciis.* Castrop. *n.* 9. citans Jo. And. Abb. Felin. *in c. Ecclesia h. t.* Lopez. Castillo & alios contra Cassan. *in consuet. Burgund. rub.* 1. *§.* 9. Mexiam & alios. Dum tamen pœna exigenda est de plano absque aliqua controversia judiciali, qualiter Judices exigere solent ad solam declarationem ministrorum, qui ad tales exactiones designati sunt, Judices sæculares posse illas exigere ab ecclesiasticis, & si noluerint solvere, posse ab iis accipi aliquid in pignus solutionis; eo quod hæc non in pœnam violatæ legis accipiantur, quam in reparationem damni seu in contributionem debitam, ait Castrop. citans pro hoc Salzed. *in pract. c.* 55. *pag.* 173. Avendan. *de mandat. Regum p.* 2. *c.* 14. *n.* 13. Lopez &c. Arma vero auferri non in pœnam legis, sed ne clericus illis deinceps utatur in violationem legis; quamvis addat, non posse in hoc casu arma auferri clerico a Judice laico, nisi ea eorumve valor postea sit restituendus, vel a Judice ecclesiastico in illorum privationem damnetur citat pro hoc Salas *d.* 14. *s.* 9. *n.* 107. Sa & Covar. De cetero qualiter contra clericos nullatenus procedi possit quo ad irrogandam pœnam, nulla etiam valente in contrarium consuetudine, vide fuse tractatum a me *in foro benef. p.* 3. *q.* 176. Porro nomine clericorum hic veniunt omnes, qui gaudent privilegio fori, qui autem hi sint, alibi dicendum. Denique quod hucusque dictum de clericis, idem dicendum de religiosis. Castrop. *n.* 10. Attendenda sunt privilegia Principum pro quo vide *Cleric. de Sacril. in person. Sacr. cap.* 27. qui citat Pignatel & alios.

QUÆSTIO CXI.

Specialis. An leges tributariæ seu vectigales obligent Ecclesiasticos.

Resp. Leges civiles latæ de solvendis ac præstandis vectigalibus, tributis, angariis, collectis, & similibus exactionibus non comprehendunt personas ecclesiasticas, & in quantum eas comprehendere intendunt, sunt irritæ, quia contra earum immunitatem & privilegia utroque jure concessa, *c. non minus, c. adversus de immunit. eccles. cap.* 1. & *c. clericis tit. eod. in* 6. Laym. *in c. ecclesia h. t. nu.* 7. Pirh. *h. tit. n.* 84. Suntque ejusmodi statuta sub pœna excommunicationis prohibita, *c. noverit. c. gravem de sent. excom.* quod intelligendum videtur de statutis directe & expresse personis ecclesiasticis istiusmodi tributa imponentibus. Sic statutum municipale, quo decernitur, ut omnia prædia & bona sita in territorio Magistratus sæcularis deinceps in perpetuum fiant tributaria, ita ut ad quoscunque possessores perveniant, hi solvere teneantur contributiones seu collectas, quas Magistratus quocunque tempore imposuerit, & solvi jusserit, tale, inquam, statutum non comprehendit ecclesiasticos & ecclesias, ubi ad eas talia bona pervenire postmodum contigerit. Pirbing *n.* 85. hanc dans rationem, quod, cum tales collectæ seu tributa sint variabilia, nec perpetua, nec certam præstationem habentia, non inhæreant rebus ac bonis, sed imponantur a Magistratu sæculari personis propter bona, non possint imponi nisi subditis. Clerici autem non sint subjecti Magistratui sæculari. Unde etiam dicendum contrarium, nimirum, si prædiis ipsis, dum ea pertinebant ad laicos, impositum est a Magistratu sæculari onus sive tributum mere reale, certum invariabile ac perpetuum, adeoque ipsis inhærens, & cum iis ad quemcunque possessorem transiens, hoc etiam solvendum sit personis ecclesiasticis, si ad illos ea bona pervenerunt. Felin. *in c. Ecclesia h. t. n.* 76. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 13. *q.* 1. Pirh. *cit. n.* 85.

QUÆSTIO CXII.

Quid hac in parte sit circa leges & statuta municipalia prohibentia, ne res seu bona immobilia externis non subditis in genere, vel etiam ecclesiis vel personis ecclesiasticis, sive eæ seculares, sive regulares, sive extraneæ sive ejusdem sint territorii, vendantur, donentur, legentur, vel pignori obligentur, aliove modo in illas alienentur.

1. Resp. ad primum. Leges prohibentes generatim, ne bona immobilia vendantur aut alienentur in extraneos non subditos, non obligare ecclesiasticos, adeoque hos licite ea posse vendere extraneis, certum ait Pirhing *h. tit. n.* 90. citando pro hoc Jo. And. *in c. ult. de immunit. eccles. in* 6. *n.* 2. Francum *ibid. n.* 1. & 2. Gail. *l.* 2. *observat.* 32. *n.* 3. & dando rationem, quod lex non extendatur ad non subditos, quales respectu legis civilis sunt clerici.

Verum non videtur hæc satis congruere responsioni nostræ tertiæ; cum tales in genere latæ de non vendendis bonis immobilibus extraneis, non magis videantur contrariæ immunitati ecclesiasticæ, quam leges vetantes exportare frumenta extra patriam, statuentes valorem monetæ, pretium mercibus, formam contractibus &c. quibus tamen obligari ecclesiasticos, dictum est ibi.

2. Resp. ad secundum. Leges Principum sæcularium vetantes, ne subditi ecclesiis aut personis ecclesiasticis vendant, donent &c. bona immobilia, sive, quod idem est, statuentes, ne Ecclesiæ vel personæ ecclesiasticæ acquirant istiusmodi bona, utpote præjudicantes, derogantes, & magnopere libertati ecclesiasticæ sunt irritæ, quin & prohibitæ sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Argumento *c. fin. de immunit. eccles. in* 6. ubi statuitur: eos, qui temporale dominium obtinentes suis subditis, ne Prælatis aut clericis seu personis ecclesiasticis quicquam vendant vel emanat ab iis &c. interdicunt; cum talia in derogationem ecclesiasticæ libertatis præsumant, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere decernimus &c. quibus verbis etsi expressa mentio non fiat de vendendis bonis immobilibus, cum tamen sint generalia; sitque par & eadem adæquata ratio in bonis quoque immobilibus, quæ est in aliis legislatorem movens, ad dictum canonem constituendum, & pœ-

& pœnam excommunicationis intentandam, nimirum quæ in ipso textu exprimitur: *cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ præsumant:* (id est, attententur illicite, vel etiam, ut aliqui volunt, præsumantur a jure & de jure, contra qualem præsumptionem juris & de jure, cum non admittatur probatio in contrarium. *L. is qui fidem juncta gl. v. præsumptionem ff. de sponsal.* idem est, ac si canon dixisset: *libertati derogant* ut Diana, *p. 6. tr. 3. resol. 4.*) merito censendum est, ea non minus comprehendi, quam quæ in dicto canone verbis expressa tanquam casus certi exempli gratia, aut quia de facto ita contigerunt, ibidem positi sunt. Siquidem exempla non restringunt regulam ad casus in lege vel canone expressos (foret enim alias jus canonicum non jus universale & commune, sed particulare, resolvens non nisi casus particulares; cum pleraque responsa summorum Pontificum, ex quibus constat, præcipue decretales, data sint ad casus particulares sedi Apostolicæ propositos:) sed mens & ratio legislatoris, quæ anima est legis. *L. scire ff. de LL. l. non dubium C. eodem.*

3. Atque ita hanc responsionem tenent Theologi & Canonistæ communiter, quorum plurimos citat Diana *l. c. resol. 6.* contra plures Legistas. Et sic dictum *c. fin.* explicant Jo. And. Franc. Anchar. *ibidem*; sive statutum feratur sic, ut prohibeat vendere res immobiles generatim non existentibus sub jurisdictione statuentium (quales sunt ecclesiastici quisdem de cetero territorii, & sæculares alii extranei) sive feratur ita, ut expresse prohibeat subditis, ne vendant res immobiles clericis. Et inter alios sic ait Anchar. *in cit. c. not. 3. col. 2. præterea, si expresse hoc statuissent, quod subditi non possunt ecclesiis (& ecclesiasticis personis) donare, vendere vel vel inquere, tum essent excommunicati ipso jure statuentes, & qui ita fecerint observari, quia sic statuere est contra libertatem concessam Ecclesiis, & contra privilegia data universali Ecclesiæ a Deo & ejus Vicario vel Imperatore, ergo ad hunc modum perversum* (scilicet statutum generaliter prohibens, ne venditio rerum immobilium fiat non subditis) *cum sub generalitate non veniant illicita, non pertinent ecclesiastici,* Confirmatur hæc responsio primo. Dubium esse non potest, per istiusmodi leges gravissime violari libertatem ecclesiasticam, dum per eas non tantum violantur privilegia iis concessa jure communi positivo, tam canonico quam civili, qualia sunt immunitas a solvendis gabellis & contributionibus, & privilegium exemptionis a foro sæculari &c. sed etiam aufferuntur iis jura, quæ iis jure divino seu naturali & gentium competunt, sive ea, quæ eis communia sunt cum aliis membris reipubl. etiam laicis, qualia jura ex jure naturali vel gentium provenientia subditis suis nullus Magistratus, etiam summus, statuendo tollere potest *§. singulorum Inst. de jure natur. gent.* Felin. *in c. Ecclesia h. t. n. 42.* cum communi, nisi ex gravissima causa vel in pœnam delicti. Adeoque multo minime Princeps sæcularis per statutum tale jus acquirendi & retinendi bona immobilia, cujus jure naturali ac gentium capaces sunt, aufferre potest non subditis, nempe clericis, & quidem toti statui clericorum sæcularium & regularium in aliquo regno vel provincia, cum non sint deterioris conditionis, nec minus cives & membra Reip. quam opifices & alii mechanici ac plebei. Unde etiam evadit injuria hæc per tales leges irrogata clericis longe gravior, dum non tantum violatur libertas Ecclesiæ legalis & canonica, derogando nimirum per hoc eorum privilegiis jure positivo iis specialiter præ laicis concessis, sed etiam libertas Ecclesiæ naturalis, quæ ei competit jure naturali & gentium, Quare & Cajet. apud Pirh. *h. t. n. 93.* vere dicit, talia statuta non esse contra libertatem ecclesiasticam proprie & stricte dictam, esse tamen contra humanam societatem; adeoque contra jus naturale & gentium, quæ est gravior læsio & injuria. Ac proinde multo maxime feriuntur ipso facto excommunicatione generaliter lata *in c. novit. & c. gravem de sent. excom.* contra omnes, qui statuta fecerint contra Ecclesiæ libertatem, quique secundum illa præsumpserint judicare, aut etiam jura Ecclesiæ aufferre conantur, vel quodcunque gravamen Ecclesiæ imponunt. Glossa *ibid. v. Ecclesia libertatem.*

4. Confirmatur secundo responsio specialiter, nimirum quod præterquam istiusmodi statuta sint injusta, sint etiam omnino irrita & nulla. Primo ex *cit. c. fin. de immunit. Eccl. in 6.* ubi generaliter decernitur, quod statuta, quæ derogant libertati ecclesiasticæ, non teneant. Dein, ut ait Pirhing *n. 94.* ratione fundata in principiis omni jure naturali & humano receptis, ut statutum valeat, requiritur in statuente legitima potestas; sed Magistratus sæcularis nullam potestatem habet, aliquid cedens in præjudicium & gravamen ecclesiarum vel personarum ecclesiasticarum aut jurium illarum statuendi, præcipiendo vel prohibendo directe vel indirecte, paria enim sunt, directe & indirecte facere aliquid contra privilegium vel jus alterius, sive in fraudem ipsius, *c. quanto de privileg.* & in moralibus æquivalent directum & indirectum; & tam directa quam indirecta violatio jurium ecclesiasticorum utroque jure reprobatur: cum in utroque casu idem operetur. Abbas *in c. Ecclesia h. t. nu. 27.* Suar. *l. 3. de LL. l. 34. n. 3.* Pirhing *n. 94.* Jam vero licet lex talis vel statutum, spectatis præcise verbis directe & immediate videatur solum disponere de bonis immobilibus suorum subditorum, quibus prohibet illa vendere vel donare ecclesiis vel clericis, adeoque non excedere limites potestatis suæ; reipsa tamen & in effectu ac indirecte disponit de personis ecclesiasticis in grave earum præjudicium, dum prohibendo subditis, ne bona vendant aut alienent personis ecclesiasticis, consequenter has prohibet & impedit acquirere illa, quorum jure naturæ & gentium sunt capaces, ergo tale statutum ob notorium defectum potestatis in statuentibus omni jure invalidum, nullam penitus vim obligandi, neque in foro interno neque externo habet.

5. Confirmatur tertio. Quod & tale statutum sit contra religionem, adeoque, si non positive impium, saltem non pium; cum evertat omnes fundationes & dispositiones ad causas pias, ita ut nemo deinceps hæreditaria sua bona immobilia testamento, legato, vel donatione inter vivos relinquere possit ecclesiis ad obsequium & gloriam Dei pro salute animæ suæ, & redemptione peccatorum suorum, cum tamen causæ piæ non solum utroque jure humano, sed & divino sint favorabiles. Certe si statuta talia olim facta fuissent, nullos haberemus Episcopatus aut ecclesias regulares & sæculares dotatas.

6. Neque contra hanc sententiam communem Theologorum & Canonistarum opponas primo: saltem propter authoritatem plerorumque legistarum sentientium contrarium eidem conciliari probabilitatem extrinsecam, ut quis tuta conscientia illam sequi possit. Nam dum hæc quæstio, non ex jure Cæsareo seu legibus civilibus (quamvis & hæ ipsæ aperte satis nostram responsionem loquantur) decidi debet; dumque in oppositum stant Canones communisque Canonistarum & Theologorum, ac ratio convincens, legistarum communiter non æque in jure canonico ac civili peritorum opinio illa nullo solido, quin & falsa nixa fundamento probabilitatem nequaquam gignere potest. Siquidem ab authoritate improbabili & incerta nullum sumitur argumentum, ut ex Baldo Nicol. Everh. *in locis argumentor. legalib. loc. 95. ab author. n. 3. & 5.* & in hoc Pirh. *n. 94.*

7. Neque secundo. Quod talia statuta ferantur ob bonum publicum totius Reip. dum, si bona hujusmodi transeant ad ecclesias vel personas ecclesiasticas de jure exemptas ab exactionibus & collectis, quæ alias poterant dictis bonis a Magistratu sæculari imponi. id cedat in gravissimum detrimentum & Reip. & subditorum laicorum, qui exinde plus contribuere coguntur. Nam imprimis necessitas & ratio publici boni dare non potest jurisdictionem. Felin. *in c. ecclesia h. t. n. 29.* Suarez *l. de immun. ecclesi. c. 32. n. 8.* sed ea est vel a lege, vel supremo Principe, aut consuetudine legitime præscripta, *c. duo de off. jud. ordinar.* ergo Magistratui sæculari, cui hoc ipso quod sæcularis est, nulla jurisdictio competit erga personas & res ecclesiasticas, jurisdictio acquiri nequit ratione necessitatis & boni publici. Dein in casu gravis necessitatis & utilitatis publicæ, communis clericis & laicis, dum bona laicorum non sufficiunt, ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ quoque contribuere tenentur ratione bonorum immobilium, non tamen ad impositionem & exactionem Magistratus sæcularis propria illius authoritate facta. Sed servato modo & conditionibus præscriptis in jure canonico & Conciliis generalibus *in c. non minus, c. adversus, de immunit. eccles.* adeoque illa ecclesiarum & ecclesiasticorum exemptio a contributionibus cedere non potest in grave præjudicium & gravamen laicorum.

8. Tertio. Quod quilibet privatus possit prohibere, ne res sua immobilis transeat in ecclesiam aut personam ecclesiasticam v. gr. dum eam concedit in feudum vel emphyteusio cum hac conditione, ne eam vendat vel donet monasterio alicui aut collegio clericorum; cum per hoc reddatur conditio Domini directi deterior; quia perit spes solvendi unquam laudemium, aut conjungendi dominii utilis cum directo. Nam non valet argumentum a pacto vel statuto privatorum ad legem vel statutum Magistratus publici. Felin. *in cit. c. ecclesia n. 29.* siquidem disparitas in eo est, quod quilibet privatus potest per pactum vel statutum prohibere, ne res sua alienetur extra familiam, transeat ad ecclesiam, quia id facit jure dominii seu proprietatis, quo quilibet est suæ rei moderator & arbiter *l. in re C. mandati*, & de re sua disponere potest. Princeps vero seu Magistratus secularis

non

non habet dominium directum seu proprietatis, nec utile in bona immobilia, quæ jure pleno spectant ad privatos, sed solum potestatem jurisdictionis. Ideoque non potest generatim per legem vel statutum dispenere, ne ea bona immobilia aliaque quæcunque alienentur in ecclesias vel personas ecclesiasticas, præsertim cum derogatione juris & privilegii earundem.

9. Nec quarto, quod in multis regnis & provinciis communi praxi talia statuta fiant & observentur. Nam, non quid fiat aut factum sit, sed quid fieri debeat, spectandum sit, neque exemplis judicandum, *L. sed neque ff. de off. Præsid. juncta gloss margin. ibidem*, & non sunt exempla, nisi bona, sequenda. Diana *l. c.* Sed neque huic facto patrocinatur quicquam, quod non possit nescire, talia statuta in pluribus provinciis orbis Christiani esse condita, & in viridi observantia, præsertim ubi sunt Nuncii Apostolici, non enim per hoc censentur illa approbare; cum tacitus consensus Principis non possit præsumi, ubi jure communi contrarium est expressum, & ubi de facto ipsi Summi Pontifices & Concilia generalia talia statuta reprobarunt ut illicita & invalida: ut videre est apud Dian. *l. c. resol.* 5. quin & Pontifice *in c. dudum de præb. in fine* & alibi expresse dicente: *per patientiam toleramus, quæ non approbamus*: præsertim in iis, quæ sunt prohibita sub pœna excommunicationis, ad vitanda scandala & alia graviora mala, quæ inde oriri possent Ecclesiæ.

10. Neque quinto. Quod per talia statuta non privantur ecclesiæ vel clerici bonis acquisitis, sed solum acquirendis. Nam sicut Princeps statuere nequit de bonis ecclesiarum acquisitis, ita nec de acquirendis ex eodem principio, nempe ex defectu potestatis, & SS. Canones loquentes de privilegiis jure communi concessis ecclesiis, non distinguunt inter bona acquisita & acquirenda, & generaliter privilegia concessa ecclesiis sunt data super bonis acquisitis & acquirendis, *c. ita enim caus. 50. q. 2. L. jubemus. C. de SS. ecclesiis.*

11. Neque sexto. Quod, non obstante tali statuto, adhuc bona immobilia donari vel testamento relinqui possint ecclesiis, ita tamen, ut ab iis non retineantur, sed vendantur, & pretium inde confectum dari possit ad censum annuum. Nam & hoc ipsum iniquum valde est, & Ecclesiæ præjudicans; cum bona immobilia etsi vastari non tamen auferri possint; census vero facile perdi, ut constat experientia, hoc tempore passim vix ullos census integre, quin vix ad medietatem solvi. Neque huic periculo occurri posse, stante tali statuto, per hypothecam specialem statutam in bonis immobilibus, dum & nomine alienationis veniat, hypotheca rerum immobilium, adeoque sicut harum, sic & illarum incapaces sint ecclesiastici. Porro quæ hactenus dicta de statutis probibentibus bona immobilia alienari in ecclesiasticos, eadem militat contra statuta disponentia, ut bona immobilia ab iis coempta, refuso a sæculari pretio, cogantur revendere & relinquere, idque, etsi sunt bona mobilia.

12. Quibus omnibus rite expensis, bene dicit Pirh. *n. 98. in fine*, non facile Principem timoratæ conscientiæ permissurum, se consiliis politicis induci ad tale statutum condendum. Nihilominus etiam notanda circa hoc punctum sequentia. Primo valere tale statutum, si de licentia & permissione Papæ conditum, aut ab eo confirmatum; & scit, & permittit in aliquo Regno, & Republica tale statutum, ut non retineantur bona immobilia ab ecclesiis & locis piis, sed vendantur intra quoddam tempus, cum is ex causa publica valde gravi non solum privilegiis juribusque ecclesiis & personis ecclesiasticis a SS. Canonibus concessis derogare possit, sed etiam permittere, ut ecclesiastici renuncient juri acquirendi & retinendi bona immobilia ob publicam necessitatem vel utilitatem; cum, quod horum acquirendorum & retinendorum capaces sint, sit ex jure naturali & gentium, non præceptivo sed permissivo. Pirh. *nu.* 86. Secundo quod si alicubi ecclesiastici abuterentur hoc suo jure ipsis cum laicis communi, nimis multa bona immobilia ad se trahendo, posse illos indirecte impediri, deferendo querelam ad eorum superiorem vel etiam Papam, ut ab iis restringatur immodica illa bonorum coacervatio, quæ avaritiam sapit, & scandalum parit, & sic tolli abusus, non tamen propterea omnino tolli usus per statutum generale a sæculi Principe editum, quo omnes indifferenter clerici privarentur, jure acquirendi talia bona. Sic enim, ut ait Pirh. totus status clericalis redigeretur ad statum ordinum mendicantium, qui bona immobilia etiam in communi possidere nequeunt; ex quo gravissima in ecclesias dictumque statum profluerent incommoda.

QUÆSTIO CXIII.

An & qualiter Religiosi obligentur constitutionibus & præceptis episcopalibus.

RESP. Exceptis casibus a jure expressis, nullis præceptis & constitutionibus Episcopi tenentur religiosi si exempti sint a jurisdictione Episcoporum; qualiter jam fere omnes exempti sunt. Suar. *de LL. l. 4. c.* 20. Castrop. *tr. 3. disp. 1. p. 24. §. 6. nu.* 1. Felin. *in c. dilectus de off. ordinar.* Constat ex *c. 1. de privileg. in 6.* & Trid. *Sess. 25. c. 12. de regular.* ubi solum præcipitur illis obedire in festorum observatione & interdicto & cessatione a divinis; unde bene infertur, quo ad alia exemptos esse. Sed neque ex debito uniformitatis, secluso scandalo, teneri illos has leges observare, cum habeant sufficientem causam excusationis ab hac uniformitate ex eo, quod, cum arctentur multis aliis observationibus suo statui annexis, cogi non debeant ad alia insuper præcepta episcopalia servanda. Suar. Castrop. *LL. cit.* Porro dum Th. Sanchez *l. 6. consil. c. 9. d. 1. nu.* 8. & cum eo Crimer. *h. t. nu.* 510. & 511. dicit, regulares jure communi exemptos esse a lege diœcesana Episcopi, non vero a lege jurisdictionis juxta *c. interdicimus* 16. *c. 1. c. inter cætera* 10. *q. 3. c. cum venerabilis, de religios. domib.* per legem diœcesanam intelligitur a Pereyra *in Elucidario n.* 196. quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ conferenda Episcopo, & ab hoc recipienda v. gr. cathedraticum; quarta pars funeralis, quarta vel tertia pars decimarum secundum diversas consuetudines; item lex, qua vocat clericos ad Synodum, exequias &c. per legem vero jurisdictionis, qua potest clericos ordinare, altaria & ecclesias consecrare, corrigere, suspendere, cognoscere de causis criminalibus & generaliter ad suam jurisdictionem pertinentia exercere.

QUÆSTIO CXIV.

An lex vel statutum obliget subditos absentes, seu extra territorium statuentis existentes.

1. RESP. primo in genere negative. Sanchez *de mat. d. 18. n. 38. & in decal. l. 2. c. 12. n.* 26. Suar. *l. 3. de LL. c. 32. nu.* 2. Azor. *tom. 1. l. 7. c.* 30. Less. *l. 4. de just. c. 2. dub.* 8. Sayr. *in clavi reg. l. 7. c. 3. nu.* 1. Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 55. cum communi juxta textum *c. ut animarum h. t. in 6.* & ibi DD. ubi: *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, furtum extra ejus diœcesin committentes, minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune* &c. hoc est, absque eo, quod pœna incurratur. Qui textus licet expresse loquatur solum de statuto Episcopi, nihilominus ob paritatem rationis ibi allatæ extenditur ad omnes leges sive constitutiones inferiorum legislatorum, quorum jurisdictio coarctata est inter limites proprii territorii. Reiffenst. *ad h. t. n.* 265. Ratio responsionis est, quod nemo possit exercere jurisdictionem, adeoque nec legem ferre aut statutum condere ultra limites jurisdictionis suæ, *l. fin. ff. de jurisd. omn. judic.* hoc autem faceret legislator aut superior, intendens per legem suam vel statutum obligare subditos suos existentes extra territorium. Lex siquidem & statutum, cum perpetuam ac stabilem obligationem habere debeat, per se & directe non tendit & fertur absoluto in personas, sed directe & immediate afficere censetur territorium, & personas non nisi dependenter a territorio vel diœcesi pertinente ad jurisdictionem ferentis legem, cui ea quasi affixa est & cohæret; cum pro illius pace & legitima gubernatione feratur, adeoque jus proprium civitatis dicatur *l. omnes populi ff. de just. & jur.* Sicut econtra præceptum, quia dictam stabilitatem non habet, tendit que directe & immediate in personas subditorum, utpote quarum particulare bonum spectat, quorum ossibus adhærere dicitur, eosque sequitur, in quocunque territorio existant. Layman *Th. Mor. l. 1. tr. 4. c. 11. n. 1. in fine*. Pirh. *ad h. tit. n.* 59. Suar. *de cens. d. 5. s. 5. n.* 15. Wiestner *h. t. nu.* 109. Tametsi igitur subditus a territorio absens maneat subditus quasi habitualiter & radicaliter, non tamen actu seu quo ad usum in ordine ad servandas leges vel statuta territorii proprii. Suarez *l. c. num.* 7. & ex eo Pirhing *h. tit. nu.* 55. Sic civis civitatis alicujus, ubi celebratur in foro certum festum, commorans in civitate vicina, ubi illud non celebretur, non tenetur eo die audire Sacrum. Versans extra diœcesin pro-

propriam eo tempore, quo ibi est jejunium, non tenetur jejunare.

2. Limitatur responsio primo; nisi lex vel statutum principaliter respiciat rem in territorio sitam, vel specialiter territorii commodum: tunc enim obligat subditos existentes extra territorium, v. gr. dum statutum prohibet, ne quis frumenta vendat, aut exportari curet extra patriam sub pœna amissionis eorum, vel etiam sub excommunicatione, ne arma vendat Barbaris; ne ager resve alia vendatur, nisi cum tali solennitate, quia ratione rei sitæ sortitur quis forum *l. fin. de foro compet.* Siquidem licet tunc existens alibi ibi delinquat, non censetur tamen simpliciter extra territorium delinquere; cum delinquat in injuriam territorii, adeoque quodammodo in illo. Sive, licet actiones materiales ac physicæ sint extra territorium, quia tamen damnum & injuria irrogatur diœcesi, moraliter in ea existunt, Castrop. *L. c. n. 16. & 19.* citans Covar. Salas, &c. Pirhing *nu. 57.* citans Suarez *de cens. s. 5. n. 17.* Layman *L. 1. tr. 4. c. 11. n. 3.* Neque tamen contra hanc limitationem opponas: videri ex illa sequi, nullam legem esse, quæ non possit ligare subditos extra territorium existentes; cum lex quælibet bonum communitatis respiciat, & de violante illam dici possit, quod injuriam & damnum vel in fortuna vel opinione inferat Reipublicæ. Nam actio prohibita per legem, & exercita in alieno territorio, cedere potest in injuriam & damnum Reipubl. a qua prohibetur, nimirum vel generaliter vel specialiter. Si specialiter cedit in injuriam Reipubl. ut contingit in exportatione frumentorum, venditione armorum facta exteris, utique existentes in alieno territorio ea lege ligari possunt. Secus, si tantum generaliter, quia nimirum non magis cedet in injuriam Reip. quæ tulit legem, quam alterius Reip. ut contingit in lege prohibente furtum, clericis accessum ad monasteria monialium &c. Nihilominus Castrop. *a nu. 20.* satis probabile esse dicit, quod etsi delictum non cedat specialiter in damnum Reip. statuentis, posse tamen illius statuto ligari ejus subditos existentes extra ejus territorium. Et sic v. gr. furtum, adulterium, aliamve actionem prohibitione dignam sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ubicunque demum committatur tale delictum. Rationem dat, quod id fieri possit per præceptum generale vel sententiam, ut cum communi Suar. *3. p. Tom. 5. d. 5. s. 5.* Bonacina &c. consequenter etiam per legem vel statutum; cum non minus per tale præceptum commune jus dicatur, quam per legem; adeoque si per tale præceptum dicere potest jus in subditos suos existentes in alieno territorio, possit id etiam per legem. Non enim ullum sequatur ex eo potius inconveniens, quod lege ligentur existentes extra proprium territorium, quam quod præcepto. Cum non labefactetur specialiter jurisdictio Judicis, in cujus territorio existit delinquens, Siquidem nullus actus jurisdictionis contentiosæ (utpote consistentis in citatione & comprehensione rei, convocatione & examine testium aliisque juris solennitatibus; & non tantum dicitur illa, quæ dicitur in invitum, cum alias neque præcepto speciali, neque generali, utpote cujus obligatio non minus quam leges censeatur invitum astringere) exercetur in alieno territorio, per hoc, quod lege lata in proprio territorio obliget ea subditum existentem in alieno. Quin & diversa sunt; legem imponere, & lege obligari. Prius fieri nequit extra territorium; cum, quæ ad legis impositionem necessaria sunt, inter quæ etiam est promulgatio legis, exerceri extra illud nequeunt. Posterius fieri potest, nimirum effectus legis, qui est obligatio, afficere potest personas existentes extra territorium, utpote quæ affectio fit insensibiliter & sine strepitu judicii. Atque ita generaliter concludit Castrop. *n. 22.* in omnibus, in quibus generale præceptum imponi potest subditis existentibus extra territorium posse etiam imponi illis legem; & econtra, in quibus casibus statutum ferri non potest adversus delinquentes extra territorium, non posse etiam ferri præceptum, pro quo citat Salas *de LL. d. 14. s. 7. num. 90.*

3. Limitatur secundo. Dum statutum est affirmativum, præcipitque aliquid fieri in territorio. V. gr. ut Canonici certo die compareant in capitulo, & solenni sacro intersint, resideant intra Pascha & Pentecosten sub amissione & privatione fructuum beneficii, obligatur tunc tali statuto absens a tali loco, & censetur delinquere in ipso loco, pro quo conditum statutum; cum omissio actus ibi censeatur fieri, ubi actus omissus fieri debuissent. Suar. *L. c. s. 4. nu. 8.* Azor. *p. 1. L. 5. c. 25. q. 2.* Pirhing *n. 56.* Castrop. *L. c. n. 14.* citans Bonac. Sylv. Salas &c. Si statutum est negativum, seu prohibens aliquid fieri sub pœna excommunicationis, censetur delictum committi contra illud, ubi delictum plene consummatur, tametsi delinquens existat extra territorium, v. gr. dum existens extra territorium, in quo homicidio non est annexa excommunicatio emissa sagitta occidit hominem existentem in suo territorio, ubi homicidio annexa est excommunicatio, adeoque inchoat homicidium seu delictum extra territorium, & consummat in illo, incurrit excommunicationem. Suar. *de LL. l. 3. c. 32. n. 8. & de censur. d. 5. s. 4. n. 9.* Pirhing *l. c.* Sic econtra, si quis inchoavit delictum in territorio proprio, & consummavit in alieno, v. gr. violavit virginem in alieno territorio, quam in proprio territorio decepit, & ad hoc induxit, non incurrit excommunicationem impositam stupro a legislatore proprii territorii, bene autem impositam illi alieno territorio, ubi stuprum consummavit. Castrop. *L. c. n. 4.* certum asserens, censuram non incurri ob inchoationem delicti, sed ob ejus consummationem; adeoque dum ea fit extra territorium imponentis, & consequenter jurisdictioni eam ferentis non sit subjecta, eam non incurri. De cetero, si sit sermo de pœna, quæ Judicis sententiam requirat certum esse dicit *n. 25.* nullum Judicem extra territorium suum eam ferre seu imponere posse, quia est actus judicii & jurisdictionis contentiosæ, sive imponatur ob delictum inchoatum, sive consummatum. Item communem sententiam esse, punire posse delicta a Judice loci, in quo consummata, etsi delinquens nullatenus ibi habeat domicilium; quia ratione delicti læsum illius territorium. Item delictum inchoatum in loco, ubi delinquens habet domicilium, posse a Judice illius loci puniri, non solum pœna debita delicto attentato, sed etiam consummato; quia delinquens ratione domicilii est illi subjectus. Item *nu. 27.* ait, esse communem sententiam, (pro qua citat Felio. *in c. fin. de foro compet.* Abbas *in c. postulasti tit. eod. n. 25.* Farinac. *L. 1. prax. tit. 5. q. 7. nu. 45.* Bartol. *in L. domi aium ff. de furtis.* Suarez *de cens. d. 5. s. 4. a num. 8.*) eamque tenendam, nimirum Judicem loci, in quo attentatum seu inchoatum delictum, etiamsi delinquens ibi non habeat domicilium, posse punire, non tantum inchoationem, sed etiam consummationem delicti factam alibi. Eo quod consuetudo gentium, ne delicta maneant impunita, utrique Judici delictum integre subdat. argum. *L. 1. C. ubi de delicto agi oport.* & licet reipsa & in rigore aliud sit, inchoare delictum, aliud consummare, quia tamen inchoatione via paratur consummationi, fieri ea moraliter in eodem territorio censetur, etsi quoad actionem physicam fiat in alieno. Et sic, licet consummatione extra illud facta non lædatur, potest tamen jus ratione inchoationis subdere personam puniendam, quoad totum delictum. Unde jam, ut existens extra territorium non obligetur statuto illius, aut etiam non incurrat pœnam delicto forte annexam, requiritur, ut & persona operans, & res circa quam operatur, & actus externus sit seu fiat extra territorium. Suar. *de LL. l. 3. c. 32. num. 8. & de cens. d. 5. s. 4. num. 9.* Pirhing *n. 56.* Castr. *l. c. nu. 13.* citans & Ugol. *de cens. tab. 1. c. 9. §. 3.* Sylv. *v. excomm. 2. nu. 8.* Covar. *in c. alma mater p. 1. §. 10. n. 3. &c.*

4. Econtra extenditur responsio ita, ut non tantum existentes extra territorium, sed etiam subditi existentes in locis exemptis intra diœcesin sitis non obligentur legibus vel statutis territorii. Cum locus exemptus, etsi quo ad situm sit in diœcesi, in ordine tamen ad Jurisdictionem Episcopi vel Principis territorii, a quo exemptus, æquiparetur loco extra diœcesin vel territorium sito. Pirhing *ad h. t. nu. 58.* citans Sylv. *v. excomm. 2. nu. 12.* Avil. *de cens. p. 2. c. 2. disp. 2. du. 5.* Hoc tamen intelligendum de loco omnino & per se, etiam quo ad populum exempto, ita ut Prælatus ejus loci quasi episcopalem jurisdictionem exerceat, excluso Episcopo diœcesano; cum in tali loco Episcopus nec per se, nec per alium, ne quidem valide possit exercere judicia, & pro tribunali sedere. Uti per sensum contrarium colligitur ex *c. cum Episcop. de off. ordinar. in 6.* ubi quod Episcopus in quolibet loco ipsius non exempto per se vel per alium possit sedere pro tribunali. Sic itaque v. gr. statuto diœcesano prohibente clericis lusum alearum sub pœna censuræ alicujus, non obligantur clerici ludentes in tali loco plenissime exempto sito intra diœcesin. Secus tamen est, si locus per se & plenissime non est exemptus. Anchar. *in c. 3. h. t. in 6. qu. 2.* Franc. *ibid. n. 11.* Suarez *de cens. d. 5. s. 4. n. 6.* apud Pirhing *nu. 58.* cum enim talia loca v. gr. ecclesiæ, monasteria aut collegia, quæ populum sibi subjectum non habent, non tam per se & ratione locorum ipsorum, quam ratione personarum privilegiatarum ibi habitantium sint exempta, illorum exemptio extendi non debet (quippe privilegia exemptionis præjudicant jurisdictioni ordinariæ, adeoque stricte interpretanda: argum. *c. cum capella de privileg.*) ad subditos Episcopi in iis delinquentes. Cum per hoc daretur occasio agendi contra statuta episcopalia & turbaretur jurisdictio ordinaria Episcopi diœcesani, qui in loco taliter tantum exempto in subditos ibi existentes judicia exercere potest saltem valide,

de, imo & licite, accedente consensu Prælati talis loci. Laym. *in cit, c. 2. h. t. in 6. n. 5. & 6.* Pirh. *cit. n. 58.* Et Castr. *l. c. §. 5. nu. 29.* citans Suar. *de cens. d. 5. s. 4. nu. 10.* Salas *de LL. d. 14. s. 6. nu. 85.* tenet absolute subditos territorii accedentes ad talia loca absolute ligari præceptis & statutis latis pro territorio. Quin etiam conformiter dictis a se supra tenet, etiamsi loca sint plenissime exempta, existentes ibi, non secus ac existentes subditos extra territorium ligari posse legibus & præceptis territorialibus; cum ea obligatio fiat insensibiliter, neque egeat citatione & notificatione factis in loco exempto.

5. De cetero, quod hoc in puncto dictum supra de præcepto superioris, quod obliget subditum etiam existentem extra territorium, idem dicendum de sententia Judicis. Siquidem sententia excommunicationis particularis ipso facto incurrendæ lata v. gr. ab Episcopo in clericum certum sibi subditum peregrinaturum, si ludat aleis, illum obligabit, si extra diœcesin ludat aleis. Cum ea, sicut præceptum feratur immediate in personas easque liget, ubicunque locorum faciunt. Neque hoc casu Episcopus dicit jus, seu fert sententiam extra, sed intra territorium suum. Incursio enim illius excommunicationis alteriusve censuræ latæ sententiæ, cum tacitam ac veluti insensibilem executionem secum trahat *c. pastoralis de appellat.* contingit sine causæ cognitione & strepitu judiciali. Ita Layman *Th. Mor. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7.* Pirh. *n. 60.* Idem est, si per sententiam generalem (secus si per legem vel statutum juxta dicta supra) lata est censura v. gr. quicumque furtum fecerit, & intra mensem non restituerit, excommunicatus est. Cum & talis censura tunc feratur directo in personas ad coercendam & puniendam eorum contumaciam, adeoque etiam fieri possit etiam in absentes existentes extra diœcesin. Pirh. *nu 6.* citans *c. cum sit de appell.* & Franc. in *c. 2. h. t. in 6. n. 13.* Suar. *cit. s. 5. n. 5.*

6. Resp. secundo. Num nihilominus obligetur lege & statuto territorii proprie inde egressus præcise ideo, ut declinet legis vel statuti obligationem, v. gr. egressus e sua diœcesi, ubi jejunium vel festum est, ideo, ut alibi, ubi jejunium vel festum non est, possit comedere vel laborare. Id inquam admodum controversum est inter AA. Licitum id esse, & talem non obligari statuto sui territorii, tenent Sanch. *in decal. lib. 1. cap. 12. num. 35. de mat. l. 3. d. 18. nu. 29.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 13. n. penult.* Bonac. *d. 1. q. 1. pu. 6. n. 64.* Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n. 4.* Fundamentum illius est, quod utens jure suo non possit dici committere fraudem. Sed neque injuria irrogetur legislatori ex eo, quod talis ejus obligationem fugiat, cum legislator non habeat potestatem obligandi subditum, nisi dum is in ejus territorio existit. Et sic in specie docent citati AA. teste Castrop. valide ac licite contrahi matrimonium sine parocho & testibus ab eo, qui, ut sic contrahere possit, secedit ad locum, in quo Tridentinum receptum non est. Item habentem casus reservatos vel alia de causa intendentem alteri quam parocho domicilii confiteri, licite ea intentione recedere aliò, ut expresse Pontius apud Castrop. *loc. cit.*

Contrarium tenent Ledesm. *de matr. q. 45. a. 5. p. 3. du. ult. concl. 1.* Rodriq. *tom. 1. Sum. c. 219. nu. 2.* Sayr. *clavi Reg. l. 7. c. 2. n. 12.* Rebell. *de oblig. just. l. 2. q. 7. s. 3. n. 16.* Salas *de LL. d. 14. s. 5. n. 63.* Vasquez *p. 3. q. 98. a. 2.* Laym. *Th. Mor. lib. 1. tr. 4. c. 11. n. 9.* Wiestner *l. c. a n. 111.* etsi *n. 110.* dicat oppositam esse commune. Fundamentum est directe oppositum; nempe quod id ipsum fiat in fraudem legis, & fraus nemini patrocinari debeat. Quod ipsum probant ex responso seu declarat. S. Cong. Cardinal. Concilii, quam Urbanus VIII. Brevi authentico dato ad Archiepiscopum Coloniensem Anno 1627. confirmavit, & secundum illam ab omnibus Judicibus ordinariis & delegatis judicari præcepit. Quo S. Congregatio respondit, matrimonium, quo incolæ loci, in quo promulgatum & receptum est Trident. idem domicilium retinentes solo animo contrahendi sine Parocho & testibus alio se transferentes cum fraude conferunt, non esse legitimum. Quibus verbis, ut observat Card de Lugo *in respons. mor. l. 1. Ser. 36. num. 5.* indicat S. Congregatio, solo animo contrahendi clam matrimonium egressos esse egressos & contra isse cum fraude, adeoque satis declarat in genere, solo animo declinandi legem egredientes de loco, & ad alium se transferentes, in fraudem legis agere. Uti idipsum quoque roboratur ex persuasione fidelium, id de talibus passim sentientibus, & praxi Ordinariorum Diœcesanorum eos pro suæ potestatis contemptoribus & legis transgressoribus habentium, teste Laym. *loc. c.* Tametsi autem memorata declaratio non sit instar legis solenniter promulgata, habere tamen eam vim legis, cum Card. de Lugo astruit Gobat. *Exper. Th. tr. 9. n. 482.* siquidem ad comprehensivam legis declarationem publicationis solennitas non est necessaria; cum comprehensiva & proprie dicta declaratio jus novum non edat; adeoque legem & obligationem legalem novam non inducat, sed solum, quod positum est & jam statutum, explicet & declaret & argum. *l. haredes ff. qui testam. fac. poss. §. 1.* & ibi Bartol. *n. 4.* Bald. *v. sed etsi* Brunneman. *nu. 12.* Tusch. *v. declaratio concl. 94. a n. 6. & concl. 86. n. 1.* Pignatel *to. 5. consult. 85. n. 21.* Sed neque Urban. VIII. jus novum & nullitatem matrimonii novam induxit, sed solum Sacræ Congr. declarantis Decretum Tridentini, ac pronunciantis ab iis, qui solo animo clam contrahendi se alio transferunt, contrahi matrimonium illegitime & cum fraude, resolutionem authoritate Apostolica in forma communi, non speciali, approbavit & confirmavit Wiestner *cit. n. 111.*

QUÆSTIO CXV.

Specialis. An si in parochia est festum, & alibi non, Parochianus teneatur audire Sacrum, antequam inde alio recedat.

1. RESp. primo. Si in parochia nullum est Sacrum, antequam exeat inde, erit tamen ibi postea, non esse obligationem exspectandi illud. Cum præceptum audiendi Sacrum non obliget ad exspectandum in loco, sed ad audiendum Sacrum, cum audiri potest. Econtra, dum ibi est unum Sacrum, quod ibi celebratur, cum ibi præsens est Parochianus, obligatus est audire illud; cum obligetur præcepto, & sit commoditas implendi illud, nec aliunde sit ratio cur excusetur. Castrop. *l. c. n. 6.* dicens, in hoc convenire Suarez *de festis l. 2. c. 5. n. 9. & 10.* Pontius *de mat. l. 5. c. 8. n. 6.* Sanchez *de mat. l. 3. d. 18. nu. 21. & in Decal. l. 1. c. 12. nu. 32.* Jo. Sanchez *in selectt. d. 54. num. 29.* Salas *de LL. lib. 1. d. 14. sec. 5. num. 66.*

2. Resp. secundo. Dum in Parochia celebrandæ sunt plures Missæ a summo mane ad duodecimam, posse Parochianum egredi, non audito Sacro v. gr. hora octava ad locum, in quo nec Missa, nec illius audiendæ est obligatio, negant Suarez & Pontius *LL. cit.* eo quod, dum est in illo loco, afficitur obligatione Sacri; hac autem contracta, eam adimplere debet, cum sit præceptum affirmativum, quod adimplendum, quam primum potest, dum postmodum adimpleri nequit. Sic si existens in tali loco sciret se impediendum hora nona audire Sacrum, tenetur prævenire impedimentum, & hora octava audire Sacrum. Idemque est de recitatione horarum, communione paschali, & generaliter de quolibet præcepto, quo quis ligatus, quod tenetur ante implere, dum scit, se postmodum ab eo implendo impediendum. Quod ipsum etsi satis probabile judicet Castrop. *n. 8.* tenet tamen cum Sanch. Sal. Jo. Sanch. contrarium tanquam probabilius, nimirum talem in dicto casu non teneri audire Sacrum, sed posse licite exire hora octava, non audito Sacro. Rationem hanc dat Castrop. hora octava v. gr. non urget obligatio audiendi Sacrum, dum plures in eodem loco sunt Missæ: ergo nec est obligatio ulla non exeundi alio, exiens autem a loco & versans alibi jam exemptus est ab obligatione audiendi Sacrum. Confirmat id ipsum a simili: si quis sciret, hora decima tibi concedendam dispensationem audiendi Sacrum illa die, non tenetur auditionem Missæ prævenire. Item si sciret concedendam sibi dispensationem recitandi horas illa die, non tenetur prævenire dispensationem, ita etiam, dum egredienti tali a loco tali conceditur dispensatio, seu tollitur obligatio audiendi Sacrum, & egressus ille nullo jure est tali prohibitus, non tenetur audire Sacrum. Verum dici potest, hora octava urgere obligationem sub disjunctione, audiendi nimirum vel Sacrum, quod tunc est, vel aliud ex futuris, adeoque urgere obligationem indirectam non exeundi, non audito Sacro. De cetero egredientem ad locum in quo obligat præceptum audiendi Sacrum, & in quo scit, non fore amplius illa die Sacrum, teneri audire Sacrum, antequam exeat, eo quod tunc ea Missa, quæ dicitur, quando vult exire, reputanda sit ultima & unica obligatione præcepti, docet Castrop. *n. 8.* Occasione horum observat idem, impedimenta adimplendi præcepti alia liberare omnino ab implendo præcepto, quæ non tenetur quis prævenire aut impedire; inter ea numerat dispensationem & egressum a loco, in quo obligat præceptum, quæ nemo tenetur impedire aut non quærere alia, quæ solum excusant a præcepto hic & nunc implendo, relinquentia de cetero subjectum præcepto, qualia sunt infirmitas, ignorantia, oblivio, detentio, quæ tenetur quis prævenire, & non quærere, ut liberetur ab obligatione præcepti.

QUÆ-

QUÆSTIO CXVI.

An dum in urbe tua est jejunium, possis ibidem comedere carnes, & sumere jentaculum, mane, si scires, te vespere fore in loco, ubi non est jejunium, vel etiam, si mane non eras obligatus jejunare, quia existebas in loco, ubi non erat jejunium, vel quia necdum Annum 21. impleveras, liceat dein reliqua parte diei existenti in loco domicilii, ubi est jejunium, non jejunare.

1. RESp. ad primum. Non posse comedi carnes quamdiu quis est in urbe, quia ibi præceptum abstinendi a carnibus obligat pro singolis momentis, & integre impleri potest. Castrop. *l. c. n.* 9. cum communi.

2. Resp. ad secundum. Scientem se vespere deobligatum fore a jejunio, quia erit alibi, ubi non est jejunium posse mane io locu suo, ubi est jejunium, comedere seu sumere jentaculum, tenent Suar. *de relig. l.* 2. *cap.* 13. *in fine*, *& de LL. l.* 3. *c.* 32. *n.* 3. Sanchez *in decal. l.* 1. *c.* 12. *n.* 34. Less. *de justit. l.* 4. *c.* 12. *dec.* 8. *n.* 57. Jo. Sanch. *in select. de* 54. *de jejun. n.* 27. citans plores alios. Eo quod obligatio jejunii sit indivisibilis consistens io unica refectione, quare semel violato jejunio, nulla est amplius obligatio, adeoque, dum jejunium vespere non est obligatorium, etiam mane non obligabit, non obstante, quod mane necdum adsit causa deobligativa a jejunio; cum sufficiat illius futuræ moralis certitudo. Sicut laboraturus potest mane, antequam exeat ad laborem, comedere, quamvis causa excusans a jejunio, nempe labor futurus, tunc necdum adsit, possitque impediri. Contrarium tamen docet Castrop. *l. c. n.* 10. cum Pontio *l.* 5. *de mat. c.* 8. *n.* 3. eo quod nemo excusari possit a præcepto ob moralem certitudinem superventuræ dispensationis; cum non spes, vel potius futuritio dispensationis, sed ipsa dispensatio tollat obligationem; adeoque etiam spes, vel etiam certitudo futuræ existentiæ io loco privilegiato, seu non subjecto legi jejunii non liberet ab obligatione jejunandi; cum alias non existentia in tali loco, sed spes & voluntas existendi io tali loco, seu eundi ad talem locum deobligaret. Argumentum deductum a simili diluit Castrop. hanc assignando disparitatem; quod cui labor est necessarius, non excusetur a jejunio ob laborem existentem, sed ob necessitatem illum subeundi; onde communiter dicitur, necessario laboraturos die insequente diem jejunii deobligatos esse jejunare die jejunii; necessitas autem existendi in loco, in quo est jejunium, non excuset a jejunio.

3. Respondent ad tertium negative Th. Sanch. *lib.* 1. *in decal. c.* 12. *n.* 33. Less. *de Just. l.* 4. *c.* 2. *du.* 8. *num.* 57. Pont. *de mat. l.* 5. *c.* 8. *n.* 3. eo quod, dum mane non comedit talis, possit servare præceptom jejunii, & illo teneatur, dum est in loco domicilii. Oppositum docet Jo. Sanch. *Select. dist.* 54. *n.* 4. *&* 28. censetque hoc ipsum satis probabile, Castrop. *l. c. n.* 11. eo quod præceptum jejunii, seu abstioendi a secunda refectione respiciat, non dimidiam seu partem diei, sed integrum diem tanquam individuum objectum; adeoque exemptus a jejunio per aliquam partem diei totaliter liberetur ab illo ea die, quemadmodum juxta Sanch. & Lessium, quod vespere quis sit exemptus a lege jejunii, dum nimirum existit in loco, ubi non obligat jejunium, honestat & licitum reddit commestionem mane in loco domicilii, ubi est jejunium.

QUÆSTIO CXVII.

An accedentes ad locum aliquem animo ibidem in perpetuum manendi teneantur quam primum legibus illius loci.

RESp. affirmative. Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 18. *n.* 9. *& l.* 1. *in decal. c.* 17. *n.* 42. Suar. *de relig. l.* 2. *c.* 14. *n.* 15. Less. *l. c. du.* 7. *n.* 47. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 24. *§.* 3. *n.* 1. Eo ipso enim, quo quis tali animo accedit ad locum aliquem, acquirit ibi domicilium. Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 32. *n.* 2. Castrop. *l. c.* cum communi, juxta *l. domicilium ff. ad municip.* contra Jo. Sanch. *in select. d.* 54. *n.* 35. gratis & sine authoritate, ut Castrop. asserentem, non acquiri domicilium, quousque majore parte anni quis perseveret in voluntate ibidem perpetuo manendi.

QUÆSTIO CXVIII.

An forenses seu extranei accedentes ad locum aliquem, animo ibidem majore parte anni commorandi. V. g. Scholastici in Universitate aliqua studentes, sollicitatores in Curia, locantes operas ad longum tempus, teneantur legibus illius loci.

1. RESp. affirmative. Sanchez *cit. d.* 18. *n.* 9. Less. *loc. cit.* Pontius *de matr. l.* 5. *c.* 7. *§.* 1. *n.* 4. Castrop. *l. c. n.* 2. dicens, io hoc convenire DD. etsi Sanch. *l. c.* 8. dicat, non deesse, qui id negent, requirantque ad hoc animum perpetuo ibi manendi. Rationem dat Castrop. Quod licet tales non consequantur ibi domicilium, consequantur tamen ibi quasi domicilium; cum hoc dicatur assidua & diuturna habitatio, ratione cujus potest quis conveniri. Farinac. *in pr. pract.* 1. *q.* 7. *n.* 5. Sanch. *de mat. l.* 3. *c.* 23. *n.* 12 juxta *l.* 2. *C. ubi Senatores & l. hæres absens ff. de judiciis*, ratione cujus quasi domicilii etiam recipi possunt ibi omnia sacramenta excepto specialiter Ordine *c. cum nullus de temp. ordinat. in* 6. Item ibidem sint sepelieudi, nisi alibi elegerint sepulch. ut Molin. *de just. tr.* 2. *d.* 214. *vers. quando quis.*

2. Sic itaque in specie tenentur tales in contractibus ibi celebratis (idem est de testamentis) servare solennitates & conditiones a legibus talis loci constitutas, cum ratione contractus sortiantur forum, ibique ad standum contractui possint conveniri. Molin. *l. c. d.* 268. *ad initium.* Sanch. *l. c. nu.* 10. Castrop. *l. c. n.* 3. Bonac. *de LL. l.* 1. *q.* 1. *p.* 6. *n.* 51. ita ut contractus celebratus non servata tali forma seu solennitate locali, sit nullus Castrop. Bonac. *LL. cit.* Felin. *c.* 1. *de sponsal. n.* 23. talisque etiam reputari debeat apud propriam patriam, adeoque solvendum quodcunque onus a tali lege locali contractui aonexum. Felin. Castrop. *LL. cit.* Tenentque hæc, etiamsi contractus celebretur per Epistolam vel nuncium Felin. Castrop. Sed neque ab hac doctrina excipiendum contractum dotalem, contra Sanchez, Salas. Bonac. Suar. *de LL. c.* 33. *n.* 12. *&c.* & alios volentes, in eo attendi debere leges, non loci, in quo celebratur, sed in quo vir habet domicilium, censet idem Castrop. *l. c. n.* 4. adductamque ab adversariis pro se *l. exigere ff. de judic.* ait, non loqui de solennitate conditionibusque servandis in hoc contractu, sed de exactione & repetitione illius, ita ut, dum dos repetenda, repeti debeat, obi vir domicilium habet, & non ubi contractus dotalis celebratus; cum bona viri obligata sint doti solvendæ. Limitat nihilominus & ipse Castrop. *n.* 5. illud, quod ad standum contractui conveniri quis possit in loco, ubi is celebratus, eo quod sortiatur forum illius, hac ratione: nisi ex voluntate contrahentium & natura contractus executio in alium locum designata sit, uti contingit, dum incola loci alicujus contrahit cum advena, quem scit statim discessurum, qui conveniri nequit, si nolit in loco, ubi contractus celebratus, sed in loco domicilii sui; quia ibi intendit se solvendo obligare juxta *l. contraxisse ff. de oblig. & action.* qua ratione dictum contractum dotalem repetendum in loco, ubi vir habet domicilium, cum ex natura talis contractus & voluntate contrahentium ille locus solutioni sit destinatus.

QUÆSTIO CXIX.

An peregrini teneantur legibus locorum, quæ transeunt sine animo ibi diu persistendi.

1. RESp. primo. Indubitatum est, illos teneri illis, si eæ quoque obligant in loco domicilii proprii, idque fundatum in summa æquitate; cum ex hac obligatione non graventur amplius, quam si loco proprii domicilii persisterent. Suar. *de relig. Dom.* 1. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 15. Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 18. *n.* 3. Castrop. *l. c. n.* 6. reputantes contrarium, quod tenet Jo. Sanch. *select. d.* 54. *n.* 31. esse absurdum.

2. Resp. secundo obligantur quoque, tametsi eæ io loco proprii territorii non obligent, dum latæ sunt in bonum (intellige specialiter) illius loci, quem transeunt, v. gr. ne gestentur de nocte arma, non extrahantur ex tali oppido frumenta &c. sic exigeote utilitate & incolumitate talis loci, ot authoritas legislatoris se extenderet ad omnes existentes iotra illud territorium, etiam advenas. Suar. *de LL. cit. d.* 32. *n.* 8. Salas *de LL. d.* 14. *s.* 4. *n.* 40. Sanch. *in decal. c.* 12. *n.* 36. Castrop. *l. c. n.* 7.

3. Resp. tertio obligantur legibus locorum, quæ transeunt, dum eæ sunt communes, etsi eæ in loco proprii domicilii

cilii

cilii eorum vi conſuetudinis contrariæ non obligent. Sanch. *lib. 1. in decal. c. 12. num. 34.* etſi contrarium docuiſſet *de mat. l. 3. d. 18. n. 7.* Suar. *de relig. l. 2. c. 14. n. 27. & 28.* Salas *loc. c.* Caſtrop. *l. c. nu. 8.* Sayr. *Clav. Reg. l. 3. c. 4. du. 2.* Bonac. &c. contra Pet. de Ledeſm. Patavios & paucos alios. Ratio eſt, quod ſint & maneant tales ſubjecti illarum legum legislatoribus, nec habeant eam cauſam excuſantem ſe ab obedientia illius: cum conſuetudo illa excuſans illos exiſtentes in proprio oppido non excedat illud, nec ſit privilegium perſonale, ſed locale. AA. iidem. Sic incolæ locorum, in quibus jejunium quadrageſimale ex conſuetudine non incipit a die cinerum, tranſeuntes loca, ubi illud incipit a die cinerum, tenentur illud obſervare, quia eſt lex communis, ut inchoetur a die cinerum, lata a legislatore omnibus communi. Sic jejunia, feſta al. æque leges latæ ab Epiſcopo pro tua diœceſi obligant diœceſanos peregrinantes, extra locum proprii domicilii, intra eandem tamen diœceſin, etſi eæ ob conſuetudinem contrariam in loco proprii domicilii non obligent Caſtrop. *n. 9.*

4. Reſp. quarto. Tenentur quoque peregrini legibus locorum, per quæ tranſeunt latis pro ſolis advenis, v. gr. ne arma deferant, ne in tali loco perſiſtant ultra tres dies &c. cum talia pro ſolis advenis ſtatuero, ſæpe neceſſe ſit ad incolumitatem talis loci; adeoque concedenda poteſtas Reip. ad inducendam hanc obligationem advenis ſeu peregrinis. Salas *d. 14. ſ. 4. n. 44.* Suar. *de LL. l. 3. c. 33. n. 7.* Caſtrop. *n. 14.* Sylv. *v. excom. 2. n. 5.*

5. Reſp. quinto. De cetero, præſcindendo a prædictis caſibus, peregrinos non teneri legibus locorum, per quæ tranſeunt, ſpecialibus ſeu municipalibus, tenent Sanchez *de matr. l. 3. d. 18. n. 6.* Sayr. *l. c. num. 15.* Leſſ. *de juſt. l. 4. c. 2. du. 7. n. 49.* Azor. *tom. 1. l. 7. c. 30. q. ult.* Bonac. *l. 1. de LL. q. 1. p. 6. n. 36.* Jo. Sanch. Tolet. &c. apud Caſtrop. ea ducti ratione, quod nemo alteri ſubdi queat, aut ab eo obligari & puniri, niſi vel ratione originis vel ratione domicilii aut delicti, ut Farinac. *in pr. l. 5. q. 7. a nu. 1.* tales autem tranſeuntes loca, non intendentes potiore anni parte ibi perſiſtere, non habeant ibi domicilium nec quaſi domicilium; adeoque nullum ſit fundamentum obligandi illos illis legibus loci. Quam ſententiam etſi probabilem dicat Caſtrop. *n. 11.* contrariam tamen viſam ſibi probabiliorem ſuſtinet, citatque pro ea Covar. *l. 4. var. c. 20. n. 8.* Nav. *c. 23. n. 121.* Suar. *tom. 1. de relig. l. 2. c. 14. & de leg. l. 3. c. 33. a nu. 33.* Vaſquez *to. 3. in 3. p. d. 184. c. 3. q. 28.* Salas *d. 16. ſ. 4. concl. 4.* &c. Fundamentum hujus ſententiæ potiſſimum hoc ſtatuit. Quod, cum conformari conſuetudinibus & legibus loci omnes ibi commorantes ſeu exiſtentes in eo, ſit rectæ gubernationi & tranquillitati Reip. convenientiſſimum maximeque neceſſarium, agnoſcendus ſit aliquis in rerum natura, qui omnibus hanc uniformitatem obſervandi obligationem inducat; talis autem nullus aptior eſſe poſſit præter gubernatorem illius loci; adeoque is ex ipſo jure naturæ vel gentium poteſtatem habeat obligandi omnes in ſuo territorio exiſtentes. Et ſi is ideo præciſe (ut admittunt adverſarii:) punire poteſt advenam in ſuo territorio contra jus naturale delinquentem, quia ad rectam gubernationem Reip. ſpectat, ut delictum ibi puniatur, ubi commiſſum, & reparandum exemplum malum datum incolis, ſpectabit quoque ad eandem rectam gubernationem, advenas quoque conformare ſe legibus illius loci, ne malo ſuo exemplo incolis præbeant occaſionem tranſgrediendi eaſdem leges. Neque hi advenæ inde gravari ſe queri poſſunt, cum gravamen, quod illis obligatione iſtarum legum imponitur, compenſetur aliunde exemptione, qua pro illo tempore eximantur ab obſervatione legum proprii domicilii. Rejicit quoque Caſtrop. *l. c. num. 12.* cum Salas *d. 14. ſ. 4. n. 50.* Suarez *l. c. nu. 22.* &c. Limitationem factam a Leſſio, *de juſt. l. 4. c. 2. du. 7. nu. 7.* Sa *v. Miſſa auditio n. 6.* Nav. *c. 13. n. 5.* &c. nimirum, quod, ut viatores obligentur legibus locorum, quæ tranſeunt, non ſufficiat ſolus tranſitus, ſed neceſſe ſit, illos ibidem aliquo modo ſiſtere, eo quod tales viatores etiam per acceſſum ad talem locum fiant pars illius loci & ſubditi gubernatoris illius; adeoque eo ipſo teneantur, ſi exiſtet tempus implendi eas, legibus municipialibus, v. gr. non veſci carnibus, quia illud præceptum ibi urget pro tota die, item audire Miſſam, ſi non fiat ibi niſi una eo tempore quo ibi talis advena moratur. Quod poſtremum tamen de auditione Miſſæ ita limitant Salas *l. cit.* Caſtrop. ut teneat, ſi ibi advena moretur tempore proportionato audiendi Sacrum, nimirum toto mane vel magna illius parte, ſecus ſi ibi perſiſtat v. g. ſolum ad capiendum cibum; uti etiam cenſet cum Leſſio *l. c. du. 8. n. 56.* Salas *l. c.* Sanchez *de mat. l. 4. d. 18. n. 21.* quos citat, non obligari talem ad audiendum Sacrum, ſi ibi fiant plura Sacra, cum poſſit obligationem ſuam audiendi Sacrum differre; interea vero exiens a tali loco eximatur ab obligatione, qua ratione exiſtentiæ in tali loco tenebatur; multoque minus teneri talem ad exſpectandum ibi, dum pro tempore, quo ibi moratur, non dicitur Sacrum. Econtra cum Salas *l. cit. n. 49.* Suar. *de LL. l. 3. c. 33. n. 9.* Caſtrop. *nu. 13.* ita extendit hanc ſententiam, ut advenæ teneantur non ſolum obligatione directiva, ſed etiam pœnali, ita ut ſi legi municipali adjuncta ſit pœna, hanc quoque incurrant advenæ tranſgreſſores illius; cum ratione delicti ſubjiciantur ſuperiori illius loci, *c. fin. de foro compet.* Sitque vis præceptiva ſive coactiva inefficax & inutilis. Sic ſi lata ſit in loco excommunicatio v. gr. contra ferentes arma, ea etiam incurratur ab advena. Quod ipſum licet plerique cum Suar. *l. c. nu. 9. & 10.* diſtinguant, ut præcedat, ſi excommunicatio lata ſit per ſtatutum vel legem: non vero, ſi per ſententiam generalem, eo quod leges & ſtatuta afficiant perſonas, ratione territoris, præceptam vero directe ſolum reſpiciant perſonas ipſas, & advenæ ſolum ratione territorii ſint ſubditi, hi ſolum legibus & ſtatutis, non vero præceptis latis ligari poſſint. Caſtrop. tamen, *num. 15.* cum Gloſſa *in c. a nobis de ſent. excom.* cenſet probabilius, etiam forenſes & advenas ligari poſſe & de facto ligari præceptis ſpecialibus & ſententiis generaliter latis; cum ea poteſtas, rectæ gubernationi ſit convenientiſſima; eademque ratio, ob quam forenſes dicuntur ligari legibus, nempe conformatio cum ceteris incolis, locum habeat in præceptis, dataque diſtinctio inter legem & præceptum non ſit ſatis fundata. His tamen non obſtante *cit. c. a nobis*, quod pro ſe adducunt adverſarii; ubi Pontifex reſpondet, forenſes non comprehendi in excommunicatione lata ab Epiſcopo pro futuris delictis; cum optime dici poſſit, Papam excludendo forenſes hos ſolum excluſiſſe, dum exiſtunt extra territorium Epiſcopi; nomine vero incolarum comprehendiſſe omnes ſubditos, hoc eſt, tam advenas quam incolas, dum & advenæ ſunt ſubditi pro tempore exiſtentiæ in tali loco juxta dicta ſupra. Ex quo tamen, nimirum quod advenæ ratione exiſtentiæ in loco tali fiant ſubditi Superioris talis loci, non recte infert Pontius, eos delinquentes alibi poſſe a Judice talis loci, ad quem accedunt, ratione ſubjectionis puniri; quod eſt contra communem. Farinac. *l. 1. p. 2. q. a n. 6.* & non evincitur ex praxi Curiæ Romanæ punientis illos, qui alibi deliquerunt. Cum id ſit ſpeciale proveniens ex conſuetudine, ut Farinac. *n. 12.* præſcripta, dum Roma a principio totius orbis domina, adeoque puniebat delinquentes alibi tanquam ſubditos ſuos, hæcque poteſtas videatur ei prorogata ex tacita aliorum Principum conceſſione, ut ex eodem Farinacio quem vido, Caſtrop. *nu. 16.* ſiquidem viatores non ſint aut fiant ſubditi Judici loci quem tranſeant, niſi in his, quæ ad rectam gubernationem iſtius loci ſeu Reip. ſpectant, ad quam non ſpectat punire advenarum delicta alibi commiſſa, ſed ad ſummum remittere illos puniendos a proprio alias Judice eorum.

6. In ſumma itaque, conſideratis rationibus, videtur probabilior illa ſententia Caſtropalai Suar. & aliorum, ſentientium habitationem tranſeuntem, ſeu acceſſum ſolum ad locum extraneum ſufficere ad ſubjectionem in advena conſtituendam, adeoque puniendam in eo obligationem in his, quæ ad bonum communitatis talis ſpectant, quales ſunt leges omnes municipales ſeu talis loci. Neque contrarium ſequitur ex eo, quod Epiſcopus tales tranſeuntes per ſuum Epiſcopatum jungere nequeat matrimonio, aut in votis cum illis diſpenſare (quod ipſum tamen negat Pontius, *de mat. l. 5. c. 13. n. 4.*) ſicut neque id ſequitur ex eo, quod talem ordinare aut confirmare nequeat; neque enim ex una poteſtate ſemper procedit argumentatio ad aliam. Rationem etiam a priore dat Caſtrop. *n. 17.* quod poteſtas obligandi advenam legibus municipalibus procedat ex bono Reip. in qua is moratur, quod bonum, cum adſit, etiamſi breviſſimo tempore ibi exiſtat, tribuit poteſtatem obligandi talem dictis legibus; poteſtas autem diſpenſandi & matrimonio jungendi reſpicit bonum diſpenſandorum & conjungendorum: adeoque mirum non eſt, quod remittantur ad proprium paſtorem, & ei, qui ſolum ex accidente eſt proprius, ea poteſtas denegetur. Neque ſequitur ſecundo ex eo, quod Sacerdos Græcus in loco Latino non poſſit conſecrare in azymo, non teneatur quis ſe conformare legibus loci in quo moratur. Cum id ſpecialiter ſit conſtitutum ab Eugenio IV. in Concilio Florent. ad conſervandam unionem & pacem inter Eccleſiam Græcam & Latinam. Neque ex eo, quod infideles non teneantur legibus eccleſiaſticis, cum ſint extra juriſdictionem Eccleſiæ. Neque, quod regulares non teneantur legibus Epiſcopalibus; cum exempti ſint a juriſdictione cujuslibet Epiſcopi; obligentur tamen legibus Conventus, per quem tranſeunt.

QUÆSTIO CXX.

An & qualiter vagi teneantur legibus locorum, in quibus vagantur.

1. RESp. Vagi seu nullam certam sedem habentes (quales etiam sunt, qui domicilium certum alicubi habitum deseruerunt animo non redeundi; quousque alibi certum domicilium figant. Farinac. *l. 1. prax. q. 7. n.* 15. Sanch. *de mat. l. 3. d.* 25. *a n.* 1. Castr. *l. c.* §. 4. *a.* 1.) tenentur legibus particularibus locorum, per quæ transeunt, idque ex speciali ratione alias, cum nullibi habeant domicilium, essent exempti ab omnibus legibus omnium locorum particularibus, quod repugnat rectæ eorum gubernationi. Sanch. *de mat. l. 3. d.* 18. *n.* 15. & *in Decal. l. 5. c. 52. n.* 23. Suar. *de relig. to. 1. l. 2. c. 14. n.* 2. Azor. *tom. 1. l. 5. c. 12. q.* 13. Castrop. *l. c. a nu.* 2. cum communi, etiam eorum, qui alias tenent, peregrinos non teneri legibus locorum in quibus peregrinantur contra Less. *l. 4. cap. 2. dec. 7. n.* 49. Sayr. *clav. reg. l. 3. c. 4. n.* 8. Jo. Sanch. *select. d.* 54. *n.* 34. censentes, de iis loquendum, sicut de aliis peregrinis.

2. Ex quo ut probat gl. communiter recepta, ut ait Farin. *l. c. in l. 1. C. ubi de crimin. agi oport.* licet inferri posset, posse puniri vagum a Judice loci, in quo capitur, de delicto alibi commisso, teneatque Farinac. *l. c.* non esse necessario remittendum ad Judicem loci, in quo commissum delictum, etsi is id petat, si jurisdictiones locorum sint sub diversis Principibus, secus, si sub eodem; eo quod tunc censeatur Princeps nolle, reum alibi puniri quam in loco delicti. Castrop. tamen *c.* §. 4. *n.* 5. censet probabilius, reum absolutè remittendum ad Judicem loci, in quo commissum delictum, si is id petat; eo quod Judici illius loci ratione delicti sit subjectus. Neque videatur Judici loci, per quem transit, subjectus quo ad punitionem delictorum alibi commissorum, nisi ad summum in defectum Judicis loci, in quo commissum delictum dicat Castrop. pro hoc Decian. *in tr. crim. tom. 5. l. 4. c. 53. a n.* 17. Cov. *pract. qq. c. 11. n.* 7. Jul. Clar. *l. 5. recep. sent. in pract. crim. 39. n.* 7. Azor. *tom. 5. l. 5. c. 55. q.* 3.

QUÆSTIO CXXI.

An & qualiter Legislator teneatur suis legibus.

1. RESp. ad primum obligatur suis legibus obligatione directiva, hoc est, quo ad culpam, Suar. *de LL. l. 3. cap.* 35. *a.* 4. Less. *de Just. l. 2. c. 35. dec.* 5. Azor. *l. c. q.* 1. Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 24.* §. 1. *n.* 2. Cov. *in c. alma mater 1. p.* §. 1. *num.* 5. cum D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *a. 5. ad* 3. & commune juxta *illud cap. cum omnes de const. patere legem, quam ipse tuleris.* Orta hac obligatione, non ex ipsa lege; cùm nemo in seipsum jurisdictionem exercere possit, possitque legislator velle alios obligare sua lege, & se eximere. Sed ex natura rei, seu lege naturali, dictante, legislatorem debere se aliis conformare, subditosque verbo & exemplo promovere ad salutem. Castrop. *l. c. num.* 8.

2. Resp. ad secundum. Tametsi Covar. *l. c. a.* 5. & 7. Vasq. 1. 2. *d. 167. c.* 7. Sayr. *clav. reg. l. 12. c. 9. n.* 2. Sylv. *v. lex q.* 14. &c. existiment, hanc obligationem undecunque demum ortam in legislatore esse gravem, quia respicit materiam gravem. Probabilius tamen censet Castrop. *l. c. n.* 5. citatique ab eo Less. *ubi ante.* Salas *de LL. d. 14. s. 2. a n.* 17. Bonac. &c. Secluso scandalo aliave ratione extrinseca, esse solum veniale; eo quod non videatur gravis deordinatio, legislatorem in uno altero ve actu se non conformare subditis; cum inde non sequatur perturbatio in Rep. aliudve grave incommodum, ex qua tamen non conformitate, & inde secuta perturbatione in Rep. nascitur tota ratio obligandi in legislatore. Adeoque respectu legislatoris non est attendenda gravitas materiæ præceptæ vel prohibitæ secundum se, sed in ordine ad finem intentum, qui est rectum regimen, pax & tranquillitas Reipubl. Unde etiam fit, legislatorem non observando leges suas non peccare contra virtutem, contra quam peccant subditi. V. g. omittendo missam contra religionem, in ordine ad quam respectu subditorum omissio unica illius est materia gravis. Sed contra virtutem potestativam, ut Castrop. *n.* 15. *in fine* contra Suar. & Bonac.

3. Neque tamen hinc sequitur, Principem non obligari, aut saltem non obligari graviter ad standum taxæ mercium, aut legibus contractuum ab eo latis. Nam ad hoc obligatur ex jure naturæ, quo cavetur, ne pluris vendatur res quam communiter valet. Ea autem taxatione posita, non valet plus, quam est taxata. Et in contractibus ex jure naturæ in utroque contrahentium expostulatur æqualitas. Hinc legislator contrahens cum subdito stare debet suis legibus, non quia illius leges sunt, sed quia sunt conditiones, sub quibus contractus celebratus. Etsi contractus illius cum subdito contra has leges factus est irritus, nec ille, nec subditus obligatur; cum impossibile sit contractum celebrari sub conditione aliqua, quæ ab altero non acceptetur. Castr. *n. 6. in fine.* Si autem legislator talem contractum a se factum contra leges suas alias irritum, velit valere (subintellige altero contrahente consentiente) censendus est in sua lege dispensare; quia præsumitur velle actum fieri meliore modo, quo potest. Ita Salas *l. c. s. 3. n.* 32. Suar. *de LL. l. 3. c. 35. nu.* 25. Bonac. &c. Unde jam etiam deducitur, validum esse testamentum conditum a Principe contra leges a se latas; cùm præsumatur habere legitimam causam omittendi talem aliquam legitimam solennitatem, & sic quasi secum dispensandi, in quo nulli facit injuriam *l. ex imperfecto C. de testam.* Dum vero ipse Princeps in testamento alterius condito contra suas leges instituitur hæres aut legatarius, nequit consequi hæreditatem aut legatum; quia in eo testamento condendo non præcessit dispensatio; adeoque est & manet irritum. Suar. Salas *LL. cit.* Castr. *cit.* §. 1. *nu.* 8. juxta *leg. cit.* & §. 1. *Inst. quibus modis testam. infirmentur* & Gl. *ibi.*

4. Resp. tertio. Legislator non obligatur legibus suis obligatione coactiva, hoc est, quo ad pœnam juxta illud *l. Princeps ff. de LL. Princeps legibus solutus est.* Et illud §. *ult. Instit. quibus mod. testam. infirm. licet legibus soluti sumus, attamen legibus vivimus.* Hoc est, etsi leges nos non obstringant, ad bonum tamen exemplum illis conformamur. Suar. *l. c. num.* 15. Azor. *Tom. 1. l. 5. c. 12. q.* 2. Salas *l. c. s. 2. num.* 8. Less. *de Just. l. 2. c. 35. du.* 5. Castrop. *cit.* §. 1. *num.* 9. Vasqu. Valent. cum communi. Nemo enim a se cogi potest, neque a lege sua imponente pœnam; cum sit lege superior. Sed neque legislator est legis suæ transgressor (ob quam tamen transgressionem imponitur pœna) sed solum legis naturalis, dictantis conformitatem ipsius cum reliquis membris Reip. Castrop. juxta ex eo supra dicta.

QUÆSTIO CXXII.

An & qualiter legislator obligetur legibus latis ab inferioribus.

RESp. Etiam commorans in illa provincia vel civitate, ubi eæ vigent, nullatenus ne quidem leviter iis obligatur. Suar. *l. c. n.* 14. Salas. *cit. s. 2. ar.* 23. Castrop. *cit.* §. 1. *n.* 6. Felin. *in c. h. t. num.* 30. Tiraquel. *de utroq. retract. l. 1. gl.* 1. §. 3. *nu.* 38. Non enim solum est caput illius loci vel civitatis ubi de facto moratur, sed etiam aliorum locorum, in quibus leges illæ non observantur. Ergo ratione capitis non tenetur se aliquibus subditis conformare; cum alii subditi sint contrarii. Extenditur hoc ipsum: etiamsi leges illæ ab ipso sint confirmatæ, cum non confirmantur pro toto territorio, sed pro aliqua ejus parte. AA. citati, excepto Salas. Limitatur e contra Suar. *n.* 14. Ita, ut obligetur legibus suæ personæ & dignitati accommodatis a se confirmatis loci proprii seu domiciliaris, qualis est curia Principis, ne alias præberet subditis exemplum illas contemnendi. Credit tamen Castrop. *cit. num.* 6. leviorem causam sufficere ad honestandam harum legum non observantiam, quam ad non observantiam legis communiter a se latæ. Atque ex his jam vides, Papam nullis legibus humanis astringi. Quamvis, ut D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *num.* 6. Paris. *de resign. l. 3. q. 1. n.* 17. astringatur lege humanitatis in sensu a nobis explicato *quæst. præced.* & nullatenus astrictione quo ad pœnam.

QUÆSTIO CXXIII.

An uxor legislatoris obligetur illius legibus.

RESpondent Castrop. cit. §. 5. *nu.* 50. quod etsi subdatur legibus a legislatore latis, præsumatur tamen beneficio legislatoris ab iis exempta ex *l. Princeps ff. de LL.* Et ita Salas *d. 14. s. 3. n.* 36. Suar. *cit. c. 35. n.* 28. Sayr. *clav. reg. l. 3. c.* 4. Bonac. *d. 1. q. 5. p. 7. n.* 10. Suar. *de LL. l. 3. c. 35. n.* 28.

CAPUT QUINTUM.

De Effectu legis pœnalis & irritantis.

QUÆSTIO CXXIV.

An & qualiter lex pœnalis obliget in conscientia ad subeundam pœnam ante Judicis sententiam.

1. RESp. Præterquam quod leges humanæ pœnales obligent in conscientia ad actum immediate præceptum (de quo supra, ubi etiam an dentur leges pure pœnales, hoc est, quæ ad culpam non obligent, sed ad solam pœnam transgressoribus earum statutam) obligare quoque possunt in conscientia ante Judicis sententiam ad pœnam tam privativam (qualis dicitur, quæ in privatione consistit, & sunt v. g. omnes censuræ, inhabilitates, irritationes & annullationes actuum) quàm ad positivam, hoc est, quæ actionem aliquam expostulant ad sui executionem, sive actio facienda sit ab ipso delinquente, sive ab aliquo tertio. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 5. *a n.* 15. Salas *de LL. d.* 15. *ſ.* 2. *n.* 25. Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 1. *nu.* 4. Nav. *c.* 23. *n.* 6. Covar. *part.* 2. *de sponſ. cap.* 6. *§.* 8. *num.* 10. Castrop. *l.* 2. *de leg. pœn. cap.* 5. 8. *& seq.* contra Sotum *l.* 1. *de Just. quæst.* 6. *art.* 6. *concl.* 1. docent, nullam pœnam præter censuras incurri ante Judicis sententiam. Item contra Cajetan. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 3. *in sum. v. pœna*. Aragon. Bañez &c. admittentes responsionem tantùm quo ad pœnas privativas. Nam quod attinet pœnas privativas, si Ecclesia vi statutæ a se in ipsa lege pœnæ citra omnem ulteriorem sententiam privare potest Sacramentorum receptione & administratione, communione politica, aliisque bonis ad quæ Christianus jus habet, non est ratio, cur non etiam Resp. civilis possit privare dominio pecuniarum, inhabilitare delinquentem ad officia publica aliave munia subeunda. Quod vero attinet pœnas positivas: si potest Resp. ob bonum aliquod commune præcipere alicui jejunium, remigationem &c. cur non posset eandem præcipere & intentare una cum latione legis in pœnam ob delictum commissum contra legem. Neque his obstat primò, quod pœna consistat in passione, ut Cajet. ac proinde tantum ad hanc sustinendam, non verò ad agendum, seu ponendam actionem obligari quis possit. Nam dato consistere illam in passione, obligari tamen quis poterit ad ponendam actionem, ex qua talis passio sequatur. Uti id necessario dicendum, dum quis post latam sententiam condemnatoriam astringitur ad solvendam pecuniam, pergendum in exilium &c. Neque his obstat secundò, quod exequi pœnam, secundum quod importat actionem, sit officium Judicis, & sine illius interventu exequi nequeat. Nam Judex seu legislator annectendo legis transgressioni pœnam, exercet officium Judicis, &, ut Castrop. *l. c. n.* 6. delinquens ut minister Judicis, in seipsum pœnam exequitur, intellige, in pœnis privativis habendo se pro excommunicato inhabili &c. in pœnis positivis jejunando, exponendo pecuniam in mulctam &c. Et quia hæc executio non est forensis & judicialis, sed secreta & in foro conscientiæ, ideo non requirit alios testes & accusatores præter ipsum delinquentem, qui sibi ipsi accusator, testis & minister est, dum pœna actionem requirit. Neque tertio dici potest, quod pœna tantùm statui possit a Rep. civili ad coercenda delicta, quæ politicæ gubernationi obstant, qualia non sunt delicta secreta. Nam & crimina secreta obstant rectæ gubernationi, ut proinde gubernator non tantum latrocinia & quælibet alia crimina publica, sed etiam secreta precavere teneatur. Aptior autem modus ea præcavendi non est, quàm impositio pœnæ ipso facto incurrendæ.

7. Limitanda tamen est responsio hac ratione: modo pœna subeunda sit moderata & humanæ conditioni non nimium difficilis. Eo quod dum pœna nimis est acerba, expediens non sit illam imponi; quia pauci illam exequentur. Quod autem communitati expediens non est, non potest præcipi a legislatore. Hinc obligari non posse delinquentem ipsofacto ad actionem ponendam, ex qua graviter ejus vita, fama & honor periclitantur, docent Suar. *l. c. n.* 12. *&* 16. Salas *l. c. num.* 37. Castr. *num.* 5.

QUÆSTIO CXXV.

An aliquæ pœnæ a legislatore ecclesiastico aut civili annexæ sint delictis incurrendæ ante omnem Judicis sententiam etiam declaratoriam delicti.

1. RESp. primo. Censuræ excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis sæpe annexæ sunt delicto, ita ut incurrantur, nulla expectata Judicis sententia, ut constat ex *c. si quis suadente* 17. *q.* 4. & toto *tit. de sent. excom.* Sanch. *de mat. l.* 9. *d.* 30. *nu.* 1. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 5. Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *n.* 1. rationem dat, quod ita usu receptum, & conveniens erat, Ecclesiam, quæ spiritualem subditorum profectum spectat aliquas habere pœnas, quibus a contrahendis delictis quantumcuoque occultis arceret.

2. Resp. secundò. Irritatio actus & inhabilitas ad illum, dum non opponitur ob punitionem delicti, sed solum ad bonum regimen & præcavendas fraudes, adeoque rationem pœnæ non habet, sed potius defectum formæ servandæ importat, nullam Judicis senrentiam requirit; sed eo ipso, quod, non servetur talis forma, actus est nullus. Sic matrimonium celebratum sine parocho & testibus, testamentum sine solennitate, contractus pupilli sine consensu tutoris sunt nulla eo ipso, absque eo, quod necesse sit declarare, esse taliter celebrata. Quid verò dicendum de irritationibus seu inhabilitatibus, dum adjiciuntur delicto in detestationem & punitionem illius, adeóque rationem pœnæ habent. V. g. dum conjugatus cognovit consanguineam suæ uxoris intra secundùm gradum non potest petere debitum. Dum committens adulterium sub fide data ducendi adulteram mortua legitima uxore, redditur inhabilis ad eam ducendam (quæ exempla inhabilitatis habentis rationem pœnæ adducit Castrop. *l. c. num.* 2.) de hoc inquam statues ex paulo post adducendis.

3. Resp. tertio. Pœna quoque conditionalis, seu lex lata sub conditione, incurritur & obligat ante omnem Judicis sententiam. Quia non tam est pœna, quam conditio, sub qua aliquid conceditur, qua non cessante cessat favor concessus. Sic clericus minor Ordinum, eo ipso, quod non gestet habitum clericalem, non gaudet privilegio fori. Sic juxta Mol. *Tom.* 1. *de Just. tractat.* 2. *dist.* 96. *in fine*. Sanch. *l.* 7. *de matrim. d.* 91. *num.* 2. *&* 3. Suar. *l.* 5. *de LL. cap.* 6. *nu.* 10. Castropal. *loc. cit. num.* 3. citantem plures alios; fœmina, cui factum legatum sub ea conditione, si castè vixerit, ea turpiter vivendo non potest legatum in conscientia retinere, sed debet ad hæredes transmittere, quia non privatur legato in pœnam fornicationis, sed quia conditionem, sub qua concessum, non implevit. Idem ob eandem rationem est de illo, qui admissus ad colligendum aliquod, in quo statutum; si tale delictum commiserit, privetur privilegiis collegii, teneanturque restituere, quæ a tali collegio accepit, quòd nimirum teneatur in casu talis delicti commissi, nulla exspectata sententia, recedere a Collegio, acceptaque ab eo restituere, tenent Sotus *de Just. l.* 1. *q.* 6. *a.* 6. *ad* 4. Regionald. *l.* 13. *num.* 276. Sayr. *l.* 3. *c.* 9. E contra non teneri ad hoc ante sententiam & delicti probationem censent Mol. *loc. cit.* Azor. *l.* 5. *cap.* 8. *qu. ult.* Vasq. 1. 2. *Tom.* 2. *d.* 173. *cap.* 1. Navar. & alii apud Castrop. *num.* 4. eo quod receptio illa ad Collegium non sit conditionalis; adeoque ille recessus a Collegio & redditio acceptorum habeant rationem pœnæ, utpote qualis proprie est, quæ privat privilegiis jam acquisitis. Verum bene ait Castrop. cum non minus illa receptio in Collegium ejusque privilegia, ac legatum illud mulieri factum concedi possiot sub illa conditione, si a delicto abstinueris, an sic concessa, id colligendum ex consuetudine & usu. Dum vero admissus quis fuit absolutè, neque elaris, & espressis verbis ei declaratum, sub dicta conditione admitti, privationem illam Collegii & privilegiorum habere rationem pœnæ, adeoq; non incurri jure ante sententiam declaratoriam. De cetero, quod Canones privantes beneficiis ipsofacto ob delictum sint tales leges conditionales, rectius negatur cum pluribus apud Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 3. *§. accedit*. Et admittunt id rantum de canonibus privantibus beneficiis ob factum aliquod omni culpa vacans. V. g. dum beneficiatus duceret uxor em, fit religiosus,

pos-

possessionem Episcopatus capit &c. vi horum canonum absque omni senteotia tenetur in conscientia dimittere beneficium. Vide me *in foro benefic. part. 3. quæstion.* **167.** *num.* **3.**

4. Resp. quarto. Præter censuras & irregularitatem nullam pœnam propriè talem imponi reo, & ab eo incurri absque omni sententia Judicis, tenent D. Thom. communiter receptus, ut Castrop. *l. c. n. 5. 2. qu. 62. ar. 3. in corpor.* Sanch. *de matr. l. 3. d. 53. num. 6. & l. 7. disp. 89. num. 11.* dicit, esse omnium Theologorum & utriusque Juris Professorum; sequitur Mol. *l. c. d. 176. §. illud universe &c.* concedit idipsum de pœois, quæ ad sui executionem requirunt actionem, Castrop. *num.* 6. nullatenus esse io jure civili vel canonico legem, quæ ad hujusmodi pœnas ante sententiam obliget, ait Suar. *l. 5. c. 7. num.* 6. & pluribus Farinac. 2. *part. fragm. ubi de lege num.* 857.

5. Resp. quinto. Pœnæ privativæ impedientes translationem dominii seu jus acquirendum, & hinc ut dictum, minùs propriè habentis rationem pœnæ plures, tam io jure Canonico quam io Civili contrahuotur ante Judicis seotentiam. Sic beneficiatus non residens pro rata absentiæ non facit fructus suos, etiam nulla declaratione secuta. Idem est de non recitante horas. Et si receperint illos, tenentur pro rata absentiæ, & omissionis horarum illos restituere. Canonici privantur voce activa io capitulo, si ordines majores non receperint. De aliquibus autem exemplis, quæ adducit Castr. v. g. quod accipiens beoeficium parochiale, si iotra annum non ordinetur sua culpa, obligetur illud dimittere juxta *c. licet canon. decl. in 6.* merito dubitatur, quia talis non privatur juro acquirendo sed quæsito.

6. Resp. sexto. Probabile est, nullam ferè pœnam privantem jure jam quæsito & incepto possideri esse, quæ ad sui plenam executionem oon requirat Judicis senteotiam, etiamsi lex dicat: *ipso facto vel ante declarationem*: verbaque illa semper intelligenda: ante declarationem pœnæ, & non ante declarationem delicti. Eo quod in pœois semper benignior sit facienda interpretatio. Ita tenent Less. *de Justit. l. 2. cap. 29. d. 8. num. 34. & alibi.* Vasq. *de LL. d. 178. cap. 3. num. 27.* Salas *de LL. disp. 15. a num. 46.* Sanch. *de matr. l. 9. d. 89. num. 12.* dicens esse coounuuissimum DD axioma. Molin. *tom. 1. de Just. tr. 2. d. 96.* doceus exigi verba legislatoris luce clariora, explicantia ipsius mentem esse, nullam omnino requiri senteotiam. Castrop. *cit. p. 2. nu. 8.* adducens inter alia exemplum de Simoniacis, qui præterquam, quod inhabilis reddaotur ad alia beneficia obtinenda, privaotur beneficiis jam obtentis ex Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform.* & ex Constit. Pii IV. adversus committentes Simoniam; & tamen non obligantur renunciare beneficiis aote sententiam de commissa Simonia; cum alias obligarentur ad manifestandum se ipsos, vel ad patieodam gravem necessitatem. Quod signum est, privationem tituli ante sententiam de commissa Simonia non esse annexam huic crimini. Et sic in aliis quoque delictis, quibus ipso jure annexa est privatio beneficii, neminem ante sententiam declaratoriam criminis teneri dimittere possessionem beneficii; sed eam cum tota jurisdictione habita retinere licite posse & hunc usurpare usque ad dictam declaratoriam, esseque verum possessorem juris & non tantum facti, absolute tenent Tondeit. *in qq. benef. part. 1. cap. 27. num. 22.* Lotter. *de re benef. l. 3. quæst. 18. num. 28.* Soto *de Justit. l. 1. quæstion. 6. art. 6.* Pirh. *ad tit. de concess. præb. num 25.* Laym. *Th. Mor. l. 4. tr. 2. c. 17. n. 1.* Molin. Less. & plures alii. Contra Garc. *de benef. p. 11. cap. 10. num. 18.* citantem Felio. *in cap. nostra de rescriptis n. 12.* Abb. *in repet. c. exstirpandi de præb. n. 24.* Navar. & alios tenentes, debere in eo casu beneficiatum in conscieotia statim absque omni sententia dimittere beneficium. Quio & retineri una cum legitima possessiooe dominium bonorum, dum quis ob delictum privatur bonis, doceot Vasqu. Soto. Bannez, Guttier. &c. apud Garc. *loc. cit. num.* 10. aliis apud eundem, puta Valeot. Vega. Cajet. tenentibus, amitti statim in hoc casu dominium & proprietatem, & illud acquiri Fisco, sola possessione & usu relictis delinquenti. Quod autem non semper hoc ipso, quod amittatur dominium, amittatur etiam possessio, cum communi docet Paris. *de resign. l. 11. qu. 10. num.* 11. Neque speciale quid est hac in parte de beneficiis, ut contendit Garc. *l. c. n.* 19. quod licet lex non debeat, fortè etiam non possit (eo quod id iotolerabile sit & impossibile moraliter) obligare aliquem in conscientia, ut ipse sit executor pœnæ amissionis bonorum suorum, & sic per verba illa: *ipso jure* & similia non censeatur ad hoc obligare; in bonis tamen communibus qualia sunt beneficia & officia publica, rectè potest delinquentem obligare ad illa dimittenda ante omnem senteotiam; cum illa specialiter dependeant a lege ecclesiastica, seu Republ. vel Principe, a quibus sic conferuntur, ut possint dari & auferri pro ut placuerit, maximè ex causa. Et citat pro hoc Sylv. Sot. Guttier. Molin. Vivald. & specialiter Henriq. *in summ. l. 13. cap. 36. §. 2. lit. T.* Nam etsi, ad summum hinc deduci videatur, posse sic legem Ecclesiasticam, vel civilem statuere circa beneficia & officia publica, pro ut sæpe facit in censuris (quod ipsum exemplum adducit Garc. *num. 21. & 22.*) nihil tamen affertur, unde probetur sic de facto aliquas statuisse. Non ista verba: *ipso jure vel facto*: neque ista: *privatus exsistat ipso facto absque alia declaratione*: ut expresse teneot Covarr. Zerol. Vega. Vasqu. Henriqu. &c. apud Garc. *num.* 14. & dictum a oobis *in respons.* Et licet illa expositio, quod intelligantur verba illa: *etiam absque ulla declaratione*, nimirum commissi criminis Lessio videatur non oihil violenta, ait tamen, usum eam confirmare (secus ac accidit io censuris, in quibus usus habet contrarium) & leges istiusmodi clausula instructas ex usu non esse receptas, ita ut ante declarationem criminis possessores non teneantur dimittere beneficia. Quin etiam Covarr. *in 4. part, 2. cap. 6. §. 8. numer.* 8. tenet, privatum per sententiam, vel privatum ipso jure, etiam secuta declaratoria, pergentem possidere, non ceoseri intrusum, & non teneri dimittere beneficium donec spolietur ipsa possessione, & illud ei adimatur, seu nisi ipsa executio fiat per sententiam. Covarruviam sequitur in hoc Lessius sic usum habere dicens, ut non solum declaretur crimen per sententiam, sed etiam delioquens privetur beneficio, & prius non censeatur omoioo privatus. Vide me *in foro benef. l. c.* ubi etiam *in fine n.* 3. An beneficium, quo quis ipso jure privatus, possit, nulla exspectata sententia conferri & impetrari ab alio.

7. Excipitur nihilominus pœna, qua conjuges incestuosi privantur petitione debiti, oulla exspectata seotentia declaratoria criminis. Sanch. *de matrim. l. 9. disp. 30. nu.* 2. Castrop. *loc. cit. num.* 9. De cetero contra responsionem non facit primò quod *cap. humoni de homic. in* 6. occidentes alios per Assassioos priventur officiis & beneficiis ipso facto taliter, ut liberè aliis conferri possiot. Nam ibidem ipse textus, dum dicitur: *postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem tam execrabile scelus commisisse*: indicat senteotiam Judicis; cùm dicta verba ad notitiam publicam & judicialem referri debeant, ita ut quousque in judicio non constet de tali delicto non videatur privatus officio & beneficio. Ac ita cum Felin. *in cap. 2. de fide instrum.* teneot Suar. *de LL. l. 5. c. 8. n.* 15. Vasq. *d. 166. c.* 4. Sylv. *v. assasinus in fine.* Castrop. *l. c. num.* 10. *&c.* Neque secundo, quod *in Extrav. ambitios. de reb. Eccles. non alien.* Prælati inferiores & rectores ecclesiarum alienantes bona suorum beneficiorum privantur beneficiis ipso facto his verbis: *privati existant ipso facto & absque alia declaratione, in ea re censeantur.* Nam etsi Suar. *loc. cit. num.* 14. cum Cajet. Navarr. admittant his verbis inteotari vacationem absque alia declaratione incurrendam; addunt tamen, teste Castropal. *num.* 11. has pœnas non esse usu receptas. Neque tertio, quòd Pius IV. in constitut. sua, quam refert Nav. *cap. 2. num.* 110. Simoniacos privet obtentis beneficiis ipso facto, videaturque excludi in ea manifestè omnis senteotia declaratoria criminis, ut teneot Navar. *loc. cit.* Suar. *loc. cit. nu.* 16. ideoque Pontifex hac sua constitutione intendat præcludere viam committendi tale delictum spe subterfugiendi judicium. Si enim hæ pœoæ non contraherentur priusquam hoc crimen esset declaratum, jam coofidentiales spe vana freti, judicium contra se oon esse ioteotandum, in crimine perseverare possent. Nam censet Castrop. *loc. cit. num.* 10. neque vi hujus constitutionis adhuc contrahi pœnam privationis beneficiorum habitorum, & inhabilitatem ad alia consequenda ante sententiam declaratoriam criminis. Eo quod sufficieoter satisfiat intentiooi Pontificis per hoc, quod delinquens a die commissi criminis maneat obnoxius dictæ privationi, & aliud oihil expostuletur ad hoc, ut actu privatus illis existat, quam declaratio delicti. Pari modo censet Castrop. cum Salas *d. 25. s. 2. num.* 31. & Less. *de Just. l. 2. c. 35. du. 26. n.* 247. explicandum Trident. *sess. 24. c. 18. de reform.* privans beneficiis obtentis Examinatores Simoniam in examine committentes, ut scilicet absolvi nequeant a peccato hoc Simoniæ, nisi beneficiis dimissis. Subintelligendo nimirum; si fuerit eorum delictum declaratum. Sic generaliter, nullam pœnam, etiam in beneficiis incurri ante latam sententiam declaratoriam criminis etiamsi dicatur: *ipso facto, nulla declaratione præmissa*: docent apud eundem Castrop. Vaq. *d. 168. cap.* 4. Sanch. *de matrim. d. 53. num.* 1. Covar. *de sponsal. 2. p. c. 6. §. 8. nu.* 8. Sa *v. pœna, num.* 1. Molin. *de just. Tom. 1. tr. 2. d. 96. &c.* Neque quarto textus *c. cum inter, de elect. c. 1. de postulat. cap. quia*

diversitatem de concess. præb. Et similes, quibus aliqui ipso facto privantur jure eligendi, seu voce activa & passiva. Nam dicti textus fere loquuntur de ligatis censura, admittitque Castrop. *num.* 11 dictam privationem vocis, quæ incurritur propter censuras, habere hanc vim; non vero privationem, quæ incurritur ob delictum. Et quidem ut quis privetur non solum usu, sed & potestate eligendi, censuram debere esse denunciatam; censura tamen astringens eligendum, etsi occulta, reddat ejus electioonem passivam nullam, juxta *cap. postulasti de cler. excommunic.* Et quamvis *cap. cum in cunctis de elect.* ubi Canonici eligentes scienter indignum privantur potestate eligendi, videatur evineere intentum, ait tamen etiam Castrop. non esse hoc firmum argumentum negandi debere prius accedere sententiam declaratoriam criminis, Cum & hæc sit privatio juris quæsiti.

8. Sed neque ex dictis hucusque sequitur, verba illa: *ipso facto absque alia declaratione*: frustra in lege pœnali apponi: neque esse differentiam inter legem statuentem pænam ipso facto & statuentem pœnam ferendam, si semper expectanda sententia declaratoria. Nam dum pœna ipso facto imponitur, non requiritur sententia condemnatoria, sed sufficit declaratoria facti. Secus est in pœna ferenda; hæc enim requirit sententiam condemnatoriam Judicis, post quam prius incurritur & debetur pœna. Item omnes actus facti post commissum delictum veniunt irritandi, si irritabiles sint. Sic si quis ob delictum commissum ipso facto privetur officio, beneficio, bonis, tenetur post sententiam declaratoriam delicti fructus perceptos (intellige, a die commissi criminis; retrotrahitur enim per fictionem juris pœna executioni danda ad diem commissi criminis) restituere Fisco petenti. Et si alienaveris illos, potest rescindi contractus in damnum Fisci celebratus; quia omnia eum illo onere transeunt. Et hinc etiam hæredes conveniri possunt ad solvendam pœnam realem, quam defunctus debebat. Secus est in pœnis ferendis, quæ debentur solùm a die latæ sententiæ declaratoriæ. Ratio horum est, quod lex imponens pœnam ipso facto privet, quantum est in se, delinquentes bonis, sub conditione tamen, quod delictum declaratur, quare non eget ut Judex sententiam ferat de privatione, sed per sententiam declarat, esse commissum delictum cui a lege statuta illa pœna. Lex vero imponens pœnam ferendam non privat, sed remittit Judici, ut privet. Hanc inter has leges differentiam dant Salas *de LL. d.* 15. *s.* 3. *num.* 47. Sanch. *l.* 2. *in decal. c.* 22. *n.* 28. Mnlin. *de Just. tom.* 1. *tr.* 3. *d.* 95. Henriq. Layr. &c. apud Castrop. *n.* 13. Porro ad sententiam delicti declaratoriam requiri citationem partis, testatur Jul. Clar. *in pract. §. fin. q.* 31. *n.* 3. Tusch. *v. declaratio concl.* 98. *n.* 62. Farinac. 2. *p. fragm. n.* 168. qui etiam doceat, a tali declaratoria dari appellatinnem.

QUÆSTIO CXXV.

Quandonam censendum, & unde colligendum, pænam esse latæ vel ferendæ sententiæ.

1. RESP. primò. In dubio, an lex contineat pœnam latæ sententiæ, an ferendæ, sive num ipso jure infligatur, hoc est, ab ipso legislatore ipsamet lege delinquenti imponatur, & is ab eo ad eam condemnetur. Nam verò legislator solùm comminetur delinquenti, nondum tamen per se seu vi legis eam imponat, sed per sententiam Judicis imponendam decernit, quæ dicitur pœna ferenda ab homine: in dubio hoc inquam, censendum est, contineri solam pęnam ferendam. Tusch. *Lit. P. concl.* 248. *nu.* 5. Gemin. *cons.* 23. *n n.* 2. in pœnis enim benignior est interpretatio facienda. *Reg. Jur.* 49. *in* 6. & interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ *l. interpretatione ff. de pœnis.*

2. Resp. secundò. Dum lex comminatur totam pænam dicendo v. gr. sub pæna excommmnicationis, privationis &c. probibetur, & alia particula nulla adjicitur, aut adsint aliæ circumstantiæ, ex quibus aliter de mente legislatoris, quod velit imponere pænam latæ sententiæ, signum est, esse pœnam solum sententiæ ferendæ; comminari enim pœnam & mandare Judici, ut eam delinquentibus imponat, non est ferre sententiam, seu non est sententia. Abb. *in c. unic. de sagittar. n.* 3. com Gl. fin. *in c. cum esset de testam.* & *c. relatum de Jurep. v. excomm.*

3. Resp. tertiò. Dum verba imponentis pœnam, sunt futuri temporis. V. g. dicatur: *privandus, irritandus &c.* pœna non imponitur ipso jure, sed censenda est esse sententiæ ferendę. Gl. *c. cum tu. v. privandus de usuris.* Gl. *in clem. sæpe de verb. signif. v. irritandus.* Farinac. cum communi.

4. Resp. quartò. Dum verba legis sunt modi imperativi, non afficientia ipsam pænam, sed vel reatum pœnæ, hoc est, obligationem passivam. V. g. dum dicitur *qui hoc fecerit, reatum talis pænæ incurrat* vel *fiat reus talis pænæ*, vel actum Judicis v. g. dum dicitur: *excommunicatur, suspendatur, privetur beneficio, mulctetur &c.* signum est, esse pœnam sententiæ ferendæ. Cùm de hac optimè intelligi possint, & in pęnis mitior sit adhibenda interpretatio, modo tamen non interveniant aliæ clausulæ pęnam ipso jure impositam sufficienter exprimentes. Farinac. *p.* 2. *fragm. v. lex num.* 63.

5. Resp. quinto. Dum verba imperativi modi afficiunt ipsam penam. V. g. dum dicitur; *excommunicationem incurret, subjaceat interdicto &c.* importari pęnam latæ sententiæ, tenent, Gl. *in c.* 1. *de injuriis in* 6. *in fine.* Abb. *in c. quia in omnibus, de usuris n.* 9. ubi, quod verba: *maneant suspensi, donec &c.* importent suspensionem per canonem, seu ipso jure inflictam. Felin. *in c. Rodulph. de rescript. n.* 33. ubi, quod talia verba sint: *Anatema sit, anathematis vinculo subjaceat*, & talia esse verba a Conciliis generalibus intenta illis, qui definitionibus fidei factis in illis contraria sentiunt, ait Reiffenst. *ad h. t. n.* 213. Contrarium, nempe his verbis: sit excommunicatus, sit anathema, nisi sententia excommunicationis latæ aliunde jam habeatur (uti quia hæretici jam dudum ante ut constat ex *c. Achatius & can. majores* 24. *q.* 1. ipso jure fuerunt excommunicati, nimirum non est, dictum illis a Concilio anathema esse latæ sententiæ) aut per alia jura adjectave verba probetur appositum (uti quia *in can. si quis suadente* 17. *q.* 4. per verba sequentia reservatur absolutio Pontifici, plures censent, excommunicationem ibi latam esse latæ sententiæ) significari solùm sententiam ferendam, tum quia *sit* est futuri temporis, & commodè explicari potest per *fiat excommunicatus*; pro ut illud explicat Gl. fin. *in c. si quis ex clericis de vita & honest. clericor.* sitque in pœnis mitior pars eligenda, & in dubio super illis pars benignior, tenent Navar. *in man. c.* 27. *n.* 12. Sanch. *de mat. l.* 7. *d.* 12. *n.* 2. Bald. *in c. at si clerici de Judiciis.* Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Reiffenst. *l. c. n.* 215.

6. Resp. sexto. Verba legis modi indicativi præsentis vel præteriti temporis. V. g. *excommunicamus, sciat*, vel *noverit se excommunicatum, se excommunicationem incurrisse &c.* significant pænam latæ sententiæ. Suar. *de* LL. *l.* 5. *c.* 6. Tusch. *Lit. P. concl.* 719. *n.* 15. Farin. *p.* 2. *fragm. v. lex a n.* 74.

7. Resp. septimo. Per verba illa; *ipso jure, ipso facto: mox, ex tunc, illico &c.* & alia hujusmodi, utpote quæ nullam temporis dilationem admittunt, significant pænam latæ sententiæ. Farinac. *l. c. n.* 92. Felin. *in c. Rodulphus de rescrip. n.* 24. cum communi.

8. Resp. denique. Dum legislator sibi aut legi suæ vim ipsius pœnæ tribuit. V. g. dicendo: *authoritate nostra: virtute præsentium, sit excommunicatus: excommunicationem, quam nunc in eum proferimus, se noverit incursurum*: important latam sententiam, tametsi alias importarent ferendam juxta dicta *respons.* 5.

9. Porrò dum in Canonibus quibusdam pęna nullitatis, privationis, jubentur imponi per Judicem, vel etiam irritatur & cassatur, quod ipso jure (vi nimirum aliorum canonum) irritum est, tales modi loquendi referuntur tantum ad factum, ita ut v. g. qui beneficio ipso jure privatus est, etiam per sententiam Judicis quo ad factum & actualem possessionem relinquere cogatur. Vel etiam continent solam juris declaratinnem, ita ut illi qui actum ipso jure irritum commiserunt, vel jus v. gr. eligendi amiserunt, aut ipso facto excommunicati fuerunt, postmodum, suborta lite, per sententiam Judicis tales declarentur. Sicque idem sit privare, ac declarare privatum esse: irritare & cassare electionem, idem ac ipsam irritam & cassam sententialiter pronunciare. Quemadmodum etiam, dum quis per Canonem jubetur absolvi a juramento, excommunicatione &c. qui hanc aut illud de jure non contraxit &c. idem sit, ac absolutum pronuntiare, aut etiam, quod tali jubeatur dari absolutio solum ad cautelam.

QUÆSTIO CXXVII.

An pœna licite ex mutuo consensu apposita contractui, dum contrahentes expresse non obligarunt se ad eam solvendam ante Judicis sententiam; sed solum dixerunt sese soluturos talem pœnam, si resiliant, & non stent contractui, debeatur ante Judicis sententiam.

RESp. non convenire in hoc A A. nam sic eam deberi, etiam parte non petente, tenent Felin. *in c. 1. h. t. n.* 46. Decius *ibidem Lect.* 2. *n.* 20. Palud. &c. eò quod debeatur ex contractu; quod autem ex contractu debetur, debeatur in conscientia, non secus ac vovens obligatur ex voto pœnali solvere pœnam adjectam voto, nulla exspectata sententia si voto non steterit. Quamvis ex voto pœnali statim videatur deberi pœna propterea quod in eo non est imaginabilis alia sententia præter eam, quam quisque sibi imponit, secus ac contingit in debitis factis homini, ut Castrop. paulò post citand. *num.* 6. Deberi pœnam, nulla exspectata sententia resilientem a contractu, si ab altero contrahente petatur, tenent Menoch. *de arb. l. 2. cent.* 3. *casu* 260. *n.* 4. Guttier. *de mat. c.* 18. *a.* 19. Cov. *l. 4. decret. c.* 6. *§.* 8. *n.* 11. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 6. *nu.* 8. Molin. *de Just. to.* 1. *tr.* 2. *d.* 97. *in fine*. Sal. *de LL. d.* 15. *s.* 3. *n.* 51. &c. eo, quòd videatur hæc esse intentio contrahentium, ut petitio partis succedat sententiæ, cujus aliàs obtentio solet non levem parere difficultatem, ad quod gravamen subeundum innocens, ut sibi debitum recipiat, non sit obligandus. Quas duas sententias etsi probabiles dicat Castrop. *tr.* 2. *d.* 2. *p.* 3. *nu.* 4. ipse tamen cum Sanch. *l. 1. de sponsal. d.* 37. *n.* 4. Nav. *c.* 23. *n.* 67. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 20. *dub.* 15. Gutt. *can. qq. l.* 2. *c.* 20. *n.* 13. *&c.* tenet, non teneri ad hanc pœnam resilientem ante sententiam Judicis; eo quod nisi aliud exprimant, videatur mens contrahentium non velle se obligare ad pœnam, nisi facta condemnatione, cùm sit obligatio ob transgressionem legis, quam ipsi sibi posuerunt; pœna autem jure communi apposita non aliter contrahatur. Adhæc, quia moderari has pœnas, dum exorbitantes sunt, est Judicis, uti & examinare, num damnum aliquod innocenti fuerit secutum. Ac denique in dubio intelligendi sint contrahentes apponere pœnam juxta regulam pœnarum juris communis, quæ non obligat ante sententiam Judicis saltem declaratoriam. Unde etiam Castrop. *nu.* 5. cum Gutt. & Sanch. infert, debitorem pœnæ conventionalis præscribere posse solutionem, si ea non petatur, a Judice *l. omnes C. de præscrip.* 30. *annor.* Item cum Rebuff. *in proœm const. regal. gl.* 1. *n.* 47. hanc pœnam & quamlibet aliam legis præscribi posse post condemnationem, si a parte interessente non petatur spatio 30. annorum; quia debitor credere potest creditorem nolle uti jure suo, uti contingit in hærede, a quo legatarius non petit legatum, & in domino, qui scit, feudatarium cecidisse in commissum, & non petit, pro quo etiam citat Vasq. *d.* 173. *c.* 3. Sal. *de LL. d.* 15. *s.* 3. *n.* 53. Regin. *l.* 13. *a.* 283. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *§.* 2. *n.* 30.

QUÆSTIO CXXVIII.

Qualiter & quas pœnas exequi teneatur reus post latam sententiam.

1. RESp. primò. In genere post latam legitimè & justè sententiam obligatur reus ad non resistendum Judici infligenti pœnas in lege statutas. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Castrop. *loc. cit. par.* 4. *nu.* 1. cum communi. Siquidem reus justè secundum leges damnatus judiciali sententia resistens quò ad subeundam pœnam, resistit potestati, adeoque ordinationi Dei; qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt. Apost. *ad Rom.* 13. nullumque ad resistendum jus habet, quia nulla ei infertur injuria. Sic dum quis damnatur ad verberationem, exilium, carcerem sententia ultima, quam appellatione vel alio remedio juris non potest infirmare, teneri eam subire, & non fugere a carcere, exilio &c. communem esse sententiam, ait Castrop. *n.* 4. citans pro ea præter D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 3. Tiraq. *in l. si unquam C. de revocand. donat. v. revertatur n.* 291. Nav. *c.* 23. *in* 66. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 8. *q.* 6. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 10. *a n.* 5. Salas *d.* 15. *s.* 2. *nu.* 32. Sayr. Bonac. &c.

2. Resp. secundo. Dum tamen pœna est gravissima. V. g. mortis, mutilationis, perpetuæ vel longæ damnationis ad triremes; tetri & duri carceris, licere fugere, docent communiter cum D. Thom. Suar. *l. c. a.* 16. ut idem esse dicit, si in carcere durius quis tractetur. Castrop. *num.* 5. ubi etiam id admittit de exilio in terra insalubri; imo dè actione quacunque de se nimis molesta, habet enim tunc quilibet jus ad fugam a natura, ut Castrop. ac sic indirectè impedire potest executionem utendo jure proprio defensionis. Quod ipsum ei vetitum non esse, ex eo confirmat Castropal. quod talibus condemnatis præcipiatur obedire sententiæ sub comminatione gravioris pœnæ. Siquidem hoc signum est, velle Judicem te astringere solo timore pœnæ, adeoque si aliquo casu censenda sit lex pænalis obligare ad solam pœnam, hæc talis censenda sit, cùm præcipiatur res ita ardua, uti id probabile censent Less. *l.* 2. *cap.* 31. *dub.* 5. *num.* 30. Salas *d.* 5. *s.* 7. *num.* 88. Quin & Navar. *c.* 17. *num.* 102 Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 10. Cajet. & alii apud Reiffenst. *ad h. t. a.* 225. contra Covarr. *l.* 1. *var. res. cap.* 14. *num.* 14. Majorem & alios docent, reum mortis, mutilationis, vel etiam triremium, non solum licitè fugere, sed etiam in hunc finem vincula & carcerem diffringere posse, non obstante *l.* 1. *ff. de effract. Carceris* ubi dicitur de iis, qui carcere effracto fugiunt, sumendum supplicium, hanc enim legem latam, ut custodia publica magis servetur illæsa, ducunt esse merè pœnalem: Quamvis de cetero effractio carceris, & uti fuga ingeneret gravem præsumptionem, quin & quasi confessionem criminis, ob quam fugitivus & effractor carceris jure puniri potest pæna tali crimini correspondente, licèt de eo plenè non fuerit convictus, ut habet Reiffenst. *l. c.* adducens *l. in sos* juncta gl. & Bartol. *ibid. ff. de custod. & exhibit. reorum.*

3. Resp. Tertio. Nequaquam tamen in dictis casibus licet resistere positivè inferendo vim & injuriam ministris Justitiæ. AA. citati *quæst. præced.* Si tamen ex præsumptione falsa quis damnatus esset ad grave supplicium, censet Castrop. *l. c. n.* 1. citans Less. *ubi ante, du.* 4. *in fine*. Vasq. *d.* 174. *cap.* 1. Salas, *a.* 87. Sot. *de just. l.* 1. *q.* 6. *a.* 6. non esse improbabile licite posse se aliquem defendere armis contra ministros Justitiæ, si spem habeat aliquam evadendi, quia reipsa ei infertur injuria, quam potest vi repellere; & licet advertant hi A A. non licere hos ministros vulnerare; admittunt tamen etiam idipsum Bannez, Victor, aliique relati a Covar. *l.* 1. *var. c.* 2. *n.* 13. videturque approbari a Less. exemplo furiosi, quem licet vulnerare, si alia via non possis ejus invasiones effugere; cum sufficiat in re tibi fieri injuriam.

4. Resp. Quarto. Reus neque per legem neque per sententiam condemnatoriam obligari potest ad pænam mortis, mutilationis, verberationis gravis & infamis sibi inferendam. Suar. *l.* 5. *c.* 7. *in fine*. Vasq. *d.* 173. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *§.* 2. *num.* 29. Castrop. *num.* 2. credens id esse certum; eo quod non expediat bono communi, delinquenti tam gravem obligationem, ut ipse sit sui vindex, imponere; cum huic & pæna satisfiat per hoc, quod ab alio illata patienter sustineatur. Hinc inferunt & docent Suar. *l. c. a.* 13. Vasq. *l. c. c.* 3. Less. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 6. *n.* 26. Castrop. *l. c.* &c. contra Bonac. Aragon. Sa non posse obligari reum sumere venenum, abstinere a cibo oblato; cum nunquam ad bonum commune necessarium sit, ut reus ipse sit suæ mortis executor.

5. Resp. Quinto. Pœnam pecuniariam, facta condemnatione vel declarato delicto, cui ea per legem annexa, tenetur quis solvere. Suar. *loc. cit. num.* 7. Vasq. *loc. cit.* Castrop. *num.* 6. Salas, *d.* 15. *s.* 7. *num.* 82. &c. cum communi; advertunt tamen hi A A. requiri, ut ab eo, cui solvenda, petatur; eo quod sic habeat praxis & usus communis, alias possit retineri. Et sic tenet Castrop. *num.* 5. non teneri reum bona sua deferre fisco, sed satisfacere impediendo Fiscum ea possidere.

QUÆSTIO CXXIX.

An pænam lege præscriptam teneatur Judex imponere seu exequi.

1. RESp. Primo. Si sermo est de supremo Principe seu legislatore, non est is obligatus pœnam lege taxatam imponere, sed potest remittere, & arbitrari. Castrop. *l. c. p.* 5. *n.* 11. cum D. Thom. communiter recepto, 2. 2. *q.* 67. *a.* 4. & Juristis *in l. nulla juris ratio*, *ff. de LL.* Sua enim lege non arctatur legislator; si tamen sine causa legitima temperaret legem, peccaturum illum ad minus venialiter; quia sine causa subditum eximit ab obligatione legis: quin & peccaturum mortaliter, si ab omni pæna reum sine causa liberaret, non quia peccat contra legem suam, sed quia abutitur potestate sua sibi a Rep. concessa in ejus perniciem, præbens hac ratione occasionem delictis, censet Castrop. *l. c.* ubi etiam, quod præsumendum sit, Principem moveri ad hoc causa legitima; quales plures enumerat v. g. benignitatis ostensionem,

intercessionem alicujus Magnatis, renunciationem obsequiorum alias a reo ejusve progenitoribus exhibitorum &c. quibus intervenientibus talis remissio cedit in bonum commune. Sic Suar. *l. 5. cap. 11. num. 9.* Salas *disp. 15. sect. 8. num. 109.*

2. Resp. Secundo. Judex subditus legislatori obligatur ad pœnam taxatam a lege, sive ea sit corporalis, sive pecuniaria, reo convicto imponere. Castrop. Suar. Sal. *LL. c.* dum enim lex imponit pœnam ipso facto, Judex declarans delictum eo ipso declarat pœnam incursam, & hanc incursionem impedire nequit; alias esset legislatore Superior. Si autem lex continet pœnam ferendam, Judex procedens ad punitionem delicti, regula aliqua ad servandam æquitatem regi debet; hæc autem, cùm aptior non sit quam ipsa lex, huic se conformare debet; sed hæc lex de pęna imponenda nullum præter Judicem astringere potest; delinquens enim ante impositionem ejus, eam subire non tenetur, neque alius præter Judicem illam imponere potest. Nihilominus & talis Judex sæpe augere & minuere potest pœnam delicto secundum se impositam a lege. In quo casu etsi agat contra taxam legis talis specialis taxantis pœnam tali delicto, prout hoc frequenter & communius contingere solet, non tamen agit absolutè contra legem; quia id aliis legibus præscriptum, ut dum delictum excedit vel non accedit ordinariam gravitatem augeri vel minui possit pœna, argum. *l. quidquid ergo* : *§. pœna ff. de his qui notantur* & *ibi* gl. Sic v. gr. dum provocatus vel subita ira correptus id fecit, temperari potest pœna *l. absentem ff. de pœnis*. Item rationem senilis vel puerilis ætatis *l. auxilium ff. de minor.* Item dum pœna est pecuniaria, ratione paupertatis *l. illicitas §. ultim. ff. de offic. Præsid.* Ob quarum circumstantiarum considerationem, quia multum potest aliorum doctorum ac timoratæ conscientiæ intercessorum expositiq; quin & ipse affectus Judicis (intellige, non ita inordinatus)

QUÆSTIO CXXX.

An pœnæ solos delinquentes ligent, & qualiter quandoque extendantur ad conjunctos, delinquentis innocentis.

RESp. Nullus pro delicto alterius puniri potest; pęna enim suos tenet authores, neque ulterius, ad illos qui procul sunt a delicto, progreditur *l. sancimus. C. de pœnis.* Farinac. *l. 3. praxi tit. 5. q. 24. num. 1.* Covarr. 2. *variar. c. 8. n. 7.* Dum igitur ob crimina certa parentum, v. g. Læsæ Majestatis filii privantur legitima sibi debita, vel etiam officiis jam habitis, & jure consequendi alia, non tam punitur filius quam pater in filio, qui est aliquid patris. Sic dum uxor ob culpam mariti exulare aut servitue subire cogitur (quale statutum valere ait, gloss. *in cap. cum beno 23. q. 5.* & quam receptam esse omnium consensu, ait Felin. *cap. 2. de constitut.*) exilium illud vel servitus illa non tam est pœna uxoris quam mariti 3. cùm in vindictam delicti a marito commissi infligatur. Quod tamen ut procedat, bene dicit Castropal. *loc. cit. part. 6. nu. 3.* delictum mariti debere esse tale, ut non censeatur satis punitum pœna marito imposita, sed exigat extendi ad conjunctos. De cetero nunquam valere statutum, ut delictum unius in altero, etiam conjuncto puniatur, ipso delinquente relicto incolumi.

QUÆSTIO CXXXI.

An & quotupliciter lex irritare possit actum.

1. RESp. ad primum, vel potius suppono, posse legislatorem vi legis suæ actus quosdam irritare & reddere ita nullius roboris ac si facti non essent; uti istiusmodi legum plures in utroque jure continentur; fiantque contractus aliique actus in utraque Republ. omni valore destituti qui seclusa lege positiva irritante forent validi; neque enim minus Resp. contractibus aliisque actibus subditorum suorum statuere potest formam & conditionem, sub qua valeant & alias, non, quam quilibet privatus respectu concivis sui contractibus, cum eo celebrandis, sic exigente bono communi & recto regimine, ut non solùm inesset ei potestas prohibendi & subditos obligandi per leges, sed etiam per easdem ad impediendum potentius machinationes & actus proborum indemnitati & publicę tranquillitati nocivos, eosdem penitus cassandi & omni valore destituendi.

2. Resp. ad secundum primo. Potest lex irritare contractum aliumve actum ipso facto, dum nimirum vult illum absque eo, quod requiratur ulterius ulla sententia, esse nullum; quales v. gr. sunt contractus matrimonii clandestini, vel intra gradus prohibitos, contractus impuberum, alienatio rerum Ecclesiæ; non servata forma &c. Vel per sententiam; dum nimirum lex; non seipsa irritat, sed decernit actum per sententiam irritandum, qua secuta prius ille est irritus, qualis est contractus, in quo intervenit deceptio ultra dimidium justi pretii *l. 2. C. de rescind. vend.* aliique quorum exempla referunt plura Sanch. *de mat. l. 3. d. 4. n. 3.* Less. *l. 2. c. 17. dub. 6.* &c.

3. Resp. ad secundum secundo. Irritatio per legem facta alia est explicita, quæ nimirum fit verbis claris & expressis irritationem continentibus; ut dum lex non tantum inhibet actum, sed etiam addit & dicit: si fiat, *careat omni robore firmitatis ut c. decet de immunit. Eccles. in 6.* vel *irritus sit & inanis* ut *Clem. 2. de reb. eccl. non alien.* Alia implicita, quæ fit per verba æquivalentia, qualia sunt, quæ continent formam in eo necessario servandam; cum enim forma det esse rei, ea non servata corruit actus *c. cum dilecta de Rescrip. c. ult. de rest. spoliat.*

QUÆSTIO CXXXII.

An & quando leges irritantes sint pœnales.

RESp. juxta dicta supra dum lex inducit nullitatem in pœnam delicti & odium delinquentis, ut contingit in lege irritante matrimonium ob uxoricidium vel adulterium factum cum promissione matrimonii, electionem ob simoniam commissam &c. est pœnalis. Sanch. *de mat. l. 3. d. 4. nu. 9.* Castrop. *tr. 3. d. 2. p. 7. num. 4.* Suar. *de LL. l. 5. cap. 19. num. 7.* Sal. &c. privatio enim habitæ potestatis contrahendi vel acquirendi, cum sit grave onus, aptum est deduci in pœnam. Dum verò non ob commissum delictum, sed ob bonum commune religionis, Reip. vel aliquorum privatorum, apposita irritatio sive directa sive indirecta, sive explicita sive implicita, non debet censeri pœnalis. Sic lex irritans actum ob non servatam formam præscriptam. V. gr. matrimonium ob non adhibitos parochos & testes, testamentum conditum sine solennitate. Item irritans matrimonium affinium, consanguineorum, irritans professionem ante annum 16. completum, contractum pupilli sine authoritate tutoris, non est pœnalis. Sunt enim tales leges potius favorabiles, non obstante quod aliquando per eas graventur contrahentes, lege non intendente hoc gravamen per se, sed solum bonum commune & rectam Reip. administrationem, ob quam aliqua onera Resp. imponere potest civibus. Castrop. *l. c. n. 4.* Sanch. Suar. *LL. cit.*

QUÆSTIO CXXXIII.

An eo ipso, quod lex prohibeat aliquem actum, censeatur irritare illum.

RESp. negative Suar. *l. 5. de LL. c. 25. num. 11.* Sal. *d. 16. s. 8.* qui etiam varias hujus sententiæ limitationes adducunt & diluunt. Castrop. *l. c. part. 8. num. 2.* dicens esse ferè omnium Theologorum. Molin. *de Just. tom. 1. tract. 2. d. 88.* Sanch. *de mat. l. 7. d. 2. n. 10.* referens plures alios contra Abb. *in cap. nulli de reb. Eccl. non alien.* Sylv. *v. lex quæst. 28.* Tiraq. *l. 16. connub. gl. 4. num. 5.* & 6. Bald. & alios Juristas communiter in citandum *cap. non dubium*; prohibere siquidem & irritare sunt duo valde distincta: ergo sola prohibitione non significatur irritatio. Ut autem censeatur induci irritatio a lege, id explicitè aut saltem implicitè lex significare debet. Et quod prohibitio non necessario inferat irritationem actus prohibiti, inde patet, quòd matrimonium ab obstricto, simplici voto castitatis prohibeatur contrahi, & tamen sic contractum tenet. Item clandestinè contrahi prohibitum erat olim ante Tridentin. & tamen tunc sic contractum non erat irritum; prohibita est donatio rei promissæ alteri, facta tamen est valida. Si quid obstaret responsioni, esse *lex non dubium C. de LL.* ubi dicitur: *nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos valere volumus, subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes legum interpretationes, tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legislator, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cetera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere* &c. Verum prætërquam, quod dicta lex ad summum in terris Imperio subjectis solùm vim habere posset; neque etiam in his in eo rigore acce-

acceptam, ut contractum prohibitum reddat ipso jure nullum, sed annullandum juxta *cap. vides dist.* 10. ubi: *quidquid contra leges accipitur, per legem dissolvi meretur* (scilicet a Judice) *& pro infectis habeatur* &c. tradunt Molin. *cit. d.* 88. Suar. *l.* 5. *c.* 28. *a num.* 7. Salas *d.* 16. *s.* 8. *num.* 23. apud Castrop. *cit. num.* 2. Et sic sæpe actus dicitur nullus, non quia revera nullus est ipso jure, sed quia ope exceptionis & sententiæ a Judice latæ fieri nullus debet a puncto, in quo factus, casu quo capax sit hujus irritationis & pœnæ. Castrop. *cit. num.* 2. qui etiam *num.* 4. addit, non videri expediens, citatam *leg. non dubium* alio modo receptam, quam quod tales contractus prohibiti non ipso facto sint irriti, sed solum ope exceptionis irritandi. Ad hæc, si quæ irritatio ipso facto in ea lege contenta, cum sit irritatio pœnalis, expectanda declaratio criminis, non secus ac in aliis pænis ipso jure impositis. Sed neque lex dicta canonizatur in illo rigore per Pontificem *cap. Imperiali* 25. *qu.* 2. ubi: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint &c.* Quia dictum *cap.* loquitur de quodam testamento secundum leges imperiales ipso jure irrito; & licèt subdat generalem rationem: quia erat contra legem: intelligi tamen id debet, non de lege prohibente præcisè, sed irritante, vel irritante in pœnam. Neque confirmatur a *Regul. Jur.* 64. *quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Intelligendum id namque de iis, quæ fiunt contra legem seu jus dans actui formam. Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 5. *nu.* 4. vel etiam, ut Castrop. *l. c.* dici potest, quod etiam sit solùm contra jus prohibens tantum, possit a Judice pro infecto haberi, si is judicet, esse conveniens talem irritationem ob transgressionem imponere. Neque denique a ratione, cui potissimum Juristæ nituntur: quod adversus voluntatem superioris inferioris voluntas nihil officere possit. Nam voluntas superioris, si tantum prohibeat actum, non resistit illius valori, sed ejus honestati, adeoque potest actus a subdito fieri validè, licet non licite. Castrop. *l. c.*

QUÆSTIO CXXXIV.

An lex eo ipso, quo irritat actum, prohibeat illum, ita ut obligetur quis in conscientia omittere illum.

RESp. negativè. Si quidem irritatio est effectus legis distinctus ab obligatione. Suar. *l.* 5. *c.* 20. *nu.* 8. *&* 11. Castrop. *l. c. p.* 11. *num.* 1. cum communi. Sic matrimonium & professio irritantur, si fiant ex gravi metu, & tamen sic contrahens non peccat, gravi metu eum a peccato excusante. Testamentum factum sine debita solennitate est irritum, non tamen sic illud faciens peccat; cum nulli faciat injuriam, non obstante, quod quandoque exinde oriantur inimicitiæ, vel etiam deceptio aliqua; fit enim id per accidens, & sufficienter honestari potest, si sic fiat ad impediendas iniquas querelas, preces importunas & vexationes. AA. iidem. De cetero fieri potest, ut aliquando quis peccet graviter ponendo actum irritum, orta hac obligatione illum actum omittendi, non ex ipsa lege irritante, sed aliunde. V. g. emittens professionem nullam ob non servatam formam utique peccat, prohibitione & obligatione orta ex lege naturali, qua quis tenetur actus pertinentes ad religionem validè præstare, nisi legitima causa excusetur. Nihilominus sæpe lex irritans continet quoque prohibitionem, quod tum ex verbis legis, tum ex ejus materia colligendum. Sic si verba sint præceptiva directa ad personas; item si materia ita sit execrata a lege, ut in ejus odium fiat irritatio, clarum est, legem esse simul prohibentem, Castrop. *nu.* 4. ex Suar. *l. cit. num.* 10. Adducente hæc exempla: lex irritans collationem beneficii per confidentiam prohibet illam in conscientia. Item lex irritans electionem religiosi ad Episcopatum sine licentia superioris prohibet talem acceptationem.

QUÆSTIO CXXXV.

Quæ sint verba, per quæ lex censeatur irritare actum.

1. RESp. primò. Cùm lex ipso jure possit annulllare actum, indubitato & manifeste infertur, legem importare hanc irritationem, si dicat: *actus sit irritus ipso jure, ipso facto, eo ipso, ex tunc, est communis.*

2. Resp. secundò. Idem, nimirum significari, ipso jure esse inductam nullitatem per verba illa: *nullius sit momenti, efficaciæ vel valoris*: sentit Salas *de LL. d.* 15. *s.* 6. *n.* 79. distinguit Castrop. *l. c. p.* 17. *n.* 2. ita ut admittat, dum intentio nullitatis præcedit actum, secus dum actus factus supponitur. V. g. dum lex ei, cui collatum beneficium imperat residentiam, alias gratia facta nullius sit momenti, non intelligatur irritatio inducta ipso jure per talem legem, sed solùm vacatio beneficii (quæ verè est pœna; cum tendat ad tollendum jus quæsitum) intentata exigens sententiam, saltem declaratoriam, pro quo Castrop. citat Tusch. *v. comminatio concl.* 477. *num.* 1. Farinac. *part.* 2. *fragm. vers. lex num.* 100. & 102. Oldrad. *cons.* 155. *&c.* Pari modo censendum de verbis illis: *careat omni robore: omni jure, firmitatem non habeat &c.* sentit Castrop. *num.* 3. Farinac. *num.* 120. Salas *d.* 16. *s.* 8. *num.* 29. nimirum si cadant super actum faciendum, importare nullitatem ipso facto, & intelligi non posse de actu illo faciendo irritabili, postquam factus est; quia hic non caret omni firmitate, cum subsistat, donec infirmetur. Secus, si super actum, jam factum, seu potius super rem, qua acquisita quis privari debeat. Ut si lex dicat: *privetur omni jure, omni commodo, omne jus amittat*: cùm ea indifferentia sint, & æque ad Judicem, ac ad reum referri possint: dum autem ad Judicem verba referri possunt; adeoque importare sententiam, hæc pars tanquam benignior sit amplectenda.

3. Resp. tertio. Dum verba legis resistunt potentiæ faciendi actum. V. gr. *non potest, non possit*: quamvis per ea induci nullitatem ipso facto dicat Tiraq. *de LL. commb. gl.* 4. *a num.* 1. idque regulariter verum esse dum materia legis pendet ab ipso Principe & lege V. g. electio, administratio bonorum communium, sententia, officium tutoris &c. diciturque ea aliter fieri non posse, omnes convenire, tolli per ea potentiam, adeoque actum reddi nullum ait Castrop. *l. c. num.* 4. idemque esse, dum materia legis est proprii dominii. V. g. alienatio, donatio propriorum bonorum, lexque dicat: aliter donari, alienari non posse; cum etiam illa potentia limitari & auferri possit pro voluntate Reipubl. Nihilominus tamen quandoque inferunt solum illicitum usum. Cùm, quod licitè fieri non potest, absolutè verum est, te facere non posse. Ita Suar. *l.* 5. *cap.* 32. *num.* 11. Sal. *l. c. num.* 32. Covar. *cap. quamvis pactum p.* 2. §. 4. *n.* 4. Castrop. *l. c.*

QUÆSTIO CXXXVI.

Quandonam censeatur lex irritare actum ob non servatam formam a lege præscriptam, sive, quod idem est, quandonam forma inducta a lege censeatur substantialis sive dans esse actui.

1. RESp. primò id censeri factum primò dum lex dicit: hoc esse servandum pro forma. Siquidem tunc forma supponit pro famosiore suo significato, adeoque pro forma, quæ dat esse rei, & non pro ea, quæ supponit esse rei, adeoque est accidentalis. Castrop. *l. c. p.* 9. *num.* 2 citans Farinac. 2. *p. fragm. num.* 203. Secundo dum alias, ni forma servetur, actus a lege irritatur. Tertiò si lex loquatur conditionatè, Quartò, dum, lex dans facultatem actus faciendi, simulque præscribit modum, modus hic censetur inductus ut forma substantialis *cap. cum dilecta de rescrip.* Sanch. *l.* 5. *in dec. cap.* 4. *num.* 26. Suar. *l.* 5. *de LL. cap.* 32. *num.* 6. & *c.* 32. *nu.* 9. Farinac. *l. c. n.* 204. Sa *v. lex nu.* 14. Castr. *cit. nu.* 3. Rodriq. *qq. regular. q.* 45. *a.* 2. *&c.* arg. *c. ex parte b.* 1. ubi Papa dederat facultatem conferendi certas præbendas ex consilio Episcopi, quod quia fuerat omissum declaratur collatio nulla. AA. iidem apud Castrop. Et ratio est, quod dans potestatem, det illam limitatam, hoc est, sub forma a se statuta, & non alias, adeoque actus, non servata ea forma, ruit ex defectu potestatis. Verumque id esse, ait Castrop. citans gl. *in Clem.* 1. *de sunep. v. inhibentes.* Felin. *in cit. c. ex parte in princ.* Abb. *ibid. num* 5. Limitatur nihilominus hoc ipsum ita, ut si detur potestas, simul præscribitur forma, quæ de jure communi inest simul accidentaliter, non præsumatur exigi ut substantialis. Sic si detur alicui mandatum, ut contrahat tuo nomine matrimonium præmissis denunciationibus, his ab eo omissis, contractus non censetur irritus; quia non præsumitur hæc forma aliter ab eo expostulata, quam a jure communi expostulatur, nimirum ut solennitas solum accidentalis, nisi aliud claris verbis expresserit. Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 5. *num.* 4. Castrop. *num.* 3. Sic si Sacerdoti concedatur licentia assistendi matrimonio diligenti examine præmisso, num contrahentes sint impediti, hoc examine omisso, valide assistit; quia de jure inest talis inquisitio ut forma accidentalis. Sanch. *loc. cit. num.* 4. Pon-

tius de matr. *l. 5. c. 39. num.* 6. Farinac. *l. c. num.* 209. Castrop. *l. c. num.* 3.

2 Resp. secundò. E contra, dum habenti alias potestatem præscribitur forma, ea non servata non censetur actus irritus, nisi id ipsum clare exprimatur. Potestas enim habita per hoc præcisè, quod mandetur servari talis forma, non censetur restricta. AA. relati. Sic Episcopum excommunicantem non servata forma a jure requisita *c. 1. de sent. excom. in* 6. nimirum sine scriptura & expressione causæ, valide, etsi illicitè excommunicare; quia hoc præcepto non videtur restricta ejus potestas excommunicandi, deducunt Sanch. *de matr. l. 3. d. 5. n.* 4. Castrop. *n.* 4. & apud hunc Suar. Salas Bonac. &c. Item processum factum, non præmisso juramento Judicibus præstando, ut *l. rem non novam C. de Judic.* validum esse dicunt. Suar. *l. 5. c. 32. num.* 3. Castrop. *nu.* 5. Item habentem potestatem audiendi confessiones, dum ei præcipitur a superiore non audire confessiones fœminarum, validè eas audire & absolvere. Salas *d. 16. sect. 10. num.* 43. Castrop. *num.* 6. Item si habenti potestatem agendi præcipiatur, ut non nisi cum consilio id agat, is absque eo id aget validè; quia tunc præsumitur mandari consilium ad rectè non ad validè agendum. Castropal. *num.* 7. citatis Sylv. *v. consilium qu.* 3. Abb. *in c. ex parte h. t. in fine sub num.* 43. secus, si simul cum illa clausula petendi consilii concedatur potestas agendi aliquid. Castrop. *cit. num.* 6. dicens esse sententiam communem, ac citans pro ea Sylv. ubi ante Abb. *in c. Apostolicam de regular. circa finem.* Azor. *Tom. 1. l. 12. c. 5. q.* 3. Molin. *tr. de Just. d.* 23. *num.* 2. Bonac. &c.

3. Resp. tertiò. Dum statutum mandat fieri aliquid certo loco vel tempore, non intelligi per circumstancias illas præsciptam formam substantialem, sed actum extra illas factum esse validum, tenent Farinac. *num.* 216. Suar. *l. 5. cap. 25. num* 10. & *cap. 28. num.* 17. Castrop. *num.* 8. contra Felin. *in cap. delectin de rescript. col.* 8. Balduin. *in Author. quæ supplicat. C. de precib. Imperat. offer.* Roland. *cons. 72. num. 7. l.* 3. quibus favere dicitur Tusch. *v. formæ conclus.* 414. *num.* 14. & 15.

4. Quartò. In dubio, an forma præscripta sit substantialis, nec ne, præsumi debere esse substantialem, præcipue, si favorem contineat. Castrop. *n.* 9. citatis Farinac. *nu.* 221. Roland. *cons. 43. n. 13. l.* 2. Vantio *de nullitatib. rubr. quot & quibus mod. nullitas in Judic. proponat. n.* 52.

QUÆSTIO CXXXVII.

An etiam omissio levis formæ substantialis reddat actum irritum.

RESp. Affirmativè cum Farinac. *loc. cit. num.* 120. & 208. Tusch. *v. formæ concl.* 415. *nu* 13. & *conclus.* 421. *num.* 7. Castrop. *l. c. p. 13. nu.* 2. Suar. *l. 5. c. 32. num.* 8. & aliis argum. *l. cum hi. §. si Prætor. ff. de transactionib.* ubi transactio censetur nulla, si non de omnibus inquisierit. Contra Bonac. *d. 1. q. 1. p. 7. num.* 21. Molin. *de Just. d.* 82 *in fine.* Molin. *de primogen. l. 2. c. 6. num.* 33. & alios apud Castrop. Præterquam, quod vix assignari possit, quæ sit levis omissio formæ, illud leve formæ, quod omittitur, vel pertinet ad formam substantialem actus, & jam implicat, sine eo esse formam substantialem, & consequenter actum, ac proinde non est levis, sed gravis omissio. Proinde jam forma ad unguem servanda, nec ei demi potest aut addi, intellige ejus destructivum. Tusch. *v. formæ concl.* 415. ac specificè adimplenda, ut impleri nequeat per æquipollens. Tusch. *l. c.* Roland. *cons. 30. n. 4. l.* 3. Farinac. *n.* 219. *&c.* quos citat & sequitur Castr. *loc. cit. num.* 3.

QUÆSTIO CXXXVIII.

An lex irritans hunc effectum habeat a puncto publicationis.

RESp. neque lex ulla civilis neque canonica irritat actum, antequam transeat tempus, quo possit pervenire in notitiam subditorum. Suar. *de LL. l. 5. cap. 33. num.* 5. Sanch. *de matrim. d. 17. num.* 10. Castrop. *l. c. p. 16. n.* 2. Contra Nav. *man. cap. 27. num.* 44. & *l. 3. consilior. tit. de regular. cons. 31. n.* 5. Menoch. *de arbitr. l. 2. centur. 2. cap. 185. num.* 2. Sylv. *v. lex q. 6. dicto* 3. aliosque apud Suar. Contrarium de legibus canonicis sentientes. Lex enim ante illud tempus non censetur sufficienter applicata. Eamque actum irritare, antequam in notitiam subditorum devenire possit, maximè obest rectæ gubernationi, & maxima secum trahit incommoda, dum subditi putant se validè contrahere, & tamen invalidè contrahunt. Si tamen lex ipsa contra eum declarat expressè, dicta irritatio non pendebit a notitia subditorum, sed procedet a momento, quo constituta est & publicata, secus ac accidit in aliis legibus prohibentibus, cùm lex irritans nullam inducat subditis obligationem, sed purè tendat ad annullandum actum, sive is fiat cum, sive sine ignorantia hujus legis. Suar. Sanch. Castrop. *LL. cit.*

QUÆSTIO CXXXIX.

An & qualiter lex irritans actum egeat sententia, ut hunc effectum suum consequatur.

1. RESp. primo. Si irritatio cadit super actum jam factum ob non servatam formam seu conditionem aliquam accidentalem, non habet irritatio effectum ante sententiam declaratoriam Judicis. Tunc enim supponitur actus validè & sine ulla legis resistentia factus, & irritatio subsequens pœna est, in odium delicti, adeoque sequi debet naturam legis pœnalis, quæ eget sententia declaratoria criminis. Castrop. *l. c. p.* 10. *num.* 1. Sanch. *de matr. d. 4. num.* 9. Farinac. *n. 2. frag. n.* 102. 157. 160. *&c.* & ut probabile defendit Suar. *l. 5. c. 35. n. 2. &* 3.

2. Resp. secundò. Dum irritatio antecedit actum, imponiturque ob solam legis transgressionem in odium transgressoris (intellige ipso jure) requiri sententiam declaratoriam probabile censent Suar. *l. c. num.* 5. Castropal. *num.* 2. indicantque Sanch. *loc. cit. num.* 9. Farinac. *loc. cit.* Fallit tamen hoc ipsum, dum actus semel validè factus non est irritabilis. Opus enim tunc non est sententia declaratoria; tametsi irritatio statuatur in pœnam, sed ab initio est invalidus, ut vides in matrimonio prohibito cum ea, cujus cognovit consanguineam, vel qui occidit uxorem animo ducendi aliam. De cetero generaliter loquendo, de pœna, quotiescunque ad ejus ipso facto impositæ executionem requiritur declaratoria, delinquens est citandus. Farinac. *l. c. n.* 167. Clarus *in pract. §. fin. q. 31. num.* 3. Tusch. *v. declaratio concl. 96. n. 3. & 98. n.* 62. Castr. *n.* 3. hanc adjiciens rationem; quod illa declaratio sit actus judicii & sententiæ, qui sine citatione fieri nequeat; ab ejusmodi autem declaratione detur appellatio. AA. iidem, nisi fortè factum esset notorium, vel periculum in mora. Castr. cum Felin. *in c. 2. de spons. n. 4. & in c. Rodulphus de rescript. n.* 43.

3. Resp. tertio. Dum lex irritat actum, non in pœnam, & actus aliàs a principio validè factus irritari potest per sententiam v. gr. testamentum, electio, alienatio ob solennitatem aliquam omissam, non habere illam effectum nullitatis in conscientia ante sententiam & eo usque, dum actus a Judice rescindatur; si de cætero actus nihil continet contra Justitiam & æquitatem, docet a: ua Castrop. Nav. multis aliis relatis *in commem. de alien. rer. eccl. notab.* 11. *nu.* 19. Archid. *Reg. beneficium de Reg. Jur. in* 6. Covarr. *cap. cum esses de testam. num.* 5. & *cap. 1. de restit. in integrum nu.* 19. ubi cum Jo. And. quem citat. quod qui per alienationem ceteroquin licitam; seo ob non servatam formam ipso jure irritam acquisivit aliquid, tutus sit in foro conscientiæ, eo quod talis contractus teneat secundum limites juris naturæ seu gentium. Innoc. *in cap. quia propter de elect.* ubi, quod electus sit tutus in conscientia, si electio, contra quam nemo se opposuit, tenuit de jure gentium, licèt non fuerit a jure positivo præscripta forma servata. Laym. *in c. auditis de elect. num.* 1. & *l. 2. Th. Mor. tr. 4. c.* 16 *nu.* 6. adducens pro exemplis contractum cum pupillo, testamentum minus solenne, donationem ultra 500. solidos, electionem destitutam solennitate aliqua a jure positivo requisita. Reiffenstuel *ad h. t. n num.* 255. ubi: quando contractus aliusve actus ipso jure civili tantum irritus est, sed de jure naturali subsistit, neque per legem positivam, civilem vel ecclesiasticam plenissimè (tollendo videlicet obligationem civilem & naturalem) infirmatur, tunc, si nemo se opponat, ejusque rescissionem petat, vel ille in conscientia tutus est, qui virtute illius aliquid possidet. Hancque sententiam videri satis probabilem, spectato maximè usu, qui passim receptus est, ait Less. *l. 2. de Just. cap. 39. num.* 34. etsi *nu.* 39. sequatur oppositam. Rationem pro hac sententia proponit Castrop. *cit. p. 10. num.* 4. eo quod talis fundetur in falsa præsumptione; quia putat v. gr. electionem talem esse alicujus indigni, alienationem rerum Ecclesiæ esse in damnum Ecclesiæ, hæreditatem fraudulenter relictam. Adeoque ubi cessat reipsa hæc fraus, alienatio cedit in utilitatem ecclesiæ, electio est digni, credibile sit, legem nolle annul-

annullare talem actum. Sed hanc rationem forte minus efficacem ostendent adducenda pro tertia sententia. Quare subjungit alia magis directè contraria dicendis pro tertia sententia. Effectus subsistentiæ & obligationis naturalis istiusmodi actuum, ortæ nimirum ex jure gentium per consensum argum. *leg. cum amplius*, *ff. de Reg. jur.*) est tribuere uni jus accipiendi & retinendi illud, quod illi naturaliter debetur ac solvitur, & consequenter in alio parere obligationem naturalem seu jus passivum solvendi, dandi, quod alteri debitum vi actus cum eo habiti, & solutum seu datum non resumendi. Hanc actus obligationem seu subsistentiam naturalem, dum per legem ipsam impedita seu elisa non est (uti contingit dum actus plenissimè non infirmatur per legem) remanere saltem, donec per sententiam Judicis in foro externo rescindatur, ex eo probatur. Quod cum Legislator ita statuere potuerit per legem suam, nimirum irritare contractus aliosve actus sine statuta solemnitate gestos pro solo foro externo, tollendox solum iis obligationem civilem, relicta iis obligatione naturali, donec & hæc per sententiam Judicis elidatur, eum de facto sic statuisse, stante tam rationabili inter DD. dubio seu controversia, asserendum est; cum in obscuris minimum sit sequendum *Reg.* 30. *jur. in* 6. juncta *l. semper*, *ff. de Reg. jur.* standumque semper pro valore actus, quamdiu contrarium non evincitur: præsertim cum hac ratione fini legis, maximè civilis, seu bono communi Reipubl. abunde consulatur, prout id ipsum confirmant dicta supra de legibus pœnalibus latæ sententiæ, requirentibus adhuc sententiam declaratoriam. Quin & in legibus irritantibus sententiæ ferendæ, seu decernentibus, contractus, aliosve actus per sententiam infirmandos.

Ad hæc, quidquid sit de primæva legislatorum intentione, dictas leges non nisi cum dicta moderatione (nimirum, ut ipso jure tollant solam obligationem civilem, relicta naturali, donec & hæc infirmetur per sententiam) usu receptas consuetudo passim recepta probat, dum non consuetum inter homines (etiam timoratæ conscientiæ) ut quis per talem contractum actusque acquisita restituat, antequam per sententiam judicialem cogatur. Quin & esset durissimum ad hoc obligare, litigantibus super intentione talis legislatoris DD.

Ad illud, quod obiici solet, non fore hac ratione distinctionem inter legem irritantem latæ sententiæ seu ipso facto, & legem irritantem sententiæ ferendæ, patet responsio ea supradictis hac in parte de lege pœnali. Item, dum lex irritat actum per sententiam, seu potius decernit irritandum, is ante istiusmodi sententiam valet civiliter & naturaliter, ejusque invaliditas non nisi a tempore latæ hujus sententiæ computanda, fructusque jam collecti & percepti ante eam sententiam remanent etiam post eam ei qui ex tali actu factus possessor. E contra, quia talis actus ipso facto irritatus a lege etsi obligarit ante sententiam Judicis, quia tamen nunquam civiliter valuit, subsequente sententia declaratoria super nullitatem illius, hæc retrotrahitur per fictionem juris ad initium illius, fructus interea percepti restituendi sunt. Quod affert de simoniace electo, quod electus statim in foro conscientiæ teneatur renunciare Prçlaturç, nihil facit contra hanc sententiam. Quia in eo non intervenit solum omissio solemnitatis a jure requisitæ, sed defectus & inhabilitas personæ contracta ob simoniam commissam. Idem dicendum de attentante matrimonium contrahere cum impedimento dirimente. Ad hæc electio simoniaci plenissime infirmatur a jure, ut constat ea *c. Matthæus*, *de Simon.* juncta *Extrav. cum detestabile*, ubi, quod electiones, postulationes factæ simoniace viribus omnibus careant, & jus nullatenus acquiratur, nec inde aliquis fructus faciat suos; sed ad illorum omnium, quæ præcepit restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus &c. adeoque mirum non est, talem electionem nec naturaliter nec civiliter subsistere. Quod autem excommunicatus vel ab excommunicatis, suspensis &c. non possit retinere beneficium, *c. pastoralis*, *de cler. excomm. c. cum dilectus*, *de consuetudine*, *cap. cum inter*, *de elect.* intelligendum post latam sententiam, vide dicta de hoc supra, de lege pœnali. Reiffenstuel. *ad h. tit. num.* 29.

4. Alii distinguunt, censentque actus factos vi publicæ potestatis, quales sunt electio Prælati, alienatio rerum eccles. &c. esse in dicto casu ipso jure irritos absque ulteriore sententia, si lex irritos esse decernat. Eo quod valor eorum dependeat a publica potestate, & hæc potestas media lege tali actui, in quo non servatur præcepta solennitas, resistit. Secus verò esse in actibus pendentibus a privata potestate & dominio, quales v. g. sunt condere testamentum, venditio & alienatio rerum propriarum. Eo quod bono communi per legem sufficienter satisfiat & sit provisum, si tales actus reddantur irriti superveniente sententia, & ante illam sustineantur in conscientia.

5. Denique alii cum Suar. *l.* 5. *c.* 34. *n.* 3. Salas, *d.* 16. *f.* 9. Less. *l. c.* Castrop. *part. cit. p.* 10. *num.* 7. tenent absolutè, tales leges sortiri statim sine ulla alia sententia effectum suum in conscientia. Eo quod causa harum legum non sit fraus vel dolus, qui in singulis casibus intervenit, sed illorum periculum, quod communiter ad esse præsumitur. Quæ ratio semper subsistat, etsi hic & nunc in aliquo casu particulari fraus nulla interveniat. Addit & aliam rationem Castrop. Quod Princeps potestatem habeat, media lege sua inhabilitandi subditum suum ad donandum, contrahendum alia forma, quam ipse præscribit; quia id pertinet ad bonum commune. Adeoque, si hanc suam intentionem sufficienter in lege explicet, sine dubio hæc obtineat effectum, & reddat donationem irritam. Et indubitato obtinere hanc sententiam ait Castrop. si verba legis irritant actum in favorem utriusque contrahentis. De cetero non video, quomodo cum ea consistat, quod pariter addit: si actus cedat in favorem alicujus tantum, ut contingit in alienatione rerum Ecclesiæ, minoris &c. consentiente Ecclesia & minore, contractus dissolvitur. Si enim accedente hoc consensu dissolvitur seu irritatur; ergo antecedenter fuit validus; ergo ab initio non fuit irritus. Id tamen notandum: quod religiosè expendenda sint verba legis, an reddant actum nullum in se, an solum pro foro externo, id est, ne ea illo aliquid in judicio vel extra probari possit. Item, quod irritatio fieri possit solum quo ad probationem externam & fidem faciendam, uti id contingit in testamentis. Docent Molin. *Tom.* 1. *de just. d.* 81. & Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 32. *num.* 6. & 7. ea nimirum minus solemnia non esse invalidata a lege quò ad naturalem obligationem, sed solum quò ad civilem & forum exterius. Ideoque hæredem sic institutum posse retinere hæreditatem, dum non exigitur ab eo. Si tamen per Judicem applicetur hæredi ab intestato (qui certè id expostulare potest) extingui eo ipso jus hæredis instituti; cum ob commune bonum lex habere possit hanc efficaciam auferendi ab uno dominium, & applicandi alteri.

QUÆSTIO CXL.

Quandonam pœna imposita efficiat actum irritum.

1. RESP. pœna imposita actui, qui non obstante prohibitione validè fieri potest, non reddit invalidum. Suar. *l. c. cap.* 34. *n.* 13. Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 2. *num.* 2. & 5. Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 15. *n.* 1. lege enim tali non prohibetur aut punitur actus invalidus sed validus; cum nomine actus regulariter non veniat actus nullus sed verus. Castrop. *loc. c.* Tiraq. *de retrahit. lign.* § 1. *gl.* 2. *nu.* 5. Seraphin. *de privileg. juram. privil.* 71. *in fine*, & idem sit, actum non esse & esse nullum. *L. duo sunt*, *ff. de testam. tutel.* Hinc etiam contrahentes clandestine matrimonium non incurrunt pœnas latas jure antiquo contra contrahentes clandestine matrimonium; quia illæ erant latæ contra contrahentes clandestine matrimonia valida, qualia ea erant ante Tridentinum, ut constat ex *sess.* 24. *c.* 2.

Item hinc deducit Castrop. *num.* 3. citans Sanch. *ubi ante* & Lapum *allegat.* 73. *de sent. excomm. paulò post princip.* excommunicantem sola voce sine scripto contra *cap.* 1. *de sent. excomm. in* 6. non incurrere suspensionem illo *cap.* impositam, si excommunicatio aliunde fuerit nulla, vel de facto non habuit effectum; quia subditus appellavit, aut paruit mandato. Quia suspensio non nisi excommunicationi latæ, qualis non est, quousque aliquis eam contrahat, fuit imposita.

2. E contra pœna imposita actui alias invalido, vel qui, vi ipsius legis imponentis pœnam, fit invalidè, ea pœna ob actum invalidum contrahitur. Quia tunc lex solum factum & depravatum animum, seu attentionem actus, non actum verum intendit punire. Unde etsi nullitas talis actus aliqua via excusetur, evitabitur dicta pœna. Ita Suar. Sanch. *LL. cit.* Castrop. *num.* 4. Quin etiam, ut idem *num.* 5. cum Suar. *loc. cit. num.* 10. non incurritur pœna, si actus aliunde, sive ob aliam causam, quam ob quam a lege punitur, sit invalidus. Unde secundum hos AA. excusatur Emphyteuta, ut non cadat in commissum, si venditio inconsulto domino ab eo facta aliunde sit nulla. Notarius conficiens instrumentum falsum, ex alio capite nul-

nullum, non incurrit pœnas falsario constitutas. Plura exempla vide apud Castrop. *num.* 5. quarum omnium ratio est, quod leges pænales sint odiosæ, adeoque strictè interpretandæ.

QUÆSTIO CXLI.

An & qualiter irritatio impediri possit.

1. Resp. primò. Irritatio ferenda a Judice omnibus illis modis impediri potest, quibus sententia aliqua, & sic cum ea dari non possit, nisi causa probata elidendo vel impediendo probationes, impedietur irritatio. Castrop. *p.* 12. *num.* 2. cum communi. Quod si autem iniquis modis obtinuisti defectum probationis v. g. incutiendo metum parti læsæ, ne rescissionem intentet, vel negas veritatem in Judicio, vel inducis falsos testes &c. teneri te in conscientia, etiamsi a Judice contractus non fuerit irritatus eundem rescindere, docet Suar *l.* 5. *de LL. d.* 21. Eo quod injustè rescissiones illius impedieris; & si quid restituere tenearis (uti hoc indubitatum putat) necessariò obligaris restituere rem ipsam & contractum dissolvere; cum, quando debitum in propria specie seu natura restitui potest, alia compensatio fieri nequeat, Castrop. verò id ipsum distinguit. Ac primo quidem *nu.* 3. supponit, te obligatum non esse jure naturæ ad rescindendum contractum, sed solum ad reparandum damnum. V. g. vendidisti rem ultra dimidium justi pretii, teneris jure naturæ reddere emptori partem illam pretii, in qua excessisti justum pretium, & insuper damna, si quæ ex illa dilatione hujus restitutionis emerserunt. Ad rem verò reddendam non teneris, nisi posita sententia Judicis, qui potest rescindere contractum in pænam excessus & injustitiæ commissæ. Emptor autem non habet jus rem recuperandi, nisi adveniente sententia & applicatione Judicis. Hoc supposito, tradit *nu.* 4. & *seq.* Si per injustam actionem adversus emptorem impedis rescissionem talis contractus, V. g. dolo, vi, vel metu impediendo emptorem, ne rescissionem procuret, teneri te rescindere contractum. Eo quod licet nemo jus habeat ad rescissionem contractus validi, nisi posita sententia Judicis, habet tamen jus ne injuriosè sibi hæc sententia impediatur; adeoque si illam impedis, obligeris injuriam reparare, & cum possis eam rescindendo contractum integrè reparare, & hanc rescissionem tenearis. Sicut, licet non habeas jus ullum in re ad legatum, nisi supposita voluntate defuncti, habes tamen jus, ne tibi injuriosè hæc declaratio impediatur. Si vero per actionem injustam adversus judicem, v. g. interrogatus in judicio neges veritatem, vel si donis, precibus absque aliqua vi persuadeas Judici, ne rescissionem faciat, impedias rescissionem contractus, te non teneri rescindere contractum; eo quod tunc non commiseris injustitiam adversus emptorem, utpote qui ante sententiam non habet jus Justitiæ, ut sibi pretium reddatur, sed habet solum jus a lege procurandi redditionem pretii; adeoque, si neges in judicio veritatem, non committis injustitiam contra emptorem; quia emptor non habet jus, ut tu in judicio manifestes veritatem, hoc enim jus solum ei oriri poterat ex eo, quod haberet jus ad rescindendum contractum, sed hoc jus, ut dictum, non habet, sed solum ad procurandum rescindi contractum, quod est jus legale, ergo nullam committis contra emptorem injustitiam, & consequenter nulla opus reparatione. Ita ille satis probabiliter pluribus hanc suam doctrinam confirmans similibus. Ex qua etiam *num.* 6. infert, quod consecutus validè beneficium, dum alius, qui cognovit defectum, ob quem cassari posset provisio, intentat cassationem, tu negando in judicio veritatem, vel alia via, quæ non sit injuriosa intentanti cassationem, eam impedias, non tenearis ad restitutionem (intellige, etiam dum intentanti post cassationem obventurum beneficium) cum nullam adversus illum procurantem cassationem commiseris injustitiam.

2. Resp. secundò. Si irritatio imposita est ipso jure in pænam delicti commissi, evitabitur irritatio quacunque via delictum excusetur; cum cessante adæquata causa legis, cesset lex, adeoque cessante culpa, cessabit hæc irritatio pænalis. Suar. *leg.* 5. *cap.* 22. *num.* 3. Castrop. *l. c. num.* 7. Si verò lex irritet actum ipso jure non in pænam delicti, sed ob bonum commune, qualis v. gr. est lex præscribens formam testamentis, electionibus, matrimonio contrahendo, irritatio nulla via impediri potest, neque ob ignorantiam (ob quam alias evitabitur, dum imposita in pænam delicti juxta dicta supra in genere de ignorantia pænæ constitutæ per legem) neque ob causam aliam ingentem. Suar. *l. c. n.* 3. Castrop. *num.* 7. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *n.* 22. Nav. *c.* 23. *a num.* 44. Salas. Henriq. &c. contra Tiraq. *de LL. connub. gl.* 6. *nu.* 34. Mascard. *de generat. stat. temperand. concl.* 9. *num.* 78. & 82. Farinac. 2. *p. fragm. v. lex. a num.* 222. Visos docere contrarium, dum dicunt, necessitate compulsos non implere formam præscriptam non vitiare actum, sed hunc firmum esse ex præsumpta voluntate legislatoris nolentis in eo casu obligare. Ratio verò cur talis irritatio impediri nequeat, est, quod ea sit effectus a sola lege de se efficace causatus, qui a subdito impediri nequit. Et cum actus non nisi ex voluntate legislatoris habere possit valorem, non possit subsistere, hac voluntate ei resistente, uti fit, dum non servatur forma ab eo seu lege præscripta. Neque hic obstat illud, quod lex humana non obliget cum gravi detrimento; quia lex ad irritationem non obligat, sed illam imponit. Suar. Castrop.

3. Resp. tertiò. Si lex ipso jure irritat actum præcisè in favorem privatæ alicujus personæ, impediri potest irritatio, ipsa persona renunciante. Suar. *l. c. c.* 33. *n.* 7. Castrop. *nu.* 9. Nav. *commentar.* 2. *de regular. num.* 32. Salas *d.* 16. *s.* 3. *in fine juxta c. ad apostolicam, de regular. c. tuis, de testib.* Sic contractus pupilli sine authoritate tutoris est irritus, & tamen, si cedat in utilitatem pupilli, debet valere; cum quod in favorem alicujus inductum est, non debeat in dispendium ejus retorqueri. *Reg.* 61. *de Reg. jur. in* 6.

CAPUT SEXTUM.

De Impletione Legis.

QUÆSTIO CXLII.

Quæ intentio requiratur in subdito, ut legi vel præcepto satisfaciat.

1. Resp. primò. Ad non violandum præceptum, sive positivum illud sit sive negativum, nulla requiritur intentio. Ebrius enim, dormiens, omnino oblitus nullam habet intentionem, & tamen non violat præceptum; quia præceptum violari nequit sine cognitione & libertate.

2. Resp. secundò. Ad implendum præceptum negativum nulla requiritur intentio seu voluntas; cum impleri possit absque omni actione. Sic eo ipso, quo quis non furatur, dicitur præceptum non furandi implere. Videturque in his præceptis idem esse, ea implere, & ea non violare; utrumque enim fit per omissionem furti; neque adimpletio requirit omissionem liberam qua talem ad implendum vero præceptum affirmativum requiritur actio humana. Suar. *de Rel. Tom.* 2. *l.* 4. *c.* 26. *num.* 12. Sanch. *in Dec. l.* 1. *cap.* 13. Azor. *Tom.* 1. *leg.* 7. *cap.* 2. *qu.* 6. Cast. *tract.* 3. *d.* 1. *part.* 17. *nu.* 4. *cum communi.*

3. Resp. tertiò. Præcepta affirmativa implentur etiam a coacto rem præceptam facere, modo coactio non tollat libertatem, etsi eam diminuat, ut contingit, dum actio procedit ex metu. Sic coactus interesse sacrificio Missæ (modo tamen habeat attentionem necessariam) & nolens ei interesse, nisi pænam timeret satisfacit præcepto audiendi sacrum; quia talis interessentia seu auditio est actio simpliciter libera. Suar. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. n.* 7. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 10. *n.* 5. Castrop. *loc. c.* censens esse certum. Si tamen coactio omnino tollat libertatem, coactum non satisfacere præcepto, eo quod ab eo non fiat opus præceptum nequidem reipsa. Quia hoc non est opus qualecunque, sed quod positum est in voluntate, seu subjacet liberæ voluntati ponentis illud, tenent Sanch. *loc. cit.* Bonac. *num.* 6. Suar. *de LL. l.* 2. *c.* 10. *num.* 4. Azor. Castrop. *LL. cit.* Unde deducunt hi AA. ebrium recitantem orationem aliquam debitam ex præcepto (idem est de voto, juramento &c. quia sunt leges quædam speciales ut Sanch. *loc. cit.*) non satisfacere præcepto; quia non

ponit

ponit actionem illam, quæ imperatur. Neque contrarium ostenditur in lege jejunandi, quæ impletur etiam ab omnimodè coacto v. gr. cui subtrahitur omnis cibus. Nam jejunium non requirit actum, sed negationem actus, ideoque impleri potest sine ulla voluntate, etsi sic non impleatur moraliter. Castrop. *loc. cit. n.* 6. Neque etiam in præcepto dandi eleemosynam, dum omnino invitus eam das, etsi enim tunc non impleas præceptum hoc; quia tamen facis illa datione, ut res ita immutentur, ut cesset omnis obligatio dandi eleemosynam, siquidem ejus dandæ obligatio proveniebat ex necessitate pauperis, supposita in te facultate succurrendi. Dum autem aliqua ex his circumstantiis deficit, cessat hoc præceptum. Simile est in restitutione; licèt enim invite restituendo non satisfacias præcepto restituendi; quia tamen reddito ablato cessat retentio rei alienæ, cessat tibi obligatio restituendi. Castrop. *leg. c. n.* 6.

4. Resp. quarto. Ad impletionem præcepti necessaria non est voluntas seu intentio satisfaciendi præcepto. Sic si ignorans præceptum rem præceptam exequatur v. g. ignorans esse diem festum audiat sacrum, satisfacit, nec tenetur, etiamsi possit postmodum audire aliud sacrum, quia rem præceptam executus est liberè. Sanch. *l. c. n.* 9. Suar. *l.* 2. *de LL. c.* 29. *ad initium*, Azor. *l. c.* Bonac. *l. c. n.* 9. Castr. *num* 8. contra Sylv. *v. hora, q.* 11. *dicto*, 5. *n.* 14. Lopez. &c. Unde licèt præceptum per se & regulariter impleri nequeat sine cognitione sui, adeoque & obligationis, ideoque etiam obliget ad sui notitiam, per accidens tamen & casu impleri potest absque hac cognitione, & solum ex cognitione rei, quæ præcepta est, & voluntate faciendi illam, quin sit voluntas faciendi eam, quatenus præcepta est, adeoque quin sit actus obedientiæ formalis; sufficit enim ad impletionem præcepti, ita ut deobligatus maneas, quod opus sit obedientiæ materialis; cum præcepta non obligent ad opus externum ex motivo obedientiæ; Alias audiens Missam ob vanam gloriam non satisfaceret præcepto. In obligationibus tamen justitiæ aliud dicendum. Ideo enim sine cognitione obligationis impleri nequeunt; quia res præcepta est solutio, non donatio; solutio autem necessario involvit cognitionem obligationis & voluntatem satisfaciendi, alias erit liberalis donatio, & debitum non extinguet. Proinde mirum non est, quod si immemor obligationis, qua debes alicui 100. eidem in eleemosynam tribuas 100. non extinguas per hoc debitum. Bonac. *tract. de restit. d.* 1. *q. ult. p.* 2. *§.* 2. *qu.* 3. Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 15. *n.* 11. Lopez *de contract. l.* 2. *cap. ult. col. antepenult.* Castrop. *l. c. num.* 10. qui tamen advertit in prædicto casu sufficienter satisfacere, etsi in particulari ignores obligationem, neque voluntatem habeas specialiter satisfaciendi, voluisti tamen aliquando in genere, casu, quo habeas aliquam obligationem restituendi, quod eleemosynæ a te faciendæ loco illius subrogentur. Quod verum credo, si eleemosynæ obveniant ei, cui in particulari debebas restituere vel si communitatem defraudasti. V. g. vendendo mensura minore, & eleemosynæ obveniant pauperibus dictæ communitatis.

5. Resp. quinto. Qui rem præceptam exequitur, animo tamen expresso per hoc non satisfaciendi præcepto, probabilius videtur satisfacere præcepto. Suar. *Tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *de horis can. cap.* 26. *num.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 2. *p. ult.* Sanch. *l.* 5. *in decal. c.* 13. *n.* 13. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 10. *num.* 19. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 37. *dub.* 10. *num.* 59. Castrop. *l. c. num.* 12. *&c.* Contra Nav. *cap. quando, de consecrat. d.* 1. *cap.* 13. *n.* 15. *&* 27. Azor. *l.* 10. *c.* 8. *q.* 7. *& c.* 12. *q.* 8. Henriq. *l.* 9. *de Missa c.* 25. *num.* 6. *in fine*. & plures alios, quorum sententiam satis probabilem dicit Castrop. valde probabilem Sanch. Ratio responsionis est, quod licet aliqua præcepta positiva præter actionem externam ad sui impletionem intentionem aliquam requirant v. gr. præceptum recitandi horas præter externam recitationem requirit intentionem illa actione colendi & laudandi Deum, ita ut si legeres horas omissa illa intentione, gratia docendi alios vel addiscendi legere, vel etiam haberes expressam intentionem per hoc non laudandi Deum, non esset oratio; adeoque non satisfieret præcepto (idem est de administratione Sacramentorum requirente intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia) nullibi tamen extet præceptum de habenda intentione, illas aut alias actiones præceptas ponendi, ut per hoc satisfacias præcepto. Unde si habeas voluntatem recitandi horas ex motivo colendi Deum, etsi habeas expressam voluntatem per hoc non satisfaciendi præcepto recitandi horas, tamen ei satisfacis, quia facis, quidquid per illud tibi præcipitur. Ideoque illa voluntas non satisfaciendi est omnino inefficax, & habet se per accidens, & ac si non esset respectu impletionis præcepti, &, ut Castrop. *num.* 13. procedit ex ignorantia, qua credis, voluntate pure faciendi rem præceptam non satisfieri præcepto. Et sic etiam actus, nempe voluntas illa recitandi horas animo per hoc colendi Deum, reipsa agit ultra & contra mentem & intentionem agentis, quam is erroneè & inefficaciter habet, dum exercite per dictum actum impletur præceptum, quod agens per illum impleri non vult. Quin & talis volendo ponere rem præceptam habet exercitè & re ipsa voluntatem implendi præceptum, etsi ex ignorantia credat se non habere illam. Poniturque reipsa executio rei debitæ & si non ponatur ut debita. Neque enim, ut constat ex dictis, requiritur ad impletionem præcepti, ut opus procedat ut debitum; cum præceptum non obliget ad formalem illam obediendi intentionem, seu ad ponendum illud ut debitum, sed sufficit libere ponere, quod debitum est. Et Deus acceptat illud opus tanquam debitum, & sic in re executum, non tamen tanquam debitum in tuo affectu inefficaci. Tametsi autem talis voluntas non satisfaciendi præcepto non obstet ejus impletioni, obstat tamen præcepto divino, quo tibi prohibetur nolitio implendi præceptum ecclesiasticum. Quam proinde habendo, putando esse efficacem & impeditivam impletionis præcepti peccas in affectu. Sanch. *l. c. n.* 14. Suar. *num.* 11. *&* 12. Castrop. *n.* 13. Bonac. *cit. q.* 1. *p.* 10. *n.* 14. *in fine*. Non tamen peccares per illam nolitionem, si restaret, aliud adhuc sacrum, quod posses audire, vel aliud tempus iterum recitandi horas.

6. Idem, quod dictum hic de lege & præcepto, dicendum de voto, censent probabilius Sanch. *l. c. n.* 18. Castrop. *nu* 14. nimirum te integrè satisfacere v. g. voto audiendi missam, tametsi intentionem habueris, non per hoc opus, seu per hanc auditionem missæ, sed per aliud, per aliam auditionem satisfaciendi voto; quia verè præstas, quod vovisti. Neque, ut Suar. *l.* 8. *de horis Can. c.* 26. *n.* 8. per illam intentionem tuam non satisfaciendi per hoc, sed per aliud opus, de novo voves, aut votum tuum prorogas, tanquam cujus obligatio a te pendet. Secus ac obligatio præcepti, quam utpote pendentem a legislatoris voluntate, non est in tua potestate prorogare, sed solum intendis voto per aliud opus faciendum satisfacere; adeoque, si jam fecisti, nihil restat tibi faciendum.

QUÆSTIO CXLIII.

An actu seu opere ex se bono, peccaminoso tamen, seu vitiato ex fine aliave circumstantia extrinseca mala satisfieri possit præcepto humano.

RESp. Affirmative. Nav. *cap.* 21. *n.* 7. & *in enchirid. de orat. l.* 20. *num.* 29. Suar. *l.* 3. *de LL. c.* 39. *n.* 16. Sanch. *l.* 1. *in decal. c.* 14. *num.* 2. Azor. *Tom.* 1. *l.* 7. *c.* 6. *q.* 2. Covar. *in c. alma mater.* 1. *p. §.* 5. *n.* 1. Castrop. *tr.* 3. *d.* 1. *par.* 18. *nu.* 2. *&c.* contra Anton. 2. *p. tit* 9. *cap.* 10. *§.* 2. Major. Adrian. &c. Quia præceptum humanum solum imperat actus seu operis substantiam, & non modum, qui necessarius est ad ejus extrinsecam honestatem. Tum quia actus ille exterior pertinet sufficienter ad cultum Dei extrinsecum & rectam Ecclesiæ seu Reip. gubernationem; modus autem operandi operi illi extrinsecus per accidens est illi operi præcepto, & forte, ut Castrop. extra humanam jurisdictionem; adeoque, quicunque ille sit, obstare non potest impletioni præcepti. Sic v. g. imples præceptum audiendi sacrum, si audias illud ex vana gloria; cum finis ille malus conditioni sacri extrinsecus non prohibetur, vi talis præcepti, sed aliunde, & auditio sacri maneat de se bona (qualiter est materia & objectum præcepti, & non vitietur intrinsece, sed solum extrinsece ab illo malo fine. Ad illud, quod opponitur, nimirum quod faciens rem præceptam ex mero timore, alias eam non facturus, non impleat præceptum juxta illud *Reg.* 8. *de Reg. jur. qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debeat, facit, & ideo jam non facit*: ad illud inquam respondet Castrop. *n.* 3. non implere illud præceptum in affectu & quo ad Deum, bene tamen in effectu, & quo ad Ecclesiam. Unde jam deducitur, idem esse, seu satisfacere te voto, juramento, pænitentiæ, dum v. g. missam, quam audiendam vovisti, jurasti, pro pænitentia accepisti in confessione, audis ex vana gloria. Sanch. *n.* 2. Castrop. *num.* 4. Bonac. *d* 1. *de* LL. *q.* 1. *p.* 9. *a num.* 1. Huic illationi non obstante, quod per votum tanquam actum religionis intenderis offerre Deo rem gratam, quod injuncta tibi sit dicta pænitentia, ut per eam non satisfacias pro peccatis. Nam etsi non satisfacias per tale opus extrinsece vitiatum a malo fine vel circumstantia fini intento per votum, pænitentiam &c. satisfacias tamen materiæ voti, pænitentiæ, offerendo rem de se gratam Deo & honestam.

Quia

Quia finis ille voti & pænitentiæ extrinsecus sub votum & pænitentiam non cadit, sicut finis extrinsecus legis. V. gr. jejunandi, qui est v. g. placare Deum, macerandi carnem, non cadit sub lege. Alias ille, qui in die jejunii servans formam jejunandi ab Ecclesia statutam, comederet, lautius, & ea, quæ macerationi corporis minime conducunt, non servaret jejunium, quia non servaret finem illius extrinsecum, quod est falsum. Occasione cujus notandum cum D. Thom. relato a Sanch. Castrop. esse duplicem legislatoris voluntatem & intentionem. Unam de re præcepta, quæ voluntas est forma intrinseca legis; adeoque qui contra illam agit, peccat in legem, eamque non implet. Aliam esse de fine obtinendo per legem vel præceptum (qualis v. g. in genere intenditur per legem, ut subditi reddantur boni &c.) & hæc voluntas est legi extrinseca; adeoque peccans in illam non censetur legem transgredi.

QUÆSTIO CXLIV.

An & qualiter unico actu possit satisfieri pluribus præceptis & obligationibus.

1. RESp. primo. Diversis obligationibus Justitiæ non potuit satisfieri unico actu. V. g. si debeas Petro 100. ex contractu vel promissione acceptata, & debeas eidem 100. ob totidem illi per furtum ablatos, non satisfacis utrique obligationi datione 100. sed necessario solvere debes. 200. Ratio est clara; quia in eandem rem non possunt cadere duo tituli Justitiæ, seu res debita uno titulo Justitiæ, non potest deberi alio titulo Justitiæ. Quod ipsum licet Castrop. *l. c. p.* 19. *num.* 1. dicat esse certum apud omnes, contrarium tamen conatur ostendere Crimer. *ad h. t. num.* 436. adducto exemplo. Titius, qui promisit parentibus se velle eorum filiam ducere vel dotare, dein deflorans illam, tenetur eam ducere vel dotare diversis obligationibus Justitiæ; una fundata in promissione acceptata, altera orta ex defloratione; & tamen unico actu v. g. dotatione potest huic utrique obligationi satisfacere. Quare videtur limitanda responsio, itaut non procedat, quando id, cujus præstandi accedit nova obligatio, habet necessariam identitatem, seu est necessario idem cum illo, quod aliunde debetur, uti accidit in allato exemplo, ubi ductio in matrimonium vel dotatio debita ex promissione est necessario eadem numero cum ductione in matrimonium vel dotatione debita ex defloratione. Et uti etiam accidit in obligationibus aliis ortis ex diversis præceptis vel virtutibus v. g. servatio castitatis, ad quam quis obligatur præcepto naturali temperantiæ, est necessario eadem cum illa, ad quam idem tenetur ex voto, ac propterea utrique obligationi uno actu vel omissione satisfieri potest. Secus autem est, in binis illis solutionibus 100. imperialium, una debita ex promissione, altera ex illata injuria, quarum una, quia ab altera separari potest, non possum una utrique obligationi satisfacere.

2. Resp. secundo. Obligationibus diversis ortis ex diversis præceptis vel virtutibus satisfieri potest uno actu, quia non implicat rem debitam uno titulo fieri debitam ex novo superveniente titulo, v. gr. jejunium debitum ex præcepto Ecclesiæ fieri quoque debitum ex voto. Recitationem horarum debitam ob susceptum sacrum ordinem fieri debitam ex obtento beneficio. Et sic legislator, vovens, confessarius &c. potest voluntatem suam allegare rei jam aliunde debitæ, quod ubi fecerit, consorget nova & diversa a priore obligatio, cui & præexistenti obligationi poteris unico actu satisfacere. An vero in iis, in quibus non est necessaria identitas inter actum jam alias debitum & inter actum de novo impositum seu præceptum, legislator, vovens &c. sic allegaverit suam voluntatem. V. g. voluerit suam obligationem cadere supra actu jam alias debitum, & esse illo contentus; an vero exegerit actum ab eo diversum, certa regula definiri nequit, sed colligendum ex circumstantiis, ut bene Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 37. *s.* 6. *num.* 5. Sanch. *in decalog. l.* 5. *c.* 14. *num.* 6. Castrop. *cit. p.* 19. *num.* 3. Quamvis duo postremi dicant, regulariter distinctum expostulari actum, quoties supervenit distincta obligatio; eo quod communiter sic legislatores intendant, & sic in dubio interpretandum; quia interpretatio fieri debet secundum communiter contingentia. Etsi de voluntate legislatoris sit in utramque partem probabilitas, Crimer. ait posse eligi pro libitu hanc vel illam partem, in sententia saltem illorum, qui tenent licitum esse usum opinionis practicè probabilis, licet oppositum sit æque probabile, vel etiam magis, ex quibus resolvuntur sequentia.

3. Primo. Si festum incidat in Dominicam, si vigilia incidat in quadragesimam, satisfacies una auditione sacri, uno jejunio duplici præcepto, quorum uno præcipitur auditio missæ ratione festi, altero ratione Dominicæ &c. idque ex benigna interpretatione mentis Ecclesiæ. Ex eo autem, quod in hoc casu possis satisfacere duobus præceptis distinctis numero occurrentibus eodem die, una actione, male inferes, te posse una recitatione matutini & laudum facta hac die, satisfacere etiam pro altera die; quia in hoc posteriore casu sont duo præcepta affixa duobus diversis diebus, adeoque postulant diversas actiones. Secundo, si habenti votum recitandi rosarium B. V. confessarius pro pænitentia injungat recitationem rosarii, non satisfaciat huic pænitentiæ recitatione debita ex voto; adeoque si habeat votum quotidie recitandi Rosarium, debebit una aliqua die dicere duo Rosaria. Item de jejunio debito ex præcepto Ecclesiæ vel voto non satisfit jejunio imposito pro pænitentia; eo quod credendum sit, confessarium imponere illam pænitentiam de re alias non debita, utpote maxime satisfactoria. Suar. Sanch. LL. *cit.* Castrop. *n.* 4. Azor. *Tom* 1. *l.* 11. *cap.* 14. *q.* 1. Cardenas, *in crisi Theol. l.* 4. *d.* 34. *n.* 14. Nav. *c.* 26. *n.* 22. Sayr. Henriq. &c. dicunt tamen Bonac. *d.* 1. *de LL. q.* 1. *p.* 9. *n.* 7. Sanch. Castrop. *LL. cit.* si confessarius tali, obstricto voto quotidie audiendi missam pro pænitentia imposuisset auditionem sacri singulis diebus per mensem, ex benigna interpretatione censendum esse, illum contentum esse diebus festivis unica Missæ auditione debita ex voto; eo quod auditio duorum sacrorum videatur illis grave onus, quod credendum non sit, illum imposuisse. Advertit etiam Suar. quod quandoque confessarios, dum novit, pænitentem esse negligentem in pænitentiis exequendis, aut ob alias circumstantias non vult ita eum gravare, contentus sit opere alias debito. Tertio obligatum voto suo vel ex pænitentia accepta a confessario ad dandam eleemosynam non satisfacere dando ea, quæ debet ex Justitia, cum ea datio non sit donatio liberalis, qualis est datio eleemosynæ, sed solutio seu præstatio debiti. Sanch. Azor. Castrop. *LL. cit.* Sic non satisfaciet dando ex, quæ debet restituere ob ablationem incertorum. Neque dando parentibus ita graviter egentibus, ut teneatur illis subvenire, quia neque hæc datio habet rationem eleemosynæ; cum sit solutio debiti legalis, ad quam quis, dum dives est, cogi potest per Judicem. Castrop. *l. c. n.* 6. vel etiam, quia non est largitio facta pauperi, cum, ut Surdus *de alim. tit.* 7. *q.* 37. *a n.* 1. pauper non sit, qui jus habet postulandi alimenta. Quarto. Obligatum ex voto vel pænitentia ad dandam eleemosynam non satisfacere dando eleemosynam graviter aut extremè egenti juxta Suar. *l. c.* Sayr. *clav. Reg. l.* 6. *c.* 3. *nu.* 22. Paludan. Medin. &c. Quia illa tali facta est debitè ex præcepto misericordiæ. Quæ autem sunt debita ex alio præcepto, non censetur quis vovere, aut pro pænitentia accepisse. Contrarium tamen probabilius censent Sanch. Azor. *LL. cit.* Castrop. *n.* 8. Sa *sum. v. satisfactio, du.* 9. *in fine*. Henriq. aliique plures apud Sanch. eo quod, ut Castrop. eleemosyna ex præcepto misericordiæ facienda, non sit absolute debita, sed ex suppositione, quod non possis alia via necessitati pauperis subvenire; cessaret siquidem ista obligatio, si debita restituenda pauperibus tali egenti tribueres; quia jam hac via subveniretur ejus necessitati. In præsente verò casu dando illi eleemosynam, ad quam ex voto vel pænitentia teneris, potes illius necessitati subvenire; ergo eleemosyna ex præcepto misericordiæ non debetur.

QUÆSTIO CXLV.

An omittens actum duplici lege vel præcepto debitum committat duplicem culpam.

RESp. Tunc committi duplicem culpam, quando illa præcepta non spectant ad eandem virtutem, vel si spectant, habent diversa motiva. Secus si spectarent ad eandem virtutem sub eodem motivo. Cujus posterioris exemplum habes in non auditione sacri die dominica, in quam incidit festum aliquod v. g. Apostoli alicujus.

QUÆSTIO CXLVI.

Dum pro multiplicatione obligationum seu titulorum res seu actus multiplicandi. V. g. dum debeo 100. pauperibus ob injuste ablata, & alia 100. ex voto, alia 100. ex pœnitentia, cum non potest omnibus tribus satisfieri, cui ex illis dando 100. satisfacias.

1. RESp. primo. Certum est, te illi satisfacere, cui in specie decrevisti satisfacere. Cum enim illud opus, illa datio 100. sit de se integre satisfactorium pro quali-bet illarum obligationum, solum eget tua determinatio-ne, ut per illud uni ex tribus illis obligationibus præ aliis satisfacias. Limitat nihilominus hoc ipsum Castrop. *cit. part.* 19. *num.* 9. ita ut procedat, quando obligationes a loco & tempore suot absolutæ, & earum satisfactio dependet a tua voluntate, alias secus. Sic enim ait, si die festo audiens sacrum intentione satisfaciendi voto, intendas audire aliud inteotione satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, per primam illam auditionem satisfacturum te, non voto, sed præcepto Ecclesiæ.

2. Resp. secundo. Si intendis per unam illam dationem 100. satisfacere omnibus obligationibus, cum id sit impossibile, satisfacies illis eo modo, quo potest; cum actus, qui non valet, ut agitur, valere debeat eo modo, quo valere potest, juxta *c. unic. de despons. impuber.* & *ibi* DD. proinde, si opus ponendum est divisibile, ut in præsente eleemosynæ seu datio 100. satisfacies pro rata cujuslibet debiti, reliqua parte illius manente insoluta, & sub obligatione eam solvendi. Si vero opus est indivisibile v. g. jejunium, missa audienda &c. & intendis per illud diversis illis obligationibus satisfacere, reputandus es urgentiori obligatiooi satisfacere; adeoque io præsenti per auditionem missæ præcepto Ecclesiæ; quia illud prævalet voto, uti & votum præcepto confessarii. Quia hac ratione valet actus meliore modo, quo potest.

3. Resp. tertio. Si onlli obligatiooi intendisti satisfacere, sed immemor illarum opus debitum variis obligationibus posuisti, sequenda est decisio *leg. cum ex pluribus, ff. de solutionib.* ubi dicitur: si debita sint omnino æqualia, nec quisquam decrevit, cui debito satisfacere velit, censetur omnibus pro rata satisfacere. Si autem alterum sit gravius, censetur graviori. Ita Castrop. *cit. nu.* 9. ubi *in fine* bene monet, excipiendum esse debitum Justitiæ, quia ad hoc exstinguendum requiritur intentio satisfaciendi, cum alias sit donatio liberalis, & non solutio.

QUÆSTIO CXLVII.

An & qualiter pluribus actibus eodem tempore factis satisfieri possit pluribus præceptis.

RESp. Id fieri posse, si actus taliter fieri eodem tempore possunt, qualiter a quolibet præcepto exiguntur. Neque enim diversitas temporum cadit sub præceptum. Nav. *in sum. c.* 21. *num.* 18. Henriq. *l.* 9. *de missa, cap.* 25. *num.* 5. Azor. *Tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 12. *qu.* 10. Suar. *de Sacram. d.* 38. *s.* 6. *num.* 5. Sanch. *in decal. leg.* 1. *cap.* 14. *num.* 11. Bonac. *l.* 1. *de LL. qu.* 1. *part.* 9. *num.* 8. Castrop. *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 20. *a.* 1. Sic itaque eodem tempore satisfacere potes præcepto audiendi missam & legendi horas: AA. iidem. Sic audiendo duo sacra simul posse satisfieri voto & pænitentiæ injunctæ a confessario, ait Crimer. *ad h. r. num.* 440. citante Sanch. *ubi ante*, eo quod intellectus noster sufficientem attentionem præstare possit duplici isti actioni, ut constat experientia. Quin &, ait Castrop. *num* 2. non requiri in istis actionibus diversam attentionem, sed unam sufficere; cum necesse non sit, ut ad verba & sensum illorum, quæ in missa & horis proferuntur, attendatur, sed sufficiat attendi ad Deum, quæ atteotio utrique operi conveniat, adeoque sufficiens sit

QUÆSTIO CXLVIII.

An & qualiter obligetur quis non ponere impedimentum impletioni legis, aut illud jam positum tollere.

1. RESp. primo. Præcepta naturalia per se obligant non ponere & removere impedimenta posita omnia, quæ eorum adimpletioni obstaot. Idem adhibere media quæ ad eorum executionem sunt necessaria. Dum enim natura præcipit & præscribit absolute finem, debet quoque præscribere & præcipere media ad eum necessaria. Cumque horum præceptorum obligato oriatur ex ipsa natura, nequit esse limitata eorum obligatio pro uno vel altero medio adhibendo, pro uno vel altero impedimento tollendo, & noo etiam pro aliis sive pro omnibus. Castrop. *loc. cit. part.* 21. *num.* 2. dicens in hoc puncto noo esse dissensionem ioter AA. Qui tamen oon satis conveniunt in eo, a quo tempore non ponere impedimentum obligent hæc præcepta. Obligare illa etiam aliquot diebus ante non ponere illud, habet communior. Sic v. gr. peccare illum, qui die Lunæ lusu aut potu perdit pecuniam, videns exinde se die Veneris cogendum vivere raptu, aut impotentem ad solvendum illa die Veneris debitum, aut ad alendos liberos. Non tamen peccaturum contra pietatem, qui dilapidando bona se reddit impotentem ad alendos parentes post sexennium futuros indigos: secus si prævideret, fore indigos iotra paucos dies. La Croix *leg.* 1. *num.* 788. qui etiam *num. seq.* cum Moya advertit, titulum Justitiæ in hac parte esse rigidiorem, quam obedientiæ vel religionis. Hinc peccare Pastores, officiales, famulos &c. qui per intemperantiam causant sibi iofirmitatem, scientes ideo se prius post octo dies fore impotentes muoiis, ad quæ ex Justitia tenentur, obeundis, ut Sanch. Capellanum obligatum hodie celebrare peccare contra Justitiam si hodie inebriet se, & ideo hodie neqoeat celebrare. Putat tamen Tambur. non peccaturum talem, si ante tempus urgens causet in se infirmitatem. Quod ipsum cum Sanchez negant alii. Quod si tamen talis ex Justitia obligatus sacrificare foret iofirmus vel iocarceratus, non teneri illum procurare liberationem, sicut si foret excommunicatus, suspensus, &c. teneretur procurare absolutionem; cum hæc siot impedimeota proxima & directa, ad quæ tollenda eum cogit titulus Justitiæ, quo tenetur sacrificare, tenet Tambur. *leg.* 3. *de missa, cap.* 6. *§.* 1. *num.* 8. & 9.

2. Resp. secundo. In præceptis positivis non videtur esse obligatio apponendi ad eorum executionem omnia media aliquo modo necessaria, aut removendi impedimenta; eo quod non obligent cum tanto rigore: cumque eorum obligatio ex legislatoris voluntate procedat, poterit is illorum obligationem statuere sub conditione: quod liber & expeditus existas; absque eo, quod tibi imperet expeditiooem. Sic dives, seu non egens labore non tenetur omittere laborem, ut jejunium servare possit, neque iter in alium diem differre; nec excommunicatus vi præcepti audiendi sacrum tenetur quærere absolutionem, ut missæ interesse possit. Sanch. *in decal. l.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. Castrop. *cit. part.* 21. *num.* 2. Salas &c. Et sic expresse ait Castrop. *num.* 4. præceptum jejunii v. gr. obligat vacantes otio, non laborantes. Quare qui die jejunii laborat, etiam labore sibi non necessario, non videtur comprehensus sub præcepto. Alias dicendum, agricolas, fabros &c. divites, qui facile omittere possent laborem, teneri noo laborare, ut jejunium servent, quod est cootra receptam sententiam, ut Jo. Sanch. *in select. d.* 54. *num.* 14. quia hoc præceptum solum illum laborem videtur removere, qui neque necessarius est, neque honestus. A præcepto autem audiendi missam, & horarum recitatiooe, cum urget, censeo, non excusari illum, qui labore, licet pio, se exercet, nisi ad illum exercendum obligetur ex caritate. Quæ vero io specie opponenda media quæve impedimeota removenda, certa regula definiri non posse; cum horum præceptorum alia sint leviora, alia graviora, & sic exigant media apponi, & impedimenta removeri proximiora vel remotiora; adeoque hanc obligationem petendam ex modo, quo quodlibet præceptum receptum, ajunt iidem AA. Sic Castrop. *num.* 3. credit, obligatum te esse adhibere omnia illa media, quæ per se & intrinsece seu ex natura rei oecessaria sunt ad horum præceptorum executionem, & impedimenta, quæ ei per se & ex natura rei obstant, removere. Eo quod præcipiens finem, etiam ceolendus sit præcipere omnia, quæ ad

ad illius executionem sunt necessaria, ne alias intendendo finem inefficaciter, minute procederet. Sic peccat contra præceptum recitandi horas, qui brevlarium abjicit. Contra præceptum audiendi missam, qui illo tempore, quo illa andienda, occupat se ludo. Qui die festo vel etiam nocte proxime antecedente se ioebriat, prævidens se impediendum ab auditione sacri; eo quod tunc jam censeatur moraliter adesse præceptum, adeoque jam habere efficaciam obligandi ad removenda impedimenta obstantia ejus impletioni. Etsi autem aliqui differentiam faciant inter inebriantem se & inter sumentem cibum nocivum, unde videt secuturam infirmitatem impeditivam auditionis sacri, velintque posteriorem peccare & non priorem contra præceptum audiendi sacrum; merito tamen id displicet Castropalao; cum in utroque casu ponatur impedimentum præcepto per causam, cujus positio nulla ratione honestatur, & ratio dictet, ut, dum urget præceptum, vel jam est in pendente, ut urgeat, removeantur impedimenta executioni obstantia. Quod si tamen antequam dies præcepti adveniat, vel quasi sit in proximo, inebriares te, vel cibum nocivum sumeres, ex quo prævideres infirmitatem obventuram vel impedimentum apponendum recitationi horarum, missæ, jejunio secuturo die vel diebus, non peccaturum te contra illa præcepta; eo quod videantur non extendi ad media & impedimenta tam remota, astruunt Sanch. Salas. Castrop. *LL. cit.*

3. De cetero, quod docet Medin. 1. 2. *q.* 77. *a.* 7. non peccare contra legem jejunii, qui comedit ob factum iter ad invisendam concubinam, vel qui laborat in venatione vel ludo pilæ, prævidens inde fore, ut ea die non servet jejunium, approbare videtur Sanch. hanc sententiam referens *leg.* 1. *sum. cap.* 15. cum tantum dicat, obligari, ne hæc impedimenta in fraudem jejunii apponantur, hoc est, assumantur ex intentione declinandi jejunium. Quamvis Joan. Sanch. *in select.* §. 54. *num.* 20. dicat, ne quidem talem peccaturum; eo quod ea non sit intentio violandi, cum obligat, sed intentio excusandi ab obligatione jejunii, seu apponendi causam excusantem. Quærere autem causam excusantem ab obligatione præcepti, non videatur esse contra præceptum. Dictæ tamen extensioni sa acquiescere non posse, dicit Castrop. uti & illam Medinæ sententiam falsam dicit Salas.

QUÆSTIO CXLIX.

An & quando metus excuset ab impletione præcepti.

1. RESp. primo. Nullius mali etiam mortis metus excusat ab impletione præcepti naturalis negativi, prohibentis intrinsece malum. Est communis. Intrinsece enim malum nullo casu fieri potest non malum. Neque metus circa tale tollit omnino libertatem, etsi eam minuat. Sæpe tamen metus gravis non tantum excusat a præcepto positivo tam divino quam humano, sed etiam quandoque ab affirmativo naturali. Sanch. *l.* 1. *moral. cap.* 18. Sic metus mortis excusat ab integra confessione, ab impletione voti, a subventione facienda proximo extreme egenti. Azor. *p.* 1. *leg.* 1. *cap.* 11. Laym. *Theol. Mor. leg.* 1. *tr.* 4. *cap.* 14.

2. Resp. secundo. Metus damni particularis non excusat, a transgressione legis, dum ea est contra bonum commune. Si autem ea non est intrinsece mala, nec præjudicat bono communi, metus damni gravis excusare potest, eo quod legislator censendus sit non velle obligare eum tanto incommodo. Sic censetur, non esse mens Ecclesiæ, velle obligare ad jejunium, vel missam cum gravi dispendio valetudinis vel fortunarum. Unde etiam, si lex humana obligaret ad hoc ipsum, ad quod obligat lex naturalis v. g. ad servandam castitatem, hanc violantem, metu mortis, non peccaturum contra præceptum humanum obedientiæ, cum Arriag. ait. La Croix. *l.* 1. *num.* 781. ubi etiam Terilla notat, periculosum esse determinare, quanta difficultas excuset a lege, sive quantitatem mali, cujus metus id præstat; optimam autem esse regulam judicium & consensum prudentum. Vide plura dicta a nobis supra, ubi an lex obliget cum periculo vitæ.

QUÆSTIO CL.

An qui implere nequit actum integrum præceptum, seu totam vel majorem partem materiæ, obligetur ad ejus partem.

1. RESp. Dum lex vel præceptum est de re individua, vel etiam de re, ex se quidem dividua seu divisibili constante pluribus partibus, non tamen divisibiliter præcepta, ut si præcipiat sub una aliqua denominatione, quæ non salvetur nisi in complexu partium. V. g. primæ, tertiæ, nonæ in officio canonico; vel etiam, quando id, quod præcipitur, constat partibus, sic tamen præcipitur, ut partes reliquæ præcipiantur dependenter ab altera, in eo inquam casu eum, qui non potest totum implere, non obligat ad partem; tenent Sanch. *l.* 1. *in decal. cap.* 19. *num.* 6. & ex eo Crimer. *ad h.* 1. *n.* 410. ex ea ratione: quia non obligatur ultra id, vel ad aliud, quam quod præcipitur; sed, si non potens ponere majorem partem obligaretur ad partem minorem, obligaretur ad aliud, quam quod præceptum; cum pars illa minor non sit totum præceptum indivisibiliter, nec præcepta seorsim ab eo, dum totum indivisibiliter præceptum est. Unde infert Crimer. primo, eum, qui vovit tertiam partem Rosarii, si non potest recitare partem tantam, quę moraliter est tertia pars Rosarii non teneri ad unam alteramve decadem. Infert secundo, & citat pro hoc Sanch. *cons. mor. l.* 5. *c.* 1. *du.* 29. dispensatum in esu carnium non teneri ad jejunium seu unicam refectionem; cum abstinentia ab esu carnium sit pars essentialis & quidem potior jejunii, cujus ratio in una refectione salvari non potest. Infert tertio *n.* 411. citans de Lugo *de Sacram. d.* 22. *de Eucharist. f.* 2. *n.* 6. eum, qui venit ad sacrum peracta consecratione, vel etiam, qui interesse non potest consecrationi, etsi omnibus aliis partibus adesse possit, non teneri ad reliquas sacri partes audiendas; quia hæ sine consecratione non sunt sacrum. Infert quarto *ibid.* citans Sanch. *in decal. loc. cit. num.* 5. eum, qui vovit 5. *pater & ave* in honorem quinque vulnerum Christi vel jejunium trium dierum in honorem SS. Trinitatis, dum non potest recitare omnia quinque vel jejunare tribus diebus, non teneri ad recitandum unum vel alterum *pater & ave*, ad jejunandum uno vel duobus diebus. Ubi tamen notat id tenere, dum a præcipiente vel vovente numerus talis ratione devotionis substantialiter intenditur; secus ubi ille solum spectatur accidentaliter, ut contingit in jejunio quadragesimali instituto in memoriam 40. dierum, quibus Christus jejunavit. Quare non sequitur: qui non potest jejunare per 40. dies, non tenetur ad tot, quot potest. In dubio autem, an numerus sit substantialiter intentus standum pro libertate; cum factum in dubio non præsumitur, quando quis non tenetur, & non est solitus facere. Mascard. *de prob. concl.* 731. Infert, quinto, eum: qui ex injuncta pænitentia tenetur jejunare in pane & aqua, si id non possit, non teneri ad jejunium ecclesiasticum. Pro quo citat Jo. Sanch. *in select. d.* 15. *num.* 3. Secus tamen sit in eo, qui ex pœnitentia debet dare pauperibus 6. florenos, si illos 6. non potest dare, non teneri etiam ad dandos tot, quot potest; quia finis substantialis eleemosynæ est sublevatio pauperis, quam singuli floreni seorsim ab aliis prętant, nec pręsumi potest, illum numerum substantialiter seu indivisibiliter intentum, sicut etiam, cui injuncta pęnitentia orare flexis genibus Rosarium, non deobligatur ab oratione Rosarii, si nequeat flectere; cum illa genuflexio non sit de substantia, sed modus. Infert denique ex Jo. Sanch. *l. c. n.* 7. citans pro hoc quoque Tolet. Dian. &c. impotentem recitare lectiones matutini (idem est de capitulis & orationibus aliarum horarum) non teneri ad recitandos Psalmos; quia Psalmi non sunt substantialiter matutinum, nec etiam horæ canonicæ. Unde etiam ait Suar. *Tom.* 1. *de relig. l.* 4. *cap.* 28. *num.* 26. quælibet hora præcipitur ut quædam actio perfecta, & ideo, si non possit fieri ita, ut nomen illud mereatur, non nascitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars primæ v. g. non potest dici prima; imò neque dimidia pars, sed oportet, ut saltem præcipuæ & quasi substantiales ejus partes dicantur &c.

2. Neque his obstare censet Crimer. quod inter propositiones, quas prout jacent, scandalosas damnavit & doceri prohibuit Innoc. XI. 2. Martii 1679. sit hæc in ordine 54. *qui non potest recitare matutinum & laudes, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem &c.* Ex eo, quod primo dicta propositio longe diversa sit, ut patet, ab hac propositione: *qui non potest recitare majorem partem unius horæ, non tenetur ad minorem partem.* Quia ubi

non

non est major pars totius, quod qua tale substantialiter præcepto subest, eo ipso abest totum, secundum quod præcepto subest. Secundo quod damnata illa propositio contineat duo, ipsum dictum, nimirum: *qui non potest recitare matutinum & laudes, etsi alias horas recitare possit, ad eas recitandas non tenetur*. Dein causalem seu rationem, propter quam cessat in eo casu obligatio, nimirum: *quia major pars trahit ad se minorem*. Jam vero, cum damnatur dicta propositio, pro ut jacet, damnatio cadat supra illam sumptam complexe, & non supra dictum & causalem sumptam seorsim & incomplexe, seu supra quamlibet illius partem secundum se. Sed neque ex eo, quod dictum secundum se sit falsum, & ut scandalosum damnetur, sequatur, causalem quoque secundum se universaliter & absolute esse falsam. Cum principium illud bene acceptum & applicatum verum sit. Sic enim receptum est in utroque jure, *c. 1. de his, quæ fiunt a majore part. c. quia propter, de elect.* ubi sermo de majore parte capituli, sive de majori numero eligentium & suffragantium. Et *l. 19. ff. ad municipalem*, ubi sermo de majore parte curiæ. Verum siquidem est, quod major pars capituli & curiæ trahat ad se minorem partem a majore dissidentem; cum minor pars teneatur sequi majorem, eo quod hujus judicia & consilia censeantur saniora & meliora ad bonum Ecclesiæ vel Reip. E contra male applicatum falsum sit. Sic enim locum non habet, sed fallit in majore numero objectorum divisibilium divisibiliter præceptorum, sive in casu, quo materia præcepti est dividua divisibiliter præcepta, ut contingit in præsente, nempe in horis canonicis, quarum singulæ divisibiliter ab aliis sunt præceptæ. Sic etiam in simili, qui debet 100. & non potest solvere nisi 10. falsum est, quod illos decem non teneatur solvere. Ac proinde jam stante etiam veritate dictæ causalis, dictum non subjicitur illi. Ac consequenter recte in dicta propositione damnetur quoque illius causalis applicatio tanquam falsa, & ex qua nullatenus inferri potest dictum seu intentum. Quia horæ ad totum officium canonicum relatæ sunt materia dividua, dividue seu divisibiliter præcepta. Quod etiam ex eo patere ait, quod quamlibet seorsim ab alia recitemus; secus autem est, quando materia dividua quidem, non tamen dividue præcepta (ut contingit in singulis horis relate ad suas partes, quarum etiam proinde unam seorsim ab alia recitare non licet secundum communiorem) tali enim casu recte dicitur, quod major pars trahat ad se minorem, hoc est, quod non valens ponere majorem partem, in qua, saltem moraliter, salvetur denominatio talis totius, non teneatur etiam ponere minorem, in qua non salvatur denominatio totius indivisibiliter intenti, uti in præsente v. g. denominatio *Primæ* non salvatur in solis psalmis.

3. Dum vero in contrarium cum Cardena, *part. 3. crisis Theol. dissert. 3. n. 30.* fautore oppositæ sententiæ, dicitur non dari, pro ut requiritur, urgens fundamentum asserendi, præceptum recitandi horas respectu singularum horarum continere materiam individue ponendam; cum quælibet pars alicujus horæ v. g. Psalmus vel oratio per se sit expetibilis ad laudandum Deum & devotionem augendam. At cum in materia favorabili, præsertim religionis sunt opiniones contrariæ, ex quibus nascitur dubium, ea opinio sit eligenda, quæ & favorabilior religioni, ita ut probabilitas opinionis minus favorabilis limitetur, & non maneat practicè probabilis. Respondet ad ea Crimer. ex dictis satis constare de sufficiente fundamento sententiæ expositæ. Et ad fundamentum practice probabile sine fundamento plus requiri, quam quod sit tale, ut ex eo quis consideratis omnibus, quæ in executione alicujus actus sunt inseparabilia, prudenter & sine nota temeritatis affirmare possit, talem actum licitum esse. Ex eo autem, quod quilibet Psalmus horæ expetibilis sit ad laudandum Deum male inferatur: ergo sententia dicens partes cujuslibet horæ seorsim esse individue præceptas, caret urgente fundamento. Cum multa sint præcepta de materia dividua, quæ tamen individuè præcipiunt, licet quælibet ejus pars conducat ad devotionem & laudandum Deum, ut constat ex singulis Psalmorum versiculis. Dumque in præsente agimus de cultu divino præcepto, & negamus recitationem partis minoris v. g. *Primæ* esse cultum divinum præceptum per *primam*, sed esse quid aliud, quam *primam* præceptam, non derogamus huic cultui divino præcepto. Vide Crimer. *loc. cit. a. num.* 426. pluribus conantem hæc diluere. Verum, quidquid sit de probabilitate hujus ab eo traditæ doctrinæ, quia censent aliqui, in ea non satis procul recedi a propositione illa damnata, censerem potius tantisper sentiendum cum Cardena, *loc. cit.* fautore oppositæ sententiæ.

CAPUT SEPTIMUM.

De Interpretatione Legis.

QUÆSTIO CLI.

Quid sit interpretatio legis.

Resp. Interpretatio generatim accepta non est nisi congrua verbi vel sententiæ per aliud clarius explicatio. Fitque hoc ipsum duobus modis, videlicet per modum declarationis, & per modum suppletionis. Tusch. *Lit. I. concl.* 327. *num.* 1. Fagnan. *in cap. quoniam h. t. num.* 19. Per modum declarationis fit, dum verba legis per alia clariora exponuntur, diciturque interpretatio literalis; quia per eam verborum sensus quasi ad literam intelligibilius exprimitur. Estque hæc minus proprie interpretatio; cum nihil novi adducat, sed tantum id, quod verbis inerat, aliis verbis clarius exponat, ac proinde magis proprie venit nomine declarationis simpliciter prolato. Siquidem, cum exponimus illud, quod verbis legis comprehenditur, legem proprie non interpretamur, ut Bartol. *in leg. Gallus, §. etiam si parente, num. 1. ff. de liber. & posthum.* Fagn. *loc. cit. num.* 19. Quod autem nomen interpretatio pro pura declaratione sumatur, constat ex *l. 1. ff. si certum petatur*. Per modum suppletionis (quæ est proprie dicta interpretatio) fit, quando a verbis legis receditur, ac mens ejusdem ponderatur & præponitur. Siquidem dum obscuritas sensus legis, non spectando nudam literam, sed verba simulque mentem, declaratur, quod lex ad talem casum sit vel non sit extensa, suppletur, quod verbis legis deerat, non quod menti, pro ut hæc indicat Papa *in cap. in his, de verb. signific.* ubi: *considerantes nihilominus, quod non debeat aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur &c.* Hujus interpretationis exempla habemus *leg. justa interpretatio, de verb. signif.* ubi, quod justa interpretatione appellatione *filii* nepos comprehendatur & *patris* nomine avus demonstrari intelligatur, in *cit. leg. Gallus, §. quid si is & §. etiam si parente*, ubi, talis interpretatio admittitur, extendendo legem ad casum in ea non expressum. Et de hac interpretatione loquuntur statuta, in quibus cavetur, quod intelligi debeant secundum literam, & quod non recipiant Interpretationem & *c. exiis, §. itaque* ubi prohibita qualibet glossa sive interpretatione dictæ decretalis, permittitur expositio literalis verborum ipsius.

QUÆSTIO CLII.

Quotuplex sit interpretatio.

1. Resp. primo. Interpretatio minus proprie talis dividitur in declarativam, dum quis declarat sensum vel verba dubia alicujus institutionis, de qua jam satis dictum *quæst. præced.* & translativam, per quam unum idioma transfertur in aliud, ut *in cap. propterea de verbor. signif.* & *l. 1. ff. de verb. obligat.* quam Abb. *in c. super quæstionum de off. delegat.* vocat interpretationem linguarum, & in qua acceptione dicitur translatio 70. interpretum S. Scripturæ.

2. Resp. secundo. Interpretationem proprie acceptam dividi posse ex parte causæ efficientis quadrifariam, nimirum in interpretationem Principis, Consuetudinis, Judicis, Magistrorum. Gl. *in c. de postulat. v. interpretatio* & *ibidem* Abb. *num.* 18. Fagn. *in cap. cum venissent, de judiciis, num.* 11. Quippe hi omnes legem interpretari possunt, etsi non eadem & pari efficacia, ut constabit ex dicendis. Vel etiam bifariam in authenticam seu necessariam, & in doctrinalem seu non necessariam, sed mere probabilem, his enim dictæ paulo ante quatuor species comprehenduntur. Authentica

tica seu necessaria generatim dicitur, quę vim legis habet, & cui proinde acquiescendum, & de hac dicitur, *l. minimè ff. de* LL. *minimè sunt mutanda, quæ interpretationem certam habent*. Interpretatio non necessaria seu mere probabilis & doctrinalis (quæ etiam scholastica seu magistralis appellatur) est illa, quæ a Magistris seu Doctoribus datur, *leg. unic. Cod. de Professorib. Constantinopol.* & hæc probabilitatem tantum, non necessitatem affert, cui proinde inhærendum non est, nisi concurrat communis DD. consensus, aut alia meliora juris fundamenta non suppetant, attento tamen & in hoc illo Imperatoris effato, *l. 1. §. sed neque C. de vetere jure enucleand. sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius est, judicatote; cum possit unius forsan & deterioris sententia, & multos & majores in aliqua parte superare.*

3. Interpretatio authentica, seu necessaria & decisiva alia est generalis, quæ vim legis habet omnes subditos obligantis, & hæc vel est scripta, vel non scripta, scripta dicitur ea, quæ procedit ab ipso legislatore vel ejus successore, & ad omnes ejus subditos extenditur, de qua dicitur *c. inter alia de sent. excom. unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat*. Dicitur autem scripta, non quod scriptura sit de ejus essentia, sed quod hæc communiter in ea intervenire solet, ac simul ad differentiam interpretationis consuetudinariæ, quemadmodum & lex jus scriptum dicitur ad differentiam juris consuetudinarii. Interpretatio authentica generalis non scripta, quæ habetur a consuetudine legitime inducta & vim quoque legis habet, unde dicitur *l. si de interpretatione, ff. de LL. si de interpretatione legis quæratur, imprimis inspiciendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset; optima enim legum interpres consuetudo*, ut & *c. cum dilectus de consuetudin. contra consuetudinem approbatam, quæ optima est legum interpres*. Alia est interpretatio necessaria particularis seu non generalis, quæ fit per Judicem, quippe qui potest suam interpretari sententiam. Argum. *l. Paulus ff. de re judicat.* & *l. in ambiguis ff. de prætoriis stipulat.* Sed & suo modo leges quo ad causas per eum decidendas, *l. nam ut ait, l. non possunt ff. de LL.* juncta *auth. ut judices collat. 9.* Innoc. *in c. cum speciali de appellat.* Abb. *in c. 1. de postulat. num.* 20. & alii, quos citat Reiffenst. *h. t. num.* 362. ubi etiam ait: Judex etenim est juris interpres in causa dubia, ejusque sententiæ, tanquam habenti vim particularis authenticæ interpretationis tenentur partes litigantes obsequi, nisi ad Judicem altiorem appellarint, unde etiam sententia transit in rem judicatam nisi appelletur *c. quod ad consultationem, de sent. & re judicat.* ita illa, verum an ista a Judice facta interpretatio legis sit proprie authentica, dicetur paulo post. Dicitur autem necessaria non generalis; quia licet partes litigantes necesse habent illi obsequi, adhuc tamen non est generalis, quia alii Judices non tenentur judicare justa interpretationem ab hoc Judice factam, & secundum quod is judicavit, cum non exemplis sed legibus judicandum sit. *L. nemo, de sent. interlocut. omn. Judic.* tum quia res inter alios judicata regulariter aliis non nocet *c. quamvis, de sent. & re judicat.* & *c. dilect. de præb. §. fin.*

4. Resp. Tertio. Interpretatio proprie accepta dividitur ratione causæ suæ formalis seu formę, qua fit, in correctivam, restrictivam & extensivam. Gl. 2. *in l. 2. ff. de orig. juris* & *l. 1. ff. ad S. C. Tertullianum. V. interpretatione*. Bartol. *in l. omnes populi, ff. de just. & jure*. Fagn. *in c. cum venissent, de judic. a num. 4.* Correctiva dicitur, dum legum obscuritas ac duritia humanæ conditioni incongrua per benignam interpretationem mollificatur, corrigitur & emandatur. Reiffenst. *ad h. t. n.* 368. juxta L. leges. *C. de* LL. ubi: *si quid in iisdem legibus latum fortassis obscurius sit, oportet id Imperatoris interpretatione patefieri, duritiamque legum nostra humanitati incongruam emendare* &c. & *l. 2. ff. ad S. C. Tertyll.* ubi corrigendo rigorem Senatus consult. Orficiani Locans operas suas, ut cum bestiis pugnaret, ad Matris hæreditatem non admittendus dicitur: sed humana interpretatione placuit eum admitti; habetque eadem interpretatio locum in aliis casibus, in quibus alioquin ex verbis absolute & crude acceptis resultaret iniquitas. Interpretatio restrictiva dicitur, per quam verba legis vel statuti (suadente sic æquitate,) in sua generali significatione arctantur & restringuntur. Sic literæ de beneficiis obtinendis, cum sint in materia ambitiosa, sunt strictæ interpretationis, prout id varie declaratur *in c. quamvis & c. cui & c. non. de præb. in 6.* Item in materia odiosa adhibenda interpretatio restrictiva juxta illud: *Reg. 15. Jur. in 6. odia restringi convenit*. Sic interdicto populo, non censetur interdictus clerus, *c. si sententia, de sent. excom. in 6.* non obstante, quod in materia favorabili nomine populi veniat clerus.

Interpretatio extensiva dicitur, per quam fit ampliatio legis ad non expressa. Interpretatio hæc in materia favorabili locum habet juxta illud *cit. reg. favores convenit ampliari*, & *c. olim de verb. signif. beneficia Principum sunt interpretanda largissime*, & *c. cum dilecti, de donat. in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est facienda interpretatio*. Porrò duplex est & fit extensio legis, quarum una dicitur, extensio proprie dicta seu mere extensiva, altera improprie dicta, inclusiva vel comprehensiva. Suar. *l. 6. de LL. c. 3. num. 9.* Laym. *in c. translato h. t. num. 4.* Pirh. *h. t. num.* 112. Reiffenst. *ibid. num.* 371. Prior est, per quam legis alicujus decisio transfertur ad alium casum vel personas tam ultra verba legis, quam mentem legislatoris, quamvis non contra ejus mentem; hujus exemplum habes *in c. cum dilecta, de confirm. utili*, ubi Papa constitutione illa juris civilis, quod testes valetudinarii aliique, de quibus rationabiliter timetur, possint admitti ad testimonium etiam lite non contestata, ne veritas occultetur, suadente æquitatis similitudine, extendit ad innovationem privilegii, aliorum scriptorum instrumentorum ne vetustate consumantur. Posterior est, quæ fit ultra legis, non ultra mentem legislatoris; dum nimirum decisio legis transfertur ad alterum casum vel personam sub verbis legis non comprehensam, comprehensam tamen sub mente legislatoris juxta illud *l. scire, ff de excusat. tutor. §. aliud sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum tamen mens legislatoris aliud vult*. Dicitur autem improprie extensio, quod ad id propriè non dicatur lex extendi, quod deprehenditur ex tacita & conjecturata mente legis seu statuentis, ut Abb. *in cap. super quæstionum, de off. deleg. num. 7.* Felin. *ibid. num. 3.* dum enim anima legis est intentio legislatoris, ad illud, quod venit ex mente legislatoris, nequit proprie dici lex extendi; cum in ea ipsa includatur & comprehendatur. Reiffenst. *ad h. t. num.* 372.

QUÆSTIO CLIII.

Penes quos sit potestas interpretandi legem authentice.

1. RESp. Primo esse penes solum conditorem legis, illius superiorem & successorem; hi enim soli habent potestatem obligandi per illam legem, adeoque & inducendi obligationem ex ejus declaratione. Suar. *l. 6. de LL. c. 1. n. 2.* Azor. *Tom. 1. l. 5. c. 16. q. 16.* Castrop. *tr. 3. d. 5. p. 3. §. 2. n. 2.* juxta *l. fin. de LL.* ubi: *leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet*. Neque obstat, mentem legislatoris ei soli, & non illius superiori aut successori notam. Nam dum hi authentice legem declarant, non tam declarant intentionem personalem primi conditoris, quam sensum, in quo lex deinceps recipi & observari debent; & licet hic sensus forte sit extra mentem primi conditoris legis, non tamen id impedit, quo minus dici possit illius legis declaratio. Quia in illa lege fundatur. Castrop. *loc. cit. num. 2.*

2. Resp. Secundo. Inferiores Judices, tametsi secundum veriorem Doctorum sensum legem interpretari, & secundum illam interpretationem ferre judicium seu sententiam, maxime si Princeps consuli nequit, possunt, non possunt tamen legem interpretari authentice in hoc sensu, quod eorum interpretatio liget ac ipsa lex; cum nullibi constet, id iis concessum, intellige a legis conditore, ejus superiore vel successore, hi enim soli id iis committere poterant. Rodriq. *regular. qq. q. 51. a. 1.* Sylv. *v. interpretatio, q. 1.* Castrop. *loc. cit. num. 7.* ubi tamen subjungit, in rebus facillimis & minutioribus credendum est, inferiores Prælatos habere potestatem declarandi legem, non solum doctrinaliter, sed etiam authentice, quia alias nulla legis observantia perfecte introduceretur, si passim recurrendum esset ad Principem &c. De cetero posse illos interpretari legem authentice in hoc sensu ut partes litigantes teneantur hanc interpretationem sequi, constat ex dictis *quæst. præced.* quod ipsum & non plus velle videtur Castrop. dum ait: credo, habere verum, quando agitur de interesse partium, & necessaria est interpretatio ad decidendam litem; possunt enim tunc Prælati inferiores legem, pro ut sibi probabilius videbitur, interpretari, & cogere, ut partes hanc interpretationem sequantur.

QUÆ-

QUÆSTIO CLIV.

An & qualiter, ut interpretatio authentica habeat vim legis, egeat publicatione.

1. RESp. Interpretatio proprie dicta authentica, & omnino sequenda, ut dictam vim legis habeat, eget publicatione ad instar legis, alias erit solum declaratio doctrinalis, etsi gravioris authoritatis quam alterius viri docti. Suar. *lib. 6. de LL. c. 1. n. 3.* Castrop. *l. c. n. 2.* Reiffenst. *l. c. n. 374.* siquidem talis interpretatio proprie dicta (qualis est correctiva, restrictiva & mere extensiva) non ita a principio inerat legi, ut ideo una cum lege sufficienter publicata censeri posset, uti est interpretatio legis large dicta, seu quę est mera legis declaratio, quamquam Bald. *in c. 1. de consf. n. 17.* Fagn. *in c. cum venissent de judiciis n. 5.* appellant intriosecam, substantialem & inseparabilem a lege, utpote ex cujus visceribus trahitur, ac proinde, præsertim, si sit clara & manifesta, ulteriore publicatione non eget. Sed & quasi extrinseca & accidentalis legi, utpote solum ratiocinando ac per discursum ex sententia seu mente legis deducenda. Argum. *l. nominis & rei. ff. de verb. signif. & l. qui testamento §. mulier. testam.* unde requiritur specialis ejus publicatio.

2. Quid vero hoc in puncto specialiter dicendum sit de declarationibus Cardinalium interpretum Concilii Trid. quas supra in *quæstionib. prælim.* diximus obtinere vim legum, leges *ibidem* quibus hic paucis addendum; quod tametsi plures cum Bonacin. *d. 1. q. 1. p. 8. n. 4.* teueant, eas, si publicatæ non sint, etsi de iis alias authentice constet, non habere vim legis, non obstante, quod Rota Romana omnino & constanter eas sequatur, etsi solenniter promulgatæ non sint; cum id faciat, quia judicat eas absque eo, quod vim legis habeant, esse maximi ponderis & authoritatis; licet etiam hanc sententiam Castrop. *n. 5.* dicat probabilem esse, eique stari posse, dum aliud a Pontifice non definitur. Nihilominus ipse *n. 6.* tanquam probabilius & securius censet cum Garc. *de benef. in præfat.* Rodriq. *regular. qq. to. 1. q. 11. a. 2.* Salas. *d. 21. f. 12. in fine*, quos sequitur Reiffenst. *b. 1. n. 377.* illas vim legis habere & adstringere in judicio & extra, dum autentice de iis constat per Breve Pontificium vel per monitorium Auditoris Cameræ, vel per epistolam alicujus Cardinalis sigillo munitam, vel per transumptum authenticum ex registro Congregationis parte citata; eo quod hæc absque alia solenni promulgatione ex usu & consuetudine videntur sufficiens promulgatio harum declarationum; cum licet ex ea publicatione non statim multis innotescat, paulatim tamen in multorum notitiam deveniat, & de se apta sit devenire, quod videtur sufficiens ad inducendam obligationem.

QUÆSTIO CLV.

An cuilibet liceat legem interpretari doctrinaliter.

1. RESp. Primo licere, modo eam interpretetur juxta regulas & sensus DD. & non ex proprio solum cerebro; fuitque necesse, hanc Doctoribus relinqui facultatem, cum sæpe lex contineat ambiguitatem, & legislator de facili consuli non possit. Castrop. *l. c. §. 2. n. 1.* Argum. *c. 2. de privil. in 6.* & juxta *l. unic. de profess. l. 1. ff. de orig. Iuris.*

2. Resp. Secundo. Tenet responsio etiam, dum per legem prohibetur ejus interpretatio. Regulariter enim loquendo, tunc solum prohibetur interpretatio frivola, & quæ est contra mentem ipsius legis & legislatoris. Castrop. *l. c. n. 6* Salas *de LL. d. 21. f. 2. in fine*. Sa. *v. interpretatio. n. 5.* Neque obstat, talem interpretationem frivolam per se esse exclusam; quin insuper expresse præcepto legis inhibeatur seu excludatur. Unde jam, si quis præter consensum Patrum, non tamen contra illum, interpretatur scripturam, non contravenire illum prohibitioni, qua a Triden. *Sess. 3. decreto de usu Sacror. libror.* prohibetur fieri interpretatio contra sensum, quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia, censent Bannez. *1. p. q. 1. a. 10. du. 6.* Azor. *2. p. l. 8. c. 2. q. 3.* Barbos *in remiss. Concilii l. c.* Castrop. *l. c.*

3. Resp. Tertio. Nihilominus tamen etiam quandoque prohibetur interpretatio doctrinalis non frivola, non quæcunque, sed quæ typis mandatur, & fit ex professo. Sic a Pio V. in Bulla confirmatoria Concil. Trident. præcipitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quoque modo edere aut statuere audeat, etiam prætextu majoris corroborationis aut executionis ipsius Concilii; non obstante, quod ibi Pontifex utatur verbo *edere*, quod ut Schardius *in Lexico Iur. v. edere.* Argum. *l. si quis ex argentariis. ff. de edendo.* Generale est, & non solum intelligitur de excusis typo, sed & de scripto aut alio quocunque modo publicatis. Nam consuetudine ipsa (quæ verborum proprietati prævalere debet) intelligitur de declaratione typis edita. Ac ita tenen Rodriq. *l. c. tom. 1. q. 12. a. 3.* Henriq. *p. 1. sum. l. 7. c. 29. n. 4.* Sal. *l. c. f. 11.* Reginal. *l. 20. n. 53.* Barbos *in remiss. Concil. Sess. 5. c. 2. de reform.* apud Castrop. illis consentientem. Quin & hoc decreto non prohiberi quamlibet interpretationem typis excusam, sed eam, quæ ex professo fit per modum glossæ, scholiorum, commentarii (qualis non est, dum quis unum alterumve Concilii decretum mere incidenter interpretatur, insertumque reliquis sui lucubrationibus typis mandari curaret) tenent Rodriq. Castrop. *LL. cit.* citatique ab hoc Suar. *tom. 5. de cens. d. 27. f. 7. n. 12.* Sal. *ubi ante* Bonac. *d. 1. p. 1. p. 8. n. 3.* &c.

QUÆSTIO CLVI.

Quid sit Epiikeia, qualiter ab interpretatione differat, & an licitus ejus usus.

1. RESp. ad primum. Epiikeia est benigna legum interpretatio secundum æquum & bonum declarans casum aliquem particularem ob circumstantias suas v. g. nimiæ difficultatis ex mente legislatoris (intellige prudenter præsumpta) si ejus in specie recordatus fuisset, sub lege universaliter lata non esse comprehensum; cum in omnibus potior debeat esse ratio æquitatis quam stricti juris juxta *l. placuit. ff. de Iudic.* unde

2. Resp. secundo. Differt Epiikeia ab interpretatione legis potissimum in hoc, quod per hanc interpretemur verba legis, dum sunt obscura, vel sensum ambiguum reddunt, per Epiikeiam vero interpretemur mentem legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nimirum is talem causam particularem ob certas illius circumstantias voluerit aut potuerit comprehendere sub generali locutione legis; vel etiam per quam judicamus, legislatorem illum comprehensurum non fuisse sed excepturum, si ejus in specie recordatus fuisset.

3. Resp. tertio licet uti Epiikeia in casu nimirum, in quo lex generaliter lata deficit, adeo, ut vel iniquum foret eidem in talibus circumstantiis obedire, vel saltem nimis grave & difficile propter aliquod grave damnum, quia optime tunc potest quis interpretari & præsumere, legislatorem non voluisse in eo casu obligare. Suar. *de LL. l. 6. c. 7. a n. 9.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 3.* cum communi. Sic ubi tempore hostili lege municipali prohibentur aperiri portæ urbis, per Epiikeiam possunt ac debent aperiri, si cives hostium impetum fugientes volunt se in civitatem recipere, intellige, si non adest periculum, ne hostes insequentes una cum civibus irrumpant. Sic interpretamur jejunia ecclesiastica non obligare, ubi adest infirmitas, præceptum audiendi Missam, ubi timetur grave damnum, honoris, vitæ, fortunarum. Quin etiam, ut Suar. non solum ubi ex observantia legis v. g. ex auditione Missę, sequitur grave damnum in rebus acquisitis, sed & in acquirendis; cum lucrum cessans & grave damnum moraliter ęquiparentur juxta *l. unic. C. de sentent. quæ pro eo, quod interest proferuntur*. Notandum tamen cum Castrop. *n. 4.* in hac interpretatione causam excusantem debere esse ad minus probabilem; vel quia probatur doctoribus, vel quia firma nititur ratione. Si autem hanc probabilitatem causa non attingat, sed hæret quis dubius, an casum illum comprehendere voluerit aut potuerit legislator, ubi consuli potest legislator, is consulendus, propria interpretatione amissa: alias regulariter standum verbis legis; quia lex est in possessione citat Castrop. pro hoc Salas. *d. 21. f. 10. n. 29.* & remittit ad ea, quæ dici solent de conscientia dubia, & a se dicta sunt *ibidem p. 8. & seq.*

QUÆSTIO CLVII.

Quid generatim notandum circa interpretationem legum.

1. RESp. primo. Notandum fieri eam per ipsum legislatorem vel ejus superiorem aut successorem majore cum libertate & facilitate, eo quod licet interpretando propriam aut prędecessoris sui vel inferioris legem, primęvam ejus intentionem non undequaque assequatur, authoritas tamen interpre-

tantis, otpote potentis priorem legem penitus abrogare, suppleat defectum; cum, ut dictum, Princeps declarando authenthice legem, non tam declaret intentionem personalem primi conditoris, quam sensum, in quo lex deinceps recipi & observari debeat. Dum vero fit per inferiorem, puta Judicem pro ferendis sententiis, vel a Doctore & Magistro in dandis consiliis & resolutionibus, teneri illum, quantum fieri potest, assequi mentem primævam ipsius legis seu intentionem personalem primi cunditoris per verba legis expressam. Reiffenst. *ad h. t. n.* 382.

2. Resp. secundo. Quod si de iotentione legislatoris ex aliquibus circumstantiis constat, illa observanda, abstinendo ab ulteriore interpretarione, tametsi verba in contrarium videantur significare, juxta *l. non dubium C. de LL.* ubi: *in legem committit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem* &c. siquidem verba proferuntur ad declarandam mentem & intentionem proferentis; adeoque si illam noo declarent, illis standum non est, ita Suar. *l. 6. c. 1. a n.* 12. Sanch. *de mat. l. 2. d. 37. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 16. q. 9.* Tiraq. *ad l. si unquam C. de revoc. donat. v. libertat n.* 45. Castrop. *tr. 3. d. 5. p. 3. §. 3. n. 1.* & apud huoc Sal. Bonac. &c.

QUÆSTIO CLVIII.

Quæ de cetero in specie, servandæ regulæ in legis interpretatione facienda per inferiorem legislatorem.

1. RESp. posse dari sequentes. Prima ubi verba legis clara sunt, & non ambigua vel dubia, locum non habet interpretatio, seu voluntatis legislatoria conjecturæ. Gl. *in c. cum dilectus de consuetud. v. Jure communi.* Abb. *l. 2. conf.* 97. *n.* 1. Tusch. *lit. v. concl.* 108. Barb. *axiom.* 222. *n.* 32. Laym. *in c. ir cui de elect. in* 6. ubi: a verbis legis alteriusve dispositionis recedendum non est, nisi manifestum sit, aliud sensisse legislatorem seu disponentem; quin & dicent *l. 1. ff. de exercitatoria act. in re dubia melius est verbis edicti servire.* Habentque hæc ipsa locum in statutis, ut, ubi eorum verba sunt aperta, ab iis recedendum oon sit, ut ad jus commune reducantur. Abb. *l. c. n.* 15. Bartol. *in l. 4. §. Prator nit ff. de damno infecto.* Item in privilegiis *c. porro de privileg. c. ad audientiam de decimis.* Item in aliis dispositionibus v. g. testamentariis juxta illud *l. non aliter ff. de legatis*, ubi: *non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.*

2. Secunda priori affiois. In legis interpretatione facienda servari debet proprietas verborum, & ceosendum, juxta hanc latam esse legem. Suar. *l. c. n.* 7. Azor. *l. c.* Barbos. *l. c. n.* 4. cirans copiose alios Castrop. *l. c. n.* 2. juxta *cit. l. non aliter* & cum communi. Ratio est, quod cum legislator debeat procurare, ut lex a se lata sit clara, ne quid per obscuritatem in captionem contineat. *can. 2. dist.* 4. debet uti verbis in propria significatione, & consequenter præsumendum, semper legislatorem, dum legem tulit, non fuisse improprie locutum. Quinimo ait Castrop. *l. c. n.* 3. id ita verum esse, ut etiamsi legislator ipse extra legem dicat, se aliter intelligere, quam verba sonant, non teneamur stare ejus interpretatiooi, donec ipse promulget hanc suam declarationem, ac per illam intendat inducere obligationem; eo quod alias legislator non habeat se oisi ut quidam specialis Doctor, cujus opinionem & sensum sequi non teneamur, pro quo citat Sal. *d. 21. s. 13. n.* 31. Sa. *v. lex n.* 25. & 26. Bonac. *d. 1. q. 1. p. 8. n.* 16. Patitur nihilominus hæc regula varias limitationes & exceptiones. Ae imprimis quidem generalem hanc limitatiouem: nisi subjecta materia vel natura actus suadeat aliud: ita ut tunc verba sint intelligenda secundum materiam, de qua lex loquitur, adeoque etiam ut ei accomodentur sunt impropriauda, seu in sensu minus proprio accipienda. Tusch. *lit. U. concl.* 95. Barbos. *axiom.* 222. *n.* 6. & 8. cum communi argum. *can. rogo 11. q. 3.* ubi *rd rogo* intelligitur præceptive. *c. ad aures de atat. & qualit.* juncta Glossa ubi *rd de consilio nostro* sumitur pro consilio reverentiæ, cui obediendum. *l. si uno anno ff. locati* ubi *donatio* accipitur pro traosactione. Ex qua generali limitatione dein deducuntur aliæ particulares, quarum primariæ sunt sequentes.

3. Prima: nisi ex verbis acceptis in propria significatione redderetur lex, statutum vel sententia inutilis, tunc enim ad impropriam significationem recurri potest Felin. *in c. translato b. t. n.* 14. Covar. *l. 3. var. c. 3. n.* 9. Mascard. *de prob. concl.* 596. *n.* 2. Tiraq. *in l. connub. gl. 5. n.* 115. Suar. *de LL. l. 6. c. 2. n.* 7. Castrop. *l. c. n.* 6. Sic *c. si civitas de sent. excom. in* 6. ne sententia interdicti reddatur illusoria, extenditur ad suburbia. Sic *in l. 4. ad Macedonian.* ubi ratione mortui excusantur filiifamilias ab obligatione, extenditur hoc privilegium ad venditionem pecunia credita; sub oomine testamenti venit codicillus. Quamvis recte notet Castrop. hæc exempla non continere limitationem responsionis; cum io iis verba noo improprientur, sed retenta eorum propria significatione, lex extendatur ad ea, quæ sunt omnino connexa, qualia sunt suburbia, utpote accessoria urbi, sicut cæmiterium Ecclesiæ, quod interdicta Ecclesia, ioterdicitur. Codicillus item est accessorius testamento, utpote ejus complementum, in venditione vero pecunia credita invenitur proprie mutuum.

4. Secunda. Nisi ex proprie sumptis verbis sequatur oullitas aut inutilitas actus, ita eoim verba sunt intelligenda & interpretanda, ut res de qua agitur, potius valeat quam pereat. *c. abbate de verb. signif.* ubi: *profecto sic intelligenda sunt verba, ut res de qua textus agitur, valere possit potius quam perire.* concordat *l. quoties in actionibus ff. de reb. creditis l. 1. §. 1. C. de uxorin act.* Et sic in dubio semper pro valore actus facienda interpretatio, cum nemo præsumatur ioutiliter operari *l. 3. de militari testam. l. quoties il 2. ff. de reb. dubiis.* Menoch. *de præsump. l. 6. tota præsump.* 5. Sanch. *de mat. l. 1. d. 38. n.* 4. Castrop. *l. c. n.* 11. Et quod ubi opus fuerit, ac fieri potest pro sustinendo actu, sive ut is non reddatur ioutilis, verba sunt improprianda, sumitur ex *L. si uno ff. locati & l. si cum ante C. de donat. ante nupt.* Item quod verba, quæ proprie nun possunt cum sententia salvari, debent impropriari, ajuot Bald. *c. ult. num. 3. de translat. Episc.* Tusch. *lit. V. concl. 95. num.* 1. Quin & pro eo, quod ad sustinendum actum admittitur omois interpretatio. Reiffenst. *h. t.* citat totam *decis. 469. n. 3. p. 3. recent.* & pro eo, quod interpretatio, quæ fit pro validitate actus sit regina aliarum interpretationum. Tusch. *lit. A. concl.* 136. *n.* 6. Barbos. *axiom.* 12. *n.* 18. & 19.

5. Tertia. Nisi ex proprietate verborum sequatur aliqua absurditas. Castrop. *l. c. n.* 5. cum communi constat ex *c. solita de major. & obed.* qualis quia esset iniquitas legislatoris ab eo commissa in legislatione, ut hæc evitetur, verba sunt improprianda. Argum. *l. nulla juris ratio l. 28. l. 19. ff. de LL.* Suar. *l. 6. c. 1. n.* 17. Bonac. *super n.* 14. Azor. *l. 7. c. 16. q.* 9. Castrop. *n.* 5. Ratio patet, cum enim lex debeat esse justa, non debet præsumi, legislatorem in ea ferenda commisisse injustitiam iotellige, etiam materialem.

6. Quarta. Nisi alias verba legis redderentur superflua. Barbos. *l. c. n.* 12. Tusch. *lit. V. concl. 85. n n.* 4. apud Reiffenst. *n.* 396. verba siquidem, ut habetur *c. si Papa de privil. in 6. c. si a Judice de appell. in* 6. necessario aliquid operari debent, quin & ne quidem minimum verbum, imo nec minima syllaba superfluere debet. AA. iidem. Reiffenst. *loc. cit. & in proœm. n.* 113.

7. Quinta. Nisi inde sequatur correctio juris, ad hanc enim evitandam in lege correctoria recedendum esse a communi verborum significatione, docent Abb. *in c. cum olim de sent. & re judicat.* Felin. *in c. non potest eod. tit. n.* 8. Butrio *in c. cum dilectus de consuetud. n.* 15. Gutt. *l. 3. pract. q. 15. n.* 34. & plures alii apud Castrop. *l. c. n.* 4. Qui tamen hanc limitationem absolute sumptam ait, sibi oon placere, eo quod ratiu hæc: ne lex æquivocationibus & fallaciis exponatur, verba debeant proferri in cummuni acceptione: militet æque in omnibus legibus; unde si in aliquo sensu pruprio verba (iotellige, etiam talis legis:) explicari possunt, quia vel sic evitetur correctio legis, sensus ille, etiamsi non sit ita proprius, retinendus sit. Exemplum adducit de electione, quæ juxta *c. cum olim de re Judicat.* requirat concordiam, & tamen si major tantum pars in unum cooveneri, censeatur facta in concordia, seu omnes convenisse concorditer, ne juri fiat derogatio, ut docent *ibid.* Gl. & Abbas.

8. Sexta. Nisi tamen significatio minus propria ex communi usu prævaleat propriæ verborum significationi in interpretando, eo quod legislator præsumatur protulisse verba secundùm usum commuuem; cùm lex sit communis omnibus, & ab omnibus observanda proponatur; adeoque debeat proponi verbis cummuni usui accommodatis, Azor. *1. part. l. 5. c. 16. q. 9.* Sa. *v. interpretatio, num.* 15. Sanch. *l. 6. d. 23. n.* 3. Castrop. *num.* 9. Et sic in genere, si cousuetudo declarat, in quo sensu verba accipienda, illi necessariò standum; cùm consuetudo sit optima legum interpres juxta *l. si interpretatione ff. de LL. & l. in obscuris ff. de reg. Iur.* Azor. Castrop. Plures alias similes limitatiunes vide apud Tusch. Barbos. *loc. cit.* & alios. De cetero, quod dictum, servandam in interpretatione proprietatem verborum, id per se & regulariter intelligendum de proprietate illorum naturali, quæ nimirum habetur ex communi hominum acceptione & usu, non vero pro civili, quæ habetur per fictionem juris, per quam & quasi per quandam analogiam & translationem v. g nomen mortis, quod alias morti naturali accommodatum est, attribuitur quoque professioni religiusæ, exilio &c. nomen filii alias competens filio naturali, juris beneficio competat

pctat

patet etiam illi, qui privilegio Principis est adoptivus. Ita Tiraq. *in l. si unquam C. de revoc. donat. v. susceperit n.* 27. Cast. *l. c. n.* 7. Argum. *l. ult. C. de his, qui veniam ætat.* ubi legitima & perfecta ætas de naturali intelligitur, non de illa quæ beneficio Principis obtinetur. Et ratio patet; quia analogum absolute sumptum stat pro famosiore & principaliore significato. Nihilominus tamen in lege favorabili non solum verborum proprietas naturalis & communis, sed & civilis attendenda, & secundum utramque lex extendenda; cum ratio favoris exigat, ut lex extendatur quantum fieri potest, servata proprietate verborum. Suar. *l. 6. c. 2. n. 6.* Menoch. *l. 4. præsump. 89. n. 36.* Castrop. *l. c. n. 8.* sic nomine filii in talibus dispositionibus venit quoque filius adoptivus, nomine legitimi etiam legitimatus &c. AA. iidem.

9. Regula tertia. Lex generaliter & indistincte loquens generaliter intelligenda & interpretanda juxta vulgare axioma, quod est summarium in *l. pretio ff. de Publiciana in rem act. ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus* & habetur *in c. quia circa de privileg.* addita etiam hac ratione: *cum nihil exceperit, & potuerit excepisse*. Limitatur hæc regula: nisi per aliud distinguatur: dum nimirum lex una per aliam declaratur v. g. generaliter loquens per specialiter loquentem. *l. non est novum* & *l. 2. seq. ff. de LL.* juncta *Reg. 34. Iur. in 6.* ubi: *generi per speciem derogatur*. Idque ob quandam specialitatem & rationem diversitatis, ut fit *in c. statutum de elect. in 6.* Porro indefinita locutio æquipollet universali. *c. quia circa*. Gl. *in proæm. decretal. v. in judiciis*. Et tunc præcipue, cum subest eadem ratio omnium sub indefinita comprehensorum. Tusch. *Lit. I. concl.* 86. Dynus *in proæm. de Reg. Iur. in 6. a n. 5.* Argum *l. si pluribus* & ibi Bartol. Secus si non subest eadem ratio omnium. V. g. propter accidens aliquod in uno eorum, & non in aliis reperto. *l. heres meus* & *l. quæsitum ff. de legat.* ubi, quod si legetur marmor indefinite, sub hoc legato non comprehenditur marmor jam sculptum & effigiatum, sed solum rude & *l. si cui lana ff. de legat.* ubi sub *lana* indefinite legata non comprehenditur lana tincta, idque quia non subest eadem in utroque ratio; cum marmor sculptum & lana tincta sit specialis & majoris æstimationis. Dynus *l. c. n.* 7. Barbos. *axiom.* 123. *a n.* 4. His non obstante, quod appellatione argenti legati comprehendatur etiam argentum fabrefactum juxta *cit.* l. *quæsitum*. Nam id ideo est, quia argentum fabrefactum seu effigiatum per liquefactionem reverti potest ad sui materiam secus ac accidit in marmore effigiato, lana tincta & similibus, assignata hac disparitatis ratione expressis verbis ab ipsa *l. quæsitum §. illud*. De cetero, licet, ut dictum, indefinita æquipolleat universali, est tamen inter eam & locutionem universalem affectam particula seu clausula universali hoc discrimen: quod clausulæ universales majoris sint efficaciæ quam generales seu indefinitæ locutiones, complectendo nimirum omnia nullo penitus excepto, nisi manifesta urgeat ratio restringi; & hoc quasi ex natura sua. Barb. *clauf.* 184. indefinita vero non æquipolleat universali ex propria & naturali vocabuli acceptione, sed ex benigna interpretatione & conjectura de mente disponentis, quæ indefinita attenditur & esse præsumitur, quando omnium comprehensorum eadem est ratio. Unde jam mirum non est, quod si legetur lana indefinite juxta *l. quæsitum*, non legetur lana tincta, si vero legetur omnis lana, legetur etiam tincta, juxta *l. pediculis §. Labeo ff. de auro & argento legat*.

10. Regula quarta. Lex nova semper secundum antiquam interpretanda. Menoch. *cons.* 490. *n.* 22. & *centur. 6. cas.* 502. *n.* 67. Castrop. *cit. §. 3. n.* 14. juxta *l. non est novum l. sed & posteriores. ff. de* LL. & Glossam *in l. sciendum ff. qui satis dare cogantur*. Quod verum esse, etiamsi leges veteres sint abrogatæ, ait, Castrop citans Sanch. *de mat. d. 24. n* 6. *&c.* subditque tanquam decisum *in Auth. de filiis ante dotale instrum. natis coll.* 3. Quod quoties lex una venit ad interpretationem alterius, recipiat omnes limitationes, restrictiones & extensiones, quas recipit lex interpretata.

QUÆSTIO CLIX.

Specialis: an & qualiter ob rationis similitudinem vel identitatem lex interpretanda extendi possit ab uno casu ad alium.

1. RESP. Ubi est eadem ratio seu causa finalis adæquata legis sine apparente disparitate, in ejus interpretatione regulariter fieri potest dicta extensio juxta illud: *ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio*. Barbos. *axiom.* 197. *n.* 3. citans plures alios. Sic regulariter loqui DD. ait Castrop. *tr. 3. d. 5. p. 3. §. 4. num.* 2. Sed tot subjungi ab iis hujus generalis doctrinæ limitationes, ut potius contrarium statuendum sit pro regula generali; nempe ex similitudine vel identitate rationis præcise non esse legem extendendam, sicut nec eam ideo extendendam censeat Suar. *de LL. l. 6. c. 3. a n.* 4. Verum censeo potius loquendum cum communi & deinde dictas limitationes, etsi plures, subjiciendas in sequentibus *qq.* quam a communi modo loquendi DD. recedere, præsertim cum data a nobis regula satis fundetur in utroque jure, pluribusque textibus exprimatur. Sic dicitur *l. ideo ff. de LL. semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt*. Sic *l. non possunt. ff. eod. non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus aut jurisconsulto comprehendi; sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet*. Sic Gl. *in l. illud. ff. ad legem Aquiliam* ait: *ubi eadem ratio est, ibi idem jus esse debet*: sive ut habet summarium citatæ legis: *casus quos nectit paritas æquitatis & identitas rationis, non sunt quoad juris dispositionem separandi*. Sic in Jure Canonico *c. inter corporalia de transl. Episcopor.* dicitur: *propter expressam tamen similitudinem vel potius identitatem &c.* & mox infra. *cum de similibus idem judicium sit habendum*: Accedat quoque ratio, quod cum ratio legis sit anima legis, ubicunque locum habet ratio legis, lex ipsa quoque locum habere debeat. Contra quod quidem ait Castrop. *l. c.* quod cum ratio legis non sit lex, ex eo, quod in casu aliquo inveniatur illa ratio, non recte inferatur, legem esse de illo casu, eo quod optime legislator possit de uno disponere & non de altero, non quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohibere, neque omnia omittere, etsi in omnibus eadem sit ratio; vel etiam quia potuit adesse superior aliqua ratio movens Principem, ut in uno casu, non in alio simili sic disponat, adeoque non evadere ejus dispositionem irrationabilem per hoc, quod sic disponat in uno & non in alio casu. Neque etiam per hoc, quod sic disposuerit in uno satis manifestari ejus voluntatem (sine qua tamen manifestatione non potest esse legis obligatio) etiam sic disponendi in alio simili. Veruntamen licet per hoc forte probetur, non semper evidenter ex paritate & identitate rationis concludi; quod legislator statuendo sic de uno casu idem voluerit seu statuerit per legem suam de aliis similibus; non tamen etiam diluitur satis, quod exinde non recte interpretemur & præsumamus, eum sic statuisse, præsertim suffragantibus citatis claris textibus juris. Ut tamen procedat responsio nostra, requiritur, ut sit similitudo in eo puncto, de quo agitur. Menoch *de arb. l. 1. cas* 84. *n.* 6. cum aliis (etsi necesse non sit, ut sit similitudo in omnibus, ut Menoch. Abb. *in c. cum dilecta de confirm. utili n.* 3. Farinac. *p. 1. fragm. crim. lit. E. n.* 196.) ita ut si in eo puncto, de quo agitur, aliqua dissimilitudo reperiri possit, fallat regula. Tusch. *lit. 4. concl.* 301. *n.* 17. Feder. de Senis *cons.* 67. *§. sed non est dubium*. Siquidem argumentum a simili est fragile, leve & infirmum, quoties vel parva dissimilitudo seu diversa ratio decidendi assignari potest. Barbos. *in loco* 105. *n* 7. & facile prosternitur una adducta dissimilitudine. Menoch. *cons.* 75. *n.* 82. & DD. *in c. translato de const.*

2. De cetero notandum quoque ex Castrop. *cit §. 4. n. 8. in fine*. quod si plures casus, in quibus communiter DD. admittant extensionem ex identitate rationis bene expendantur, non tam comprehendantur sub lege ob identitatem rationis, quam ob veram significationem verborum vel ob connexionem inter se. Sic enim accidit primo in correlativis, ut dispositum in uno censeatur dispositum quoque in alio. *l. fin. C. de indicta viduitate*. Sanch. *de mat. l. 1. d.* 54. *n.* 1. Suar. *de LL. l. 6. c. 4. n.* 7. Castrop. *l. c. n.* 9. Everardus *loco a correlativis n.* 8. Nav. *c. pœna de pœnit. dist. 1. n.* 5. Exempla hujus, in quibus non tam ob identitatem rationis, quam ob servandum æqualitatem & Justitiam lex lata pro uno correlativo comprehendit & aliud, sunt: ob adulterium uxoris maritus eximitur ab obligatione reddendi debitum, adeoque viceversa uxor ob adulterium mariti non obligatur: alias lex esset iniqua; ob absentiam sponsi sine licentia sponsæ dissolvuntur sponsalia *c. de illis de sponsal.* qui textus, etsi non loquatur de sponsa, debet tamen extendi quoque ad sponsam absentem. Sanch. Castrop. *l. c.* statutum determinans ut maritus succedat in bonis uxoris debet extendi, ut & uxor succedat in bonis mariti, ne injuste procedatur. Castrop. *ibidem* cum Bald. *l. liberor. ff. de his, qui notat. infam.* Secundo in æquiparatis, ut dispositum de uno censentur etiam dispositum de altero in ea re, in qua sunt æquiparata. Gloss. *in l. quod vero ff. de LL.* Suar. *l. c. n.* 9. Nav. *n.* 6. Castrop. *n.* 10. Sic quia electio, postulatio, provisio, præsentatio parificantur in jure (in certis quibusdam) quod dispositum in uno, censetur & de alio dispositum, intellige, in isto puncto, in quo parificantur. Nav. *num.* 12. Castrop. *loc. cit.* Gl. *in c. si postquam v.*

Provisio de elect. in 6. & in Clem. 1. v. sacerdotium de off. vica. Tertio in connexis quomodocunque, sive a jure, sive a consuetudine Sanch. l. 7. d. 20. n. 1. Castrop. n. 11. Quarto de contentis. Argum. l. secundum liberorum ff. de V. S. Nav. l. c. n. 11. 12. 18. 20. Suar. l. c. n. 8. Castrop. n. 11. Sic constitutio loquens de vicario Episcopi extenditur ad Vicarium Capituli sede vacante. Loquens de gradibus consanguinitatis ad affinitatem & publicam honestatem. Dispositum de Diaconatu ad Subdiaconatum Castrop. Quinto in mensurante & mensurato Sanch. l. c. d. 10. n. 10. Castrop. n. 12. citatis aliis. Et inter alia id exemplificans in statuto, quo agnati præferuntur cognatis in successione, præferantur etiam in tutela, ut Bartol. l. 1. ff. de legit. tutela. Item si permissum sit laico donare certam quantitatem sine insinuatione, & postea detur ei facultas donandi Ecclesiæ duplo major, censetur data facultas ea conditione, ac in prima, scilicet sine insinuatione, quia commensuratur ex prima facultate.

3. Notandum ex eodem Castrop. n. 13. sæpe legislatorem de aliquo casu vel persona speciali loqui, non quia vult legem limitari ad illum casum vel personam, sed exempli gratia; & tunc legem extendi ad omnes similes casus. Qualiter Pontifices & Imperatores decidendo casum aliquem specialem, decisionem illam statuunt pro lege. Quando autem id faciant, pensandum ex circumstantiis. Citat pro hoc l. bis solis C. de revoc. donat. Suar. l. 6. c. 4. n. 10. Rebell. l. 1. q. 6. §. 4. Tiraq. in l. si unquam v. libertis a n. 45. Dat rationem; quia lex non agit de singularibus, neque exemplis id limitat, sed declarat dispositionem. Extendit idipsum, ut etiam locum habeat in lege correctoria. Citatis l. regula §. fin. de juris & facti ignor. Salas. Barbos. Hinc & commune illud: dum lex frequentioris usus causa aliquid decernit, casum minus frequentem non excludit, sed comprehendit. Rebuff. tract. nominat. q. 5. n. 25. Sanch. de mat. l. 3. d. 20. n. 3. & l. 9. d. 14. n. 16. & DD. communiter in l. unic. de raptu virgin. & Gl. ibidem & Clem. 1. v. præsidentes de rescript.

4. Notandum cum eodem n. 14. quod etsi lex ob similitudinem rationis non extendatur ad casum in lege non comprehensum, judex tamen in judicando debeat illam extendere, cum prudentia & recta ratio postulat, ut dum pro aliquo casu decidendo non est certa lex, a similis casus decisione decisio illius petatur. Felin. in c. translato h. t. a n. 10. juxta l. nam. ff. de LL. & Gl. ibi Sic dici solet: casum similem expresso non esse omissum a lege; siquidem per legem casus expressi decidi potest casus similis. Tiraq. de retract. consanguinit. §. 2. gl. 1. 2. n. 19.

5. Notandum denique, quod ubi adest eadem ratio, non tam fuit extensio legis, quam declaratio: cum ex mente legislatoris comprehenditur omnis casus, in quo concurrit illa ratio. Abb. in c. nihil est de elect. n. 9. Menoch. conf. 324. n. 10. Bald. in l. quamvis C. de fideicom. ubi, quod ubi ratio scripta est in statuto aliquo: sub tali statuto comprehendatur alius casus, cui convenit dicta ratio statuti. Et non dicitur tunc interpretatio extensiva sed intellectiva. Barbos. axiom. 197. n. 8. ubi, quod ubi est eadem ratio, dicatur adesse eadem lex non extensive sed comprehensive. Limitationes nostræ sententiæ leges in responsionibus ad sequentes qq.

QUÆSTIO CLX.

Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum correctivarum.

1. RESp. Præter ea, quæ dicta quæst. 158. in limitatione 5. regula 2. Servire poterunt sequentes. Prima, quod per legem posteriorem censendum non sit derogari priori, nisi ei sit omnino contraria; cum correctio legis, quantum fieri potest, sit vitanda juxta l. præcipimus C. de appellat. Castrop. l. c. §. 3. n. 13. & §. 4. n. 4. ubi, quod in legibus correctoriis non detur extensio ex uno casu ad alium in lege non comprehensum ob similitudinem rationis. Quia correctio legum est odiosa. cit. l. præcipimus. Citatque pro hoc Barbos. in l. si constante ff. solut. matrim. n. 101. qui & alios plures referat. Et Suar. l. 6. c. 3. n. 4. Hinc lex prior de casu aliquo particulari non est censenda correcta per posteriorem loquentem generaliter, nisi hæc illi expressis verbis deroget. Sanch. de mat. l. 3. d. 24. n. 6. Rebell. de oblig. Inst. l. 1. q. 6. §. 5. Salas d. 21. s. 6. n. 16. Castrop. l. c. Reiffenst. ad h. t. n. 240. ubi pro hoc citans Tusch. lit. J. concl. 330. 34. Barbos. axiom. 60. n. 2. ait: statutorum & reformationum novarum interpretatio ita semper fieri debet, ne sequentia corrigant præcedentia, si his expresse non contradicant argum. cap. cum expediat. de elect. in 6. l. sed & posteriores ff. de LL. Idque verum etiamsi posterior lex habeat clausulam. non obstante: ita ut adhuc non censeatur illi derogatum, nisi in quantum est posteriori contraria. Hinc retinenda prior, si per limitationem aliquam vel distinctionem sustineri potest. Ita Castrop. l. c. cum Sanch. l. c. Bartol. Jason &c. qui etiam cum communi hic notat, nunquam per legem generalem censeri derogatum constitutionibus specialibus & consuetudinibus provinciarum; eo quod, cum eæ ad factum pertineant, in legislatore supremo præsumatur earum ignorantia. c. 1. h. t.

2. Limitat tamen Castrop. cit. §. 4. n. 5. hanc regulam; ita ut, si lex correctoria corrigat unum ex æquiparatis jure antiquo, extendatur ad aliud æquiparatum, si sint æquiparata ob eandem propriam rationem; eo quod tunc non tam detur extensio in lege ab uno casu ad alium, sed potius dispositio de una trahat ad se casum alium ob connexionem & æquiparationem, quam habent a jure. Citat pro hoc Bartol. communiter receptum in l. 2. ff. de legat. num. 1. Menoch. centur. 6. casu 502. n. 36. Barbos. ubi ante a n. 104. Secus vero sit, si lex correctoria unius ex æquiparatis non corrigat aliud, si non propter eandem rationem sint æquiparata. Exemplum hujus affert ex l. fin. C. de SS. Ecclesiis. ubi Ecclesia & civitas æquiparantur in præscriptione, ne scilicet adversus eas præscribi possit tempore minore quam centenario. Et Auth. quas actiones eod. tit. ubi corrigitur hoc privilegium ecclesiarum, & solum Ecclesiæ Romanæ permittitur illo uti. Ex hac siquidem correctione non sequatur, correctum etiam esse privilegium civitatibus concessum. Quia esto Ecclesiæ & civitas fuerint in citata Lege fin. æquiparata in præscriptione, non tamen sub eadem ratione; cum ecclesiæ fuerit concessum hoc privilegium favore religionis; civitatibus vero propter jus publicum. Citat pro hoc Barbos. ubi ante n. 105. Tiraq. in l. si unquam v. libertatis n. 45. c. de revocand. donat.

3. Secunda regula fere coincidens cum præcedente: censendum est, non plus de priore lege derogatum, quam est expressum in posteriore. Argum. l. præcipimus C. de appell. ubi: quidquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant. & l. si vero §. de vero ff. soluto matrim. ubi summarium sumptum ex Bartol. sic habet: processio legis contra jus commune non extenditur ultra illud, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio. Et hæc iterum, quia correctio legum utpote odiosa, non est facile præsumenda. Et ut habetur c. cum expediat. de elect. in 6. expedit concordare jura juribus, & eorum correctio (si sustineri valeant) evitari.

QUÆSTIO CLXI.

Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum exorbitantium a jure communi.

1. RESp. Leges exorbitantes (quales dicuntur, quæ deviant a jure communi ob aliquem specialem favorem alicui personæ vel personis factum. Castrop. tr. 3. d. 5. p. 3. §. 4. n. 6. ex Barbos. in l. si constante in princ. ff. soluto matrim. n. 92.) sunt strictæ interpretationis, nequaquam ob similitudinem rationis producendæ seu extendendæ ad casum similem. Barbos. Castrop. LL. cit. Rebell. de oblig. Inst. p. 1. q. 6. s. 4. Fagn. in c. cum ad nostram de elect. cum Gl. in c. constitutionem v. prorogamus de regul. jur. in 6. & juxta Reg. Jur. 28. in 6. ubi: quæ a jure communi exorbitat, nequaquam ad consequentiam trahenda & reg. 74. eod. in 6. quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum & c. is qui de filiis presbyt. in 6. ubi: prætextu dispensationis hujusmodi, quam exorbitantem a jure oportet veluti odiosam restringi.: Assimiliantur siquidem istiusmodi leges privilegiis & dispensationibus, quæ non recipiunt extensionem juxta l. quod vero ff. de LL. & c. sane de privileg. Hinc licet pater possit imperare occidere filiam suam in adulterio deprehensam vi l. filiam habeo ff. ad Macedonian. non tamen id vi illius legis permissum est avo. Barbos. Castrop. LL. cit.

2. Limitatur tamen hæc regula primo ab Abb. l. 1. consil. 75. n. 6. allegante textum c. quamvis juncta Gl. fin. de elect. in 7. Tusch. l. E. concl. 308. n. 5. Barbos. axiom. 14. apud Reiffenst. ad h. t. n. 422. ita ut etiam in exorbitantibus & pœnalibus & correctoriis extensio fiat ab uno ad aliud, intellige, juxta dicta quæst. præced. Secundo limitatur, quod etiam in exorbitantibus recte fiat dicta extensio, ubi identitas rationis in ipsa lege exprimitur. Adducitur a Reiffenst. n. 423. Farinac. p. 1. fragm. lit. E. n. 127. & 128. qui etiam n. 120. & 126. addat facilius fieri extensionem in exorbitanti-

tantibus, quam correctoriis, ex eo, quod exorbitans dispositio dicatur, quæ non in totum, sed in aliquo jus commune currit. Stacilir ldem funus Reiffenst. *n.* 429. Tertio limitatur quod locum habeat dicta extensio legum exorbitantium in materia de se favorabili & pia. Adducitur a Salas. *d.* 21. *f.* 6. Barbos. *l. c.* Tiraq. *l. si unquam v. libertis n.* 61. Quod intelligendum ait Castrop. *cit.* §. 4. *n.* 7. juxta Sal. Barbos. si sub verbis late sumptis comprehendi potest. Secus, si sit etiam extra latam eorum significationem. Sic ex *l. filium habet ff. ad Macedon.* privilegium concessum filiis familias, ne creditoribus ex mutuo obligetur, extenditur ad nepotes; quia nepos sub nomine filii comprehendi potest. Sic quod recte fiat illa extensio favore animæ & causæ piæ, puta favore religionis, relictorum pro anima defuncti, pluribus probat Farinac. *l. c. n.* 108. & 109. Item quod beno fiat favore publicæ utilitatis, habent Farinac. *l. c. num.* 81. Tusch. *l. c. concl.* 665. *num.* 7. Alex. *cons.* 216. *n.* 38. *l.* 2. Bartol. &c. apud Reiffenst. *n.* 424. Quarto ut locum habeat extensio, ubicumque ea non facta, resoltaret absurdum. V. g. quod durius ageretur cum Ecclesiis, vel ecclesiasticis personis. Alex. *l. c. n.* 37. juxta *l. si servus ff. quod vi vel clam.* ubi fit illa extensio, ne, ut dicit lex: melioris conditionis sunt stulti quam periti.

QUÆSTIO CLXII.

Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum pænalium.

1. RESp. sunt sequentes. Prima io dubio lex pænalis est stricte interpretanda, & regulariter non est extendenda ultra casum & personas io ea expressas. Quia juxta *reg.* 16. *de reg. Iur. in* 6. odia restringenda. Et *reg.* 49. *eod. in pœnis benignior interpretatio est facienda.* Dixi *in dubio*; quia si verba legis pænalis, uti & alterius cujuscunque odiosæ, ejusque mens ita sint clara, ut salva ratione recti sermonis non possint aliam habere interpretationem, quam illam extensivam, hæc servanda. Quod, ut dicit *l. prospexit. ff. qui & a quibus manumissi: quid in perquam durum est, sed ita lex scripta est.* Dixi etiam *regulariter*. Licet enim regulariter ac ordioarie facienda non sit in pænalibus extensio, fallit tamen hoc ipsum, ubi identitas rationis in lege expressa est, ita ut tunc recte fiat dicta extensio tam intra quam extra judicium juxta dicta de lege exorbitante. Tusch. *lit. E concl.* 665. *n.* 4. Reiffenst. *n.* 429. id pluribus exemplificans *n.* 430. quia ut Abb. *l.* 1. *cons.* 75. *n.* 6. ubi locum habet mens & ratio legis, debet habere locum ipsa lex, sive ea sit pænalis, sive correctoria; cum lex a ratione & mente legis reguletur. Tunc autem vel maxime dignoscitur mens & ratio legis, dum ea in illa exprimitur. Quin etiam adhuc fit dicta extensio (quæ est altera hujus legis limitatio) etiamsi ratio legis io ipsa lege expressa non sit, est tamen unica; ita ut non nisi illa unica afferri potest, ea habeatur pro sufficienter expressa, & paria sint: rationem esse expressam in dispositione, & non nisi unicam afferri posse. Ita Reiffenst. *n.* 431. citans pro hoc Felin. *in c. translato b. t. n.* 11. Jason. *Auth. quas actiones num.* 22. *C. de SS. Ecclesiis.* Gl. fin. Bald. Paul. a Castro. *in l. quamvis de fidei commiss.* Alex. *l.* 7. *cons.* 126. *n.* 3. Porro dum dubium est num ratio sit unica, licita non est dicta extensio; cum eam esse unicam, stante dubio, non præsumatur. Jason. *l. c.* Farinac. *l. c. num.* 182. Reiffenst. *num.* 432.

2. Secunda. Quæ fere ex præcedente sequitur, nimirum, quod cum odiosa sint strictæ interpretationis, verba legis intelligi debeant cum effectu juxta *Can. hac autem verba.* ubi: *verba cum effectu accipimus*: juncta Gl. *ibidem* dicente, voluntatem seu conatum non puniri sine effectu. Sic juxta *Can. si quis suadente diabolo* 17. *q.* 4. excommunicationem non incurrit, qui voluit clericum percutere, sed non potuit. Limitatur tamen & ipsa hæc regula: nisi sine casus excepti a lege, & pœna etiam ipsi conatui seu voluntati, in opus tamen prodeunti, statuatur. Sic *l. si quisquis C. ad legem Juliam*, de crimine læsæ Majestatis habetur: *eadem* etiam severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri jura voluerunt. Sic *l. Divus Adrianus ff. ad legem Corneliam de Sicariis* habetur: *in maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* Sin summarium *l. si quis dicam C. de Episc. & cleric. in atrocissimis delictis punitur affectus, licet non sequatur effectus.*

QUÆSTIO CLXIII.

Quæ regulæ servandæ in interpretatione legum favorabilium.

1. RESp. prima est, quod hæ leges sint ampliore interpretatione juvandæ, sive in materia favorabili verba accipi debent secundum amplam suam significationem juxta illud *Reg.* 15 *de Reg. Iur. in* 6. *favores convenit ampliari.* Quam regulam etsi ab omnibus fere receptam dicat Castrop. nihilominus tamen *tr.* 3. *d.* 5. §. 4. *n.* 7. citatis pro hoc Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 8. *n.* 26. Suar. tradit, etiam in favorabilibus non esse admittendam extensionem de casu ad casum similem, qui sub lata verborum significatione seu forma non fuerit a lege comprehensus. Eo quod, si verba legis casum illum non comprehendant, nec lex eum comprehendere censeatur; quia lex verbis exprimitur. Adeoque si ad eum fiat extensio, ea fiat ab homine, & non a lege, ut Butrio. *c. fin. n.* 58. *v. sic breviter de consuetud.* Dominic. *in c.* 1. *n.* 9. *de tempor. ordinat. in* 6. Limitat tamen etiam hoc ipsum (applicando limitationem ad omnia præcedentia de non extensione legis ad casum similem) ita ut procedat, quando nulla iniquitas vel absurditas sequitur, seu nullius injustitiæ aut imprudentiæ arguatur legislator, ex eo, quod non extenditur lex ad casum sub lata verborum forma non comprehensum, eo quod cum juxta dicta supra ad evitandam talem absurditatem verba sint impropriaoda, multo magis sint extendenda; subjungit tamen, hanc non esse extensionem propriam legis, quasi hunc casum a principio non comprehendisset; cum vere a principio illum comprehenderit, vel ex ratione expressa in lege, vel ex verbis in lata significatione sumptis, vel ex alia circumstantia.

2. Secunda. Dum lex & quævis alia dispositio est partim favorabilis, partim odiosa, & favor ab odio discerni potest, qua parte lex est favorabilis, debet late explicari, & qua parte est odiosa, debet restringi. Sanch. *de mat. l.* 2. *d.* 3. Covar. *l.* 1. *var. c.* 11. *n.* 5. Jason. *in l. venia C. de in jus vocand. n.* 4. Bartol. & Bald. *ibidem* cum Gloss. *v. libertis* dicente: *ex parte patroni est favor, & ideo prorogandus: ex parte liberti est odium, & ideo restringendum.* Si vero in lege favor & odium discerni nequeunt, attendi debet ad intentionem principalem disponentis, quæ tum ex verbis, tum ex materia subjecta colligenda. Et siquidem principaliter lex statuta deprehendatur in favorem alicujus, late ioterpretanda tanquam omnino favorabilis juxta Gl. *in c. statutum v. numerandum de præb. in* 6. & Gl. *in c. sciant cuncti v. alios de elect. in* 6. Idque non obstante, quod in aliquod odium seu damnum tertii redundet. argum. *c. si propter. de rescript.* ubi Papa concedit Episcopo cuipiam fructus primi anni beneficiorum in ejus diœcesi vacantium ad persolvenda debita, estque præcipua Papæ intentio, specialem illi Episcopo exhibere favorem, qui licet separari non poterat ab onere beneficiis vacaturis imposito, censetur tamen constitutio hæc simpliciter favorabilis juxta Glossam *ibidem v. primi anni*, ac proinde late interpretanda, ut comprehendat etiam Decanatus, Præposituras, Dignitates, ut Laym. *in c. si propter n.* 3. Si vero intentum constitutionis principale tendit in odium seu pœnam alicujus, censebitur simpliciter odiosa, non obstante, quod cedat in aliquem favorem tertii; & sic stricte interpretanda. Reiffenst. *b. t. n.* 440. Si consideratis omnibus non apparet, an constitutio principaliter facta propter favorem, an propter odium, attenditur magis favor quam odium. Abb. *in c. non dubium n.* 3. juncta *addit. v. favor.* semper enim in dubiis benigniora præferenda sunt *l. semper ff. de Reg. Iur.* Neque ex dictis hac Regula sequitur, omnes leges, pœnales etiam, cum principaliter respiciant bonum commune reip. utpote cujus interest, crimina puniri, censendas favorabiles, adeoque extendendas. Nam licet leges pænales respiciant bonum commune reip. in quantum ultimate in hoc tendunt, ac propter illud procurandum crimina puniunt (sic enim bonum commune respicere convenit omnibus legibus *Can. erit autem lex dist.* 4.) earum tamen finis primarius principaliter immediate intentus non est bonum commune reip. sed punitio criminum, utpote ab illis per se intenta tanquam medium aptum ad consequendum bonum reip. secundario remote & consecutive simul intentum; & hinc leges pænales, qua tales sunt odiosæ Reiffenst. *n.* 442.

QUÆSTIO CLXIV.

Quæ facienda interpretatio in beneficiis.

RESp. Plenissima juxta *c. eum dilecti, de donat* ubi : *in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio facienda.* & *c. olim de verb. signif.* ubi : *beneficia Principum interpretanda largissime.* Intelligendum hoc ipsum de beneficio non generice, sed proprie ac stricte sumpto. Fagn. *in cit. c. olim a n. 4.* prout nimirum distinguuntur a privilegio, quod est benevola actio concessa contra jus commune, & rescripto, quod est benevola actio concessa secundum jus commune; impetratur enim rescriptum justitiæ ad juris observantiam, ut impetranti fiat justitia. Est autem beneficium sic stricte acceptum benevola actio seu liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio præter jus commune. Dum nimirum conceditur aliquid ex liberalitate concedentis, non ad præjudicium alterius vel juris, sed ad nullius, vel ad præjudicium concedentis tantum. Et sic contra concedentem est plenissime interpretandum; cum is, si voluisset aliquid excipere, id excepisset juxta *c. quia circa de privileg.* ubi : cum nihil exceperit & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda. Rescripta nihilominus ad beneficia ecclesiastica sunt strictæ interpretationis juxta *c. quamvis de præb. in 6.* ubi : *quamvis plenissima sit alias in beneficiis facienda interpretatio, literæ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint odiosæ, restringi.* Ubi etiam, ut vides, redditur ratio disparitatis inter hæc & alia beneficia.

QUÆSTIO CLXV.

An & qualiter leges jam constitutæ per interpretationem extendendæ ad præterita.

1. RESp. primo nulla lex novi juris constitutiva trahi potest per interpretationem ad præterita. Azor. *l. 5. c. 16. q. 13.* Farinac. *p. 2. fragm. v. lex. n. 56.* Suar. *l. 3. c. 14. n. 8. &* 15. Castrop. *tr. 3. d. 5. p. 3. §. 5. n. 2.* &c. communiter juxta *c. 2. & ult. h. t.* & ibi gl. & DD. & juxta expressum textum *l. leges C. de LL.* ubi : *Leges & constitutiones certum est futuris dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim & de præterito tempore & adhuc pendentibus negotiis cautum sit.* Et ratio est, quod præcipuus legis effectus sit, dirigere actiones humanas; quod autem factum est, cum dirigi nequeat, respectu illius lex effectum sortiri nequit, adeoque absolute prolata ad præterita non potest extendi. Castrop. *l. c.* citans Farinac. *ubi ante n. 45.* Mascard. *de general. statut. interp. c. 13. n. 2.* Bartol. *in l. illicitas ff. de off. Præsid.* ubi, quod lex præcipiens, ut Judex venditiones factas a minoribus rescindat, per *τὸ factas* præteriti temporis, censenda sit intelligere venditiones factas post dictam legem. Atque ita fit evidens, legem præcipientem (idem videtur de prohibente) non esse trahendam ad præterita, cum præcipi nequeat actus præteritus, quia præcipi nequit fieri, quod factum est, aut etiam prohiberi, ne fiat, quod factum est.

2. Resp. secundo. Lex pœnalis qua talis trahi potest, ad actus præteritos pœna dignos proprie dicta, culpabiles nimirum, quia facti contra legem sive positivam divinam sive naturalem; non minus enim puniri possunt per legem quam per sententiam. Castrop. *n. 4.* cum communi. Sic etiam irregularitas & inhabilitas, quandoque imponi potest ob actus inculpabiles præteritos; uti factum, dum per Canones inhabilitas ad Ordines & beneficia imponebatur illegitimis, etiam iis, qui tunc erant. Suar. Castrop. *LL. cit.*

3. Resp. Tertio. Lex quoque irritans extendi potest ad præterita, dum loquitur de actibus, qui irritabiles sunt; potest enim Princeps omnes venditiones tam factas quam faciendas, ubi commissus dolus, etiam citra dimidium justi pretii, irritare per legem. Notat tamen Castrop. *n. 5.* raro fieri illam præteritorum irritationem; cum ad hanc faciendam adesse debeat causa expostulata a bono publico, quæ non ita facile invenitur in præteritis, præsertim, si actus nullam malitiam contineant, & fuerint omnino validi.

4. Resp. Quarto. Lex declaratoria (quæ tamen qua talis non est proprie lex; cum non sit regula operationis, quod est de essentia legis, sed solum manifestet legem regulantem. Suar. *de LL. l. 3. c. 14. n. 4.* Azor. *l. 5. c. 16. q. 13.* Castrop. *l. c. n. 1.*) qua talis comprehendit etiam præterita, quatenus declarat, legem antea latam; quatenus autem declarat, actus esse contra vel præter legem, comprehendit futura & preterita.

5. Resp. Quinto. Lex, constitutio, statutum prohibens actum non extenditur ad actum ante legem illam inchoatum, si is perfectus est; extenderet enim se sic ad præterita. Secus, si imperfectus. Farinac. *p. 2. fragm. v. lex n. 29. & 33.* Castrop. *cit. §. 5. & 7.* Sic lex constituens formam & solennitatem testamentis non comprehendit testamenta jam condita ante ipsam, etiamsi executio & effectus testamenti prius succedat post ipsam quia tale testamentum erat omnino perfectum & consummatum ante legem. Mascard. *l. c. concl. 31. a n. 11.* Farinac. *l. c. n. 30.* Castrop. *n. 8.* juxta *l. jubemus C. de testam.* Neque admittenda limitatio adducta a Felin., ut procedat, modo condens non habuerit potestatem mutandi illud. Nam, ut bene Castrop. licet posset mutare, est tamen perfectum, dum non mutatur. E contra, si testamentum, dum lex promulgatur, necdum erat subscriptum, vel a Notario signatum, aliave simili solemnitate essentiali destitutum, comprehenditur a lege; quia etsi inchoatum, absolute tamen in ratione testamenti tunc futurum erat, cum non haberet suum esse. Idem est in contractibus, ita ut, si lex præscribens ei formam inveniat eos perfectos, etsi necdum datus executioni, eos non comprehendat. Secus, si inveniat eos necdum in suo esse perfectos. Abb. *in c. fin. h. t. n. 11.* Farinac. *n. 33.* Bartol. *in l. omnes populi n. 44. ff. de Just. & Iure*, quos refert & sequitur Castrop. *cit. n. 8.* juxta *l. contractus C. de fide instrum.* ubi : *quæ tam in postea conficiendis instrumentis, quam in his, quæ jam facta sunt, nondum autem absoluta, locum habere præcipimus.* Pluribus idipsum exemplificat Castrop. ex Navarro inter quæ præcipua sunt. Quòd statutum, quo statuitur, ut Canonicus major in dignitate constitutus præcedat in dignitate minorem, etsi is prius receptus, non comprehendat Canonicos ante illud statutum jam receptos; eo quod eorum receptio jam erat actus & executio rei perfectæ & consummatæ, scilicet possessionis, & in qua erat jus quæsitum ratione præbendæ. Quòd lex statuens, ut executores testamentorum reddant rationes ordinariis de sua executione non comprehendat executores, qui suam executionem jam complessent ante latam illam legem, etsi ante illam necdum reddidissent rationes; cum illa redditio rationum mandata sit, ne male administrent, quæ ratio cessat in iis, qui administrationem suam jam finiverunt. Nav. *c. si quando de rescrip. except. 21. n. 28.* Quòd statutum prohibens extrahi è civitate triticum, vinum &c. non comprehendit triticum jam extractum, ita ut etiamsi postea post illud statutum casu redierit ad civitatem, possit tamen denuo extrahi; quia non est amplius civitatis. Castrop. *n. 10.* Azor. *l. 5. c. 16. q. 13.* &c juxta *l. Cæsar. ff. de publican. & vectigal.* ubi hic casus decisus.

6. Resp. sexto. Lex pœnalis ipso jure imponens pœnam afficere non potest delictum jam ante illam commissum. Felin. *in c. quoniam h. t. n. 14.* Castrop. *n. 11.* Lex vero decernens pœnam per Judicem infligendam potest afficere delictum ante illam commissum, necdum punitum. Et quidem, si pœna per novam legem statuta convenientior est delicto (sicut semper esse præsumitur) secundum illam delinquens judicari debet; si vero pœna antiquæ legis erat delicto conveniens, ex *l. 1. de pœnis. & c. fin. de excom.* secundum illam puniri debet. Felin. Castrop. *l. c.*

7. Resp. septimo. Lex vel statutum concedens remissionem pœnæ delinquentibus debitæ ad solos præteritos extenditur, ne alias detur occasio delinquendi, & hoc, etiamsi lex loquatur per verba futuri temporis. Felin. *l. c. n. 13.* Farinac. *n. 38.* Mascard. *l. c. concl. 33. n. 56.* Tusch. *v. lex concl. 264. n. 10. & 65.* Azor. *l. 5. c. 16. n. 53.* Suar. *l. 6. c. 4. in fine.* quos citat & sequitur Castrop. *n. 12.*

8. Resp. octavo. Lex loquens nominatim seu expresse de præteritis regulariter de omnibus preteritis intelligenda *c. fin. h. t. clem. 2. de Iudic. L. leges. C. de LL.* ubi dicitur, leges ad preterita non extendi, nisi nominatim & preterito tempore fiat mentio; ergo si nominatim & de preterito tempore loquantur, ad ea extendendæ. Castrop. *n. 13.* dicens esse sententiam omnium. Patitur tamen sequentes limitationes, unde dictum *regulariter*, Primo non extenditur ad jam decisa; cum presumendum non sit, velle legislatorem revocare causas jam decisas. Felin. *l. c. n. 3.* Castrop. *n. 14.* juxta *l. causas C. de transact.* idque, quomodocunque res decisa, sive per sententiam, sive per transactionem, solutionem, quietantiam, prescriptionem. Felin. Castrop. *LL. cit.* Abb. *in clem. dudum de sepult. v. pacta.* Farinac. *n. 44.* Tusch. *concl. 265. n. 13.* Item etiamsi sint decisa per sententiam & ab hac appellatum sit, nisi ea ipsa nominatim exprimerentur in nova lege. Abb. *in c. fin. h. t. n. 9.* Farinac. *l. c. n. 56.* Mascard. *n. 30.* Tusch. *v. lex concl. 261. n. 17.* Castrop. *n. 16.* dicens ex Felin. esse communem; eo quod Judex appellationis succedat loco primi; adeoque secundum jus commune, quod vigebat in prima instantia, judicare teneatur, intellige, ut Fe-

ut Felin. in spectantibus ad decisionem & merita causæ, etsi non in spectantibus ordinem & modum procedendi; cum in his appellans debeat sequi ordinem Judicis ad quem appellavit, & loci, in quo causa agitanda. *l. 3. de testam.* Abb. *in c. clericis de foro comp.* plura de his *respons. seq.* Quin etiam ut lex nominatim exprimens etiam decisa ad ea se extendat, justa causa adesse deberet; cum alias neque per legem, neque per rescriptum juri alterius per decisionem quæsita derogari possit. Gl. *in c. fin. h. t. n.* 9. Farinac. *l. c. num.* 3. apud Castrop. *n.* 14. Decetera, si lex nova diceret: omnia prius facta habeantur pro infectis: tunc etiam decisa annullata erunt. Farinac. *n.* 49. Felin. Castrop. *l. c.*

9. Resp. nono. Lex (idem est de statuto, inter quod & legem hac in parte non est discrimen, ut Felin. ex Imol. apud Castrop. *n.* 18.) loquens nominatim etiam de præteritis non extendit se ad pendentia in judicio, ita ut ea ex lege superveniente decidi possint, nisi simul horum pendentium mentionem faciat. Argum. *l. leges C. de LL.* ubi expresse habetur, leges & constitutiones futuris negotiis formam dare, neque ad præterita revocari, nisi nominatim & de præterito tempore & adhuc pendentibus negotiis cautum fuerit. Unde recte infertur, non sufficere nominare præterita, ut intelligantur comprehendi etiam negotia pendentia, sed & hæc nominatim exprimenda. Ita tenent Bartol. *in l. omnes populi n.* 40. *ff. de Inst. & jure.* Mascard. *de general. statut. interp. concl.* 13. *a n.* 33. Alex. *cons.* 96. *n.* 4. *l.* 2. quos citat & sequitur Castrop. *cit. n.* 18. contra Farinac. *n.* 47. Tusch. *cit. concl.* 246. *n.* 19. & 11. *&c.* quorum sententiam communem dicit Castrop. Ratio responsionis est, quod ex eo, quod causa deducta sit in judicium, quælibet pars litigantium jus aliquod acquisivit, ut secundum leges tunc vigentes judicetur; juri autem litigantium Princeps nunquam censeatur derogare, nisi id exprimat. Jam vero tale jus læderetur, si lex de novo lata in iis locum haberet. Idque non solum, ubi lex nova vel rescriptum ad instantiam partis litigantis, sed & motu proprio Principis emanaret (qualiter suam sententiam limitant adversarii) cum eque in utroque casu dictum jus lædatur.

10. Resp. decimo. Pari modo, ac dictum de decisis, lex loquens de præteritis trahenda non est ad præterita in causa jam conclusa ante dictam legem, nisi expresse & illa nominarentur. Paria enim sunt esse conclusum in causa, ac esse decisum, cum ex conclusione in causa negotium sit finitum *c. auditis de procurator.* & *c. pastoral. de causa possess. & propriet. c. cum dilectus de fide instrum.* Ita tenent sub limitatione mox subjungenda Mascard. *l. c. n.* 19. Farinac. *n. sex. n.* 55. Felin. *c. fin. de const. n.* 3. Castrop. *n.* 16. Et ratio est, quia ex conclusione facta debet proferri sententia secundum leges tunc vigentes; eo quod concludendo quodammodo inter se paciscantur partes se nolle alio jure uti. Limitatio autem hæc est: modo in caussa ita conclusum sit, ut nulli partium liceat novas juris productiones allegare, si enim post conclusum in causa liceat afferre novas probationes, lex nova loquens de præteritis extenderetur ad causas jam sic conclusas; cum tunc jus partis, quæ vult reprobare in totum, non est sigillatum, ut Castrop. adeoque non erit illi præclusa via utendi lege nova sibi favorabili.

CAPUT OCTAVUM.

De Dispensatione Legis.

§. I.

De natura dispensationis ejusque materia & effectu.

QUÆSTIO CLXVI.

Quid sit & qualiter definienda dispensatio.

RESP. Dispensatio, prout hic sumitur, non pro justa rerum communium distributione, de qua loquuntur textus *l. dispensatori l. dispensatorem, ff. de solut. c. dispensatio 43. dist. &c.* Sed pro alicujus ab obligationum legis exemptione, definiri solet communius ex Nav. *in sum. prælud.* 9. *num.* 15. Covar. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 1. & aliis, quod sit juris communis relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui jus habet dispensandi. Verum ea definitio displicet aliis. Primo, quia dispensatio non solum est juris communis, sed etiam legum municipalium & synodalium, quæ jus commune non constituunt. Ad quod tamen facile responderi posset. τὸ *juris communis* non accipi in hac definitione pro jure clauso in corpore juris, quod jus commune appellari solet; sed magis generice pro jure pluribus competente seu respiciente aliquam communitatem, quales sunt etiam leges municipales. Secundo, quod dispensatio, ut valeat, non semper requirat causam. Unde & Sanch. *l.* 8. *disp.* 1. *num.* 2. omittit has particulas: *cum cognitione causæ*: sed & ad hoc dici posset, regulariter saltem ad sui valorem, & semper ad hoc, ut licita sit, requirere causam, unde licet spectando summum rigorem definitionis redundarent forte dictæ particulæ, non tamen omnino incommode adjicii. Tertio, quod quoque redundent illa: *ab eo, qui potestatem dispensandi habet*, utpote inclusa in τῇ *relaxatio*, quæ non esset, seu non fieret, nisi ab eo, qui ad hoc potestatem habet, concederetur. Substituitur proinde a Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 1. *n.* 2. citante pro ea Suar. *de LL. l.* 6. *c.* 10. *n.* 7. Pont. *de mat. l.* 8. *c.* 1. *n.* 3. Salas &c. hæc definitio brevior: *dispensatio est juris alterius relaxatio.* Contra quam quoque illud dici posset: quod dum creditor condonat debitori debitum, seu jus, quod habet contra illum; fit relaxatio alicujus juris, non tamen fit dispensatio. De cætero clariorem & exactiorem dispensationis definitionem hanc dant Theologi: quod sit *actus potestatis legislativæ, quo in casu particulari relaxatur obligatio legis positivæ manente obligatione quo ad ceteram communitatem & alios casus.* Dicitur primo

actus, non enim hic agimus de ipsa desitione obligationis, quæ est effectus dispensationis: sed de actu & volitione legislatoris, qua respectu hujus particularis personæ, cum qua dispensat, vult contrarium ejus, quod voluerat primo. Dicitur secundo: *actus potestatis legislativæ*, quia hic agitur de dispensatione, quæ fit in legibus, non de ea, quæ fit in votis, juramentis, vel etiam statutis particularibus, quæ non videntur procedere a potestate legislativa qua tali. Dicitur tertio: *quo vel in casu particulari, vel quo ad personam particularem* (quo nomine venit etiam integrum monasterium, religio, urbs) nam licet ordinarie fieri non soleat dispensatio, nisi in unam alteramve personam realem vel fictam, non tamen repugnat etiam fieri in totam communitatem in ordine ad unum alterumve actum, aut ad tempus aliquod. Dicitur quarto: *relaxatur obligatio legis positivæ*, abstrahendo a lege divina & humana, ut comprehendatur quoque dispensatio, qua Deus in suis legibus positivis dispensare potest, quamvis in præsente solum vel saltem potissimum agatur de dispensatione legum humanarum, datam definitionem declarabunt ulterius responsiones. *ad qq. seq.*

QUÆSTIO CLXVII.

An & in quo dispensatio differat ab interpretatione legis.

1. RESP. primo. Quod differat, ex eo patet, quod dispensare non sit interpretari, legem hic & nunc respectu hujus vel illius, cum quo dispensatur, non obligare, sed sit eximere aliquem ab obligatione legis, alias perrecturæ eum astringere ad sui observantiam, seu reddere alicui licitum, quod alias ei non erat licitum, ita ut dispensatio sit veluti tacita & exercita confessio, dispensandum esse obligatum, & deobligatio sit effectus dispensationis; adeoque non supponat deobligationem, sicut eam supponit interpretatio, qua interpretamur, aliquem non esse comprehensum sub lege, sed eam efficit. Ita quo ad rem Suar. *n.* 2. Pont. *n.* 4. Sanch. *l.* 8. *d.* 1. *n.* 1. Castrop. *n.* 3. ubi plures addit hujus differentiæ rationes.

2. Resp. secundo. Differunt quoque in hoc, quod interpretatio non sit actus jurisdictionis, sed doctrinæ; cum quilibet vir doctus interpretari possit legem in tali vel tali

casu non obligare. Sed neque ex eo quod in dubio alteri a superiore non permittatur interpretatio, non infertur, eam esse actum jurisdictionis, sed doctrinæ tantum reservatæ superiori. Castrop. *loc. cit.*

QUÆSTIO CLXVIII.

Qualiter dispensatio differat a permissione & concessione licentiæ.

1. RESp. ad primum. Quamvis interdum, minus tamen proprie, dispensatio appelletur permissio & dissimulatio, differt tamen ab ea, quia tollit obligationem legis respectu dispensati, quam permissio non tollit, ut patet in Deo permittente peccata, non vero dispensante in illis, unde etiam permissus facere contra legem committit culpam, & pœnæ subjicitur, etsi ejus executio dissimuletur. Suar. *n.* 9. Pont. *n.* 5. Castrop. *n.* 4. Et sic, quod simplex conniventia seu patientia nusquam inducat dispensationem in iis, quæ sunt contra juris dispositionem, habetur *c. cum jam dudum*, ubi *gl. v. patientia de præb.* Et quod non omnis patientia seu taciturnitas superioris sit dispensatio seu relaxatio juris; cum interdum taceat & dissimulet, quod facile impedire non potest ac proinde talis tolerantia non inducit consensum approbativum, & sic dum Princeps solo facto seu impune dissimulat aliquid & permittit, censendus non sit dispensare, ait Pirh. *ad tit. de præb. n.* 176. vide Sanch. *de matrim.... disp.* 38. *n.* 12.

2. Resp. ad secundum. Differt a simplice licentia requisita a lege in eo, quod concessio licentiæ non sit contra legem, sed potius pro lege, perque eam non tam tollitur obligatio legis, quam satisfiat obligationi. Sic dum Prælatus dat licentiam egrediendi monasterio. Papa ingrediendi monasteria monialium, non dispensant, sed apponunt conditionem a lege requisitam; dum lex cavebat exitum e monasterio, ingressum in monasterium monialium sine licentia. Ac ita lex non obligat, quia apposita licentia cessat ejus materia. Sic dum superior dat religioso veniam accipiendi & donandi pecuniam, non dispensat in voto paupertatis, utpote in quo solus Papa dispensare potest, sed cessat casus, pro quo tenetur religiosus. Suar. *n.* 11. Pont. *nu.* 5. Castropalao *nu.* 7.

QUÆSTIO CLXIX.

In quo dispensatio differat a privilegio.

RESp. Dispensatio semper est contra jus, privilegium non semper, sed sæpe præter jus; dum autem est contrarium juri, idem est ac dispensatio, & causam requirit. Sanch. Pont. *LL. cit.* Suar. *nu.* 13. Castrop. *nu.* 8. Ad hæc dispensatiu sæpe non est permanens, hoc est, non est pro usu pluries repetito contra legem, sed pro unico actu determinato, privilegium vero consistit in facultate permanente agendi contra legem. Salas *disp.* 20. *sec.* 1. *in fine* Castropalao *loc. cit.*

QUÆSTIO CLXX.

Qualiter dispensatio differat ab absolutione a peccatis & censuris.

RESp. in his, quod culpa & pœna non sit lex, adeoque ab iis liberari seu absolvi nou sit liberari ab obligatione legis. Item quod per dictam absolutionem jus non vulneretur, uti fit per dispensationem (unde & vulnus juris vocatur, *can. ipsa pietas* 23. *quæst.* 5. Barbosa *par.* 2. *de off. & potest Episc. alleg.* 33. *n.* 7. Fagn. *in c. cum in cunctis n.* 36. *de elect.*) sed potius impletur; jubet enim semper concedi absolutionem, proinde absolutio hæc, utpote conformis juri sit late interpretanda, dispensatio stricte, ut Abbas *in c. tam literis vestris n.* 3. *de testibus*. Suarez *a n.* 9. Pont. *nu.* 5. Sal. *cit. sec.* 1. *corol.* 3. Castrop. *num.* 5. Accedit, quod quandoque quis possit cum se ipso dispensare, nunquam autem seipsum absolvere.

QUÆSTIO CLXXI.

Qualiter dispensatio legis differat a dispensatione voti & juramenti.

RESp. differre in multis. Dispensatio in voto ac juramento nunquam fieri potest sine causa; secus est in dispensatione. In voto & juramento dispensat Prælatus nomine Dei, utpote cui jus acquisitum est, committentis vices suas Prælato; in lege vero dispensat superior nomine proprio. In voto potest fieri commutatio etiam propria authoritate, si sit in melius, & probabiliter etiam, si sit in evidenter æquale, quia ejus obligatio ortum habuit a voluntate voventis, & respicit solum honorem Dei, qui conservatur per materiam meliorem vel æque bonam; in lege autem propria authoritate nunquam fieri potest commutatio, utpote cujus obligatio, adeoque & ejus commutatio pendet a solo legislatore. Salas *l. c. s.* 2. *nu.* 7. Vasq. 1. 2. *tom.* 2. *de LL. d.* 178. *c.* 2. quos citat & sequitur Castrop. *nu.* 9. adjiciens & hoc notabile, quod dum ex juramento sæpe, nimirum, dum factum est in favorem alterius, obligatur quis alteri homini, jurans non possit id commutare, illo, in cujus favorem factum, non consentiente. Item Prælatus, etsi possit relaxare obligationem inde Deo natam, sæpe tamen non possit relaxare natam inde homini, cum hujus vices non gerat.

QUÆSTIO CLXXII.

Qualiter dispensatio differat ab abrogatione & derogatione legis.

RESp. in hoc, quod abrogatio sit cessatio legis totius, tam quoad materiam, quam quo ad personas, & in perpetuum; derogatio sit cassatio legis pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communitatis, vel pro aliqua parte legis, si lex secundum materiam habeat aliquam latitudinem, juxta *leg. derogatur ff. de verb. signif.* ubi: *derogatur legi, cum pars detrahitur, abrogatur, dum prorsus tollitur.* Sanchez Sal. Pont. *LL. cit.* Suar. *n.* 12. Castrop. *nu.* 7. per dispensationem vero nec tota, nec pars legis tollitur, sed quasi suspenditur obligatio pro hoc vel illo, & quidem non semper permanenter seu pro usu sæpe repetendo, sed solum hic & nunc pro hoc vel illo casu.

QUÆSTIO CLXXIII.

In quo differat dispensatio a legitimatione.

RESp. Quod legitimatio habilitet universaliter ad omnia jura, a quibus de jure scripto civili vel canonico repellebatur. Dispensatio vero ad quædam tantum Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 14. *qu.* 1. Tusch. *lit. C. concl.* 220. sitque legitimatio late interpretanda, dispensatio stricte Passerin. *de elect. cap.* 25. *num.* 306.

QUÆSTIO CLXXIV.

An & qualiter dispensatio sit odiosa & stricte interpretanda.

RESp. Dispensationes sunt odiosæ & stricte interpretationis, utpote per quas, ut dictum paulo supra, jus vulneratur. Suntque recessus a jure; omnis autem recessus a jure est odiosus *c.* 1. *§. fin. de filiis presbyt. in* 6. hinc dispensatio non debet extendi ultra proprietatem verborum. Laym. *in c. is qui de filiis presbyt. §. sane n.* 6. Hinc ut dispensatus quis valide censeatur ad specialem casum, is debet distincte exprimi. Dispensatio in genere v. gr. ad ordines valet solum ad minimam speciem, v. gr. ad ordines minores. Dispensatio ad paterna beneficia non valet, si ea sint curata. Passerin. *de elect. c.* 25. *nu.* 292. Hinc dispensatio concessa ad unum finem non est producenda ad alium finem. Lotter. *de re benef. l.* 1. *qu.* 40. Neque in dispensationibus valet argumentum a majore ad minus, vel etiam a simili ad simile; cum in iis non liceat argumentari a paritate vel etiam majoritate rationis. Barbosa *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 33. *n.* 10. Fagnanus *in c. quia in tantum de præb. nu.* 20. Host. *in c. postulasti de rescript. n.* 12. Surdus *decis.* 268. *n.* 20. Sic dispensatus ad Provincialatum non est dispensatus ad Prioratum. Passerin. *nu.* 295. contra

tra

tra Peyrin. & Lezan. ab eo citatos. Sic dispensatus ad officia hujus ordinis non est dispensatus ad eadem & omnino paria officia alterius ordinis. Passerin. *loc. cit.* Sanchez *in decal. l. 5. c. 5. nu. 16.* Nisi tamen majus & minus vel paria sint omnino connexa, vel unum consecutivum alterius, & ab eo inseparabile Holl. *l. c.* Felin. *in c. fin. de Simon. n. 5.* Passer. *nu.* 294. sic dispensatio ad diaconatum valet etiam ad minores. AA. iidem. Dispensatus super pluralitate beneficiorum censetur dispensatus super residentia in eorum aliquibus incompatibili cum residentia in aliis. Reiffenstuel *ad h. tit. n.* 451. citans Gloss. *in c. quia in tantum v. plures.* Abbas *ibid. nu.* 3. Barbosa *ubi supra n.* 8. vide me *in foro benef. p. 1. q. 286. n. 3.* Neque oppositum probatur ex *c. per venerabilem qui filii sint legitimi*: ubi ex eo, quod Papa dispensarit cum quibusdam illegitimis, ut in Episcopos promoveri possint, infertur, quod eos etiam ad actus sæculares legitimare valeat; cum, ut habet textus ibidem: *quod in majore conceditur, licitum esse videntur etiam in minore.* Quod autem ibi sermo sit, non de potestate dispensandi, ut in ea dicatur habere locum argumentum a majore ad minus; sed de ipsa dispensatione, patet ex textu, qui subjungitur; *unde cum in spiritualibus dispensetur, consequenter intelligitur, in temporalibus dispensatum.* Non inquam ex eo probatur, argumentum a majore ad minus habere locum in ipsa dispensatione; cum citatus textus non contineat dispositionem juris, sed solum allegationem & verba partis petentis temporalem etiam filii sui legitimationem; quæ quidem verba ut sibi proposita refert Pontifex, non tamen sequitur, nempe petitam dispensationem concedit. Ita Barbosa *p. 2. de off. & potest. Episc. alleg. 45. n. 15.* & ex eo Reiffenstuel *n.* 454 Neque etiam obstat, quod potestas dispensandi sit favorabilis & late interpretanda, dum nulli quam concedenti est præjudicialis. Nam dicta potestas non vulnerat jus, neque ullum ei affert præjudicium, & est merum beneficium Principis. Abbas *in c. mandato de Simon. nu. 3. & 5.* Fagn. *ibidem n.* 33. quos citat & sequitur Reiffenst. *num.* 452. dixi: dum nulli quam concedenti affert præjudicium. Nam, dum agitur de præjudicio alterius quam Principis eam concedentis, non minus quam ipsa dispensatio est odiosa & restringenda. Fagnanus *l. c. n.* 37. citans alios. Felin. *l. c. n.* 11. Botrin *in c. per venerabilem, qui filii sint legitimi n.* 13. ubi, quod cui simpliciter concessa potestas legitimandi spurios & incestuosos, non possit vi talis potestatis legitimare spurium & simul natum ex incestuoso concubitu, quando ista legitimatio præjudica et tertio.

Foret quoque odiosa datio illa potestatis dispensandi, si esset aliquod jus commune, quod prohiberet, ad dispensandum in tali lege ulli dare potestatem nisi Episcopo; Papa autem concederet eam simplici sacerdoti: quia jam ipsa datio talis potestatis esset dispensatio; adeoque ipsa potestas, quam materia, circa quam versatur, exorbitat a jure. De cetero constat, potestatem dispensandi, etiam delegatam esse favorabilem & large interpretandam; cum juri non repugnet, concedi hanc potestatem, tametsi res, ad quam datur nempe dispensatio, & hujus effectus, sint odiosa.

QUÆSTIO CLXXV.

An & quo jure dispensatio sit debita.

1. RESp. Primo dispensare in impedimento vel defectu, etiam dum adest sufficiens ratio, imo ingens, non est debitum propriæ justitiæ, cum jure inhabilis ad rem aliquam non habeat jus exigendi illam tanquam sibi debitam. Layman *in præamb. ad tit. de postul. coroll. 3.* Pirhing *ad eund. tit. n.* 15. Sed neque cogitur superior ad dispensandum in lege sua seu ad relaxandum jus ex honestate petitionis, cum alias dispensatio non foret superiori libera, sed necessaria, supposita honestate petitionis contra illud: *nemo invitus de suo cogitur beneficium facere c. precaria 10. q. 2.* & illud: *quidquid judicis potestati permittitur, juris necessitati non subjicitur, l. non quidquid de judic.* Passer. *de elect. c. 24. n. 47. & 48.* citans Suar. *de LL. l. 6. c. 18. nu. 20.* Sanch. *de matr. l. 8. d. 10. n. 3.* Barbosa *in c. postulastis de cler. excom. n. 28.*

2. Resp. secundo. Est tamen quandoque debita dispensatio in votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii & similibus ex debito aliquo legalis Justitiæ, & ex officio superioris, vi cujus is obligatur consulere utilitati boni communis: vel etiam aliquando ex debito charitatis alteriusve virtutis, dum nimirum adest urgens ratio dispensandi, præsertim publicæ honestatis. Laym. *l. c. & in qq. can. q. 8. de elect.* Pirhing *loc. cit. nu.* 16. Passer. *num.* 48. siquidem, ut ibidem Passer. actus misericordiæ & liberalitatis quandoque necessarius est, vide me *in foro benef. part. 2. qu* 229. ubi id exemplo postulationis, in cujus admissione necesse est intervenire dispensationem, declaratur.

QUÆSTIO CLXXVI.

An & qualiter dispensatio habere locum possit in iis, quæ sunt Juris naturalis & divini.

RESp. In iis, quæ sunt juris naturalis, fundati in ipsa convenientia cum natura rationali tam præcipientis seu affirmativi, quam prohibentis seu negativi; nulla cadit dispensatio proprie ac directe, neque a Deo, neque ab alio sustinente vices illius. Covar. *regul. peccatum p. 2. c. 6. §. 9. n. 3.* Suar *de LL. l. 2. c. 14 n. 5.* Vasquez 1. 2. *d.* 179. *c* 2. Sanchez *de matr. l. 8. d. 6. n. 4.* Castrop. *cit. d. 6. p. 2. n. 5.* referentes plures alios. Ratio patet, quia ea, quæ sunt jure naturæ præcepta, habent conformitatem, quæ prohibita, difformitatem intrinsecam, necessariam & immotabilem cum recta ratione; ergo in ea sub iis circumstantiis, seu manentibus illis circumstantiis, in quibus sunt sub jure naturæ, non cadit dispensatio; quia implicat, id, quod non poterat non præcipi, seu quod necessario seu immutabiliter præceptum est, fieri non præceptum, & quod necessario prohibitum, fieri non prohibitum; seu quod absolute & ab intrinseco non licitum, fieri licitum; sequela patet, quia hoc est dispensare, reddere non præceptum respectu illius, cum quo dispensatur, quod ei præceptum, & reddere licitum, quod vi legis erat ei illicitum. Unde jam etiam patet, nullum casum contingere posse, in quo conveniens sit dispensare in lege naturæ; quia nunquam potest esse conveniens facere malum de se & ab intrinseco; adeoque semper & in omni circumstantia manens malum, & omittere, quod ab intrinseco est & manet debitum, ut bene Castrop. *num.* 6. Patet quoque, Deum nunquam, relinquendo materiam & circumstantias, sub quibus res cadebat sub jure naturæ seu lege naturali, dispensasse, nec dispensare potuisse, tametsi subtrahendo illam, vel mutando circumstantias (nimirum, dum hæ non sunt extra dominium Dei, qualiter extra illud est mentiri, colere falsos deos &c. sed ei intus sunt) deobligare potuerit. Quæ tamen subtractio materiæ & mutatio circumstantiarum, & inde orta deobligatio non est dispensatio aut ejus effectus; neque enim in lege naturali non occidendi hominem dispensat Resp. mandando occidi reum, ad puniendum ejus delictum Sic quoque Deus mandando Abrahamo occidere filium, Oseæ copulari meretrici, Israelitis spoliare Ægyptios non dispensavit in præcepto materiali non occidendi, non fornicandi, non auferendi alteri, quæ ejus sunt; sed subtrahendo materiam, mutando circumstantiam, seu apponendo & purificando conditionem (nempe nisi supremus vitæ, corporum, rerumque omnium dominus usus hoc supremo dominio aliud, uti poterat, voluisset) qua posita nunquam jus naturale vetuit occisionem, fornicationem, spoliationem, fecit cessare hic & nunc, sive non esse obligationem non occidendi &c. Declaratur hoc ipsum in voto; facere nequit Deus, ut manente voto ejusque acceptatione, non debeat vovens votum implere; quia ista impletio in istis circumstantiis est debita jure naturæ & incommutabilis, quia tamen potest Deus non amplius continuare ejus acceptationem, sed semel acceptatum votum remittere, hoc faciendo tollit obligationem, quæ tamen remissio acceptationis non potest magis proprie dispensatio dici, quam remissio, qua aliquis cedit 100. imperialibus sibi promissis, plura similia exempla vide apud Castrop. *cit. n.* 6.

QUÆSTIO CLXXVII.

In quibus præceptis naturalibus cadere possit dicta minus proprie dispensatio indirecta humana.

1. RESp. primo. In iis omnibus, in quorum materia Prælatus vel Resp. habet potestatem dominativam, qualis materia sunt v. gr. bona subditorum, veluti quæ ob rationem boni communis potest expendere, uni adimere, & in alterum conferre, sic enim præceptum naturale est, ne quis alterius bonis locupletetur, aut alienum retineat, potest tamen idipsum concedere Resp. ob bonum commune vel pacem conservandam, & in hoc usucapio & præscriptio a lege inducta fundatur. Sic etsi libertas sit a natura concessa, jure tamen gentium quandoque aufertur. Si enim, attenta propria utilitate potes tibi ipsi adimere libertatem, teque in

in servum tradere, quidni etiam Resp. ob bonum commune aliquod grave sic statuere possit. Occasione cujus hoc in genere notandum cum Castrop. *cit. p.* 2. *nu.* 2. & 3. dici, aliqua esse de jure naturæ, non præceptivo, sed concessivo vel approbativo, & hæc omnia pro circumstantiis occurrentibus mutari posse ab hominibus. Sic v. gr. etsi a natura concessa sit rerum & bonorum communitas, potuit tamen ea ab hominibus tolli, minui, arctari ob pacem servandam. Sic jus gentium mutari potuit, ut ostensum, in libertate. Etsi de cetero leges præceptivæ seu jus naturale præceptivum ab iis mutari nequeat.

2. Resp. secundo. Econtra in iis, in quibus Principes non habent potestatem illam dominativam, nequit cadere illa humana indirecta dispensatio, seu jus naturale variari. Sic quia istam potestatem non habent in corpora humana, non possunt extra matrimonium commixtionem carnalem licitam efficere. Neque Deus censendus est iis, aut etiam summo Pontifici eam potestatem concessisse; quia id minime expediens videbatur ob multa inconvenientia. Unde etiam, ut Sanchez *de matr. l.* 8. *d.* 16. *n.* 10. referens plures alios Suar. *l.* 2. *de LL. c.* 14. *n.* 28. Pont. *l.* 8. *de matr. c.* 2. *n.* 16. quos citat & sequitur Castrop. *n.* 7. Papæ non est relicta potestas dispensandi in impedimentis jure naturæ dirimentibus matrimonium. Qualia sunt erroris, impotentiæ, consanguinitatis in primo gradu. Idem Castrop. addens & hanc rationem; quod licet in aliquo casu videatur expedire hanc dispensationem, convenientius tamen sit hanc potestatem omnino denegare, ne frequentius, quam par esset, Pontifices ea uterentur.

QUÆSTIO CLXXVIII.

Num dispensatio cadat in iis, quæ sunt juris divini positivi.

RESp. affirmative. Et quidem respectu Dei dubium non est, quin is in iis dispensare possit. Si enim competat cuilibet legislatori in suis legibus dispensare, multo magis id competet supremo legislatori Deo, qui, cum sit absolutissimus Dominus, ejusque voluntas infallibilis regula honestatis, adeoque seipsa sufficientissima causa honestandi dispensationem, poterit hanc potestatem pro libitu suo concedere.

QUÆSTIO CLXXIX.

Quis sit effectus dispensationis.

RESp. Est obligatio & permissio actus alias legi contrarii, ita ut hic jam licite exerceri possit. Constat fere ex dictis. Porro contingere potest, ut licet dispensatus vi præcise dispensationis non obligetur ad actum illum vel omissionem legi contrariam ponendam, obligetur tamen ad hoc ratione seu vi alterius cujusdam præcepti. V. gr. dispensatur cum aliquo, ut non obstante interdictu, audire possit sacrum, jam eo ipso tenetur illud audire die festo, quia, cum ei jam sit licitum audire sacrum, locum habet commune præceptum audiendi sacrum.

§. 2.

De causa efficiente dispensationis seu de iis, qui dispensare possunt.

QUÆSTIO CLXXX.

An homini competere possit, aut etiam de facto competat potestas dispensandi in jure divino positivo.

1. RESp. Primo. Posse illam a Deo delegari & concedi homini, dubium non est. Utrum autem alicui de facto concessa sit, id non aliunde, quam per Ecclesiæ authoritatem aliamve certam revelationem ab Ecclesia approbatam constare posse. Suarez *de LL. l.* 10. *c.* 6. *n.* 1. Salas *d.* 24. *n.* 31. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 3. *nu.* 2. juxta *c. nisi cum pridem de renunc. c. cum ex injuncto de hæretic.*

2. Resp. secundo. Ea concessa non est ulli Magistratui sæculari; cum ipsa in se sit spiritualis & supernaturalis utpote versans circa spiritualia & supernaturalia. Et potestas temporalis sit sufficiens ad politicam gubernationem commissa Principibus sæcularibus, præter hanc iis aliam potestatem concessam esse, dicendum non est. Castrop. *loc. cit. n.* 3.

3. Resp. tertio. Sed neque ulli Prælato ecclesiastico inferiori Pontifice ea est concessa a Deo. Cum ex supposito, quod ea concessa esset homini, ejus usus rarissimus esse debebat; adeoque necessarium, non esse penes multos. Cumque hæc dispensatio esset circa res gravissimas, quæ in Ecclesia contingere possent, conveniens erat, ut, si alicui hominum concedenda, non nisi uni supremo Ecclesiæ capiti, nempe Pontifici summo, concederetur.

4. Resp. quarto. Sed neque Papæ hæc potestas dispensandi in aliquo, quod juris positivi divini, concessa est. S. Th. 1. 2. *qu.* 97. *art.* 4. *ad* 3. & 2. 2. *qu.* 88. *art.* 10. *in solut. ad* 3. & *quodlibet* 4. *art.* 13. & cum eo Theologi communius. Suar. *de LL. l.* 10. *c.* 6. *n.* 7. Salas *d.* 24. *s.* 5. *n.* 33. Salmer. *tr.* 16. *in alt.* 4. & 5. *difficult.* Pontius *l.* 8. *de matr. c.* 3. *nu.* 2. Sylv. *v. Papa.* Covar. 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. §. 9. *num.* 4. quos citat & sequitur Castrop. *cit. p.* 3. *nu.* 5. contra Abbas *in c. proposuit. de concess. præb. n.* 20. Felin. *in c. quæ in Ecclesiarum h. t. n.* 19. & 20. Decium *cons.* 152. *nu.* 3. tenentes, Papam posse in omni jure divino positivo, seclusis articulis fidei ex gravi causa dispensare. Item contra Sanch. *de mat. l.* 8 *d.* 6. *n.* 6. & quosdam alios docentes, posse Papam dispensare in aliquo jure divino positivo, nempe in illo, in quo majus Dei obsequium apparet, dispensationem concedere, quam jus divinum integrum servare. Verum pro opposita sententia est, quod hanc potestatem, quam non nisi per specialem commissionem a Christo habere potuit, de facto acceperit, ex nullo signo aut ratione arguere licet. Non primo ex illis verbis: *quodcumque ligaveris super terram*, siquidem, ut bene Castr. ex verbis tam generalibus inferri non debet concessio rei tam gravis & extraordinariæ, quæ utique propter gravitatem suam specialem concessionem exigebat. Sed neque illis verbis concessam sibi hanc potestatem intellexerunt unquam Pontifices; alias enim ea sæpe usi fuissent. Quemadmodum ex iis agnoverunt, ut constat ex usu, praxi & traditione Ecclesiæ collatam sibi potestatem, in votis, etiam solennibus professionis religiosæ (quippe quorum solennitas & ipsa non est ex jure divino, sed ecclesiastico) juramentis, matrimonio rato, quæ non sunt juris divini absoluti & independentis ab humana voluntate, qualia sunt materiæ formæ Sacramentorum & sacrificii, præcepta fidei, spei, charitatis; adeoque in iis dispensare, seu nomine Dei remittere istiusmodi obligationem contractam ex libera voluntate hominis, & hac supposita, ex acceptatione Dei, non est dispensare, nisi ad summum in jure divino fundato in contractu humano, sed sublatio materiæ juxta dicta supra, non secus, ac si tibi sub voto promisissem 100. imperiales, & tu acceptatam promissionem dein remitteres, non est dispensatio, sed sublatio materiæ, seu cessatio materiæ voti.

5. Non secundo. Quod relictam hanc Papæ potestatem exigere videatur Ecclesiæ gravis necessitas, vel summa quandoque utilitas. Cum potius ea potestas cederet in destructionem unitatis & firmitatis Ecclesiæ. Quæ per totum orbem una est, non solum in articulis fidei, sed & in reliquo cultu, Sacramentis & sacrificiis contento; nullaque alia præcepta positiva divina imposita sibi habet, quam quæ fidem, sacramenta & sacrificium concernunt; ita ut si penes ipsam aut caput ejus esse potestas circa hæc dictum cultum immutandi, eaque uteretur, decursu temporis via amplius dignosceretur. Quin & corruere posset, corruentibus his ejus fundamentis. Ad hæc ista horum præceptorum invariata firmitas magis Ecclesiæ expedit, quam quælibet alia causa; quæ pro dispensatione excogitari potest. Jam vero, si generalis illa potestas dispensandi in omnibus illis præceptis nociva est dictæ unitati & firmitati, etiam ei nociva erit potestas ea dispensandi in aliquo ex eis; cum ex hoc ipso sequeretur, posse etiam in quolibet eorum, & sic in omnibus dispensare. Cum nulla possit excogitari legitima causa dispensandi in aliquo eorum. V. gr. ut in defectum aquæ naturalis instante morte parvuli adhibeatur rosacea, quæ non habeat locum in alio, v. gr. ut loco panis triticei adhibeatur hordeacius, loco vini cerevisia in sacrificio. Reveletur sigillum confessionis ad evitandum totius regni alicujus excidium, & sic de reliquis; adeoque quæ non habeat locum in omnibus.

6. Neque tertio. Quod Papa aliquando dispensarit in istiusmodi præceptis, v. gr. ut Sacramentum confirmationis posset conferri per simplicem sacerdotem. Sacrificium fieri in una tantum specie. Nam quod attinet ad primum, licet de jure divino sit, quod solus Episcopus sit minister ordinarius Sacramenti confirmationis & ordinis, non tamen est

de

de jure divino, quod absolute solus sit ejus minister, ita ut sacerdoti simplici ea potestas delegari possit; adeoque dum idipsum ei Papa committit, non censetur dispensare in jure divino. Ita Suarez l. c. n. 20. & tom. 3. de Eucharist. d. 36. s. 2. Pont. l. c. n. 3. Sal. l. c. n. 35. Castrop. l. c. n. 6. Quo ad alterum vero, ostendi authentice posse, Papam unquam in eo dispensare, negant probabilius. Suar. nu. 25. & de Euch. d. 43. s. 4. Vasq. de Euch. d. 228. per tot. Pont. cit. c. 3. in princ. Castrop. loc. cit. & alii apud illos contra Sanchez l. 8. de matr. d. 6. nu. 6. Turrecrem. in c. comperimus de consecrat. dist. 2. Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 3. Tum etiam, quod in eo dispensare possit, ex eo, quod in sacrificio hoc jure divino intenta significatio expressa mortis Christi; adeoque ea separari ab eo nequeat: in consecratione autem unius speciei tantum non satis significetur separatio sanguinis a corpore, & consequenter nec mors Christi. De cetero, qui contendunt, non obstante quod Papa in nullo jure divino dispensare possit, esse adhuc satis probabile posse authoritate Papæ sacrificium offerri sub una tantum specie, urgente gravissima causa & bono communi totius provinciæ alicujus; ad hanc sententiam tuendam necesse habent dicere, Pontificem per hoc non dispensare in jure divino, sed doctrinaliter declarare, ad illum specialem casum se non extendere præceptum illud divinum sacrificandi sub utraque specie. Verum hac ratione discerni posset de aliis omnibus præceptis divinis, modo adesset aliqua urgentissima causa dispensandi, v. gr. authoritate Papæ solvi posse matrimonium consummatum, permitti matrimonium cum pluribus simul uxoribus. Sigillum confessionis frangi &c. & hac ratione illum non tam dispensare in jure divino, quam declarare, jus illud divinum se non extendere ad talem specialem casum. Quidem tamen declarationem circa hæc unquam factam a Papa, quia non constat, satis signi esse videtur, quod tales etiam casus speciales sub præceptis illis divinis comprehendantur. Quamvis de cetero speciale aliquid de sacrificio afferre videatur Castrop. dum ait, supponendum esse in hac sententia, offerri sacrificium esse ex jure divino; quod vero fiat in utraque specie, non esse per se de jure divino, sed ex jure naturali dictante, si Deo offeratur sacrificium, illud integrum ac perfectum esse offerendum; adeoque dum Papa permitteret, offerri sacrificium sub una tantum specie, declaret, naturale illud præceptum sacrificandi integre ad illum casum se non extendere. Citatur etiam pro hoc Suarez cit. cap. 6. in fine, ubi etiam, quod hæc declaratio, utpote res gravissima & satis dubia a nullo alio quam Papa fieri possit.

QUÆSTIO CLXXXI.

An & qualiter legislator humanus in suis legibus dispensare possit.

RESp. affirmative. Cum enim legum vis tota obligandi pendeat ab ejus voluntate, sicut potest omnino & in totum tollere legem, sic etiam poterit pro libitu aliquem ab ista obligatione eximere. Idem est de successore legislatoris; quia reputatur eadem cum illo persona. Idem a fortiore de ejus superiore. Azorius tom. 5. l. 5. c. 15. q. 1. Vasq. de LL. d. 578. c. 2. Castrop. tr. 3. dist. 6. p. 4. cum communi. Idque etiamsi legislator juramento suas constitutiones confirmasset. Sanch. de matr. l. 8. d. 17. n. 31. Salas de LL. d. 20. s. 4. n. 42. Pont. l. 8. c. 5. n. 1. & 5. Castrop. l. c. n. 4. contra Azor. l. c. q. 3. Barbosam p. 2. alleg. 34. n. 6. Sylv. v. dispensatio q. 13. n. 19. Sayr. Thesau. cas. tom. 1. l. 6. c. 55. nu. 11. &c. Juramentum enim hoc semper imbibitam & subintellectam habet hanc conditionem æquitatis: nisi causa justa dispensandi interveniat. Ad hæc juramentum impedire potest, ne licite concedatur dispensatio, non autem ejus valorem. Limitationem vero illam, quam afferunt Sylv. l. c. nu. 19. Barbosa n. 6. Sanchez n. 29. (quamvis hi duo posteriores dicant, legislatorem contravenire tali constitutioni superveniente legitima causa) nisi constitutio transierit in contractum & commodum alterius. Qualis v. gr. est constitutio, ut ædificantes novas ædes in urbe sint liberi a tributis, sic intelligendam dicunt Castrop. l. c. n. 5. Salas d. 20. s. 4. nu. 42. ut si legislator animo obligandi se talem constitutionem promulget, absque dubio, posita conditione ex parte subditorum, obligatus maneat, non quia non potest dispensare in sua lege; sed quia non potest dispensare in lege naturæ, illum obligante servare contractum initum. Si vero legislator nolit, vel non possit se hoc modo obligare, possit dispensare, cum jam esset dispensatio in propria lege, & non in contractu. Limitatio demum illa, quam afferunt Sayr. de censur. l. 6. c. 11. num. 11. Sanchez d. 17. n. 30. Barbos. alleg. 34. n. 7. & alii passim: nisi illæ constitutiones a superiore legislatoris fuerint confirmatæ: intelligenda de vera confirmatione, qua v. g. Papa velit constitutiones inferioris v. gr. Episcopi proprias reddere. Cum sæpe intendat constitutionem factam solum approbare, & ut laudabilem judicare, non est ei novam vim obligandi conferre. Quod ipsum posterius præsumendum, ubi constitutio illa ante approbationem illam superioris habebat vim obligandi; secus, si illam non habebat; eo quod lata ab eo, qui legem statuere non poterat. Ita Salas n. 29. Castrop. num. 6.

QUÆSTIO CLXXXII.

An & quando potestatem dispensandi in legibus superiorum habeant inferiores Prælati.

RESp. Nullus inferior habet potestatem dispensandi in legibus superioris, nisi superior expresse vel tacite concedat. Gloss. in c. cum singuli §. fin. v. Canonici de præb. in 6. Covar. 4. decret. 2. p. 6. n. 15. Gutt. l. 1. can. qq. c. 3. num. 20. Suar. de LL. l. 6. c. 14. n. 4. Sanch. l. 8. d. 5. n. 9. Barbosa de potest. Episc. 2. alleg. 33. n. 18. Castrop. tr. 3. d. 6. p. 4. n. 8. Referens plures alios contra Sot. Anton. &c. Dispensando enim sine dicto consensu inferior mutaret jura superioris, contra quod cavetur c. cum inferior. de major. & obed. & clem. ne Romani de elect. Item dispensando non consentiente superiore inferior impediret voluntatem superioris intendentis obligare omnes, quod non potest inferior, aliàs esset superior superiore. Sed & satis adhuc provisum reip. gubernationi, quod in pluribus casibus permissa inferioribus potestas dispensandi, etsi non in omnibus expresse non reservatis, quod superior in aliquibus sibi reservet dispensationem legis suæ, fit enim id ab eo, ne illa reservatorum dispensatio aliàs in concessione generali ab eo facta intelligatur; ut Castrop. n. 9. Neque etiam ex c. nuper de sent. excom. ubi dicitur, quod eo ipso, quod sibi non reservet absolutionem excommunicationis, censeatur illam concedere inferioribus Prælatis, absolutio enim hæc non est contra jus, sicut dispensatio, sed juri conformis, utpote quod præcipit dispositum absolvere. Ad hæc absolutio ab excommunicatione & peccatis ordinatur magis necessaria ad bonum animæ, ideoque expediebat, eam facilius concedi, unde etiam, dum non reservatur, concessam eam esse non tantum Episcopo, sed & Parocho juxta cit. c. nuper, ait Castrop. Quemadmodum etiam, quia frequentissime occurrit occasio dispensandi in votis & juramentis, expediens bono communi videbatur, Prælatos inferiores omnes, ubi id iis specialiter non interdicitur, posse nomine Dei contractam inde obligationem remittere: quæ tamen non est proprie dispensatio; cum non dispensent, ut manente voto cesset obligatio; sed subtractio seu remissio materiæ per votum promissæ. Potestatem autem dispensandi in observatione jejuniorum & festorum, utpote frequentissimi usus, habent Prælati inferiores ex tacita Pontificia concessione satis manifestata ex praxi & consuetudine. De cetero intrat regula; quoties non conceditur inferiori potestas dispensandi in lege superioris, hæc ei expresse censetur denegata, eo quod licet non denegetur in particulari, denegetur tamen in genere, dum jus generaliter statuit, præcepta superioris ab inferioribus servanda, & jura seu voluntates superioris ab iis non esse immutanda. His non obstante axiomate illo: Episcopus in sua Diœcesi potest, quod Pontifex potest in tota Ecclesia; fallit enim in pluribus, non enim potest dispensare in matrimonio rato, committere simplici Sacerdoti conferre Sacramentum Confirmationis &c. verumque solum est in iis, quæ ad commune regimen spectant, & antequam a Papa lex aliqua constituatur; hac enim constituta, jam limitatur Episcopi jurisdictio, ut circa illa non possit se intromittere.

QUÆSTIO CLXXXIII.

An & in quibus casibus præsumatur inferioribus concessa facultas dispensandi in legibus superioris.

1. RESp. esse fere sequentes. Primo, dum verba, quibus conceditur potestas dispensandi sunt aliquo modo dubia. V. gr. dum in ipsa lege additur impersonaliter, dispensari posse, tunc enim, cum verba illa referri non possint ad ipsum legislatorem, utpote de quo, quod in lege sua dispensare posset, dubium non erat, ad inferiores referenda sunt, ne alias sint superflua. Gloss. *in cap. postulasti v. dispensatur de cler. excomm.* Felin. *in c. at si clerici de judic. n.* 1. Suar. *l.* 6. *c.* 14. *n.* 8. Sanch. *de matr. l.* 8. *d.* 5. *n.* 1. Barbosa *p.* 2. *al leg.* 33. *nu.* 22. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 5. *nu.* 1. Intelligitur hoc ipsum quoque de constitutione Concilii generalis; quia & in hac lege istiusmodi verbis dubiis permittente dispensationem, ea non permittitur legislatori, utpote qui ea permissione non eget; ergo aliis ab eo. Sanchez *n.* 5. Covar. *c. alma mater.* 1. *p.* §. 7. *n.* 8. Pont. *de matr. tr.* 8. *c.* 6. *num.* 6. Castrop. *n.* 3. contra Barbosam *n.* 23. & 24. & alios apud Sanch. docentes, non posse in tali constitutione dispensare inferiorem Prælatum, nisi idipsi claris verbis committatur. Non tamen intelligitur de constitutione ligante ipsum dispensaturum, & non solum ejus subditos, ne alias dicendum, posse hanc in facto proprio & ad propriam utilitatem dispensare, quod est dissonum rationi. Sanch. *nu.* 3. Pont. *nu.* 6. Castrop. *loc. cit.* Argum. *c.* 2. *de bigamis*, ubi dicitur; cum Episcopo promovente bigamum ad ordines dispensari posse; intellige, non ab ipso Episcopo, sed a Pontifice, qui illam pœnam depositionis imposuit.

2. Secundo. Si materia sit levis; eo quod alias nimis onerosum esset in minimis recurrere ad Principem vel quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Suarez *n.* 9. Sa. *v. dispensatio n.* 9. Pont. *n.* 7. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *nu.* 17. Castrop. *n.* 4. Qui etiam idem esse dicunt, dum lex obligat solum ad culpam levem vel nullam, eo quòd ubi Legislator noluit imponere obligationem rigorosam, censendus sit, judicasse rem tanti momenti non esse, ut dispensatio maneret sibi reservata.

3. Tertio in frequenter occurrentibus, ita ut in iis habeat locum: quod Episcopus dispensare possit in omnibus sibi non prohibitis; cum præsumendum non sit, velle legislatorem in his omnibus ad se recurri, foret enim sic nimis onerosa gubernatio. Suarez Sa. Pont. Bonacina. Castropalao *LL. citat.*

4. Quarto. Dum leges non sunt communes aliis provinciis, sed propriæ unius; eo quòd, cum quæ propria sunt alicujus provinciæ, minus nota sunt Principi, hic censeatur, gubernatori, cui ea magis nota, commisisse potestatem in iis dispensandi Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 17. *q.* 7. Sotus *de just. q.* 7. *art.* 3. Valent. Cajet. &c. Verum contrarium sentiunt Suar. *nu.* 10. Castrop. *num.* 6. *&c.* eo quòd leges tales ferantur absolute a supremo legislatore, & conditiones legum municipalium naturam non inducant, & licèt propria alicujus loci non satis sint nota Principi, ex ipso tamen, quod ponat legem pro tali civitate, cognoscat communitatem egere illa lege; adeoque etiam possit velle cognoscere, quando ea egeat dispensatione. Adde, quod, ut Castropalao ex ratione oppositæ sententiæ possit inferri, quemlibet gubernatorem particularem in omni lege universali dispensare posse; cum dispensatio, non generalem convenientiam totius communitatis per legem ligatæ, sed specialem illius, quo cum dispensandum, attendat, quæ tamen Principi minus nota est, quam speciali gubernatori.

5. Quinto. Si casus sit extraordinarius, urgeatque necessitas, & sit periculum in mora, neque facile ad legislatorem recurri possit; eo quod tunc caritas, suave regimen, & bonum commune persuadeant, a legislatore concedi potestatem dispensandi. Suar. *n.* 10. Sanchez *nu.* 20. Pont. *nu.* 6. Castrop. *n.* 7. Barbos. *cit. alleg.* 33. *n.* 27. *& alleg.* 35. *a n.* 3. referentes alios plures.

6. Sexto. Dum dubium est, num casus egeat dispensatione, concesso gratis, quod tunc necessaria sit dispensatio, eam fieri posse ab inferiore Papa: eo quod non videatur Pontifici reservatus casus dubius, sed certus, & potestas dispensandi sit late interpretanda, tenent Barbosa *alleg.* 35. *nu.* 19. Sa *v. dispensatio n.* 1. Sanch. *in decal. l.* 4. *c.* 40. *n.* 26. Suar. *to.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto c.* 26. *n.* 6. Castrop. *l. c. n.* 10. *&c.* De cetero, non tantum, dum dubium est positivum, probabilitatem non excludens, licere operari sine dispensatione, quia nullo periculo morali se exponit quis sequendo opinionem probabilem, certum esse, ait Castrop. *n.* 10. citans pro hoc Barb. *alleg.* 35. *n.* 18. Bonac. &c. sed etiam, dum dubium est negativum, & æque dubium, an casus egeat, vel non egeat dispensatione, reputandum esse, non egere; quia præsumptio stat pro libertate, neque subitur periculum agendi contra legem, tanquam probabilius censet Castrop. imo ait, si quis in eo casu inclinet, se egere dispensatione, adhuc reputare posse, se non egere ex eo, quod quis non debeat censeri lege adstrictus, quousque de lege illi certo constet.

7. Septimo. Ubi ea potestas esse legitime præscripta; cum consuetudo legitime præscripta jurisdictionem aliàs non habitam concedat, *c. cum contingat, de foro competente*. Sic Parochis competit dispensare in observatione festorum & jejuniorum quod maxime necessarium ob nimis frequentes casus hanc dispensationem requirentes. Sanch. *l.* 8. *d.* 9. *nu.* 27. Suar. *de LL. l.* 6. *c.* 14. *in fine* Castrop. *p.* 5. *n.* 11.

QUÆSTIO CLXXXIV.

An & qualiter Papa dispensare possit in omni jure Ecclesiastico.

1. RESp. Primo in genere. Potest non tantum dispensare tam in legibus a se latis, quam latis ab aliis prædecessoribus suis Pontificibus; quia est æqualis cum iis authoritatis; quin & in omni jure ecclesiastico, est communis omnium juxta *c. proposuit. de concess. prab.* ubi ait Pontifex: *qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare*. Occasione cujus notandum, dari in summo Pontifice potestatem duplicem, unam ordinariam, quæ regulatur secundum limites juris positivi, ejusque ordinem sequitur. Altera absoluta & suprema, quæ etiam plenitudo potestatis appellatur, secundum quam est supra omne jus humanum. D. Thom. *Quodlibet* 4. *art.* 3. Fago. *in cap. ex parte de convers. conjug. n.* 4. Estque hæc illius potestas clavium tanta, ut interpretationem restrictivam nullam recipiat. Bald. *in c. nisi cum pridem n.* 6. *de renunc. hinc*.

2. Resp. Secundo in specie dispensare potest in Canonibus seu legibus Apostolorum, quos illi tanquam Rectores Ecclesiæ condiderunt, puta in jejunio quadragesimali, observatione Dominicæ, non ordinandis bigamis, in pœnis per Canones Apostolorum statutis in reos certorum criminum &c. Licet enim Apostoli in dignitate Apostolica aliisque prærogativis fuerint Pontifice excellentiores, non tamen in jurisdictione. Siquidem in eadem jurisdictione succedente Petro. Suar. *de LL. l.* 6. *c.* 14. *n.* 2. Covar. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 3. *n.* 6. Castrop. *p.* 4. *nu.* 2. Argum. *cap. presbyt. d.* 82. juncta Glos. *ibid. v. Apostolorum*. Nequit tamen Papa dispensare in illis Canonibus Apostolorum, quos illi, non tanquam Prælati Ecclesiæ primum condiderunt, sed a Christo acceptos veluti ministri Ecclesiæ promulgarunt, & observandos tradiderunt, puta de Baptismo parvulorum, de materia & forma aliorum Sacramentorum, de indissolubilitate matrimonii consummati; quippe quæ juris sunt divini. Layman *Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *nu.* 3. Suar. *loc. cit. &c.* cum communi.

3. Resp. Tertio potest dispensare in Legibus Concilii Generalis, quia est superior, sed hoc pluribus alibi.

QUÆSTIO CLXXXV.

In quibus dispensare possit Episcopus.

1. RESp. Primo Episcopus (etiam non consecratus, sed solum electus & confirmatus; cum potestas dispensandi non sit ordinis sed jurisdictionis, ut Barbos. *alleg.* 36. *n.* 8. Sanch. in Decalug. *l.* 4. *c.* 37. *n.* 16.) potest dispensare in legibus synodi diœcesanæ: cum hæ leges sint ab ipsomet Episcopo latæ. Parochi autem (idem est de Abbatibus aliisque Prælatis) in dicta synodo convenientes non sunt conlegislatores, sed solum velut consiliarii. Nav. *in sum. c.* 25. *n.* 74. Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 3. Suar. *l. c. cap.* 15. *n.* 8. Sanchez *de matr. l.* 8. *d.* 17. *nu.* 33. Castrop. *cit. p.* 4. *nu.* 3. *&c.* Ideoque jam etiam Episcopi legibus istis quo ad vim coactivam non constringuntur.

2. Resp. secundo. Episcopus dispensare nequit alio modo in legibus Concilii provincialis, quam in legibus Papæ. Suar. *cit. c.* 15. *n.* 4. Castrop. *nu.* 10. sunt enim leges superioris; cum Concilium provinciale sit superius quolibet Episcopo, ut constat ex tota *dist.* 18. *& c. grave nimis de preb.* habebatque olim potestatem cognoscendi de causis Episcoporum,

rum, illasque terminandi usque ad definitivam sententiam. Sed neque Archiepiscopus, qui Concilium provinciale coogregavit, potest dispensare in legibus illius. Cum hæ leges latæ non sint a solo Archiepiscopo seu Metropolitano (etsi is solus habeat potestatem congregandi Concilium, ut constat ex Tridentino *session. 24. cap. 2.*) sed latæ simul ab aliis Episcopis habentibus votum decisivum, *c. sicut olim. de accusat.* per modum unius; adeoque a toto Concilio superiore illius, ad quod etiam datur ab ipso appellatio tanquam ab inferiore ad superiorem juncta Gl. *fin. in c. a collat. de appel. in 6.* Cardin. *in Clem. 1. §. quod etiam in interdictis num. 3.* Navar. *cons. 8. sub tit. de major. & obed. n. 4.* Anchar. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *n. 11.* His non obstante, quod Archiepiscopus sit caput Concilii. Cum non sit caput illius in jurisdictione, sed solum quo ad convocationem illius & locum sedendi, sicut Decanus & Canonicus Senior in Capitulis Ecclesiæ Cathedralis, aut etiam, quod in omnibus Concilium non sit superius Archiepiscopo, hic enim solum dicitur, quod sit eo superius, quo ad constitutiones ibi ordinatas, ut ad illarum observantiam possit illum compellere, aut etiam, si ob reverentiam dignitatis id illud non posset, possit tamen ad id compellere ejus subditos, ita docent Nav. *l. c. n. 5.* Sanch. *de mat. l. 8. d. 17. n n. 36.* Suar. *l. c. n. 5.* Castrop. *l. c.* Bonac. *d. 1. q. 2. p. 1. n. 34.*

3. Resp. tertio. Nihilominus, etsi de jure non habeant dictam potestatem dispensandi in legibus Concilii Provincialis Episcopus, aut etiam Archiepiscopus, habent tamen illam singuli Episcopi, (uti & Archiepiscopus, utpote cui a Concilio in hoc specialiter ab aliis Episcopis nihil concessum) pro sua diœcesi sibi commissam; expediens siquidem erat, Concilium hanc illis concedere, ne subditi eorum obligati essent pro dispensatione obtinenda vel ad Pontificem recurrere, vel aliud Concilium provinciale expectare. Suarez *de LL. l. 6. c. 15. n. 7.* Bonac. *d. 1. q. 2. p. 2. nu. 14.* Sanch. *l. c. a n. 35.* Castrop. *p. 5. n. 12.*

QUÆSTIO CLXXXVI.

An ergo potestas Episcoporum dispensandi in legibus Concilii Provincialis, uti & in papalibus in dictis casibus quæst. ante hanc penult. *explicatis sit delegata*.

RESp. Dicendam potius ordinariam, quia conceditur ratione muneris & officii, & est perpetua, quæ ut traduot Gl. *in c. fin. de ordin.* Felin. *in c. licet tit. eod.* suot conditiones constituentes jurisdictionem ordinariam. Ita tenent Covar. *3. var. c. 20. n. 6. & 10.* Suarez *cit. c. 15. n. 1.* Sanch. *de matr. l. 2. d. 40. n. 14.* Castrop. *cit. p. 5. nu. 12. &c.* Sic quoque dicendum, potestatem, quam habent ex privilegio superiores religionum ad dispensandum cum religiosis & ad absolvendum esse ordinariam, nun delegatam; quia in perpetuum concessa, tradit Castrop. *loc. cit.* cum Pont. *l. 8. c. 6. num. 9.* Unde jam sequitur, eam potestatem posse ab iis delegari. Suarez Pont. Castrop. *LL. cit.* Rodriquez *qq. reg. Tom. I. qu. 22. art. 31.*

QUÆSTIO CLXXXVII.

An Episcopi aliique, qui Episcopali gaudent jurisdictione, in usu potestatis dispensandi dependeant a Capitulis.

RESp. Negative Suar. *cit. cap. 15. n. 10.* Castrop. *n. 13.* Et quidem de potestate dispensandi competente illis de jure seu absolute ordinarie dubium esse non poterat; quia dispensatio non est de arduis, ut citati jam AA. in quibus solis Episcopus requirere debet consensum capituli juxta, *cap. quanto de his, quæ fiunt n Prælat.* qualia sunt, quandu vellet juri proprio & indemnitati Ecclesiæ vel capituli derogare. Sed neque de potestate illis commissa, hæc enim illis absolute cunceditur, nulla facta mentione capituli, ut constat ex *c. ut si clerici §. de adulter. de judic.* & Trid. *sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 6. de reform.* Quin etiam addunt citati AA. dato, a jure requisitum fuisse hunc capituli consensum ad dispensandum, hoc tamen jus jam consuetudine abrogatum.

QUÆSTIO CLXXXVIII.

Quinam habeant potestatem dispensandi in pœnis statutis a lege vel latis ab homine.

1. RESp. Primo. Legislator supremus, & qui pœnam delinquentibus imposuit, potest dispensare cum delinquentibus, tum ante patratum delictum, quam post illud, ne pœnam a se constitutam cootrahant, neve illam cuotractam retineant; quia dispeosat in sua lege, cujus obligatio & punitio pendet ab ejus voluntate, ita Castrop. *tr. 3. d. 6. p. 6. n. 2.*

2. Resp. secundo. Pœnam a lege vel consuetudine statutam ipso jure, quæ nullam Judicis executiunem requirit, nullus legislator ioferior impedire potest, ne a committente tale delictum incurratur. Sic v. gr. Episcopus impedire nequit, quo minus percutiens clericum incurrat excommunicationem. AA. communiter.

3. Resp. tertio, pœnam a lege statutam, cujus executio demandata Judici, non licet Judici imminuere aut augere sine causa. Tiraq. *de pœnis in præfat. n. 1.* Menoch. *de arb. l. 1. q. 96. n n. 10.* Farinac. *prax. l. 1. tit. 3. q. 17. n. 5.* juxta *c. de causis de off. deleg. c. licet & ibi* Gloss. *v. pœnam pecuniar. de pœnis*. Judicis enim arbitrio factum, non pœnæ committitur, sed hæc legis authoritati reservaretur, *c. judicet. 6. q. 7. l. si quis pœna ff. de verb. signif.* quæ frustra illam statueret, si Judex eam pro libitu posset mutare. Potest nihilominus pœnam a lege statutam remittere, miouere, augere Judex ex causa. Menoc. *l. c. a n. 14.* Farinac. *n. 7.* Jul. Clar. *q. 85. vers. ulterius quæro.* Castrop. *n. 4.* Argum. *l. severior C. ex quibus causis, l. hodie ff. de pœnis, l. quid ergo ff. de his qui not. infam. cap. at si cler. de judic. c. quoniam frequenter §. fin. ut lite non contest.* Cum enim delicta, ut Farinac. pro diversitate qualitatum & circumstantiarum, in quibus committuotur, fiunt graviura vel excusabiliora, expediat pœnam, quam lex ipsa temperare non potest, temperari posse & restringi posse a Judice. Qui propterea non est lege benigoior, aut ei contravenit, sed potius servat illam, utpote quæ ita fieri vult, ut constat non taotum in citatis textibus, sed etiam ex generali regula, quod pœna sit commensuranda delicto, *l. sancimus C. de pœnas, c. sicut dignum de homicid.* Limitatur tamen hoc ipsum varie. Primo, ut non possit etiam ex causa inconsulto Principe pœna alterari, si Judex sit ex Magistratibus inferioribus. Jul. Clar. *l. c.* Menoch. *n. 18.* Farinac. *n. 67.* Secundo, si idipsum lex vel statutum expresse Judici inhibeat, ut fit *c. inquisitionis de accus.* Tertio, si pœna applicanda parti v. gr. si statutum habeat, vulnerato a vulnerante numerandos 100. Imperiales; hæc remitti aut minui nequit a Judice. Farinac. *n. 68.* Menoch. *l. c. n. 1. & 2.* qui id etiam extendit ad Principem, ita ut, si is remitteret hanc pœnam, teneatur ex suo supplere sub peccato gravi, idem tenet Soto *de just. l. 4. qu. 5. art. 4.* consentit Castrop. *n. 6.* cum Farinac. *l. 1. prax. tit. 1. q. 6. n nu. 22.* si remitteret sine causa, secus si ex causa v. gr. publicæ utilitatis, ex bono pacis.

4. Resp. quarto. Post latam sententiam & pœnam, sive ad instantiam partis sive ex officio impositam, attento jure civili, nullus Judex pœnam minuere aut augere ullo modo potest inconsulto Priocipe. Quia data sententia iam functus est suo officio, nec habet ultra, quod faciat Gl. communiter recepta *in leg. quid ergo §. pœna gravior. v. onerasset ff. de his, qui not. infam.* Covar. *qq. practic. cap. 35. circa fin.* Clarius *in pract. §. fin. q. 85.* Farinac. *l. c. n. 61.* juxta *leg. mortis §. ille fere ff. de pœnis l. judex postquam ff. de re Judicatr.*

5. Quinto. Attento tamen jure canonico potest Judex ecclesiasticus minuere pœnam vel aliquo modo in ea dispensare, præsertim si ex officio processum sit. Tiraq. *de pœnis tempor. q. 24. n. 28.* juxta *c. ut commissi §. nec non de hæret. in 6. & c. at si clerici de Judic.* ubi, quod clericum confessum & convictum de adulterio, & ob id depositum ab officio possit Episcopus, peracta pœnitentia, restituere.

6. Porro quod hoc in puncto possunt Episcopi, possunt etiam capitulum sede vacante & omnes ii, qui Episcopali potestate gaudent, quales sunt Prælati religionum respectu suorum religiosorum; utpote qui veniunt nomine Episcopi. Rodriquez *l. c.* Castrop. *n. 7.* Sanch. *de mat. l. 8. d. 3. a n. 10. & in Sum. l. 2. c. 11. n. 4.* Salas *de LL. d. 8. f. 16.* &c. Sic Prælatus religiunis alicujus potest cum religioso suo a se ob fornicationem, adulterium commissum privato voce activa & passiva & inhabilitato ad omnia officia, si resipuerit, misericorditer dispeosare, eumque restituere. Rodriq. Castrop. *LL. c.* Idque, etiamsi pœna hæc imposita per sententiam, vel etiam a lege statuta ipso facto, etiam sub verbis: *perpetuo*,

tue, omnino. Rodriq. *l. c.* Castrop. *n.* 8. Pont. *l.* 8. *de matr. c.* 7. *n.* 18. Limitanda tamen hæc ipsa Primo, ita ut licet Prælatus dispensare possit cum clerico verbaliter deposito ob adulterium, si pœnitentiam egerit, juxta *c. at si clerici*, id tamen non possit, nisi postquam per dies aliquot pœnitentiam egerit, quia prius non videtur adesse causa dispensationis, nisi ea forte a populo expostuletur; eo quod illi videtur necessarius vel utilis minister, vel alia publica; tunc enim id poterit; eo quod tunc dispensatio honestetur publica utilitate. Castrop. *nu.* 9. ex Rodriquez dicens, etiam tunc necessario concedendam dispensatiunem. Secundo nisi dispensatio cederet in præjudicium tertii, cui forte exinde jus quæsitum, quod ei ex dispensatione tolli nequit. Abbas *in c. at si clerici n.* 18. Decius *ibidem. n.* 155. Calder. *cons.* 12. *de rescrip.* Pont. *l.* 6. *de dispens. c.* 7. *n.* 13. Castrop. *n.* 11. juxta *c. quamvis de rescrip. in* 6. Sic si pendente accusatione in eventu privationis, vel etiam post condemnationem impetrasti beneficium clerici, non potest Episcopus dispensans cum illo ad beneficium illud a te tollere, sed intelligenda dispensatio de beneficiis imposterum obtinendis, & non de habitis. Tertio ita ut licet Prælatus dispensare possit in pœna pro adulterio & minoribus criminibus imposita, non tameo io imposita pro gravioribus, *c. at si clerici* ubi: *de adulteriis vero & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare* &c. ubi ait Gloss. cum concedatur de minoribus, de majoribus per consequens denegatur &c. His non obstante textu, *c. presbyterum* 50. *dist.* ubi dispensat Episcopus cum hæretico crimine majore, quam sit adulterium; quia non dispensat nisi cum Inquisitore & ex speciali commissione illi facta in *c. ut commissi de haret. in* 6. Castrop. *n.* 12. Sic itaque Episcopus & quicunque jurisdictionem Episcopalem habens, etsi dispensare possit io pœnis debitis adulterio, stupro, perjurio simplice, similibusque, non tamen in debitis perjurio qualificato, simoniæ, incestui, Sodomiæ, assasinatui &c. com hæc reputentur crimina longe majora & gravissima. Rodriquez Castrop. *LL. cit.* & apud hunc Covar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *a num.* 2. Mandos. *in praxi signatur* §. *dispensat cum incestuoso*. Salced. *prax. crim. c.* 86.

7. His omnibus adijcit Castrop. *n.* 13. ex Rodriq. *tom.* 1. *qq. regular. q.* 22. *a.* 8. speciale pro religiosis; non posse Provincialem vel Generalem post latam sententiam factamque condemnationem a Judice ordinario, v. gr. Rectore conventus dispensare, renuente Judice ordinario: idque ne authoritas Judicantis contemnatur a subditis, argumento sumpto a Trid. *Sess.* 14. *c.* 1. *de reform.* ubi suspensum ab ordinario neque Metropolitanus, neque alius contra voluntatem ipsius Prælati suspendentis promovere potest. Posse nihilominus, postquam condemnans defunctus est officio, cum tali dispensari sen eum absolvi a Provinciali; quia jam per hoc authoritas condemnantis non contemnitur.

QUÆSTIO CLXXXIX.

An dicenti se habere potestatem dispensandi vel absolvendi teneatur quis credere.

RESp. In foro conscientiæ potest ei credi. Sanchez *lib.* 8. *de mat. d.* 17. *n.* 22. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 10. *nu.* 1. non tamen, ut idem, teneris credere; cum nemo in propria causa censeatur testis omni exceptione major. Quin etiam confessarius tibi dicenti, te habere privilegiom vel facultatem, ut absolvaris a reservatis, vel dispenseris, potest credere; quia solum de tuo commodo vel præjudicio agitur. Castrop. *l. cit.* Pro foro tameo externo regula generalis est: nemini dicenti, se habere potestatem delegatam, credendum, nisi instrumentum delegationis ostendat; quia res est facti, non ab ipso dicente, sed delegante dependens; adeoque probandum, oe alias quilibet posset assumere sibi officium Judicis. Sanchez *l. c. a nu.* 18. Maschard. *de prob. concl.* 268. *a n.* 15. Menoch. *de arb. l.* 1. *q.* 76. *a nu.* 8. juxta *c. cum in jure de off. deleg.* ubi, quod non credatur delegato, nisi de suæ delegationis mandato fidem faciat; quia, cum non constet de hoc mandato, is loco privati habetur. Quod in quocunque delegato, etiam in magna dignitate constituto locum habere, ex Menoch. *l. cit.* ait Castropalao. Limitatur tamen idipsum a Menoch. *n.* 10. Maschard. *n.* 22. Sanchez *n.* 19. Castrop. *n.* 3. ut non procedat in iis, quæ nullum vel minimum præjudicium afferunt; eo quod tunc videatur præjudicium inferri assertori, si absque causa ei fides non adhibeatur. Unde licet Sanch. *l. c.* Gut. *qq. can. c.* 17. *in fine* inferant, asserenti, se habere potestatem dispensandi, absolvendi, indulgentias concedendi, recte tamen monet Castrop. *n.* 4. id caute accipiendum, & ad summum intelligendum de viro timorato & in dignitate constituto. Econtra *nu.* 5. libenter admittit, quod Sanch. *n.* 20. Menoch. *n.* 10. Gutt. *l. c. nu. penult.* inde io ferunt: Credi Episcopo ordinaturo noo subditum, si dicat in titulo ordinationis, se de licentia proprii ordinarii id fecisse; eo quod illa ordinatio non subditi cedat in modicum præjudicium Episcopi proprii, & in maximum Episcopi ordinantis, utpote qui manet ex eo facto suspensus. Item admittit *n.* 6. quod habet Sanch. *n.* 21. credi summo Pænitentiario dispensanti io casu aliquo reservato, si dicat, sibi id vivæ vocis oraculo concessum; si tamen id cederet in præjudicium alterius, credi ei oon debere, tradit ex Mascard. *l. c. n.* 22.

§. 3.

De subjecto cum quo dispensari potest.

QUÆSTIO CXC.

An & qualiter Superior secum dispensare possit.

1. RESp. Primo. Secum dispensare potest dispensatione indirecta, v. gr. in lege jejunii, festi &c. dispensando nimirum pro tota civitate, conventu &c. utpote cujus ipse pars est; adeoquo etiam ea dispensatione: non secus ac in distributione indulgentiarum pro communitate, cujus ipse pars, necessario includitur. Suar. *tom.* 4. *d.* 52. *s.* 1. *nu.* 20. Sanc. *l.* 6. *c.* 12. *n.* 8. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 7. §. 1. *nu.* 2. cum communi.

2. Resp. secundo. Similiter indirecte secum dispensare potest, committendo alteri vices suas, qui dispensationem ei concedat. Suar. *de cens. tom.* 5. *d.* 41. *s.* 2. *a n.* 9. Sanchez *de matr. lib.* 8. *d.* 3. *n.* 3. & *in decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 11. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *nu.* 139. Castrop. *l. c.* Barbosa *ad Trid. Sess.* 4. *c.* 6. *de reform.* quo loco S. Congregatio ejusdem Concilii declarat, facultatem datam Episcopis absolvendi & dispensandi cum suis subditis posse circa ipsos Episcopos a confessario ab tis electo exerceri. Et hoc, ne Prælati sint deterioris conditionis quam ipsi subditi, qui ad manum habent, a quo possunt absolvi & dispensari.

3. Resp. tertio. Potest secum etiam directe dispensare quo ad leges, vota & juramenta, sicut potest cum suis subditis. Covar. *in c. alma mater p.* 1. §. 1. *n.* 7. Sanchez *de matr. l.* 8. *d.* 3. *nu.* 6. & *in decal. l.* 4. *c.* 37. *nu.* 40. Suarez *de LL. l.* 6. *c.* 12. *a n.* 8. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 2. *nu.* 9. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 7. *nu.* 2. cum communiore. Non enim aliquem dispensare secum, repugnaret juri naturæ, deficiente nimirum alteritate personarum ad actum jurisdictionis exercendum necessaria: cum nemo sibi ipsi subjici possit. Etsi enim dicta alteritas requiritur in jurisdictione coactiva; cum nemo a seipso cogi possit; item in contentiosa, utpote quæ exerceri debet inter partes. Item in jurisdictione exercita per actum sententiæ; cum nemo possit seipsum sententiare in propria causa, verum tamen non est in jurisdictione, quæ exercetur in dispensatione; cum hæc non sit, neque coactiva neque contentiosa, condemnatoria aut absolutoria, sed voluntaria omnino, quum non repugnat ab aliquo in seipsum exerceri, ut Castrop. Sed quidquid sit de hoc, an non etiam jurisdictio voluntaria requirat alteritatem; adeoque dispensare cum seipso non sit proprie jurisdictionis voluntariæ: vel etiam dispensare cum seipso sit minus proprie dispensare, quod ipsum postremum admittit Castrop. eo quod nemo sua lege proprie ac directe ligetur, sed ligetur lege naturali, dictante, non esse excusandum ab observatione suæ legis sine honesta causa; quidquid inquam sit de hoc, poterit adhuc sine ratione juris naturæ legislator eximere se ab obligatione legis suæ, etiamsi dicatur hac directe ligari, nolendo amplius obligari ea; cum obligatio legis pendeat ex ejus voluntate, & sic indirecte saltem secum dispensare in sua lege. In lege vero superioris secum dispensare seu se eximere ab ejus obligatione poterit ex commissione superioris, nil enim vetat superiorem committere inferiori suas vices, ut quoties sibi visum fuerit, possit dispensare, tam secum quam cum subditis suis, seu tam se quam illos eximere hic & nunc ab obligatione legis. Et sic a superioro concessum recte præsumitur, ne superiores sint deterioris conditionis quam subditi. Uti & ob eandem rationem in votis & juramentis (in quibus nomine Dei remittitur obligatio) censetur esse concessa dicta facultas tam se quam subditos subducendi ab eorum obligatione. Sed neque ullo jure positivo cautum generaliter, ne superior dispenset secum in iis, in quibus id potest cum subditis. Unde, si alicui in jure prohibitum, ne quis in se

ipsum

ipsum exerceat jurisdictionem voluntariam, uti contingit per textum *c. final. de institutionib.* ubi cavetur, ne collator sibi ipsi conferat beneficium; item per textum *c. per nostrat de jurep.* ubi, ne patronus praesentet seipsum. *Clem.* 2. *de reb. eccl. non alien.* ubi, ne capitulum sibi ipsi uniat beneficium &c. id fit, ut patet, in materia ambitiosa & fraudibus obnoxia, in qua, ut Gloss. *in citat. clem. in proprio facto nemo sibi ipsi jus dicere potest.* Sed neque obstat textus *c. magna de voto*, ubi laudatur Episcopus Trecensis, nolens se voti obligatione exemptum judicare absque consilio sedis Apostolicae, non quod fecerit rem necessariam, sed quia fecit opus supererogationis maxime decens. Ita Castropalao *nu. 2. in fine*, qui etiam numin in seq. citatis pro hoc D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. Suarez *de LL.... c.* 12. *n.* 12. Sanch. *de matr. d.* 3. *n.* 9. &c. hanc doctrinam extendit ad Praelatos Religiosos, Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Vicerectores, & qui vices eorum in absentia agunt, eo quod hi omnes jurisdictionem habeant quasi Episcopalem, & generaliter ad quemlibet habentem potestatem dispensandi cum aliqua communitate, cujus ipse pars est.

4. Resp. quarto. Nequit tamen Praelatus secum dispensare in censuris, v. gr. excommunicatione, suspensione, interdicto, nisi medio sacerdote a se electo. Cum tolli nequeant nisi absolutione; haec autem sit sententia quaedam, quam quis in seipsum exercere nequit. Castrop. *cit. p.* 7. §. 1. *n.* 5. In irregularitatibus vero & qualibet inhabilitate, uti & in depositione ab officio aliave poena, si eam contraxerit per sententiam, nec immediate & directe nec medio alio a se electo, potest secum dispensare, seu eam a se tollere, sed solum ex commissione imponentis, quam illum concedere praesumendum non est, ne alias frustranea esset ejus coactio. Pont. *l.* 8. *c.* 6. *n.* 6. & *c.* 7. *n.* 17. Argum. *c. at si clerici*. Castrop. *l. c.* & *p.* 6. *n.* 10. contrarium sentiens, *nu.* 7. si inhabilitas non per sententiam, sed ipso facto incursa, ita ut, licet per jurisdictionem coactivam sit ligatus, possit tamen solvi per jurisdictionem voluntariam & directivam acceptam a superiore in facultate sibi commissa dispensandi in poenis omnibus & irregularitate tam secum, quam cum subditis suis.

QUAESTIO CXCI.

An vagi & forenses dispensari possint a Superiore loci, in quo degunt.

1. RESP. Primo. Affirmative de vagis nullibi habentibus domicilium; cum ratione habitationis, etsi transeuntis, illi subdantur superiori illius loci: unde & administrari illis possunt ab eo Sacramenta. Sanchez *de matr. l.* 3. *d.* 25. *n.* 5. & alibi. Less. *l.* 2. *c.* 40. *du.* 18. *n.* 121. Castropalao *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 7. §. 2. *n.* 1.

2. Resp. secundo. De forensibus & peregrinis variant AA. Primo posse illos, etsi brevi tempore commorentur, a dioecesano illius loci dispensari in legibus, votis, juramentis; eo quod subdantur legibus istius loci qua transeunt; adeoque iis non deficiat subjectio necessaria ad obtinendam dispensationem, affirmat Pontius *l.* 8. *c.* 5. *num.* 7. consentit Farinac. si adsit causa sufficiens dispensandi hanc sententiam probabilem dicit Castrop. *cit. p.* 7. §. 2. *n.* 6. & sequitur quo ad dispensationem tam in lege communi quam municipali, addita ratione; quia forenses cum obligentur legibus istius loci, superior illius loci habet jurisdictionem cogendi illos ad earum observantiam, & consequenter etiam ad relaxandam illam obligationem, ne alias forenses deterioris sint conditionis quam incolae, dum obligantur legibus loci illius, & tamen non habeant recursum pro obtinenda dispensatione. Secundo posse peregrinos & forenses dispensari in legibus, votis, juramentis & irregularitatibus a dioecesano loci, si illuc confluant animo ibi habitandi diuturno aliquo tempore, qui animus satis colligitur, si illuc accesserint negotii alicujus expediendi causa, quod brevi expediri nequit, vel studiorum gratia, tenent Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 23. *n n.* 12. Less. *l. c.* Rodriq. *tom.* 1. *sum. c.* 55. *n.* 5. eo quod quis ratione diuturnae habitationis, praecipue, si domus conducta, contrahat domicilium & sortiatur forum, ita ut ibi de alibi gestis conveniri possit. Abb. *in c. quod clericis n.* 5 *de foro comp.* Innoc. *in c. ex parte eod. tit. n.* 1. juxta *l. haeres absens* §. *proinde in fine. de Judic.* & *l.* 2. *c. ubi de crim. agi oportet*; adeoque etiam in rebus spiritualibus, quales sunt dispensationes, acquirunt quasi domicilium. Tertio tenent Abbas Sylv. Tabien. relati a Sanchez *l. c. n.* 11. Suar. *l.* 6. *de voto c.* 21. *nu.* 11. Barbol. 2. *p. de potest Episc. alleg.* 36 *num.* 18. ad hoc, ut cum illis dispensetur in legibus, juramentis, votis, poenis contractis a superiore loci, requiri, ut ibi acquisiverit stabile domicilium, sive ut illuc accesserint animo perpetuo ibi habitandi, eo quod alias non sit subditus & parochianus istius superioris, etsi sit subditus in ordine ad absolutionem a peccatis & censuris; refert pro hac sententia plures declarationes Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *nu.* 139. dicitque eam quoque probabilem Castropalao *cit. n.* 5. Quarto docet Castrop. *nu.* 6. ex habitatione transeunte non acquiri subjectionem sufficientem ut possit a superiore illius loci dispensari cum forensi in votis, juramentis, aut alio singulari impedimento; idque ob consuetudinem, quae satis declaretur a Congregat. Cardinal. admittente id quo ad absolutionem propter ejus necessitatem; non vero quo ad dispensationem nec ad alia Sacramenta voluntaria. Quamvis admittat idem Castrop. cum Pontio, posse dispensari cum forensibus in hoc casu habitationis transeuntis a superiore loci, urgente causa, v. gr. si matrimonium contrahendum ad restaurandum damnum foeminae illatum, vel ad legitimationem filiorum, parente existente in mortis periculo; non tamen, ut ait Castrop. ex jurisdictione, quam per se haberet ordinarius loci circa forenses ad hoc voluntaria: sed ex praesumpta voluntate suorum ordinariorum. Sed neque diuturnam habitationem, si domiciliaris non sit, sufficere ad hoc, credit Castropalao *num.* 7. innixus pluribus declarationibus Cardinal. relatis a Garcia, & Farinacius *LL. citat.* expresse loquens de hoc casu.

QUAESTIO CXCII.

Num subditi suffraganeorum possint dispensari a Metropolitanis.

1. RESP. negative. Quia Metropolitanus, ut dicitur in *c. pastoralis de off. ordinar. c.* 1. *de foro comp. in* 6. non habet potestatem in suffraganeos. Ita Suarez *l.* 6. *c.* 10. *nu.* 8. Barbos. *cit. alleg* 36. *n.* 20. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 38 *nu.* 11. Sylv. Sayr. Pont. quos citat & sequitur Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 7. §. 3. *num.* 1.

2. Excipe primo; si ad Metropolitanum causa devoluta, inferiore nolente dispensare, *c.* 1. *de off. Legat.* & *cap. duo de off. ordinar.* Secundo, si inferior negligens vel difficilis sit in concedenda dispensatione, & ideo imploretur Metropolitanus, etiamsi legitima appellatio non interveniret, modo sit sufficiens causa. Abbas *in c. ex frequentibus de instit.* Sanch. *n.* 12. Avila *de cens.* 7. *p. d.* 10. *du.* 6. *notab.* 2. Henriq. *l.* 14. *de irregularit. c.* 18. *n.* 3 Castrop. *l. cit. nu.* 2. qui tamen ait, id non procedere, nisi causa ita sit necessaria, ut male faciat inferior dispensationem negans; idque sit manifestum, eo quod alias inferior non possit reputari negligens, ut loco illius imploretur Metropolitanus. De cetero id admittendum non est de Metropolitano actu visitante, eo quod tunc ad summum sit superior ad absolvendum, non ad dispensandum; alias enim & tunc dare posset dimissorias, quod non admittitur Suar. *tom.* 5. *de cens. d.* 41. *s.* 2. *n.* 12. & alibi. Sanchez *l. c. n.* 14. Castrop. *l. c. n.* 2. &c. Uti secundum probabiliorem, quam tenent Suar. *lib.* 6. *de voto c.* 21. *num.* 3. Pontio *l.* 8. *c.* 5. *n.* 10. Castropalao *l. cit.* contra Henriq. Avilam. *LL. cit.* Angel. Sayr. Paludan. & alios citatos a Sanch. ubi ante, *n.* 16. admittendum non est, quod possit dispensare, tam dum visitat, quam alio tempore cum Episcopis suis suffraganeis, eo quod neque ex jure constet, de hac Metropolitani potestate, nec ea necessaria sit; cum, si leges sint ipsius Metropolitani, his non ligentur Episcopi ejus suffraganei, si vero sint Pontificiae vel Concilii generalis, in his aeque omnibus sit interdicta jurisdictio.

QUAESTIO CXCIII.

Quinam cum religiosis dispensare possint in votis, juramentis & poenis.

1. RESP. Primo. Si qui religiosi sint subjecti Episcopo, cum iis eorum Praelatus dispensare nequit in juramentis &c. Quia non gaudet jurisdictione quasi Episcopali, quae ad hanc dispensationem concedendam requiritur, & religiosi tales reputantur ac alii clerici respectu Episcopi in ordine ad dispensandum. Sanch. *l. c. n.* 9. Nav. *in sum. c.* 12. *n.* 75. Suarez *de voto l.* 6. *c.* 10. *a num.* 14. Castropalao *l. cit.* §. 4. *nu.* 1.

2. Resp. secundo cum religiosis exemptis (quales hodiedum fere sunt omnes) in his dispensare possunt eorum Praelati, quantum est ex parte jurisdictionis, quam habent in

suos,

suos, sicut Episcopus in alios clericos. Nav. Suar. Castrop. Sanchez qui duo posteriores id extendunt ad Prælatos inferiores, puta Prælatos conventuales, Rectores, Vicerectores, in absentia Rectorum, utpote qui & ipsi jurisdictionem quasi Episcopalem habent in suos: ita tamen, ut ea possit a Superioribus eorum limitari. Unde jam Prælatus dispensare nequit cum religioso suo, qui subjectus ei amplius non est, v. gr. qui jam factus Episcopus, vel in perpetuum ejectus.

3. Resp. tertio. Religiosus exemptus a jurisdictione Episcopi non potest ab eo impetrare dispensationem sine licentia sui Prælati, cum enim exemptio illa non sit concessa tam in favorem ipsius religiosi, quam totius religionis, non potest is sine Arbitrio sui Prælati illi renunciare, subjiciendo se Episcopo, præsertim cum illa renunciatio, utpote valde noxia quieti, tranquillitati & subjectioni debitæ religioso Prælato, cedat in grave præjudicium status religiosi. Ita Sanch. *l. c. n.* 17. Pont. *l.* 8. *c.* 5. *n.* 13. Castrop. *n.* 3. Si tamen Prælatus religiosus injuste neget, poterit adire Episcopum (sub limitatione tamen paulo post subjicienda) tunc enim præsumitur Papa hanc licentiam concedere, & tollere exemptionem, quæ pro bono religionis & religiosi concessa est; adeoque verti non debet in eorum damnum, quale esset, si negata injuste licentia cogeretur religiosus pro dispensatione vel absolutione evagari & Papam adire. Molin. *tom.* 4. *de Just. tr.* 5. *d.* 61. *n.* 5. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 39. *num.* 36. Pont. *l. c. n.* 15. Castrop. *nu.* 4. debet tamen dispensando constare de injustitia negationis licentiæ; cum in dubio possideat lex exemptionis facta in favorem religionis: adeoque tunc non poterit adiri Episcopus. AA. iidem. Idem est, ubi Prælatus per accidens non posset dispensare v. gr. quia excommunicatus denunciatus, vel longe absens, nec alius sit, qui vices ejus gerat. Quia & tunc ob bonum religionis & religiosi præsumitur Papa tollere exemptionem. Sanchez *num.* 35. Pont. *num.* 15. Castrop. *num.* 5. Modo tamen etiam Prælatus religiosus mediatus dispensare nequiret; alias enim prius ad hunc quam ad Episcopum recurrendum. Quia quamdiu religiosus intra religionem quærere potest remedium, censendum non est, Papam tollere exemptionem; cum id noceret debitæ subditorum subordinationi, frustraque esset casuum reservatio facta superiori Prælato. Sanch. *num.* 18. Molin. *num.* 3. Pontius *num.* 15. Castrop. *num.* 6. Qui tamen duo posteriores hanc apponunt sublimitationem; nisi forte & ipse superior ille Prælatus longe abesset & facile adiri nequiret, & interim urgeret necessitas dispensationis.

4. Resp. quarto. Si nullus religionis Prælatus posset subditum absolvere, vel cum eo dispensare, potest de licentia Prælati sui religiosus adire Episcopum; quia id non obstat privilegio exemptionis; cum præsumi possit, fieri ex licentia religionis cuilibet Prælato communicata. Neque etiam obstat bono regimini & debitæ subditorum obedientiæ. Ad hæc præsumi possit, Papam privilegium exemptionis condere hoc modo: nisi aliter Prælatis visum fuerit expedire. Ne alias in tali casu religiosus esset deterioris conditionis quovis sæculari, si neque a suis Prælatis, neque ab Episcopo posset absolvi aut dispensari, sed deberet recurrere ad Papam. Ita Sanchez *num.* 32. Molin. *num.* 4. Pontio *num.* 16. Suarez *de pœnit. d.* 30. *s.* 2. *num.* 3. & *tom.* 5. *de cens. d.* 41. *s.* 2. *num.* 12. &c. quos citat & sequitur Castrop. *nu.* 7. Sic etiam tam religiosos quam seculares subditos Prioribus Ordinum militarium, quibus non competit potestas absolvendi & dispensandi in casibus commissis a Trid. Episcopis, posse de licentia suorum Prælatorum recurrere ad Episcopum, ne sint deterioris conditionis aliis sæcularibus, advertit Castrop. *n.* 9. cum Pontio *nu.* 21. Episcopum autem illum esse, in cujus diœcesi morantur, vel, si nullius sunt diœcesis, Metropolitanus, vel etiam Nuncius Apostolicus (utpote legitimus exemptorum superior, ut Sanch. *nu.* 25.) vel etiam vicinus Episcopus, ut Sanch. Ac denique addit Castrop. *n.* 8. quod etsi de jure communi non possent religiosi ex suorum Prælatorum licentia pro dispensatione adire Episcopum, possint tamen id ex privilegio, ut ait, concesso fere omnibus religionibus.

§. 4.

De causa requisita ad dispensandum.

QUÆSTIO CXCIV.

An omnis Legislator in propriis legibus dispenset valide sine causa.

RESP. Affirmative. Eo quod voluntate Principis lex constituatur, & ex ea integra pendet obligatio legis. Sanchez *de matr. l.* 8. *d.* 17. *num.* 24. Suar. *d. LL. lib.* 6. *cap.* 1. 19. *num.* 6. Covar. *p.* 2. *de matrim. c.* 6. §. 9. *num.* 8. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 8. §. 2. *num.* 1. cum communi. Procedit idipsum, etiamsi leges confirmatæ juramento, licet tunc dispensans sit perjurus; quamvis etiam secum dispensare possit in juramento. Castrop. *l. cit.* Item licet sint confirmatæ a supremo Legislatore, v. gr. Papa; modo confirmatio sit tantum approbativa; secus, si authoritativa, qua leges illas faceret suas, seu proprias. Pont. Castrop. *LL. cit.* Salas *de LL. disp.* 20. *s.* 4. *num.* 42.

QUÆSTIO CXCV.

An & qualiter peccet Legislator dispensando sine causa in propriis legibus & utens tali dispensatione.

1. RESP. Primo. Peccat. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 5. Suarez *l. c. c.* 18. *num.* 4. citans quamplurimos. Sanchez *d.* 18. *nu.* 4. Castrop. *n.* 2. qui etiam ait, contrarium ut probabile defendi non posse. Patet ex Trid. *sess.* 26. *cap.* 5. *de reform.* ubi graviter prohibetur dispensare in impedimentis matrimonii sine causa. Et ratio est manifesta; cum dispensans sine omni causa imprudenter utitur sua potestate, ac temere eximendo partem ab ordine totius, inæqualitatem facit, & ut Castrop. suo modo vitium acceptionis personarum committit. Dat præterea scandalum, præbendo aliis videntibus aliquem sine ulla causa eximi a lege, & se relictos sub obligatione, occasionem querelarum; quin & transgrediendi legem, minorisque observantiæ illius. Juxta Trid. *sess.* 25. *c.* 18. ubi dicit, dispensare sine causa nihil aliud esse, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Neque valet argumentatio in contrarium: potuit pro libitu suo, nulla alia causa interveniente, legem non ferre, aut latam abrogare, absque eo, quod per hoc peccet; ergo etiam in ea potest dispensare licite sine causa. Quia ex primo non sequitur illa inordinatio & scandala, quæ ex secundo. Adde, quod sicut sine causa boni communis potest ferre, nec etiam, ut multi; abrogare, ita nec dispensare sine causa, saltem mediate cedente in bonum commune. Neque etiam ex eo sequitur contrarium; quod Princeps mere pro libitu suo possit remittere tributa sibi debita vi legis. Quia in remissione hac habet se Princeps ut persona privata, ceditque suo commodo proprio; non vero in exemptione a lege; secus vero fieret, si tributa illa impendenda in patriæ v. gr. defensionem, vel commodum publicum. Neque ex eo, quod de facto fiant plures dispensationes in gradibus prohibitis, a Papa nulla causa allegata. Nam licet non assignetur causa, non tamen conceduntur sine causa. Dum loco causæ concessionis succedit copiosior eleemosyna a dispensando elargienda in sumptus publicos. Castrop. *num.* 3. *in fine*.

2. Resp. secundo. Dispensare sine causa videtur ex genere suo, secluso scandalo & damno gravi aliorum, non esse nisi veniale. Eo quod non videatur gravis deformitas, partem se toti non conformare. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 18. *n.* 6. referens plures. Valent. 1. 2. *d.* 7. *qu.* 5. *p.* 9. Pont. *l.* 8. *c.* 14. *nu.* 4. Salas *d.* 28. *s.* 5. *num.* 55. Nav. *prælud.* 9. *nu.* 11. & *c.* 12. *nu.* 57. Castrop. *loc. cit. n.* 5. contra Suar. *de LL. l.* 6. *c.* 18. *nu.* 17. Rodriq. *q.* 1. *p. sum. c.* 196. *in fine*. Covar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 9. *num.* 7. & alios apud Sanchez motos potissimum loco cit. Trid. *sess.* 25. *c.* 18. Dixi secluso scandalo & damno. Si enim ex ista dispensatione oriretur occasio gravis contemnendi legem, vel damnum grave Ecclesiæ (quale Castrop. putat oriri, si cum sacerdote dispensaretur in continua omissione horarum, vel in pluralitate beneficiorum) tenetur Princeps sub mortali denegare dispensationem. Et de tali dispensatione, unde ista inconvenientia proveniunt, loquitur

quitur Trident. graviter prohibendo dispensationem sine causa. Atque ita etiam secundum Castrop. *n.* 6. Pont. *n.* 5. sub mortali vel veniali tenetur Princeps revocare dispensationem datam sine causa, etiam, dum primitus putavit esse causam; & dein advertit, non fuisse, neque modo esse causam, cum semper teneatur consulere, ut subditi juri conformiter vivant, & legibus communibus æqualiter obligentur, ubi non est causa difformitatis. Infertur etiam ex dictis, subditum sine causa petentem dispensationem peccare eodem genere, quo superior illam concedens; cum petat rem intrinsece malam. Contingere autem potest, ut subditus talis ob ignorantiam inculpabilem excusetur a peccato, & non superior dispensans, & contra Suar. *loc. cit. num.* 12. & 13. Castrop. Pont. *LL. cit.*

3. Resp. tertio. Utentem dispensatione valida, quam scit sibi concessam sine causa a legislatore in propriis legibus, ne quidem peccare venialiter, tanquam satis probabile defendunt. Suar. *c.* 19. *num.* 14. Vasq. 1. 2. *d.* 178. *cap.* 4. Pont. *loc. cit.* Castrop. *num.* 7. Rodriq. *regul.* 44. 22. *a.* 4. Nav. &c. contra Sal. *num.* 59. Sanch. *leg.* 8. *d.* 18. *num.* 12. Covar. *loc. c.* & alios apud illos. Responsio nititur hac ratione (quam efficacem dicit Castrop.) quod non peccet, neque contra legem positivam, utpote cujus obligatio per dispensationem validam sublata est: neque contra naturalem; cum dispensatus ex jure naturæ non teneatur se aliis conformare, utpote habens legitimam causam exemptionis, nempe dispensationem validam, etsi illicite datam & obtentam. Cooperatur etiam talis subditus dispensationi inique concessæ solum petendo, non vero ea utendo jam concessa, cum ille usus non videatur specialiter prohibitus. Unde in hoc casu magna est differentia inter concedentem qui tenetur eam revocare; dum potest; non vero subditus abstinere ab usu illius. Castrop. *cit. num.* 7.

QUÆSTIO CXCVI.

An inferior valide dispenset in lege superioris sine causa.

1. RESp. primo. In lege divina & naturali (intellige, eo modo, quo fieri potest) ab homine facta dispensatio sine causa. V. gr. a Papa in voto, juramento, matrimonio rato, residentia Pastorum est invalida. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 12. Suar. *l.* 6. *de voto, c.* 17. Sanch. *leg.* 8. *d.* 17. *num.* 3. Castrop. *cit.* §. 2. *num.* 1. citatique ab eis alii innomeri. Eo quod a Deo commissa non sit potestas dispensandi pro libitu & sine justa causa, ne alias concessa esset potius in destructionem quam ædificationem, & Papa dispensans sine causa non esset dispensator prudens & fidelis.

2. Resp. secundo. Dispensatio quoque inferioris in lege superioris humani legislatoris sine causa est invalida. Sanch. *loc. cit. d.* 17. *num.* 4. Jo. Sanch. *in select. d.* 54. *num.* 38. Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 33. Castrop. *num.* 2. Salas &c. excederet enim talis dispensans commissionem suam; adeoque dispensaret nulliter. Non enim superior censendus est concessisse inferiori in legibus suis facultatem dispensandi irrationabiliter, seu sine causa, etsi sic eam concessisse potuisset, saltem valide, ut ea uti posset pro libitu suo. Castrop. *loc. cit.* Unde etsi dicatur, habere a superiore inferior plenitudinem potestatis, qualem habet Legatus a latere in casibus sibi a Papa commissis, adhuc præsumendum non est, sic illi concessam potestatem dispensandi. Thom. Sanch. *num.* 5. Castrop. *num.* 3. contra Rodriq. *in sum. Tom.* 2. *cap.* 24. *concl.* 3. *num.* 5. Et licet Sanch. *num.* 6. citato pro hoc Felin. &c. admittat, posse dispensare inferiorem sine causa, ubi in concessione seu commissione potestatis dispensandi exprimerentur dispensandorum nomina, nulla facta mentione cognitionis causæ; eo quod tunc dispensans censeatur merus executor, & committens certus factus de causis dispensationis; & hoc probabile videatur Castrop. *num.* 4. tenet tamen ipse, ut probabilius, teneri dispensaturum inquirere causas, quia absolute est dispensans, & satis a jure ipso monetur, causas dispensationis esse examinandas; adeoque non obstet, quod in commissione non sit facta mentio cognitionis causarum. Sed neque bonam fidem dispensantis existimantis adesse causam, dum illa non adest, impedire nullitatem dispensationis (ut censent Sanch. *loc. cit. num.* 8. Azor. *leg.* 7. *c.* 29. *q.* 6. Jo. Sanch. *loc. c.* eo quod sic concessum inferiori præsumendum sit; ut hac ratione obvietur scrupulis, conscientiæ reddantur securæ, gesta a Prælatis firma maneant, utpote quæ omnia rectæ Ecclesiæ gubernationi conducunt) docet Castrop. *num.* 5. citans pro se Pontium. Eo quod non tam firmare quam excusare dispensationes factas sine causa spectet ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Alias enim etiam ad eam spectare deberet, ut quoties bona fide putant sibi non esse necessariam dispensationem, sine ea faciant actus validos v. gr. contrahentes bona fide cum impedimento dirimente valide contraherent. Quæ sententia ex eo roborari videtur, quod, ut Castrop. allegantes secum dispensatum sine causa, non audiantur, etsi dispensans processerit sine causa.

QUÆSTIO CXCVII.

An sit peccatum mortale dispensare sine causa in lege superioris, & consequenter etiam id petere, & ea dispensatione uti.

RESp. Utrumque (etiam includendo dispensationem in votis, juramentis & omni jure divino ac naturali) affirmari a Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 6. citante Salas *de LL. d.* 20. *s.* 6. *n.* 59. qui etiam dicat, esse omnium DD. Pro ratione datur, quod talis dispensans usurpet alienam jurisdictionem & faciat actum irritum. Admittunt nihilominus hi AA. esse quandoque ex levitate materiæ non nisi veniale, sicut esse potest violatio voti & cujuscumque alterius legis obligantis alias sub mortali.

QUÆSTIO CXCVIII.

Quæ sit legitima causa dispensandi in legibus superioris.

RESp. Cum communi, id definiri non posse certa regula, sed pendere ex prudente arbitrio, attenta qualitate personarum, necessitate, utilitate dispensationis; ita tamen, ut semper necesse sit, dispensationem cedere in bonum commune, saltem mediate & ultimate, quatenus bonum particularis personæ refertur in bonum communitatis, cui expedit fieri aliquando gratias & exemptiones ad excitandos alios ad bene merendum de Repub. qualiter etiam competit legislatori subvenire singulorum necessitati; quia id bono communi expedit. Ita Sanch. *l.* 8 *d.* 10. *in princ.* Pont. *c.* 14. *num.* 12. quos vide. Colligitur etiam ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.*

QUÆSTIO CIC.

An stante justa causa, superior possit denegare dispensationem.

RESp. Quandoque debitam esse dispensationem, quandoque non. Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 10. *num.* 2. Suar. *l.* 6. *de LL. c.* 18. *num.* 22. Pont. *l.* 8. *cap.* 14. *n.* 6. Castrop. *n.* 9. &c. contra Jo. Sanch. *in select. d.* 43. *n.* 8. Rebuff. *repetit. c. postulastis, notab.* 3. *num.* 12. Sylv. *v. dispensatio, q.* 1. *in fine*, & alios absolute affirmantes, Prælatum peccare non dispensando, quoties subest causa justa dispensandi. Pars prima responsionis probatur. Potest enim accidere causa tam urgens boni communis vel specialis, ut Princeps, cui incombit hæc omnia respicere, censeatur contra debitum sui muneris procedere negando dispensationem v. g. dum media dispensatione pax Reip. obtineri potest, illa vero negata destruitur. Item dum media dispensatione dispensatus reparare potest honorem sibi oblatum, alia via non reparabilem. V. gr. fæmina stuprata. Altera pars ex eo probatur, quod sæpe in jure dispensatio vocetur *indulgentia*, *c.* 1. *de statu monach. in* 6. misericordia *c. postulastis de cler. excom.* gratia *c. dicit*, 1. *qu.* 7. hæc autem non sonant debitum. Dein, quod non sit semper debita ex præcepto positivo, ut patet imprimis in dispensatione concedenda a supremo legislatore, utpote qui nullis legibus ligatur. Dispensatio vero concedenda ab inferiore sæpe ejus voluntati committitur. Ac denique, esto teneatur Princeps vi sui muneris, ubi urgens causa boni communis vel particularis adest, dispensare; sæpe tamen simul concurrat fere æqualiter urgens causa negandæ dispensationis, in quo casu potest concedere & negare dispensationem. Quod certum est illum posse, ubi probabile est adesse causam & non adesse. Ex quibus fere hæc statui potest aliqualis regula: quod quoties bono communi vel speciali conducit (quod quando accidat, relinquitur prudentum judicio arbitrio dispensaturi dijudicandum) nec alia causa in contrarium præponderat, dispensatio est debita. Sanch. Suar. Sal. & Castrop. *num.* 10. qui etiam, citans pro hoc Sanch. *leg.* 3. *de*

matrim. d. 10. *num.* 6. Jo. Sanch. *d.*43. *num.* 8. Suar. *leg.* 6.*c.* 18. *num.* 21. addit; quod quoties in jure denotatur causa ad dispensandum, teneatur tunc posita illa causa inferior dispensare; quia tunc instruitur, cui committitur potestas, quomodo illa uti debeat. Sic itaque tenetur dispensare cum clerico super residentia ratione studii; cum ea causa dispensationis apponatur *in cap. cum ex eo, de elect. in* 6. Suar. Sanch. Castrop. *LL. cit.* Item in denunciationibus matrimonii, si probetur adesse suspicionem malitiosi impedimenti. Item in interstitiis, si viderit id expedire Ecclesiæ. Castrop. *num.* 10.

QUÆSTIO CC.

Quid igitur in hoc puncto sit circa delegatos.

RESp. Non convenire in hoc AA. Sanch. & Castrop. distinguunt, sed non pariformiter. Primus *leg.* 4. *sum. cap.* 54. *num.* 12. loquens de voto, ita distinguit; ut delegatus habens privilegium dispensandi concessum sibi in sui favorem, possit denegare dispensationem petenti; quia non tenetur uti suo privilegio. Et sic ait, excusari regulares nolentes concedere dispensationem in votis pænitentibus. Secus vero sit, si privilegium concessum in favorem pænitentis, ut est privilegium Bullæ & Jubilæi. Alter. *num.* 12. sic distinguit, ut confessarius post factam & acceptatam sui electionem teneatur dispensare, ne alias sit infidelis & injustus; quia jam ratione acceptatæ electionis obligetur ex justitia dispensare; quia seipsum ad utendum privilegio obligavit; at consequenter id verum est, sive concedenda dispensatio ex privilegio concesso in tui favorem, sive concesso in favorem dispensantis. Secus vero de confessario, qui necdum acceptavit electionem sui ad concedendam dispensationem, etiamsi confessionem audiat; cum privilegium concessum per Bullam non sit ad arctandum confessarium ad dispensationem concedendam. Sed sit privilegium concedens facultatem dispensandi confessario volenti, non renuenti. Notat tamen Castrop. cum Jo. Sanch. *in select. d.* 34. *num.* 17. *circa finem*, posse aliquando teneri delegatum consentire electioni de se factæ, & dispensationem concedere, dum nimirum judicat, graviter bono dispensandi expedire; eo quod ab aliis repellatur, & ob hanc repulsam tristetur graviter, & in periculum denuo peccandi conjicitur.

QUÆSTIO CCI.

An dum Princeps assumit aliquem ad officium & dignitatem, ad quæ illum scit inhabilem, censeatur hoc ipso cum tali dispensare ubi de cetero in tali inhabilitate dispensare potest.

RESp. affirmative. Gl. *in c. statuit, v. literarum, de rescript. num.* 6. Nav. *in man. c.* 27. *num.* 74. *& in c. si quando, de rescript. except.* 10. *num.* 3. Abb. *in c. præterea, de testib. cogend. n.* 11. Sylv. *v. dispensatio, num. ult.* Bartol. *in l. Barbarius de off. Prætor. n.* 12. & Jason. *num.* 10. ubi ex illo textu hujus legis: *sed si scivisset, servum esse liberum, effecisset*: infert, quod Princeps conferens scienter inhabili dignitatem, intelligatur cum eo dispensare, & eum habilitare. Et hæc juxta *leg. quidam consulebant, ff. de re judicat.* ubi valere dicitur sententia minoris, si ex certa scientia Imperator eum Judicem constituit, hac ratione addita: *Princeps enim ei, cui Magistratum dedit, omnia agere decrevit &c.* adeoque ipso facto eum tali dispensavit, & ad talia agenda habilitavit. Peccaret enim alias Princeps assumendo scienter inhabilem manentem talem, delictum autem maxime in Principe non præsumitur, *c. nemo, de Reg. Jur. in* 6. Sic itaque Papa scienter assumens jure humano inhabilem ad officium aliquod, ipso facto, & absque alia dispensationis expressione (parum enim refert, an verbis voluntatem suam quis declaret, an rebus ipsis *leg. de quibus, ff. de LL.* quin & plus sit, factis demonstrare quam verbis dicere *c. dilecti juncta gl. v. facto procurare, de appell.*) censetur illum dispensando habilem reddere. His non obstante *reg.* 51. *Cancell.* ubi Papa vult & dicit expresse: quod per quamcunque signaturam in quavis gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel alias nihil conferat aut operetur, &c. Nam procedit idipsum, ubi Papa ignorat defectum; quod ominimum non censeatur dispensare, nisi specialiter exprimatur dispensatio v. gr. per hanc clausulam: *supplentes omnem defectum vel dispensando ad cautelam*, ut bene Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *num.* 29. Paris. *de resign. leg.* 4. *quæst.* 3. *num.* 66. *&c.* non vero procedat, ubi certus fuit de effectu; cum tunc tacite tollat inhabilitatem. Idem est de Episcopo, ubi assumit scienter inhabilem, inhabilitate orta præcise ex vi propriæ constitutionis diœcesanæ, vel etiam in casibus, in quibus concessum est illi dispensare cum inhabili, ne alioquin delinquere convincatur promovendo inhabilem. Abb. *loc. cit.* Sylv. *v. irregularis, qu.* 78. Barbos. *part.* 2. *de off. Episcop. allegat.* 18. *num.* 17. quos citat & sequitur Reiffenst. *ad h. t. num.* 483.

§. 5.

De modo & forma servanda in dispensatione.

QUÆSTIO CCII.

An cognitio causæ præcedere debeat dispensationem.

1. RESp. primo. Ad valorem dispensationis in legibus propriis factæ, id necesse non est, modo superior velit dispensare. Cum in iis, ut dictum, valide sine causa dispensare possit. Sanch. *leg.* 8. *d.* 17. *num.* 24. Suar. *de LL. leg.* 6. *c.* 19. *num.* 6. Azor. *Tom.* 1. *l.* 6. *cap.* 15. *q.* 19. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *part.* 1. *num.* 2. Covar. 4. *decret.* 2. *part. c.* 6. *§.* 9. *num.* 8. *&c.* Nunquam tamen concessam dispensationem sine cognitione causæ præsumi debet, nisi manifestis signis id demonstretur. Quia præsumi non debet de legislatore, quod temere dispenset, qualis foret illa dispensatio. Unde etiam censeri debere dispensationem subreptitiam, & præter voluntatem concedentis dum contrarium non constat, ait Castrop. *cit. num.* 2. *in fine*. Argument. sumpto ex Trident. *sess.* 25. *c.* 18. *de reform.*

2. Resp. secundo. In utroque foro validam esse dispensationem in legibus superioris factam sine cognitione causæ, modo in reipsa sit & subsistat causa, tenent Sanch. *leg.* 8. *de matr. d.* 17. *n.* 11. Suar. *de LL. leg.* 6. *c.* 19. *num.* 2. Pont. *leg.* 8. *cap.* 15. *num.* 18. Salas, *d.* 20. *s.* 9. *num.* 79. eo quod licet jus ipsum expostulet cognitionem causæ præmitti dispensationi, id tamen non constat, expostulari ut formam; sed solum ad licite dispensandum; cum æque id expostuletur a summis Principibus, quos certum est, posse etiam sine causa dispensare. Item, quod *cap. nihil, de elect.* dicatur, electum sine causæ cognitione dejiciendum si sit indignus &c. adeoque, si dignus, dejiciendus non est, utique quia valuit ejus electio facta sine cognitione causæ. Revocari tamen posse a concedente vel ejus superiore (intellige, si necdum sortita suum effectum; sunt enim impedimenta quædam, quæ semel sublata reviviscere nequeunt) eo quod sit contra jus positivum & naturale concessa, docent AA. iidem. Verum probabilius videtur in utroque foro, talem dispensationem esse nullam, etiamsi causa reipsa subsit, pro ut tradit Castrop. *num.* 4. citatis. Nav. *c. fin. num.* 4. *de simon.* Azor. *Tom.* 1. *leg.* 5. *cap.* 15. *q.* 9. & 10. Covar. *de matrim.* 2. *part. cap.* 6. *§.* 9. *num.* 12. Gutt. *leg.* 1. *qq. Can. cap.* 19. *num.* 5. Menoch. *cons.* 15. *num.* 45. qui testatur esse omnium. Barbos. *part.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 33. *num.* 4. & 5. *&c.* eo quod præterquam non videatur inferioribus concessa facultas dispensandi, nisi servato juris ordine, qui ad dispensationem requirit, præmitti causæ cognitionem, ut constat ex *c. necesse, cap. dispensationis*, 1. *q.* 7. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. & *sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* dispensatio facta hoc dicta cognitione causæ sit dispensatio facta sine causa, cum causa in tantum movere possit dispensantem, in quantum cognita; adeoque si nullatenus cognita causa, dispensatio non est data propter illam. Unde etiam Suar. *leg.* 6. *cap.* 27. *num.* 7. loquens de voto admittit dispensationem voti factam sine causæ cognitione esse nullam, etiam dum revera est causa. Quod eum dicere debuisse de omni dispensatione facta in legibus superioris, ait Castrup. *num.* 4.

QUÆ-

QUÆSTIO CCIII.

An cognitio causæ requisita ad dispensandum (intellige, licite in legibus etiam propriis, & etiam valide in legibus superioris) debeat necessario esse judicialis.

RESP. negative, sed sufficere, quod dispensanti quocunque modo constet de causa. Quod imprimis, dum causa est notoria, admittunt omnes cum Gl. *in c. manifesta* 2. *q.* 1. Abb. *in c. præterea, de testib. cogan. n.* 11. Sanch. *l.* 8. *de matr. d.* 4. *n.* 22. cum quod notorium est, non eget examine, habetur enim, ac si jure probatum. Dein etiam, dum causa notoria non est tenent Bartol. *in l. Barbarius, ff. de off. prætor. a.* 8. Suar. *l.* 6. *c.* 13. *n.* 16. Sal. *f.* 9. *num.* 79. Castrop. *num.* 6. contra Menoch. *loc. cit.* immerito hanc cognitionem restringi ad judicialem; cum jura plus non requirant, quam causæ cognitionem, & hæc solum requiratur, ut vitetur temeritas dispensantis, quæ omnino vitatur, dum ei constat de Justitia causæ. Proinde jam licet in foro externo non admittatur dispensatio, nisi probetur testibus, adfuisse causam legitimam eam concedendi, ea tamen probatio dispensationi jam superveniens in eo foro est admittenda. Suar. Pont. Castrop. *LL. cit.* qui posterior etiam cum Suar. *loc. cit.* Sanch. *l.* 8. *d.* 4. *n.* 5. addit, se putare, nunquam requiri, ut ex ipsomet & instrumento dispensationis probetur, adfuisse causam aut ejus cognitionem, sed sufficere, si testibus vel alia via constet. Qualiter autem institui debeat cognitio seu examen dictæ causæ, dicetur paulo post.

QUÆSTIO CCIV.

An credi debeat dispensanti, maxime si is affirmet, cognitionem causæ præmissam esse dispensationi.

1. RESP. primo, loquendo de foro conscientiæ, quamdiu aliud non constat, credendum est, dispensantem habuisse & cognovisse causam dispensandi, quia delictum juxta *leg. si merito, ff. pro socio*, præsumi nunquam debet, nisi probetur. Et ut facilius credas, te hac in parte a Prælato non decipi sufficere videtur, nullum vel leve ei commodum accrescere ex tali dispensatione, & grande malum, nempe peccatum, si sine causa dispenset. Ita exprelse Sotus *de just. q.* 4. *art.* 3. *ad.* 2. *in fine*. Suar. *de cens. d.* 41. *s.* 3. & *de LL. l.* 6. *c.* 13. *n.* 16. Sanch. *l.* 8. *d.* 17. *a n.* 15. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *par.* 14. *num.* 1.

2. Resp. secundo. Loquendo de foro externo, in dispensatione legis propriæ dispensanti asserenti, se habuisse causam, credendum. Cum enim dispensare possit sine causa, non est, cur de examine causæ pro valore dispensationis moveatur dubium. Castrop. *nu.* 2. qui tamen etiam addit, citando Mascard. *de probat. concl.* 1233. *a num.* 35. Menoch. *vol.* 1. *cons.* 100. *n.* 15. quod si dispensans alleget causam ex facto alieno pendentem (ut fere fieri solet in dispensationibus) hoc dictum illius præsumptionem faciat, non tamen tam efficacem, ut in contrarium non admittatur probatio. Quod non est Principem arguere mendacii, sed inculpabilis ignorantiæ & deceptionis. Pari ratione, donec contrarium probetur, credendum dispensanti in lege superioris, si testetur adesse causam. Menoch. *loc. cit. n.* 29. Mascard. *loc. c. a n.* 109. Cravet. *cons.* 135. *n.* 42. & *de antiq. temp. p.* 1. *a.* 32. quos citat & sequitur Castrop. *nu.* 3. quia, ut iidem AA. dictum superioris dispensantis circa causam grandem, facit præsumptionem illam adesse, pro qua standum, donec elidatur manifestis rationibus. Quin etiam, ut Menoch. *n.* 26. Mascard. *num.* 108. Bald. Alex. Socin. Senior. pluresque graves AA. Cravet. & Castrop. Principis assertio integre probat, & non admittit probationem in contrarium.

3. Resp. tertio. Si dispensans in lege superioris non declaravit ex qua causa moveatur, saltem dicendu in genere: ex certa scientia & sufficiente informatione causæ se moveri, credendum non esse adfuisse causam justam, ac proinde nec validam dispensationem, tenent Mascard. *cit. num.* 109. Menoch. *de præsumpt. leg.* 2. *præsumpt.* 20. *tota* & *consil.* 100. *n.* 20. Nav. *l.* 3. *consil. tot. de regular. consil.* 56. Sanch. *loc. cit. num.* 14. & 16. & hos citans Castrop. *num.* 4. quia alias frustra esset expostulatio causæ, si semper præsumendum hanc adesse, & dispensantem talem non temere, sed ex juris ordine processisse. De cetero licet aliquid factum esse motu proprio Principis, aliter probari nequeat, quam ex assertione Principis, certam tamen scientiam, cum positivum quid includat, aliunde quoque probari posse, ait Castrop. *part.* 13. *num.* 8.

QUÆSTIO CCV.

Quæ forma servanda in concessione dispensationis expressæ.

1. RESP. primo. Neque ex natura rei, neque ex jure positivo præscripta est verborum forma pro facienda dispensatione; sed ea est sufficiens, quæ satis exprimit voluntatem dispensantis & effectum dispensationis. Hic vero satis declaratur, non tantum dum exprimitur specialiter v. g. dispenso tecum in hoc vel illo impedimento, inhabilitate &c. sed etiam sub generalitate verborum. V. g. dispensu tecum in quocunque tuo impedimento; sufficiunt ad constituendam dispensationem in ratione expressæ. Castrop. *par.* 11. *nu.* 11. Tiraq. *de LL. connub. gl.* 7. *a n.* 86.

2. Resp. secundo. Sed neque ad expressam dispensationem requiritur scriptura, ut habet communis. Quamvis tamen excipiantur casus aliqui, in quibus ex jure positivo dispensatio nihil prodest, etiam pro foro conscientiæ, nisi facta in scripto. Horum aliquos enumerat Gl. *in c.* 1. *§. postquam, de censib. in* 6. *v. in scripto*. Et Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. Castrop. *in d. de privileg.*

3. Resp. tertio. Debet tamen necessario exprimi persona sive verbo sive scripto, exprimendo nomen ejus vel æquivalens; cum dispensatio sit alicujus dispensatio.

QUÆSTIO CCVI.

An ad valorem dispensationis requiratur mandatum dispensandi.

RESP. negative, sed potest concedi etiam ignoranti. Sanch. *leg.* 8. *d.* 27. *num.* 4. Azor. *leg.* 5. *cap.* 25. *q.* 12. Sa. *v. gratia, num.* 13. Ugolin. *de irregul. c.* 62. *num.* 5. Castrop. *cit. p.* 11. *n.* 2. & apud illum Suar. Rebuff. & plures alii. Rescripta enim gratiæ, qualia sunt, quibus privilegia dispensationis conceduntur, mandatum non requirunt, uti speciale mandatum requirunt rescripta justitiæ, juxta *c. qui ad agendum de procurator, in* 6. *cap. nonnulli de rescript.* & *ibi* Gl. Neque his obstat *cap. innotuit de elect.* quia ibi non annullatur rescriptum, quia erat concessum sine mandato illius, cui confertur gratia, sed capituli; cum agerectur de confirmatione electionis irritæ, nulla facta dispensatione. Neque etiam ex eo, quod non expediat, Principem concedere dispensationem, nisi precibus sit adactus; cum dispensatio sit juris relaxatio, ad quem non debet se facilem præbere, ut Mandos. *de signat. grat. tit. de dispens.* Rodriq. *regul. qq. Tom.* 1. *qu.* 22. *art.* 3. Sequitur, non posse aliquando sine petitione, si ita judicaverit expedire, eam concedere. Suar. *leg.* 6. *cap.* 13. *num.* 8. Castrop. *cit. num.* 3. *in fine*. De cetero licet valeant, gratia, privilegium, dispensatio sine mandato concessa; effectum tamen habere nequeunt, priusquam innotescant, illi cui conceduntur, & is ea acceptet; cum sint donatio quædam, quæ per acceptationem completur; & semper imbibitam habeant hanc conditionem: si placita & grata existant ei, cui conceduntur. Castrop. *loc. cit.* Suar. Sanch. supra Argum. *cap. ad medium de concess. præb.* Item licet valeant impetrata sine tuo mandato, sine eo tamen non valet ejus acceptatio; quia hæc tota pendet ab eo, cui gratia confertur. Castrop *num.* 4. Pont. *cit. c.* 15. *num.* 3.

QUÆSTIO CCVII.

Quæ dicatur dispensatio tacita, & an concedi possit tam in legibus propriis quam superioris, & quibus signis declaretur.

1. RESP. ad primum. Dispensatio tacita consistit in ratihabitione, vel etiam præsumpta voluntate superioris, ex certis aliis signis quam verbis aut scripto, aut etiam æquivalentibus manifestata sufficienter.

2. Resp. ad secundum affirmative. Ita fere supponunt AA. Sanch. *leg.* 8. *d.* 4. *num.* 16. Suar. *leg.* 6. *c.* 13. *num.* 13. Sa. *v. dispensatio, num.* 12. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *part.* 12. *num.* 1. Siquidem hoc ipso, quod manifestetur voluntas dispensantis quocunque tandem modo (cum, ut dictum,

præscripta non sit in jure certa aliqua forma dictæ manifestationi) dispensatio habet suum effectum,

3. Resp. ad tertium. Primum signum, unde prudenter colligatur illa superioris voluntas actualiter tecum dispensantis, est, si ab eo sciente tuum impedimentum præcipiatur vel concedatur tibi actus, qui sine dispensatione exerceri nequit; quia non debet censeri Prælatus præcipere vel concedere ea, quæ illicita sunt, & juri repugnantia. Suar. *l. c.* Sanch. *l. c. a n.* 2. dicens esse communem omnium in supremo Principe. Azor. *Tom.* 1. *leg.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 10. *num. ult.* Rebuff. *in pract. tit. de dispens. a num.* 5. Nav. *prælud.* 9. *num.* 15. & *cap.* 25. *num.* 74. Castrop. *num.* 2. Sic concedens tibi irregulari dimissorias ad Ordines, vel beneficium conferens, censetur tecum dispensare. Sic Princeps dignitatem concedens minori, censetur cum eo dispensare, ut gesta per eum valeant. *L. quidam consulebant ff. de re judic.*

4. Alterum signum tacitæ dispensationis assignant Sanch. *cit. d.* 4. *num.* 26. Salas *de LL. d.* 20. *f.* 9. *num.* 87. pluresque ab iis citati. Si potens dispensare videat, quod disponas te ad operandum contra legem, & de facto opereris, & taceat, nec impediat, cum facile impedire posset. Argum. 29. *Reg. Jur. in* 6. *qui tacet, consentire videtur*, quæ maxime procedit, si talis ex officio teneatur non tacere. Et ratio est, quod in superiore non sit præsumendum delictum, quod sane talis incurrit, si non consentiret. Item quod talis patientia sit ratihabitio de præsente, sufficiens ad concedendam jurisdictionem, Ut Sanch. *d.* 3. *d.* 35. *num.* 20. Vasq. *de pænit. quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 5. Jo. Sanch. *in select. d.* 44. *num.* 3. Sa. Pont. & alii passim, ergo multo magis ad concedendam legis relaxationem. Verum taciturnitatem præcisè & dissimulationem superioris, cum possit ab eo impediri effectus, non esse sufficiens signum dispensationis concessæ, tenent Cardin. Anchar. Imol. Host. Abb. Felin. Menoch. Sayr. & alii quamplurimi locis relatis a Sanch. *leg.* 8. *de matrim. d.* 4. *num.* 25. & a Suar. *de LL. leg.* 6. *cap.* 33. *num.* 18. qui & ipse *num.* 22. ait, ad præsumendam concessionem dispensationis non sufficere solam taciturnitatem, nisi una adsint aliquæ circumstantiæ, v. g. si esset causa non petendi expressam dispensationem, & inter dispensantem & dispensatum esset magna familiaritas &c. Ratio eorum est, quod ex ista taciturnitate & dissimulatione inferatur solum permissio, non vero concessio positiva, seu voluntas concessiva, quæ requiritur ad privilegii alicujus concessionem, & valde distinguitur a voluntate permissiva. Sic enim sæpe, ne ex subita resistentia Prælati subditi fiant proterviores, dissimulat, esto, non concedat seu dispenset. Et licet in tali dissimulatione culpam aliquam pusillanimitatis & negligentiæ committeret, forte majorem committeret, si absque causæ examinatione dispensationem concedendo, ansam non levem præberet transgrediendi legem coram se, dum putarent subditi hac ratione secum dispensari. Unde jam præsumendum, in tali casu adfuisse permissionem, non vero consensum, quia in concurrentia duarum præsumptionum illa præferenda, in qua minor culpa intercedit juxta *leg. si adulterium cum incestu ff. ad leg. Juliam, de adult.* Addit etiam Castrop. *cit. part.* 12. *num.* 5. ad præsumendam dictam concessionem debere constare, quod Prælatus tacens facile potuisset impedire effectum, quæ potentia non debeat præsumi, dum non probatur. Si vero constet subdito, facile a superiore effectum impediri posse, & superiorem advertisse obligationem uti & adesse causam, & nullum esse inconveniens in concessione dispensationis, dicit Castrop. se nescire, cur talis taciturnitas & dissimulatio non sit absoluta concessio; sicuti est, dum præsente Parocho illius subditum absolvis.

Resp. quoque ad textum *cap. cum desideret de sent. excom.* ubi Episcopus admittens ad divina excommunicatum, non censetur eum absolvere; quod cum, ut Nav. *de pænit. dist.* 6. *cap.* 1. *num.* 59. & alibi Covar. *cap. alma mater.* §. 11. *num.* 6. & 7. Suar. *de cens. d.* 7. *f.* 9. *num.* 1. Sal. *d.* 20. *f.* 9. *num.* 85. sit longe probabilius, nullam esse pro absolutione excommunicationis aut alterius censuræ formam præscriptam ab Ecclesia, in *cit. cap.* non præsumatur abfuisse absolutionem ex defectu formæ, seu signi sufficientia ad exprimendam absolutionem, sed quia noluit Episcopus eam dare, eo quod putabat ob Juramentum præstitum, quod excommunicatus fecerat de obediendo Ecclesiæ, esse jam absolutum.

5. Porro notandum hic cum Castrop. *num.* 6. ratihabitionem & præsumptionem voluntatis superioris, quæ sufficiens est ad deobligationem legis, non debere esse voluntatis futuræ, sed præsentis & antecedentis actum legi contrarium; quia voluntas futura non est absolute voluntas, sed erit; adeoque non potest aliquem actum eximere ab obligatione legis; cum ab ea eximi nequeat actus, nisi superior actum velit eximere. Aliud proinde est de ratihabitione per voluntatem futuram in ordine ad honestandum & reddendum actum licitum, aliud in ordine ad dispensandum. Quia rationabiliter præsumendo, superiorem v. gr. absentem vel impeditum non fore invitum, sed concessurum, si hoc vel illud ab eo peteretur v. gr. acceptationem & distributionem pecuniæ, non peccat contra legem, si acceptet vel exponat, sed eam adimplet; utpote quæ non prohibebat acceptationem pecuniæ absolute, sed factam sine licentia, ita ut formaliter vel virtualiter acceptationem pecuniæ, posita licentia concedebat. Secus est de dispensatione, quæ utpote vulneratio legis, in ea non includitur. Unde jam, quoties a lege præscribitur licentia pro actu faciendo; potest extendi ad licentiam futuram; eo quod, cum non adversetur legi, debet extendi, quo ad fieri potest, ita ut comprehendat præsentem & futuram. Dispensatio autem restringi, ut solam præsentem comprehendat; ac consequenter nulla ratione actus a lege absolute prohibitus fieri potest. Sub spe futuræ dispensationis, seu sub dispensatione, quæ, si peteretur, concederetur. Ita Castrop. *cit. num.* 6. Suar. *leg.* 6. *cap.* 13. *num.* 20. Sanch. *leg.* 8. *d.* 4. *num.* 11. *juncto num.* 15. citans quamplurimos contra Menoch. *de præsumpt. leg.* 2. *præsumpt.* 20. *num.* 20. & 23. & 26. & alios quosdam.

QUÆSTIO CCVIII.

Quales conditiones habere debeat, cui committitur, non tam facultas dispensandi, quam ipsa dispensatio expedienda pro foro conscientiæ.

1. RESp. primo. Dum in hac commissione exprimitur (prout communiter fieri solet) qualitas personæ, cui ea fit, nimirum quod delegatus hic sit Doctor intelligitur de gradu Doctoratus juris canonici vel Magistri in Theologia in aliqua Academia, ita ut non sufficiat esse Licentiatum in jure canonico, vel Theologia, aut Doctorem juris civilis. Neque etiam quod sit harum facultatum Professor in Academia approbata, etiamsi sit idoneus, aut etiam Magister in Theologia ex instituto aliquarum Religionum, sed necessario requiritur, ut dicto gradu Doctoris sit insignitus in aliqua Universitate approbata. Castrop. *tract.* 3. *d.* 6. *part.* 15. *num.* 1. juxta textum *cap. statutum de rescript. in* 6. Neque sufficit errore communi aliquem reputari Doctorem; cum error communis det quidem jurisdictionem, non qualitatem; unde si hæc deficiat, deficit conditio requisita, ut valide eligi possit in executorem istiusmodi literarum. Castrop. *loc. cit.* Pont. *leg.* 8. *cap.* 21. §. 1. *num.* 13. Nihilominus Sacerdotes Societatis JESU, quibus Generalis aut alii superiores permiserunt, habent privilegium expediendi has literas concessum a Gregorio XIII. 3. *April. anno* 1582. ut constat ex compendio privilegiorum, *v. confessarius*, *num.* 3. etiamsi gradu Doctoratus vel Magistri non sint insigniti. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 11. Pont. *num.* 13. Salas, *de LL. d.* 20. *f.* 10. *num.* 97. Rodriq. *qq regular. Tom* 1. *q.* 63. *art.* 8.

2. Resp. secundo. Dum insuper in literis illis prout communiter expediuntur, ut videre licet apud Sanch. *leg.* 8. *d.* 34. *a num.* 1. requiritur, ut sit ab ordinario approbatus ad confessiones audiendas, sufficere putat Sanch. *loc. cit. nu.* 10. sufficere approbationem particularem seu datam pro singularibus personis. V. gr. pro viris tantum, pro personis hujusmodi tantum. Verum putat Castrop. id non sufficere, si non sit approbatus respectu exhibitoris literarum seu dispensandi; cum probabile sit, non posse has literas expediri, nisi præmissa Sacramentali Confessione, ut Castrop. intellige, apud eum, qui eligitur in executorem.

QUÆ-

QUÆSTIO CCIX.

Num dispensandus, postquam elegit executorem harum literarum, dum is, quia judicavit dispensationem esse subreptitiam aut invalidam, mutavit sententiam, possit adire alium, qui ei videatur judicaturus dispensationem validam, eamque expediturus.

RESp. affirmative, dum hæ dispensationes committuntur confessario pro foro conscientiæ; sequuntur enim tunc naturam hujus fori, in quo Judex potest sententiam datam revocare, & pænitens alium Judicem adire seu eligere, ut patet in eo, qui vi privilegii sui ad absolutionem censuræ, aut peccati, aut voti commutationem elegit confessorem, dum potest alium & alium adire, si primi electi sententia ei non placet. Ita Sanch. *leg.* 8. *d.* 27. *num.* 40. Pont. *num.* 14. Castrop. *num.* 3. qui quoque cum communi DD. *in lege Judex posteaquam ff. de re judicat.* tradunt contrarium esse in dispensationibus commissis pro foro externo, ut si Judex delegatus declaret subreptitiam aut invalidam esse, alius adiri non possit.

QUÆSTIO CCX.

An & qualiter observanda clausula præmittendi examinis causarum, & præstanda dispensando consilia & monita salutaria.

1. RESp. primo. Præter ea, quæ dicta *quæst.* 1. *hujus §.* si delegatus sine dicto examine expediat dispensationem, hæc nulla est. Cum Papa nolit eam prodesse nisi sub conditione & forma hujus examinis, ut constat ea verbia appositis in literis dispensatoriis, ubi: *si ita esse per diligentem latoris examinationem, ac post monita & consilia opportuna illa præstita inveneris &c.* Idque verum, etiam si causa dispensandi reipsa subsistat. Sanch. *d.* 34. *num.* 26. Castrop. *cit. part.* 15. *§.* 1. *num.* 4. Ubi tamen causa est notoria & manifesta, vel ipsi confessario satis cognita, non est necessario hoc examen præmittendum; cum cesset ratio, ob quam fieri mandatur, nempe detectio veritatis. Sanch. Pont. Castr. *Supra*. Quod si autem cognoscat, causam esse falsam, non debet latori credere, nec potest dispensationem expedire, quia impertinens tunc est latoris testificatio. AA. iidem.

2. Resp. secundo. Examen hoc fieri non debet recipiendo testes, sed solum interrogando ipsum latorem, cui in parte credendum. Castrop. *loc. cit.* Neque requiritur juramentum; cum diligenter examinari possit lator absque eo, quod juramento gravetur, sicut examinatur in foro pænitentiæ, cui foro hæc expeditio maximè conformis. Sanch. *num.* 21. Salas *f.* 10. *num.* 97. Castrop. *loc. cit* qui tamen cum Pontio addit, non condemnandum illum executorem, qui, ut plenius sibi satisfaciat, hoc juramentum a partibus exigeret; cum expeditio hæc non plene imitetur forum Sacramentale.

3. Resp. tertio. Dicta consilia & monita, de quibus in literis dispensatoriis, non videntur necessario, sed solum ex æquitate & convenientia requiri. Castrop. *cit. num.* 4. cum, ut idem, ordinentur ad veritatis cognitionem, quæ sufficienter indagatur interrogatione & responsione oratoris.

QUÆSTIO CCXI.

An necessario præmittenda dispensationi confessio Sacramentalis.

RESp. probabilius esse, quod non. Sanch. *d.* 34. *num.* 29. Galleg. *de cognat. spirit. cap.* 23. *num.* 2. Salas *d.* 20. *de LL. f.* 10. *num.* 98. Castrop. *num.* 6. contra Pont. *leg.* 8. *cap.* 21. *§.* 1. *num.* 17. Ratio est primo, quod Papa non dicat, dispensationem expediendam in vel pro foro pænitentiæ, sed pro foro conscientiæ, quod forum non est Sacramentale, sed secretum & extrajudiciale, ut Præposit. *in cap. præterea il* 2. *num.* 5. *de sponsal.* Sanch. *d.* 34. *num.* 29. Nav. *in sum. cap.* 27. *num.* 41. Castrop. *part. cit. §.* 1. *num.* 6. citatis insuper aliis. Secundo absolutio, (pro ut dicitur in rescripto his verbis: ut eundem a mutatione propositi absolvas hac vice in foro Ecclesiæ, injuncta pænitentia salutari) danda ei, qui mutavit propositum servandi v. g. votum castitatis transgrediendo illud, non requiritur a Papa ut conditio & forma ad concedendam dispensationem. Tum quia hæc absolutio non semper est necessaria, dum nimirum dispensandus non fuit transgressus votum suum: tum quia, si est necessaria, non est necessaria ad dispensandum, sed solum ut dispensandus liberetur a suo peccato, quod admisit mutando propositum seu transgrediendo votum suum, a quo cupit absolvi. Cum in rescripto nullum sit verbum, unde colligatur, eam prius & necessario dandam & alias dispensatio sit nulla. Adeoque etiam non obstantibus illis verbis rescripti: *absolvas in forma Ecclesiæ consueta*: poterit illa absolutio subsequi, vel etiam omitti, quin dispensatio sit nulla. Unde tamen male infertur, facultatem illam absolvendi inseri rescripto frustranee; cum approbatus ab ordinario eam per se habeat. Nam, ut bene Sanch. sæpe transgressio illa voti est reservata in diæcesi.

QUÆSTIO CCXII.

Clausula continens commutationem in pia opera qualiter observanda ab executore.

RESpond. Non potest pro libitu omittere hanc commutationem dispensator. Quia apponitur pro forma. Potest tamen ea moderari, prout ei visum fuerit, modo tamen aliqua singulis diebus facienda exprimat. Sanch. *d.* 34. *a num.* 33. Pont. *num.* 18. Sal. *num.* 98. Castrop. *num.* 7. dicitur namque in rescripto: *commutes* (scilicet votum) *in frequentiam sacramentalis confessionis, singulis scilicet mensibus semel, vel quoties tibi videbitur, vel in alia pænitentia opera injungenda; inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur &c.* Hinc licebit tibi injungere confessionem singulis solum tribus mensibus semel, & opera pietatis quotidiana, quæ visa tibi fuerint dispensando utiliora. AA. iidem *LL. cit.* Porro censet Castrop. commutationem necessario faciendam in opera supererogatoria seu alias alio titulo non debita: eo quod licet unum opus multiplici titulo deberi possit, ideoque etiam posset Papa contentus esse, ut injungerentur opera alias debita; dum tamen id non exprimit, censendum potius sit contrarium, quod ea sit mens Papæ tollentis impedimentum & obligationem gratis, ut ejus loco aliquid Deo gratum subrogetur. Quemadmodum etiam pœnitentia in sacramento Pœnitentiæ absolute injuncta intelligitur de operibus alias indebitis, ut Sanch. Pont. &c. Admittit tamen Castrop. quod dum imponitur confessio singulis mensibus, ex benignitate Papæ intelligatur exceptus mensis, quo quis vult satisfacere præcepto Ecclesiæ per annuam confessionem: occasione hujus sit

QUÆSTIO CCXIII.

An ipsi habentes potestatem dispensandi possint imponere dispensandis mulctam aliquam pecuniariam, vel onus aliquod personale.

1. RESp. primo. Fieri id potest, dum dispensatio fit in voto. Castrop. *tract.* 3. *d.* 6. *part.* 9. *num.* 1. dicens de hoc non esse dubium. Item, dum non intercedit causa justa dispensandi, imponi potest mulcta pecuniaria. Et quidem ea illa impositione resultat sufficiens causa dispensandi, ut fieri solet in dispensatione impedimentorum matrimonii. Suar. *de LL. leg.* 6. *cap.* 16. *in fine*, & *Tom.* 1. *de Relig. num.* 3. *lig.* 4. *de Simon. cap.* 20. *num.* 11. & 12. Castrop. *loc. cit.*

2. Resp. secundo. Non potest id legislator in casibus, in quibus dispensatio debita est. Quia pro actione debita onus imponi non potest. Castrop. *num.* 3. citans Fclia. *Tom.* 2. *tr.* 27. *cap.* 7. *num.* 129. Ubi verò debita non est dispensatio, sed potest sine injustitia negari, potest legislator imponere mulctam, vel aliquod onus. Quia cum non teneatur legem suam absolute relaxare, potest ejus obligationem in aliam commutare. Castrop. *L. c. num.* 3. Suar. *de LL. l. c.* dicens esse omnium, & supponit Sanch. *L.* 3. *de matrim. d.* 10. *num.* 9. argum. *c. licet*, *de feriis*, ubi conceditur diebus festis piscatio halecum, ita ut post factam capturam ecclesiis circumpositis & pauperibus detur ex illis congrua portio.

3. Resp. tertio. Inferior legislator in lege superioris dispensans non potest dispensare sub onere aliquo vel mulcta pecuniaria. Sanch. *de matr. l. c.* & *L.* 8. *d.* 14. *a nu.* 2. Jo. Sanch. *in select. d.* 54. *num.* 40. Castrop. *num.* 4. Neque etiam dispensandus ad talem mulctam obligari potest ex contractu;

quia, ut ait Castrop. id redolet Simoniam. Neque ex lege praecedente; cum inferior non possit legem praecedentem ad aliam materiam extendere, aut etiam de novo legem vel praeceptum imponere. Neque praesumi potest, illum a legislatore habere potestatem dispensandi in lege, prout melius ipsi videbitur absolute, vel commiscendo commutationem; alias enim praesumi posset, datam potestatem inferiori commutandi legem superioris in opus pium, quoties viderit subdito id esse conveniens. Sed id verum non est; quia committitur illi solum potestas relaxandi Legem, causa justa intercedente, non vero commutandi illam in aliam. Neque, dum ioferiores Praelati saepe dispensant in observatione festorum jejuniorum &c. imponendo aliquam mulctam pecuniariam applicandam pauperibus vel fabricae ecclesiae, signum certum est, hanc iis potestatem a superiore legislatore permissam, sed, ut ait Castrop. *num.* 5. cum Saochez, *de matr. L.* 8. *d.* 14. *num.* 2. sigoum est, illos sequi sententiam oppositam probabilem illis faventem, & jurisdictionem extendentem. Admittit haec ipsa Suar. *de LL. loc. cit.* de legibus, quae non imponunt onera subditis, sed feruntur ad vitanda aliqua inconvenientia, vel ad servandum debitum ordinem, & hinc imponi non posse mulctam pecuniariam pro remittendis denunciationibus ad matrimonium, interstitiis ad ordines, pro licentia suscipiendi Ordines ab aliquo Episcopo &c. favente his Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *sess.* 25. *cap.* 18. *sess.* 21. *cap.* 1. Neque etiam in contrarium facit, quod, cui commissa potestas dispensandi in votis, juramentis, commissa sit etiam potestas commutandi; eo quod major sit potestas dispeosandi, utpote integre deobligans quam commutandi. Nam potestas commutandi vota censetur inclusa sub potestate dispensandi in illis, tanquam minus in majore; potestas autem mutandi legem non potest includi in potestate dispensandi; quia est quid majus, majus enim est posse legem tollere, & aliam denuo imponere, quam solum absolute posse tollere legem. Commutare autem votum noo est majus, quam in eo dispeosare; quia licet commutans tollat prius votum quo ad materiam praeexistentem, subrogat materiam aliam, ad quam votum extenditur ex voluntate illius, cui facta commutatio. In commutatione autem legis tota subrogatio non est ex voluntate illius, qui erat ligatus lege, sed provenit ex voluntate legislatoris; eaque de causa majus est commutare legem, quam in ea dispensare.

QUÆSTIO CCXIV.

An clausula, ut literae dispensatoriae dilacerentur a confessario, & non reddantur oratori, necessario servanda tanquam de substantia dispensationis.

RESpond. negative. Cum dispensatio jam praecesserit istam dilacerationem, & mens solum esse videatur, ne illae literae in foro externo suffragentur dispensato; non aotem, quod non facta illa dilaceratione velit dispensationem io foro conscientiae esse nullam. Ita Sanch. *num.* 42. Pont. *num.* 19. Sal. *num.* 98. Castrop. *tract.* 3. *d.* 6. *part.* 15. *§.* 1. *num.* 8.

QUÆSTIO CCXV.

Qualiter (prout dicitur in rescripto) impedimentum dispensandum pro foro conscientiae debeat esse occultum, & non deductum ad forum contentiosam.

1. RESp. ad primum noo debere esse necessario tale, quod probari non potest. Hoc enim *occultum* non sonat, ut tenet Garc. *de benef. part.* 7. *cap.* 11. *num.* 46. Grassis *Tom.* 2. *confiteor, sub tit. de homicid. cons.* 2. *num.* 20. sed quod non est publicum, hoc est, quod non est cognitum a majore parte viciniae, in qua ad minimum sunt decem personae, ut Sanch. *L.* 2. *de matr. d.* 37. *num.* 18. & *L.* 8. *d.* 34. *num.* 55. Barbos. *part.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 39. *a n.* 24. referens quamplures. Castrop. *num.* 9.

2. Resp. ad secundum primo. Delictum deductum ad forum contentiosam non dicitur, quod Judici denunciatum, sed ex eo, quod pars sit citata a Judice. Sanch. *loc. cit.* Castrop. *num.* 10. quia a citatione incipit judicium juxta *§. fin. Institut. de poena temere litigant.* & *gl. in cap. de in jus vocand.* Quinimo ut Barbos. *part.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 39. *a num.* 29. & alii, non dicitur deductum ad forum contentiosum, quousque lis contestata, quae, ut Farin. *in pr. crim. qu.* 10. *sub num.* 35. contestatur per confessionem & negatiooem; cum eousque non detur ioter partes contentio negando & coofitendo. Et forus contentiosus idem est ac judicium, quod proprie non est ante litis contestationem. Lancell. *de attent. in praefat. num.* 7. Peregrin. *leg.* 2. *var. Rubric. de judic. num.* 54. Item forus contentiosus dicitur ex eo, quod in foro seu judicio contendatur, contendere autem io judicio idem est, ac movere litem in judicio, & lis non censetur mota in judicio, antequam fuerit contestata, ut juxta textum *c. ex parte, de verbor. signif.* Maranta *de Ordin. judic. part.* 5. *tit. & omnia fiant durante instantia num.* 64. Surdus *de alim. tit. . . . qu.* 8. *num.* 4.

3. Resp. ad secundum secundo. Si in foro contentioso, postquam ad illud delictum deductum absolutus quis est, ac proiode deductum non est cum effectu, delictum censetur occultum, & poterit dispensari. Imo per absolutionem magis manet occultum, ac si nunquam in judicium deductum fuisset. Sanch. Barbos. *LL. cit.* Castrop. *num.* 11. Quod etiam verum est, si absolutio obtenta mediis depravatis, Barbos. *num.* 33. Suar. *de cens. d.* 41. *s.* 2. *a num.* 6. Saoch. *leg.* 2. *de matrim. de* 37. *num.* 12. & *leg.* 8. *d.* 34. *num.* 57. Castrop. *loc. cit.* Sed neque limitandum cum Suar. ut non teneat, si delictum, a quo quis absolutus ob defectum plenae probatioois, fuerit tamen semipleoe probatum. Sanch. *loc. ult. cit.* Castrop. *num.* 11. quia, cum tunc absolvatur ab instantia judicii, neque potest delictum illud amplius deduci in judicium, nisi ex novis circumstaotiis superveoientibus, his non supervenientibus manet occultum.

4. Resp. ad secundum tertio. Si judicium, in quod deductum delictum, non fuerit sententia finitum; eo quod accusator per annum tacuerit, manet occultum, ita ut dispensari possit. Barbos. *num.* 34. cum Sayr. Majol. & aliis, quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit.*

5. Resp. ad secundom quarto. Si delictum ad forum contentiosum deductum, & in eo probatum & punitum fuit, posse in eo dispensari affirmant Sanch. *leg.* 2. *in Decal. cap.* 11. *num.* 21. Reginal. *leg.* 30. *prax. tract.* 2. *num.* 29. Avll. *de cens. part.* 2. *d.* 2. *dub.* 7. & *part.* 7. *d.* 10. *dub.* 7. *&c.* eo quod cesset tunc ratio, cur delicta publica & deducta ad forum contentiosum prohibentur dispensari; nimirum, ne impediatur eorum judicialis puoitio. Quod ipsum, licet ut probabile admittat Castrop. *num.* 12. in dispensatione irregularitatis, inhabilitatis, excommunicatione aliorumque impedimentorum commissa Episcopis in Trident. negat tamen de dispensationibus, quae a S. Paenitentiaria pro delictis & impedimentis occultis conceduntur. Quia ibi requiritur, ut impedimentum sit occultum; nihil autem minus occultum, quam quod nulla tergiversatione celari potest, & super quo lata ia judicio sententia. Et sic absolute & generaliter de omnibus hoc modo non occultis, quod dispensari possiot, negant, Barbos. *alleg.* 39. *num.* 35. Gutt. *qq. Can. leg.* 1. *cap.* 3. *in fine*, Suar. *de cens. d.* 41. *s.* 2. *num.* 5. Bonacin. *de cens. d.* 1. *qu.* 3. *p.* 2. *n.* 2.

QUÆSTIO CCXVI.

Qualiter observanda clausula illa, ut conjux impedimenti ignarus certior sit factus de nullitate prioris matrimonii.

RESp. Istam certiorationem faciendam probabilius non apponi pro conditione ad dispensandum, sed tantum pro instructione confessarii, qui id faciat, si videret fieri posse sine gravi suspicione delicti a latore commissi, secus, si sine ea id fieri nequit. Quin & certioratio saepe fieri non potest, quin inde graves oriantur inimicitiae inter conjuges, maxime, si impedimentum fuit ex parte foeminae. Sanch. *d.* 34. *num.* 61. Castrop. *num.* 13. qui & addit; ad summum dictam certiorationem faciendam pro restauratione matrimonii; quod tamen, ubi adest causa urgeos, restaurari posse sine notitia de nullitate matrimonii prioris, ait, esse satis probabile.

QUÆSTIO CCXVII.

Qualiter prosit potestas legitimandi prolem concessa in his dispensationibus.

RESp. Prodesse solum pro foro conscientiæ. Hinc pro solo hoc foro proles succedere potest utrique parenti, suscipere ordines, obtinere beneficium, non tamen in foro externo, ita ut si manifestetur impedimentum, beneficium, tanquam collatum inhabili, impetrari posset tanquam vacans ab alio. Castrop. *num.* 14. Ubi tamen ex parte unius conjugum bona fide fuit initum matrimonium, proles pro utroque foro legitima est, nec tunc apponitur clausula decernens legitimam esse prolem, nisi ut scrupuli tollantur, Castr. *ibidem*.

QUÆSTIO CCXVIII.

Qualiter intelligenda clausula apponi solita his dispensationibus tam pro foro interno quam externo, expediendis gratis.

RESp. Ita, ut nihil, etiam per modum recompensationis expostulari possit, ut constat ex verbis appositis & communi stylo. Castrop. *num.* 14. sed neque quid sponte oblatum acceptari. Castrop. §. 2. *nu.* 2. Quod posterius qualiter verum sit, ait, se late dicere *in tract. de simonia*, quem vide.

QUÆSTIO CCXIX.

Quæ clausulæ apponi solitæ pro foro externo, & qualiter intelligendæ.

RESp. Hæc sunt fere sequentes. Prima concernit personam, cui dispensatio committitur expedienda, qui est officialis diæcesanus. Quo nomine venire Vicarium Episcopi vel habentis jurisdictionem quasi Episcopalem, ut sunt quidam Abbates, Priores &c. ait Castrop. *l. c.* §. 2. *num.* 1. citans Riccium *in prax. decis.* 252. testantem sic declarasse Papam. Et Pont. L. 8. *c.* 21. *num.* 20. si contrahentes sint diversarum diœcesium, sufficit ordinario unius præsentari literas; quia is absolute est Ordinarius illorum, unius directe, alterius indirecte. Pont. Sanch. Castrop. *LL. cit.* Secunda continet causas ob quas expedienda dispensatio, dum ea ex causa conceditur. De his agi solet, ubi de dispensationibus pro matrimonio. Tertia modum, quo hæ clausulæ examinandæ; nempe ut opus non sit Notario & testibus juratis ad causarum allegatarum veritatem indagandam; sed sufficiat executorem quocumque modo de ea certum esse aut fieri. Castrop. *num.* 2. citatis Puotio L. 8. *c. fin. num.* 25. Paris. *vol.* 4. *cons.* 75. *num.* 55. Porro si in rescripto dicat Papa, dispensari ob aliquas causas, quæ contrahentes moverunt, ut cuperent copulari, absque eo, quod ullius in particulari causæ meminerit, censeri Pontificem tunc gratis dispensare. Neque tenetur tunc commissarius investigare causam aliquam, ut Castrop. cum Sanch. *d.* 35. *num.* 24. & mandatum illud datum officiali investigandi, an preces veritate nitantur, refertur solum ad impedimentum, nimirum ut investiget, an vere sit impedimentum, ut possit dispensare, vel apponitur solum ex stylo curiæ.

QUÆSTIO CCXX.

An ii, quibus tales dispensationes committuntur expediendæ, possint illas subdelegare.

RESp. Si personæ nominatæ fiat commissio, potest illa indagationem veritatis & examen testium delegare alteri. Abb. *in c. ult.* §. 1. *de off. deleg. num.* 7. Nav. *cons.* 6. *tit. eod.* Garc. *de benef. p.* 6. *cap.* 2. *a num.* 100. Sanch. *de matrim. L.* 8. *d.* 27. *num.* 43. Menoch. *Tom.* 1. *cons. cons.* 17. *num.* 12. Castrop. *cit.* §. 2. *num.* 4. ista enim indagatio & examen non sunt actus jurisdictionis. Non tamen potest delegare ipsam dispensationem, legitimationem prolis, absolutionem, impositionem pænitentiæ, commutationem in opera pia. Sanch. Menoch. Castrop. *LL. cit.* cum communi; quia non sunt actus jurisdictionis sed nudum ministerium, quod subdelegari nequit ex communi doctrina recepta *in c. fin. de off. de-*

leg. ut inquit Castrop. & pluribus exornat Felin. *ibid.* §. *ult. in fine, vers.* 4. Graff. *decis.* 157. *in addit. ad eam, num.* 6. & 7. *&c.* Est insuper specialis Ratio, cur prolis legitimatio subdelegari nequeat; quia nimirum est ex reservatis Principi in signum supremæ jurisdictionis. §. Si vero is, qui solummodo. Auth. quibus mod. natural. efficiant. sui. Bald. *in leg.* 1. *c. de jure aureor. annulor.* Felin. *in cap. ult. de off. deleg. num.* 4. Menoch. *loc. cit. num.* 9. Castrop. *cit. num.* 4. ubi autem reservata Principi delegantur, subdelegari non possunt. Bald. *in rubr. de off. deleg.* Menoch. Felin. *LL. cit.* & alii apud Castrop. *loc. cit.*

§. 6.

De causis reddentibus rescriptum dispensationis nullum.

QUÆSTIO CCXXI.

An invalida sit dispensatio per metum extorta.

1. RESp. primo dispensatio extorta per metum juste incussum (qualis est, dum dispensatio, causa subsistente, est debita) est valida, modo dispensans habeat absolutam voluntatem dispensandi juxta mox subjicienda: nec conqueri potest superior de tali incussione, Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 16. §. 1. *n.* 2. cum communi.

2. Resp. secundo. Neque est invalida, si extorta est per metum injuste incussum, modo habeat dictum animum. Non jure naturæ; quia metus non tollit voluntarium, sed minuit. Neque jure positivo alicubi invenitur invalidata; sed solum de absolutione ab excommunicatione sic cautum habetur, *cap. unico de his, quæ vi vel metu, in* 6. quod non licet extendere ad dispensationem tanquam quid omnino diversum. Suar. L. 6. *de LL. cap.* 21. *num.* 2. Castrop. *num.* 1. Proceditque id ipsum tam in dispensatione legis naturalis. V. gr. in dispensatione voti, juramenti &c. quam positivæ AA. iidem, & Suar. quoque *leg.* 6. *de voto, c.* 27. *n.* 27. Procedit item, etsi nulla adsit causa dispensandi respectu legislatoris dispensantis in propriis legibus; cum in iis etiam extra metum, nulla allegata causa, possit dispensare, & insuper ex parte illius sufficiens causa dispensationem honestandi sit metus injuste incussus. Castrop. *num.* 2. *in fine*. Secus est de dispensatione in legibus superioris, qui si causa nulla dispensandi cogeretur ad dispensandum, nulla foret dispensatio, quantumcunque haberet animum dispensandi. Atque ita est in quocumque dispensante in votis, juramentis; quia hæc dispensatio semper fit in lege superioris. Porro licet sufficiens fundamentum præsumendi sit passum metum injustum, non animo, sed solum verbotenus concedere dispensationem: quia tamen & alia fieri debet præsumptio, nimirum neminem alio sensu verba proferre, quam in animo habet, standum esse verbis, quamdiu de illa contraria voluntate non constat, tradit Castrop. *nu.* 3. cum gl. *in c. humanæ aures* 22. *q.* 5. ubi: *humanæ aures verba talia judicant, qualia foris sonant*.

QUÆSTIO CCXXII.

An & qualiter ob ignorantiam dispensatio redditur nulla.

1. RESp. primo in genere. Ignorantia vel error tollens voluntarium non secus dispensationem quam aliam quamcunque gratiam & rescriptum reddit nullum. Idque sive contingat error vel ignorantia ob tacitam causam, quæ cognita dispensationem impedivisset; sive ob prolatam causam falsam, *cap. ex parte, cap. si proponente cap. constitutus, cap. postulasti, de rescript. cap. quia circa, de consang. & affin. L. quod si nolim ff. de adil. edict.* Siquidem tali errore stante, Legislator non intendit dispensare, cum tamen dispensatio tota ab ejus voluntate pendeat, & in quolibet rescripto apponitur vel subintelligitur hæc conditio: si preces veritate nitantur: adeoque deficiente hac conditione, sive per suppressionem veri, sive per expressionem falsi rescriptum est initum juxta expressum textum *cap. ex parte de rescript.* ubi: *in hujusmodi literis intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: si preces veritate nitantur*. Unde licet plura rescripta dictam

conditionem non contineant expresso, censenda tamen non nisi sub hac conditione prolata; quia est conditio, quæ de jure inest; adeoque parum refert quod non exprimatur; cum non expresse necessario tamen sit subintelligenda.

2. Porro pro hujus materiæ majore intelligentia notanda sunt breviter sequentia, de quibus fusius *ad tit. de script.* Primo, magnum hoc in puncto esse discrimen inter rescripta gratiæ (qualia dicuntur, quæ dispensationem, facultatem dispensandi, collationem beneficii, aut quamcunque aliam gratiam continent) & inter rescripta Justitiæ, qualia sunt, quæ dant jurisdictionem ad lites, ut Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *part.* 16. *§.* 1. *num.* 2. cum Menoch. *leg.* 2. *centur.* 3. *cas.* 201. *num.* 1. Siquidem rescriptum gratiæ per subreptionem (hoc est, per taciturnitatem veri vel expressionem falsi obtentum) redditur ipso jure nullum, *c. fin. de filiis presbyt. in* 6. *c. postulasti c. constitutus de rescript.* quæ jura licet loquantur de materia beneficiali solita gravius & rigorosius prohiberi ad præcludendam ambitionem juxta *c. quamvis, de præb. in* 6. extenditur tamen illorum dispositio ab omnibus fere DD. ad dispensationem & quamlibet gratiam ob militantem eandem in omnibus rationem, scilicet defectum voluntatis in concedente ob expressum, quod tacendum & tacitum quod exprimendum. Ita Felin. *in c. ad audientiam il* 2. *de rescript. num.* 22. Garc. *de benef. part.* 8. *c.* 3. *in princ.* Gutt. *can. qq. l.* 2. *c.* 15. *num.* 22. Suar. *de voto l.* 6. *cap.* 27. *num.* 3. Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 21. *num.* 10. Castrop. *nu.* 1. E contra rescriptum Justitiæ per subreptionem obtentum non est ipso jure nullum, sed venit annullandum ope exceptionis, hinc quousque per illam eliditur, manet validum *c. si autem. Cod. plerumque de rescript.* ubi: secundum rescriptum impetratum per taciturnitatem primi rescripti non est nullum, sed venit cassandum; si enim esset nullum, non convalesceret data negligentia primi impetratoris. Rationem quoque hujus discriminis ex Felin. Cardin. Imol. hanc affert Castrop. quia literæ ad beneficia dant jus, literæ ad lites dant Judicem, non jus, & sic primæ sunt majoris præjudicii, adeoque facilius inficiuntur.

3. Notandum secundo. Quod si in iisdem literis contineatur rescriptum gratiæ v. g. ad dispensandum, & Justitiæ, in ordine ad valorem attendendum, quid primo concessum, ita ut si primo concessum rescriptum gratiosum, & pro illius executione detur rescriptum Justitiæ, primo vitiato, ob subreptionem, secundum esse nullum ipso jure. Felin. *in c. ad audientiam* 2. *de rescript. num.* 18. allegato *c. si super gratia, de off. deleg. in* 6. *c. constitutus, de rescript. &c.* E contra si primum rescriptum sit ad lites, & rescriptum gratiæ factum consequenter, hocque fuerit vitiatum per subreptionem, valet nihilominus utrumque, usque dum ope exceptionis elidatur; quia accessorium sequitur principale *reg. juris accessorium, de reg. juris in* 6. ita Felin. *l. c. num.* 17. 19. 21. Abb. *in c. ad audientiam, num.* 14. Sanch. *l.* 8. *d.* 21. *n.* 6. Castrop. *num.* 3.

4. Notandum tertio. Quod licet Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 4. *num.* 173. loquens de beneficiis. Menoch. *de arb. c.* 201. *num.* 155. loquens generaliter de omnibus gratiis. Garc. *de benef. l.* 8. *c.* 3. *num.* 6. & plures apud illos velint, jam dicta de rescript. solum locum habere in obtentis a Papa vel ejus Legato, & non de obtentis ab Ordinario; eo quod censeant, nullam dispensationem aliamve gratiam concessam ab Ordinario vitiari per subreptionem: melius tamen negat Sanch. *l. c. num.* 4. *& l.* 2. *in decalog. cap.* 47. *a nu.* 10. hoc posterius universaliter verum esse; eo quod negari nequeat, dispensationem ab ordinario obtentam circa votum assumendi Ordinem Sacrum, allegata falso causa incontinentiæ. Unde Castrop. *loc. cit.* censet, hanc doctrinam veram esse in materia beneficiali, ubi valor beneficii falso expressus non vitiat gratiam ab Ordinario concessam; quia in jure non cavetur, hanc qualitatem ordinario exprimendam, utpote qui supponitur notitiam omnium habere, *clem.* 2. *de off. ordinar.* Idem dicit esse in aliis, quæ Ordinarius scire tenebatur. Sic tenere ab eo impetratam absolutionem ab excommunicatione a falso allegante, se parti satisfecisse, citat pro hoc Garc. *ubi ante num.* 10. Covar. *in c. alma mater. part.* 1. *§.* 11. *num.* 14. *&c.* In reliquis vero, præcipuè dispensationibus, censet procedere prædicta tam de rescriptis ab Ordinario quam a Papa impetratis.

5. Resp. secundo in specie. Si commissa subreptio circa substantialem materiam dispensationis, certum est, eam vitiari & esse nullam. V. g. dum petitur dispensatio pro voto castitatis, & est votum religionis, petis dispensationem pro voto non fornicandi, non nubendi, cum sit votum castitatis, in quo licet includatur votum non fornicandi, non nubendi, non tamen per hoc declaratur absoluta voluntas castitatis, adeoque nec materia dispensanda. Idem est in impedimentis ad ordines & matrimonium, ut dum est impedimentum unum, & petitur dispensatio in impedimento alio, etiam graviore, dispensatio nulla est; Item si Princeps declarasset voluntatem suam non dispensandi in aliquo speciali casu, & peteretur dispensatio illius sub verbis generalibus v. g. dicendo: peto dispensari in aliquo casu, & Princeps annueret, non censetur concessa dispensatio dicti casus; cum sub generali concessione non veniant ea, quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus, juxta Reg. *in generali, de Reg. jur. in* 6. Ita Sanch. *leg.* 8. *d.* 21. *num.* 24. & *in Decalog. leg.* 4. *cap.* 47. *num.* 26. Castrop. *num.* 5. quem vide plura hujus subreptionis in substantiali materia exempla recensentem.

6. Resp. tertio, idem esse si error sit commissus circa personam, cui committitur dispensatio expedienda. V. g. dixisti te esse Diœcesis Leodiensis, cum tamen sis Diœcesis Coloniensis, & rescriptum commissum est Officiali Leodiensi, rescriptum est nullum, utpote quod expediri non potest, neque ab Officiali Leodiensi; eo quod ex errore ei concessum sit, alias non concedendum; nunquam enim Papa delegat rescripta dispensandi alteri ab Ordinario, nisi ex certa scientia. Neque ab Officiali Coloniensi Sanch. *de matrim. l. c. num.* 29. Castrop. *num.* 6. contra Pont. *de matr. leg.* 8. *cap.* 17. *num.* 43. *in fine*,

7. Resp. quarto. Si error commissus circa personam, pro qua rescriptum dispensandi concessum, distinguendum est. Si error non facit, ut dispensans putet seu intelligat, alium esse, cui concedit dispensationem, ab eo, cui revera concedit, error erit accidentalis, & non vitiabit rescriptum. Sic si erretur in nomine, ut si pro Francisco ponatur Petrus in rescripto, non vitiatur rescriptum; sive enim dispensandus vocetur Franciscus, sive Petrus, non variat conceptum dispensantis; neque is alteri ab eo, qui sibi offertur, intendit dispensationem concedere. Castrop. *num.* 6. allegans Sanch. *ubi ante, num.* 37. juxta expressam decisionem *Instit. de legat. §. si quis in nomine, L. si quis in fundi ff. de legat.* Si vero error faciat, ut dispensans intelligat, alium esse, quo cum intendit dispensare, ab eo, a quo revera dispensatio petitur; ut si propositus esset Joannes dispensanti notus & familiaris; cum tamen esset alius ab eo, nempe Paulus ei incognitus, putat Sanch. *num.* 38. validam adhuc fore dispensationem, si constaret, eodem modo concedendam fuisse Paulo incognito, si expressus fuisset; eo quod in his Princeps non debeat spectare, quis sit sibi propositus, sed quis sit, qui vere dispensationem petit, & ea eget; sicut Minister Sacramentorum, excepto matrimonio, non spectat, quis sit, cui ministrandum Sacramentum an notus vel ignotus sibi, sed intentionem dirigit ad eum, qui sibi præsens est. Negat e contra, dispensationem in hoc casu fore validam, Castrop. eo quod dispensans tantum concedit dispensationem ei, qui propositus est; nullo autem modo est ei propositus, qui eget dispensatione; licet enim procurator intenderit proponere egentem dispensatione, de facto tamen alium proposuit; siquidem ex ejus relatione dispensans cognovit esse alium. Confirmat idipsum Castrop. ex *§. si quis ex nomine Instit. de legat.* ubi: *error nominis aut prænominis legatarii non obstat legato*: notanter additur; *quando alias de persona constat*. Neque exemplum de Sacramentis obstare ait; quia ibi determinatur persona, cui ministrandum Sacramentum, per præsentiam: in præsente autem casu non determinatur; nec per petitionem; cum potius in ea erretur, neque per necessitatem; cum sint multi, qui eandem necessitatem habent, quibus tamen omnibus dispensatio illa non prodest.

QUÆSTIO CCXXIII.

An & qualiter suppressio veritatis vel expressio falsitatis circa finalem causam vitiet rescriptum dispensationis.

1. RESp. primo. Non quævis suppressio veritatis, quæ si expressa fuisset, retardasset, vel etiam omnino removisset Principem a concedenda dispensatione; neque quævis expressio falsitatis, quæ impulit Principem ad dandam dispensationem, quam, si tacita fuisset illa falsitas, forte concessurus non fuisset, reddunt rescriptum dispensationis irritum. Sed solum illorum taciturnitas, quæ a jure mandantur exprimi, & illorum falsa expressio, quibus secundum jus Princeps movetur ad concedendam dispensationem. Sanchez, *cit. d.* 21. *a num.* 10. maxime *a num.* 13. Pont. *de matrim. leg.* 8. *cap.* 17. *num.* 2. Suar. *leg.* 6. *de*

voto

voto cap. 27. *a nu.* 6. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *part.* 16. *§.* 2. *n.* 3. Garc. *de benef. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. Pars prior responsionis patet; sunt enim plura, quæ si expressa, removissent Principem a dispensando v. gr. quod dispensatus vitiosus, ejus inimicus &c. pari modo multa sunt, quæ falso expressa moverunt Principem ad dispensandum, & tamen horum suppressio vel expressio, quia non cavetur a jure, non vitiat rescriptum, ut cum commun. AA. citat. Partis alterius primum membrum ex eo probatur, quod, cum jus aliquam conditionem exprimendam requirit, illius expressionem requirit pro forma. Argum. *cap. si motu proprio de prabend. in* 6. ubi taciturnitas modici beneficii vitiat gratiam; quia a jure cavetur exprimi. Secundum membrum etiam probatur; quia si falso allegatur causa, quæ movet Principem ad rescriptum concedendum, jam illud conceditur præter voluntatem concedentis, adeoque effectum habere nequit. Ad hæc omne rescriptum hanc subintelligit conditiones: si preces veritate nitantur *cap.* 2. *de rescript.* Porro nomine *juris* hic venit non solùm jus scriptum, sed etiam stylus Principis concedentis (quia is jus facit *cap. quam gravi de crimine falsi* ac eodem modo ac jus observandus est, ut Menoch. *de arbitr. l.* 2. *centur.* 3. *cas.* 201. *numer.* 28. Mascard. *de probat. concl.* 846 *num.* 8. Sanch. *loc. cit. num.* 16. Garc. *nu.* 21.) Et licèt hic stylus non obliget extra Curiam Romanam quo ad solennitates accidentales judicii, obligat tamen quo ad qualitates in dispensationibus vel literis gratiæ aut Justitiæ exprimendas, quæ juxta stylum, unde emanarunt, veræ vel falsæ judicandæ sunt. Garc. *n.* 65. Castropal. *num.* 5. Sanch. *loc. cit.* Item nomine *juris* venit consuetudo; quia habetur pro lege *l. minime ff. de LL.* AA. citati.

2. Resp. secundo. Expressio falsi & taciturnitas veri, ut vitient rescriptum, debere esse circa causas finales proprie tales (quales sunt, quæ directe & intrinsece concernunt materiam ipsam rescripti dispensationis) & non tantum motivas seu impulsivas quales sunt, quæ extrinsece se habent & per accidens ad materiam rescripti, & occasionem illius, quibus positis vel sublatis, dispensatio eodem modo concederetur, etsi non cum ea facilitate; pro ut causam proprie finalem a motiva distinguit Castropal. *cit. §.* 3. *nu.* 1. ex Tiraq. *tr. cessante causa limit.* 1. *num.* 11. Covar. *l.* 1. *var. c.* 20. *n.* 5. quemadmodum hoc ostenditur in eleemosyna, quæ data pauperi nequam & fingenti se devotum, valida est; quæ tamen non daretur, si ejus vitia cognoscerentur; quia committitur falsitas in causa, quæ ad ipsam donationem a jure non requiritur; ita tradunt Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 22. *nu.* 18. & 32. Gutt. *can. qq. l.* 2. *c.* 15. *nu.* 19. Mandos. *ad reg.* 32. *Cancell. q.* 9. *n.* 10. Cov. Castrop. *LL. cit.*

QUÆSTIO CXXIV.

In ordine ad ea, quæ omni dispensationi generalia sunt (specialia enim dispensationi in beneficiis, matrimonio, absolutioni a censuris alibi dicenda) an in petitione dispensationis debeat fieri mentio, quod alio tempore sit petita & denegata.

RESp. non est hoc necessarium, neque ex jure, neque ex stylo, neque ex consuetudine. Quod autem Princeps negaturus esset, si sciret, seu recordaretur, se antea negasse, non obstat, quia tunc non negaret ex causa concernente dispensationem, sed ex causa dispensationi extrinseca, qualis est negasse illam quandoque: ergo tacere, negatam illam esse prius, non potest reddere dispensationem nullam, causa subsistente. Sanch. *l.* 8. *d.* 22. *num.* 14. Suar. *de LL. l.* 6. *c.* 22. *n.* 11. Pont. *l. c. c.* 17. *n.* 3. Castrop. *l. c. §.* 4. *a.* 1. contra Menoch. *de arb. cent.* 3. *c.* 203. *n.* 6. Procedit hoc ipsum, sive sit idem superior, qui prius negavit, & nunc concedit, sive inferior illo, qui negavit cum ex negatione superioris non sit inferiori negata aut restricta facultas, qui etiam antequam superior negarat, concedere poterat dispensationem. Suar. *n.* 6. Pont. *num.* 4. Castrop. *l. c.* contra Sanch. *l. c. d.* 14. *n.* 5.

QUÆSTIO CXXV.

An dispensatio sit nulla, si taceatur, aliam jam alias in ea materia concessam.

1. RESp. primo. si prior dispensatio ob aliquem defectum fuit nulla, in impetratione secundæ non est necesse facere mentionem primæ; quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum *reg.* 52. *de reg. jur. in* 6. Suar. *de LL. l.* 6. *cap.* 23. *num.* 17. Sanch. *l.* 8. *num.* 22. *n.* 21. Mascard. *de prob. conclus.* 846. *num.* 20. Castropal. *num.* 2. &c.

2. Resp. secundo. Si secunda petitur dispensatio; eo quod prima in eadem materia fuerit concessa limitatè. secundam esse subreptitiam, tenent Gloss. *in cap.* 2. *de filiis presbyt. in* 6. Molin. *de primog. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 51. Gutt *qq. can. cap.* 15. *num.* 91. Sanch. *§.* 22. *num.* 2. & 6. Argum. *cit. cap.* 2. ubi illegitimus dispensatus ad unum beneficium, si postea obtineat dispensationem ad plura, redditur hæc secunda dispensatio nulla, quia prioris dispensationis non meminit. Item *c. penult. de præscript.* ubi declaratur, subreptitium privilegium cuidam Abbati concessum recipiendi Sacramenta a quocumque Antistite; cum prius erat illi concessum recipiendi ea cum hac moderatione, si proprius Antistes noluerit ministrare. Negant e contra Castropal. *num.* 3. quia id neque ex citatis textibus, neque ex ulla ratione sumi potest, ut satis indicat Suar. *loc. cit. num.* 2. Quin & Sanchez *num.* 3. nam *in c.* 2. *de filiis presbyt.* Secunda dispensatio est nulla, non quia prioris non est facta mentio; sed quia non est facta mentio prioris defectus, nempe illegitimitatis, utpote in qua solum ad unum beneficium facta dispensatio; neque poterat plura obtinere, nisi denuo manifestaret dictum defectum, & in eo dispensaretur; uti textum illum intelligunt. Dominic. *ibid. num.* 7. Franc. *num.* 2. Covar. *l. c.* Suar. *num.* 5. &c. apud Castropal. *num.* 3. Textu vero *cap. penult.* loquitur in casu speciali, quando scilicet privilegium primum concessum est, in præjudicium tertii, cum aliqua tamen moderatione, quæ jus commune tertii conservat & retinet, ita ut, si postea ex eadem causa concedatur privilegium secundum amplians primum, & juri tertii plus derogans, necessario facienda sit mentio primi. Sic si obtinuisti dispensationem, ne solvas decimas ex agro, & postea obtineas dispensationem, ne solvas ex vinea, vel ut nullas decimas solvas, teneris facere mentionem prioris, ut hæc secunda valeat (& hic est casus *cit. cap. penult.*) quia jus commune Ecclesiæ vi prioris exemptionis læsum fuit in ea parte, qua subtrahebantur ei decimæ; & conservatum indirectè, & fortificatum in omnibus illis partibus, in quibus debitæ ei manebant decimæ, quam fortificationem non censetur cognoscere Princeps, etiamsi jus commune cognoscat. ita Suar. *num.* 7. & 10. Castrop. *num.* 4. ubi & similem casum subjicit; nimirum qui obtinentem beneficium secundum debere facere mentionem primi jam obtenti; qua plus jam per obtentionem secundi præjudicatur Ecclesiæ; cum plura beneficia pluribus obvenire possunt. Unde jam hic casus non est trahendus ad alias dispensationes, & gratias tertio non præjudicantes. Ita Castrop. *l. c.* citans Suar. *num.* 6. & 7. Pont. *num.* 6. Innoc. *in cit. c. penult. num.* 4. Felin. *num.* 2. Bald. *num.* 10. Neque dispensans argui potest levitatis & inconstantiæ concedendo secundum dispensationem latiorem prima; cum extendere primam non sit revocare primam, sed supperaddere primæ, & liberalitatem ostendere, ad quam se movere potest sine ulla levitate ob eandem rationem; quia libere in hac parte procedit.

3. Præter memoratum jam casum subjicit & alios binos Castrop. *num.* 5. & 6. in quibus dum prior dispensatio est facta limitate, illius oporteat meminisse in impetratione secundæ dispensationis. Primus, si id necessarium est ad hoc, ut Princeps intelligat qualitatem & quantitatem gratiæ adæquare causam sibi propositam; ita est, si hæc cognitio non habeatur ob suppressionem primæ dispensationis, secunda sit nulla. Suar. *l.* 6. *c.* 3. *num.* 11. Pont. *c.* 17. *num.* 8. sic si quis obtinuit dispensationem non residendi in beneficio cum perceptione fructuum per quinquennium, & illo expleto vult ex eadem causa aliud quinquennium impetrare, debet necessario meminisse prioris concessionis; tum quia causa forte non erat sufficiens nisi ad quinquennium unum; tum quia illa concessio æquivalet concessioni decennii, quam præsumitur Princeps non facturus. Felin. *in cap. penult. de præsumpt. num.* 2. & ex eo Pont. *num.* 8. Suar. *num.* 11. Sic si postquam obtinuisti dispensationem in uxoricidio ad contrahendum matrimonium, illo contracto,

com-

commiſiſti ſimile crimen, teneris primæ diſpenſationis meminiſſe, dum vis ſecundo obtinere diſpenſationem. Pont. *num.* 8. Suar. *cap.* 13. *num.* 12. Sanch. *l.* 8. *d.* 22. *num.* 20 Caſtropal. *num.* 5. Argum. *l.* 3. *C. de Epiſcop. audient.* quia diſpenſando in ſecundo homicidiu, Princeps, non facta mentiune prioris, non cognoſcit quantitatem ſecundæ gratiæ, num ſit cauſæ allegatæ proportionata; cum, licet cauſa ſit proportionata ad impetrandam Primam diſpenſationem, non tamen inde infertur, eſſe etiam proportionatam pro ſecunda; quia ſecundum crimen, eo quod ſuccedat remiſſioni primi eriminis, redditur jure ordiuario indiſpenſabile juxta *c. l.* 3. Tertium exemplum, quod quidam adducunt de obſtricto voto caſtitatis obtinente diſpenſationem ad contrahendum unicum matrimonium, & mortua uxore petente denuo diſpenſationem ad matrimonium ex eadem cauſa, nempe ob periculum incontinentiæ, quod nimirum in hoc uſu irrita ſit diſpenſatio obtenta ſine mentione prioris; eo quod Papa ſecundo diſpenſans non cognoſcat, quantam in eo voto faciat relaxationem, ut docent Suar. & Pontius, reprobat Caſtrop. *n.* 5. eo quod, quod jam ſemel, ſive quo ad unum matrimonium fecerit Papa diſpenſationem in illo voto, non impediat, quo minus ex eadem cauſa remanente non poſſit aut velit, aut difficilius velit diſpenſare ſecundo; ſed potius cogitur continuare diſpenſationem eadem illa cauſa adæquatè remanente & proportionata utrique diſpenſationi, & utramque pariter honeſtante; ſecus, ac accidit in illa diſpenſatione reſidentiæ; licèt de cetero in hoc caſu ſecundo diſpenſando ampliorem faciat relaxationem. Quod ipſum confirmat Caſtrop. alio exemplo fœminæ ob defectum dotis diſpenſatæ ſemel ad nubendum conſanguineo, quæ eo mortuo, manente hoc defectu, valide obtinet diſpenſationem nubendi alteri conſanguineo, tacita diſpenſatione priore, tam quia illa perſeverantia defectus dotis reputatur tanquam nova cauſa ſuperveniens, & honeſtans novam diſpenſationem: tum quia una harum diſpenſationum non habet connexionem cum altera.

4. Secundus caſus; ſi id neceſſarium, ut impedimentum integre cognoſcatur; quod etſi admittat Caſtrop. *num.* 6. addit tamen, rarò vel nunquam ad id neceſſarium eſſe, ut prioris diſpenſationis fiat mentio. Sic ſi illegitimo facta diſpenſatio fuit ad unum beneficium ſimplex, & is poſtea velit curatum, non videtur neceſſario facienda mentio prioris diſpenſationis; ſed prioris defectus nondum integre ſublati, citat pro hoc Pontium *num.* 17.

5. Porro extra dictos caſus non eſt facienda neceſſario mentio prioris diſpenſationis. Sic valet ſecunda diſpenſatio ſine mentione prioris impetrata ad eandem rem ad tollendum ſcrupulum vel dubium primæ. Imò valet, etiamſi petatur ad extenſionem primæ v. gr. obtinuiſti diſpenſationem irregularitatis ad ordines minores, potes, tacita illa diſpenſatione, explicata tamen irregularitate, obtinere diſpenſationem ſuper eadem irregularitate ad ordines majores, ad beneficia &c. Idemque eſt, ſi concedatur diſpenſatio in eadem lege ſecundum diverſas partes. V. gr. ſi obtinuiſti diſpenſationem hujus jejunii vel feſti, poteris, hac diſpenſatione tacita, obtinere diſpenſationem alterius jejunii vel feſti mox ſubſequentis. Vide de hoc Caſtrop. *nu.* 7.

QUÆSTIO CCXXVI.

An, ſi quis nondum uſus obtenta diſpenſatione, hac tacita, valeat alia obtenta in eadem materia.

RESp. Valere poſteriorem, & primam omnino evaneſcere, docet Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 22. *n.* 19 eo quod quis impetrans ſecundam cenſeatur renunciare primæ, & licet non vellet renunciare primæ, Papa tamen non intendat concedere ſecundam, niſi excluſa prima, in hac autem ſecunda neceſſe non ſit facere mentionem prioris; cum ea non ſit ad augendam priorem; Sed v. gr. de matrimonio diverſo, & connexionem non habente cum eo, ad quod prius fuerat diſpenſatus. E contra tenent Suar. *de LL. l.* 6. *cap.* 23. *nu.* 21. Pont. *l.* 8. *cap.* 17. *num.* 9. Caſtrop. *cit.* §. 4. *num.* 9. Caſu quo quod prima extincta non ſit, aut ejus uſus redditus impoſſibilis, ſecundam diſpenſationem fore invalidam: quia primæ reipſa non renunciat, etiam caſu quo renunciare velit; quia id ipſum non manifeſtat; ita ut Papa id intelligens eam renunciationem acceptare poſſit; adeoque jam, non facta mentione primæ, corruit ſecunda, cum Papa non cognoſcat, quantam gratiam faciat huic impetranti.

QUÆSTIO CCXXVII.

An ligatus impedimentis pluribus, debeat omnium facere mentionem, dum unius impetrat diſpenſationem.

RESp. non convenire in hoc AA. Poſſe diſpenſationem unius obtineri, tacito altero impedimento, & dein alterius, & ſic conſequenter. V. gr. obſtrictum voto caſtitatis volentem ducere conſanguineam & affinem, poſſe prius obtinere diſpenſationem a voto caſtitatis, dein diſpenſationem ducendi conſanguineam, ac denique ducendi affinem, abſque eo, quod in una harum diſpenſationum faciat mentionem aliorum impedimentorum, docent Navar. *l.* 4. *conſil. tit. de conſanguin. conſil.* 7. *num.* 2. & 3. Cævall. *qq. practic. qu.* 737. *num.* 27. Sa *v. diſpenſ. num.* 16. *&c.* eo quod unum impedimentum abſque alio manifeſtari poſſit, & cauſa tollendi illud integre cognoſci; neque contrarium ullibi in jure caveatur. E contra docent Covar. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 4. Menoch. *de arbitr. l.* 2. *centur.* 3. *caſ.* 203. *num.* 12. Sanch. *l.* 8. *d.* 23. *num.* 2. referens quamplures. Caſtrop. *cit.* §. 4. *num.* 11. vocando hanc ſententiam communem: nimirum debere in impetratione diſpenſationis ſuper uno impedimento manifeſtari reliqua, alias fore diſpenſationem invalidam. Hujus ſententiæ non eſſe rationem aliam firmam, quam quæ ex praxi & conſuetudine deducitur, & cum hæc in diſpenſationibus matrimonii clarius appareat, in illis ut probabiliorem & ſecuriorem eſſe tenendam, ait Caſtrop. *l. c.* pro congruentia tamen aliqua addi poſſe, quod impedimentum unum ex alterius conjunctione reddatur difficilius diſpenſatu, & quaſi aggravetur, dum nimirum diſpenſatio petitur & tendit ad eundem effectum, ad quem quis ex pluribus impedimentis eſt incapax, firmam tamen non eſſe hanc rationem fatetur, cum pluribus excommunicationibus ligatus abſolutionem impetrare poſſit ab una tacitis aliis, ut Gl. communiter recepta *in cap. ex parte v. reddere de offic. ordinar.* Quamvis ex iſta abſolutione unius excommunicationis non reddatur habilis ad divina, obſtantibus ceteris. Secus tamen eſſe, ſi diſpenſationes iſtæ non tenderent ad eundem finem, ait Caſtrop. *nu.* 12. Sic habens votum caſtitatis volens contrahere cum conſanguinea, poteſt prius impetrare diſpenſationem a voto caſtitatis, etiamſi animo contrahendi cum conſanguinea petatur, modo cauſa allegata non ſit ducere conſanguineam, neque ad hunc effectum ordinetur diſpenſatio; & dein impetrare diſpenſationem ſuper impedimento conſanguinitatis, nulla facta mentione diſpenſationis voti, quia diſpenſatio voti caſtitatis alium effectum habere poteſt præter matrimonium cum conſanguinea, neque ex conjunctione conſanguinitatis eſt difficilius diſpenſatu. Ita Caſtrop. *cit. nu.* 12. citans Suar. *de LL. l.* 6. *c.* 24. *n.* 5. Pont. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 24. Sanch. *l.* 8. *d.* 23. *n.* 4. Contrarium dicendum, ſive manifeſtandum votum, ſi habens votum caſtitatis prius petat diſpenſationem de conſanguinitate; quia hæc diſpenſatio ad nullum alium effectum tendit quam ut habilem reddat ad matrimonium, & ex voto caſtitatis adhuc exiſtat impeditus, hoc manifeſtare tenetur. AA. iidem.

QUÆSTIO CCXXVIII.

An in impetratione diſpenſationis ſuper impedimento aliquo facienda ſit mentio aliorum impedimentorum, quæ alia via V. gr. irritatione vel remiſſione tolli poſſunt.

RESp. negative. Cùm enim illa impedimenta irritatione tollibilia, ſint extra juriſdictionem diſpenſantis, videtur extra rem eſſe, illa ei narrare. Sanch. *nu.* 6. Pont. *num.* 23. Caſtropal. *n.* 14. Sic, ut idem, qui contraxit ſponſalia, vel votum caſtitatis emiſit ante pubertatem, & dein vult nubere conſanguineæ, opus non habet manifeſtare votum aut etiam ſponſalia; cùm hæc tolli poſſint irritatione vel remiſſione.

QUÆSTIO CCXXIX.

An in impetratione dispensationis super impedimento publico debeat facere mentionem impedimenti occulti, quod simul habet.

RESp. negative. Idque, etiamsi nulla infamia ex manifestatione nascatur. Sanch. *n.* 7. Pont. *n.* 23. Castrop. *n.* 15. eo quod id videatur nimis durum & alienum a suavi Ecclesiæ regimine, adeoque præsumatur Papa id non velle. Hinc pro istis impedimentis occultis constitutos esse Judices pœnitentiarios, quibus tam publica quam occulta impedimenta manifestanda dicunt iidem AA.

QUÆSTIO CCXXX.

An dum quis pluribus irregularitatibus obstrictus est, in dispensatione unius irregularitatis alteriusve pœnæ debeat fieri mentio alterius.

RESp. Negativè Suar. *c.* 24. *in fine*. Castrop. *nu.* 16. contra Pontium *n.* 24. eo quod id neque ex jure, neque ex stylo caveatur; neque etiam obstet, quod difficilius obtineatur dispensatin unius, si scirentur alia; cum hæc difficultas dispensationi singulorum sit extrinseca, non secus, ac habens plura crimina, & unius petens remissionem, non tenetur manifestare alia, etsi sciret ex manifestatione illorum negandum sibi remissionem istius petiti. Porro limitationem illam, quam adducit Suar. scilicet aliarum irregularitatum & pœnarum faciendam mentionem, casu quo gravitas illius, super qua petitur dispensatin, non possit sine aliis manifestatis explicari, verissimam quidem esse, ait Castrop. sed exempla ad id declarandum a Suar. adducta sibi non probari. Sic, si quis ob occisionem clerici contraxisset irregularitatem, dicit sufficere, si dicatur contracta irregularitas ob homicidium, & necesse non esse exprimere qualitatem clerici, ut vult Suar. Nav. *l.* 1. *cons. de rescrip. consil.* 18. *&c.* quia necesse sit exprimere gravitatem criminis; eo quod ista qualitas se habeat omnino per accidens ad irregulatitatem, utpote quæ non contracta ob sacrilegium, sed ob defectum lenitatis, qui in omni homicidio occurrit. Item, si quis plura commisisset homicidia, non esse necesse exprimere pluralitatem, ut vult Suar. hac ductus ratione quod etsi hæ irregularitates sint numero distinctæ, moraliter tamen faciant unam irregularitatem graviorem, aut certè una sine alias non satis explicetur. Verum præterquam, quod satis probabile sit, ut ait Castrop. quod tradunt Henriq. *l.* 12. *cap.* 10. §. 3. Sanch. *l.* 8. *d.* 14. *num.* 17. Avil. *de irregularit. dist.* 10. *dub.* 8. contracta una irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam ob novum homicidium; eo quod irregularitas sit inhabilitas per modum habitus, & aliquis ex eadem causa non possit magis aut amplius inhabilitari, sicut ex copula sæpius repetita cum consanguinea non contrahitur novum impedimentum, & opus onn est omnium illorum criminum fieri mentionem, ut Sanch. *dist.* 24. *num.* 7. Azor. 3. *part. l.* 3. *cap.* 10. *q.* 1. Garc. *p.* 8. *cap.* 3. *num.* 77. Item sicut, si quis plures ejusdem filios teneat in Baptismo una est compaternitas. Garc. *nup.* 78. Castrop. *l. c. &c.* præter hoc inquam satis una irregularitas explicari potest sine alia, sicut unum homicidium sine alio; nec unius dispensatio est cum alia annexa; neque ex pluribus illis irregularitatibus coalescit una; sed sunt distinctæ, ac si quælibet in suo subjecto distincto existeret. cur igitur, sicut remissio unius homicidii sine alia, absolutio unius excommunicationis sine alia (quam quis incurrit ob percussionem diversorum clericorum diversis vicibus patratum) ita quoque dispensatio unius irregularitatis sine alterius irregularitatis dispensatione obtineri possot?

QUÆSTIO C XXXI.

An & qualiter allegatis pluribus causis, dum una earum falsa est, corruat dispensatio.

1. RESp. primò. Si ex vera vel veris causis & una falsa integratur una sufficiens causa, corruit dispensatio; quia corruit fundamentum, quo nititur voluntas dispensantis. Covar. *l.* 1. *variar. cap.* 20. *num.* 5. Suar. *l.* 6. *de voto cap.* 27. *num.* 11. Castropal. *tract.* 3. *dist.* 6. *part.* 16. §. 5. *num.* 1.

2. Resp. secundo. Si non obstante vel non computata allegata causa falsa, alia causa, seu ceteræ causæ veræ allegatæ sint de se & secundum stylum & consuetudinem reputentur causa sufficiens ad concedendam dispensationem, hanc validam esse docent Sanch. *l.* 8. *d.* 21. *num.* 32. multis relatis. Suar. Pont. *LL. cit.* & sic habere communem senteotiam testatur Castrop. *n.* 2. Hoc tamen intelligendum videri ipse ait de causa extrinseca dispensationi, quæ per se non solet movere Principem ad dispensandum; eo quod, si causa falsa æque ac vera moveret Principem, nemo dicere possit, hic & nunc ex utraque Principem non moveri; cùm ratio non sit, cur potius ex vera quam falsa, dum utraque eodem modo ei proposita, moveatur. Si autem ex utraque motus sit, qualibet earum cessante cessabit intentio dispensantis; adeoque & dispensatio: citat Castrop. pro se Gutt. *qq. can. l.* 2. *cap.* 15. *num.* 129. & 130. neque putat dissentire Sanch. ex iis, quæ is habet *num.* 44. & 45. Porro in dubio, num causa illa falsa sit finalis, seu pertinens intrinsece ad dispensationem, an vero impulsiva & motiva, extrinseca dispensationi, præsumendam semper esse motivam extrinsecam, & non finalem intrinsecam; eo quod semper præsumptio fieri & stare debeat in favorem actus, tradunt Tiraq. *tract. causa cessante Limit.* 1. *n.* 14. & 48. Menoch. *vol.* 2. *cons.* 106. *num.* 91. Sanch. *d.* 21. *num* 20. Pont. *num.* 41. Castrop. *cit.* §. 5. *num.* 3. ubi etiam citatis Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 4. *per tot.* Sanch. *num.* 25. Quod quando dubium est, an dispeosatiu sit valida, quia dubium est, an satis probetur veritas narratorum, an causa falso allegata sit finalis, pari modo præsumendum sit, dispensationem esse validam.

QUÆSTIO CCXXXII.

An si causa probata sit falsis testibus, dispensatio sit valida.

1. RESp. primo. Si revera a parte rei causa non subsistit, dispensatio commissa Ordinario est invalida; quia fundatur in falsa præsumptione contra veritatem, quam intendit Papa. Sanch. *n.* 33. Castrop. *nu.* 4. Pont. *n.* 41.

2. Resp. secundo. Si causa reipsa sit vera, probata tamen falsis testibus; quia v. g. absque perfecta notitia jurarunt, valebit dispensatio; quia verificatur cnnditio a dispensante requisita. AA. idem.

3. Resp. tertio. Si per ignorantiam vel simplicitatem allegata est causa non subsistens, & Ordinarius dispensavit, & ex hac dispensatione solutum est matrimonium, valere matrimonium, tradit Pont. *num.* 42. Item si subreptin non sit ab eo, qui literas impetravit, sed eo ignorante, ab ejus sollicitatore causam falsam allegante, validum, & non subreptitium esse rescriptum, asserunt Socin. *cons.* 170. *in fine vol.* 2. Felin. *in c. super literis de rescript. nu.* 7. eo quod talis ignorantia faciat, ut præsumatur Papa in tali casu de plenitudine suę potestatis dispensare, & sententia data transeat tunc in rem judicatam. Verum utrumque reprobat Castrop. citans pro se Tiraq. *l. c. n.* 116. Abb. *in cap. super literis num.* 4. & 6. eo quod tale rescriptum fundetur in falsa causa; neque ad ejus valorem prosit ignorantia; sed solùm ad excusandum impetrantem a culpa, & sic decidi videatur *cit. c. super literis*, dum ibi, quod tam taciturnitas veritatis, quam expressio falsitatis, si contingat circa totum rescriptum, illud sit nullum, etiamsi per ignorantiam & simplicitatem factum sit.

QUÆSTIO CCXXXIII.

An quando subreptio commissa est in aliqua parte tantum rescripti dispensationis, totum rescriptum sit subreptitium & nullum.

4. RESp. primo. Si per ignorantiam & simplicitatem, etiam culpabilem, modo non sit nimis crassa, contigerit falsitatis expressio, vel veritatis suppressio circa causam finalem unius partis rescripti, non vitiatur tutum rescriptum, sed solum illa pars, in qua ex ignorantia processum. Castrop. *cit.* §. 5. *num.* 5. citans Gutt. *qq. can. l.* 2. *cap.* 15. *nu.* 45. Sanch. *d.* 21. *num.* 61. Garc. *de benef. p.* 8. *cap.* 3. *num.* 16. Sic, si quis impetravit rescriptum pro impedimento voti & affinitatis, & allegata est ex dicta ignorantia falsa causa pro impedimento affinitatis, vera tamen causa pro impedimento voti, valet rescriptum pro impedimenta voti, & tantum irritum est pro impedimento affinitatis. Sic rescriptum impetratum ad beneficium simplex & curatum, allegata falso ex dicta ignorantia legitima ætate pro beneficio curato, valebit

bit tantum ad beneficium ſimplex, dum pro eo habetur ſufficiens ætas.

2. Reſp. ſecundo. Si ex fraude & malitia ſubreptio commiſſa in una parte reſcripti, totum reſcriptum diſpenſationis eſt ſubreptitium. Caſtr. *n.* 6. juxta expreſſum textum *cap. ſuper literis* ubi: *in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis literis commodum conſequantur &c.* Quod autem verba illa de illa parte reſcripti, in qua fraus nulla commiſſa, intelligenda quoque ſint, ex eo patet, quod abſque eo, quo ad alteram parte in qua commiſſa falſitas, etiam ex ignorantia, nullum conſequatur commodum, juxta dicta *reſponſ. præc.* Notat tamen Caſtr. *n.* 7. citando pro hoc Garciam *ubi ante* Sanch. *n.* 71. Pont. *c.* 16. *n.* 9. partes illas reſcripti debere inter ſe habere aliquam connexionem, ordinarieque ad eundem effectum & finem; alias non vitiandam unam ex alterius ſubreptione, etiam ex fraude & malitia commiſſa, eo quod, cum pœnæ non ſint extendendæ, irritatio illius partis, in qua falſitas commiſſa non eſt, quæ ſolum fit in pœnam falſitatis commiſſæ circa alteram partem, non debeat extendi ultra caſum in jure expreſſum, in jure autem, ut conſtat ex *cit. c. ex literis* & ex *c. ſedes de reſcrip.* partes reſcripti inter ſe uniebantur, & ad eundem effectum ordinabantur. Sic reſcriptum impetratum ad beneficium primo vacaturum, ſive curatum, ſive ſimplex, tacitu defectu legitimæ ætatis ad curatum, ſufficientis tamen ad ſimplex, valet ad beneficium ſimplex, eſtu cum dolo & malitia proceſſum ſit. Caſtrop. *n.* 8. Sanch. Pont. *LL. cit.* juxta *c. ſi ro tempore de reſcr. in* 6. quia ſunt gratiæ ſeparatæ, neque una ab alia dependet. Tametſi diverſimode valere tale reſcriptum, ſi cum dolo, quam ſine dolo proceſſum, dicat Caſtr. ita ut, ſi ſine dolo proceſſum, valeat gratia ad beneficium ſimplex, etiamſi primo vacare contingat curatum; eo quod licet de rigore juris gratia illa deberet verificari in beneficio primo vacante juxta *cap. mandati de præb. in* 6. quia tamen talis illius incapax fuit ob falſitatem hac in parte ex ignorantia commiſſam, ex quadam æquitate & benigna interpretatione videatur extendenda gratia ad beneficium ſimplex, etſi hoc ſecundo vacet, argum. *c.* 2. *de renunc. in* 6. Si autem ex dolo proceſſum, & beneficium primo vacans fuit curatum, ſimplex poſt vacaturum exſpectari non poſſit.

QUÆSTIO CCXXXIV.

An igitur in caſu, quo pars reſcripti diſpenſationis carens dolo vitiatur, ob alteram partem in qua commiſſus dolus, vitietur ipſo jure.

RESp. in genere. Neque in reſcriptis gratiæ, neque in reſcriptis juſtitiæ vitiari ipſu jure, ſed quouſque vitium declaretur. Sanch. *d.* 21. *n.* 76. & 77. Caſtrop. *n.* 10. quia hæc annullatio eſt pœna, ut conſtat ex verbis *cit. cap. ſuper literis*; pœna autem, maximè quæ juri communi derogat, ut contrahatur, eget ſententia declaratoria criminis. His non obſtante, quod in *cit. cap. ſuper literis* dicatur; quod nullum commodum conſequentur. Sit autem adhuc commodum aliquod, quod tale reſcriptum ipſu jure ſit validum. Nam, ut inquit Caſtrop. id, quod carere penitus debeat effectu nullum ex eo commodum conſequi: intelligendum juxta ſubjectam materiam, ſcilicet poſtquam crimen oppoſitum & declaratum.

CAPUT NONUM.

De ceſſatione & abrogatione Legis.

QUÆSTIO CCXXXV.

Qualiter inter ſe differant ceſſatio, abrogatio, derogatio, irritatio legis.

RESp. Ceſſatio legis tametſi inducatur ab abrogatione & irritatione, accepta tamen magis ſpecifice, pro ut nullam legislatoris voluntatem reſpicit, ſeu ab ea præſcindit eſt illius non ulterior exiſtentia, ſeu eſt deſitio illius quaſi ab intrinſeco, deficiente ei nimirum materia ſeu fine intrinſeco. Abrogatio ſignificat totalem ejus caſſationem ſeu ſublationem, ſive hæc fiat per ipſummet legislatorem aut ejus ſucceſſorem, ſive per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam. Derogatio legis eſt, cum lex ex parte ſolum tollitur, quatenus legislatur unum vel alterum legis articulum mutat, vel amplius obligare non vult, aut a generali conſtitutione certos caſus ſpeciales eximit; conſtat utrumque ex *l. derogatur ff. de verbor. ſignif.* ubi: *derogatur legi, dum part detrabitur, abrogatur, dum prorſus tollitur.* Irritatio legis eſt, dum lex lata ab inferiore ſuperioris authoritate reſcinditur, ſeu irrita & nullius valoris efficitur. Vel etiam dum legi uni per aliam legem valor adimitur, & impoſterum nullius amplius efficaciæ declaratur.

QUÆSTIO CCXXXVI.

An & qualiter ceſſet lex ceſſante ejus fine ſeu cauſa finali.

RESp. Ceſſante tota cauſa finali, ob quam res præcipitur, ceſſat lex & ejus obligatio. Suar. *l.* 6. *de LL. c.* 9. *nu.* 1. *juncto n.* 10. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 16. *q.* 15. Cov. 4. *decr.* 2. *p. §.* 9. *n.* 8. Caſtrop. *tr.* 3. *d.* 5. *p.* 1. *n.* 4. cum communi. Siquidem lex in tantum poteſt obligare, in quantum a legislatore judicatur bono communi expedire: ſed hac convenientia ſeu cauſa ceſſante, ceſſat hoc legislatoris judicium, & conſequenter etiam ejus voluntas obligativa; ergo ceſſat lex, & hoc quidem abſque eo, quod neceſſe ſit, ullam deſuper legislatoris accedere declarationem, ut contra communem deſumptam ex *c. cum ceſſante de appell. c. etſi Chriſtus de jurejur. c. poſt tranſlationem de renunc.* & *ibi* Gl. *v. ceſſante &c.* requirit Soto *de Juſt. l.* 1. *q.* 7. *a.* 8. quæ ejus ſingularis ſententia, ſi vera eſt, nunquam ceſſaret lex proprie ex ceſſatione cauſæ finalis, ſed potius per abrogationem. Et certè nullibi in jure exiſtet talis lex ſuperveniens legi, cujus cauſa finalis ceſſavit, qua Princeps ſtatuit leges ſuas ſervandas eſſe, quoties ſervari poſſunt, etiamſi ceſſet earum finis adæquatus, quouſque declarationem authenticam faciat. Ergo fruſtra fingitur, vi talis legis ſeu voluntatis Principis perſeverare obligationem legis, cujus finis ceſſavit. Illud tamen notandum cum Suar. *cit. c.* 9. *in fine* & Caſtrop. *nu.* 7. ceſſare quandoque finem intrinſecum, non abſolute, ſed pro aliquo tempore, & tunc ſuſpendi ſolum illius obligationem pro illo tempore, quo lex inutilis & non conveniens judicatur. Item dum lex plura diviſibilia continet, factaque eſt reſpectu unius illorum inutilis, ceſſare illam tantum quo ad iſtam partem, niſi forte res præceptæ inſeparabiles ſunt; tunc una reddita inutili, hæc inutilitas totam legem inficit juxta illud: bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu. Adeoque regulariter lex tota ceſſabit Suar. *n.* 18. Caſtrop. *l. c.* Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p. ult. §.* 2.

QUÆSTIO CCXXXVII.

An, ut quilibet particularis facere poſſit contra legem, requiratur, ut toti communitati conſtet, ceſſaſſe finem, & non ſufficiat notitia cujuslibet.

RESp. Affirmari a Suar. *cit. c.* 9. *nu.* 12. eo quod, cum lex attingit communitatem, & ratione illius ſingulas ejus perſonas, ſinguli non poſſint prius excuſari quam tota communitas. Adeoque, etſi ſinguli habeant particularem notitiam dictæ ceſſationis, non tamen deobligantur prius, quam dicta notitia ad totam communitatem devenerit. Negat e contra Caſtrop. *l. c. num.* 8. eo quod ſingulæ perſonæ communitatis non deobligantur a lege ex eo, quod communitas cognoſcat, ceſſaſſe rationem legis; ſed ex eo, quod de facto lex ceſſarit; adeoque ſi ipſi cognoſcant eam ceſſaſſe, cognoſcant ſe deobligatos eſſe, & conſequenter, ſecluſo ſcandalo, adverſus legem procedere poſſint. Quin & ipſa communitas a puncto ceſſationis cauſæ eſt deobligata, quia lex periit, eſto, communitas ex ignorantia cenſeat ſe obligatam ſicut ante. Adeoque ex eo quod communitas ex ignorantia cenſeat ſe obligatam, non eſt inferendum, eos, qui carent illa ignorantia, obligatos eſſe. Ita Caſtrop.

QUÆ-

QUÆSTIO CCXXXVIII.

An sufficiat probabile judicium vel dubium de cessatione causæ, ut communitas possit procedere contra legem.

RESp. negativè. Castrop. *de conscient. dub. p. 7. n.* 6. citans Sanch. *in decal. l. 1. c.* 10. *n.* 34. & *de matr. l. 2. d. 41. nu.* 37. Jo. Sanch. *in select. d. 43. nu.* 8. Dum enim constat, legem extitisse, lex est in possessione suæ existentiæ; adeoque virtutis obligandi; ergo ad hoc, ut deobligetur quis ab ea, probare debet, eam periisse, seu non existere amplius. Adeoque, dum hujus desitionis causa assignatur cessatio finis, hæc cessatio finis probari debet, & non sufficit probabile judicium vel dubium de ea.

QUÆSTIO CCXXXIX.

An cessante causa finali in aliquo speciali casu circa aliquam aut alicuas personas, & perseverante universaliter circa reliquos, cesset obligatio istarum particularium personarum.

RESp. negative. Suar. *l. 6. c. 7. a num. 5. & toto c. 8.* Sanch. *de matr. l. 3. d. 3. num.* 39. Bonac. *d. 1. q. 1. p. ult. §. 2. nu.* 2. Castrop. *tr. 3. d. 5. p. 1. num.* 10. contra Cajet. *Tom. 1. opusc. tr. 12. de matr. c. 1. 17. n. 2.* Nav. *sum. c. 16. nu.* 37. Sa *v. lex* 1. Henriq. Ledesm. &c. affirmantes id de lege lata ad vitanda inconvenientia. V. g. de non latione armorum noctę ad vitandas rixas & homicidia; & è contra negantes id de lege edita de cetero ob finem aliquem bonum. Ratio nostræ responsionis generalis hæc adducitur, quod lex & generale præceptum non respiciat casus speciales, sed ea, quæ communiter contingunt *l. nam quæ raro ff. de reg. jur.* V. g. lex lata non est de non gestatione armorum ob vitandam hujus vel illius rixam, sed ob vitandas rixas communiter contingentes ex gestatione armorum. Item, quod ex contraria sententia detur occasio violandi etiam leges naturales. Sequeretur enim licitam esse fornicationem dum ea dicitur prohibita esse solum ob malam prolis educationem, ei, qui apposuisset media optima & certo sufficientissima ad rectam educationem; verum tamen Castropal. *num.* 11. profitetur, sibi placere hanc sententiam, non tamen ob rationes jam allatas; sed ideo, quia putat finem legis in nullo particulari casu cessare, si non cesset in universali, etsi cessent aliqua in illo inconvenientia, quæ lex universaliter intendebat præcavere. Cum aliud sit, cessare damnum & periculum speciale, aliud cessare periculum generale, qui erat finis legis universalis prohibendi v. g. gestationem armorum, & ob quem etiam senecionibus, infirmis, pacatissimis & minimè aptis aut pronis ad concitandas rixas delatio armorum prohibetur. Quippe lex est generalis, & omnes, qui in eam delinquere possunt debet comprehendere; adeoque nemo allegare possit, in se cessare rationem seu causam prohibitionis; quia non cessat generale periculum, sed solum speciale. De cetero data ab adversariis distinctio nullatenus admittenda est; cùm, ut bene Castr. *l. c.* & Suar. *n.* 14. utraque lex, tam quæ fertur ad inconvenientia vitanda, quam quæ fertur ad finem bonum alium, dependeat a suo fine; nec dari possit ratio, cur potius, deficiente causa unius in casu particulari, pro eo cesset una, & non cesset ob eandem rationem altera pro simili particulari casu.

QUÆSTIO CCXL.

An lex valida & utilis, manente ejus utilitate, abrogari possit etiam licite.

1. RESp. primo. Posse id fieri valide & licitè. D. Th. 1. 2. *q.* 97. *art.* 1. & supponunt Juristæ *in l. unic. C. de cad. tollend. & l. 1. & 2. de constitut. Princip. in cap. alma mater de sent. excom. in 6. in c. non debet de consang. & affin.* Et ratio est; quia obligatio legis pendet a voluntate legislatoris; adeoque, hac cessante, cessabit. Et quia pro varietate temporum aliarumque circumstantiarum res mutari possunt, ita ut lex, quæ nunc est utilis bono communi postea evadat minus utilis, & fortè magis utilis ejus abrogatio, potest honestè a legislatore suscipi dicta voluntas tollendi legem. Atque ita de facto leges multas successu temporis utiliter & honestè abrogatas & revocatas, constat tam jure civili quam canonico, prout dicitur *cit. c. non debet* ubi: *non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, præsertim, cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo &c.* & *cit. c. alma mater.* ubi: *alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subditorum utilitate postmodum consultius & rationabilius in melius commutat &c.* & *l. unic. C. de caduc. tollend.* ubi: *sicut medicus secundum tempora alterat medicinas, ita legislator leges.*

2. Resp. secundo. Abrogatio pura legis, hoc est, quæ fit sine impositione novæ legis priori contrariæ, sive quæ fit tollendo obligationem legis, & nullam aliam imponendo, etsi validè fieri possit sine ulla causa ab eo, qui legem tulit; cum tota ejus obligatio ab ejus voluntate pendeat, ut tamen fiat licitè, eget causa respiciente bonum commune. Quia abrogare legem utilem Reipubl. sine causa, vel etiam ex causa nullatenus respiciente aut conducente ad bonum commune, est abuti potestate legislativa. Procedunt hæc a fortiore de abrogatione non pura, quæ fit alia lege inducente obligationem ad actum contrarium, vel ad abstinendum ab actu per priorem legem imperato; quia constat, legem nullam de nuvo condi posse, aut validam esse, quæ pro ratione sui non habeat bonum commune. Ita leges non nisi ex gravi causa abrogandas monet Imperat. *l. 3. de const. princ.* ubi: *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.*

QUÆSTIO CCXLI.

An & quæ publicatio requiratur, ut lex censeatur abrogata, & desinat obligare.

1. RESp. primo. Abrogationem legis non puram, utpote quæ fit per novæ legis impositionem, indubitatum est, egere publicatione, & quidem tali, quali eget lex omnis, ut obliget. Siquidem lex illa nova, vi cujus abrogetur prior, & cujus effectus secundarius est dicta abrogatio, vim revocandi. seu effectum huoc producendi non habet, quousque in ratione legis constituta sit; adeoque quousque legitimè promulgata sit. Et de hac abrogatione loqui dicendi sunt Vasqu. *2. p. de LL. d.* 156. *c. 4. n.* 25. Azor. *Tom. 1. l. 5. c. 3. quæst. 7. &c.* docentes, legem semel legitimè constitutam vigere & subditos astringere, quousque ejus revocatio subditis innotescat.

2. Resp. secundò. Abrogatio pura consistens in revocatione Principis, ut deobliget, requirit quoque aliquam publicationem seu intimationem & manifestationem externam. Castrop *l. c. p. 2. §. 1. num.* 5. siquidem sola interior revocatio Principis non est conveniens debitæ gubernationi. Unde valde probabile videtur, non posse Principem voluntatem suam jam intimatam & existentem in possessione obligandi, sola interiore revocatione revocare in ordine ad producendum effectum deobligationis. Cùm actibus mere internis homines se non communicent. Ne alias simili ratione dici posset, posse fieri absolutionem a censura & dispensationem cujusvis vinculi ex sola interiore voluntate dispensatis. Ac proinde requiritur ut dicta voluntas aliquo modo subditis manifestetur. Ita Castrop. *loc. cit.* testans ita tenere Vasqu. Suarez Azor. aliosque relatos.

3. Resp. tertio. Quamvis necesse non sit, hanc publicationem esse talem, qualis requiritur ad legem, debere tamen esse ita publicam, ut facile in omnium, qui lege ligantur, notitiam devenire possit. Non enim præsumendum est, Principem aliter velle legis prioris obligationem desinere, quam qualiter id maxime rectè gubernationi conveniens est, nimirum, quousque revocatio in omnium subditorum notitiam devenire possit. Castropal. *num.* 6. Unde etiam infert, scientem legis revocationem adhuc non deobligari, quousque revocatio dicto modo fuerit publicata. Quæ tamen non video, qualiter subsistunt cum illis, quæ tradit supra *part. 1. num.* 8. ubi, quod habentes notitiam de cessatione causæ finalis legis, vi cujus deficit lex, deobligentur, antequam eadem notitia deveniat, vel etiam in proximo devenire possit ad communitatem.

QUÆSTIO CCXLII.

An, qualiter & quando lex prior abrogetur per posteriorem.

1. Resp. primò. Lex prior per novam legem seu constitutionem Principis tolli potest, etsi de ea in posteriore non fiat mentio. Est communis DD. juxta textum clarum *in c. 2. de constitut. in 6.* ubi: *licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ea mentionem non faciat, revocare noscatur.* Et ratio est, quia Princeps ferens posteriorem legem conscius erat prioris contrariæ: cum hanc ignorare non præsumatur *cap. 1. h. t. in 6.* Sed non obstante illa lege tulit contrariam; ergo voluit eam abrogare, etiamsi in posteriore non faciat ejus mentionem. Ita communiter AA. cum Gl. *in cit. cap. & in l. sed & in posteriores ff. de LL. v. nisi contraria sint.*

2. Resp. secundo. Fit dicta abrogatio legis prioris per posteriorem non nisi, quando hæc priori est contraria. Si enim non interveniat talis contrarietas, aut ea aliquo modo excusari potest, & apta textuum conciliatio reperiri, hæc adhibenda; quia legum correctio, utpote Reipubl. damnosa, vitanda est ex *l. cum expediat C. de appell. & l. 1. de inoffic. dotib. & cap. cum expediat. de elect. in 6. cap. cum dilectus de consuetud.* Proceditque idipsum ita, ut adhuc sensus correctorius vitandus, ubi conciliatio aliqua fieri potest, etiamsi in lege posteriore inserta sit clausula derogativa: *non obstante.* Tusch. *lit. C. conclus.* 1036. *a num.* 14. Barbos. *axiom.* 60. *num.* 5. Non tamen ad vitandam hanc correctionem verba legis posterioris sunt necessario improprianda, ut volunt Sanch. *de mat. l. 1. d.* 17. *num.* 6. Gutt. *pract. qq. l. 3. q. 15. nu.* 34. ad quos accedit Reiffenst. *ad h. t. num.* 494. citans Jason. *in l. per omnia num. 48. ff. de legat. gl. in l. non dubium v. amplexus Cod. de LL.* & plures alios. Cum alias nihil firmum esset in legibus. Sed tunc tantum, quando id necesse est ad evitandam aliquam iniquitatem & injustitiam, vel saltem, ne dispositio reddatur inutilis & elusoria, ut Castrop. *cit. §. 5. num.* 9. citans Abb. Felin. Decium *in cap. 1. h. t.* Bartol. *in l. omnes populi ff. de Just. & jure num.* 57. & 58. Suar. *de LL. l. 6. c. 27. nu. 11. &c.* Idemque dicendum videtur in dubio; quod & tunc ad evitandam correctionem jurium, statutorum &c. non sint in posteriore casu verba improprianda. Cujus contrarium tamen astruit Reiffenstuel. *loc. cit.* ubi, quod correctio jurium, statutorum aliarumque dispositionum in tantum sit vitanda, ut in dubio, ac nisi secus sufficienter exprimatur, ad inveniendam competentem quandam conciliationem recedendum sit a propria significatione. Quamvis enim verborum proprietas ceteroquin in dubio sit attendenda, id tamen procedit solum, quando per aliam legem non habetur interpretatio eorum. Pro quo citat Gl. *in l. 1. v. edicti ff. de exercitator. act.* Abb *in cap. ad audientiam de decim. num.* 2. Rationem quoque subdit *num.* 495. quod in dubio, ac si secus non exprimatur, præsumendum non sit, quod legislator ea, quæ magna cum maturitate statuta fuerunt, unico obscuriore verbo subvertere voluerit. Quin etiam tradit idem Author ex Abb. *in c. generum de off. delegat. nu.* 2. ad evitandam dictam correctionem jurium statutorum, si fieri potest, etiam per subauditionem sive sensum subauditum ad concordiam reduci debeant. Pro quo citat Tusch. *ubi ante n.* 3. Barbos. *n.* 1.

3. Porro doctrina hæc extendenda est, & applicanda ad statuta publica, instrumenta, testamenta, aliasque dispositiones; cum & in his quoque correctio odiosa, & pro possibili evitanda. Adeoque, quæ contraria apparent, benigna interpretatione inter se concilianda. Et ratio est, quia nemo præsumitur se incontinenti corrigere circa eandem dispositionem. Reiffenst. *n.* 493. citans Barbos. *ubi ante nu.* 7. Tusch. *concl.* 1046. Et in specie de testamentis haberi videtur *l. sancimus C. de testam.*

4. Resp. tertio. Quod si tamen lex prior fuerit firmata juramento (intellige, non tantum assertorio de præsente, sed promissorio de futuro) de non abrogando illam, nisi fiat illius expressa mentio, non præsumitur, voluisse illam per posteriorem abrogare. Sa *v. lex num.* 29. Azor. *part. 1. l. 5. cap. 16. quæst. 6.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. part. ult. §. 1.* Castropal. *num.* 8 Suar. *l. 8. cap. 14. nu.* 6. ratio est. Quia tunc non est præsumendum, Principem habuisse memoriam legis prioris juramento firmatæ; adeoque legem revocatoriam procedere ex ignorantia prioris, & consequenter non habere effectum. Castrop. *loc. cit.* Quod autem juris communis ignorantia in Principe non præsumatur generaliter solum verum est, quoties nullum sequitur incommodum, quale in præsente, nisi præsumatur ignorantia, sequitur, nempe Principum violasse juramentum de non abroganda lege priore. Dum autem duæ concurrunt præsumptiones in uno actu, illa prævalere debet, pro qua est honestas, & excludenda præsumptio delictum continens. Idem quod præsumendum sit pro valore actus; adeoque pro valore legis posterioris, ut Menoch. *de præsump. l. 6. præsump.* 4. non procedit, ut Menoch. *ibid. num.* 50. quando mens disponentis repugnat; uti etiam in præsente repugnare, ex eo clarum est, quod censendus sit non velle valere posteriorem contra juramentum non relaxatum de abroganda priore.

5. Resp. quarto. Lege posteriore generali non abrogatur lex specialis, hoc est, pro loco aliquo vel speciali aliqua materia lata, corporis juris inserta, nisi illius meminerit. Jas. *in l. sciendum nu. 2. ff. qui satisdare coguntur.* Tusch. L. L. *concl.* 259. *num.* 1. Fagn. *in cap. cum esses n.* 87. *de testam.* Castropal. *n.* 11. Abb. Bartol. Bald. Decius &c. relati a Sanch. *de matr. l. 2. d. 24. n.* 6. Ratio est, quod, ut dictum, abrogatio legis, quo ad fieri potest, est vitanda; in præsente autem vitari potest dicta abrogatio & contrarietas, affirmando, posteriorem legem universalem ferri cum illa tacita limitatione & exceptione prioris legis; adeoque credendum sit Principem voluisse, idque etiam, dum in lege nova habetur dicta clausula: *non obstante*: debet enim ea intelligi de lege contraria, quæ non possit cum præcedente sustineri per aliquam limitationem seu distinctionem. Sanch. *de matrim. l. 2. disp. 24. nu.* 6. Suar. *de LL. l. 6. cap. 27. num.* 12. Castrop. *num.* 11. *&c.* Quin & potius ex illa lege speciali lex universalis debet limitari & ei derogari. AA. citati juxta *reg. 34. jur. in 6. generi per speciem derogatur* ubi Glossa explicat: *etiam species præcedat.* Tametsi hæc regula etiam a fortiore locum habeat, dum lex generalis præcedit & specialis sequitur. Tunc enim clarum est, per posteriorem fieri limitationem aliquam legis prioris; cum per eam fiat exceptio expressa casus alicujus specialis a lege illa priori generali. Sic v. gr. leges generales de testamentis non comprehendunt testamenta ad pias causas, aut testamenta militum, aliaque testamenta privilegiata. E contra leges speciales circa testamenta privilegiata non tollunt leges generaliter latas circa testamenta, sed eas tantum distinguunt seu limitant.

6. Resp. quinto. Pari modo, & quidem a fortiore lex nova generaliter lata non tollit nec revocat leges particulares non clausas in corpore juris, seu consuetudines & statuta particularia locorum, nisi id exprimat, pro ut decisum (ut quidem addita ratione comprehendente discrimen inter leges universales seu generaliter latas pro tota communitate & leges municipales aliasque particulares locorum) *cap. 1. h. t. in 6.* ubi: quia tamen locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta, cum sint facti & in facto consistant, potest Papa probabiliter ignorare, ipsis, tum tamen sunt rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare. Porro clausulæ generales, quibus in lege appositis derogatur similibus legibus particularibus, sunt hæ: *nulla obstante consuetudine contraria*: sive: *non obstantibus quibuscunque consuetudinibus aut constitutionibus particularium locorum*: vel etiam: *non obstante quocunque statuto vel consuetudine, etiam immemoriali.* His siquidem clausulis censentur sublata omnia ac si in specie essent expressa. Layman *in cap. 1. h. t. in 6.* Gail. *l. 1. particular. observation. observat.* 18. *num.* 2.

QUÆSTIO CCXLIII.

An revocatio seu correctio legum, seu jurium recte inducatur per tacitos intellectus desumptos a contrario vel simili.

1. Resp. primo. Revocatio seu correctio jurium regulariter non est inducenda seu asserenda per tacitos seu subauditos intellectus, cum generalis regula: quod in correctoriis non fiat extensio jurium. Ita Gl. *in cap. cupientes §. quod si per viginti v. petere de elect. in 6.* his verbis: *per subauditiones & repetitiones tacitas jura revocanda non sunt, sed potius concordanda l. unic. de inofficios. dotib. & cap. cum expediat de election. in 6.* Bartol. *l. cum oporteat Cod. de bonis, quæ liberis.* Fagn. *in cap. cum dilectus num. 5. de successionib. ab intestat.* Laym. *in cap. si alicujus num. 7. de election.* & aliis plures, quos citat Reiffenstuel. *ad h. t. num.* 50. Probatur id ipsum ex *l. præcipimus C. de appell.* ubi ad revocationem & correctionem antiquorum jurium requiritur, ut contrarium in posteriore leges sit expressum his verbis: *quidquid a nostra lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutio-*

numque

numque regulis omnes relictum intelligant &c. Item ex *c. constitutio de elect. in* 6. juncta Gl. ubi; quod nos non debeamus antiqua jura dicere correcta, nisi expresse in novis juribus correcta inveniantur. Sed neque credendum, Papam constitutionem sollicite ac mature conditam bono communi utilem velle verbo uno obscuriore sine clara expressione subvertere & revocare. Argumen. *cap. in Ecclesia vestra de elect.* Hinc infero, &

2. Resp. secundo. Correctio jurium a contrario sensu induci non debet, quia argumentum a sensu contrario non fit, nisi per tacitum & conjectoralem intellectum; sed tale argumentum non valet, si inde sequatur correctio jurium. Bald. *in summario ad l. cum paterfamilias Cod. de conditionib. insertis* inquiens: *argumentum a contrario sensu non sumitur, ubi resultat pravus intellectus contra legem.*

3. Resp. tertio. Neque ex ratione similitudinis facienda in correctoriis extensio jurium, ita ut, si v. g. statutum aliquod ceteroquin legitimum corrigat jus commune in uno non censeatur illud corrigere in alio ob rationis similitudinem, quia hæc esset correctio jurium per tacitos & conjecturales intellectus contra allegata & textus citatos. *Respons.* 1. Ac ita tenent Gloss. *in Clem. v. eligatur de elect.* Jason. *in Auth. quas actiones num.* 22. *de Sacro-Sanct. Eccles. &c.* juxta quod dicitur *l. quod contra ff. de Regul. Jur.* ubi; *quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiam &c.* & quod ait Bartol. *in summar. ad leg. si vero ff. soluto matrimon. provisio legis contra jus commune non extenditur circa id, quod lex exprimit, licet eadem sit ratio.* Proinde jam regulæ illæ: quod de similibus idem sit habendum judicium *cap. inter corporalia de translat. Episcopor.* & ubi eadem est ratio, eadem debet esse juris dispositio, *L. ideo & l. non possunt ff. de LL.* juxta *L. illud ff. ad leg. Aquiliam* procedunt solum in casibus, de quibus antecedenter nihil specialiter fuerat dispositum; ac proinde ex tali extensione nulla fit juris prioris correctio ob rationem similitudinis; non vero in iis, de quibus jam ante facta fuit quædam specialis dispositio. Extenduntur hæc ipsa ita, ut dum agitur de correctione juris communis, etiam ex majoritate rationis non permittatur extentio a casu ad casum. Jas. *in cit. Auth. nu.* 17. & 21. & *in L. præterea n.* 28. *C. unde vir & mulier.*

4. Limitantur e contra primo ut solum procedant, ubi per legem ratio non exprimitur, secus, si ratio in ipsa lege habetur expressa. Gl. *in Auth. ut ii qui obligatas §.* 1. *coll.* 6. Gloss. *in clem.* 1. *de elect. v. eligatur* Anch. *in cap. canonum statuta h. t. num.* 75. citans Bartol. &c. apud Reiffenst. *h. t. num.* 507. Tunc enim alterum, cui talis identitas competit, satis intelligitur mutari ex ratione novæ legis, utpote mentem legislatoris declarante, licet ipsum verbis non exprimat. Idem dicendum, dum unica tantum ratio potest assignari pro lege corrigente, eo quod tunc ipsa ratio habeatur sufficienter expressa, tradit Jason *l. c. num.* 22. cum Gl. *in l. quamvis v. curavit de fideicommiss.* Secundo limitatur, ut in correctoriis admittatur ultra expressa in lege corrigente extensio per tacitum intellectum favorabilis, quando per eam reditur ad jus antiquum. Cum enim res de facile revertantur ad suam natu am seu statum pristinum *l. si unus §. pactis ff. de pactis* mirum non est, quod lex posterior, quæ corrigit ius, sed reducit ad terminos antiquæ legis, censeatur favorabilis, & ideo extendenda, ut tenent Gl. *in c. statutum v. numerandum de prabend. in* 6. Jason. *l. c. num.* 24. & 29. Fagn. *in cap. non amplius num.* 63. *de institutionib.* Et est casus Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de regular.* ubi dum Episcopis restituitur facultas concedendi licentia de erigendis novis monasteriis in suis diæcesibus, quæ fuerat illis ablata a Bonif. VIII. *in c. unic. de relig. domib. in* 6. hæc juris Bonifaciani correctio censetur favorabilis lateque interpretanda; quia per eam redditur ad jus commune ab antiquo competens Episcopis. Tertio ut correctio facta in uno ex æquiparatis censeatur quoque facta in alio sibi in omnibus per legem antiquam æquiparato, eo quod tunc talis extensio & interpretatio procedat ex vi juris antiqui talia inter se æquiparantis. Jason *l. c. n.* 19. & 23. Barbos. *axiom.* 14. citans quam plures, & statuens pro regula; quod æquiparatorum eadem sit dispositio etiam in pœnalibus, exorbitantibus & correctoriis. Si tamen non in omnibus, sed in uno alterove tantum casu æquiparentur, secundum hunc solum procedit extensio. Jas. *cit. n.* 19. Barbos. *l. c. num.* 4. Quarto, ut correctio facta super caso principali censeatur etiam facta super accessorio. Argum. *c. translato h. t. juncto c. si super gratia de off. deleg. in* 6. ubi enim unum sequitur ad alterum, concesso antecedente, videtur concessum consequens *l. qui proprio, & l. qui procuratorem ff. de procur.* modo tamen sint talia, ut eorum unum inseparabiliter sequatur ad alterum. Reiffenstuel. *h. t. num.* 512. citans Gammar. *Tom.* 18. *tractatuum tr. de extensionib. num.* 125. Quinto, ut lex nova corrigens in uno correlativorum censeatur extendi & corrigere quoque in altero eorum, modo militet in utroque eadem ratio; pertinetque ipsum ad sensum novæ legis, ita, ut tunc extensio talis fiat authoritate legis & juxta mentem legislatoris. Ita Jason *l. c. nu.* 23. Gammar. *n.* 119. & 120. Anchar. *in Cod. canonum statuta num.* 74. & 75. *h. t.* juxta *l. ultim. Cod. de indicta viduitate tollend.* ubi Lex Julia Miscella per novam legem correcta in fœminis, ut post mortem virorum possint nubere, non obstante conditione legis adjecta de non nubendo amplius, censetur etiam correcta in maritis. Et additur in *cit. leg.* quod illud pertinere ad sensum novæ legis non est incertum: quia maritus & uxor sunt correlativa, & quantum ad hoc punctum, eadem in utrisque militet ratio. De cetero licet correlativorum idem sit judicium eademque disciplina. Barbos. *axiom.* 61. Secus tamen quò ad præsens propositum dicendum, dum quandoque qualitas, quæ disponitur & corrigitur in uno, non competit alteri; prout contingit in illis, in quibus correlativa sibi opponuntur. Sic v. g. multa competunt marito, v. g. habere filium in potestate, administrare domum &c. quæ non competunt uxori. Sic emere & vendere sunt correlativa, & tamen statuto municipalis prohibente frumenta vendi exteris, non prohibetur, frumenta emi ab exteris, & hinc additum in limitatione: modo in utrisque militet eadem ratio. Sexto, ut fieri etiam debeat extensio in correctoriis, quando alioquin sequeretur absurdum. Jason. *l. c. num.* 24. Gammar. *num.* 137. & 139. apud Reiffenstuel. *h. t. num.* 516. vel etiam, si alias dispositio redderetur illusoria, ut Gammar. *l. c. &c.* Argum. *c. si civitas de sentent. excomm. in* 6. juncta Gl. *in clem.* 1. *v. sepelire de sepult.* Mens siquidem legislatoris non est fovere absurda, aut reddere dispositionem suam elusoriam. Denique, ut, dum agitur de salute animæ & evitando peccato, dispositio correctoria extendatur ex identitate rationis. Jason. *n.* 25. Gammar. *nu.* 138. Abb. *in c. ex tenore qui filii sint legitimi* ubi censet, quod *cap. ult. de clandest. desponsat*, non obstante, quod pœnale videatur, non sit restringendum ad solum impedimentum consanguinitatis & affinitatis, de quo expresse meminit, sed extendendum ad quodcunque impedimentum; cum per illam extensionem evitentur pericula animarum, & homines retrahantur ab illicitis contractibus matrimonii: Vide de his plura & quædam repetita supra, in *§. de interpret. legis.*

QUÆSTIO CCXLIV.

An successor & superior legislatoris possit tollere legem ab eo latam.

RESp. affirmativè, est communis. De successore quidem constat; quia nemo successori suo æquali jurisdictione pollenti magis prohibere potest abrogationem legis a se latæ, quam sibi ipsi. De superiore etiam clarum est; quia is habet jurisdictionem universaliorem. Et sic Pontifex sæpe abrogavit leges civiles; quia præjudicarunt vel bonis moribus, vel libero usui Sacramentorum, vel rectæ dispositioni causarum piarum & aliorum bonorum ecclesiasticorum; cum ob hujusmodi titulum. Papa est superior quocunque legislatore civili, ut Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 20. & *seq.* Suar. *l.* 6. *de LL. c.* 26. *n.* 3. Castrop. *tr.* 3. *d.* 5. *p.* 2. *§.* 2. *n.* 1.

QUÆSTIO CCXLV.

An & qualiter inferior abrogare possit legem superioris.

1. RESp. Nullum inferiorem posse legem canonicam vel etiam civilem superioris abrogare, sive pura derogatione, sive contrario statuto, etiam pro suo territorio, pro quo habet potestatem condendi leges; nisi fortè ab ipsomet superiore hanc potestatem habeat; quod non est præsumendum, nisi probetur. Suar. *l.* 6. *de LL. c.* 26. *a num.* 9. Castrop. *nu.* 5. contra Abb. *in c. ult. de consuetud.* Felin. *in c. quod super his de major. & obed. n.* 2. Alberic. *de statut.* 1. *p. qu.* 7. Ruch. de Corte *tr. de consuetud. §.* 3. *n.* 6. *&c.* qui id affirmant de lege civili, negant de Canonica, quorum sententiam communem dicit Castrop. Ratio responsionis est, quod, si inferior haberet de se hanc potestatem abrogandi legem superioris, non esset inferior, sed potius superior illo.

2. Neque facit in contrarium. Primo, quod legislator acceperit a populo potestatem gubernandi & jurisdictionem,

quia

quia hanc ab eo accepit non subordinatam illi; alias populus maneret superior, & superior illum renuentem non posset suis legibus constringere, quod est contra dicta alias, ubi, quod acceptatio populi non sit necessaria ad constitutionem legis. Neque secundo, quod inferior habeat potestatem dispensandi in legibus superioris, utpote pertinentem ad rectam suavemque ditionis suæ gubernationem. Nam etsi regulariter haberet hanc potestatem inferior, non tamen eam habet de se, sed a superiore, quem, ubi forte judicaret & legem communem minus utilem, vel etiam damnosam suæ provinciæ, debet consulere, & ab eo petere illius abrogationem, nisi fortè manifestè constaret, non potuisse Principem vel noluisse in illa occasione obligare, in quo tamen etiam casu non tam inferior abrogat legem, quam lex ipsa de se aut dependenter a voluntate superioris corruit. Adhæc, cum dispensationis potestas sit magis necessaria, quam abrogationis; quia frequentius occurrunt circumstantiæ exigentes dispensationem, & non derogationem; quin & dispensatio, quæ fit ad unum aut alterum casum, non ita vulneret legem quam derogatio communis, a potestate dispensandi non est arguendum ad potestatem abrogandi aut derogandi. Porro licèt inferior non possit legem superioris abrogare, potest tamen illius observantiam novis statutis ac pœnis adjuvare, absque eo, quod illa statuta contrarientur juris communis dispositioni. Castr. *n. 6. in fine* citans pro hoc Gl. communiter receptam *in Clem. ne Romani v. tolli de elect.* & Imol. *ibid. n. 28.* Covar. *4. decret. p. 2. c. 6. nu. 18. & 19.* Menoch. *de arb. l. 2. centur. 4. cas. 398. n. 46. &c.* Sic dum statuta quædam municipalia valide statuerunt, dominium teneri satisfacere pro damno a servis illato, partem pro damnis filiorum, non contrariantur juri communi, quo prohibetur ob delictum alterius puniri. Siquidem non prohibetur expresse, ne quis innocens puniatur in bonis ob delictum alterius, quando id a Republ. judicatur expedire ad bonum commune; sed solum est concessa talis punitio in personis, quæ aliquo modo fuerunt participes delicti seu damnificationis, ad hæc omisit tamen jus commune disponere pro personis, quæ delicto cooperatæ non fuerunt, adeoque statuta particularia inferiorum de his personis non contrariantur juri communi, sed potius illud coadjuvant, faciendo ut majora delicta evitentur. Sic Castrop. *l. c.*

QUÆSTIO CCXLVI.

An statuta confirmata a superiore possit illorum conditor abrogare.

1. RESP. primo negativè. Sanch. *de matr. l. 8. d. 57. n. 30.* Azor. *l. c. c. 15. q. 7.* Barbos. *de potest. Episcop. p. 2. alleg. 34. n. 7.* Bottæus *de synod. Episc. p. 2. a. 4. n. 12.* & alii passim; per illam enim confirmationem & authoritatem superioris factæ jam sunt leges ipsius juxta illud *c. si Apostolica de præb. in 6. illa nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur* & ubi Princeps confirmat, idem est, ac si ferat sententiam *l. 1. §. ed neque C. de veter. jure enucl.* Et hanc sententiam communem verissimam esse; dicunt Suar. *l. 6. c. 26. num. 24.* Castrop. *num. 8.* Sal. &c. si Princeps in confirmatione addiderit clausulam illam; ut, si quicquam contra fieret, nihil valeret, si verò illa verba non sint adjecta, distinguendum esse ajunt, ita ut, si statutum respiciat commodum statuentium, etiamsi confirmatum sit a superiore, possit abrogari a statuentibus; eo quod præsumi non debeat, velle superiorem invito beneficium conferre, & ad favorem recipiendum illum obligare, prout idipsum tradit Gl. *in c. dilecto filio, de præb. v. hujusmodi clausula*, & habetur ex *c. in c. cum accessissent h. t.* sive dein favor ille compotat per statutum contra jus commune factum & confirmatum a superiore, sive præter jus. Reiffenst. *ad h. t. n. 545.* cum generale sit, quod quis renunciare possit juri & favori suo privato juxta *c. si diligenti, de foro comp.* & authoritas seu confirmatio Principis tunc solum obtineat vim privilegii, cui quis renunciare potest. Idque verum esse, etiamsi confirmetur statutum sub clausula decreti irritantis quidquid in contrarium actum sit, tenent Fagn. *in cap. cum accessissent h. t. a num. 21.* Covar. *p. 2. de pactis §. 2. n. 13.* (ubi etiam contrarium tenentes allegat, eorumque rationes solvere conatur) quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. n. 456.* Si vero statutum confirmatum a Principe non tam sit in favorem statuentium quam aliorum, concernatque v. gr. bonum publicum aut favorem Ecclesiæ, revocari non posse statutum a statuentibus, docent Abb. *in c. cum accessissent h. t. num. 2.* & *ibi* Pelin. *num. 4.* Fagn. *num. 12.* Engels *ad h. t. num. 72.* Sanch. *in decal. l. 3. cap. 15. num. 6.* & alii, quos refert & sequitur Reiffenstuel. *num. 544.* & sic Donatus *tom. 2. prax. rerum regular. p. 2. tr. 13. q. 6. & 20.* Mirand. *tom. 2. manual. Prælator. quæst. 29. art. 8.* apud eundem Reiffenst. hinc inferunt statuta religiosorum authoritate Papæ confirmata non posse revocari ab ipsis religiosis &c. etiam capitulariter congregatis, quando ea respiciunt bonum commune religionis; secus, si principaliter concernunt favorem statuentium. Unde etiam statuta capituli confirmata per Papam non possint amplius tolli per Canonicos, quatenus concernunt favorem publicum seu cultum divinum vel utilitatem seu honorem ipsius ecclesiæ aut aliorum; quia in tali casu confirmatio superioris. V. gr. Papæ, non habet rationem privilegii, sed cujusdam mandati & decreti, dum superioris interest, jura tueri, cultum divinum promovere, & bono communi prospicere. Reiffenst. *h. c. nu. 547.* De cetero subdistinguendum idem, ita ut si seclusa confirmatione superioris statutum habeat vim obligandi, eo quod, statuti conditor habeat jurisdictionem concedendi leges & statuta possit abrogari a conditore; quia tunc regulariter solum expostulatur & conceditur confirmatio ad quandam authoritatem & specialem splendorem, qui ab hujusmodi superioris approbatione advenit statutis, & non ad specialem vim obligandi illis superaddendam ac sic docent Bald. *in leg. ex placito C. de rerum permut. a nu. 12.* Bart. *in l. omnes populi ff. de Just. & Jure num. 33.* si vero conditor statuti in bonum aliorum non habet potestatem obligandi illos, pro quibus statutum conditur, ut sunt plures communitates statuta condentes, tunc præsumendum est, confirmationem expostulari a superiore tanquam legem, quam ipsi statuentes condere non possunt, & sic a superiore concedi. Sic Suar. *nu. 25.* Sal. *d. 18. f. 5. in fine.* Castrop. *l. c.* ubi etiam ait, se tamen non negare, posse aliquando & in hoc posteriore casu peti confirmationem tantum ad majorem authoritatem & honorem, & non ad obligationis impositionem; sed solum affirmare se, non esse præsumendum, sic peti confirmationem, nisi clare constet; cum consuetudo & communis usus declaret hanc confirmationem pro obligatione sibi necessaria expostulari.

2. Resp. secundo. De cetero illud certum, quod quando ex statuto per superiorem confirmato, imo & alias legitimè facto alteri est jus quæsitum, illud sine hujus consensu non posse revocari a statuentibus, quia mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum, *reg. Jur. 33. in 6.* & nullo modo per inferiores Principe tolli potest jus quæsitum tertio *leg. ult. ff. de pactis*, sic, si statuto caveretur, ut qui venit ad habitandum in tali castro, habeat immunitatem perpetuo, & quidam venerunt, civitas nunc cupiens revocare hoc suum statutum, ne illi gaudeant immunitate, id revocare non potest in eorum præjudicium: secus respectu illorum, qui necdum accesserunt, quod exemplum adducit Barthol. *in l. omnes populi §. circa finem.*

QUÆSTIO CCXLVII.

An Capitula similesque communitates tollere possint & revocare statuta sua a capitularibus jurata.

1. RESP. primo. Potest Capitulum, seu Canonici capitulariter congregati (idem est de alia simili communitate) tollere statutum a se juratum, juramento cadente super abolitione ipsius, etsi illicite, si id faciant sine causa, quia actus gestus contra juramentum regulariter tenet, etsi attentans sit perjurus, ut Abb. *in c. dilecto, de præb.* Jo. Andr. *in reg. quod semel, de reg. jur. in 6.* Reiffenst. *h. t. num. 537.* non secus ac legislator, qui juravit, se non velle revocare legem a se conditam, potest eam revocare, etsi sit perjurus, si id faciat sine causa. Quin etiam poterit id licite ob bonum commune & favorem publicum. Abb. *loc. cit.* Sanch. *in decal. lib. 3. cap. 15. num. 5.* videtur enim ille casus boni communis id exigentis exceptus in omni juramento, ne illud sit vinculum iniquitatis & impietatis erga totam communitatem.

2. Resp. secundo potest etiam tollere statutum juramento cadente super observatione statutorum Capituli a se factorum; hoc enim est juramentum personale singulorum, quod velint observare statuta capituli, quæ exstant; non autem jurarunt in hoc casu, quod nolint unquam tollere statuta; cum hoc non pertineat ad singulos, sed ad totam communitatem seu capitulum; adeoque, non obstante tali juramento singulorum de observatione statutorum existentium, capitulum retinet integram facultatem revocandi seu tollendi statuta, si novis emergentibus causis id expedire judicaverint. Quibus sic per capitulum sublatis cessat etiam per consequens juramentum singulorum, quo jurarunt in observationem statutorum extantium. Porro pro

per-

perpetuitate statutorum conservanda hoc medium ex Abb. *in c. dilecte de prab.* suggerit Reiffenst. *n.* 539. ut singuli jurent servare contenta in statuto, non habita ratione de statuto (diversa enim sunt jurare observare contenta in statuto, & observare statutum constans) vel ut jurent collegialiter sive ut universitas quædam, quod nec collegialiter velint contravenire contentis in statuto.

QUÆSTIO CCXLVIII.

An & qualiter Episcopus aut Archiepiscopus possit abrogare constitutiones factas in Synodo diœcesana.

1. RESp. probabilius videtur posse Episcopum, inconsulta Synodo diæcesana, constitutiones Synodales abrogare, si id expedire judicaverit. Azor. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 3. Sanch. *de mat. d.* 17. *n.* 33. Barbos. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 34. *n.* 3. qui omnes docent, Episcopum dispensare valide sine causa in constitutionibus Synodalibus, utpote a se solo factis, clericis, Parochis &c. in Synodo congregatis non habentibus suffragium decisivum, ut vult Imol. *in c. grave n.* 22. *de prab. in fine.* sed pure consultivum (ut satis indicare videtur, quod solus Episcopus absque ulla clericorum mentione subscribat constitutionibus) seu præbentibus solum consilium ad illas faciendas, non ex necessitate, sed ex utilitate & convenientia. Unde bene infert Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 10. posse quoque Episcopum tales constitutiones abrogare, utpote a sola sua voluntate pendentes.

2. Neque his obstat primo, quod Episcopus sit pars Synodi. Nam simul est caput & superior illius, habens jurisdictionem legislativam & correctivam; adeoque non talem, qualem habet Decanus respectu Capituli, quippe, qui habet solum potestatem congregandi Capitulum, proponendi & resolvendi, quod a majore parte fuit decisum. Neque secundo, quod arctetur constitutionibus Synodalibus, ut docent Rodriq. *tom.* 1. *sum. c.* 237. *n.* 1. Gallego *de cognat. spir. c.* 21. *n.* 58. Medin. Vega &c. apud Castrop. *n.* 9. Nam illis aliter non arctatur, quam suis constitutionibus a se factis, nempe ex aliqua decentia tantum. Neque tertio, quod constitutiones illæ fiant saltem de consensu clericorum ibi præsentium; quæ autem fiunt de consensu alterius, sine consensu illius revocari non possunt; quia jam ex ipso transeunt in contractum, ut docent Bartol. *in l. omnes populi n.* 29. *ff. de Inst. & Iure* Felin. *in c.* 1. *h.* 1. *n.* 19. Alex. Barbatius &c. apud Castrop. *cit. n.* 9. Nam ex eo non sequitur, Episcopum non posse, saltem sine consensu illorum illas constitutiones revocare; cum statutum factum de consensu aliquorum non transeat in contractum, dum consensus ille non expostulatur ut necessarius, & quando consentientes non tribuunt aliquid statuenti, ut contingit in præsente; dum dicti clerici habent se ad summum ut consiliarii Principis, illumque in ferenda lege instruunt; a quibus tamen Princeps neque in ferenda, neque in abroganda dependet.

QUÆSTIO CCXLIX.

Qualiter a Papa derogetur decretis Concilii generalis.

1. RESp. primo. Decretis his posse derogare Pontificem, constat ex eo, quod Concilium generale non sit supra Pontificem, adeoque ei manus ligare non possit, damnata ab Alexand. 8. Dec. 1690. inter alias propositiones hæc. *futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus resolvendis infallibilitate;* quia & ex eo, quod, ut decreta Conciliorum generalium obligantia totam Ecclesiam habeant authoritatem, egeant confirmatione Pontificis, utpote a quo omne suum robur accipiunt.

2. Resp. secundo. His decretis non derogari a Papa, nisi facta eorum expressa mentione his aut similibus verbis: *non obstante quacunque lege, etiam in concilio generali edita:* ita ut sola clausula generalis derogatoria non sufficiat, cum communiore tenent Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 26. *n.* 7. Barb. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 33. *n.* 24. Zerol. *in pr. Episc. v. absolutio* §. *dico quarto.* Quin etiam, dum Concilium generale est novissimum, uti nunc est Tridentinum, non sufficere generalem derogationem cujuscumque Concilii generalis; sed requiri expressam mentionem illius novissimi Concilii, tenent Sanch. *l. c.* Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 26. *n.* 3. Vivald. *Candelab. p.* 2. *c.* 12. *n.* 22. Laym. *in c.* 1. *h. t. n.* 8. Ratio horum AA. est, quod decreta Concilii generalis maxima maturitate condita videantur continere tacitam clausulam derogatoriam omnium posteriorum constitutionum illis contrariarum, nisi de iis specialem mentionem faciant; dum ea, quæ habentur *in c. ecclesia vestra de elect. neque enim credendum est, Romanum Pontificem (qui jura tuetur) quod alias excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse:* vel maxime locum habeat in decretis Conciliorum, utpote multo sollicitius & deliberatius conceptis; dicatque insuper Papa *in c. ex parte de capell. Monachor. cum id obvios Concilio Lateranensi, de quo nulla mentio est in literis ante dictis, Fraternitati tua breviter respondemus, quod hujusmodi literas ab Apostolica sede non credimus emanasse; quod si per occupationem forte emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto* &c. Item *in c. nonnulli de rescrip.* (quod editum est in Concilio generali Lateranensi sub Innoc. III.) expresse declaretur, literas Apostolicas eidem non præjudicare, nisi expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

3. Verum licet id de literis Apostolicis seu rescriptis, quod per clausulas generales in iis contentas non derogetur statutis Conciliorum generalium, utpote quæ habeant tacite dictam clausulam derogatoriam secuturorum rescriptorum, ut Felin. *in c. nonnulli de rescrips.* & pro ut manifeste probant textus illi citati, cum Barbos. Sanch. aliisque *LL. cit.* admittant Fagn. *in cit. c. nonnulli a n.* 28. Card. de Luca *disc.* 1. *annot. ad Trid. n.* 12. appellans hanc sententiam indubitatam. Negant tamen id primo de constitutionibus Pontificiis, nempe, quod non derogent prioribus decretis Concilii generalis sibi directe contrariis, licet in ipsis non fiat mentio expresse seu derogatio Concilii generalis, cum Gl. *in c.* 1. *h. t. v. noscatur. ibidem.* Archid. Jo. Monach. Gemin. Felin. quos citat & sequitur Fagn. *in c. nonnulli de rescrip. n.* 2. Reiffenst. *ad h. t. n.* 525. &c. desumpta ratione ex *c.* 1. *h.* 1. *in* 6. ubi generaliter decernitur, quod Romanus Pontifex, condendo posteriorem constitutionem noscatur revocare priorem, quamvis de hoc mentionem non faciat; cum omnia jura in Scrinio pectoris habere noscatur; adeoque multo magis decreta Conciliorum generalium.

4. Negant secundo, quod decretis Conciliorum generalium sequentium non possit derogare decretis Conciliorum generalium priorum sine horum facta mentione expressa. Fagn. *l. c. a n.* 31. Pirh. *ad h.* 1. *n.* 136. Reiffenst. *n.* 523. &c. moti hac ratione, quod utrorumque Conciliorum decreta pari industria ac consilio facta noscantur; unde licet habeant tacite clausulam derogatoriam rescriptorum emanandorum; decreta tamen priorum Conciliorum non habeant illam respectu decretorum Conciliorum secuturorum. Item ex praxi & stylo Concilii Tridentini quod antiquioribus Conciliis non consuevit derogare nominatim, seu facta expressa eorum mentione, dum interdum contra illa ex justis & de novo emergentibus causis aliqua statuenda duxerit, pro ut constat *ex Sess.* 23. *c.* 12. *de reform & Sess.* 24. *c.* 2. & prout ex professo & singulatim ostendit Fagn. *l. c. n.* 42. Dant quoque hi AA hoc in puncto disparitatem inter rescripta, & decreta conciliaria, uti & constitutiones & leges Pontificias, quod hæ & illa ferantur pro tota communitate summa cum maturitate prævioque magno consilio promulgantur; non autem semper pari sollicitudine rescripta ab eorum multitudinem, quæque ob petentium importunitatem quandoque contra jus obtinentur, diriguntur ad particulares personas, & directe tendunt in favorem privatorum.

QUÆSTIO CCL.

Num ad derogandum decretis Concilii Tridentini requiratur specialis hujus Concilii mentio?

RESp. tametsi AA. citati *in respons.* 2. *ad quæst. præced.* teneant, esse faciendam expressam mentionem Concilii generalis, dum est novissimum; id tamen in Tridentino locum non habere, sed ejus decreta venire sub generalibus derogationibus v. g. hac: *non obstantibus constitutionibus Apostolicis & aliis,* similibus tenent Barbos. *cit. alleg.* 33. *num.* 24. citans præter Bonac. Martham & alios decis. Rotæ *in una pensionis S. Angeli* 16. *Dec.* 1594. *coram Card. Pamphil.* & aliam in *Boniens. coram Manzanedo.* Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 6. *num.* 120. Cardin. de Luca *disc.* 1. *ad Trident. num.* 14. & *disc.* 46. *de benef. num.* 13. Ratio horum hæc datur, quod in ipso Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 21. fiat expressa in omnibus præservatio sedis Apostolicæ, propter quam præservationem expressam ait Fagn. *in c. nonnullo de concess. prab. num.* 80. non solere, neque oportere specialiter derogare huic Concilio; sed satis esse, quod Papa disponat contrarium ejus, modo supplicatio signata sit manu Papæ,

prout expresse declaravit in *motu suo proprio* Pius V. 23. *Decemb.* 1570. emanato, quem verbotenus refert Garc. *de benef. p. 4. c. 3. a n. 32.* & sæpe censuit S. Congregat. Trid. interpretum. Fuitque declaratum in Cancellaria Apostolica per Abbreviatores, & decidit Rota in *cit. decis. pens. S. Angeli.* prout hæc refert Reiffenst. *h. t. n.* 531. & pluribus declarationibus Cardinalium firmat Donat. *Tom. 1. prax rerum regular. tr. 4. n. 4.* Ac denique id ipsum teste Cardin. de Luca *l. c.* ita statutum a Pio IV. in constitutione hujus Concilii confirmatoria, liquetque ex recepto sensu Curiæ.

TITULUS TERTIUS.

DE RESCRIPTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Natura, varietate & impetratione & præsentatione Rescriptorum.

QUÆSTIO CCLI.

Quid nomine Rescriptorum veniat,

RESp. Rescriptum sic dictum a rescribendo, non quia iterato cribitur; sed quia respondetur in scripto; siquidem est quasi responsum scriptum ad petitionem alterius Lotter. *de re benef. lib. 2. quæst. 1. num.* 32. Generalissime tamen sumptum comprehendit omnes responsiones ad petitionem verbo vel scripto factas literis mandatas. Quo sensu etiam literæ privatorum responsoriæ rescripta dici possunt Pirh. *ad h. tit. num.* 1. ex Gregor. Tholos. *ad h. tit. num.* 4. Hoc vero loco sumitur pro eo epistolarum genere, quibus Princeps supplicantibus, referentibus aut consulentibus respondet. Unde & plurium capitulorum Juris Canonici, potissimum ex istiusmodi epistolis seu rescriptis compilati hæc sunt initia. *consuluisti, consuluit, insinuante, insinuatum est, significasti, postulasti. &c.*

QUÆSTIO CCLII.

Qualiter Rescriptum sic stricte acceptum definiri possit.

RESp. dici potest. Quod sit responsum a Principe datum in scriptis, ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem. Abb. *ad Rub. h. t. num.* 2.

Dicitur primo *responsum* quia datur ad alterius petitionem vel interrogationem, per quod differt ab Epistola decretali, quod hæc non detur semper ad alicujus consultationem aut petitionem; adeoque minus late patet quam Epistola decretalis. Differt quoque a motu proprio, quæ est epistola decretalis Papæ, cui hæc clausula: *motu proprio*: est inserta. Quæ tamen etiam quandoque conceditur, tametsi impetrans pro rescripto sollicitarit. *c. si motu de præbendis in 6.* dum nimirum Princeps non tam ad petitionem impetrantis, quam propria sua liberalitate & ex mera gratia movetur ad concedendum. Dicitur secundo: *datur a Principe.* Ubi nomine Principum veniunt summus Pontifex, Imperator, Reges aliique Principes superiorem in terris non recognoscentes. Nam & horum epistolis decretalibus nomen rescripti tribuitur. *l. 1. ff. de appell.* ubi; *quæsitum est, an adversus rescriptum Principis provocari possit.* Dum interim aliorum v. g. Episcoporum literæ vix unquam rescripta dicantur; sed potius literæ commissionis, absolutionis, dispensationis, collationis &c. & rescriptum in odiosis simpliciter prolatum supponit pro rescripto Papæ. Laym. *in c. 1. h. t. in 6. n. 4.*

Dicitur tertio: *datum in scriptis*; per quod rescriptum differt a vivæ vocis oraculo, quod est concessio seu gratia cuipiam oretenus facta sive motu proprio Principis, sive ad instantiam partis, etsi dein in scriptum redigatur.

Dicitur quarto. *datum ad alterius consultationem, relationem vel supplicationem*; quia his tribus de causis conceduntur rescripta, maxime pontificia. Quamvis de cetero & motu proprio, & ad nullius instantiam emanata mandata & indulta inter rescripta numerentur ab Hostiens. *in sum. h. tit. num.* 5. qualia tamen indulta seu privilegia non numerari inter rescripta, ait Pirhing. *h. tit. num.* 2. cum Rebuff. *in pr. benef. part. 2. tit. de clausul mandator. num.* 12.

QUÆSTIO CCLIII.

In quo rescriptum distinguatur a privilegio & beneficio.

1. RESp. ad primum. Rescriptum tanquam latius patens distinguitur a privilegio; cum omne privilegium & beneficium in scriptis obtentum, maxime ad instantiam alicujus, est rescriptum; non autem omne rescriptum est privilegium. Siquidem privilegium conceditur ad agendum vel non agendum contra jus commune, quasi lex privata, & in favorem alicujus data; rescripta vero plura emanant secundum jus commune, seu ad juris communis observantiam. Ut dum per literas a Principe committitur potestas cognoscendi causam aliquam inter partes controversam; vel dum respondet ad dubia juris sibi proposita, & decidit, quid in re aliqua secundum leges & canones faciendum, ac proinde talia rescripta non gratiam, uti privilegia, sed justitiam continent, constituuntque jus, ut paulo post dicetur; dum interim privilegia non tam jus constituunt, quam a jure eximunt. Quin etiam rescripta gratiæ a privilegiis in hoc distinguuntur, quod rescripta hæc sæpe pro unico solo actu conceduntur, ut contingit in rescriptis dispensationis alicujus impedimenti canonici & inhabilitatis. Privilegium autem facultatem ad plures actus concedat; cum concedatur per modum legis privatæ ad operandum ordinarie ac stabiliter contra jus commune Suar. *l. 8. de LL. c. 2. n* 9. Item rescriptum gratiæ sæpe est alicujus gratiæ ad factum, non quo ad jus, hoc est, alicujus gratiæ, quæ consistit in facto esse, seu quæ uno actu, completur, ut contingit in rescriptis concedentibus beneficia, officia, dignitates. Privilegium autem proprie est facultas de aliqua gratia, quæ non absorbetur unico actu, sed relinquit facultatem exercendi actiones plures juri communi contrarias, vel saltem ab eo distinctas. Ita Castrop. *num. 3 d. 4. p. 1. n.* 5.

Resp. ad secundum. Pari modo distinguitur rescriptum a beneficio concesso per literas, nisi quod beneficium generalius quid sit quam privilegium. Et licet latius loquendo, appellatione beneficii veniat quandoque etiam privilegium, & e contra. Sperell. *decis. 21. fori eccles. num.* 21. stricte tamen loquendo; beneficium distinguitur a privilegio, quod privilegium proprie acceptum conceditur contra jus, & beneficium conceditur præter jus. Gl. *ad rubr. h. tit. in* 6. & hinc latissime interpretandum *c. olim tibi de verb. significat.*

QUÆSTIO CCLIV.

Qualiter rescriptum distinguatur a mandato dato in scriptis.

RESp. tanquam genus a specie. Mandatum cui generatim acceptum dici potest omne illud rescriptum, per quod Princeps mandat aut præcipit aliquid. Strictius autem acceptum mandatum Apostolicum dici solent literæ, quibus Papa mandat alicui provideri de beneficio Ecclesiastico, ut constat ex *cap. mandatum cap. Abbatem h. tit. cap. si capitulo de concess.*

conceff. præb. in 6. quæ literæ & alio nomine vocantur mandatum de providendo. Rebuff. *in pr. benef. §. de mandat. Apostol. nu. 2.* Jam vero non per omne rescriptum mandatur proprie aliquid, multo minus mandatur alicui provideri de beneficio. Quamvis loquendo minus proprie dici possit per omne rescriptum mandari aliquid vel fieri, vel dari, vel permitti. Ut Reiffenstuel. *ad h. t. n. 20.*

QUÆSTIO CCLV.

Quotuplicia sint rescripta.

1. RESP. primo. Alia sunt generalia, quæ concernunt omnes Principis rescribentis subditos. Alia specialia, quæ certas solum personas, vel ad certas causas & negotia, certum locum vel tempus sunt data. Sylv. *v. rescriptum q. 1.* Pirh. *h. t. num. 3.*

2. Secundo alia sunt perpetua, quæ nullum vel indeterminatum tempus habent. Quo etiam pertinent rescripta personalia, quæ ad vitam hominis conceduntur. Alia temporalia, quæ certum & determinatum tempus præfixum habent. Tholos. *h. t. c. 2. n. 14.*

3. Tertio Rescripta alia sunt contra legem, quæ conceduntur contra communes juris regulas, qualia sunt, quæ privilegia & dispensationes continent. Neque hæc rejicienda è numero rescriptorum propter textum *L. rescripta C. de precib. Imper. offer. & can. rescripta 25. qu. 5.* Ubi: *Rescripta contra jus elicita ab omnibus Judicibus refutari præcipimus; nisi forte aliquid est, quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat;* Nam ea procedunt, quando aliunde non apparet de contraria Principis voluntate, de qua, si constat, valet rescriptum, etiam contra jus, & speciali nomine dicitur privilegium. De qua voluntate satis constare censetur, dum Princeps interrogatus dat secundam jussionem. *Auth. ut nulli judicium §. & hoc vero Collat. 9.* vel dum rescriptum continet clausulam derogatoriam legis, saltem generalem, quæ sufficit in rescriptis, ut Felinus *in c. nonnulli h. t. n. 10.* Nisi forte jus commune habeat clausulam derogatoriam, vel det certam formam rescriptis impetrandis. In dubio vero, num Princeps voluerit tale rescriptum contra jus concedere, præsumendum, illum ob multitudinem negotiorum fuisse circumventum, ait Gl. *h. tit. in 6. v. noscatur*, & Fagn. *in c. causam quæ h. t. num. 5.* apud Reiffenstuel *ad h. 1. n. 25.* Alia præter legem, quæ dantur circa ea, quæ jure decisa non sunt, ac proinde nec sunt contra, neque secundum jus. Ut sunt literæ beneficiales, quibus supplicanti gratiose aliquid conceditur, quod neque est secundum neque contra jus. Quod proprie dicitur beneficium Principis. Alia secundum jus, quæ dantur ad juris observantiam. Ut dum Princeps rescribit de jure consulentibus, aut delegat judices, qui inter partes litigantes justitiam administrent, litesque dirimant, & hæc posteriora sunt magis proprie ac stricte rescripta.

4. Quarto & quidem celebriore divisione dividuntur rescripta in rescripta gratiæ & justitiæ, sive ad lites, & ut quidam adduat, mixta. Rescripta Justitiæ sunt, quæ dantur ad delegationem & decisionem causarum, sive ad jus dicendum, & justitiam administrandam inter partes, vel ad explicandum & declarandum jus dubium. Rescripta gratiæ sunt, quæ ex gratia & liberalitate Principis procedunt, seu conceduntur ad obtinendam aliquam gratiam seu beneficium. Tholos. *l. c. num. 15.* Rescriptorum gratiæ alia sunt beneficialia, quæ versantur circa beneficia ecclesiastica, nimirum eorum collationes, resignationes, aliasque de iis dispositiones faciendas. Vocanturque alia nomine literæ beneficiales, mandata Apostolica de providendo, gratiæ exspectativæ. Multiplicique forma expediri solent, ut videre est apud Azorius *p. 2. l. 6. c. 33. qu. 1. & 5.* & Pirh. *ad tit. de præb. num. 234. & seq.* de quorum aliquibus paulo post, quæ etiam cum rescriptis justitiæ in eo convenire, ait Pirh. *ad h. tit. nu. 4.* quod intelligantur concedi secundum jus commune, nisi aliud exprimatur. Et quibus in jure civili correspondent ea, quæ per Imperatores conceduntur ad dignitates & administrationes civiles. De quibus *l. si qua beneficia & l. seq. C. de diversis rescript.* Alia circa jus operandi non solum præter legem, sed etiam contra legem. Et hæc comprehendunt privilegia tam stricte & proprie talia, nimirum, quæ ut dictum, dantur ad operandum stabiliter contra jus commune, quam minus proprie & stricte talia, nimirum quæ conceduntur ad unum actum tantum exercendum contra jus commune, v. gr. impedito impedimento canonico ad contrahendum matrimonium, suscipiendos ordines &c. Mixta rescripta ex eo dicuntur, quod gratiam & Justitiam contineant, quale rescriptum est, quo Papa alicui confert vel conferri mandat beneficium ecclesiasticum, simulque ad hunc effectum suum constituit executorem, collata in eum potestate compellendi resistentes seu opponentes sese huic executioni. Quatenus enim in eo providetur aut provideri mandatur, Rescriptum tale est gratiosum; quatenus vero executori conceditur jurisdictio, vi cujus actualem beneficii, aut in ejus possessionem inductionem malitiose impedientes opportunis remediis coercere possit, continet seu sapit justitiam. Gemm. *cons. 65. num. 24.* Tusch. *lit. R. concl. 209. num. 7.* Pirh. *h. tit. num. 4.* Reiffenst. *num. 31.* Wiestner. *num. 5.* De cetero rescriptorum beneficialium quædam dicuntur justitiæ (quæ quoque dicuntur *in forma pauperum* vel *in forma communi* vel *secundum Apostolum*) quibus Papa mandat Ordinario, ut alicui clerico pauperi, sive ei, qui ab Episcopo sine beneficio vel patrimonio ordinatus est contra Canones, conferat beneficium vacans vel proxime vacaturum. Adeoque sic dictæ literæ justitiæ non ex eo, quod sint ad lites, aut quod Papa iis rescribat ex obligatione (cum id faciat omnino liberaliter) sed quod æquum justumque sit, Clerico pauperi ad ordines promoto conferri beneficium *c. cum secundum de præb.* ne alias cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum quæstum exercere cogatur contra Trident. *sess. 21. c. 2. de reform.* adeoque ad distinctionem earum literarum beneficialium, quæ gratiæ dicuntur ex eo, quod etiam pro Clericis non egentibus e curia Romana emanent. Jo. And. & Abb. *in c. postulasti nos. 3.* Laym. *ibid. num. 1.* Wiestner. *ad h. t. n. 9.* De cetero in dubio, an rescriptum sit gratiæ an justitiæ, præsumendum esse, quod sit justitiæ, & quod asserens, illud gratiosum esse, id probare debeat, asserunt iidem Gemm. *num. 23.* Tusch. *num. 1.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *num. 23.*

5. Quinto. Rescripta gratiæ beneficialia seu literæ beneficiales alia sunt *in forma gratiosa*, quibus nimirum expeditis cum filis rubri aut crocei coloris Papa Romæ confert beneficium alicui, quem dignum supponit, adjuncta bulla executoria, seu mandato ad deputatos executores, ut provisus in possessionem mittatur, compescendo contradictores, qui de facto contradicunt, non tamen eos, qui de jure contendere volunt; de horum enim causa executores prius cognoscere debent. Et quidem in eadem Bullæ gratiosæ membrana, si a Camera Apostolica expediatur, secus, si in separata membrana cum chordis cannabinis, si a Cancellaria expediatur. Alia sunt, seu conceduntur *in forma dignum*: quibus etsi impetranti quandoque tribuatur jus ad beneficium, de eo tamen Romæ non fit provisio, sed ea facienda remittitur ad Ordinarium cum mandato, ut, si præmisso examine dignus reperiatur supplicans, seu is, pro quo scribitur, ei conferatur beneficium, & in ejus possessionem mittatur, possessore quolibet, alio amoto. Wiestn. *ad h. t. num. 11.* citans Paris. *de resign. l. 8. q. 7. n. 109. & 137.* Garc. *de benef. c. 2. num. 2.* Laym. *in c. dilectus de præb. num. 1.*

6. Sexto. Rescripta seu mandata Apostolica beneficialia litem super beneficio motam supponentia, alia *si alteri*, alia *si neutri*, alia *si nulli*, vocantur ab insertis clausulis. *Si alteri* dicuntur, dum super beneficio litigantium unus litis mentione facta a Papa impetrat literas, ut sibi conferatur sub conditione, seu in eventum, quo constiterit, alteri sibi collitiganti jus in beneficio quæsitum non fuisse. *Si neutri.* Dum duobus collitigantibus super beneficio, tertius aliquis, vel etiam collitigantium alter, litis mentione facta, sibi beneficium conferri impetrat sub conditione; si neutri in beneficio jus quæsitum fuisse declaretur. *Si nulli.* Dum ex collitigantibus pluribus, eorum unus vel tertius aliquis impetrat beneficium in casum, quo nulli eorum jus in illud competierit. Unde jam etiam talia rescripta seu literæ beneficiales impetratæ tanquam super litigioso sunt irritæ, ubi beneficium non fuit litigiosum, vel etiam, ubi litigantium aliquem, aut etiam alium in eo jus habuisse per sententiam declaratum fuerit, nulli, vel neutri, vel alteri, seu nemini jus in beneficio competivisse. Ita Azor. *p. 2. l. 6. c. 32. qu. 5.* Wiestner. *ad h. t.* citans Honor. *ad Rubr. de præb. p. 5. n num. 7.*

QUÆSTIO CCLVI.

Quænam rescripta & quare dicantur Brevia?

RESp. ea, quæ continent concessiones Apostolicas, paucis verbis conclusas, habentque expressum in cera rubra sigillum Papæ, quod annulus piscatoris vocatur propter insculptam ei imaginem S. Petri ex navi jacientis rete, cum subscriptione: *sub annulo piscatoris*. Tholos. *l. c. c.* 36. *n.* 2. ad distinctionem Bullarum, quæ sunt literæ Apostolicæ sigillo plumbeo munitæ, quibus Pontificum decreta continentur. Quamvis etiam quandoque per Bullas intelligant aliqui diplomata seu literas Magistratuum patentes sigillo publico sui Principis munitas. Crim. *ad l.* 1. *decret. n.* 1354. ad distinctionem quoque Patentium, quæ sunt literæ apertæ non continentes sigillum, clausulam seu ligaturam talem, sine cujus læsione aperiri & legi possunt. Castrop. *de benef. p.* 23. §. 4. *n.* 2. Chokier, *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 21. *n.* 30. Istiusmodi compendiosa rescripta primitus solum ad negotia justitiæ expediebantur; modo tamen etiam ad gratias concedendas. V. g. dum in iis conceditur religioso facultas testandi, habitandi extra monasterium &c. Tholos. *l. c.* Wiestner. *ad h. t. num.* 7.

QUÆSTIO CCLVII.

Quinam impetrare possint Rescriptum?

RESp. Supplicare Principi, & ab eo impetrare rescriptum, potest quilibet, sive actor, sive reus, qui expresse & specialiter non prohibetur a jure impetrare illud. Host. *in sum. h. t. num.* 3. Pirh. *h. t. n.* 6. cum communi juxta vulgatum axioma: *concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur*: quod procedit im materia communiter non prohibita, qualis est hæc: Gl. *in c. inter corporalia. v. non invenitur, de translat. Episcop.* ac proinde ei non opponitur alterum receptum pariter, & in *cit. c. inter corporal.* allegatum axioma: *prohibitum intelligitur, quod non reperitur concessum*: quia procedit in materia regulariter & communiter prohibita. Abb. *in cit. cap. inter corp. num.* 21. ubi enim generaliter quid prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. *Clem. exivi. §. porro de verb. signif.* Gl. *in c.* 1. *de suppl. negl. Prælator. in* 6. *v. concessum*. Unde etiam, ut occasione horum notat Reiffenstuel. *h. t. num.* 35. edictum aliud est prohibitorium, quod editur in materia communiter permissa, sed in certis casibus prohibita. Argum. *l. mutus ff. de procurat.* Aliud permissorium, quod editur in materia de se ac regulariter prohibita, in certis tamen casibus permissa.

QUÆSTIO CCLVIII.

Quinam in jure prohibeantur impetrare rescriptum.

RESp. sequentes. Primo servi seu mancipia proprie dicta jure civili regulariter impediuntur supplicare Principi & tam pro se quam pro alio impetrare rescriptum, *l.* 1. *C. de precib. Imperat. offer.* Dixi regulariter. Secus enim est, ubi agitur de Domini nece vindicanda *cit. l.* 1. vel ubi atrocissimæ sunt causæ; ut si Dominus in servos sæviret, vel ad impudicitiam & turpem violationem compelleret, *l. si dominus ff. de his, qui sui vel alieni jur. sunt*. Hostiens. *in sum. h. t. n.* 4. Sylv. *v. rescriptum. qu.* 2. Pirh. *l. c.* De cetero, licet servus regulariter non admittatur ad supplicandum Principi; ubi tamen admissus fuit, valet rescriptum ab eo impetratum pro alio, *L. universi. C. de precibus Imper. off.* Item impetratum pro se, modo Princeps sciverit conditionem ejus servilem. Reiffenstuel. *n.* 37. cum Gl. *in cit. l. universi, v. vel servo*. Secundo hæreticus jure civili prohibetur impetrare rescriptum Imperatorium juxta *l.* 2. *C. de Sum. Trinitat.* uti & jure canonico rescriptum Pontificium, quatenus juxta *c. excommunicamus, de hæretic. aliisque*. Ipso jure est excommunicatus. Tertio excommunicatus, *c. cum dilectus h. t. c.* 1. *h. t. in* 6. Siquidem hæretici & excommunicati incapaces sunt beneficii ecclesiastici, *c. postulasti de cler. excom. c. quicumque, §. hæretici de hæret. in* 6. & in judicio agere non possunt, *c. intelleximus, de Judic.* & *c. decernimus de sent. excom. in* 6. Quartus falsus & revocatus procurator, *c. ex parte* 33. *h. t.*

QUÆSTIO CCLIX.

Qualiter hæc ipsa de excommunicato sint restringenda & extendenda.

1. RESp. ad primum restringenda sunt primo, ut allegata jura procedant tantum de excommunicato excommunicatione majore, *c. a nobis de except. c. pia eodem in* 6. Gl. *in c.* 1. *h. t. in* 6. *v. ab excommunicato*, excommunicatio siquidem minor privat sola participatione Sacramentorum, juxta *c. si celebrat. de cler. excom.* adeoque non impedit impetrationem rescripti. Secundo, ut intelligantur de rescriptis Pontificiis; pro his enim solis nomen rescripti simpliciter & absolute prolatum supponit in ecclesiasticis. Reiffenst. *n.* 40. Et licet titulus, *de Rescriptis*, exstans in jure canonico simpliciter inscribatur de Rescriptis, satis tamen ex fine & decursu colligitur, Papam solum, vel saltem præcipue, in eo intendisse statuere de Rescriptis ecclesiasticis & Pontificiis. Pirh. *ad h. t. n.* 10. Non autem intelligenda de Rescriptis Imperatorum aliorumque Principum sæcularium. Siquidem jura illa denegantia excommunicato impetrationem rescripti sunt odiosa; adeoque restringenda potius quam extendenda. Nav. *cons.* 44. *n.* 4. & 6. *de sent. exc.* Pirh. *l. c.* Laym. *in c.* 1. *h. t. in* 6. *n.* 4. Reiff. *l. c.* citans insuper Suar. Tertio, ut non extendantur ad excommunicatum sub conditione pendente. Barbos. *in cit. c.* 1. *n.* 26. & 27. Pirh. *h. t. num.* 3. Quarto, ut excommunicatus possit impetrare rescriptum in causa excommunicationis & appellationis *cit. c. h. t.* & *ibi*. Gl. ne alioquin destituatur mediis necessariis ad justam defensionem, quæ, cum sit juris naturalis, nemini negari debet. Gl. *cit.* Sic itaque, cum excommunicatus possit appellare ab injusta sui excommunicatione & quocunque alio gravamine sibi injuste illato in causa excommunicationis a Judice a quo; potest etiam a Pontifice obtinere rescriptum, ut vel excommunicator illum ab excommunicatione absolvat, vel ut, eo non parente, per Judices deputatos, prævia causæ cognitione, mandatum Apostolicum detur executioni, *c. ab excommunicatio, h. t.* Item, cum excommunicatus possit stare in judicio ut reus, seu conveniri super aliquo, quodcunque illud sit *c. intelligimus, de Judic.* adeoque etiam alia quæ ad jus suum obtinendum ei sunt necessaria ei concessa censeantur, si super suis exceptionibus, aut super articulis causæ pendentis non audiatur coram judice ordinario, potest impetrare rescriptum delegationis Pirh. *n.* 9. citans Franc. *in cit. c.* 1. *num.* 12. aliudve super articulis appellationis. Cum cui conceditur principale, puta appellare, etiam accessorium, puta impetrare desuper rescriptum, concessum intelligatur. Reiffenstuel. *num.* 44. cum Gl. fin. *in cit. c. intelleximus*. Illud tamem hic notandum cum Barbos. *in cit. c.* 1. *h. t. in* 6. *num.* 25. & Pirh. *cit. num.* 9. quod licet excommunicatus post interpositam legitimam appellationem possit impetrare rescriptum pendente causa appellationis; interim tamen non possit eo uti tanquam actor. Porro quod dictum hic de appellatione, quod ea interposita possit impetrare rescriptum a Principe, id quoque intelligendum de recursu seu relatione ad Principem per modum simplicis querelæ, quæ est facilior appellatione.

2. Resp. ad secundum. Extendenda sunt primo ad excommunicatos etiam occultos, & ideo non vitandos vi *Extrav. ad evitanda*, cum jura loquuntur indistinctè de excommunicato. Abb. *in c. ult. de procur. n.* 11. Reiffenst. *n.* 42. Sylv. *v. rescriptum qu.* 2. Suar. *de cens. d.* 17. *sect.* 1. *n.* 4. Laym. *in cit. c.* 1. *n.* 5. Barbos. *in cit. cap.* 1. *h. t. in* 6. *n.* 3. Pirh. *h. t. num.* 8. Wiestner. *n.* 19. &c. contra Nav. *l.* 5. *cons.* 44. *n.* 8. & Crimer. *n.* 1362. qui contrarium censet esse probabilius ac remittit ad *l.* 5. *tit.* 39. Limitationem tamen etiam hujus vide ad calcem *hujus Quæst.* Siquidem hoc in odium excommunicati statutum, cui per *Extrav. ad evitanda* nullus favor est factus, utpote qua Concilium Constantiense solum consulere voluit innocentibus, ne hi excommunicando facile cum excommunicato censuram incurrent. Sylv. *v. excommunicatio* 5. *num.* 7. & 8. Covar. *in c. alma mater* Fagn. *in c. quod a prædecessore: de Schismat. n.* 74. Pirh. *cit. num.* 8. juxta quod in *lit. Bulla* Martinus V. *ad finem* protestatur, quod per hoc non intendat excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. Sed de hoc paulo post plura. Secundo, ita ut excommunicatus inhabilis sit ad impetrandum rescriptum per procuratorem. Argum. *cap. fin. de procur.* Abbas *ibidem num.* 11. Joan. Andr. *ibidem* &c. Anchar. *in cit. cap.* 1. *h. tit. in* 6. *col. fin. qu.* 7. *de excep.* Barbos. *in cit.* 1. *num.* 10. Pirhing. *num.* 8. Reiffenstuel *num.* 42. adducens simile de Episcopo excommunicato, qui negotia diæcesis non possit exercere per procuratorem vel vicarium

suum

suum generalem. *c. 3. d. off. vicar. in 6.* quamvis Crimer *num.* 1302. dicat, ex textu *c. fin. de procur.* deduci, hæc non ita definite intelligenda, sed tantum, ubi in mandato procuratorio excommunicati sont expressi vel scienter admissi, quando procurator constitutus est universitatis. Tertio ut impetrare quoque rescriptum nequeat pro alio etiam non excommunicato. Laym. *in cit. c. ult. de procur. n. 1.* Pirh. *l. c.* citans Barbos. *in cit. c. 1. n.* 10. Felin. &c. Argum. *c. decernimus de sent. excom. n. 6.*

QUÆSTIO CCLX.

An rescriptum impetratum ab excommunicato sit ipso jure nullum, an vero solum ope exceptionis, ita ut valeant gesta vi talis rescripti, si nemo contra illud excipiat.

1. RESp. est nullum ipso jure citra omnem exceptionem una cum processu inde formato, non solum in foro externo, sed & interno conscientiæ, ante omnem sententiam Judicis condemnatoriam & declaratoriam. Ita ut excommunicatus etiam occultus illo in conscientia uti nequeat. Sylv. *v. rescriptum q. 2.* Suar. Pirh. *LL. cit.* contra Nav. *l. c.* excommunicatio siquidem secum trahit executionem *c. pastoralis de appell.* & leges, quæ privativum effectum habent, aut simpliciter inhabilitatem ad aliquem actum inducunt, statim sine ulla sententia obligant & effectum suum habent. AA. iidem. Unde jam etiam ex stylo Curiæ Romanæ ad cautelam certiusque consequendum effectum rescripti solet in plerisque rescriptis pontificiis præmitti absolutio a censuris, sive notoriis sive occultis, vi cujus absolutionis rescripto insertæ, etiam, dum postmodum constitit, impetratorem fuisse tempore impetrationis excommunicatum, etiam in foro externo non poterit impugnari. Neque his obstat textus *c. 1. de except. in 6.* (quod est posterius *c. 1. h. t. in 6.*) ubi dicitur, quod si excommunicatus agat in judicio, & per exceptionem adversarii, vel ex officio Judicis non repellatur, sententia & omnia acta sint valida. Nam *cap.* illud *1. de except.* procedit, dum actor tempore impetrationis rescripti fuit excommunicatus, & agit coram Ordinario; tunc enim reo non excipiente valet processus. *Cap.* vero *1. h. t.* procedit, quando actor vi rescripti obtenti in excommunicatione agit coram delegato. Pirh. *n.* 7. Reiffenst. *n.* 47. qui etiam hujus diversitatis hanc assignat rationem; quod excommunicatus agens coram ordinario, agat coram eo, qui jam antecedenter habebat suam jurisdictionem; adeoque hæc non incipiat ab actore excommunicato impetrante rescriptum justitiæ; ac ideo valeat processus coram eo factus ab excommunicato, nisi de actoris excommunicatione excipiatur. E contra Judex delegatus seu datus per rescriptum ab excommunicato impetratum ante non habebat jurisdictionem respectu talis causæ; sed eam primo acquirit per tale rescriptum. Unde, si hoc rescriptum, utpote impetratum ab excommunicato, est vitiosum & nullius roboris, mirum non est, quod processus inde coram eo, utpote nullam habente jurisdictionem institutus ipso jure sit nullus.

2. Extenditur responsio primo. Ita ut rescriptum sit & maneat irritum, dum absolutio ab excommunicatione supervenit prius post impetratum rescriptum. Abb. *in c. prudentiam de off. deleg. n.* 10. Barbos. *in c. 1. h. t. in 6. n.* 16. citans Rebuff. &c. His non obstante *cit. c. prudentiam* ubi quod actor, quem reus probat excommunicatum prius sit absolvendus, & tunc audiendus. Quia ibi sermo est de eo, qui post obtentum rescriptum papale incidit in excommunicationem; quod nimirum, ut stare possit in judicio & agere, non obstante exceptione suæ excommunicationis, prius sit absolvendus ab excommunicatione; non autem est sermo de eo, qui tempore impetrationis fuit excommunicatus, quasi impetratum ab eo rescriptum per subsequentem absolutionem possit revalidari. Ita cum Gl. *in cit. c. prudentiam v. vinculum.* Abb. *n.* 10. Reiffenst. *ad h. t. n.* 55. citans Pirh. *ad tit. de off. deleg. n.* 85. Secundo, ita ut rescriptum impetratum ab excommunicato in causa individua simul cum excommunicato, ex parte utriusque sit irritum, in causa vero dividua seu separabili, si impetratum a non excommunicato simul cum excommunicato ignoranter, quia nescivit illum excommunicatum, valet ex parte non excommunicati tantum. Si tamen etiam a non excommunicato sciente alterum esse excommunicatum, ex parte utriusque est invalidum. Pirh. *ad h. t. n.* 8. cum Barbos. *in cit. c. 1. num.* 4. rationem hujus dans; quod utile per inutile non vitietur, si ab invicem separari possunt; secus, si non possunt. *Reg. Jur.* 27. *in 6.* & *ibi* Gl. Tertio extenditur non tantum ad omne rescriptum Justitiæ seu ad lites, sive in judicio petitorio, sive possessorio, sed etiam ad omnia rescripta gratiæ, privilegii, dispensationis, & ad beneficia ecclesiastica, præsertim quia rescripta gratiæ facilius annullantur, quam rescripta justitiæ, & regula generalis sit, quod nullæ literæ impetratæ ab excommunicato valeant præter eas, quæ jure excipiuntur. Ita Suar. *de censur. d. 13. s. 1. num.* 12. Franc. *in cap. 1. de except. num* 3. Pirh. *ad h. t. num.* 8. Crimer. *num.* 1362.

3. Limitatur è contra responsio primo. Ita ut valeat rescriptum, quod obtinuit excommunicatus a Pontifice sciente illum excommunicatum, eo quod Papa scienter rescribens excommunicato, censetur cum illo dispensare (intellige, tametsi expresse rescripto non inserit absolutionem) Zoes. *ad h. t. n.* 11. juxta *l. quantam ff. de re judic.* siquidem superior potens tollere impedimentum, conferendo alicui munus, ad quod scit inhabilem, non censetur velle illi illudere. Secundo, ita ut non procedat in rescriptis Imperatorum, Regum, aliorumque Principum sæcularium Suar. *l. c. dist.* 17. *s. 1. n.* 3. Laym. *in c. 1. h. t. in 6. n.* 4. Pirh. *n.* 10. contra Nav. *cit. cons. 44. n.* 2. & Barbos. *in cit. c. 1. num.* 8. eo quod constitutio irritans rescripta impetrata ab excommunicato sit odiosa, adeoque restringenda potius juxta dicta supra. Insuper sit dispar ratio quo ad hoc inter rescripta papalia & sæcularia; cum, si rescripta sæcularia propterea essent irrita ipso jure, illud sequatur incommodum, quod Princeps sæcularis concedens rescriptum excommunicato, non posset illum reddere habilem ad effectum rescripti; quia non potest illum absolvere ab excommunicatione. Pirh. *l. c.* Tertio neque etiam in rescriptis ecclesiasticis concessis ab Episcopo aliove Ordinario inferiore Papa. Suar. *l. c.* Nav. *cit. cons. 44. de sent. excom.* Pirh. *n.* 10. Hinc etiam in rescriptis Episcoporum aliorumque Ordinariorum non solet præmitti absolutio ab excommunicatione. Et ratio est, quod rescriptum simpliciter prolatum, ut dictum, non supponat nisi pro rescripto Papæ. Laym. *in c. 1. h. t. in 6. num.* 4. vel etiam, ut Pirh. non comprehendit nisi rescriptum Principis, qui superiorem non agnoscit. Disparitatem quoque hac in parte inter impetrationem rescriptorum Papalium & aliorum Prælatorum ecclesiasticorum ex eo petit Pirh. quod concessa a Papa tanquam pluribus intento facilius ob subreptionem reddantur irrita, quam obtenta ab inferiore minus occupato. Quarto ut rescriptum & vi illius factus processus etiam coram delegato valeat, si impetrans tempore impetrationis rescripti, non fuit excommunicatus. Pirh. *l. c.* Restringenda denique, ut si excommunicatus occultus vi talis rescripti nulliter impetrati, populo communiter ejus inhabilitatem ignorante, ageret quædam ratione officii publici. V. g. Judicis delegati, acta ab eo valeant, jure (nimirum in *l. Barbarius ff. de off. Pretores.*) supplente ejus defectum. Suar. *cit. s. 1. n.* 4. Laym. *in c. 1. de except. in 6. n.* 3. Wiestner. *ad h. t. n.* 18. Crimer. *num.* 1359.

QUÆSTIO CCLXI.

An quis impetrare possit rescriptum gratiæ seu literas ad obtinenda beneficia ecclesiastica, dispensationis aliaque hujusmodi pro alio capace sine hujus speciali mandato.

RESp. affirmative. Nav. *l. 1. cons 4. h. t.* Suar. *l. 6. de LL. c. 13. a n. 6.* Felin. *in c. nonnulli h. 1. n.* 45. Laym. *ibid. §. sunt & alii n.* 5. & DD. communiter cum Gl. *in cit. c. nonnulli v. sine speciali* & juxta *l. universis C. de precib. Imper. offer.* Potest enim Princeps hujusmodi gratias motu proprio, & nemine petente conferre etiam absenti & ignoranti. *c. accedens. de præb. c. si tibi absenti eod. in 6.* ergo etiam ad petitionem alterius pro alio, a quo mandatum petendi non habet. Quamvis huic ante acceptationem & consensum illius non acquiratur jus in re, impetratumque pro eo gratiam, etsi sit persona conjuncta, illam acceptare nequeat nomine illius sine ejus speciali mandato; cum acceptatio & consensus sit actus personalis, qui fieri debet ab eo, cui gratia conceditur. *c. si tibi absenti* qui tamen consensus ex post suppleri potest per ratihabitionem acceptionis factæ ab alio. His non obstante textu. *c. innotuit. de elect.* quia ibi non fuit denegata dispensatio, quia petita sine speciali mandato ejus, pro quo petebatur; sed negata dispensatio & confirmatio electionis factæ de illegitime nato sine interposita postulatione. Suar. *l. c. n.* 6. Laym. *in cit. c. innotuit in fine* Pirh. *h. t. num.* 14.

QUÆSTIO CCLXII.

An impetrare quis possit rescriptum Justitiæ seu ad lites pro alio sine ejus speciali mandato, & num tales literæ sint irritæ ipso jure.

1. RESp. ad primum negative juxta textum *c. nonnulli & c. ex parte h. t.* ubi id expresse vetatur.

2. Resp. ad secundum tales literas nullius esse roboris & irritas, ut expresse dicitur in memoratis testibus, & in primo quidem; quod si quis sine speciali domini seu agentis principalis commissione super aliqua causa sive quæstione literas a sede Apostolica impetrare præsumpserit, eæ non valeant, & impetrans tanquam falsarius puniatur. Quod tamen ultimum intelligendum, non quod vere falsarius sit; cum literas non falsificaverit; sed quia proinde ac falsarius puniendus, quamvis pœna mitiore & arbitraria, & cum Abb. *in cit. c. nonnulli §. sunt & alii n. 7.* Pirh. *n. 11.* In altero vero: *quod Apostolica litera, quas sine speciali mandato domini quis impetrat, valere non debeant.* Ratio responsionis hujus est, quod rescripta ad lites sint odiosa; cum præbeant causam litigandi, & cedere possint in alterius præjudicium; adeoque potius restringenda.

3. Resp. ad tertium. Sunt irritæ ipso jure, etiamsi reus contra illas nihil excipiat. Butrio *in c. nonnulli §. sunt & alii n. 18.* Imol. *n. 4.* Bald. *n. 2.* Pirh. *ad h. t. n. 12.* Zoesius *n. 55.* contra aliquos, qui cum Gl. *in cit. c. v. speciali.* id negant propter verba: *non valeant, valere non debent*: quæ, cum videantur habere significationem futuri temporis, indicant, ad irritationem talis rescripti opus esse exceptione. Cum enim carens mandato alterius sit incapax ad impetrandum illo rescriptum, hoc ei collatum manente ea incapacitate propter impotentiam agendi ad illud & illud recipiendi, erit omnino, adeoque & ipso jure nullum. Unde jam etiam tale rescriptum ex post a principali, pro quo impetratum est, nequit ratificari. Laym. *in cit. §. sunt & alii n. 3.* Pirh. *cit. n. 12.* juxta *Reg. Iur. 29. ff. de Reg. Iur. quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* His non obstante, quod quisque ratum habere possit, quod suo nomine gestum est *l. licet. ff. de Iudic. c. 2. de pactis.* & quod alias ratihabitio fictione juris retrotrahatur & mandato æquiparetur. *Reg. Iur. 10. in 6.* Et hinc etiam gesta per falsum procuratorem in judicio ex post ratificari possint a Domino. *l. cum minor. §. falsus ff. rem ratam haberi.* Gl. *in cit. c. ex parte h. t. v. procurator.* Abb. *ibid. num. 8.* Quia hæc procedunt, dum actus præcise ex defectu consensus illius, unius nomine gestus, est irritus, eo quod, cum consensus hic in ejus favorem requiratur, potest ab eo suppleri, ut contingit in pactis & contractibus. *c. 2. de pactis.* non vero procedunt, dum actus aliquis est irritus propter bonum publicum & ob defectum jurisdictionis & potestatis. Hinc enim cognitio & decisio causæ facta a Judice non proprio; adeoque carente jurisdictione ita est irrita, ut a Judice proprio habente jurisdictionem ad cognoscendam talem ratificari nequeat, etsi ab initio ab illo isti alteri ista cognitio delegari & committi poterat. Gl. *in cit. c. licet v. traducta.* Bartol. *ibid. m.* Idem est de actis nomine alterius a servo vel pupillo, qui in judicio stare non possunt, ob defectum judicii, quod eadem rata haberi nequeant. Pirh. *n. 12.*

QUÆSTIO CCLXIII.

An & quales datæ responsiones patiantur exceptiones.

1. RESp. sequentes. Primo excipiuntur personæ conjunctæ, puta, sanguine, affinitate, amicitia, ut sunt liberi, parentes, fratres, affines, liberti, a quibus de jure exigi non debet mandatum. *c. nonnulli ex parte h. t.* aliæque, quæ erga eos, pro quibus agunt, bene affectæ; ita ut Judicis arbitrio sine fraudis suspicione ad agendum pro illis in judicio admitti posse videantur. Pirh. *n. 13.* cum Abb. *in cit. §. sunt & alii n. 10.* ubi nominatas jam personas ait enumeratas exempli tantum loco; exempla autem non excludunt alia similia; hæ enim personæ sicut sine speciali mandato agere possunt pro sibi conjunctis in judicio, modo caveant de rato, sive principalem ratum habiturum, quod ab iis actum fuerit. *l. sed & hæ personæ ff. de procur.* ita & pro illis rescripta obtinere possunt *cit. c. nonnulli & c. ex parte h. t.* & Argum. *l. sed & hæ personæ.* Gl. *in cit. c. ex parte v. personæ.* Quin etiam, recedendo aliquantum a juris rigore, & spectando hodiernam consuetudinem & stylum Curiæ Romanæ, possunt etiam pro personis externis, seu non conjunctis dicto modo impetrari rescripta; neque amplius admitti solet exceptio defectus mandati. Nav. *cons. 4. de rescrips. n. 9.* Felin. *in c. cum inter. de except. n. 7.* Gonz. *ad reg. 8. Canc. gl. 63. n. 56.* Pirh. *h. t. n. 13.* &c. Idque præcipue locum habere, quando istiusmodi rescripta habent insertam clausulam: *ex certa scientia*: ait Viestner. *h. t. n. 27.* ex Felin. *l. c.*

2. Secundo excipitur procurator, qui sicuti in vi solius generalis mandati, quo constitutus procurator, potest agere in judicio in causis speciale mandatum non requirentibus. *c. qui generaliter de procur. in 6.* ita etiam potest impetrare rescriptum ad istiusmodi causas judiciarias prosequendas. *c. fin. de fore comp.* Abb. *in cit. §. sunt & alii n. 3.* Felin. *ibid. n. 11.* Pirh. *n. 13.* qui autem late rescriptum non nomine Domini seu principalis sui, sed nomine proprio seu procuratorio impetrat, non potest illud tradere aut vendere reo ad redimendam vexationem, aut etiam actori seu ipsi principali ad litis suæ prosecutionem; adeoque & cessant rationes, ob quas in cit. §. sunt & alii; prohibetur impetrare rescriptum pro alio. Pirh. *l. c.*

QUÆSTIO CCLXIV.

Super quibus rebus impetrari possint rescripta.

RESp. super re quacunque tam corporali quam incorporali, tam spirituali, aut huic annexæ, quam temporali & mere profana, super qua litigari potest in judicio, vel quæ ex officio aut gratia, vel ad instantiam concedi potest & solet. *l. 1. & 3. c. de rescrip.* Hostiens. *in sum. h. t. n. 8.*

QUÆSTIO CCLXV.

Contra quos impetrari possint rescripta.

RESp. contra quoscunque tam laicos quam ecclesiasticos (etiam excommunicatos, ne alias hi ex malitia sua commodum reportarent) modo tamen concedentis jurisdictioni subjecti sint; qualiter etiam laici subjecti sunt jurisdictioni Papali. Hostiens. *l. c. n. 6.* Circa quæ tamen notandum, quod si impetretur rescriptum cum clausula: *& quidam alii & res alia* vi talis rescripti conveniri nequeant personæ majores & digniores, aut etiam negotia graviora expressis, prout expresse dicitur *c. sedes h. t.* Neque etiam vi dictæ clausulæ: *& quidam alii*: ultra tres vel quatuor trahendos esse in judicium. *c. 2. h. t. in 6.* & ut fraudes evitentur, etiam contra eundem ad plures actiones personales, etiam ad diversos Judices non posse impetrari rescripta *c. 3. h. t. in 6.*

QUÆSTIO CCLXVI.

Specialis. An & qualiter contra privilegiatos impetrari possint rescripta.

1. RESp. primo. Ut contra Monasterium, vel Professum Ordinis Cisterciensis super decimis rebusque aliis, super quibus ei a Papa speciale privilegium concessum rescriptum a Papa valeat, & vi illius conveniri possit in judicio, debet fieri in rescripto expressa mentio memorati ordinis ex privilegio. *c. cum ordinem h. t.* non tamen opus est fieri mentionem dicti ordinis ad valorem rescriptorum, vi quorum ille super rebus, super quibus specialiter privilegiatus non est, convenitur; argumento ducto a contrario ex citato textu requirente mentionem illius, ad valorem rescripti vi cujus convenitur super decimis aliisque specialiter privilegiatis rebus. Barbos. *in cit. c. cum ordinem n. 7.* cum gl. *ibidem.*

2. Resp. secundo. Ut contra ordinem privilegiatum impetratum rescriptum gratiæ, quo conceditur aliquid derogans ejus privilegio, valeat, præter mentionem Ordinis necesse quoque est fieri in eo mentionem privilegii v. g. immunitatis a decimis ei competentis *c. super eo juncta Gl. v. intentionis de off. deleg. & l. prætor ait. ff. ne quid in loco publico.* si autem rescriptum ad lites & meram juris observantiam concessum sit, privilegii eidem concessi v. g. dictæ immunitatis, mentionem fieri necesse non est; cum ejus reticentia non afferat præjudicium privilegiato. Siquidem is sicut alias exceptiones peremptorias, ita etiam immunitatis privilegium adversario semper in litis progressu opponere potest. Ita distinguunt Abb. *in cit. cap. cum ordinem num. 3.* Bald. *num. 16.* Laym. *n. 2.* contra Barbos. *ibidem n. 7.* qui cum aliis qui-

quibusdam affirmat, ne quidem in rescriptis gratiæ necesse esse facere mentionem privilegii, cui per illa derogatur.

3. Resp. tertio. Dum privilegium corpori juris insertum est, ut rescriptum impetratum contra privilegiatum valeat, seu suum effectum habeat, necesse est, fieri ejus expressam & specialem in rescripto mentionem. Abb. *in c. cum instantia de censib. n. 5.* Felin. *in c. nonnulli h. t. n. 6.* & 9. Suar. *l. 8. de LL. c. 38. n. 1.* Laym. *in c. cum ordinem h. t. n. 4.* Pirh. *h. t. n. 81.* Wiestner. *n. 31.* citans insuper Donat. *prax regular. p. 1. tr. 14. q. 2. n. 1. & 2.* Nam privilegium hoc ipso, quod corpore juris claudatur, est jus commune, cui juri non derogatur rescripto habente solum clausulam generalem, & non facientem talis legis vel canonis mentionem specialem *c. 1. de const. in 6.* Unde jam Papa noscens hanc juris dispositionem, vi cujus exigitur specialis derogatio, non censetur habere voluntatem derogandi istiusmodi privilegio, nisi id exprimat. Secus autem est de privilegio non inserto corpori juris; huic enim derogatur per generalem clausulam: *non obstantibus quibuscunque privilegiis.* AA. iidem, cum enim Papa talia privilegia corpori juris non inserta omnia & singula nosse & memoria complecti nequeat. *cit. c. 1.* censetur generali revocatione ea revocare, genere ex natura sua species omnes comprehendente juxta *l. semper ff. de reg. Jur.* Sic si quis Papale rescriptum accepit, in quo ei mandatur, ut tanquam delegatus Papæ visitare possit & in judicium vocare regulares cujuscunque ordinis, adjecta clausula: *non obstantibus quibuscunque privilegiis*, posset vi talis rescripti visitare & in judicium vocare tales privilegiatos regulares. Idem tamen, quod dictum de privilegiis corpori juris insertis, dicendum de privilegiis corpori juris quidem non insertis tenore, tamen suo exprimentibus, quod nulla constitutione revocata censeantur, nisi in qua eorum fiat mentio specialis; adeoque necesse est, in rescripto dici: *non obstante tali vel tali specifice expresso privilegio*: vel *non obstantibus quibuscunque qualitercunque, vel quacunque verborum forma concessis privilegiis.* Suar. *l. c. num. 2.* Rodriq. *regular. qq. tom. 2. q. 2. n. 7.* apud Wiestner. *n. 33.* item Pirh. *cit. n. 81.* Item idem dicendum de privilegiis concessis per modum contractus. v. g. in compensationem meritorum, cum contrahenti acquiratur jus, & juri quæsito non nisi ex gravi causa, & nisi id exprimatur, non censetur derogatum. *cit. c. super eo* Suar. *l. c. 3.* Laym. *n. 7.*

QUÆSTIO CCLXVII.

An contra solum Abbatem seu Prælatum impetrari possit rescriptum in causa ipsi cum conventu communi.

Resp. de hoc dicendum infra, ubi, an in rescripto in tali causa impetrato fieri necessario debeat mentio conventus.

QUÆSTIO CCLXVIII.

Intra quod tempus præsentanda sint rescripta.

1. Resp. primo. Si certum tempus a Principe rescribente huic præsentationi præfixum est, intra illud tempus necessario præsentandum, alias omnino exspirat rescriptum: est communis. Argum. *c. ad aures* estque id commune tam rescriptis justitiæ quam gratiæ.

2. Resp. secundo. De cetero rescripta justitiæ seu ad lites de se sunt perpetua, durantque tamdiu, quamdiu durat actio, super qua impetrata. Abb. *in c. si autem h. t. n. 3.* Fachineus *controvers. Juris l. 8. c. 65.* Jason. *in l. falso C. de divers. rescrip. n. 1.* constat ex *cit. leg.* ubi Imperator ait: *ea, quæ ad jus rescribuntur, perennia esse debent, si modo tempus, in quo allegari & audiri debeat, non sit comprehensum.* Neque quo ad hoc inter jus civile & canonicum est discordia, nam dum *c. si autem. c. plerumque h. t.* ponitur tempus unius anni, intra quem, habita Judicis delegati copia præsentari debeat rescriptum ad lites, loquuntur solum de casu impetrati secundi rescripti ab adversario, ita ut si impetrator rescripti dolo vel negligentia usus non fuerit rescripto intra annum, illud evanescat, & valeat rescriptum posterius contrarium, si tale interea ab adversario obtentum, etsi prioris nulla in eo fiat mentio, ut dicitur in citatis textibus. Pirh. *h. t. n. 56.* si vero nullum tale obtentum, perseveret primum, ita salubriter disponente jure canonico; eo quod aliqui impetratis literis Apostolicis malitiose aut negligenter iis uti nollent longo tempore, & tunc demum eas exhiberent, quando eorum adversarius alios posteriores a Papa impetrarat, excipientes, quod hæ non valerent, quia nulla in iis facta mentio priorum. Unde jam etiam in hoc casu rescriptum primum evanescit, non tam per lapsum anni, quam per impetrationem rescripti contrarii conjunctam cum omissione præsentationis primi; & per hanc etiam non quomodocunque durantem per annum, sed ex negligentia aut cum dolo, ut constat ex *cit. c. si autem. c. plerumque.* Quare, si super hac negligentia (quæ post lapsum anni præsumitur, nisi probetur contrarium. Reiffenst. *h. t. n. 62.*) se purgaverit, obtendendo impedimentum (quod, si notorium non est, non sufficit allegare, sed & probandum est ab allegante. Argum. *c. fin. de locato*, secus, ac accidit in dolo, qui, cum in animo residens non appareat, etiam post annum objectus, ab objiciente per conjecturas & indicia externa probandus est. *l. quoties ff. de dolo* Abb. *in c. si autem n. 4.* Felin. *num. 3.* Laym. *num. 4.*) extenditur rescriptum etiam ultra annum.

3. Porro licet præsentatio rescripti intra annum per negligentiam omissa sit, non tamen evanescet seu irritum erit ipso jure, sed ope exceptionis irritandum ab adversario, a quo in eadem causa ad alios Judices impetratum est rescriptum contrarium, juxta *c. si autem & c. plerumque.* His non obstantibus, quod rescriptum secundum in eadem causa sine mentione primi impetratum, rescriptum ad diversos Judices subreptitium esse, & Judicis primi seu primo delegati delegationem non tollere dicatur. *in c. ceterum h. t.* Licet enim ob reticentiam secundum rescriptum subreptitium & infirmum sit, ita ut excipiendo elidi valeat intra annum, computandum a primi rescripti impetratione; non fit tamen irritum & invalidum ipso jure, sed convalescat ipsa omissione usus & præsentationis primi facta per negligentiam intra annum, ita ut, qui primum rescriptum impetravit, possit conveniri in eadem causa coram Judicibus secundo rescripto delegatis per apertos textus *c. si autem & c. plerumque*, quod fieri nequiret, si ob reticentiam primi secundum fuisset irritum ipso jure; tum, quod ab initio nullum est, non possit tractu temporis convalescere; & non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ut habent regulæ Juris 30. *ff. de reg. Jur.* & 18. *in 6.* Ita tradunt Abb. *in cit. c. si autem n. 2.* Felin. *in c. ad audientiam h. t.* Sanch. *l. 8. de mat. d. 21. n. 3.* Wiestner. *n. 128.* Ex eo autem, quod quæ temporalia sunt ad agendum, perpetua sint ad excipiendum, ut habetur *l. licet C. de except. & præscrip.* & constat exemplo illius, qui dolo inductus est ad contrahendum, dum is, licet ei actio doli non nisi ad biennium competat, eoque elapso amplius moveri nequeat. *l. fin. C. de dolo*, possit tamen semper contractum adversarii implere, postulantis actionem exceptione doli mali elidere. *l. pure §. fin. ff. de doli mali excep.* ex eo inquam non sequitur posse etiam secundum rescriptum semper elidi exceptione primi rescripti; nam dictæ regulæ *c. licet* non est locus, quando jus excipiendi non habet firmam & perpetuam radicem; sed fundatur in jure agendi certo tempore constricto, quo elapso sicut jus agendi deficit, sic quoque deficit jus excipiendi in eo fundatum. Argum. *c. cum cessante de appell.* Atque ita, cum in præsente jus excipiendi contra secundum rescriptum fundetur in jure agendi competente ex primo rescripto, hoc exspirante, omissa cum negligentia aut dolo per annum præsentatione illius; etiam deficiet fundatum excipiendi contra secundum rescriptum dum e contra jus excipiendi de dolo, quia radicem habet perpetuam, nempe, non jus agendi de dolo conclusum biennio, sed æquitatem & jus naturale concedens defensionem seu adversus injuriam, jus excipiendi semper & perpetuo, etiam jure agendi extincto, competit passo dolum, ita Abb. *in cit. c. si autem n. 5.* Decius *n. 6.* Laym. *num. 3.* Pirh. *h. t. num. 58.* Wiestner. *num. 128.*

4. Resp. tertio. Rescriptis gratiæ & ad beneficia de jure communi certum tempus præfixum non est. Unde ea esse perpetua, ait Abb. *l. c. n. 4.* Quod ipsum ex eo colligitur, quod etiam re adhuc integra non exspirent morte concedentis. *c. si super gratia de off. deleg. in 6.* Item ex eo, quod qui prius impetravit literas beneficiales, in assecutione Præbendæ præferatur alteri, qui postea alias literas beneficiales, quo ad idem beneficium obtinuit, licet has prius præsentarit. Modo tamen prius rescriptum impetranti imputari non possit dolus aut notabilis negligentia, quæ quando commissa circa rescripta gratiæ censeatur, cum in jure non definiatur relinquendum est arbitrio boni viri, id est, Judicis. Gl. *in cap. si clericus de præb. in 6. l. continuus ff. de verb. oblig.* inspecta nimirum qualitate personæ, loci distantia, & qualitate causæ: Menoch. *de arb. cas. 204. num. 4.* Quod si tamen in ipsis literis

vel alia speciali constitutione huic præsentationi certum tempus præfixum est, illud omnino servandum. Exemplum hujus deducit Reiffenst. *n.* 67. ex *c. si clericus de præb. in* 6. ubi, quod clericus, qui obtinuit rescriptum Apostolicum, in quo mandatur illi provideri de præbenda proxime vacatura, eveniente illa vacantia tenetur præsentare illud rescriptum, alias perdet gratiam. Verum, quia in dicto *cap.* non statuitur certum tempus; intra quod a vacantia tenetur petere (intellige præsentato rescripto) vacantem præbendam: sed tantum dicitur, quod perdet gratiam, si quando vacat præbenda, negligenter omittat petere præbendam, hæc negligentia, intra quod tempus censeatur committi, videtur relinquendum arbitrio prudentum. Congruentius exemplum sumitur ex Constitutiune Gregor. XIII. incipiente *Humano* edita 1583. qoa sescripta Apostolica, sive literæ resignationum ex qnacunque, etiam permutationis causa in Curia Romana & manibus Papæ factarum & admissarum citra montes intra sex, ultra montes intra novem menses publicari sive promulgari jubentur; alias literæ illæ careant effectu, & beneficia Sedis Apostolicæ dispositioni reserventur. Item ex Concordatis Germaniæ ubi *§. de ceteris* cavetur, ut quoties vacante beneficio in mensibus Januariu, Martio &c. specialiter Papæ reservatis non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beueficii, quod alicui de illo authoritate Apostolica provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere possit &c. ex illis enim verbis manifeste infertur, quod literæ obtentæ in eo casu a sede Apostolica præsentanda sint intra dictos tres menses.

QUÆSTIO CCLXIX.

Cui præsentanda rescripta Apostolica,

1. RESp. Primo. Illi cui inscripta sunt, seu cui committuntur exequenda & expedienda. Circa quod hic breviter notandum, literas apostolicas ad beneficia vel etiam dispensationum matrimonialium, vel continentes mandatum aliquod ad gratiam solere committi vicariis Episcoporum. Licet autem officialis principalis Episcopi & vicarius ejusdem generalis idem sit, ex usu tamen & consuetudine tam Datariæ quam Cancellariæ Apostolicæ, si ad regiones ultramontanas dirigantur hæ literæ semper inscribuntur officiali, seu adhibetur terminus *officialis*: si vero ad regiones cismontanas inscribuntur vicario generali, seu adhibetur nomen *Vicarii Generalis*. De quo vide me ex professo tractantem *in Vicario Episcop. q.* 17.

2. Resp. secundo. Dum quandoque in diœcesi aliqua duo sunt officiales æque priocipales, seu duo Vicarii Generales concurrentes in ordinaria episcopali jurisdictiune commissiones Apostolicæ inscriptæ officiali: utrique præsentari possunt. Ego *l. cit.* sive ille ex dictis Vicariis erit Judex seu delegatus, cui rescriptum ab impetrante fuerit præsentatum; postquam vero uni ex illis præsentatum fuerit, jam alter adiri non potest ut illud exequatur, nec is se immiscere vide me ipsum *l. c. qu.* 34. ubi de hoc pluribus citatis quoque pluribus. Uti & infra dicenda de rescriptorum executione.

QUÆSTIO CCLXX.

An in rescriptis Apostolicis attendatur tempus datæ, seu tempus, quo in curia fuerunt expedita; An vero tempus præsentatæ, seu quo fuerunt executori præsentata.

1. RESp. Primo. In rescriptis Justitiæ attendendum tempus factæ præsentationis; in rescriptis gratiæ tempus datæ. Felio. *in c. eam te b. t. nu.* 18. ubi ponit aliquas *hujus respons.* limitationes. Bald. *in c. sicut romana b. tit.* Rebuff. *in pr. benef. tit. differentia inter rescript. grat. & justitia.* Barbosa *in c. sancta crucis b. t. n.* 30. Reiffeost. *b. t. n.* 69. citans insuper Viocent. de Justis *de dispens. matr. l.* 5. *c.* 6. *n.* 564. & varias Rotæ decis. siquidem ante præsentationem rescriptorum Justitiæ Judex delegatus nullam habet jurisdictionem efficacem, *c. debitus de ap. c. super eo eod.* Hinc Judex ordinarius prosequi potest processum, non obstante, quod pars adversa excipiat, dicendo, quod ad Papam destinarit, vel etiam quod ab eodem acceperit literas dantes alium Judicem, priusquam hæ literæ Judici delegato actualiter præsentatæ fuerint, *cit. cap. ut debitus.* Item si quis tempore impetrati rescripti fuit Prælatus, ante tamen præsentatum ei rescriptum Prælaturam amisit, non potest suscipere commissionem sibi delegatam; quia tempore præsentatæ non est amplius io dignitate ecclesiastica. Sic quoque attenditur tempus præsentationis quo ad revocationem jurisdictionis seu commissionis factæ delegato; ita ut literæ illæ revocatoriæ vim non habeant, antequam delegato sint præsentatæ, valeantque interea acta ab eo in causa vel negotio ei commisso, *c. auditis §. licet & §. fin. de rest. spoliat.* Laym. *in c. si autem b. tit. nu.* 5. Econtra eo ipso instante, quo literæ gratiæ sunt datæ seu expeditæ, illico jus acquiritur parti, modo nihil aliud obstet. Unde merito in illis attenditur tempus datæ, sive impetrationis seu expeditionis, *c. constitutus b. t.* juncta Glos. *v. impetrasset c. eum qui de præb. in* 6. cujus summarium habet; *in impetratione beneficiorum inspicitur data, non præsentatio vel receptio.* Abbas *in c. eam te n.* 5. Felin. *n.* 18. Nav. *in c. si quando b. t. except.* 10. *n.* 6. Laym. *in c. si eo tempore nu.* 1. Pirh. *b. t. n.* 108. Hinc conferri nequit beneficium curatum in virtute rescripti beneficialis illi, qui tempore *data* rescripti nondum habebat ætatem requisitam ad beneficium curatum. Etiamsi postmodum tempore præsentatiunis rescripti haberet dictam ætatem, *c. si eo tempore b. t.* Item literæ Apostolicæ super beoeficio conferendu noo extenduntur ad beneficium de novo prius erectum post datam illarum literarum. *Clem. ult. b. t.* Item quo ad impetrationem præbendæ præfertur is qui prius literas impetravit, etiamsi alius, qui serius literas ad similem gratiam impetravit, easdem prius præseotarit. *c. lib. qui & c. eum cui de præb. in* 6. Ego *in foro benef. p.* 2. *qu.* 635. *n.* 1. Neque his obstat, quod gratia perficiatur solo verbo Principis, ut Bartol. *in l. humanum v. breviter C. de leg.* Paris. *l.* 4. *cons.* 5. *nu.* 60: Item quod gratia Papalis perficiatur sula signatura, ut tenuit Rota *decis.* 418. *par.* 1. *divers.* Cassador. *decis.* 4. *nu.* 2. *de sanfis possess.* Nam præterquam, quod posterius, merito in dubinm revocari ait Reiffenst. *n.* 74. ob *reg.* 27. *Cancell.* reassumptam ab Innoc. XII. cujus verba recitat idem Reiffenst. Item ob *reg.* 52. quæ inscribitur; *nulli suffragatur dispensatio, nisi literis confectis.* Subsistunt simul hæc duo, quod gratia perficiatur signatura, & tamen respicienda sit data illius; eo quod Papa censeatur signusse supplicationem a die, quo apparet Data a Datarin, per Papam ad hoc munus deputato; neque admittatur probatio in contrariurg. Ita Reiffenst. post Barbos. *l.* 3. *jur. eccles. c.* 23. *nu.* 199. Gratian. *discept. for. c.* 191. *a n.* 1. *&c.*

2. Limitatur nihilomious varie responsio imprimis quo ad rescripta gratiæ. Primo: modo in iis noo fuerit apposita aliqua conditio: hæc enim suspenderet effectum rescripti seu concessionis pontificiæ usque ad eventum conditionis. Menoch. *cons.* 63. *n.* 28. juxta *l. cedere diem ff. de verb. signif.* adeoque attendi non potest Datæ tempus, sed potius eventuræ conditionis. Secundo, ut licet attendatur in iis tempus Datæ, quando gratia est perfecta, non tamen, quando gratia mandatur fieri, seu conferri per alium; tunc attenditur inspiciturque tempus inchoatæ executionis ad hoc, ut censeatur non exspirare per mortem concedentis, *c. si cui §. fin. de præb. in* 6. Tertio iospicitur, tempus receptionis & notitiæ literarum, quo ad convincendam inobedientiam & negligentiam non parentis mandato Apostolico; cum quis ante notitiam mandati censeri nequeat inobediens. Et in hoc casu, ait Reiffenst. procedere *c. dilectus filius de præb. & c.* 1. *de concess. præb. in* 6. Quarto; dum Papa motu proprio mandat alicui provideri de beoeficio proxime vacaturo, non inspicitur tempus Datæ, num pro eo habuerit Titius legitimam ætatem; quia sufficit, Titium habere eam pro tempore, quo vocat vel recipit beneficium. Argum. *cap. ei cui*, juncta Gloss. *fin. de præb. in* 6. Motus siquidem proprius purgat subreptionem, *cap. si motu proprio de præb. in* 6. *& clem. si Romani eod.* ita etiam purget defectum ætatis tempore Datæ. Reiffenst. *nu.* 79. dicens sic limitandum *c. si eo tempore b. t. in* 6. nimirum ut non procedat in literis motu proprio concessis. Citatque pro boc Abbas *in c. dilectus filius de præb.*

3. Limitatur dein etiam quo ad rescripta Justitiæ, ita ut in iis in ordine ad alios effectus, quam ut delegato conferatur jurisdictio, attendatur non tempus præsentatæ. Sic namque respectu actionis, super qua impetrantur talia rescripta consideratur tempus datæ, *c. ult. b. t.* ubi cavetur, ne rescripta justitiæ ad futuras trahentur controversias, quæ tempore impetrationis necdum fuerant exortæ. Felin. *loc. paulo post citand.* sunt enim rescripta justitiæ strictæ interpretationis, & in simplice, quamvis generali, dispositione, si aliud non exprimatur, præsentia, & non, quæ necdum orta sunt negotia, solent comprebendi. *Clem. fin. b. t.* juncta Glossa Abbas *in c. fin. b. t. n.* 4. Layman *ibidem n.* 2. apud Wiestner *num.* 132. Sic quantum ad perdurationem jurisdictionis delegati post mortem Principis oon iospicitur tempus præsentatæ,

tæ, sed tempus factæ citationis per delegatum, *c. gratum*, *c. licet de off. deleg.* attenditur tempus datæ quo ad habilitatem requisitam in Judice delegato. Sic, dum Judex datus tempore impetrati rescripti fuit excommunicatus, & hinc rescriptum irritum, non convalescent per hoc, quod tempore, quo præsentatum rescriptum fuerit absolutus ab excommunicatione. Glos. *in cap. dilectus filius v. receperint de preb.* Econtra, si persona tempore datæ fuit habilis, perseverat commissio seu delegatio, licet requisitam qualitatem non habeat amplius tempore præsentationis. Glos. *in c. statuit. v. canonicis in 6.* Felin. *in c. eam te nu.* 16. & 18. Porro pro præcedentium mitiore intelligentia sint binæ quæst. sequent.

QUÆSTIO CCLXXI.

Quid sit signatura & quæ ejus vis.

1. RESp. ad primum. Signatura, quæ alio nomine supplicatio vocatur, & scriptura in papyro subscripto a Papa ejusve Delegato (ex eo enim dicitur signatura, quod signetur & subscribatur) absque sigillo (per quod distinguitur a Bulla & Brevi, quæ semper sigillantur) scripta in medio, partis supplicationem Papæque concessionem breviter continens. Dicitur autem: *in medio scripta*, id est, subscripta; quia post petitionem partis ponitur concessio & subscriptio Papæ, & deinde exponit Papa, quod concedere intendat. Ita ex Pereyra *in elucidario a num.* 493. Crimer. *ad 1. decret. nu.* 1398.

2. Resp. ad secundum. Licet literæ non expediantur sine prævia supplicatione (intellige, etiam signata) & signatura seu supplicatio signata deserviat ad faciliorem concessionis & perfectionis voluntatis probationem, non tamen spectat ad substantiam gratiæ. Card. de Luca *de pens. disc.* 1. *n.* 3. Lotter. *de 2 benef. l.* 3. *q.* 1. *a n.* 4. & *quæst.* 2. *per tot.* Neque etiam in materia beneficiali ad perfectionem & certitudinem gratiæ, nisi sequatur registratio, per quam, & non prius resultare dicitur jus quæsitum; eo quod ante registrationem supplicatio, etiam signata detineri & lacerari possit per Datarium ob aliquam forte detectam ignotam circumstantiam, vel ex alio motivo. Cardin. de Luc. *l. c. n.* 4.

QUÆSTIO CCLXXII.

Quid & quotuplex sit Data & quæ ejus vis.

1. RESp. ad primum. Per Datam seu Datum intelligitur subscriptio facta in fine constitutionum vel literarum seu rescriptorum, ex qua cognosci possit, quo anno, mense, die, instrumenta, literæ, rescripta emanarint Pereyra, *loc. cit.*

2. Resp. ad secundum & tertium. Data alia est prima seu parva data, alia secunda, alia tertia. Siquidem supplicatio signata, cui Papa annuit concedendo gratiam petitam statim deferri solet ad officialem nuncupatum primæ datæ, cujus munus est, illi in fine adscribere tempus concessionis Papalis paucis seu parvis tantum verbis v. gr. *quarto Calend. Jun. apud S. Petrum*, dum nimirum Pontifex residet in palatio vaticano, vel *apud S. Mariam Majorem* Dum moratur in monte Quirinali &c. Proinde jam, cum hæc parva data non adjicitur per Datarium, ut in ea perfecta videri posset signatura, sed per perfectum parvæ datæ, adhuc reputatur actus imperfectus. Lott. *l. c. q.* 16. *n.* 19. & ut plurimum remanet apud impetrantes vel illorum procuratores. Lott. *l. cit.* Paris. *de resign. l.* 5. *q.* 12. *num.* 35. ex Bursatt. *cons.* 393. *num.* 7. *vol.* 4. Qui etiam supplicationem possunt lacerare vel apud se retinere. Paris. *l. c. n.* 14. Et servit hæc parva data tantum ad faciendum fidem apud Datarium & memoriam gratiæ concessæ vel concedendæ, ut ad datam illius temporis retrotrahatur. Dein supplicatio sic datata per primam Datam revidetur a DD. revisoribus, & hac revisione finita, a Datario (cujus est Datare omnes supplicationes tam gratiæ quam justitiæ) subscribitur rursus seu datatur brevibus quidem, sed pluribus ac in prima data, verbis. Estque hæc Datarii subscriptio temporis concessæ gratiæ secunda data, cui demum accedit tertia data differens a priore, quod adhuc plenius ac latius extenditur in literis super supplicatione expeditis. Plura de his alibi.

3. Porro hic notanda sequentia, primo. Annum ecclesiasticum de stylo Curiæ Romanæ incipere currere ab Octavo Calendas Aprilis, qui est dies 25. Martij. Hinc quidquid in anno 1709. antecedit 25. Martii juxta hunc stylum pertinet ad annum præcedentem, nempe 1708. & data juxta dictum stylum erit Calendis Martii 1708. Secundo per regulas Cancellariæ hujus Officialibus præcipi, ut dictiones numerales in literis Apostolicis, quæ sub plumbo expediuntur, ante Calendas, Nonas, Idus extense scribantur, & non per cifras numerales v. gr. *VI. Calendas*; quia facile fieri posset, ut apponendo unum I legeretur *VII. Calendas* septimo Calendas. Quamvis ipsæ Calendæ, Nonæ, Idus possint abbreviate scribi v. gr. *Cal. Non* In literis autem, quæ expediuntur in forma Brevis, stylus habet, ut succincte dicatur: *Datum Romæ ad S. Petrum sub annulo piscatoris die* 21. *Januar.* 1709. Pontificatus nostri anno 8. Unde literæ aliter expeditæ tanquam contra stylum Curiæ Roman. de falso suspectæ erunt juxta *c. quam gravi de crimine falsi.* Tertio nomen Pontificis & annum Pontificatus esse de essentia Datæ. Paul. Leo *in pr. sacram. pænit. p.* 2. Incipit autem dictus annus a die coronationis & consecrationis. Prius autem dicitur solum: *suscepti a nobis Pontificatus officii anno primo.* Zerol. in pr. Episc. p. 1. v. Papa. Ita fere Crimer. *ad l.* 1. *decret. a n.* 1402. potissimum ex Vincent. de Justis *de dispens. mat.* Denique notandum, has dispositiones & observationes styli, quo ad nomen & annum Papæ similesque solennitates rescriptorum requiri, ut fidem faciant, & probent in judicio, idque ad cavendas plurimas fraudes & falsitates, quæ in rescriptis vere suppositiciis & falsatis intervenire solent. De quibus infra pluribus.

CAPUT SECUNDUM.

De Forma & variis Rescriptorum Clausulis.

QUÆSTIO CCLXXIII.

Quænam in rescriptis censeantur esse de forma substantiali rescripti.

RESp. Sequentia. Imprimis ipse ordo procedendi præscriptus & indicatus per ordinem verborum in rescripto præsumitur esse de forma substantiali rescripti, *cap. cum dilecta h.* 1. & *ibi* Bald. *nu.* 10. Ita ut si in rescriptu vel mandato narrantur vel fieri mandantur plura, id prius sit expediendum, quod prius ponitur seu fieri præcipitur, ne alias, si hic ordo transponatur processus, & quod secus gestum sit ipso jure irritum. Glos. *in cit. cum dilecta vers. transponentes.* Felin. *ibidem n.* 4. Pirh. *h. t. nu.* 43. Siquidem fines mandati diligenter custodiendi, & qui hos excedit aliud quid facere videtur, *l. diligenter ff. mandati.* Adeoque delegatus excedendo limites seu formam commissionis sibi factæ nihil agit; qui non habet a delegante potestatem faciendi nisi hoc, quod mandatum Suar. *de cens. d.* 3. *s.* 12. *num. ult.* apud Pirhing *l. cit.* Dein censetur forma substantialis, quod in rescripto vel mandato Apostolico alio modo vel in alium finem præscribitur, quam a jure communi requiritur. Felin. *in c. ult. de præsump. num.* 13. Covar. *in c. alma mater p.* 1. §. 9. *n.* 8. Abbas *in c. cum dilecta n.* 12. Layman *ibid. nu.* 7. Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 33. *n.* 4. Pirh. *h. t. nu.* 46. &c. Censetur enim tunc rescribens novum mandatum concipere, & non nisi sub isto modo & conditione, quam exprimit, delegato facere potestatem. Ac proinde talis expressio inducit novam formam. Hujus exemplum extat *in c. cum dilecta h.* 1. ubi per rescriptum mandarat Papa, ut ante omnia administrationem Abbatiæ committerent personæ idoneæ; delegati vero Judices de aliis articulis nempe ad electionem Abbatissæ spectantibus inordinate cognoverunt, & contra ordinem præscriptum processerunt; quare declarat Papa, processum esse irritum. Quod ipsum tamen sic limitandum; nisi ex materia subjecta, modo loquendi aliisve circumstantiis, vel consuetudine curiæ sufficienter colligi possit, mentem delegantis non fuisse, per talia verba præscribere novam formam substantialem,

sed

sed tantum dare monitionem seu instructionem quandam. Sanch. *l. c. n.* 6. Laym. *in cit. c. cum dilecta n.* 6. Pirbing *h. tit. n.* 48. Argum. *L. diligenter §. fin. ff. mandati*, ubi habetur, valere emptionem, si quis accepto mandato emendi Stichum 10. florenis emit eundem 9. florenis. Ex hoc ipso enim, quod causa mandantis fiat melior, satis constare de mente illius censetur. Contrarium accidit, dum exprimitur in rescripto tale quid: quod licet insit de jure communi, non tamen spectat ad formam seu substantiam actus, sed potius sapit instructionem ad causam: tunc enim, licet eo non observato actus sit illicitus, non est tamen invalidus. Abbas *l. c.* Sanchez *l. c. n.* 2. & 6. Pirh. *h. t. n.* 48. Reiffenst. *nu.* 149. Sic si per rescriptum delegaretur alicui potestas absolvendi ab excommunicatione præmissa prius satisfactione aut cautione satisfaciendi parti læsæ, & delegatus culpabiliter eam exigere prætermitteret, valida erit absolutio, etsi irrita; quia licet jure communi requiratur dicta satisfactio vel cautio prævia; non tamen illa conditio pertinet ad substantiam absolutionis; ideoque licet in mandato seu delegatione fuerit expressa, non inducit novam formam, sed solum continet novam commonitionem seu institutionem Judicis delegati. Quin & expressionem talis conditionis, quæ de jure inest, nihil operari: cum licet non exprimeretur, subintelligi tamen deberet. Argum. *l. 3. ff. de legat.* notat Bartol. *ibidem in summario*. Quod & ipsum sic limitandum: nisi forte delegatio esset facta sub expressa tali limitatione, v. gr. non aliter absolvat; seu absolutio non præmissa dicta satisfactione aut cautione facta sit nulla, ita factam ex circumstantiis colligi possit. Sanchez *l. c. n.* 4. Pirh. *l. c.* Laym. *Th. Mor. tr.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 8. De cetero ubi in rescripto præscribitur certa aliqua forma, addita illa clausula: *non aliter. Non alio modo: si secus fiat irritum sit & inane*: manifeste patet, formam illam esse substantialem. Barbos. *tr. de clausul. claus.* 81.

QUÆSTIO CCLXXIV.

An & qualiter de forma substantiali rescriptorum sit, ut impetratis duobus rescriptis in eadem causa fiat in posteriore mentio prioris.

1. RESP. Primo. Si impetratis a Papa literis, quibus causa delegatur aliquibus Judicibus, adversarius impetret ex post alias literas, quibus eadem causa delegetur aliis Judicibus, & hæ posteriores nullam faciant mentionem de prioribus, nullum robur habent, sed possunt, iis non obstantibus delegati Judices in prioribus literis procedere, ut expresse habetur, *c. ceterum h. t.* Deficit siquidem quo ad posteriores literas voluntas Principis rescribentis, utpote qui, si recordatus fuisset prioris rescripti, posterius vel omnino non vel non eo modo concessisset juxta expressum textum *c. ex parte h. tit.*

2. Limitatur primo. Nisi posterius rescriptum prius fuisset præsentatum. Tunc enim, etsi mentionem prioris non facit, prævalet, *c. debitus de appell.* & Gl. *ibi v. assignata*, & juxta dicta a nobis supra. Quia per prius, utpote needum præsentatum, nulla delegatis acquisita jurisdictio, quippe quæ non conceditur nec aufertur ante præsentatas literas, *c. super eo de appell.* Felin. *in cit. c. ceterum n.* 12. Sanchez *l. cit. n.* 6. Limitatur secundo, ita ut in dicto casu non factæ mentioni de primo, posterius rescriptum non sit irritum ipso jure, sed irritabile solum ope exceptionis; adeoque processus initus a Judicibus in posteriore rescripto delegatis est validus, donec contra rescriptum illud a contraria parte excipiatur. Abb. *in cit. c. ceterum num.* 5. & DD. communiter. Nisi tamen rescriptum Justitiæ sit solum accessorie concessum in rescripto gratiæ. Dum v. gr. in rescripto gratiæ de conferendo beneficio simul constituatur executor, seu concedatur alicui jurisdictio ad executionem illius gratiæ. Tunc enim rescripto illo gratiæ ipso jure irrito, v. gr. ob subreptionem, ipsa quoque constitutio executoris est irrita ipso jure; corruente enim principali corruit etiam accessorium, *reg. jur.* 42. *in* 6. Alias limitationes vide supra, ubi intra quod tempus præsentanda rescripta.

3. Porro, dum in posteriore rescripto facta est mentio prioris, evanescit prius rescriptum, & procedi debet secundum posterius; quia tunc censetur Princeps avocare causam a prioribus Judicibus, *cit. cap. ceterum §. si vero*, & *ibi Glos. v. judices*. Quin etiam dum apparet, Papam concedendo secundum rescriptum voluisse absolute revocare primum, si Judices dati in primo rescripto, etiam ex permissione impetrantis secundum rescriptum, procedunt, processus est ipso jure irritus ob defectum potestatis & jurisdictionis. Quinimo, si de hac mente Papæ clare constet, insertis his vel similibus verbis: *revocamus commissionem prioribus Judicibus factam, & irritum decernimus & inane, quidquid ex nunc actum fuerit ab iis vi illius commissionis*: acta ab iis ex tunc esse irrita, etiamsi nondum rescriptum illud revocatorium illis per præsentationem innotuerit, docent Abb. *in c. ceterum n.* 10. Felin. *a nu.* 18. eo quod si jurisdictio per mortem delegantis statim ipso jure censeatur ablata a delegato, re adhuc integra, *c. relatum*, *c. gratum de off. delegati*, multo magis ea revocata censetur, dum delegans claris verbis voluntatem suam revocatoriam exprimit. Idque, sive res adhuc integra sit sive non; cum totum pendeat ex voluntate Principis. Layman *in c. ceterum n.* 6. ubi tamen monet, non decere tales avocationes fieri cum præjudicio aliorum & perturbatione judiciorum nisi ex causa v. gr. in pœnam male procedentium & judicantium delegatorum. Si vero revocavit illud Papa solum ad instantiam & in gratiam impetrantis secundum rescriptum, valebit processus institutus vi prioris rescripti a Judicibus in illo datis, permittente impetrante secundum: cum hic potuerit favori renunciare. Jo. Andr. *in cit. c. ceterum nu.* 7. apud Pirh. *nu.* 54. & posterius rescriptum contineat hanc tacitam clausulam: si pars impetrans eo uti voluerit. Felin. *in cit. c. num.* 31.

4. Resp. secundo. Rescriptum secundum impetratum ab una parte, nesciente altera parte post rescriptum primum impetratum utriusque partis consensu, etsi in eo fiat mentio de priore rescripto & commissione, si non fiat etiam mentio, quod primum rescriptum impetratum fuerit communi consensu, est irritum, *cit. c. ceterum h. t. in fine*, & Glossa *ibi v. de commissione*. Rescriptum siquidem impetratum tacita veritate intrinsece ad rem pertinente, qua cognita Princeps postulatum probabiliter non concessisset, vel saltem non tali modo tanquam subreptitium est invalidum. Abb. *in cit. c. nu.* 3. Jam vero cum Princeps non soleat dare Judicem ad petitionem unius partis, saltem si utraque pars præsens est, *leg. observandum ff. de judiciis*, & licet, si altera pars absens est, possit & soleat dare Judicem ad petitionem partis unius. Abbas *in c. ceterum nu.* 11. fit tamen hoc, salva interim manente potestate alteri parti ex causa rationabili recusandi talem Judicem, *c. causam de off. delegat.* Multo minus solet Judicem communi consensu impetratum ad unius tantum partis petitionem revocare. Porro impetrans hac ratione malitiose & fraudulenter secundum rescriptum ad alios Judices, non facta dicta mentione, cum inferat damnum adversario (utpote qui cogitur propterea facere impensas, accedendo ad Judicem per se vel per procuratorem, si citatus sit) tenetur ad illius damni compensationem, & tanquam temerarius litigator puniendus & in expensas litis damnandus *c. ult. h. t. l. eum quem ff. de judic.* Pirh. *l. c.* citans Tholosan. *in cit. c. ceterum nu.* 16.

5. Resp. tertio. Pro forma quoque substantiali secundi rescripti hodiedum requiritur, ut non tantum in eo fiat mentio prioris, & expressis, quæ nisi expressa fuissent, Principem reddidissent difficiliorem ad concedendum secundum rescriptum; sed insuper requiritur, ut expresse & nominatim derogetur Regulæ Cancellariæ 16. *de non tollendo jus alteri*, quomodolibet & per quamcunque commissionem quæsitum; ita ut alias secundum rescriptum sit ipso jure nullum. Fagnanus *in c. ceterum h. t. nu.* 27. Chokier *ad hanc regulam*. Quam regulam adhuc locum habere, etiamsi Papa certam scientiam haberet de præjudicio tertii, vel rescriptum gratiosum concederet motu proprio ex certa scientia, vel etiam ex plenitudine potestatis, ait Pirh. *nu.* 55. ex Rebuff. *in pr. benef. in cit. reg. gl.* 6. *nu.* 1. uti etiam, si per viam rescripti, aut legis generaliter solum constitutionibus Apostolicis aut regulis Cancellariæ fuerit derogatum, ut idem ex Chokier *l. c. v. tollet jus quæsitum*, & Fagnanus *l. c. a n.* 18. eo quod protestatio, quæ fit in dicta regula, tollat omnino consensum seu voluntatem Papæ tollendi jus quæsitum alteri. Nisi tamen derogatio juris alterius in ipso rescripto contineretur tacite, ut dum ipsum rescriptum vel gratia concessa necessario involvit præjudicium tertii; tunc enim opus non esset speciali derogatione hujus regulæ. Pirh. *l. cit.* cum Rebuff. *l. c. gl.* 5. *§. limitatur*. Chokier *l. c. n.* 17.

QUÆ-

QUÆSTIO CCLXXV.

An & qualiter in rescripto ad lites, dum lite pendente impetratur alius Judex, necesse sit, seu de forma illius substantiali sit, fieri mentionem litis.

1. RESp. Primo. Dum impetratur rescriptum, causa per sententiam non terminata, opus est fieri in eo mentionem litis, alias erit irritum. Felin. *in c. super literis h. t. n.* 12. Rosa *de executor. literar. Apost. p.* 2. *c.* 2. *n.* 11. juxta expressum textum *c. super literis*, ibique Glos. & AA. communiter. Idque etiamsi lis per solam citationem introducta. Monet. *de commut. ultimar. volunt. c.* 6. *nu.* 318. Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *n.* 641. Rosa *nu* 12. Quin etiam de lite introducta facienda est mentio, etsi citatio tantum decreta, licet necdum executa. Monet. *l. c.* Rosa *n.* 13. Menoch. &c. Imo, si rescriptum esset tantum impetratum pro adjungendo collega Judici. Lancell. *l. c. n.* 649. Rosa *nu.* 14. Exprimi quoque debet non tantum lis ipsa, sed & tota substantia causæ & processus quoad articulos particulares. Monet. *l. c. nu.* 319. Boer. *in c. super liter. n.* 22. Cardos. *in pr. judicum, v. rescriptum n.* 13. Rosa *n.* 15. Lancell. *nu.* 646. ubi etiam, quod non suffragetur generalis illa clausula: non obstantibus pendentia &c. Ita tamen, ut Judicis arbitrio relinquatur, quando censeatur, sufficiens facta mentio litis & processus quoad articulos principales. Rosa *n.* 16. ex Menoch. Exprimi quoque debet, coram quo lis agitata, & cum quibus personis. Monet. *n.* 322. Rosa *n.* 18. ita ut in hoc non excuset simplicitas. Cum per simplicitatem etiam inducatur subreptio. Lancell. *n.* 650. Monet. 318. Rosa *n.* 18.

2. Resp. secundo. Non tamen est opus facere mentionem litis a qua longo tempore cessatum. Monet. *nu.* 316. Ros. *nu.* 20. Item litis pacto vel conventione sopitæ. Lancell. *n.* 655. Rosa *n.* 21. Item litis nulliter agitatæ & de processu nullo. Cardos. *l. c. n.* 14. Rosa *n.* 22. uti nec de sententia nulla, etsi transierit in rem judicatam. Felin. *in c. super literis num.* 14. Menoch. *de arb. l.* 2. *centur.* 3. *casu* 202. *n.* 51. Monet. *l. c. num.* 325. Rosa *nu.* 23. nisi fuerint his conformes sententiæ ut Rosa. Neque facienda est mentio litis, cum rescriptum dirigitur eidem Judici coram quo prius lis pendebat. Menochio *l. c. n.* 25. Rosa *nu.* 24. Item cum rescriptum est super re divisa, ut si lis sit super possessione, & rescriptum super proprietate. Rosa *n.* 26. citans Menoch. & Cancell. Neque in causa matrimoniali opus est facere mentionem litis tradit Menoch. apud Rosam. *nu.* 27. Item cum Judex declaravit se incompetentem. Menoch. *l. c. n.* 25. Monet. *l. c. n.* 319. Rosa *n.* 28. Ac denique, dum tertius venit ad causam pro suo interesse, non habet necesse in rescripto delegationis facere mentionem litis inter alios agitatæ. Menoch. *n.* 22. Lancell. *n.* 662. Rosa *n.* 29.

QUÆSTIO CCLXXVI.

An & qualiter in rescripto ad lites, seu in materia contentiosa, dum impetratur in causa appellationis, debeat fieri mentio appellationis.

1. RESp. Primo. Dum post latam sententiam diffinitivam (quæ usque ad tertiam conformem non habet paratam executionem. *Clem.* 1. *de sent. & re judic.*) in secunda instantia rescriptum impetratur, debet exponi Papæ, quod in curia Ecclesiastica seu Episcopi N. inter oratorem, & N. fuerit ab eadem curia nulliter & injuste contra oratorem per sententiam diffinitivam, vel per decretum habens vim diffinitivæ (non enim licet appellare nisi a diffinitiva vel diffinitivæ vim habente, Trid. *sess.* 24. *c.* 20. *de ref.*) fuerit pronunciatum, a quo sentiens se gravatum appellat &c. & petit Judicem in partibus.

2. Resp. secundo. Dum igitur in hoc casu deserta fuit appellatio, hoc ipsum exprimi debet Papæ, alias Breve appellationis erit subreptitium; cum facile a concessione rescripti talis per hoc removeri potest Papa, cum deserta appellatione, sententia transierit in judicatum, & executionem habeat, juxta *c. cum sit Romana de appellat. & ibi* DD. Rosa *p.* 2. *c.* 2. *n.* 3. citans Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 12. *n.* 32. Marantam *in specul. aureo p.* 6. *v. & quandoque appellatio a num.* 408. Minden. *de arb. cit. cas.* 202. *nu.* 46. Monet. *de commut. ultim. volunt. c.* 6. *n.* 326. *&c.* Idque etiamsi de desertione non objiciatur. Rosa *n.* 4. Minsinger. *observat.* 22. *centur.* 3. Item in rescripto adsit clausula: non obstante sententia lata; cum per hoc sufficienter adhuc non exponatur, quod sententia per hanc desertionem transierit in judicatum. Felin. *in cap. super litem h. t. n.* 24. Menoch. *l. c. n.* 47. Rosa *n.* 7. contra rem autem judicatam non datur rescriptum. Rosa *l. c.* citans Salgad. *de retent. Bullar. p.* 2. *c.* 31. *nu.* 7. Sic, cum recessum fuit ab appellatione, rescriptum erit nullum. Salgad. *l. c. a n.* 36. Ros. *num.* 8. etiam, dum partes post sententiam devenerunt ad concordiam. Menoch. *cit. cas.* 202. *num.* 55. Monet. *l. cit. num.* 327. Farinac. *in repertor. judicial. quæst.* 81. *nu.* 21. apud Ros. *nu.* 9.

QUÆSTIO CCLXXVII.

Quorum facienda mentio in rescriptis gratiæ seu ad beneficia, seu sit de eorum forma, ita ut, si omittantur, rescripta sint nulla.

1. RESp. Primo. Si in rescripto beneficiali justitiæ seu impetrato in forma pauperum, seu forma communi (qualia quænam dicantur, vide supra, *ad quæst. quotuplicia sint rescripta*) non fiat mentio patrimonii, sive ad illud impetrans ordinatus sit, sive non, obreptitium & invalidum est rescriptum, & non tenetur executor mandati providere illi. Abbas *in c. postulasti h.* 1. *n.* 3. Rebuff. *in pr. benef. tit. de different. inter rescrip. gratia & just. n.* 31. & 32. Pirh. *h. t. nu.* 60. cum enim per tales literas provideatur solum clericis pauperibus, & pauper non sit, qui habet sufficiens patrimonium, literæ sunt subreptitiæ, quippe impetratæ tacita veritate, qua cognita Papa probabiliter eas non concessisset, secus est in rescriptis beneficialibus gratiosis. Quippe quæ, cum non fundentur in justitia, sed in mera gratia, conceduntur etiam clericis non egentibus; adeoque necesse non est exprimere habitum patrimonium. AA. iidem *LL. citat.* Idque, etiamsi impetrans ad illud ordinatus sit. Imol. *in c. postulasti nu.* 7. eo quod cum habens beneficium & simul patrimonium, etsi desuper ordinatus sit, non teneatur ex patrimonio vivere, seu propriis stipendiis militare & Ecclesiæ servire. Abbas *in cit. c. postulasti n.* 4. Papa, etsi id scivisset, tamen tales ei literas dedisset. Ac ita, quidquid sit de rigore juris, observari ex stylo Curiæ Rom. testatur Abbas *l. c.* Rebuff. *n.* 33. Pirh. *cit. n.* 60.

2. Resp. secundo. Tam in rescriptis beneficialibus gratiæ quam justitiæ facienda est mentio beneficii præhabiti ab impetrante, alias sunt ipso jure nulla, *cit. c. postulasti*. Præterquam enim, quod stylus curiæ hanc expressionem requirat sub dicta nullitate. Argum. *c. cum adeo h. t. & c. si motu de præb. in* 6. Et Papa non soleat istiusmodi literas gratiosas concedere habenti jam sufficiens beneficium, nisi de eo fiat mentio, *c. postulasti in fine*, de rescriptis beneficialibus justitiæ specialis est ratio; quod Papa per istiusmodi literas intendat succurrere necessitati pauperum clericorum nullum habentium beneficium. Proceditque responsio, etiamsi beneficium ab impetrante præhabitum sit modicum ac tenue ad vitæ sustentationem insufficiens, constat *ex c. si proponente h. t.* Unde licet alias modicum in jure pro nihilo reputetur & vix æstimari soleat, adeoque modicum beneficium videatur censendum non esse beneficium. Si tamen institutum authoritate ecclesiastica, nullum censeri debet tam exiguum, ut nulla ejus ratio habenda, dum a Sede Apostolica impetratur aliud beneficium. Laym. *in cit. c. si proponente*. Pirh. *h. t. num.* 63. Procedereque idem de omni beneficiu, sive detur in titulum perpetuum, sive in temporalem, ait *ibidem* Pirh. cum Felinus *in c. in nostra h. t. nu.* 18. Item sive secundum beneficium obtentum fuerit subreptitie per expressionem falsi, dicendo, se nullum habere adhuc beneficium, qui est casus in cit. c. proponente, sive per suppressionem veri tacendo nimirum de præhabito beneficio. Gl. *in ci. c. propon. in princ.* Imul. *nu.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q.* 3. *in fine*. Pirh. *l. c.* Argum. *c. si motu de præb. in* 6. His non obstante, quod, si Papa scivisset, præhabitum impetrantis beneficium esse tenue, nihilominus illi alterum contulisset, aut conferri mandasset; adeoque error seu ignorantia hæc beneficii non videatur esse causa gratiæ seu rescripti de alio beneficio conferendo. Nam dum jus vel stylus curiæ requirit, ut veritas aliqua exprimatur tanquam necessaria ad valorem gratiæ, expressio hæc spectat ad formam substantialem rescripti. Ac proinde etiamsi ignorantia illius veritatis non fuerit causa impetrationis, non valebit tamen rescriptum; cum sine forma res seu actus non subsistat, *L. Julianus §. sed si quis ff. ad exhibendum*.

3. Resp. tertia. Etiam opus esse fieri mentionem de beneficio manuali, nulla facta distinctione inter perpetuum & temporale, tradit Castrop. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 31. *§.* 4. *nu.* 3. ductus gene-

generalitate textus *c. si proponente*. Quod etsi de manuali dato in titulum admittant, negant tamen de manuali ad instar vicariæ temporalis non soliti dari in titulum, cum Selva *de benef. q. 11. num.* 19. Felin. &c. Wiestuer. *h. t. nu.* 60. verum hoc ipsa hi AA. recedere videntur a proprietate beneficil manualis; cum beneficium solitum dari io titulum sit perpetuum & non manuale.

4. Resp. quarto. In rescriptis beneficialibus justitiæ faciendą est mentio de obtenta pensione ecclesiastica, etsi hæc data non sit in titulum, uti & aliorum redditnum non ecclesiasticorum (secus ac requiratur in rescriptis gratiæ. Jo. And. *in c. postulasti nu.* 4.) alias erunt irrita, aut saltem per exceptionem peremtoriam elidi poterunt, Quia per hujusmodi pensionem & redditus tollitur causa concessionia, nempe paupertas. Pirh. *nu.* 62. ubi etiam cum Felin. *in cit. c. postulasti num.* 5. & Layman *ibidem n.* 5. astruit, quod, si tales literæ oon dirigantur ad ordinatorem talis pauperis clerici, tanquam contentiosæ ad exequendum jus debitum & obligationem ab eo contractam; sed cootineant simplex mandatum de providendo tali pauperi clerico, tanquam gratiosæ literæ censeri debeant, & cuosequenter sint subreptitiæ & ipso jure irriræ.

5. Resp. quioto. Insuper tanquam forma rescripti requiritur expressio qualitatis primi beneficii, v. gr. num sit dignitas, alias non facta hac expressione rescriptum ad secundum beneficium, etiam minus, erit subreptitium, & hinc iovalidum ratione tacitæ veritatis per se ad rem pertinentis, qua expressa probabiliter Papa non concessisset secundom beneficium; cum non sit ejus intentio, personis, quæ jam ante redditibus ecclesiasticis abundant, conferte alia beneficia, maxime minora, quæ pauperibus clericis obvenire debeant. Uti hæc constat ex *cap. ad aures boc. tit.* Pirbing *num.* 64.

6. Resp. sexto. Exprimi quoque debet, num beneficium impetratum sit curatum *c. cum in illis de præb. in* 6. Abbas *in c. ad aures nu.* 3. An requirat perpetuam residentiam. Abbas *l. c.* Argum. *c. ult. de cler. non residentibus*. An sit juris patronatus. Menoch. *de arb. casu* 201. *nu.* 71. An electivum. Menoch. *n.* 84. An unitum alteri beneficio. Menoch. *n.* 91. Ao beneficiom Cathedralis, utpote quod non venit nomine beneficii in rescriptis ambitiosis, *c. quamvis de præb. in* 6. Menoch. *n.* 73. Exprimi item debet valor seu quantitas redditnum beneficii, non quidem de jure communi, sed juxta praxin & stylum curiæ. Pirh. *nu.* 65. Qui etiam addit, hæc omnia procedere, nisi certum vel verisimile sit, Papam nihilominus, etiamsi hæ qualitates beneficii expressæ non fuissenr, illud tamen concessurum fuisse. Eo quod quando ad intentionem maudantis seu concedentis gratiam recurrendum est, subreptio propter taciturnitatem veri habere locum non possit. Argum. *c. ad aures*, juncta Glos. præterquam, si expressio qualitatis tanquam forma requiratur, ita ut sine ea rescriptum sit irritum. Verum non probat Pirh. quod horum expressio non sit de forma. Hoc rectius cum communi subjungit *nu.* 66. Quod hactenus dicta de impetratione beneficiorum a Papa locum habeant; non vero in impetratione eorundem ab Ordinario aliove Prælato inferiore Papa. Eo quod qualitates istæ beneficiorum suæ diœcesis, vel personarum illa petentium censeaotur esse notæ Ordinario & locus non sit subreptioni per taciturnitatem veritatis, si ea concedenti verisimiliter est cognita, ut Felin. *in c. in nostra h. t. num.* 25.

7. Resp. septimo. Fieri quoque debet mentio de rescripto seu maodato a Papa impetrato ob beneficium, etiamsi illi rescripto renunciaverit, alias literæ posteriores sont ipso jure irritæ, ut habetur *in c. ad audientiam h. t.* Ratio hujus est, quia impetrans vi priorum literarum consequi poterat beneficium, & illud quasi habebat; cum qui actionem haber, seu jus petendi, rem ipsam quodammodo habern videtur. *Reg. 15. ff. de Reg. Jur.* Adeoque Papa id sciens verisimiliter posteriores nou concessisset. Dixi etiamsi illi rescripto renunciarit. Quod intelligendum, si id fecit, accepta aliqua pensione, aut alio beneficio, ut judicat Pirh. *n.* 67. *in fine*. Non enim est opus facere mentionem de impetratis prioribus literis ab beneficium seu de gratia exspectativa, si puro & absolute illi jam renunciavir. Felin. *in cap. ad audientiam n.* 1. Pirh. *n.* 69. *in fine*.

8. Resp. octavo. Si quis vi rescripti Apostolici jam receptus in Canonicum alicujus Ecclesiæ, necdum tamen coosecutus præbendam, ex post impetrat literas Apostolicas ad beneficium alterius Ecclesiæ, debet in secundis literis fieri expressa meotio, illum jam esse in una Ecclesia Canonicum, *c. in nostra h. t.* Habet enim talis jus quæsitum ad beneficium seu præbendam saltem radicaliter, cum recepto io canonicum proxime debeatur præbenda, *c. relatum de præb.*

9. Resp. nono. Pari modo injuste spoliatus beneficio jam obtento & possesso debet facere de eo mentionem in impetratione alterius beneficii; cum per talem spoliationem non perdiderit titulum sed solum possessionem; adeoque licet de facto nullos redditus percipiat, retinet tamen jus & titulum eos recipiendi. Abbas *in c. in nostra n.* 10. Pirh. *n.* 70. *in fine*, & qui actionem habet (sive realem, sive personalem tantum) sive jus ad rem petendam, vel ad ablatam recuperandam, rem ipsam habere videtur, *reg. 15. ff. de reg. Jur.* juncta Gl. Et in impetratione rescripti papalis non tantum fieri debet mentio juris in re, seu quod quis habet in beneficio jam obtento: sed etiam de jure ad rem, nempe ad beneficium consequendum. Abbas *in c. in nostra n.* 2. Et sic in specie fieri debere mentionem de jure, quod quis habet ad beneficium vi electionis, præsentationis, & exspectativæ, bene dicit Wiestner *h. t. n.* 59.

10. Resp. decimo. Si is, cui beneficium absenti vel ignoranti collatum ab ordinario collatore v. gr. Episcopo, impetret aliud beneficium a Papa, vel etiam alio, nulla facta mentione beneficii sibi prius collati, valida est impetratio secundi beneficii, ita tamen, ut utrumque simul retinere non possit, dum sunt incompatibilia; sed in optione impetrantis sit retinere, quod voluerit, *c. gratia h. t. in* 6. *& ibi gl.* Imo ante acceptionem beneficii, beneficii collati ab Episcopo, potest a Papa impetrare aliud, non facta mentione prioris, etsi sciat id sibi collatum ab Episcopo. Pirh. *nu.* 71. cum Gl. *in cit. gratia v. ignoranti*. Neque ob illam taciturnitatem io hoc casu gratia censeri potest subreptitia. Sanchez *de mat. L.* 8. *d.* 2. *num.* 60. Nam rescriptum sive justitiæ sive gratiæ sine dolo obtentum ob tacitam veritatem noo redditur subreptitium, quando Papa etiam cognita illa veritate contulisset beneficium, quamvis alio modo aut sub quadam conditione. Jam vero in præsente casu vel potest impetrans illa duo beneficia de jure & secundum canones simul retinere, & tunc non potest dici, taciturnitatem prioris beneficii collati, nondum acceptati, esse causam rescripti seu gratiæ a Papa concessæ; cum is etiam expressa illa veritate absolute & eodem modo concessisset. Vel non potest impetrans ea retinere simul, quia incompatibilia v. g. ob sufficientiam uoius ad honestam sustentationem; & tunc Papa, cognita veritate, adhuc conferret illud secundum beneficium ei, qui prius necdum acceptarat; sed sub modo & conditione, nempe utrumque simul non retineat; sed vel posterius a Papa impetratum relinquat, vel prius collatum non acceptet, vel etiam acceptatum dimittat. Ita Layman *in cit. c. gratia h. tit. in* 6.

11. Resp. undecimo. Rescriptum gratiæ seu beneficiale impetratum a Papa contra ecclesiæ alicujus consuetudinem vel statutum non valet, nisi ejus mentio fiat saltem per clausulam derogatoriam generalem; *non obstantibus statutis vel consuetudinibus contrariis*, *c. constitutus h. t. cap. cum aliquibus eod. in* 6. *& ibi* Franc. *nu.* 1. Quia voluntas & intentio Papæ non est, laudabili locorum statuto aut consuetudini præjudicare, nisi id exprimat, *c. 1. de const. in* 6. Multoque magia ipso jure irritum esset rescriptum, si statutum, quod tacetur, esset juratum, aut alias speciali ratione confirmatum. Pirh. *num.* 72. juxta *cit. c. constitutus h. tit.* eo quod licet in statuto tali v. gr. de certo oumero canonicorum recipiendo per juramentum aut aliunde specialiter confirmato censeatur tacite excepta authoritas superioris, nempe Papæ, sive salvo jure superioris, adhuc tamen non præsumitur Papa velle derogare tali statuto propter adjectum ei juramentum, quo Deo est acquisita obligatio, nisi id exprimat, addendo saltem clausulam derogatoriam: *non obstante statuto etiam juramento confirmato*. Glos. *in cit. c. constitutus*, *v. juramento*. Abbas *ibid. nu.* 7. *&* 8. Franc. *in c. cum aliquibus n.* 1. Pirh. *cit. n.* 72. *in fine*. Sed neque sufficit meminisse statuti, nisi etiam, si est juratum, exprimatur esse juratum, ot patet *ex cit. cap. constitutus*, ubi rescriptum impetratum irritum fuit, non tantum, quia tacebatur de statuto certo numero Canonicorum, sed etiam quia tacebatur, statutum illud fuisse juratum. Fulinus *ibid. num.* 1. Et ratio est, quia verisimile non est, quod Papa tollens statuta, etiam velit tollere statuta jurata, nisi id exprimat. Felin. *nu.* 3. eum enim duplex vinculum statuti & juramenti firmius sit, quam simplex statuti, non tam facile solet derogari isti quam huic. His non obstante, quod sublato principali (quod hic est statutum) tollatur etiam accessorium, quod hic est juramentum. Hoc enim verum est, dum scitur, principale habere accessorium, sibi impetratum & scienter tollitur principale. Sic, dum collegialiter a Canonicis abrogatur statutum, quod juratum sciant, etiam per modum accessorii tollitur juramentum. Secus est, si tollens statutum ignoraret, esse ei adjunctum juramentum, non enim tunc censeretur velle tollere jura-

juramentum. Abbas *in cit. c. constitutus n. 7.* & cum eo Pirh. *nu.* 73. qui etiam in rem præsentem ex *cit. cap.* plura deducit & notat. Nempe primo, rescriptum gratiæ ob tacitam veritatem etsi impetrans eam ignoraverit, esse irritum, non ob dolum impetrantis: sed ob defectum voluntatis in concedente, non concessuro gratiam si rem plene cognovisset. Abbas *in cit. c. nu.* 1. Sanchez *l. c. d.* 21. *n.* 56. Secundo, qui asserit rescriptum esse irritum ob tacitam veritatem debere id ipsum probare; sicut *in cit. cap.* Capitulum debebat probare, tempore impetrati rescripti Apostolici numerum Canonicorum in sua ecclesia juramento statutum. Tertio, an rescriptum subreptitium sit ob tacitam veritatem, id cognoscendum ex tempore impetrationis seu Datæ literarum; ideoque illud inspiciendum. Non enim sufficit, narrata fuisse vera antea vel postea, si non fuerint vera tempore impetrationis. Abbas *in c. quia circa nu. 4. de consang. & affin. & in c. dilectus n.* 9. *de præb.* Pirhing *n.* 76. Quarto si rescriptum gratiæ vitietur quo ad partem principalem, etiam quo ad accessorium irritum censeri. Abbas *in c. constitutus n.* 5. Sanch. *l. c. d.* 21. *n.* 6. Quinto, quod si Papa facultatem concedat recipiendi aliquem in canonicum ultra numerum juramento statutum, non obstante hoc statuto etiam jurato, & receptio seu institutio canonicorum non spectet ad eos, ad quos literæ diriguntur, is authoritate apostolica receptus censeri debet, *c. cum aliquibus b. t. in* 6. adeoque in assecutione Præbendæ præferendus illi, qui prius susceptus ab ordinario collatore, vel etiam authoritate Legati Apostolici, *c. his qui de præb. in* 6. Si vero receptio spectat ad ipsos Capitulares, ad quos literæ diriguntur, non authoritate Apostolica, sed potestate eorundem Capitularium receptus censeri debet, nisi in ipsis literis expressum, ut authoritate Apostolica recipiatur. Eo quod si Princeps mandet aliquid ei, qui alias habet ordinariam potestatem id faciendi, non videatur illum facere delegatum, ut mandatum suo nomine & authoritate exequatur, sed potius excitare potestatem ejus ordinariam, vel, si ea impedita ob contrarium statutum, consuetudinem, vel privilegium, censendum est, quod velit dispensare & impedimentum illud tollere, *cap. licèt de off. Ordinar.* Pirhing *n.* 78. *in fine*.

12. Resp. duodecimo. In impetratione beneficii exprimi debet, quod sit Clericus; cum laicus beneficii ecclesiastici non sit capax, constat ex *cap. cum adeo hoc tit.* Addit Pirbing *num.* 79. Quod expressio clericatus solum requiri videatur ex stylo & consuetudine Curiæ Rom. & id, spectato jure communi non esse necessarium; eo quod tacite subintelligatur clausula: si est idoneus; adeoque etiam, si est Clericus, qui beneficium petit. Pro quo citat Abbas *in cap. cum adeo num.* 2.

13. Resp. decimo tertio. Ut valeat rescriptum in ordine ad Canonicatum, non sufficit, in eo fieri mentionem de præb. Abbas *in cit. cum adeo num.* 1. Siquidem jus præbendæ seu fructuum temporalium percipiendorum diversum est a jure spirituali canoniæ; potestque esse canonicus sine præbenda, seu absque eo, quod redditus ullos percipiat; & vice versa haberi præbenda etiam a Laico v. gr. ab æditui ex redditibus ecclesiasticis absque eo, quod habeat canoniam seu Canonicatum. Glossa *in c. cum M. Ferrariensis v. receperunt de constit.* Econtra, si Papa mandet alicui conferri Canonicatum, necesse non est fieri mentionem de præbenda; cum præbenda debeatur canonico, & sit quid consequens ad canonicatum eique annexum, *c. si Clericus c. si postquam de præb. in* 6. Qui autem vult antecedens, vult etiam consequens, & qui mandat principale, censetur etiam mandare accessorium. Abbas *in c. mandatum h. t. num.* 2.

Q U Æ S T I O CCLXXVIII.

An in rescripto gratiæ beneficialis dato illi, qui se prius per vim intruserat in beneficium, vel alias non canonice illud obtinuerat, necessario facienda mentio hujus intrusionis vel illicitæ assecutionis.

1. RESP. Primo. Si rescriptum illud sit ad idem beneficium, in quod se intruserat, aut quod assecutus non canonice, subreptitia erit impetratio illius nulla facta in ea mentione dictæ intrusionis vel illicitæ assecutionis; cum talis ad tale beneficium sit inhabilis; & si Papa vitium illud cognovisset, non contulisset, vel saltem non tali modo beneficium. Felin. *in c. postulasti h. t. num.* 15. Laym. *ibid. num.* 4. Pirh. *h. t. num.* 84. Idem est de beneficio, quod quis accepit a manu laica. Felinus *nu.* 16. Layman *nu.* 5. Pirhing *loc. cit.*

2. Resp. secundo. Si tamen rescriptum non est ad idem beneficium, in quod quis se intrusit, vel quod non canonice obtinuit, modo non acceperit a manu laica, sed aliud, ejusque mentio facta in impetratione, non videtur rescriptum esse invalidum. Felinus. Pirhing *LL. cit.* Layman *num.* 6. eo quod licet Papa, si intrusio in prius beneficium expressa fuisset, beneficium aliud non concessisset, non tamen ad intrinsecam rescripti impetrati ad aliud beneficium substantiam spectet, ut vitium intrusionis exprimatur; cum hoc per illud rescriptum purgari non debeat, seu tanquam impedimentum tolli, sicut in prioribus duobus casibus.

Q U Æ S T I O CCLXXIX.

An in rescripto impetrata in causa communi Prælato & conventui regulari fieri debeat mentio etiam conventus.

1. RESP. Primo. Licet id communiter fieri soleat, non tamen est necessarium. Pirh. *n.* 83. Argum. *c. edoceri h. tit.* ubi respondet Papa, quod Abbas contra quem in causa ei cum Monasterio communi impetrarat literas, nulla facta mentione conventus, si per appellationem tueri nequeat, quo minus vi istarum literarum coram Judice delegato respondere teneatur, nisi alia causa rationabilis ei suffragetur. Cujus ratio est, quod ad eum proprie pertineat in judicio respondere & causam defendere ad quem spectat rerum, de quibus agitur, administratio. Argum. *cit. c. edoceri*, bonorum autem & rerum communium Monasterii seu congregationis regularis administratio, eaque plena & libera, & independenter a conventu secundum canones competat Abbati seu Prælato, non tantum in rebus spiritualibus sed & in temporalibus. Argum. *c. Abbatem caus.* 18. *q.* 2. *c. cum dilatio caus.* 12. *qu.* 1. Abbas *in c. edoceri num.* 2. Imol. *ibid. nu.* 2. nisi forte causa sit gravis & valde ardua, quæ sine consensu vel consilio conventus expediri nequeat Abb. *L. c.* Imol. *n.* 4. Pirbing *h. t. nu.* 83. ubi etiam in fine addit cum Abbat. quod dictum hac in parte de Prælato regulari, locum quoque haberet in Prælatis sæcularibus quo ad bona & negotia ipsis eorumque Ecclesiis communia. Cum quilibet Prælatus teneatur procurare negotia suæ Ecclesiæ, adeoque solus agere possit & conveniri in judicio, & consequenter valeat rescriptum contra illum solum impetratum.

5. Resp. secundo. Si tamen ex speciali jure, consuetudine, statuto, præsertim a Papa confirmato, bona conventus omnino separata sunt, non tantum quo ad proprietatem, sed etiam quo ad administrationem a bonis Prælati, non valet rescriptum impetratum contra Prælatum super bonis spectantibus ad Capitulum seu Conventum, nec vi illius poterit Abbas conveniri, *cit. c. edoceri & ibi* Abb. *n.* 5. Pirh. *h. t. num.* 83.

Q U Æ S T I O CCLXXX.

Quænam rescripta dicantur in forma **perinde valere,** ***& quæ eorum vis, & qualiter different a rescriptis in forma*** **etiam valere** ***& revalidatoriis & reformatoriis.***

1. RESP. ad primum. Rescriptum *perinde valere* sic dictum, quia impetratur ac datur ad priorem gratiam ob defectum aliquem vel vitium invalidam, revalidandam, ne illa in aliqua sui parte minus efficax aut omnino inanis perseveret. Corrad. *prax. disp. Apostol. l.* 7. *cap.* 5. *num.* 39. ac proinde dicitur a Mandos. *super Reg. Cancell.* 10. *qu.* 1. *nu.* 5. Rosa *de execut. literar. Apost. p.* 1. *c.* 6. *nu.* 323. citante Lotter. Ameyd. & alios suscitare spiritum primi rescripti extincti & a Cassiodor. *decis.* 33. *super Reg. nu.* 6. vivificare, quod nullum erat, infundereque ei de novo animam. Adhibita dictione illa *perinde* (quæ improprietatem & fictionem sonat, *L. sed & si lege §. perinde ff. de petit. hared. & l. sed etsi restituatur ff. de judic.* etsi quandoque etiam veritatem significet. Ut si diceretur in statuto, quod filia nupta perinde seu per omnia habeatur pro ut sui, ea vere dicitur effecta sui juris, de quo videndus Alex. *in l. si quis ff. de acquir. possess.*) quia facit, ut prior illa gratia perinde valeat, ac si valida fuisset tempore impetrationis Corrad. *l. c. num.* 4. Rebuff. *in pr. tit. de rescripto etiam & perinde valere*. Cum Papa fingere possit ac statuere, ut actus perinde valeat, ac si jure factus esset. Bartol. & alii *in Leg. si is, qui pro tempore ff. de usucap.* Rosa *L. c. nu.* 325. Quin etiam non immerito hæc gratia *perinde valere* indicari possit ipsa gratia principalis; cum illius locum in virtute & actu subintret Sarnens. *super Reg. de non judican-*

dicando juxta form. supplicat. qu. 7. n. 4. Imo dici potest, quod etsi sit primæ revalidatoria, sit tamen gratia nova; cum non sit primæ accessoria; & dici potest principalis seconda, & secunda in ordine, prima autem relatione virtutis & efficaciæ. Rosa *L. c. nu.* 324. citans Lotter. Ameyden. Sanat autem tale rescriptum perinde valere, ac si in primis literis fuissent expressa. Rosa *n.* 328. citans Rotam. Ut tamen per hanc gratiam *perinde valere* obtentam super principali gratia, in qua fuit aliquid male & subreptitie expressum vel tacitum, sanentur omnes hujusmodi defectus, hi omnes in dicta gratia *perinde valere* exprimendi sunt. Rebuff. *l. c.* Corrad. *num.* 41. V. gr. si illegitimus minor, qui impetravit beneficium curatum, non expresso defectu natalium, neque ætatis, dein impetret novum rescriptum, in quo exprimat solum defectum natalium, illud nequaquam valebit. Neque imperfecta expressio suppletur per adjectam clausulam; *in omnibus & per omnia*: cum verba non possint ultra expressa operari; sed tantum operentur, ut acta & gesta valeant, si de iis expressa mentio facta fuerit, *L. 2. §. furiosus ff. de jur. codicill.* Cum Papa non extendat per tale rescriptum gratiam, sed solum confirmet. Neque credendus est per illud voluisse sanare defectus, quos ignorabat Rof. *L. cit. nu.* 327. Rebuff. *L. c. num.* 37. Ameyd. *L. c. c.* 14. *nu.* 8. Corrad. *L. c. num.* 42. Neque tamen etiam operatur, tale rescriptum, seu validum est in præjudicium alterius, seu juris quæsiti alteri, nisi Papa id exprimat. Rof. *n.* 336. citans Merlin. *decis.* 516. *num.* 4. Licet enim dicatur tollere omne vitium subreptionis, & retrotrahi usque ab initio & operari ex tunc, & non ex tunc, in dicto tamen casu præjudicii operatur ex nunc, ita ut si quis medio tempore impetrasset beneficium, non noceret illi. Rebuff. *l. c. a nu.* 29. Rof. *l. c. n.* 320. & 336. citans Rotam *in Gerund. priorat.* 29. *Novemb.* 1642. *num.* 11. Adeoque, quod operetur ex tunc, seu retrotrahatur ad datam gratiæ, intelligendum; si interea introducta non sit lis occasione literarum Apostolicarum, cujus proinde, ut valeat rescriptum, facienda est mentio. Rosa *nu.* 336. citans Spadam. *Tom. 2. conf.* 86. Carc. *p. 4. c. 3. n.* 34. Lotter. *lib. 2. qu. 54. n.* 58. Suffragatur etiam hæc gratia *perinde valere* resignatario, qui non publicavit juxta Bullam Gregor. XIII. de publicando. Spada; Rof. *leg. cit.* Ac denique: dum ipsa gratia revalidatoria seu *perinde valere* est nulla, posse tunc dari aliud rescriptum *perinde valere*, cum detur gratia *perinde valere*, super alia gratia *perinde valere* tradunt Ameyd. *l. c. cap. 12. a n.* 31. Tondut. *c. 4. n.* 6. Rosa *n.* 337. De cetero, quod tactum est supra, nempe an gratia *perinde valere* locum habeat, dum impetratio prius obtenta certo est invalida, an vero dum tantum de ea dubitatur, amplius discussum vide apud Rosam *a num.* 330. Porro qualiter hæ literæ *perinde valere* impetrentur super impedimentis matrimonii, & cum quo effectu: Vide apud Corrad. *l. c. a n.* 46.

2. Resp. ad secundum. Differunt a rescriptis in forma *etiam valere*. Quod cum invaliditas, seu dubium invaliditatis oritur ex defectu aliquo extrinseco, quia gratia fuit revocata & virtus illius elisa ex aliqua constitutione, vel aliunde ex parte & voluntate Principis, tunc Papa rescribit & concedit rescriptum in forma *etiam valere*, non obstante tali revocatoria, ac si emanata non fuisse. Rebuff. *in pr. benef. p. 2. de rescript. etiam valere*. Rosa *de execut. Lit. Apost. par. 1. c. 6. n.* 321. Dum vero literæ prius expeditæ sunt nullæ ex parte impetrantis ob aliquam suppressionem vel obreptionem, non tamen manifestam, & a jure communi determinatam, quo casu opus est nova gratia secundum Lott. *de re benef. l. 2. q.* 54. sed ex aliqua alia circumstantia, soleat rescribere in forma *perinde valere*. Reb. Rof. *leg. cit.* Ameyd. *de stylo Dataria l. 1. c.* 14. Lotter. *l. c.*

3. Resp. ad tertium & quartum. Rescriptum *perinde valere* proprie non differre a rescripto revalidatorio. Ita supponit Rosa, *l. c. nu.* 320. & 336. Rescriptum autem *perinde valere* seu revalidatorium etsi habeat magnam connexionem cum rescripto reformatorio; cum ambo tendant ad gratiam factam sustentandam. Corrad. *h. c. nu.* 57. Differunt tamen ex eo, quod reformatorium supponat supplicationem signatam, datam, registratam tantum: revalidatorium vero etiam literas desuper expeditas, sed ex defectu aliquo nullas. Corrad *l. c.* Reb. *l. c. n.* 57. Ameyd. *l. c. cap. 14. nu.* 14. Rosa *n.* 349. Unde sicut reformatio non datur in literis jam expeditis, sed super supplicatione signata, ita literæ *perinde valere*, non dantur super supplicatione signata, sed tantum super literis in totum expeditis. Corrad. *l. c. n.* 57. Qui etiam addit, quod nunquam vigore rescripti reformatorii seu gratiæ reformationis corrigantur Bullæ jam expeditæ.

QUÆSTIO CCLXXXI.

Quotuplicis generis sint rescriptorum clausulæ.

RESp. secundum diversas materias, super quibus expediuntur literæ Apostolicæ esse has clausulas diversissimas, ac proinde difficulter in certas classes dividi posse. Quemadmodum tamen literæ beneficiales aliæque dividuntur in tres partes quarum prima est narrativa, nimirum partim partis, partim Pontificis. Narrativa Pontificis est a principio usque ad illam partem, in qua incipit narrari petitio partis. Secunda est dispositio Papæ, in qua is mandat, quid faciendum per executorem, & incipere solet ab illa parte: *Discretioni tuæ*. Tertia dicitur executiva, qua Papa mandat exequi, quod præcepit: ita quoque clausulæ aliæ spectant ad partem narrativam, aliæ ad dispositivam; aliæ ad executivam; quamvis plurimæ hanc tertiam partem respiciant, tum præservativæ, tum executivæ, tum derogatoriæ. Rosa *c. 5. n. 1.* Sic etiam clausulæ in Bullis apponi solitæ aliæ respiciunt jus alterius, aliæ narratorum verificationem, aliæ executionem gratiæ, aliæ possessoris remotionem &c. Ubertus *de citationib. p. 1. c. 2. n.* 32. apud Rosam, *loc. cit.* De earum aliquibus celebrioribus & frequentioribus erunt quæstiones seq.

QUÆSTIO CCLXXXII.

Quid importet clausula illa: vitæ & morum tuorum honestas: *in principio Bullarum apponi solita.*

RESp. Non esse illa verba in causa, sed causam gratiæ, & consequenter non egere aliqua justificatione, ait Rosa *l. c.* citans Rebuff. *in rubr. de clausulis mandator. n.* 3. Corrad. *in pr. dispens. l. 2. c. 5. n.* 17. ubi is: quod licet Papa per ea videatur moveri ad dispensandum (vel aliam gratiam concedendam) non egeant verificatione coram delegato: quia non apponuntur conditionaliter, sed de consuetudine & stylo; ac propterea non probant ita esse, ut Rebuff. *in forma mandat. Apost.* ubi is etiam, quod verba in exordiis gratiarum apposita dicantur causa impulsiva, non autem finalis per Glos. *in l. 2. ff. de donat.* qua cessante non cesset gratia vel mandatum, *cap. cum cessante de appell.* Unde, si probaretur contrarium, nempe oratorem non esse honestæ vitæ, non minus esset ei concedenda gratia.

QUÆSTIO CCLXXXIII.

Quid importet clausula: dignum arbitramur: *quæ apponitur in mandatis seu commissionibus ad providendum.*

RESp. Hæc clausula apponi solet in omnibus provisionibus, quæ expediuntur in forma dignum, ac correspondet clausulæ, quæ apponitur in dispositivis: *dummodo idoneus reperiaris*. Rof. *l. c. n.* 2. In gratiis in forma *dignum* ex natura sua facit executorem mixtum. Rosa *num.* 3. citatis Ubert. *ubi ante n.* 30. Ameyd. Buratt. & pluribus aliis, tunc saltem, ubi adest legitimus contradictor. Ac proinde tenetur executor procedere cum cognitione causæ, assumendo partes Judicis. Rof. *n.* 5. qui etiam *nu.* 20. ait, hanc clausulam: quatenus idoneus repertus fuerit: non facere gratiam conditionalem quo ad substantiam, sed solum quo ad executionem, citans pro hoc Tondut. *p. 2. c. 4. §. 2. n.* 9. & Rotam *in Toletan. Archiepiscop.* 13. *Jun.* 1657. *coram Albergato*. Ad similem vero illam clausulam, quæ in omnibus rescriptis ad beneficia expresse ponitur, vel etiam non expresse subintelligitur: *si is, cui datur, dignus sit*: verificandam sufficit, dignum esse negative, seu non esse indignum, qualis erit, dum caret impedimento Canonico. Pirh. *h. t. n.* 40. qui etiam addit, citando pro hoc Nav. *in c. si quando h. t. excep.* 11. *n.* 1. hanc clausulam non efficere concessionem gratiæ conditionalem, nec illam suspendere; eo quod tacite ipso jure insit, sed esse potius quandam instructionem, quam conditionem proprie dictam. Porro clausula, illa: *dummodo orator idoneus reperiatur*. Reperta in indulto de promovendo ad Ordines, intelligenda non tantum de scientia, verum etiam de ætate, moribus, natalibus, aliisque, de quibus Trident. *sess. 23. c. 5. de reform.* Non tamen dicta clausula inducit conditionem, quod necessario orator debeat examinari, cum totum id caveatur

veatur decretis Trident. quod decretum virtute dicti Concilii literis illis tacite insit, & expressio circumstantiarum, quæ tacite insunt nihil operatur, *L. conditiones ff. de condit. & demonst.* Corrad. *in pr. dispens. l. 4. c. 7. n. 1. & 8.* Unde per dictam clausulam non inducitur forma annullans actum ob illius non observantiam: sed poterit Episcopus libere omittere examen, si oratoris doctrina sit nota. Corrad. *cit. num. 8.* nisi forsan examen requiratur pro forma. Abbas *in c. fin. de rest. spoliat.*

QUÆSTIO CCLXXXIV.

Quid importet hæc clausula: si preces veritate nitantur: *vel quod idem est:* si ita est, *nimirum, ut in petitione refertur.*

1. RESP. Primo. Hæc clausula in rescripto ad instantiam, emanato, si non partis apponatur, semper est subintelligenda, *c. ex parte h. t.* Lotter. *de re benef. l. 2. q. 48. n. 293.* Pirh. *h. t. n. 32.* Rosa *de execut. lit. Apost. c. 5. n. 19.* citans Rotam *decis. 25. p. 10. recent.* Quin etiam de rigore juris civilis, nimirum, *L. ult. C. de divers. rescrip.* necesse est, ut clausula illa expresse rescripto inseratur, ita ut, si apposita non sit, rescriptum non valeat, quippe carens forma, seu conditione ad ejus substantiam pertinente. Rebuff. *in pr. benef. tit. de different. inter rescript. grat. & Just. nu. 60.* Pirh. *h. t. n. 33.* Reiffenst. *nu. 141.* Etsi enim alias taciti & expressi regulariter eadem sit, id tamen locum non habet, ubi expressio requiritur ad formam seu essentiam. Laym. *in cit. c. ex parte n. 1.* Pirhing *l. c.* Quod autem similes conditiones ex mente concedentis vel mandantis subintelligantur, & censeantur appositæ, etsi non exprimantur, ratio est; quod ea, quæ in facto consistunt, & specialia sunt, Princeps probabiliter ignoret; ac proinde solum secundum narrationem in supplicatione contentam rescribit, earumque veritatem supponit, non concessurus gratiam, nisi vigore illius narrativæ supponeret narrata esse vera. Rof. Pirh. *LL. cit.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 24. q. 3.* cum Glos. *in cit. c. ex parte v. conditio.* Proinde jam dicta clausula gratiam facit conditionalem, consequenter omnis narrativa justificanda. Rof. Lotter. *loc. cit.* Oldrad. *de rescrip. prælud. 9. nu. 98.* Barbof. *de clauf. clauf. 93.* Nempe ab impetrante, si adversarius neget vera esse, quæ in eo continentur, Abb. *in cit. c. ex parte n. 3.* qui tamen solum probare debet ea, quæ pertinent ad causam & intentionem suam fundatam, sine quibus Princeps in ejus petitionem non consensisset; non vero ea, quæ relata sunt solum narrative, & ad causam nihil faciunt. Felin. *in cap. ex parte n. 24.* Pirh. *cit. n. 33.*

2. Resp. secundo. Tametsi dicta clausula sive expressa, sive tantum subintellecta in rescriptis dispensationum, aliarumque gratiarum importet conditionem, qua non subsistente, rescriptum seu gratia ipso jure est irrita, & commissarius nequaquam procedere potest ad executionem; non tamen est talis in rescriptis justitiæ; cum iis non inseratur ad fundandam jurisdictionem judicis delegati, sed potius ad ejus instructionem, quomodo secundum justitiam procedere debeat. Felinus *in cit. c. ex parte n. 6.* Pirhing *nu. 34.* qui tamen id limitat cum Layman *in cit. c.* nisi forte ipsum rescriptum causam definiat & decidat (quod tamen facile & ordinarie fieri non soleat; ideoque præsumendum non est. Argum. *cit. c. ex parte*) tunc enim ipso jure est irritum, veritate non subsistente.

3. Resp. tertio dicta clausula in fine posita interdum refertur tantum ad id, quod proxime antecedit, aliquando ad omnia antecedentia, prout materia subjecta exigit. Argum. *c. olim h. t.* Joan. Andr. *ibid. n. ult.* Abb. *n. 3.* Imol. *n. 16.* Pirhing *nu. 35.*

QUÆSTIO CCLXXXV.

Quid importet clausula: ut asseris, *vel* ut asserit, *&* ut asseritur.

1. RESP. ad primum. Clausula; *ut asseris*, quæ inseritur, dum literæ diriguntur ordinario, vel *ut asseris:* dum literæ diriguntur ipsi parti; idem fere importat, quod præcedens, spectatque ad narrativam partis, dubietatem in concedente demonstrans, continensque conditionem: *si ita est*, ac proinde narrata per partem sunt justificanda. Rof. *c. 5. nu. 13.* Marta *de clauf. clauf. 197.* Rid. *in pr. p. 2. c. 8. n. 65.* ac proinde gratiam in suspenso. Rof. *l. c.* citans Rotam *p. 2. recent. decis. 178. n. 15.* & non justificata jus nullum tribuit. Rof. *ib.* citans Rotam *p. 5. recent. decis. 197. n. 70.* apud Carill. *dec. log. n. 6.*

2. Resp. ad secundum. Clausulam illam: *ut asseritur:* non esse narrativam partis, sed Pontificis, adeoque non egere justificatione, dicunt Rosa *l. c. n. 15.* citans Ridolph. *p. 2. c. 8. n. 66.* Tond. *de pens. c. 14. n. 16.* Ubert. *l. c. nu. 47. & 48.* Farinacius *Tom. 2. post decis. 631. n. 5. & 6.* qui dicit non esse verificandum; uti & clausulam: *si ita est*, dum ponitur post narrativam partis. Addit tamen Rosa *nu. 16.* quod dici possit de defectu intentionis Papæ, si contrarium constiterit.

QUÆSTIO CCLXXXVI.

Quid importet clausula: consito.

1. RESP. literis beneficialibus per Breve expeditis inserta facit dispositionem conditionalem, & ante omnia semper verificanda; quia formam inducit, nec antea tribuit jurisdictionem. Garc. *de benef. p. 6. c. 3. n. 36.* Barbof. *clauf. 18.* Ottobon. *decis. 153. nu. 3.* Ruf. *cit. c. 5. n. 143.* citans Rotam *p. 1. recent. decis. 201. n. 5. &c.*

2. Facit executorem mixtum. Ottobon. *l. c. nu. 1.* Rof. *nu. 144.* Ridolph. *in pr. p. 2. c. 8. n. 124.* Ameyd. *de styl. dat. L. 1. c. 26. n. 20.* Unde & is procedere debet cum cognitione causæ. Rof. *n. 145.* Ridolph. *n. 136.* Marta *de clauf. clauf. 19. p. 1.* Imo & cum citatione partis. Ottobon. *l. c. nu. 2.* Contrarium tamen suaderi ex Rotæ *decis. 663. p. 3. divers.* ait Rof. *l. c. n. 146.* melius autem distingui a Ridolph. *n. 135.* & Garc. *L. cit.* ut procedat, dum beneficium, ad quod datur rescriptum; habet possessorem, vel etiam ut Garc. dum adest intrusus; secus vero dum omnino vacat, nullusque in eo possessor existit.

3. Requirit plenam & concludentem probationem reservationis, ad quam non sufficiant testes de publica voce & fama. Garc. *l. c. de re benef. l. 3. q. 11. n. 78.* Ameyd. *c. 28. n. 31.* Rosa *n. 147.* Ubert. *cit. c. 2. n. 39.* Maxime, ubi agitur de præjudicio ordinarii & ab eo provisi. Rof. citans Caval. *decis. 266 n. 6.* Carill. *dec. 41. nu. 1.* Ridolph. *cit. c. 8. num. 126.* Ubert. *p. 6. de execut. lit. apost. fol. 243. &c.* & hæc, ubi adest legitimus contradictor seu Possessor. Lotter. *l. c. n. 39.* Rof. *L. c.* Porro concludens hæc probatio reservationis, utpote super qua fundatur Breve de capienda possessione, & quam solam, ut Ameyd. *l. c. n. 26.* qualificat dicta clausula, undecunque oriatur reservatio, potest fieri extrajudicialiter, dum non est citandus; cum tunc executor non teneatur assumere partes Judicis. Neque enim repugnant concludens probatio & extrajudicialis informatio, qua se executor potest informare extra judicium. Rof. *l. c. n. 149.* Sufficiet nihilominus semiplena probatio obitus in mense reservato, dum is contingit in longinquo, nimirum ex testibus de publica voce & fama. Rof. *n. 150.* Ridolph. *cit. 8. n. 128.*

4. Justificata vero dicta clausula *consito* totum Breve dicitur justificatum. Lott. *l. c. n. 73.* Ubertus *fol. 243. vers. primo* Rof. *num. 152.* ita ut habeat tunc paratam executionem juxta Rotam *in Nuscana Canonicatus 21. Martii 1647. coram Anguelles*. Item clausula *consito* sufficienter justificata, executorem desinere esse mixtum, & evadere merum habet Rof. *p. 1. c. 16. nu. 50.* citata Rosa *p. 3. recent. decis. 234. nu. 2.* Ridolph. *in pr. p. 2. c. 8. n. 22.* ideoque executorem debere procedere ad immissionem quacunque oppositione non obstante; quia paratam habet executionem, quæ tardanda non est, ubi contenta sub dicta clausula sunt justificanda, etiam nulla habita possessionis & tituli intrusi ratione, dum apparet de clara ejus intrusione. Qualiter nihilominus & tunc opus citare intrusum, vide apud eundem *n. 51.* Estque hæc differentia inter literas beneficiales expeditas per Cancellariam sive per Cameram cum plumbo, & expeditas per Breve, quod in prioribus tota narrativa sit verificanda, in posterioribus sola clausula *consito* seu quantum continet dicta clausula. Garc. *l. c. n. 25.* Ameyd. *l. c. n. 25.* Rof. *n. 151.* unde & Lott. *num. 65.* quod literæ expeditæ per Breve habeant paratiorem seu promptiorem expeditionem.

QUÆ-

QUÆSTIO CCLXXXVII.

Quid importet clausula ; ex certa scientia .

1. RESp. Primo. Apposita in rescripto dispensationis solum operatur, quo ad expressas causas, & non quo ad extrinseca in Rescripto non expressa; hæc enim non possunt intelligi esse cognita a' Principe, maxime supremo; cum is omnia facta subditorum, adeoque nec omnia dispensandi vitia rescire possit. Sanchez *de mat. l. 8. d. 4. nu. 6.* Menoch. *l. 2. præsumpt. 20. n. 3.* Felin. *in c. cum inter nu. 5. de except. &c.* apud Castr. *tr. 3. d. 6. p. 13. nu. 9.* Secus dicendom de Episcopis aliisque Prælatis particularibus, quibus est obligatio examinare & cognoscere vitam factaque subditorum. Ita ut, si hi dicant, se dispensare ex certa scientia, videantur dispensare ex notitia & scientia omnium impedimentorum, quæ dispensationi cum subdito poterant obstare. Castrop. *l. c.* citans Abbat. *in c. innotuit. de elect. n. 9.* Suar. *de LL. L. 6. c. 13. n. 24.* De cetero dicta clausula non tollit defectum intentionis; nec purgat vitium subreptionis, sive non operatur quo ad ea, quæ sunt facti. De quo vide Garc. *p. 3. c. 2.*

2. Resp. secundo, hac clausula apposita in privilegii vel gratiæ prius factæ confirmatione, confirmatio dicitur fieri in forma speciali, nimirum ex certa scientia & perfecta notitia circumstantiarum & qualitatum negotii, quod confirmat. Dum econtra, si absque tali scientia & notitia confirmat, dicitur confirmatio in forma communi. Castropalao *tr. 3. d. 4. p. 2. §. 10. n. 1.* & ex eo Crimer. *ad L. 1. decretal. n. 1514.* Censetur autem Princeps confirmare privilegium ex certa scientia, non tantum quando signate dictam clausulam adjicit, sed etiam, quando talia verba æquivalentia adjicit; qualia censenda sont, dum dicit, se confirmare, non obstante quacunque alia lege contraria, seu de plenitudine potestatis; vel etiam in actu exercito inserendo ipsi confirmationi tenorem privilegii. Castrop. *l. c.* citans Glos. *in c. venerabilis de confirm. utili.* Bartol. *in L. privileg. de SS. Ecclesiis.* Felin. *in c. cum inter de except. in princ.* & *in c. nonnulli de rescr.* Suar. *de LL. l. 8. n c. 18. n. 5.* De cetero dum sic intentionem non explicat Princeps, censetor privilegium confirmare in forma communi, hoc est, eo modo, quo est concessum & usu observatum, non intendendo illud concedere de novo, casu quo non existat amplius, sed solum approbare, roborare, & quasi sub suam protectionem accipere, quod factum est. Argum. *c. quia diversitatem de concess. prab.* & *cap. examinata de confirmat. util. vel inutili.* Castrop. *n. 2.* Felinus *in c. inter dilectus de fide instrument. nu. 13.* Riccius *in rub. de confirmat. util. dub. ult.*

3. Econtra confirmationi inserta dicta clausula : *ex certa scientia*, aut alia æquipollens secundum dicta priori *num.* vis & effectus est renovandi, seu de novo concedendi privilegium aut gratiam, si forte usu aliave via amissum, aut antecedenter nullum fuit ex defectu a Principe supplebili. Castrop. *n. 3.* Crimer. *n. 1513.* vel enim Princeps, dum confirmat, cognoscit defectum aut nullitatem illius, quod confirmat, & sic clarum est, illius confirmationem æquivalere novæ concessioni; quia intendit illi dare firmitatem, quo ad potest, ac necessarium est; cum censendus non sit, velle facere actum inutilem, utpote in dispositionibus Principum, & præsertim in materia legum, indecentem. Vel non cognoscit defectum & nullitatem, aut de ea dubius existit, nulla nimirum, aut non nisi ambigua habita super hoc informatione (quod ipsum tamen, ut inquit Castropalao præsumi non debet contra verba ipsius confirmantis, dum dicit, se ex certa scientia confirmare) & adhuc dicendum, illum adhibendo dicta verba aut alia æquivalentia velle dare privilegio vim & efficaciam, ne alias cogamur dicere, verba illa *ex certa scientia* esse inutiliter apposita, quippe nullum effectum specialem habentia; ita Castrop. *cit. n. 3.* Tusch. *v. confirmatio ex certa scientia.* Suar. *l. c. n. 12.* aliique ab iis citati.

4. Limitat tamen hoc ipsum Castropalao *nu. 4.* primo; ita ut privilegium per subreptionem, falsa nimirum causa impetratum, non revalidator, etiamsi dicat confirmans, se illud ex certa scientia confirmare; eo quod defectus commissus in ipsa impetratione non præsumatur cognitus a Principe, uti & Barbosa *in cap. venerabil. de confirmat. util. vel inutil. nu. 20.* dicit, vitium subreptionis non tolli per clausulam: *ex certa scientia* : Cui tamen limitationi obstare videtur, quod clausula *ex certa scientia*, ut ipse Castrop. tradit, æquivaleat clausulæ: *de plenitudine potestatis*; quæ utique importat, Principem velle confirmare, in quantum potest, & necessarium est; jam vero Papa potest, non obstante vitio subreptionis: privilegia aliamve gratiam subreptitie, adeoque invalide, impetratam revalidare confirmatione sua, & sic, nimirum, quod non requiratur gratiam vel privilegium primitus esse concessum seu impetratum valide, ut effectum confirmationis specialis obtineat, sive ut revalidetur, eaque nullitas & defectus tollatur, docent Pirhing *in c. 1. de confirmat. util. nu. 9.* ex eo Crimer. *n. 1518.* & apud illos Beroius *in idem c. nu 27.* Abbas *in c. 1. de transact. nu. 5.* Imol. *ibidem nu. ult.* præsertim, cum ipse rescribens seu confirmans, adhibendo clausulam: *ex certa scientia*, satis affirmat, sibi etiam dictum defectum cognitum fuisse: Principi autem affirmanti, se non ignorasse defectum, credendum sit. *Clem. unic. de probat.* Abbas *in cap. examinata de confirm. n. 6.* Suar. *l. c. n. 6.*

5. Limitatur proinde melius secundo, Ita ut non solum, si nullitas vel defectus ex jure aliquo divino aut naturali v. gr. quia deficit consensus in matrimonio vel professione, is revalidari nequeat, quantomcunque diceret Pontifex, se illum confirmare ex certa scientia, aut ex plenitudine potestatis: verum etiam, quod vi dictæ clausulæ: *ex certa scientia* non censeatur tolli defectus, si ille talis est, quem licet Princeps absolute potest, non tamen solet tollere; eo quod tale rescriptum, vel ex hoc ipso præsumatur falsum. Argum. *c. porrecta de confirmat.* nisi hoc ipsum specialiter exprimat Princeps, quod etiam in tali casu ex certa scientia actum laborantem tali defectu velit confirmare.

6. Limitatur tertio, ut neque actus vi talis clausulæ, nulla facta mentione de jure alteri quæsito, censeatur confirmari, dum confirmari seu revalidari nequit sine præjudicio tertii; cum non soleat Papa indulgere gratiam cum præjudicio tertii, nisi id exprimat, ut paulo post dicetur amplius. Et licet clausula: *ex certa scientia*: significet, Principem procedere ex perfecta notitia rei seu negotii confirmandi seu validandi quo ad circumstantias, & ea, quæ sunt juris a se suique similibus conditi, non tamen etiam ex certa scientia notitia omnium circumstantiarom, quæ obstare possunt gratiæ, dum hæ dependent ex facto alterius, aut jure municipali & statutis specialibus. Crimer. *n. 1523.* Unde, nisi supplicans exprimat, aut aliunde constat, Pontifici notas esse hujusmodi circumstantias, & quod, non obstante tali circumstantia, Papa soleat tollere istiusmodi nullitatem, actus non censebitur revalidatus vi dictæ clausulæ. Neque tamen hinc sequitor, vi dictæ clausulæ non revalidari gratiam aut privilegium semel vere & valide concessum, ac dein amissum, vel revocatione concedentis, vel non usu, aut renunciatione privilegiati: cum ea amissio sit facti particularis, quod Princeps præsumitur ignorare, juxta *c. 1. de const. in 6.* nisi illius facti specialis fiat mentio aut addatur clausula; *non obstantibus*. Nam licet illationem admittat. Suar. *de LL. l. 8. c. 29. n. 4.* quo ad rescriptum, cui insertus est tenor ipsius privilegii confirmandi; negat tamen quo ad rescriptum, cui inserta clausula; *ex certa scientia*: vel *ex plenitudine potestatis*: minus tamen id recte ab eo dici putat Crimer; cum tenor privilegii insertus rescripto confirmatorio æquivaleat secundum Castropalao & alios dictis clausulis; proinde absolute negat illatum, aitque, ut privilegium semel valide concessum, sed dictis modis amissum revalidetur vi dictarum clausularum, non requiri, ut fiat mentio nullitatis ortæ ex tali particulari facto; etsi ea requiratur ad revalidandum privilegium primitus nulliter & invalide concessum. Rationem etiam disparitatis dat; quod in priore casu nullum tollendum sit vitium, uti accidit in secundo casu, in quo per confirmationem præter concessionem primo faciendam tollendum sit vitium, ob quod concessio fuit nulla. Verum num illa ratio disparitatis plene satisfaciat, dubitari potest; cum tota vis rescripti revalidatorii consistat in certa scientia, ex qua procedit, quæ æque deficit, ubi nullitas oritur ex facto particulari, sive privilegium a principio fuerit validum, sive non. Interim tamen doctrinam sic a quibusdam limitari ait, *nu. 1528.* ut etiamsi gratia a principio fuerit valida, illius tamen nullitatis, quæ per amissionem contigit, faciendam mentionem, ut vi dictarum clausularum: *ex certa scientia* &c. revalidetur, ubi per Concilium generale, vel ex gravi causa a Papa sublatum privilegium in pœnam, addendo: *non obstante decreto conciliari*, quia Papa non censetur velle derogare legi conciliari per concessionem ita generaliter factam, ut Suarez *l. c. nu. 5.* Vincent. de Justis *in dispens. matrim. l. 3. c. 4. a num. 232.* vel *non obstante tali excessu*, quia tali casu is, qui per istiusmodi revocationem amisit gratiam ante legitime concessam, per talem excessum se fecit indignum ea gratia, adeoque, nisi de illa indignitate constet ei, a quo gratia denuo suscitanda est, non potest præsumi ejus consensus in ejus innovationem.

QUÆ-

QUÆSTIO CCLXXXVIII.

Quid importet clausula : ex plenitudine potestatis.

RESp. præterea, quæ jam dicta sunt *quæst. præced.* quod æquivaleat clausulæ : *ex certa scientia* ; significat, quod tunc Princeps agat potestate absoluta. Sanch. *l. 2. de mat. d. 15. num.* 3. Menoch. *de præsump. l. 1. præsump.* 12. *a n.* 2. non tamen procedit ultra narrata, nec in præjudicium juris alieni, statutorum & consuetudinum particularium locorum, nec in casu, cujus nullitatem Princeps sanare non solet. Crimer. *num.* 1538.

QUÆSTIO CCLXXXIX.

Quid importet clausula ; supplentes omnes juris & facti defectus, si qui intervenerunt in gratia.

RESp. clausula hæc confirmationibus privilegiorum apponi solita speciale nihil addit concessioni vel confirmationi : *ex certa scientia* : sed solum apponitur ad majorem claritatem & evidentiam Castrop. *tract.* 3. *d. 4. part.* 2. §. 10. *num.* 6. Unde nec supplet vitium subreptionis, si quod intervenit, cum hoc sit contra naturam privilegii confirmatorii, ut Rodriq. *tom.* 1, *regular. qq. q.* 8. *art.* 15. *num.* 25. Suar. *de LL. l.* 8. *cap.* 20. *num.* 12. Nec inhabilitatis privilegiarii ; ut si sit spurius, excommunicatus, irregularis, quia hæc videntur specialem notitiam requirere, & clausula tali generali non auferri. Castrop. *loc. cit.* Neque defectus naturales ; quia hi suppleri non possunt ; adeoque nihil est, quod per dictam clausulam specialiter suppleatur, quod per confirmationem ; *ex certa scientia* : suppletum non sit.

QUÆSTIO CCXC.

Quid importet clausula ; dummodo tempore Datæ præsentium jus alteri quæsitum non sit.

1. RESp. primo. Dicta clausula ponitur regulariter, quando beneficium non est reservatum. Rosa *de execut. literar. Apostol. c.* 5. *num.* 105. Cocein. *in annotat. annot.* 312. atque Synonima cum illa : *absque præjudicio alterius*. Rof. *nu.* 106. uti & cum illa : *salvo jure alterius*. Pirh. *h. t. n.* 39. & quamvis omissa sit, subintelligitur tamen. Ridolph. *p. 2. c.* 8. *n.* 92. Ottob. *decis.* 263. Buratt. *decis.* 55. *num.* 1. Rof. *num.* 107. citans plures alios uti & Rosæ decisiones. Non enim censetur Princeps velle derogare juri alterius ; at cuique jus suum illæsum servare, nisi aliud exprimat, *l. 2. §. si quis a Principe ff. ne quid in loco publico*, ideoque, cum intentio Papæ non sit unquam afferre præjudicium tertio (& hoc maxime in provisione beneficiorum, quæ sunt jurispatronatus, ut Ottobon. apud Rosam, *n.* 107. *in fine*) ut dicitur *c. pastoralis, de privilegiis, c. licet, de off. ordinar. c. super eo de off. deleg. c. ad aures h. t.* Unde etiam ut notat Gl. *ibid. v. intentionis*, Papa sic uni concedit beneficium, ut alium non lædat vel gravet, saltem graviter ; modicum enim præjudicium æstimari non solet, ut Pirh. *loc. cit.* cum Gl. margin. fin. *Can.* 1. *dist.* 85. Atque ita apponuntur hæ clausulæ ad expressius præservandum jus alterius, ortumque suum habent tam ex jure communi quam ex regula Cancell. *de jure quæsito non tollendo*, quæ regula etiam ultra jus commune aliquid addit, atque magis stricta ; siquidem jure communi præservatur tantum jus certum, firmum ac radicatum (quale, jure communi attento, non dicitur jus quæsitum per præsentationem, Rof. *num.* 105.) stante autem illa regula Cancell. præservatur jus omne ortum ac natum, licet non sit omnino perfectum, & solum jus ad rem. Ameyd. *de stylo datur*, *cap.* 33. *num.* 18. Rosa, *loc. cit.*

2. Resp. secundo in specie. Præservat hæc clausula jus anterius quæsitum, seu prius provisi. Rosa *n.* 108. citans Rotam *decis.* 217. *num.* 8. *part.* 12. *recent.* Etiamsi posterior gratia esset executa, dum enim constat de jure alterius quæsito per priorem gratiam v. g. per collationem primo factam ante impetrationem secundæ gratiæ, hæc resolvitur ac habetur ac si non fuisset facta. Ita Marta, *de clauf. p.* 1. *clauf.* 35. Barbof. *clauf.* 20. Garc. *de benef. p.* 10. *c.* 1. *num.* 74. Chok. *ad reg. Cancell. de jure quæsit. non toll. num.* 6. Rosa, *num.* 108. Ridolph. *cit. c.* 8. *n.* 89. citans Rotam *in Barchinon. Canonicat.* 24. *Jan.* 1618. &c. Proinde, licet hæc clausula non reddat gratiam conditionalem conditione suspensiva ; quia non operatur suspensionem gratiæ. Lotter. *l. 2. q.* 51. *n.* 13. reddit tamen conditionalem conditione resolutiva, quatenus vi illius resolvitur jus secundi impetrantis, si constet de jure quæsito prius ab alio. Rosa *num.* 109 ex Uberto, *de citationib. c.* 2. *n.* 34. Et de hac suspensione intelligi debet Chok. *loc. cit.* dum dicit suspendere effectum.

3. Resp. tertio. Præservat jus ad rem, validum tamen considerabile & canonizabile. Ridolph. *c. 8. p.* 2. *n.* 89. Ottob. *decis.* 221. *n.* 10. Buratt. *decis.* 55. *nu.* 2. Rosa, *n.* 111. &c. non tamen invalidum & coloratum. Lotter. *cit. q.* 51. *n.* 69. Marta, *clauf.* 20. *n.* 3. Ubertus *cit. c.* 2. *num.* 34. Ridolph. *n.* 90. Rof. *loc. cit.* sic itaque præservat jus quæsitum ex præsentatione & electione Ridolph. *n.* 88. Marta, *n.* 2. Tondut. *p.* 1. *c.* 118. *n.* 4. Rof. *num.* 112. Riccius, in *pr. for. eccles.* 643. Rota, *par.* 4. *recent. decis.* 643. quamvis necdum fuerit secuta institutio. Buratt. *decis.* 651. *num.* 4. Seraphin. *decis.* 1238. Rof. *loc. cit.* Rota *in Melevitan. benef.* 27. *Jun.* 1649. apud Ottob. *decis.* 120. *num.* 9. Modo tamen præsentatio fuerit acceptata (intellige ab eo, qui habet instituere) factaque præsentatio a majore parte patronorum. Rota, *decis.* 643. *num.* 7. *part.* 4. *recent.* Ridolph. *in pr. cit. c.* 8. *num.* 41. sive modo præsentatus veniat necessario instituendus. Ubert. *loc. cit.* qualiter quia non venit præsentatus tantum a medietate patronorum, altera medietate præsentante alium, quia in eo casu locus est gratificationi, adeoque jus adhuc neutri eorum quæsitum ante dictam gratificationem, jus quoque per dictam clausulam nulli præservari potest. Rof. *num.* 114. citans Rotam *decis.* 396. *n.* 36. apud Bichium. Sed ei soli ex præsentatis a medietate præservatur illud, qui tempore datæ habuit gratificationem ab ordinario vel instituente. Ridolph. *loc. cit.* Corrad. *in pr. benef. l.* 4. *c.* 6. *num.* 68. Lotter. *l.* 2. *q.* 51. *num.* 43. quod ipsum potest intelligi de gratificatione distincta ab ipsa institutione ; dum nimirum gratificatio illa consistit in acceptatione præsentationis Titii facta hac medietate, præ præsentatione Caji facta ab altera medietate, siquidem per eam jam jus quæsitum est Titio ad beneficium, etsi necdum in beneficio ; quod ipsum demum acquiritur per institutionem.

4. Resp. quarto. Præservatur quoque per dictam clausulam jus natum duntaxat ex oppositione absque præsentatione, electione, modo opponens sit instituendus ; eo quod v. g. beneficium esset debitum certo generi personarum, seu patrimoniale, aut non nisi habenti certas qualitates, non est alius præter opponentem habens illas qualitates, tunc enim ille solus est necessario instituendus, eique jus hoc præservatur, etsi dictas qualitates necdum justificaverit, modo sint veræ. Lotter. *loc. cit. a n.* 29. Rof. *n.* 115. dum enim plures se opponunt, qui habent illas qualitates, etsi oppositio non procedat simpliciter, sed ex jure radicato ; quia tamen tunc est locus gratificationi ; adeoque ante hanc nullus eorum venit necessario instituendus, jus nulli eorum dici potest per dictam clausulam reservari. Lotter. *num.* 33. cui adhæret Rof. atque in hoc sensu seu sub hac distinctione intelligendus videtur Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. Gl.* 9. §. 1. *n.* 88. citans plures alios, dum negat, filiis patrimonialibus ante electionem, præsentationem, sententiam jus ullum, etiam ad rem competere in ordine ad talia beneficia etiam post oppositionem.

5. Resp. Quinto. Præservatur etiam per dictam clausulam jus, quod est in judicium deductum ante impetrationem gratiæ, quia dicitur jus considerabile. Rof. *num.* 116. citans Ubert. *loc. cit.* & Rotam, *decis.* 253. *n.* 2. *p.* 2. *recent.* Item, & multo magis jus acquisitum per sententiam ordinarii, utpote fortius. Rof. *n.* 117.

6. Resp. sexto. Ex provisione invalida jus nullum præservabile oritur v. g. ex collatione facta ab ordinario citra concursum, ubi is de forma requiritur. Rof. *num.* 118. Item ex possessione nulliter capta & attentata. Item ex provisione Apostolica conditionali desiderante justificationem qualitatis juris patronatus, antequam facta sit talis justificatio ; cum jus resultans & dependens a futura probatione sit incertum & mere eventuale. Rof. *num.* 120. citans Celsum *decis.* 314. *num.* 11. & 12. jus autem conditionale & eventuale non præservatur. Lotter. *l.* 2. *quæst.* 51. *num.* 52. Ægid. *conf.* 34. *num.* 52. adeoque non comprehenditur dicta clausula præservativa.

7. Resp. septimo. Tametsi Rof. *num.* 110. citans pro hoc Lotter. *ubi ante*, *num.* 14. Ridolph. *in pr. Curia Rom. par.* 2. *cap.* 8. *num.* 93. &c. dicat clausulam non egere justificatione, & hoc forte, quia non reddit gratiam conditionalem conditione suspensiva, ut dictum supra, quia, si vere non infertur præjudicium per impetrationem ; gratia subsistit ;

si vero infertur præjudicium a parte rei, gratia nulla est. Nihilominus *num.* 121. cum Ridolph. *num.* 86. Uberto, *nu.* 34. Ferentill. *ad Burat. decis.* 651. &c. ait, quod faciat executorem mixtum, adeoque admittat appellationem. Quod ipsum tamen *num.* 122. intelligendum dicit, quando adest contradictor; quin etiam, quod ubi nullus adest legitimus contradictor, executor debeat præmittere citationem per edictum, dicit teneri a Rota apud Dunozzett. *decis.* 193. *num.* 5.

QUÆSTIO CCXCI.

Quid importet clausula: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque.

1. RESp. primo. Quamvis magna dicatur ei esse vis, *c. cum aliquibus, de rescrip. in* 6. dicaturque a Barbos. *in collect. ad Trid. Sess.* 1. *num.* 2. derogare illis Conciliorum decretis, quæ expressam sui derogationem non requirunt; quin & tollat omnia, quæ gratiæ obstare possunt. Vivian. *de jurep. part.* 1. *l.* 13. *c.* 8. *num.* 155. Corrad. *pr. dispens. l.* 2. *c.* 7. *nu.* 28. citans Rotam, *decis.* 506. *num.* 1. *part.* 1. *divers.* Rosa, *de execut. lit. Apost. c.* 5. *num.* 184. Hæc tamen ipsa non nisi secundum mentem & intentionem Papæ dictam clausulam opponentis intelligenda, quæ mens tam jure communi, quam ex stylo Curiæ Roman., a quibus ejusmodi rescripta & clausulæ suam interpretationem recipiant, est colligenda.

2. Resp. secundo in specie. Num per hujusmodi clausulam in rescriptis appositam derogetur decretis Conciliorum generalium, non convenit inter AA. pro ut videre licet ex dictis a nobis supra in quæst. qualiter a Papa derogetur decretis Concilii generalis. Ubi etiam, quæ sit disparitas inter dictam clausulam appositam, & appositam aliis constitutionibus Pontificiis. Illud hic notandum iterum, quod dum plures negant huic clausulæ hanc vim derogandi decretis Conciliorum, id non procedat ex defectu potestatis; cum Papa sit supra Concilium, sed ex defectu intentionis Papæ, qui non consuevit derogare hujusmodi dispositionibus Conciliaribus, nisi specificam de Conciliis mentionem faciat, de qua voluntate Papæ & intentione, quia satis constat, dum ex narrativa facti apparet, quod gratiæ, quæ petitur, adversetur aliqua Conciliaris dispositio, & apponitur generalis illa clausula: *non obstantibus* &c. per eam derogari cuilibet Concilio, bene dicit Rosa, *num.* 183.

3. Resp. tertio. Non derogatur per hanc clausulam regulis Cancellariæ, nisi id exprimatur ut, patet ex stylo. Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 7. *num.* 75. Sarn. *in proœm. reg. Cancell. q.* 5. *per tot.* Gomez *in proœm. reg.* 8. *cancell. qu.* 5. *lit.* F. Rosa. *num.* 185. &c.

4. Resp. quarto. Tametsi per hanc clausulam derogetur cuilibet statuto, non tamen derogatur per eam fundationi, seu qualitati & conditioni in limine fundationis adjectæ, nisi talis fundationis fiat expressa mentio. Corrad. *in pr. benefic. l.* 2. *c.* 10. *num.* 96. ubi etiam addit, quod in Praxi Curiæ Rom. Datariæ & Cancellariæ id procedat, tametsi gratia a Papa concederetur motu proprio. Ros. *num.* 188. Neque etiam per eam derogetur ordinationi testatoris. Corr. *loc. cit.* Ros. *n.* 189. Neque juripatronatui laicorum Corr. *loc. cit. n.* 103. & latius *l.* 2. *c.* 12. *a n.* 52. Ros. *loc. cit.* citans in Verall. *decis.* 122. *p.* 1. Quorum omnium ratio est, quod Papa non velit istiusmodi fundationibus, ordinationibus laicorum derogare, ne hi imposterum retrahantur a similibus operibus piis. AA. iidem. Secus tamen est, sive per dictam clausulam: *non obstantibus*, vel etiam motu proprio sufficienter derogetur fundationibus, ordinationibus & juri patronatus personarum ecclesiasticarum. Corrad. *l. c.* citans Vivian. *in pr. jurisp. l.* 14. *c.* 3. *n.* 16. & 127. Felin. *in c. nonnulli*, *h. t. n.* 23. dicens contrarium tamen teneri a Garc. *p.* 7. *c.* 1. *a n.* 121. quem vide.

5. Resp. quinto. Non tollit jus quæsitum tertio. Ros. *num.* 186. Vivian. *loc. cit. l.* 13. *num.* 163. & alii communiter. Neque, nisi exprimatur, derogat privilegio non clauso in corpore juris. Crimer. *n.* 1533. citans Vivian. *de jurep. l.* 13. *c.* 8. 157.

6. Resp. sexto. De cetero nec gratiam auget, nec supplet reticentiam qualitatum necessario exprimendarum; sed tantum declarat concedentis intentionem, quatenus ea dubia est contra concessa. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 24. *n.* 9. Corrad. *in pr. dispens. l.* 7. *cap.* 7. *num.* 1. ubi in specie, quod non suppleat gradum non expressum, & consequenter ultra narrata non operatur. Felin. *in c. nonnulli, de rescrip. in* 6. Rebuff. *in pr. benef. p.* 3. *num.* 6. sed restringitur solum ad expressa Paris. *de resign. l.* 51. *qu.* 11. *num.* 43. Ac denique, dum gratia est subreptitia, nihil operatur. Ros. *loc. cit.* citans Durand. *decis.* 285. *num.* 152. cum communi. Siquidem clausulæ derogatoriæ non ampliant dispositionem, sed regulantur ab ipsa dispositione. Ros. *ibidem* citans Seraph. *decis.* 716. *n.* 3. Ludovis. *decis.* 159. *num.* 7.

QUÆSTIO CCXCII.

Quid importet clausula: Authoritate nostra: *vel vice* nostra: *vel tanquam sedis* Apostolicæ Legatus.

RESp. Clausula hæc, quæ solet apponi in mandatis de providendo, seu in dispositionibus in *forma dignum* clare ostendit, quod Papa non conferat, sed executor authoritate Apostolica post verificationem expositorum; cum Papa solum det mandatum de providendo. Rosa *c.* 5. *num.* 94. Corrad. *loc. cit. num.* 47. Atque ita necessario requiritur collatio ab executore facienda. Paris. *loc. cit. l.* 8. *q.* 7. proinde importat jurisdictionem non ordinariam sed delegatam. Menoch. *de præsump. l.* 2. *præsump. ibid. num.* 28. Ros. *l. c. num.* 256. Corrad. *loc. cit. n.* 50. qui etiam *num.* 48. quod ipsi Legati de latere & Nuncii Apostolici, tam dispensando in vim earum facultatum, quam in conferendo beneficia semper authoritate Apostolica dispensent & conferant, ac quæcunque indulta & gratias concedant, pro ut etiam major Pænitentiarius in casibus suis super impedimentis matrimonii occultis in foro conscientiæ tantum, non alias dispensat nonnisi per hæc verba: *Nos igitur, qui pænitentiariæ D. Papæ curam gerimus .... authoritate Apostolica specialiter nobis commissa discretioni tuæ committimus* &c. In casu autem, quo in iis, quæ committuntur, etiam semota commissione, haberet ordinariam jurisdictionem, putant aliqui, ei vi dictæ clausulæ non tribui jurisdictionem delegatam, sed solum excitari jurisdictionem ordinariam, ut ea pollens procedat ad ejus usum. Menoch. *num.* 14. & in hanc sententiam inclinare videtur Corrad. *loc. c. num.* 53. Aliis satis probabiliter docentibus, in eo casu ordinariam inferioris potestatem mutari in delegatam, sive velle Papam, ut tunc commissarius non suo inferioris sed delegantis nomine in tali casu procedat. Si tamen diceretur: *etiam authoritate nostra*: Barbos. *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 92. *n.* 13. ait, Ordinariam tunc habere utramque potestatem, ordinariam & delegatam. Idem tenere videtur Corrad. *loc. cit. n.* 55. eo quod particula *etiam* unum casum exprimat & alium includat. Gl. *in Clem.* 2. *de hæretic. v. Ecclesia*. Barbos. *l. c.* qui etiam videri potest *in tr. de dictionib. v. etiam* ubi *n.* 2. expresse docet, quod dictio *etiam* in materia etiam stricta & exorbitante comprehendat quoque majora expressis. Sic qui impetravit facultatem absolvendi a reservatis etiam Papæ, possit etiam absolvere a reservatis inferiori, ne particula *etiam* nihil operetur & inutiliter apposita videatur, quod est contra rectam rescriptorum interpretationem.

QUÆSTIO CCXCIII.

Quid importet clausula: cujus conscientiam oneramus: *sive* conscientiam tuam onerantes.

1. RESp. per eam esse electam industriam personæ, & consequenter impediri subdelegationem, cum communiore tenent Menoch. *de præsump. l.* 2. *q.* 21. & *de Arb. l.* 5. *q.* 68 & alii, quos citat Barbos. *claus.* 13. *it* Monet. *Claus.* 371. *par.* 1. negant Zacheus, *de rep. Eccles. cap.* 22 *de Jud. deleg. num.* 9. Sperell. *decis.* 106. *num.* 47. Monet. *de commis. ult. volunt. c.* 5. *num.* 553. Non semper hanc clausulam indicare dictam personam, sed aliquando sonare in monitionem, cit. Rosa, *de execut. lit. apost. p.* 1. *c.* 5. *nu.* 22. citans pro hoc Abb. *in c. fin. §. si autem, a n.* 7. *de off. deleg.* Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 27. Garc. *de benef. p.* 6. *c.* 2. *n.* 100. Ameyd. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 102. &c. Ac consequenter non semper, neque omnium actuum impedire delegationem, ita ut licet subdelegari non possit ipse actus principaliter commissus, possint tamen subdelegari alia præambula. Quia & idem Rosa, *p.* 2. *c.* 5. *num* 22. ait, quod interdum executores gratiæ in *forma dignum* cum clausula: *conscientiam tuam oneramus*: subdelegare possint, pro quo citat Rotam, *decis.* 8. *per tot. de concess. præb. in novis.* & *decis.* 63. *per tot. eod. tit. in antiq.* &c. Item Garc. ubi ante *n.* 103. qui refert, sic resolutum a S. Congreg. Concil. Trid. Distinguit vero Marches. *p.* 1. *de commiss. c.* 6. *n.* 90. ita ut, si dicatur: *tuam conscientiam oneramus*: addendo verba; in vim *monitionis & executionis*: & tunc posse subdelegare, nec esse electam industriam personæ. Secus sit, si non addantur dicta verba; sed hæc: *ut decidat secundum conscientiam suam*.

2. Por-

2. Porro monet Rosa, *n.* 25. cum monet aliud esse, esse electam industriam personæ, aliud, negotium esse alicui commissum personaliter exequendum, & in posteriore casu subdelegatiunem non absolute prohiberi, sed eam concedi, accedente consensu partium, ad quorum instantiam facta fuit delegatio, ut dicitur *in c. fin. §. et cui, de off. deleg.* juncta Gl. *v. si personaliter* in priore veru casu non posse subdelegare, *cit. c. fin. §. ie autem.* Notandum etiam cum eodem, *num.* 25. *juncto num.* 22. electionem iodustriæ personæ, non ex verbis simpliciter, sed ex negotio commisso dignosci. Unde ex eo, quod negotium sit arduum & grave, recte argui electam industriam personæ, & prohiberi subdelegationem juxta *c. si pro debilitate, de off. deleg.* pro quo etiam *cit. num.* 22. citat Barbos. *in cit. c. fin. num.* 5. Menoch. *de arb. q.* 68. *nu.* 15. Paxford. *Tom.* 3. *l.* 1. 13. *tit.* 6. *num.* 32. Fulgos. *de Rep. Christian. Tom.* 2. *d.* 10. *§.* 1. *n.* 22. *&c.* Denique ait Ros. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 24. dictam clausulam non operari, dum adest possessor seu contradictor; eo quod tunc procedatur alio modo.

QUÆSTIO CCXCIV.

Quid importet clausula: parito judicato.

RESp. Hujus clausulæ vim adæquatam esse, ut non audiatur sententiam passus, donec perfecte paruerit judicato. Lotter. *de re benef. l.* 3. *q.* 18. *num.* 127. Sic si oratores petentes secum dispensari io consanguinitate essent excommunicati, vel ad alias pœnas quoquo modo condemnati prupter incestum, prius omnino parere debeant sententiæ latæ vel ferendæ, antequam admitti seu audiri possiot. Corrad. *pr. dispens. l.* 8. *c.* 2. *num.* 32. Ros. *loc. cit. p.* 1. *c.* 5. *num.* 246. Idemque est, si fuerint ad forum Judicis sæcularis deducti, ut puniantur pœnis incestus, alias executor non poterit procedere ad decretum dispensationis, nisi prius verificato, quod paruerint judicato. AA. iidem. Siquidem dicta clausula tribuit jurisdictionem conditionalem; adeoque jam suspendit, donec fuerit paritum, eritque processus dispensationis antea factus nullus, utpote factus sine jurisdictione. Lotter. *l. c.* citans Socin. Sen. *cons.* 99. *num.* 10. *l.* 3. Put. *Decis.* 419. *per tot. l.* 1. Corrad. *num.* 24. citans Rotam apud Farinac. *decis.* 68. *n.* 1. *Tom.* 1. *p.* 1. Unde jam etiam non sufficit ad hoc ut delegatus exequi possit literas dispeosationis, qund oratores velint præstare cautionem de parendo judicato. Corrad. *num.* 25.

QUÆSTIO CCXCV.

Quid importet clausula: teque absolventes.

1. RESp. Hanc clausulam: *a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & aliis ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, tam a jure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum absolventes, & absolutum fore censentes &c.* apposita in singulis literis Apostolicis importat, quod Papa absolvat oratores a censuris, si forte egeant, & eos habilitet ad effectum, ut capaces reddantur gratiæ factæ. Paris. *de resignat. l.* 8. *qu.* 7. *num.* 118. Ros. *part.* 1. *c.* 5. *num.* 155. Corrad. *in pr. benefic. l.* 2. *cap.* 16. *in princ.*

2. Inseritur quoque hæc clausula quandoque literis facultatis testandi. Corrad. *pr. dispens. l.* 10 *c.* 4. *num.* 10. non tamen ex necessitate; cum juxta probabiliorem excommunicatus testari possit, ut *ibid. num. seq.* Corrad. sed potius ad cautelam, nimirum, si testaturus esset excommunicatus pro tali crimine ub quod non posset testari v. g. propter usuras, juxta *c. quoniam, de usuris in* 6. & Franc. *in c. licet, num.* 32. *de testib. in* 6.

3. Dictam clausulam: *teque absolventes*: non valere in ordine ad absulutionem ab irregularitate, utpote a qua absolvere non videtur velle Papa, oisi id exprimat, habet Paris. *l.* 4. *q.* 3. *num.* 41. Ros. *part.* 1. *c.* 5. *num.* 156. Corrad. *loc. cit.* Neque suffragatur excommunicatis ob hæresin. Paris. *l.* 8. *qu.* 7. *num.* 101. Garc. *part.* 7. *c.* 13. *num.* 67. licet de cetero vi illius absolvatur impetrans ab excommunicatione Bullæ Cænæ. Garc. *loc. cit.* Covar. *in c. alma mater &c.* Neque etiam falsificantibus literas Apostolicas. Ros. Paris. Corrad. *LL. cit.* Neque denique insordescentibus in excummunicatione: AA. idem. Licet autem dicta clausula, dum pruvisio facta in forma *dignum* operetur validitatem impetrationis, ut tameo valide obtineatur beneficium, debet impetrans, priusquam ei fiat collatio, absolvi a commissario. Garc. *loc. cit. num.* 62. Passerin. *de elect. c.* 25. *num.* 470. Dum vero hæc clausula ponitur in literis Legatorum vel etiam Episcoporum, vi illius impetrantem absulvi non nisi ab excommunicatione, a qua illi possunt absolvere notant. Garc. *loc. cit. num.* 71. Passer. *num.* 471.

QUÆSTIO CCXCVI.

Quid importet clausula: discretioni tuæ.

RESp. Hæc clausula, a qua incipit dispositiva, importat arbitrium prudentiale & rationem regulatam. Menoch. *de arb. l.* 1. *q.* 8. *num.* 26. Corrad. *in pr. dispens. l.* 7. *c.* 6. *num.* 1. Ros. *p.* 1. *c.* 9. *num.* 17. adeoque Judex delegatus debet facere verificari causam aliaque io literis narrata. Corrad. *loc. cit.* citans Heoriq. *L.* 11. *de matr. c.* 5. *num.* 5. Gutt. *cap.* 19. *nu.* 6. Unde etiam, si is cognoverit. V. g. ex matrimonio contrahendo posse aliquid mali oriri, posse illum denegare dispensationem, præcipue ad vitanda scandala, ait Corrad. *loc. cit.*

QUÆSTIO CCXCVII.

Quid importet clausula: quorum tenores.

RESp. Hæc clausula ita operatur, ac si constitutionum obstantium gratiæ seu facultati concessæ tenores de verbo ad verbum, ac in individuo exprimerentur. Bald. *in L. omnes. Cod. de præscrip.* 30. *annor.* Corrad. *in pr. dispens. l.* 10. *c.* 4. *num.* 20. ostenditque hæc clausula in rescriptis plenitudinem potestatis. Alex. *cons* 187. *num.* 19. *vol.* 5. Corrad. *l. c.* Inventaque fuit tanquam opportuna via, qua posset Papa obviare omnibus cootrariis constitutiooibus, de quibus notitiam non habet. Et licet omnes constitutiones a quocunque Papa emanatæ existent in registris Curiæ Romanæ, propter earum tamen innumerabilitatem est fere impossibile, quærere prius in concedendis gratiis cootrarias illis constitutiones, ad earum tenorem inserendum. Corrad. *num.* 23. ubi etiam in fine, quod quando Papa vult per contrarias constitutiones in oova gratia concedenda non arctari, id clarius explicare non possit, quam omoia, quæ obstare possunt, habendo pro expressis; cum perinde sit, ac si exprimantur, quo casu operatur hæc fictio idem, quod ipsa veritas io his, quæ pendent ab arbitrio & authoritate fingentis, ut dixit Imol. *in c. dilectus, de cler. non resident.* Gamb. *de auth. Legat. l.* 8. *tit. de potest. Legat. in legibus, a num.* 40.

QUÆSTIO CCXCVIII.

Quid importet clausula: ad instar.

RESp. Hæc clausula solita frequenter apponi in privilegiis hoc præstat, quod participatio alieni privilegii, seu concessio similis privilegii sortiatur eundem & parem effectum, quem habent & sortiuntur privilegia aliis concessa. Felin. *in c. nonnulli h. t. in* 6. *num.* 7. Abb. *in c. inter dilectos, de fide instrum. num.* 9. Suar. *de LL. l.* 8. *c.* 13. *num.* 2. Porro, cum duplici modo fieri possit communicatio privilegii vel gratiæ alteri concessæ, & ad instar illius. Primo directe per se & æqualiter illi æque ac illi, qui modus communis est communicationi privilegiorum, qua gaudent regulares. Secundo ut privilegium concessum alicui commuoicetur alteri non per se & principaliter, sed quasi dependenter ab alio. Io hoc secundo casu privilegium concessum ad instar alterius, hoc dein ex post aucto vel imminuto, vel revocato, censeri quoque debet, auctum, diminutum, revocatum in persona illius, cui communicatur juxta *Reg. accessorium, de Reg. jur. in* 6. & *c. translato, de constit.* Secus est in primo casu, ubi enim alicui concessa est gratia æqualiter ac alteri, is ea uti potest, ac si ipsi directe concessa esset cum omni independeotia ab altero, & relatio illa ad alterum habet se solum, ut ab ea tanquam exemplari intelligatur qualitas concessæ gratiæ. Ita fere Suar. *loc. cit. num.* 13. *a num.* 6. & ex eo Crimer. *num.* 1535. ubi etiam in fine, quod ex tenore literarum cognoscendum, an concessio ad instar facta primo modo, an secundo.

QUÆSTIO CCXCIX.

Quid importet clausula : si pro alio non scripsimus, qui hujusmodi gratiam prosequatur.

RESp. Clausula hæc locum habet, ubi duo impetrarunt & afferunt mandata a sede Apostolica ad eandem Ecclesiam de providendo ipsis de Canonicatu. Tunc, si in secundo mandato habetur hæc clausula, & illi, qui prius mandatum impetravit, provisum jam est de Canonicatu, non debet posteriori impetranti de alio Canonicatu provideri; cum non sit intentio Papæ, ordinarium collatorem super receptione seu institutione duorum gravare; nisi id exprimat, *c. mandatum h. t.* Subintelligiturque hæc clausula, etsi non exprimatur, non enim absurdum est vel superfluum ea exprimere, quæ tacite insunt. Hinc, dum contrarium intendit Papa, & vult secundum quoque impetrantem recipi, solet posteriori mandato inserere hanc clausulam: *non obstante, si pro alio scripserimus*. Gl. *in cit. c. mandatum, v. super receptione duorum*. Abb. *ibidem n.3.* De cetero posset quidem ordinarius collator utrumque impetrantem recipere, & utrique beneficium conferre, quando ambo non ad idem sed ad diversa beneficia vacatura in eadem ecclesia literas impetrarunt, quia tunc utraque gratia valet; non tamen tenetur posteriori conferre; sed potest illum per viam exceptionis seu appositi gravaminis repellere. Abb. *loc. cit. n.4.* Pirh. *ad h. t. num. 42.*

QUÆSTIO CCC.

Quid importet hæc clausula : motu proprio.

1. RESp. primo, hanc clausulam multum operari, & præcipue habere sequentes effectus. Primo, quod gratia non egeat justificatione, nempe narratorum de meritis & qualitatibus extrinsecis impetrantis, aliisque quæ habent rationem causæ impulsivæ, ita ut, licet ea narrentur, non attendantur, & ita impetrans, seu utens gratia liberetur ab onere probandi narrata in tali rescripto gratiæ, Barbos. *claus.* 37. Ridolph. *in pr. cur. rom. p.2. c. 8. n. 63.* Garc. *de benef. p. 1. c. 5. n.51.* Amey. *de styl. dat. l. 1. c.* 32. *n.95.* Ros. *de execut. Lit. Apost. p. 1. c. 5. nu.* 205. & alii passim. Et ratio est; quia hæc clausula habet ex natura sua, quod non fiat gratia ex causis per ipsos supplicantes vel alios propositis, sed ultronee ex mero Principis beneplacito. Sic in specie, dum hæc clausula ponitur in gratia reservationis pensionis, valorem non esse justificandum, ait Rosa *l. c. n.*206. Tondut. *de pens. c. 14. nu.* 35. Durand. *decis.* 167. Garc. *de benef. p. 1. c. 5. num.* 491. citans Salust. Tiber. *in pr. Auditor. Cam. l. 3. c. 3. num.*22. Put. Achil. &c. Quod tamen qualiter limitet Garc. *loc. c. n.*502. vide apud me *in foro benef. p. 3. q. 455. n. 1.* Ita tamen, ut licet stetur narrativæ factæ motu proprio in reservatione pensionis, admittatur tamen probatio in contrarium, & eo probato corruat gratia. Garc. *loc. cit. num.* 502. Ros. Tond. *LL. cit.* Sic, quod si permutationi adjecta sit dicta clausula, necesse non sit exprimere qualitatem beneficiorum permutandorum, ait Chok. *de permut. p. 2. c. 4. num. 4.* eo quod per expressionem hujus clausulæ præsumatur Papa, voluisse sua concessione ex plenitudine potestatis omnes defectus excludere & supplere; & de hac ejus voluntate constare vel ex ipsa adjectione hujus clausulæ.

2. Secundo. Quod regulariter transferat onus probandi in adversarium, qui gratiam impugnat. Ros. *n.*106. citans Put. *decis.* 100. *l.* 3. Tond. *de pens. c.17. num.* 37. Quin etiam probare volens gratiam concessam motu proprio concessam esse ad instantiam, non admittitur; quia esset rescribentem arguere mendacii. Rebuff. *in claus. mandator n.*23. apud Crimer. *n.*1497. plura de hoc paulo post *nu. 4.*

3. Tertio. Quod tollat vitium subreptionis & obreptionis, seu faciat, ut non vitietur ex tacito vero, alias ea dispositione juris exprimendo, aut expresso falso, *c. si motu proprio, de præbend. in 6. clement. si Romanus, eod.* Ros. *cit. num.* 206 citatis Paris. *de resign. l. 8. q. 9. num.*74. Marches. *de commiss. par. 2. fol.* 356. *num.* 85. Oldr. *de rescrip. prælud. 9. num.* 74. Trentacinq. *l. 1. sub tit. de rescript. & privil. resol. 5. num.* 31. Barbos. *de claus. motus prop. num.* 13. Hoc ipsum tamen, quod purget vitium subreptionis, fallit in pluribus. Primo, si taceatur inhabilitas personæ impetrantis. V. gr. illegitimitas, defectus ætatis. Gl. *in cit. c. si motu proprio.* Covar. *in c. alma mater. p. 1. num. 7.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 21. num.* 29. Secundo, si taceatur quod gratia cedat in præjudicium tertii. Crimer. *num.* 1506. *juncto num.* 1500. ubi citat pro hoc Barbos. Menoch. Marches. &c. Tertio. Quod non tollat statuta particularia, quæ ignorare censetur Princeps. Menoch. *l. 5. præsump. 39. a num. 5.* ex *c. 1. de const. in* 6. Quarto, si taceatur, quod sit beneficium jurispatronatus laici Crimer. *num.* 1506. Quinto, si derogaretur regulæ Cancell. *de annal.* cum enim hæc regula lata sit publicæ utilitatis gratia ad fraudes & lites repellendas, non censetur Papa huic regulæ velle derogare per clausulam motus proprii. Chok. *ad hanc Reg. a num.* 51. ex Mandos. *ibid. q.* 49. Sexto, si taceatur mensis reservatus, in quo contigit vacatio beneficii. Regula enim 8. Cancell. sub nullitate gratiæ expresse vult, ut in supplicatione seu quavis impetratione & concessione beneficiorum per ipsam reservatorum, etiam quæ fit motu proprio, ut fiat mentio mensis, in quo vacat beneficium; adeoque, licet *motus proprius* tollat subreptionem, non tamen supplet intentionem concedentis, ut paulo post, nec defectum substantialem, qui committitur in taciturnitate mensis, cujus expressionem expostulat Papa pro valore gratiæ. Chok. *ad hanc Reg. gl. 13. n.3.* Castrop. *de benef. de hac Reg. p. 22. §. 5. n.* 3. citans Rebuff. &c. Septimo, si taciturnitas veri faciat, ut non appareat de concedentis voluntate, ut si fiat gratia in casu & talibus circumstantiis, in quibus Papa non solet istiusmodi gratiam motu proprio concedere. Videtur tamen esse differentia hac in parte inter subreptionem nimirum ob tacitum verum & inter obreptionem ob expressionem falsi. Nam dum tacetur verum, ignoratur, num Princeps bene vel male informatus gratiam concesserit; ac ideo adhibita clausula: *motu proprio*: dici non potest gratia concessa contra concedentis voluntatem. Dum vero exprimitur falsum, cognoscitur, quod Princeps male informatus concesserit gratiam *motu proprio*, Ita Crimer. *n.* 1507. Verum id ad summum procedit, dum expressio falsi versatur circa substantialia. Alias namque, dum esset causa solum impulsiva, non minus videtur purgari per dictam clausulam, quam subreptio ob tacitum verum circa non substantialia. De cetero dictæ limitationes & fallentiæ fere fundantur in eo, quod in dictis casibus per hoc, quod dicat Princeps, se motu proprio concedere gratiam, non elidatur defectus voluntatis concedentis: motus autem proprius non firmat gratiam contra intentionem concedentis. Menoch. *de arb. cas.* 201. Mascard. *de prob. concl.* 887. *num.*93. sive non tollit defectum intentionis Principis. Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gl. 32. num.* 6. Paris. *de resign. l. 3. q. 1. num.*127. Gabr. *de claus. claus. 2. a n.* 16. Ameyd. *l. 1. c.*32. Ros. *l. c. n.*205. ubi etiam, quod quia defectus intentionis nunquam censetur exclusus, admittitur probatio in contrarium de hoc defectu.

4. Quarto, quod quamvis, ut inquit Castrop. *tr. 3. d. 6. p. 13. nu. 8.* motus proprius imbibat absolutam negationem, sic concessum, esse unquam expostulatum a Principe, quæ negatio aliunde, quam ex ipso hoc dicto probari nequit, *c. si motu proprio*, ea tamen operetur prædictos effectus, etiamsi porrecta supplicatio, & gratia impetrata ad petitionem partis. Eo quod sufficiat, quod Papa in signatura usus sit hac clausula motus proprii. Ameyd. *loc. cit. num.* 93. Ros. *num.* 206. Chok. *de permut. benef. p. 2. c.4. a n. 4.* ubi, quod hæc clausula operatura sit suum effectum, ut nimirum non sit opus exprimere beneficiorum permutandorum qualitatem; ac perinde valeat gratia, ac si fuisset pure motu propriu, nemine sollicitante obtenta, etiamsi apparere posset, gratiam v. g. permutationem beneficiorum aliquo modo obtentam ad instantiam partis. Crimer. *num.* 1510. ubi ex Felin. *in c. causam h. t. n.* 14. quod concessio motu proprio facta intelligenda sit, prout jacet & sonat, adeoque restringenda non sit, seu intelligenda ad modum gratiæ concessæ ad petitionem alicujus. Cujus ratio est, quod reddat dispositionem favorabilem & late interpretandam (dum alias collatio beneficii est stricti juris, *c. si pluribus, & c. non potest, de præb. in 6.*) per idem *c. si pluribus*, ubi: *gratiam hujusmodi, si motu proprio eam fecerimus, & tunc fiat interpretatio plenissima in eadem, referri volumus ad dignitatem vel præbendam, quæ inter illas esset majoris valoris &c.* Hinc etiam, licet dispensatio sit alias stricti juris, *c. 1. de filiis presbyt. in* 6. si tamen concessa motu proprio, latam habet interpretationem. Argum. *cit. c. si pluribus.* Sanch. *de mat. l. 8. d. 1. n.* 5. Sic quoque reservatio pensionis de se odiosa, talis tamen non est, dum est reservata cum clausula: *motu proprio*. Tondut. *de pens. c.81. n.17.* Ros. *cit. num.* 206. *in fine*.

5. Quinto. Quod impetrãti rescriptum sub hac clausula in terminis *Clem. 1. de concess. præb.* non currat tempus a die notæ vacationis in loco; sed tantum a die scientiæ impetrationis; cum tamen alias sufficiat vacare notitia vacationis in loco, ut dicitur, *cit. clem.* Crimer. *n.* 1511. Item, quod si Papa motu proprio conferat vel conferri mandet beneficium, *si vacet*, sufficiat vacare tempore collationis vel receptionis, etsi non vacet tempore datæ. Crimer. *l. c.* citans pro utroque Barbos. & Jo. Andr.

6. Resp.

6. Resp. secundo. Hanc clausulam nihil operari, non tantum contra verisimilem mentem concedentis, sed & in iis, quorum Princeps non habet notitiam. Qualia sunt, quæ sunt facti, tradunt Jo. And. *in c. si motu proprio*. Alex. *consil.* 205. *l.* 7. Bellamer. *decis.* 392. & 474. Felin. *in c. in nostra*, *h. t.* apud Chok. *loc. cit. n.* 51. Plura de hac clausula vide apud Riccium, *in pr. part.* 3. *n.* 100. ad quem remittit Ros. *num.* 206. *in fine*, uti & de clausulis aliis innumeris, quas omnes hoc loco enucleare minus congruum videtur. Videri potest Barbos. expresso tract. hanc materiam pertractans, uti & Rosa *de executor. Lit. Apost.* præcipue *part.* 1. *c.* 5. Corrad. *in pr. dispensation.* sparsim.

CAPUT TERTIUM.

De Rescriptorum Interpretatione, Obreptione, Subreptione, aliisque vitiis.

QUÆSTIO CCCI.

Rescripta in genere, prout comprehendunt rescripta tam justitiæ quam gratiæ, qualiter interpretanda.

Resp. Eadem fere, quæ supra dicta de legum interpretatinoe, una cum suis limitationibus & declarationibus, servata tamen proportione, sunt servanda. Ac propterea loquendo generatim & regulariter, dum verba rescriptorum aliarumque literarum sunt clara, ita ut de mente & voluntate ea adhibentis dubitari nequeat, intelligenda & interpretanda sunt secundum propriam & communi usu, præsertim curiæ, a qua hujusmodi literæ emanarunt, receptam significationem Abb. Bartol. & alii communiter *in c. causam quæ & c. nonnulli, h. t. L. ille aut illa ff. de Legat.* ubi: *cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio*: & Glossam *fin. in c. ad audientiam de decimis*, ubi, quod a forma verborum sine certa scientia (intellige inrenrione ea proferentis) sit recedendum.

QUÆSTIO CCCII.

Qualiter interpretanda rescripta justitiæ seu ad lites.

1. Resp. primo. Interpretanda sunt secundum jus commune, ita ut, si de contraria Principis intentinne non constet, quam minimum ab ea recedatur, etiamsi, ut jus hoc commune servetur, necessarium foret a proprietate verborum rescripti recedere, vel clausulas adjectas transponere. Quin &, ut Pirh. *h. t. n.* 15. potius præsumendum, per errorem scriptoris verba esse traosposita vel aliter mutata. Pro ut sumuntur ex *c. causam h. t.* & *ibidem* Abb. *n.* 1. Felin. *n.* 9. Fagn. *n.* 4. & alii communiter. Tum quia mens Principis talis esse præsumitur qualis de jure esse debet. *L. ex facto ff. de pupillar. & vulg. substit.* & hinc in dubio Princeps non censetur velle aliquid juri communi contrarium, nisi id exprimat: tum quia rescripta justitiæ ad juris communis observantiam conceduntur. Abb. *l. c. n.* 6. Unde jam rescripta contraria juri ex ipsius juris dispositione invalida sunt. *Can. rescripta* 25. *q.* 2. *L. fin. C. si contra jus*. Ita ut forma rescripti juri contraria servanda non sit, nisi constet, Principem aliud voluisse. Pirh. *l. c.* De qua contraria Principis voluntate aliter non constabit, quam si rescripta clausula juri communi derogante sint munita. Argum. *cit. l. fin.*

2. Resp. secundo. Facienda est stricta rescriptorum justitiæ interpretatio. Gl. *in c. nonnulli, h. t. v. lites*. Felin. *in cit. c. causam quæ n.* 8. Pirh. *h. t. num.* 17. Sunt enim odiosa; tum quia tendunt ad lites, ansamque litigandi præbent; tum quia Ordinariorum jurisdictinni derogant. Gl. *in cap. nonnulli, v. lites*. Barbos. *ibidem, num.* 55. Pirh. *cit. num.* 17. Unde jam inferuntur sequentia. Primo, rescriptum extendendum non esse ad personam in eo non expressam, vel etiam ad numerum ampliorem personarum. Sic si in eo expressæ sunt personæ minores & viliores, quæ vi illius in judicio conveniri possunt cum clausula: *& quædam aliæ personæ*: non possunt vi hujus clausulæ conveniri personæ majores & digniores, *c. sedes, h. t.* cum dictio *alius* vel *alia* sit implicativa similium, non majorum. Laym. *in cit. c. sedes*. Neque si impetratum contra personas certæ Diœcesis v. g. Coloniensis, non possint conveniri personæ civitatis Coloniensis, *c. Rudolphus, h. t.* Abb. *ibidem, num.* 1. Pirh. *ad h. t. num.* 22. Hanc quoque hujus rationem ex Abb. quod etsi nomine Diœcesis etiam in propria significatione veniat urbs episcopalis; appellatione tamen diœcesis in odiosis (secus est in materia favorabili vel indifferente) non veniat urbs primaria seu episcopalis diœcesis, sed territorium tantum extra illam civitatem situm. Argum. *c. quamvis, de præb. in* 6. *cap. cum Episcopus, de off. Ordinar. in* 6. Quin etiamsi homo civitatis episcopalis conventus a Judice delegato non per rescriptum contra existentes in diœcesi non exciperet, processum fore nullum; quia jurisdictio delegati per defectum exceptionis in hoc casu, utpote non fundata contra existentem in civitate Episcopali, non prorogatur. Pirh. *h. t. num.* 24. Multoque minus conveniri potest homo alterius diœcesis gerens idem nomen cum homine diœcesis denominatæ *c. significavit, h. t.* Neque si impetratum contra Comitem quendam aut privatum cum clausula: *& quosdam alios laicos vel etiam clericos*: conveniri potest hæres seu successor in comitatu vel etiam prælatura re integra, *cit. c. significavit*. Secus re non amplius integra, ut si lis jam cœpta cum defuncto, *cit. c. significavit*. Abb. *ibidem, num.* 6. Laym. *num.* 1. Vel etiam re integra, dum antecessor non ratione personæ suæ, sed ratione comitatus vel prælaturæ erat conveniendus. Abb. *loc. cit. n.* 4. Laym. *n.* 2. Argum. *c. cum dilecti, de foro compet.* Sic etiam non extendendum vi dictæ clausulæ: *& quidam alii*: ad personas plures tribus aut quatuor, cum olim poterat extendi ad 40. simulque horum trium aut quatuor nomina in primo citatorio debere ab impetrante exprimi, ne locus relinquatur fraudibus, si circa ipsas personas posset variare. Uti hæc habentur *c.* 2. *h. t. in* 6. Pirh. *n.* 17. qui etiam *n.* 18. *& seq.* notat sequentia. Primum, quod illud, quod coram Judice debeant exprimi personæ in rescripto non expressæ, sed contentæ illa generali clausula: *& quidam alii*: intelligendum sub conditione; si aliquas personas in individuo convenire velit; si autem cum reliquis non nominatis litigare nolit, sed v. g. per transactionem componere, id possit; cum nemo cogatur litigare. Alterum; quod si personam in prima citatione non nominaverit, vel pro nominata aliam citari faciat, etiam hac persona non excipiente, processum fore nullum. Cum Judex super persona non nominata tunc jurisdictionem non habeat; nec eam per non exceptionem acquirat. Tertium, quod si quis in petitione expressit personas, non quod eas in judicio convenire velit, sed ut possit alias paris vel minoris conditionis vi dictæ clausulæ in judicium trahere, tanquam mendax precator punitus, carere debeat impetratis; quia nemini fraus sua prodesse debet *cit. c. sedes h. t. in fine*, vide Laym. *ibidem, n.* 5. Multoque jam minus dicta clausula comprehenditur effrænata multitudo, ut notatur *cit. c. sedes Apost.*

3. Secundo infertur rescriptum extendendum non esse a casu ad casum, seu a causa ad causam non conjunctam, etiam vi clausulæ forte adjunctæ: *cognoscatis super his & aliis quibusdam*: ita ut, si in rescripto designetur res & causæ minores & leviores, Judices delegati de majoribus & gravioribus cognoscere nequeant, *cit. c. sedes*. Abb. *ib. n.* 2. Felin. *n.* 3. & 6. Imol. *n.* 19. Pirh. *h. t. n.* 19. Neque etiam de causis & litibus, quæ post rescripti impetrationem sunt exortæ. Pirh. *n.* 28. juxta *cit. c. fin.* ubi: *aut literas ipsas ad futuras causas trahant, quæ nondum fuerant tempore impetrationis*. Omnis enim dispositio quantumcunque generalis de rebus præsentibus, non de futuris, nisi aliud exprimatur, facta censetur. Argum. *L. si scripsisset, ff. de legat.* 2. Quare diligenter inspiciendum tempus datæ, quo tempore, si jam mortua persona, cui, aut etiam contra quam impetratum rescriptum, illud irritum erit, *l.* 2. *ff. de sententiis quæ sine appell. rescind.* Abb. *in cit. c. significavit, h. t. num.* 9.

4. Ex dictis hucusque quædam quoque practica deducunt. Pirh. *a num.* 21. & Laym. V. g. quod si Episcopus alicui donet prædium, aut omnia alia jura, quæ in eo habet, non censeatur donare jura spiritualia, v. g. jus decimarum, nisi forte jus spirituale accessorie transeat cum temporali, cui annexum; ut jus patronatus. Si Princeps vendat alicui prædium

cum omnibus juribus sibi in eo competentibus, non censetur vendere telonium, quod in eo habet, nec locum supplicii, aliaque similia jura, quæ ad merum imperium spectant; cum hæc non veniant sub clausula illa generali; nisi forsan Princeps concessisset omnimodam jurisdictionem; adeoque & criminalem. Si quis alteri legavit vinum græcum & omnia dulcia, non censetur comprehendisse alia dulcia nisi potabilia. *L. fin. ff. de tritico vino, & oleo legato.* Si colonus renunciet casibus fortuitis exprimendo quosdam in specie, adjecta clausula: *& ceteris fortuitis casibus*: non extenditur ad casus majores & rarius contingentes, sed tantum ad similes & minores. Argum. *c. sedet, clem. 2. de procurat.* Molin. *de just. tract. 2. d.* 495. *n.* 19. nisi adjuncta forsan clausula generalior: *& aliis quibuscunque & qualitercunque contingentibus.* Laym. *in c. sedet, n.* 3. ubi similia plura affert.

QUÆSTIO CCCIII.

Qualiter rescripta gratiæ, præsertim ad beneficia sint interpretanda.

1. **R**Esp. primo. *Quamvis plenissima sit alias in beneficiis Principum interpretatio facienda; litera tamen super obtinendis beneficiis* (intellige ecclesiasticis) *debent, cum sint ambitiosa, restringi*, verba sunt, *c. quamvis, de præb. in* 6. Quorum verborum prior pars procedit de beneficiis stricte sumptis, seu pro ut condistinctis a privilegio, quod est contra jus, & aliis beneficiis ecclesiasticis, quæ conceduntur secundum jus commune. Fagn. *in c. olim, de verb. signif. a num.* 4. & qualiter acceptum beneficium definiri potest, quod sit gratia ex liberalitate concedentis facta præter jus commune sine præjudicio tertii. In secundo vero parte pro beneficiis ecclesiasticis, quæ sunt strictæ interpretationis; quia per ambitionem solent impetrari, ac insuper derogant juri eorum, ad quos de jure spectat eorum provisio, nec non talia rescripta continent mandatum, fines autem mandati diligenter custodiendi. *L. diligenter, ff. mandati.* Unde nec per Epiikiam seu benignam interpretationem mandatum extendi potest; quasi principalis etiam alterum mandaturus fuisset, si menti occurrisset, cum enim hoc, & non aliud mandarit, tenor & forma mandati servanda est. Innoc. *in c. super literis, n. 3. h. t.* Pirh. *h. t. num.* 27.

2. Resp. secundo. Excipiuntur tamen rescripta ad beneficia ecclesiastica concessa motu proprio, hæc enim latiorem (non tamen ultra verborum vim extensam, *c. dudum, de præb.*) interpretationem admittunt; quam quæ ad alicujus instantiam impetrantur. Felin. *in c. causam, h. t. n.* 7. Pirh. *h. t. nu.* 27. videtur enim per motum illum proprium, quo excluditur alterius pro beneficio supplicantis instantia (juxta limitationes tamen de hoc factas supra ubi de dicta clausula) purgari vitium ambitionis. Item non habent minorem favorem & latitudinem in sui interpretatione, quam ultimæ voluntates Pirh. *l. c.* citans Tusch. *v. rescript. concl.* 212. *n.* 16. Excipiuntur secundo literæ beneficiales alicui concessæ in compensationem damni, quod quis passus occasione Ecclesiæ, cui pro ipso scribitur. Felin. Pirh. *LL. cit.* Tertio literæ beneficiales simpliciter favorem continentes, dum nempe per illas res ad primævum statum reducitur; uti contingit, dum Episcopo datur facultas conferendi beneficia suæ diæcesis, quę erant reservata. Felin. *in c. largam. n.* 17. Pirh. *loc. cit.*

3. De cetero ex responsione prima deducuntur sequentia in ejus declarationem. Primo mandatum de conferendo alicui beneficium vacaturum non extenditur ad beneficium post datam rescripti primo erectum. *Clem. ult. h. t.* inspicienda enim est in rescriptis mens & intentio mandantis seu concedentis, qui de beneficio tempore rescripti nondum existente videtur non cogitasse. Adhæc illa extensio videtur esse in præjudicium tertii, nimirum fundatoris, qui si viderit beneficium a se fundatum non obventurum a se designato sed tertio alicui habenti mandatum de sibi conferendo, a fundatione facile retraheretur. Gl. *in cit. Clem.* & Vivian. *ibid. in ration. Pontific.* Pirh. *n.* 31. Unde sicut beneficium vacans ex causa permutationis non debetur habenti gratiam exspectativam, *c. unic. de rer. permut. in* 6. ita æquum non est, ut beneficium primo erectum debeat conferri habenti mandatum de sibi conferendo primum vacaturum; quia alias forte erectum non fuisset. Pirh. cum Gl. *in cit. Clem.* De cetero quæ addit Pirh. ex Barbos. *in cit. Clem. n.* 7. Quod beneficium nulli unquam adhuc collatum dici proprie non possit vacare aut etiam vacaturum; cum erectio beneficii non sit modus, per quem inducitur vacatio, non magnopere urget; quid enim vetat proprie dici beneficium de novo erectum, nulli adhuc collatum vacare?

4. Secundo. Vi rescripti ad beneficium vacans vel vacaturum per cessionem seu resignationem conferri nequit impetranti vacans per obitum, *c. susceptum h. t. in* 6. & ibi Gl. *v. susceptum.* Item Laym. *num.* 1. Obitus enim & resignatio sunt modi diversi inducendi vacationem beneficii, aliudque est *cedere*, aliud *decedere*. Gl. *in cit. c. v. non morte*, & a diversis non fiat illatio. *L. Papinianus ff. de minorib. & L. inter ff. de V. O. L. etsi ante ff. de except. L. si maritus C. donat. inter virum & uxor.* & mandata beneficialia, ut dictum, strictæ interpretationis in propria ac specifica forma sunt implenda, Gl. *in c. susceptum, h. t. in 6. v. eod. & v. per mortem.* His non obstante, quod renuncians aliquando in jure fingatur mortuus, & binæ dictæ vacationes æquiparentur in jure quo ad aliqua alia; mors enim civilis & naturalis non nisi in casibus, ac jure expressis æquiparanda sunt. *L. ex ea parte §. 2. ff. de V. O.* Archid. *in cit. c. susceptum in fine* Franc. *n.* 16. Idem, quod hic dictum de modis vacandi per obitum & per renunciationem, intelligendum est quoque de aliis diversis modis vacandi, ut beneficium vacaturum per assecutionem secundi incompatibilis conferri nequeat ei, cui vi rescripti conferendum vacaturum per matrimonium. Franc. *in c. susceptum num.* 8. Pirh. *ad h. t. n.* 28. Item idem est in rescriptis gratiæ, quæ largam patiuntur interpretationem, ut si concessa alicui potestas conferendi beneficia vacantia per resignationem, conferre nequeat vacantia per obitum. Pirh. *num.* 29. His omnibus non obstantibus, quæ in *for. benef. p. 3. q.* 4. citatis pluribus dixi & declaravi: nimirum nomine vacationis simpliciter prolato venire omnes vacandi modos, hoc est, tam vacationem per mortem civilem, quam naturalem, tam per resignationem, quam per privationem; quia hæc in materia odiosa, qualis est impetratio beneficiorum, locum non habent, prout quoque *ibidem n.* 5. indicavi.

5. Tertio. Vi rescripti, quo mandatur alicui conferri beneficium in aliqua ecclesia civitatis vel diœcesis non venit beneficium Ecclesiæ cathedralis, *cit. c. quamvis*, quia, quæ speciali nota digna sunt, si specialiter non exprimuntur, studiose omissa censentur, & pro neglectis habentur. Argum. *c. quia periculosum, de sent. excom. in* 6. & *L. item apud, §. 26. ff. de injuriis*, speciali autem nota Ecclesia Cathedralis & in ea obtinere Canonicatum vel Præbendam, magnus honor est & præeminentia aliqua. Gonz. *ad reg. 8. Canc.* Gl. 2. *n.* 39. ex *c. quamvis* & *c. sancimus*, & quod regulariter in dispositione generali non comprehendantur Ecclesiarum Cathedralium beneficia, sed specialis facienda eorum mentio, habet Pirh. *de præb. n.* 369. Chok. *de precib. Cæsareis, p.* 38 ego *in foro, benef. p. 2. q. 607. n.* 2. ubi etiam cum his AA. quod in materia odiosa appellatione Cathedralis non veniat Metropolitana, etsi & ea vere sit Cathedralis. Et hæc, nisi ex verbis rescripti aliisve circumstantiis intelligatur, etiam comprehendi beneficium in Cathedrali ex mente concedentis. Barbos. *in cit. c. quamvis num.* 5. Pari modo ob rationis identitatem vi rescripti sui mandati ad beneficium vacaturum non veniunt dignitates, etiamsi adsit clausula: *& quæcunque alia.* Pirh. Chok. Ego. *LL. cit.* Neque rescriptum seu literæ loquentes de personatu comprehendunt dignitatem AA. iidem apud me *loc. cit.* cum personatus non sit proprie, nec computetur inter dignitates, ut apud eosdem Coras. *de benef. p. 4. c. 3. n.* 7. Paris. *de resign.* &c. Neque talia rescripta ad beneficia extendunt se ad beneficia jurispatronatus laicalis competentis ex fundatione, dotatione, vel etiam jurispatronatus mixti. Siquidem generalis dispositio & indulta Pontificum, etiamsi præstantissimas habeant clausulas derogatorias, & derogationes derogatoriarum derogatorias, non extendunt se ad istiusmodi beneficia; cum nunquam censeatur Papa velle derogare juri quæsito laicis ex fundatione, nisi id specialiter exprimat. Chok. *l. c. pag.* 42. Pirh. *l. c. n.* 368. vide me *l. c. n.* 3. Neque ad beneficia vacantia per resignationem in favorem; siquidem resignans in favorem non intendit jus a se abdicare, nisi beneficium acquiratur resignatario. Paris. *de resign. l. 10. q. 7. n.* 22. unde etiam privilegia conferendi beneficia locum non habent in istiusmodi beneficiis vacantibus per resignationem in favorem, ut Chok. *l. c. pag* 74. Pirh. *l. c. n.* 385. Et consequenter nec in mandato de conferendo vacans aut vacaturum, ut patet in precibus primariis, quæ se ad illa beneficia non extendunt juxta citatos AA. Idem est de vacantibus permutationis gratia. Idem quoque dicendum videtur de proprie electivis; cum ne quidem veniant sub clausula; *ad collationem, præsentationem: aut aliam quamcumque dispositionem spectantia*: juxta *Clem. 1. de præb.* Neque etiam exspectativæ se extendebant olim ad beneficia electiva. Lotter. *de re benef. l. 2. q. 21. n.* 120. Ego *foro benef. p. 3. q. 633. num.* 2.

6. Quarto. Vi rescripti, quo mandatur alicui præbenda non sacerdotalis, vel integra, vel certi valoris non potest, etiam volenti & consentienti, conferri præbenda sacerdotalis,

vel

vel dimidia, aut minoris valoris, *c. cui de non. de preb. in 6.* usque adeo rescripta ad beneficia restringi debent, & neutiquam extendi ad casus non expressos. Porro hæc omnia dicta de stricta interpretatione rescriptorum ad beneficia cum suis limitationibus locum quoque habere in rescriptis beneficialibus & aliis gratiis concessis ab ordinariis Papa seu Principe inferioribus, ait Pirh. *h. t. n. 29. in fine* citato Laym. *in cap. susceptum, num. 2.*

De rescriptorum vero minus stricte talium seu quæ continent privilegia, interpretatione agere, spectat ad titulum de privilegiis, vide tantisper Reiffenst. qui de hoc hic tractat. *a num.* 130.

QUÆSTIO CCCIV.

Quid sit obreptio & subreptio, & an distinguantur.

RESp. in hoc, an distinguantur hæc duo, AA. non conveniunt. Nam nullam esse distinctionem inter ea, sed esse Synonima; & confuse obreptitias vel subreptitias literas vocant, quoties male impetratæ sunt, sive falsum exprimendo, sive verum tacendo, juxta quod in c. super literis per totum parificantur taciturnitas veri de jure exprimendi, & suggestio falsi, ita inquam tenent Decius *in cit. c. super literis h. t.* Faga. *ibid. n. 5.* Sanch. *de mat. l. 8. d.* 51. *n. 1.* Pont. *de mat. l. 8. c.* 16. Meroll. *tom. 2. d. 4. c. 6. du. 55. n. 339.* Menoch. *de arb. cas.* 201. *a n.* 10. Ameyd. *de stylo dat. l. 1. c. 33. n.* 54. Ubert. *de execut. lit. Apost. fol.* 247. &c. apud Ros. *de execut. lit. Apost. p. 1. c. 4. n. 18.* testantem, se multas vidisse Rotæ decis. in quibus confundebatur subreptitia cum obreptitia gratia, & in specie *in Romana officior.* 27. *Novemb.* 1658. *coram Bevilaqua*, 395. *p. 12. recent. n.* 6. Ex quibus plures, ut Sanch. Fagn. cum Abb. *in c. dilecta h. t. n.* 27. id solum velle videntur, quod hæc duo idem sint in ordine ad effectum eundem, nimirum irritandi rescripta; & sic, quod de uno dicitur in ordine ad hunc effectum, etiam dictum censeatur de altero; aut etiam in ordine ad punitionem, juxta *leg. si quis obrepserit ff. ad leg. Cornel. de falsis*, ubi: *si quis obrepserit præsidi* (*nimirum tacendo veritatem*) *perinde punitur, ac si falsum fecerit*. De cetero differentiam notabilem esse inter hæc duo, affirmant plures. Barbos. *in c. super literis.* Corrad. *in pr. disp. l. 7. c. 4. n.* 4. citans Innoc. *in c. cum dilectus h. t. n.* 3. ac dicens hoc esse secundum omnium antiquorum & peritorum Curialium sententiam, sufficienterque hoc ipsum deprehendi ex diversis rescriptis seu literis Apostolicis, in quibus dici solet, quod literæ non possint de subreptionis vel obreptionis vitio notari, item *non minus subreptitie quam obreptitie*: adeoque hæc duo tanquam diversa poni, ne alias literæ Apostolicæ, in quibus quodlibet verbum debeat operari, *c. si Papa, de privil. in* 6. videantur continere aliquid superfluum, nimirum *τὸ vel*, quæ dictin ex natura sua cadat in diversa, ut Gonz. *ad reg. 8. cancel. Gl.* 48. *n. 1.* & *Gl.* 52. *n.* 8. Non tamen pari modo hi AA. hanc differentiam explicant; dum eorum plures tradunt, subreptionem seu rescriptum subreptitium esse, dum tacetur veritas, quæ omnino narranda erat, & obreptitium, dum falsum narratur. Alii vero cum Corrad. *l. c.* subreptitium dicunt, dum vel tacetur veritas exponenda, vel exprimitur falsum: obreptitium vero proprie, dum per verborum involutionem, aut cautam supplicationem, seu loquelam veluti ironicam aut callidam effugitur plena concedentis intelligentia, seu fit, ut Papa non percipiat veritatem, ut Innoc. *l. c.* & alii obreptitium dici volunt per narrationem falsi, subreptitium per veritatis alicujus reticentiam, aut confusam & implicatam narrationem.

QUÆSTIO CCCV.

Quotupliciter rescripta reddantur obreptitia vel subreptitia.

1. RESp. primo. Rescripta tam gratiæ quam justitiæ generatim loquendo, redduntur obreptitia vel subreptitia, ob duas causas, nimirum ob tacitam veritatem ad rem per se sive intrinsece pertinentis; & ob expressionem falsitatis, itidem per se & intrinsece ad rem spectantis, *c. super literis*: ubi: tacita veritate vel suggestione falsitatis; duæ siquidem sunt causæ, quæ Principi, a cujus voluntate unice rescripta dependent; una falsa narratio, per quam proponitur aliquid ad rem pertinens, concessionem impediunt; quod tamen verum non est, per quod moveatur ad concedendum beneficium vel gratiam in rescriptis gratiæ, vel ad delegandam jurisdictionem in rescriptis justitiæ, v. g. dum supplicans pro rescripto justitiæ dicit se miserabilem personam esse, ideoque impetrat rescriptum ut summarie & de plano sine strepitu justitiæ procedatur. Altera est suppressio veri, quando tacetur quo expresso concessio facta non fuisset, v. g. dum quis contra aliquem impetrat duo rescripta in eodem negotio ad diversos Judices, nulla in posteriora facta mentione prioris. Pirh *h. t. n* 86. *juncto*, *n.* 89. & 90. Suar. *de LL. l. 8. c* 21. *n.* 6. Porro causa movens in rescriptis tacita aut falso expressa alia est finalis, qualis dicitur, quia ea non existente Princeps non concederet, quod petitur, vel non eo pacto aut modo, quo concessit, sed adhibito moderamine; alia est impulsiva, qua non existente, Princeps quidem absolute eodemque pacto ac forma concessisset, non tamen tam facile, sed multo difficilius. Pirh. *cit. n.* 86. citans Sanch. *de matr. l. 8. d. 21. n.* 8.

2. Resp. secundo. Obreptio & subreptio, seu taciturnitas veri & expressio falsi vel per fraudem & malitiam, vel per simplicitatem & ignorantiam committitur *c. super literis*, *h. t.* ubi Papa loquens de rescriptis justitiæ, distinguendum imprimis ait inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem & ignorantiam tacita veritate vel expressa falsitate impetrant literas Apostolicas.

QUÆSTIO CCCVI.

An & qualiter literæ seu rescripta justitiæ obtenta subreptitie vel obreptitie per fraudem & malitiam sint irrita vel nulla.

1. RESp. primo sunt irrita, ita ut Judex in iis datus, postquam illi de hoc constiterit, sive per probationes partis opponentis, sive ex evidentia facti, non debeat nec possit de causa principali cognoscere, ne quidem secundum formam juris communis; idque, etiamsi Princeps, si obreptio vel subreptio dolosa non intervenisset, nihilominus rescriptum daturus fuisset, licet non ea forma, sed forma communi, sive secundum terminos juris communis, pro ut habetur in *c. super literis*, ubi de talibus sic statuit Innoc. III. *in sua perversitatis pœnam nullum ex illis literis commodum consequatur; ita videlicet, quod delegatus* (*postquam sibi super hoc facta fuerit fides*) *nullatenus de causa cognoscat*; pro ut etiam habentur similia in *c. Sedes*, *h. t.* Abb. *in c. super literis*, *n. 2.* Sanch. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 88.

2. Resp. secundo. Regulariter tamen rescriptum tale ob dolum talem commissum non est irritum ipso jure, sed solum ope exceptionis factæ ab adversario de obreptione. Gl. *in c. super literis*, *v. nullatenus*. Abb. *ibid. n.* 5. Berojus, *a n.* 25. Felin. *in c. ad audientiam*, *h. t. n.* 17. Fagn. *n.* 22. Menoch. *de arb. casu* 201. *n.* 2. & 3. Vant. *de nullitat. ex defect. jurisdict. num.* 60. Sanch. *l. c. n.* 76. Pirh. *h. t. n.* 97. cum communi Canonistarum; siquidem vi talis rescripti (ut manifeste colligitur ex *c. super literis*) per dolum subreptitie obtenti datur & acquiritur Judici in literis delegato jurisdictio, ut is cognoscere possit saltem de veritate precum & articulo subreptionis, & coram illo fieri debeant probationes de subreptione, quæ fieri nequeant nisi coram Judice, *c. ex literis*, *de probat. l. quingenta*, *ff. eod.* adeoque tunc rescriptum tale non est nullum; cum ex actu nullo nullus sequi possit effectus, *c. si super*, *de off. deleg.* Ad hæc ex eo, quod Judex datus literis subreptitiis non possit de causa cognoscere, postquam illi de dolosa subreptione constiterit, manifeste sequitur illum de causa posse cognoscere, priusquam de dolo constiterit, & processus eo usque valeat. Ac denique dolus dans causam dispositioni seu contractui stricti juris non reddit contractum irritum ipso jure, sed ope exceptionis. *L. si quis ff. de V. O.* rescripta autem ad lites sint dispositiones stricti juris, *c. Sedes*, *c. Rodulphus*, *h. t.* ergo nec ipsa sunt irrita ipso jure ob dolum. Proinde jam, dum *c. super literis L. etsi. C. si contra jus*, & alibi tam in jure civili quam canonico dicitur; quod mendax precator debeat penitus carere impetratis, nullumque ex illis literis commodum consequi; intelligendum non est illico & in continente, adeoque ipso facto, sed postquam exceptio doli fuerit opposita, & legitime probata subreptio dolosa, ut tunc demum rescriptum quo ad omnes partes invalidum & nullum reddatur. Pirh. *n.* 97. citans Berojum *ubi ante*, esto alias illi termini: *nullum consequatur commodum*; *penitus nullum*: important nullitatem ipso jure, dum in dispositione aliud nihil adjunctum est, ut in *c. super literis* contingit, ubi post *τὸ commodum nullum consequatur*: mox subjungitur: ita *videlicet*, *quod dilectus* &c.

QUÆSTIO CCCVII.

An & qualiter rescripta gratiæ obtenta subreptitie vel obreptitie per simplicitatem & ignorantiam sint irrita.

RESP. si subreptio ex ignorantia vel simplicitate fuit tantum causa obtinendi rescripti in tali forma, non autem quo ad substantiam, sive si nihilominus, etiam expressa veritate, & tacita falsitate Princeps concessurus fuisset rescriptum, etsi alia forma, vel etiam non ita facile, non vitiat rescriptum quo ad substantiam. Si vero Princeps nullo modo fuisset concessurus, rescriptum vitiatur in totum, & redditur irritum, intellige juxta *respons. ad praeced. quaest.* non quidem ipso jure, sed ope exceptionis. Complectitur hoc ipsum Felin. paucioribus verbis in *summario*, *cit. c. super literis* dicens: *subreptio si processerit ex simplicitate vel ignorantia, eatenus vitiat, quatenus fuit causa concessionis*, fusioribus vero & expressioribus ipse textus *cit. c. super literis*, ubi loquens de præsente casu ignorantiæ & simplicitatis ait: *si talis expressa sit falsitas, vel veritas occulta, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus, saltem in forma communi, literas dedissemus, delegatus non sequens formam in literis ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa ipsa procedat, si vero per hujusmodi falsitatis expressionem vel suppressionem etiam veritatis literæ fuerint impetratæ, quas tacita vel expressa, nos nullas prorsus litteras dedissemus* (de quo, ut inquit Reiffenst. *h. t. n.* 158. delegatus cognoscere debet attendendo ad stylum Curiæ Rom. vel consuetudinem, alias in similibus observari solitam) *a delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsan eatenus, ut partibus ad suam præsentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat* &c. Proinde vides, quod (cum rescripta justitiæ quandoque dentur in forma communi, nimirum ut Judex procedat servato juris communis ordine quandoque in forma speciali cum certis clausulis, v. g. *appellatione remota* &c. ubi subreptio vel obreptio contingit ex ignorantia vel simplicitate oratorum, delegatus adhuc, etiam cognito vitio, procedere possit, sed in forma communi, nimirum juxta jus commune; non vero juxta formam specialem in rescripto contentam; nimirum in casu quo nihilominus Papa concessurus fuisset rescriptum quo ad substantiam.

QUÆSTIO CCCVIII.

Quid hoc in puncto dicendum de rescriptis gratiæ ad beneficia.

1\. RESP. primo. Si impetrata hæc rescripta per subreptionem vel obreptionem dolosam, dubium non est esse irrita, non minus quam rescripta justitiæ. Abb. *in c. super literas*, *num.* 5. Felin. *num.* 3. rescripta siquidem Apostolica, & a fortiore literæ gratiosæ ad supplicationem alicujus emanatæ tanquam conditionem essentialem expresse vel tacite continent hanc clausulam: *si ita est: si preces veritate nitantur*, *cap.* 2. *h. t.* & *c. sedes h. t.* generaliter dicit, quod dolus nulli patrocinari debeat, unde in *c. super literis* concluditur quoque generaliter; quod mendax precator carere debeat penitus impetratis. Et hæc quidem a fortiore procedere in rescriptis gratiæ & beneficialibus, quam in rescriptis justitiæ; eo quod subreptio & obreptio facilius inficiat hæc rescripta, quam rescripta ad lites, volunt plures; & in specie quoque habere locum in rescriptis privilegiorum, quæ in hoc puncto parificantur rescriptis beneficialibus, & non minus quam illa continentur sub rescriptis gratiæ, ut Innoc. *in c. cum dilecta h. t. n.* 3. Fagn. *in c. super literis*, *num.* 79. Felin. *n.* 3. Abb. *nu.* 5.

2\. Resp. secundo. Rescripta gratiæ per subreptionem dolosam impetrata sunt irrita ipso jure, *c. fin. de filiis presbyt. c. ad audientiam*, *h. t. c. si motu*, *de præb. in* 6. *clem.* 1. *tit. eod.* quibus textibus dicitur, tales concessiones, *vires non obtinere: nullius penitus esse momenti: & si quid earum prætextu factum, in irritum revocandum*. Rationem hujus differentiæ inter rescripta justitiæ & gratiæ hanc dat Felin. *in c. ad audientiam*, *num.* 22. *in fine*, quod rescripta gratiæ. V. g. beneficialia sint majoris præjudicii; eo quod, cum tribuant impetranti jus, negotium fere quasi perficiant; rescripta autem justitiæ, cum dentur ad lites, & vel solum Judicem designent, vel jus declarent, aut modum procedendi præscribant, negotium solummodo committant, & præparent, ut juste definiri possit. Addit & aliam rationem Fagn. *in idem c. ad audientiam*, *n.* 37. nimirum, cum rescripta gratiæ non respiciant partem litigantem, cujus intersit excipere de subreptione vel obreptione, sicut faciunt rescripta justitiæ, majus sit periculum indebiti usus rescriptorum gratiæ, quam rescriptorum justitiæ; ac proinde major illa quam hæc ipso jure irritandi fuerit necessitas. Porro notandum hic, quod ait Corrad. *de disp. leg.* 4. *cap.* 4. *num.* 53. ex Innoc. *in c. accedens de crimine falsi* quod in gratiosis falsitas semper præsumatur expressa cum dolo; quia impetrans ante impetrationem habebat se informare de veritate, pro quo etiam citat Mandos. *Reg.* 32. *q.* 25. *num.* 7.

3\. Resp. tertio. Rescripta gratiæ subreptitie per simplicitatem vel ignorantiam, sive bona fide absque supplicantium culpa impetrata sunt quoque ipso jure nulla, si veritate expressa & falsitate tacita, nullatenus Princeps in rem postulatam consensisset; deficit enim tunc penitus in concedente voluntarium seu voluntas & intentio, sive consensus concedentis in postulatum; nullatenus enim is consentit in petitum, nisi subsit causa allegata, propter quam unice concedit, & nisi absit obex quo stante non concedit, ut constat ex *cap. ex parte*, *c. sedes*, *c. si proponente*, *c. constitutus*, *c. postulasti*, *h. t. c. inter dilector*, *de fide instrum. c. fin. de filiis presbyt. in* 6. Estque hic iterum magna disparitas inter rescripta justitiæ & gratiæ. Dum in istis, etsi deficiat voluntas concedentis, quo ad hoc, ut delegatus, constito de vitio subreptionis non possit ulterius procedere in causa secundum formam specialem literis expressam, ipseque ille defectus voluntatis reflexe exprimatur in *c. super literis*, non deficiat tamen in totum; cum, etiamsi contingeret subreptio, etiam per dolum, concedens adhuc vult vi talis sui rescripti acquiri delegato jurisdictionem, saltem in ordine ad cognoscendum de vitio subreptionis. In literis vero gratiæ, saltem in quibus ipse rescribens facit gratiam, in totum statim deficit rescribentis voluntas, & hæ omnino nihil operantur. Idemque videtur de iis gratiæ rescriptis, in quibus pure continetur mandatum de conferendo absque alia ulla informatione & inquisitione.

4\. Resp. quarto. E contra rescripta gratiæ subreptitie per ignorantiam vel simplicitatem obtenta non vitiantur, multoque minus sunt irrita ipso jure, si veritate expressa, & falsitate tacita, nihilominus Princeps postulatum concessisset. Abb. *in c. super literis*, *num.* 5. Felin. *n.* 2. Fagn. *in idem cap. a num.* 54. citans plures Rotæ decis. Engels. *h. t. num.* 12. Reiffenst. *num.* 163. contra Glos. *in c. si motu de præb. in* 6. *v. taceantur*. Quod autem subreptio non vitiet, nisi cujus causa (qualis non fuit concessæ gratiæ, si Papa nihilominus concessisset) etiam in gratiosis, probatur ex *c. dudum*, §. *nos igitur*, *de præb. in* 6. ubi Papa literarum beneficialium & collationis a se factæ valorem ex eo astruit, quod nihilominus eas literas gratiosas daturus fuisset. Quod si tamen in rescripto datus executor gratiæ, specialisque præscripta forma servanda in executione gratiæ, hæc servari non debeat, sed provisio seu executio fieri debeat secundum jus commune, prout hæc colliguntur ex *c. super literis*. Limitatur tamen hoc ipsum etiam, quod rescriptum gratiæ non sit irritum, si sublata subreptione, adhuc Princeps concessurus fuisset, ita ut procedat, nisi expressio talis veritatis requiratur tanquam forma de jure communi, consuetudine, aut stylo curiæ; hæc enim, etiam in minimis, servanda. Hinc gratia concessa ad petitionem (secus est de concessa motu proprio) non facta mentione præhabiti beneficii quantumcunque modici, censetur obreptitia & nulla, etiamsi hoc expressum non impedivisset gratiam juxta expressum textum, *c. si motu*, *de præb. in* 6. Ita Fagn. *loc. cit. num.* 58. Engels. *l. c.* Pirh. *h. tit. num.* 63. Reiffenst. *num.* 167. Menoch. *de arb. leg.* 2. *cas.* 201. *num.* 27. Secus est de aliis qualitatibus vel circumstantiis, quæ nec de jure, neque ex consuetudine, neque ex stylo curiæ sunt exprimendæ, ut non vitietur rescriptum gratiæ iis tacitis; modo, iis expressis, nihilominus gratiam concessurus fuisset Princeps. Sic judicavit Rota valere rescriptum, quo quis impetravit Thesauriam, quam falso (intellige per ignorantiam) narraverat esse dignitatem; cum non esset nisi officium; quia falsitas illa non fuit causa inductiva concessionis gratiæ; quin & Papa facilius eam concessisset, si dictum fuisset, esse officium tantum, & insuper dicta qualitas officii de jure aut consuetudine exprimenda non erat. Sic quoque limitandum est illud, quod rescriptum vitietur reddaturque nullum, si expressa veritate, rescribens non concessisset, cum plura sint, ut dictum quoque supra, quæ si exprimerentur. V. gr. scelerata vita supplicantis, moverent ad non rescribendum, & tamen eorum taciturnitas non vitiat rescriptum. Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 21. *num.* 12. & 17. Garc. *de benef. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 20. & *part.* 11. *cap.* 3. Quare ad hoc, ut rescriptum tale sit irritum, requiritur insuper,

super,

super, ut veritatem talem exprimi, jura, coosuetudo vel stylus requirant velintque rescriptum alias non valere. Decius *in c. ad aures num.* 28. Gutt. *can. qq. l.* 2. *cap.* 15 *num.* 38. & 51. Paris. *de resign. l.* 10. *quæst.* 2. *num.* 14. Sanch. *loc. cit.* 13. & 16. &c. citati a Wiestner. *h. t. num* 47 Et de hoc casu ceoseodus est loqui Corrad. *in pr. disp. l.* 7. *cap.* 4. *a num.* 50. dum ait: io beoeficialibus subreptio & obreptio, etiam non dolosa vitiat gratiam, & reddit literas invalidas; quia in beneficialibus mens Papæ est præcisa, ut Imol. *in cap. super literis*. Nam qualitas, quæ de jure exprimenda est, si non exprimatur, vitiat gratiam, etiamsi Papa literas concessisset, & etiamsi subreptio consurgat ex simplicitate. De cetero dicta hucusque de rescriptis gratiæ non solum procedunt in rescriptis ad beneficia, seu datis in materia beneficiali, tametsi alias in hac materia propter ambitiooem jus procedat gravius, & rigorosius vitium illud subreptionis prohibeat, ut ambitioni via præcludatur: sed etiam io rescriptis gratiæ datis in alia materia. V. gr. dispeosationum, privilegiorum; cnm dispositio juris de oullitate rescriptorum gratiæ fundetur in una eademque ratione, nempe defectu voluntarii seu consensus concedentis,

QUÆSTIO CCCIX.

An subreptio contingens in una parte rescripti vitiet totum.

1. RESp. primò. Subreptio non dolosa, sed per igoorantiam commissa non viriat totum rescriptum gratiæ, sed illam solum partem, cui causa fuit, quæque alia per Priocipem non fuisset concessa. Abb. *in c. super litteris n.* 2. Fagn. *n.* 24. Sanch. *cit. d.* 21. *n.* 61. Pirh. *h. t. n.* 108. Ros. *c.* 6. *nu.* 96. Reiffest. *h. t. n.* 374. cum communi desumitur ex *c. si eo tempore h. t. in* 6. ubi impetratæ literæ ad beneficium cum cura vel sine cura tacito defectu ætatis ad curatum insufficientis, etsi propterea invalidæ sint quo ad curatum, valere tamen asseruntur, quo ad beneficium simplex, si imperrans ad hoc haberet ætatem sufficientem &c. Quæ dispositio ad minimum procedit, ubi ætas ad curatum tacita fuit per ignorantiam. Et ratio est; quia utile per inutile non vitiatur, quando sunt ab invicem separabilia *reg. Jur.* 37. *in* 6. juxta Gl. *ibidem*.

2. Resp. secundo. Idem propter eandem rationem procedit quoque in rescriptis justitiæ, modo una pars non sit cohærens, sed penitus separata ab alia parte. Abb. *in c. super literis n.* 2. & 5. Felin. *n.* 2. Pirh. *h. t. nu.* 107. citans Gail. *l.* 1. *observ.* 14. *num.* 5. sic si subreptio non dolosa v. g. expressio falsi causet sulam formam procedendi summariè io rescripto expressam, illam tantum vitiabit, ita nt secundum illam procedere nequeat delegatus; non tamen totam substantiam rescripti; ita nt adhuc delegatus procedere possit in forma communi seu via ordinaria, servato juris ordine procederetque id ipsum, ubi igoorantia fuisset crassa, modo noo fuerit ingens temeritas ait Pirh. *n.* 98. cum Sanch. *cit. d.* 21. *nu.* 66. eo quod ignorantia crassa adhuc dici nequeat dolosa sobreptio, nisi in ea ignorantia intervenerit ingens temeritas.

3. Resp. tertio. Ubi subreptio vel abreptio ptocedit ex malitia, nimirum per dolum io una rescripti parte, cujus causa est, etsi non sit causa alterius partis, vitiari tamen rescriptum tam justitiæ quàm gratiæ totum, sive quo ad partes etiam non connexas, tenent Abb. *in c. super literis n.* 2. Fagn. *n.* 18. Barbos. *n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 107. Engels *ibidem n.* 11. Reiffenst. *num.* 175. Canonistæ communiter, Sumitur ex *cap. super literis h. t.* ubi: *in suæ perversitatis pænam nullam ex illis literis commodum consequantur:* dictio enim *nullum* includit negationem universalem item ex *cap. sedes h. t.* ubi generaliter statuitur, quod mendax precator carere debeat penitus im etratis: dictio autem illa *penitus* est præcisa, nullamque limitationem admittit *l. ambiguitatem C. de usufructu* idemque importat, quod *omnino ex toto*. Barbos. *diction.* 249. *num.* 3. Et licet citata jura loquantur de rescriptis justitiæ, fortius tamen procedunt in rescriptis gratiæ & ad beneficia, cum, ut dictum, subreptio facilius ioficiat literas gratiosas, ut Abb. Contrarium tamen, oimi-um, quod per subreptionem etiam dolosam solummodo vitietur pars illa, in qua contigit subreptio, & non alia a priore penitus separata & independens, etsi de cetero eadem signatura continetur v. gr. si in eodem rescripto impetrata dispensario in voto castitatis, & in voto peregrinationis ad limina Apostolorum, allegata causa falsa circa unum horum votorum, & vera circa alterum, sit irrita quo ad urrumque, sed solum quo ad illud, in quo contingit subreptio per expressum falsum, æquè fere probabiliter tenent Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 21. *n.* 70. Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 25. & *in c. super literis n.* 2. Pont. *de matr. l.* 8. *c.* 116. *n.* 9. Filliuc. *tr.* 10. *q.* 7. hoc oixi fundamento; quod in hoc casu censeantur esse veluti duo rescripta penitus diversa, ac mere per accidens & veluti materialiter unum; quod dispositio illa cap. super literis sit pænosa procedens ex odio fraudis & doli, adeoque non extendenda ab una parte ad aliam diversam ac separatam, io qua nulla iotervenit subreptio; ac demum, quod utile per inutile noo vitietur. ad hæc confirmatur hoc ipsum a pari, dum instrumentum Notarii habens plura capitula, seu partes inter se noo connexas, & in una earum ioterveoit obreptio seu falsitas, non reprobetur nisi capitulum illud, quod falsum est ut Gl. *in can. si ad Scripturas dist.* 9. *v. quidquid in eis* & *ibidem*. Archid. *n.* 3. Item dum in *l. si ex falsis C. de transact.* transactio inita ex falsis instrumentis, si facta super diversis capitulis, retractatur sulummodo; quo ad illa capitula, quę ex falso composita sunt, reliquis capitulis firmis remanentibus. Quas tamen rationes non incongrue dilutas vide apud Reiffenstuel. *h. t. num.* 179.

4. Resp. quarto. Si una pars rescripti sit connexa cum altera parte rescripti; eo quod ad eundem effectum seu finem teodant, ut si quis in eodem rescripto impetravit dispensationem in voto castitatis, ut possit ducere consanguineam suam, allegans unam causam respectu voti, nempe periculum incontinentiæ, & simul falsam respectu alterius, nempe, quod ipsa maritum paris conditionis habere non possit, erit valida dispensatio quo ad votum, irrita vero ipso jure circa matrimonium contrahendum cum dicto consanguineo, si dicta causa falso allegara fuit per simplicitatem vel ignorantiam; si vero per dolum expressa, totum rescriptum, etiam quo ad dispensationem in voto erit invalida, vel saltem per sententiam declaratoriam Judicis rescindi poterit in pœnam doli commissi. Pirg. *h. t. n.* 109.

5. Resp. quinto. Si rescriptum, sive justitiæ sive gratiæ propter subreptionem, etiam non dolosam, secuodum partem ejus principalem irritum sit, etiam pars accessoria erit irrita. Pirh. *num.* 110. citans Abb. *in cap. sedes num.* 4. Felin. *ibid. num.* 2. Sanch. *cit. dist.* 21. *num.* 63. & declarans huc ipsum sequente exemplo. Si quis impetravit rescriptum, in quo mandatur, ut in aliqua ecclesia (in qua viget statutum de certo numero Canonicorum non excedendo, quod si fuisset expositum Papæ, is verisimiliter non mandasset receptionem in Canonicum) in Canonicum recipiatur, eique tunc Præbenda primo vacatura conferatur; & pars rescripti de receptione in Canonicum sit obteptitia ob non exptessionem dicti statuti, etiam pars altera accessoria de præbenda ei conferenda sit irrita; quia dicta collatio præbendæ est connexa Canooicatui seu juri Canoniæ juxta *c. relatum* & *c. dilectus de præb.*

QUÆSTIO CCCX.

An subreptio, quæ contingit circa causam non motivam sive finalem & principalem, sed solum circa impulsivam, vitiet rescriptum.

RESp. rescriptum quodcunque sive justitiæ sive gratiæ non est supreptitium, oisi taciturnitas veritatis vel expressio falsitatis per se & intrinsece ad rem pertinentis contingat circa causam finalem seu principalem, nempe veritatem, qua expressa, vel falsitatem, qua noo expressa seu allegata Princeps nullatenus concessisset petitum, vel salrem non tali modo & forma, sed cum certa restrictione & condirione, & non solum circa causam impulsivam, qua nimirum remota & veritate cognita adhuc concessurus fuisset postulatum Princeps, etsi non ita cito ac facile, nisi fortè jus aur Stylus Curiæ expressionem talis veritatis impulsive tantum moventis requirerent. Decius *in c. postulasti h. t. nu.* 4. Covar. *l.* 1. *var. resol. cap.* 20. *num.* 5. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 21. *n.* 17. & 32. Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *num.* 20. & *in cap. super literis num.* 1. Pirh. *h. t. nu.* 103. Reiffenst. *num.* 184. contra Rosam *de execut. Lit. Apost. p.* 1. *c.* 6. *num.* 93. ubi, quod distinctio illa, quam facit Sanch. & alii nimirum quod subreptio vitiet rescriptum, si contingat circa causam finalem; non vero quando contingit circa causam impulsivam, sit contra meotem & verba expressa *cap. super literis*, ubi, ea distinctio tantum adhibetur inter causam finalem & impulsivam in subreptione dolosa; in subreptione vero ex ignorantia adhibetur alia distinctio. Item contra Abb. *in cap. super literis num.* 7. Menoch. *l.* 2. *de arb. cas.* 201. *num.* 22. Garc. *de benef. part.* 6. *cap.* 2. *num.* 200. Sumitur ex *cap. dudum de præbend. in* 6. ubi, quod taciturnitas veri, quo cognito Papa nihilominus fuisset concessurus gratiam, non officiat gratiæ, & *ex cap. fin. de filiis presbyt. in* 6. ubi pro invaliditate rescripti alicujus seu dispensationis ob tacitum quen-

quendam defectum redditur ratio illa; quod cognita veritate Papa verisimiliter non dispensasset. Et ratio est, quod subreptio contingens circa causam finaliter motivam sive per fraudem sive per ignorantiam, etiam inculpabilem, tollat voluntarium & consensum concedentis; Secus ac accidit circa causam mere impulsivam, Laym. Pirh. Reiffenst. *LL. c.* Confirmatur id ipsum etiam a pari in donatione aliisque contractibus, quos causa merè impulsiva falsa seu dolus, dum non præbuit causam contrahendi, etsi impulerit & secundario moverit, non reddit irritos. Laym. *cit. c.* 22. *n.* 20. Pirh. *nu.* 104. Proinde jam clausula illa in omni rescripto solita apponi aut subintelligi: si preces veritate nitantur; intelligenda non de veritate secundaria accidentali seu causæ impulsivæ, sed de veritate principali substantiali, nimirum causæ finalis, sine qua Princeps non voluit concedere gratiam. Pirh. *n.* 104. Sanch. *l. c. nu.* 32. aliique ab eo citati. Sed neque responsioni obstat textus *in cap. postulasti h. t.* nam ibi taciturnitas defectus, nempe vicariæ perpetuæ præhabitæ, non fuit causa mere impulsiva, sed finalis; cum cognito, quod impetrans haberet jam tale beneficium competens, non concessisset secundum; ut hoc ipsum ex verbis citati textus colligitur: *pro habente beneficii competentis subsidium de levi non scribimus* (hoc est, non solemus scribere) *quin faciamus de primo in literis nostris mentionem*.

QUÆSTIO CCCXI.

Dum allegantur plures causæ finales, quarum quælibet se sola est sufficiens etiam secundum Stylum Curiæ ad impetrandum rescriptum, & una earum duntaxat est vera, valeat rescriptum.

RESp. affirmative. Wiestn. *hoc tit. n.* 87. Reiffenst. *n.* 188. citans Gobat. *tr.* 9. *theol. experim. n.* 614. & 633. juxta regulam *utile per inutile non vitiatur*. Unde jam iterum clausula illa: *si preces veritate nitantur*; verificatur sufficienter stante veritate solius causæ actu ita moventis, ut si ceteræ causæ non adessent, adhuc efficaciter consequeretur effectus seu postulatum. Proceduntque hæc non tantum, dum duæ causæ allegatæ sunt disjunctivè, quo casu sufficit, alterutrum esse verum. Argum. *c. interea h. t.* & *Reg. in alternativis in* 6. Glos. *in c. ex parte v. & perpetuo*. Felin. *ibid. n.* 3. Gutt. *qq. can. l.* 2. *c.* 25. *n.* 62. Sanch. *l. c. n.* 44. Sed etiam, quando allegatæ sunt copulativè; quia dum narrantur copulativè plura, quorum singula sunt sufficientia, adeoque non omnia necessaria copulative, propositio resolvitur in disjunctivam. Mascard. *de probat. concl.* 325. *nu.* 3. tametsi alias propositio & narratio collectiva vera non sit, nisi omnes partes se habeant, ut affirmantur *l. si quis ita ff. de V. O.* & *§. si plures Institut. de hared. instit.*

QUÆSTIO CCCXII.

Unde dignoscendum, an in rescripto expressa causa sit finalis.

1. RESp. An causa in rescripto expressa sit causa finalis, attento Stylo Curiæ, Datariæ, Cancellariæ, ac consuetudine, inspectisque similibus rescriptis definiendum prudentis arbitrio, ajunt Felin. *in cap. super literis num.* 8. Pirh. *num.* 105. Sanch. *loc. cit. num.* 19. & apud hunc alii; item Ros. *de execut. Lit. Apostol. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 96. citans Barbos. *in cap. super literis num.* 12. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 54. *num.* 25. Notat tamen insuper Rosa advertendum, quod Stylus Datariæ non semper sit inconcussus in quolibet Pontificatu; dum multæ gratiæ negantur in uno, quæ conceduntur in alio; adeoque advertendum ad formandum prudens judicium, quæ gratiæ concedi aut negari soleant in quolibet Pontificatu, & quæ fuerit inclinatio Papæ ad gratias concedendas. In dubio autem æquali, cum causa in rescripto tacita, vel inter alias falso expressa sit finalis, censent aliqui cum Mol. *tr.* 2. *de Inst. d.* 173. *§. hinc colligitur*, & aliis apud Sanch. habendam pro finali, & hinc rescriptum irritum: & sic, dum impedimentum, pro quo petitur dispensatio, certum est, dispensatio vero ob dictam causam dubia, possessionem stare pro impedimento. E contra, censendam esse potius impulsivam tantum, & consequenter valere rescriptum; cum juxta *c. Abbate de verbor. signif.* & *l. quoties ff. de reb. dub.* in dubio pro actus nemini præjudicantis valore præsumendum sit, ut magis valeat quam pereat, adeoque hinc juris præsumptionem præponderare possessioni illi stanti pro impedimento, & hanc ab ea elidi, censent cum Sanch. *l. c. n.* 20. & 23. Laym. *n.* 20. Rosa *l. c. nu.* 98. ubi: cum sumus in dubio de interpretanda Principis voluntate, an fuisset concessurus, an negaturus, illa accipienda interpretatio, quæ facit pro actus validitate, nempe ut gratia sustineatur: item Pir. *c. n.* 105. qui tamen etiam subjungit citatis pro hoc Sanch. *n.* 41. Gutt. *qq. can. l.* 2. *c.* 15. *num.* 103. & 104. Quod si unica in rescripto expressa sit causa, eam habendam pro finali, & hac falsa, scriptum esse irritum; eo quod non censeatur Princeps velle concedere rem petitam sine aliqua vera causa. Dum autem hanc solam exprimit, ea sola moveri censetur; adeoque hac falsa seu deficiente, deficit ejus voluntas; nisi tamen addidisset simul clausulam motus proprii.

2. Advertendum hic iterum, quod si veritas tacita vel falsitas expressa mere extrinsecè & per accidens & impertinenter se habeat ad rem petitam tametsi concedentem ad eam impulerit, non vitiari per hoc Rescriptum, licet etiam Princeps cognita veritate non concessisset. Sicut nec eleemosyna data alicui, quia credebatur falso esse bonæ vitæ, non propterea censetur subreptitie & invalide impetrata. Sanch. *l. c. n.* 28. Laym. *c. c.* 22. *n.* 21. Pirh. *num.* 106. quia dici non potest contingere hic subreptionem; cum dici nequeat illa bona vita causa finalis eleemosynæ, quin imo nec impulsiva, quia non tollit simpliciter voluntarium in cedente, quo minus ipse velit absolutè eam dare, & re ipsa det, utpote quæ voluntas non tollitur per habitualem illam dispositionem & voluntatem non concedendi, si sciret; quippe quæ actu non existit, aut saltem efficaciter non influit aut afficit concessionem rei postulatæ. Alias non valeret impetratio beneficii a Papa si taceretur, alium ipsi valde familiarem mox illud petiturum; quia si id sciret Papa, alteri non dedisset beneficium. Sanch. & Pir. *LL. cit.* Confirmantur hæc a pari. Dum quis valide contrahit matrimonium cum Caja ignobili, quam putat nobilem, sic apud se statuens: non ducerem illam, si scirem non esse nobilem; quia non obstante illa voluntate non ducendi illam actu non existente, sed exstitura, actu habet animum absolutum illam ducendi, dum ducit illam.

QUÆSTIO CCCXIII.

An subreptio commissa a sollicitatore vel alio tertio vitiet rescriptum, noceatque principali impetranti.

RESp. Non nocere principali, seu illum non privandum commodum literarum, sed judicandum esse de principali, prout de eo judicatur, dum ipse per simplicitatem vel ignorantiam impetravit rescriptum; sive sollicitator seu curialis committant subreptionem vel obreptionem per malitiam sive per ignorantiam affirmant Felin. *in c. super literis nu.* 2. Socinus *cons.* 270. *incipiente considerati* Trentacinq. *tit. de rescript. Res.* 5. *n.* 5. Tusch. *lit. S. Concl.* 722. *n.* 41 citans Crav. *cons.* 616. *n.* 17. Negant e contra Anchar. *in c. si motu proprio nu.* 3. Franc. *ibidem n.* 3. Fagn. *in c. super literis n.* 71. Sanch. *cit. d.* 21. *n.* 57. Meroll. &c. Sumunt hi AA. fundamentum ex *cap. si motu proprio de præb. in* 6. dum ibi dicitur: *secus si ad petitionem illius aut alterius pro eo oblatam*: ponderando verba illa: *aut alterius* item *ex c. super literis* dum ibi dicitur: *in sua perversitatie pœnam*: atque in dicto casu non est commissa perversitas a principali, positio, quod eo ignorante, adeoque absque illius culpa, sollicitator commiserit subreptionem. Unde etiam Sanch. & Meroll. in hoc casu posteriore consentiunt Authoribus primæ sententiæ, etsi dissentiant, si principalis fuerit conscius doli. De cetero ait Rosa *de execut. lit. Apost. p.* 1. *c.* 6. *n.* 105. verum esse, quod Rota malam expressionem & errorem factum ab Expeditore seu Procuratore non soleat admittere ad excusandum principalem; quia possent fieri fraudes; soleat tamen hanc executionem admittere, quando gratia non est alteri præjudicialis, secus si alteri præjudicialis, vel ea principalis sit usus; citat pro hoc decis. Rotæ *in Conchen. pension.* 14. *Febr.* 1650. *coram Bichio* additque *n.* 106. Sollicitatorem seu Curialem, qui, ut citius impetret petitum, falsum exposuit, aut verum tacuit, non incurrere excommunicationem, sed tamen pœnam falsarii secundum Sanch. *l. c. n.* 58. & Meroll. licet contrarium teneat Henriq. *l.* 12. *c.* 3. *n.* 7. ob motum quendam Pii V. quem tamen intelligi non nisi de Procuratoribus Pænitentiariæ, & Scriptoribus literarum Apostolicarum, non de sollicitatoribus ajunt. Sanch. Merol. &c.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXIV.

An vitietur rescriptum dispensationis si in eo non fiat mentio dispensationis prioris.

1. RESp. primo. Quando una dispensatio seu una gratia est alterius jam factæ executiva, necesse non est, ut in posteriore prioris fiat mentio; adeoque non vitiatur omissi dicta mentione. Tusch. *lit. S. Conclus.* 732. *n.* 5. Rosa *l. c. n.* 357. quemadmodum etiam, dum inter priorem & posteriorem nulla est connexio, sed sunt super rebus diversis. Abb. *in cap. penul. h. t. n.* 13. & 14. Rof. *l. c.*

2. Resp. secundo. Quando variatio in privilegiis & dispensationibus, sive per diminutionem, sive per augmentum, cadit in præjudicium tertii, in secunda gratia, quæ facit dictam variationem, necesse est fieri mentionem primæ, cum omnis gratia cum tertii præjudicio sit odiosa, & nunquam videatur valida, nisi supposita certa notitia in Principe. Suar. *de LL. l.* 1. *cap.* 23. Sic probari inquiens *in cap. ultim. de præscrips.*

3. Resp. tertio. Dum ambæ dispensationes sunt circa eandem rem, & inter utramque est aliqua contrarietas, in secunda necesse est fieri mentionem primæ, alias est subreptitia & irrita. Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 21. Suar. *l. c.* Pont. *de matr. l.* 8. *c.* 17. *§.* 1. cum gloss. *in cap.* 2. *de filiis presbyt. in* 6. & in hoc convenire recentiores, ait Rosa *l. c. nu.* 358. Sanch. tamen *num.* 6. censet, hoc ipsum procedere, quando dicta contrarietas consistit in eo, quod prima gratia concessa sit cum aliquo moderamine, & posterior absolutè sine omni moderamine, & hanc esse veram intelligentiam *c. c.* 2. *de fil. presbyt.* in quo se alias fundant partis utrisque AA. Suar. vero ait, non esse hunc intellectum *cit. cap.* 2. cum in eo tantum dicatur; quod si illegitimus obtinuit dispensationem ad unum beneficium, & non facta mentione defectus natalium, obtinet dispensationem ad plura beneficia, posterior dispensatio sit subreptitia & invalida. Juxta quæ necessarium non sit in secunda dispensatione facere mentionem primæ (intellige, dispensationis super defectu natalium jam obtentæ, licet aliunde necesse sit fieri mentionem de beneficio ab illo jam præhabito) sed solum de defectu natalium; ita, ut hoc defectu expressio in secunda dispensatione, hæc valeat, etsi sileatur, jam alias quoque dispensatum secum super hoc defectu, nimirum in obtentione primi beneficii, Unde jam breviter responsionem limitant & declarant Suar. & Pont. ita; ut locum habeat vel in casibus in jure expressis, vel quando est necessaria commemoratio prioris dispensationis, ut Princeps non ignoret totum & proprium impedimentum, quod aufert; neque etiam ignoret qualitatem seu quantitatem gratiæ quam facit per unam vel plures dispensationes. Limitationem aliam adjicit Tusch. *loc. cit.* citans pro hoc Ruin. *cons.* 161. *num.* 33. *l.* 2. Felin. *in cap. venient de præsumpt. nu.* 13. ita, ut si prima gratia fuerit strictior, eo quod petitio fuerit strictior; secunda latior, quia petitio latior, non sit subreptitia, sed valeat, non facta mentione de prima. Aitque id ipsum procedere, etiam dum prima fuerit restricta per concedentem, licèt plus petitum, si in secunda addatur clausula: *ex certa scientia*, cum derogatione. ceterum Rof. *de execut. Lit. Apostol. l. cit. nu.* 363. sic breviter inhærendo textui *c. super literis h. t.* respondet. Quod si taciturnitas primæ dispensationis est causa secundæ dispensationis, quia, si expressa fuisset, Princeps non, vel non tali modo, concessisset, secundam fore subreptitiam & nullam, quia causat defectum intentionis in Principe: secus, si non est causa, sed secundam concessisset Princeps, etsi expressa prima. Ait tamen Rosa, quod etsi sic dicendum sit secundum apices juris; secundum stylum tamen Curiæ necessaria sit expressio primæ, quoties secunda conceditur circa rem eandem, estque dissimilis primæ, quia magis ampla, citat pro hoc Ameyd. *de stylo. Datar. l.* 1. *c.* 16. *n.* 3. 4. & 11. ubi etiam, quod ad evitandam ex hoc capite subreptionem seu nullitatem, inventum sit indultum; quod dispensatus non teneatur in gratiis subsequentibus facere mentionem aliquam dispensationum præcedentium. Quod indultum tempore Pauli V. non nisi viris primariis concedebatur, hodie vero promiscuè concedatur omnibus.

4. Resp. quarto. Non opus facere mentionem petitæ aliquando, sed non obtentæ, dispensationis Rof. *l. c. n.* 365. *in fine.*

QUÆSTIO CCCXV.

An, dum plura sunt impedimenta, spectet ad valorem rescripti, ut enarrentur omnia in eadem supplicatione, an vero sufficiat, seorsim super singulis diversis rescriptis obtinere dispensationem.

1. RESp. in hoc non convenire AA. Omnia impedimenta in una eademque petitione seu supplicatione esse enumeranda seu explicanda, ne alias dispensatio sit subreptitia, tenet Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 23. *n.* 1. citans pro hac opinione Decium 602. *num.* 19. Mandos. *de signatur. gratiæ tit. disp. matrimon. versu reliquum est.* Menoch. *de arbitrar. l.* 3. *casu* 202. *num.* 12. *&c.* Quam etiam fuisse sententiam Abb. *in cap. non debet de consang. & affinit. num.* 12. Rationem dat, quod in dispensatione, ne subreptitia sit, exprimenda sint, quæcunque a jure jubentur exprimi; ab eo autem jubetur exprimi quodlibet impedimentum derimens. Et si dicas, in jure non dici, quod omnia in eadem dispensatione debeant exprimi: Respondet hoc eo ipso satis exprimi, quod jubeantur omnia exprimi, nullum taceri. Si autem in una supplicatione exprimatur unum solum, taceri veritatem intrinsece conferentem ad dispensationem; quia tunc tacetur impedimentum pro ut est, scilicet conjunctum cum pluribus aliis, quo intellecto utique Papa vel absolutè non dispensaret, vel saltem longè difficilius in uno isto impedimento. Contrarium, nempe quod habens duo impedimenta v. gr. bigamiæ & illegitimitatis, possit valide impetrare seorsim per unum rescriptum dispensationem in bigamia, & per aliud in illegitimitate, docent Nav. *cons.* 6. *de rescrips. & cons.* 7. & 8. *de consang. & affin.* Rodriq. *in sum. a.* 238. *n.* 5. Cæv. *qq. pract. q.* 737. *n.* 27. Sa *v. dispensatio num.* 16. Eo quod sicut contrahi & esse potest unum impedimentum sine alio, sic etiam tolli exemplo excommunicationum plurium, & ad impedimentum tollendum sufficiat, narrari illud integre secundum se.

2. Alii media via incedunt, etsi non omnes eadem. Dum enim certum videtur, in multis valere dispensationem unius sine alio. V. gr. dum obligatus voto castitatis vult ducere consanguineam, potest cum eo prius dispensari & seorsim in voto. Et sic esse in dispensatione plurium irregularitatum, tenet Pont. apud Rof. *l. c. nu.* 351. item Sanch. *l. c. n.* 104. dum inter irregularitates & pœnas non est connexio, & taciturnitas unius nihil confert ad dispensationem alterius; nisi quod tollat aliquam majorem difficultatem, quam forte haberet Princeps in dispensando, si omnes cognosceret. Quod tamen ipsum non sufficere ad subreptionem, nisi jus aliud dicere cogat, vel aliæ circumstantiæ aut rationes concurrant, ait Suar. & a pari confirmat, dum innodatus pluribus excommunicationibus minus dignus absolutione, & tamen, cum impetrat absolutionem unius tacita altera, valide absolvitur. Secus vero in impedimentis matrimonii. V. gr. in affinitate & consanguinitate; quorum unius dispensatio videtur non posse impetrari sine alio. Hinc Pontius limitandum censet sententiam Sanch. quam communem dicit; ita ut procedat, quando dispensatio petitur ad unum eundemque finem, neque alia afferri potest causa tollendi unum quam aliud; eo quod tunc omnia impedimenta efficiant quasi unum impedimentum gravius. Quod quia in causa sæpe est, ut negetur dispensatio, oportet totum hoc impedimentum integre exponi & cognosci, nisi tamen, ut sublimitat idem Pontius, ex concurrentibus impedimentis unum sit occultum; cum occultum tolli possit per pœnitentiariam secretam ut Sanch. *cit. d.* 23. *n.* 7. & 8. & præsumi nequeat, quod Papa voluerit impedimentum occultum manifestari.

3. Paulo aliter vel potius clarius procedit Suar. *de LL. l.* 6. *cap.* 3. 4. *a num.* 5. dum ait, sententiam Sanch. esse veram in impedimentis matrimonii, dum ea sunt publica, tum quia sic habet praxis Curiæ Rom. quæ legem facit; tum quia talis dispensatio videtur directe peti & concedi ad contrahendum matrimonium, ac ideo videatur intentio dispensantis non esse tantum ad tollendum unum vel alterum impedimentum, sed simpliciter habilitare personam, adeoque tota dispensatio censeatur irrita, petita ac concessa in ordine ad unum aut aliud impedimentum expressum; cum sic vel tacitè negetur adesse alia impedimenta. Statuit etiam hanc regulam Suar. apud Rosam *n.* 354. quod per se loquendo valeat dispensatio unius sine expressione alterius, nisi gravitas unius non possit satis explicari sine alio. Hanc sententiam sequitur Salas. *de LL. disp.* 20. *sect.* 15. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 9. *n.* 1. *de LL.* Riccius *in pr. To.* 4. *Ref.* 524.

Rof.

Rof. *n.* 356. qui ait esse probabiliorem, quia conformior stylo Curiæ Romanæ.

QUÆSTIO CCCXVI.

Subreptio qualiter opponi & probari possit ac debeat.

1. RESp. primò nunquam dici potest seu exeipi de subreptione, ubi constat de voluntate Papæ volentis concedere; cum tota substantia gratiæ ab hac voluotate dependeat. Rosa *num.* 119. citans Rotam *decis.* 398. *p.* 11. *Recent.*

2. Respond. secundo. Qui contra rescriptum opponit de subreptione, ipsè debet probare subreptionem, quia est fundamentum suæ intentionis ad excludendum judicium. Rosa *de executor. lit. Apostol. par.* 2. *cap.* 2. *num.* 50. citans Trencinq. *ref.* 5. *n.* 23. (qui tamen ait, id procedere, cum ante litis contestationem fuerit opposita subreptio; si enim post litem contestatam fuerit opposita, actor ipse debeat eam probare) Item Abb. *in c. constitutus h. t.* Pirh. *h. t. num.* 75. citans Imol. Decium. Tuschus *Lit. S. concl.* 721. Nisi tamen pro existentia taeiturnitatis esset præsumptio; com tunc negans teneatur probare, quia cootra ipsum urget præsumptio: Rosa *num.* 118. Quod si tamen excipiatur de qualitate falso expressa, impetrans debet probare illa quæ narravit. Pirh. *l. c.* citans Abb. *in cap. constitutus h. t. num.* 2. Imol. *num.* 2. decisum *num.* 3. etiamsi ab adversa parte negata non sint. Rof. *n.* 115. citans Honorium *in sum. Jur. can. h. t. num.* 47. Nisi tamen stet præsumptio pro impetrante. Ita qui dicit falsum dolosè eapressum, ipse hoc debet probare; cum dolus non præsumatur. Trentacinq. apud Rosam *cit. num.* 118. Tusch. *l. c.* ubi; quod cum intelligatur subreptio ex falsa expressione dolose, ille qui allegat dolum, debet eum probare. Si vero simpliciter ex falsa expressione, tunc, si is, qui falso expressit, habet pro se præsumptionem, allegans falsam expressionem debet eam probare. Si vero neuter eorum pro se habet præsumptionem, impetrans, seu is, qui falsum expressisse dicitur, debet probare. Idem fere doceri ab Oldr. *de rescript. prælud.* 13. *a num.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 325. *n.* 13. astruit Rosa *cit. num.* 118. *in fin.* Idem est, si impetrans habeat fundatam suam intentionem semper narratis. Tunc enim non ipse sed adversarius contrarium ostendere debet. V. g. si parochus, qui est in quieta possessione parochiæ, impetret rescriptum pro percipiendis decimis ex fundis intra parochiam existentibus. Pirh. *h. t. num.* 75. eitans Rebuff. & Laym.

3. Resp. tertio. Dum allegatur subreptio, seu taciturnitas veri exprimendi, debet probari tempore impetrationis exstitisse id, quod erat exprimendum Abb. *in cap. constitutus h. t. num.* 4. Rof. *part.* 1. *cap.* 6. *n.* 115. Debet autem subreptio ab allegante probari concludenter Rof. *nu.* 116. & 367. citans *Decis.* Rotæ 165. *num.* 24. *apud Ottob.* & plures alios. Ita ut, si exceptio sobreptionis sit turbida, seu non elara, non possit retardare executorem literarum apostolicarum. Rosa *num.* 117. citans inter alias *dec.* Rot. *in Aquilana Capellaniæ* 17. *Jun.* 1942. *coram Royas* & rejicienda sit ad petitorium. Rosa *ibidem* juxta Rotam *apud Bichium decis.* 236. *in fine*. Neque satis est probare aliquid fuisse tacitum, nisi etiam probetur, quod, si fuisset expressum, potuisset reddere Papam difficiliorem. Rosa *num.* 117. citans insuper Spadam *cons.* 82. *nu.* 2. *Tom.* 2.

QUÆSTIO CCCXVII.

Quid attendendum ad dignoscendum, an rescriptum sit subreptitium.

RESp. ad dignoscendum, an rescriptum beneficiale sit obreptitium, nec ne, præcipue servit respicere ad tempus datæ seu impetrationis rescripti; an nimirum tunc habilis fuerit impetraus; eum non sufficiat eum habilem fuisse tempore collationis seu executinnis rescripti. Abb. *in c. dilectus, de præb. num.* 8. Felin. *in c. cum te, h. t. num.* 108. Rescriptum enim, quod tempore impetrationis fuit irritum propter inhabilitatem impetrantis v. g. defectum ætatis, non potest tractu temporis, nempe subsequente de inhabilitate convalescere: cum non firmetur temporis tractu, quod ab ioitio de jure non substitit. *Reg.* 18. *in* 6. Secus tamen est, si quis impetret rescriptum, in quo mandatur simpliciter, ut ei conferatur beneficium proxime vacaturum. Beneficium autem proxime vacans sit Sacerdotale hoc ei conferri potest, si tempore vacationis habebat ætatem ad Sacerdotium requisitam, etsi tempore datæ literarum eam non habebat; adeoque tunc non attendendum tempus datæ, sed executionis literarum juxta *cap. ei cui de præb. in* 6. & *ibi gl. v. nondum* cessante enim subreptione (qualiter in secundo casu cessat, dum in ordine ad beneficium vacaturum, cum nesciatur, qualem ætatem illud requirat, non sit necesse facere mentionem ætatis) si agatur de gratia, quam exequendi tempus necdum advenit, sed adhuc pendet, non tempus concessionis, sed executionis spectari debeat, Abb. Pirh. *LL. cit.* Barbos. *in cap. ei cui de præb. in* 6. Unde etiam infert Pirh. quod si Papa motu proprio mandet alicui provideri de beneficio curato vel sine cura proxime vacaturo, debere illi couferri curatum, si temporu vacatinnis habeat ætatem ad illud requisitam, etsi eam non habuerit tempore impetrationis talis mandati. Ratio tamen, quam addit Pir. nimirum, quod motus proprius tollat subreptionem, non adeo placet; cum in tali rescripto beneficiali, quod ad oullius instantiam conceditur, & sub terminis indifferentibus, non videatur requiri expressio ullius ætatis, sed ad summum clericatus, fortè etiam ætatis requisitæ ad omne etiam simplex beneficium.

QUÆSTIO CCCXVIII.

Per quid tollatur vitium subreptionis.

1. RESp. primo. Tolli per clausulam motus proprii. De quo vide fusè dicta supra, ubi de virtute hujus clausulæ. Quibus adde, quòd quamplurimi DD. teste Rosa *de execut. Lit. Apostol. p.* 1. *cap.* 6. *n.* 109. tradant, hac clausula suppleri quidem defectum taciturnitatis veri, non tamen expressionis falsi, seu suggestionis falsæ causæ. Hac data hujus disparitatis ratione, quod dum tacetur veritas, ignoretur num Papa fuerit bene an male iuformatus: at, cum exprimitur falsum, cognoscitur animus concedentis, seu moveri ista falsa causa; adeoque ultra ejus intentionem extorquetur gratia. Motus autem proprius non firmet gratiam ultra voluntatem concedentis, ut Abb. *in c. quia circa de consang. n.* 7. Menoch. *casu* 201. *nu.* 84. Dicit nihilominus absolutè & indifferenter apud Rosam *l. c. n.* 110. Lotter. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 65. citaos Puteum *Decis.* 377. *n.* 1. *l.* 1. Gabr. *de clauf. concl.* 2. *a nu.* 1. Rotam *in antiqua sub tit. de præb. decis.* 33.

2. Resp. secundo. Tollitur vitium subreptionis & obreptionis per clausulam: *quod de subreptione & obreptione dici nequeat*; ut quod tunc Papa satis ostendat, se velle, ut valeat gratia, non obstante hoc vitio. Marchesan. *de commiss. part.* 3. §. 3. *n.* 84. Verall. *decis.* 218. *part.* 3. Rosa *loc. cit. num.* 112. Quamvis ut idem Rota in *trutina pension. part.* 11. *Recent. decis.* 247. *coram Zarate* dixerit, id procedere, quando dicta clausula est conjuncta cum altera clausula: *sublata non vero, dum de per se sola stat*.

3. Resp. tertio. Vitium subreptionis resultans ex parte taeitæ litis tollitur per clausulam: *litis statum*. Rof. *nu.* 14. citans aliquot pro hoc Rotæ decisiones.

4. Resp. quarto. Tolli quoque hanc subreptionem, seu potius rescriptum non reddit subreptitium ea taciturnitate veri, vel etiam ex defectu intentionis per hoc, quod in genere cogitare potuerit, habet Rosa *num.* 53. citans plures Rotæ Decis. Et quamvis addat Cravett. *cons.* 636. *num.* 8. & Tusch. *Lit. S. concl.* 720. censuisse contrarium, nimirum quod expressio generica non excuset a subreptione; testatur tamen, se legisse Rotæ *Decis.* 227. *part.* 13. *recent.* in qua *n.* 9. dicitur, quod ad evitandam subreptionem, ut gratia sustineatur, sufficiat, quod Papa sit aliunde informatus, licet aliquid noo sit expressum, & *decis.* 139. *part.* 14. *recent.* ubi dicit, quod ad evitandam subreptiouem sufficiat, quod implicite ex narratis potuisset Papa intelligere præjudicium tertii.

QUÆSTIO CCCXIX.

An & quomodo ob errorem qualitatis adjectæ vitientur & obreptitia reddantur rescripta.

1. RESp. primo. Rescripta, uti & aliæ dispositinnes, puta, testamentariæ, non vitiantur propter errorem qualitatis adjectæ per modum demonstrationis, modo constet de corpore & substantia rei, & etiam absque tali errore concessio & dispositio facta fuisset; tunc enim non restringit voluotatem concedentis gratiam. Abb. *in capit. super literis h. tit. num.* 6. & *in c. significante h. t. n.* 4. Sauch. *de matrim. l.* 8. *d.* 21. *num.* 35. Cov. *l.* 1. *ref. c.* 20. *nu.* 6

Pith.

Pirh. *h. 1. nu.* 113. Et quidem quo ad dispositionem testamentariam est clarus textus *in l. si in nomine C. de testam.* ubi : *si in nomine vel prenomine ; seu cognomine aut agnomine testator erraverit, nec tamen, de quo senserit, est incertum, error ejusmodi nihil officit veritati* : Quod ipsum extendit gl. fin. ad errorem nominis Legatarii & nominis rei legatæ. Sic si constet de persona, cui sit legatum, & de re, quæ legatur, etsi adjiciatur falsa demonstratio. V. gr. dicatur: Lego Sempronio sutori domum meam sub signo Lupi; cum tamen Sempronius non sit sutor, & domus pro signo habeat, non lupum, sed vulpem, valet legatum. *L. si quis ff. de legat. l. demonstratio l. falsa ff. de condit. & demonst.* Extenditur idem ad errorem in vocabulo circa rem petitam in judicio, si de corpore conveniat. *L. idem Pomponius, §. cum in rem. ff. de rei vendicat.* ubi etiam Bartol. hoc ipsum extendit ad errorem in nomine Judicis. Nomina siquidem personarum aut rerum significandarum causa reperta sunt. Adeoque, licèt erretur in nomine vel aliis signis aut qualitatibus rei demonstrandæ causa adjectis, nihil obstat concessioni aut dispositioni, si de re ipsa quolibet alio modo constet, *§. si quidem & §. huic proxima. Institut. de legat.* Pari modo in rescriptis gratiæ ad beneficia error in nomine proprio vel patria ejus, pro quo scribitur, non vitiat rescriptum, si constet de persona, cui voluit Papa concedere. V. gr. si is dicatur in rescripto: Petrus Pistor, natione Gallus; cum is nominetur Petrus faber, & sit natione Germanus. Felin. *in c. significante, h. t. n. 1.* Sanch. *loc. cit. nu.* 37. Pirh. *l. c.* Rescriptum enim non conceditur propter nomen, sed propter personam supplicantis & qualitates ei intrinsecas; adeoque, dum de his constat, non est, cur obstet error in nomine *c. intelligentia de verbor. signif.* Dixi; modo constet de corpore. Si enim per talem errorem dispositio reddatur incerta; eo quod plures tali nomine appellentur; ita ut non appareat, de quo eorum fuerit intentio disponentis, rescriptum est irritum. Argum. *l. id Pomponius & l. si in nomine C. de testam.* Neque dictis obstat textus *cap. significante*, ubi propter errorem in nomine diœcesis cassatur rescriptum quod fuerat obtentum contra Vitum diœcesis Rhemensis; cum is Vitus non erat diœcesis Rhemensis, sed Leodiensis. Nam præterquam quod in tali casu non constat satis de corpore personæ; cum sæpe plures eodem nomine appellentur; unde literæ ad non incertæ trahi possent ad plures personas merito contra tale rescriptum potuit persona alterius diæcesis excipere; cum præsumatur fuisse impetratum atque datum non contra ipsam, sed contra aliam personam specificatæ diæcesis. Reiff. *h. 1. n.* 222. præter hoc inquam est diversa ratio de errore in nomine personæ de cujus corpore constat, & de nomine diæcesis, dum per rescriptum fit delegatio causæ, seu alicui mandatur jurisdictio, aut executio rescripti Apostolici, ut accidit in *c. significante*. Siquidem tunc error in nomine Diæcesis est causa finalis & motiva (secus est de errore in nomine personæ, quinimo etiam in errore nominis diœcesis, dum Papa causam non delegat, sed ipsemet ad præviam partis supplicationem gratiam concedit. V. g. actualiter cum eo dispensando; cum enim tunc constet de voluntate concedentis independenter a Diæcesi, error in nomine diœcesis vitiare nequit rescriptum Reiffenst. *n.* 223. citans Gobat. *Th. experim. tr. 8. n.* 741. Felin. *in c. significante n.* 2. Abb. *num.* 4.) Cur Papa ad Judicem diœcesis falso expressæ, & non additis consuetis clausulis derogatoriis rescriptum direxerit. Si enim scivisset, dictum Vitum esse diæcesis Leodiensis, non Rhemensibus sed Leodiensibus Judicibus causæ cognitionem delegasset vel saltem non in ea forma rescriptum non dedisset, sed cum clausula : *dietarum &c.* adeoque jam dictus error intrinsece & substantialiter afficit rescriptum. Ad hæc tale rescriptum nullum erat ob defectum voluntatis ex parte concedentis; cum rescripta continentia delegationem causarum regulariter concedi non soleant, nisi ad Judices delegatos intra diœcesin rei, aut saltem non nisi cum clausula derogatoria Dietarum; cum alias reus extra suam diœcesim trahi non possit ultra duas dietas juxta *c. nonnulli h. t.* imo nec ultra unam, pro ut jure novo limitatur *in c. statutum h. t. in* 6. ita fere Reiffenst. ex Pir. *h. 1. num.* 114. Laym. *in c. significante n.* 1.

2. De cetero limitanda responsio principalis, ut non valeat rescriptum, dum error in nomine aliave qualitate demonstrationis causa adjecta redundaret in personam, adeoque evaderet substantialis v. g. (quo exemplo utitur Pirh.) si beneficium petitum sit pro Jac. Sanch. qui in rescripto per errorem vocatur Jac. Perez, sitque aliquis, qui sic vocetur, isque notus sit Papæ, irritum est rescriptum impetratum pro Jacobo Sanchez; quia in hoc rescripto erratum circa personam, non accidentaliter, seu quod ad nomen tantum, quo Sanchez appellatus est Perez; sed substantialem sive per se, & quo ad intentionem Papæ concedentis, putantis se rescribere pro eo pro quo petitum beneficium nempe Jacobo Perez non obstante, quod etiam alias, si talis error redundans in personam non contigisset etiam illi alteri concessisset æque. Laym. *l. c.*

3. Resp. secundo. Error contingens circa adjectam qualitatem per modum taxationis, restrictionis & determinationis vitiat rescriptum, etsi non sit causa illius, seu licet etiam sublato errore fuisset concedendum. Abb. *in c. super literis n. 6. & in c. significante n.* 6. Laym. *ib. n.* 7. Sanch. *cit. d. 21. n.* 35. Pirh. *h. t. n.* 115. Error enim talis redundans in personam aut substantiam rei, quæ per qualitatem illam determinatur & restringitur, adeoque est substantialis. Sic rescriptum justitiæ impetratum contra debitorem, in quo per errorem allegatur causa seu titulus mutui, cum tamen sit debitum titulo emptionis & venditionis, est irritum, vel saltem irritari potest propter errorem circa substantiale objectum; tametsi remoto hoc errore eodem modo fuisset concedendum. Abb. *in cap. super literis num. 3. in fine.* Pirh. *cit. num.* 115. Simili modo rescriptum beneficiale (prout habetur *cap. susceptum hoc tit.*) quo mandat Papa Episcopo, ut beneficium Titii ab eo resignatum conferat Cajo; Titius autem ante resignationem moritur, est irritum, & Episcopus beneficium illud vi illius Cajo conferre nequit, Cujus ratio est, quod beneficium illud potens vacare duobus modis diversis, nam per mortem & per resignationem, rescripto pontificio restringatur & determinetur ad certum modum vacandi, nempe per resignationem, & illi soli alligatur voluntas concedentis; adeoque modus ille vacandi adjectus est taxationis & limitationis causa, in quo commissus error vitiat rescriptum. Abb. *in c. significante num. ult.* Barbos. *in c. susceptum h. t. in 6. nu.* 6. Pir. *h. t. n.* 116.

4. Ex quibus deducit sequentia Pirh. *num.* 117. primo, si in rescripto mandetur conferri alteri præbenda non Sacerdotalis, vel integra, vel certi valoris, non potest vi talis rescripti, conferri tali, etiam consentienti, præbenda sacerdotalis, dimidia vel minoris valoris; quia talis qualitas censetur adjecta mandato (cujus fines diligenter observandi) taxationis & restrictionis causa, per quam præbenda, quod est subjectum secundum se indeterminatum, & ad diversas species indifferens, determinatur ad certam speciem præbendæ; adeoque si præbenda tali qualitate taxata caret, corruit gratia ob defectum voluntatis mandantis. Sanch. *l. c. n.* 36. Si autem in ecclesia, in qua mandatum est illi conferre præbendam, omnes sint dimidiæ, vel minoris valoris, poterit vi talis rescripti illi conferri præbenda dimidia, vel minoris valoris; eo quod tunc qualitas illa, in qua erratum apposita fuit, non taxationis sed demonstrationis causa ne alias rescriptum inutile foret & frustra impetratum. Pirh. *num.* 118. Laym. *in c. significante n. 2. in fine.* Secundo si mandatum alicui conferri beneficium v. g. sacristæ, quod per errorem vocatum est dignitas, cum sit simplex beneficium, rescriptum esse validum, si constet de corpore beneficii in specie vel in individuo; quia qualitas dignitatis tantum demonstrationis causa est adjecta, & error in ea commissus non est causa concessionis; quia eo sublato, nihilominus collatum fuisset. Abb. *in c. significante n. 6. & in c. super literis n.* 6. Pirh. *n.* 119. citans insuper *decis.* Rotæ 582. *in antiq.* secus dicendum, si mandatum conferri alicui dignitatem, ita ut qualitas dignitatis sit restrictiva concessionis gratiæ. Idem est, si mandatum est da conferendo curatum. Pirh. *l. c.* Laym. *in c. significante n. 1. & l. 1. Th. Mor. tr. 4. c. 22. n.* 26.

QUÆSTIO CCCXX.

An & qualiter vitientur rescripta ob errorem latinitatis.

1. RESP. Rescriptum continens errorem manifestum latinitatis seu peccatum in constructione fidem non meretur; adeoque est invalidum, ut constat ex *cap. ad audientiam h. 1.* ubi Papa : *quia in literis quoniam manifestum continent in constructione peccatum fidem ac nolimus adhibere.* Cujus decisionis hanc rationem dat gl. *ibidem v. manifestum.* quod tales literæ Apostolicæ magna cum maturitate consilii decoquantur seu concipiantur, perque manus tot officialium transeant, legantur, relegantur, verisimile non sit, illos errorem manifestum incorrectum reliquisse, unde nascitur præsumptio, rescriptum tale prodiisse citra voluntatem Papæ, & ab aliquo falsificatum esse. Porro extenditur hoc ipsum ad omnia rescripta Apostolica tam gratiæ, quam justitiæ, quia in utrisque eadem ratio locum habet, licet alias falsitas facilius præsumatur in literis gratiæ quam justitiæ. Fel. *in c. ad audientiam nu.* 3. Pirh. *h. t. num.* 121. Extenditur item hæc

con-

constitotio canonica etiam ad rescripta Principum sæcularium (intellige magnorum , habentium copiosos cancellarios) quia & in illis eadem ratio militat ; licet alias de rescriptis Cæsareis , quoad hoc nihil expressum in jure civili , sicut de rescriptis Pontificiis in jure canonico Pirh. *l. c.* Azor. *p. 1. inst. l. 5. c. 24. quæst. 5. in fine.* Ac denique extenditur ita , ut oon solum quo ad partem seu articulum , in quo dictus error continetur , sed in totum quo ad omnes partes , etiam omnino inter se non cohæreotos sed separatas (secus ac contingit io subreptione) vitietur . Quia expresse simpliciter & absolutè jure canonico statutum , hujusmodi rescriptis erroneis fidem habendam non esse . Felin. *in cap. ad audientiam num. 2.* Pirh. *cit. num. 121.* De cetero hæc extendenda oon sunt ad testamenta & instrumenta contractuum , ita ut hæc oon vitientur ob errorem talem manifestum io latinitate , modo constet , de voluntate disponentis ; Eo quod hæc ordinarie uni alicui Notario sine revisione aliorum curialium conscribeoda committantur ; adeoque facilius in ea irrepere possit talis error ; & consequenter æquum non sit , ut exiode instrumentum vitietur , aut de falsitate suspectum habeatur *l. errore Cod. de testament. l. qui habebat ff. de manumiss. testam. l. Imperator ff. de statu hominum* . Pirh. *hoc tit. num* 120.

2. E contra limitanda dicta constitutio . Primo , ut vel ipse textus *cap. ad audientiam* exprimit ; ita ut rescriptum oon vitietur , si vitium non est manifestum , sed solum dubium , vel quod figura locutionis aut subauditione aliqua excusari possit . Pelio. *ad c. ad audientiam n. 3.* ubi etiam plores similes limitationes adducit . Multo minus , ubi fuit solum defectus in elegantia sermonis . Secundo , ut non vitietur rescriptum ob errorem orthographicum aot defectum unius syllabæ vel literæ . Abb. *in cit. c. ad audientiam n. 2.* Felio. *n. 3. & seq.* Pirh. *h. t. num.* 122. Tertio , quod rescripto corpori juris inserta oon vitientur ob falsam latinitatem ; cum de illis constet , quod emanarint a Papa , adeoque in iis cesset præsumptio falsitatis Felin. *num. 6. limi.* 8. Pirh. *l. c.* ubi etiam monet , quod priusquam rescripta ob vitiosam latinitatem rejiciantur , eorum verba cooferenda sint cum stylo Curiæ & Camaræ Apostolicæ , ac videndum num modus loquendi ab eo omnino discrepet ; an vero aliquo modo ei conformis ; cum non tam ob vitiosam latinitatem , quam ob suspicionem fraudis inde ortam rescriptum tale sit rejiciendum ; præsumptio autem cedere debeat veritati , dum probabiliter de voluntate Principis coostat , oti in præsente contingere videtur , si tale rescriptum aliquo modo coocordaret cum dicto stylo . Porro præsumptionem illam & suspicionem de falsitate rescripti ortam ex manifesto illo errore contra latinitatem in eo commisso esse præsumptionem juris & de jure (qualis est dum lex non tantum ex judicio colligit aliquid , sed etiam jubet hoc ipsum pro veritate firmiter habendum , ita ut oulla admittatur in contrarium probatio , nisi de hoc sive de contraria veritate liquido constet) docent Fagn. *in c. ad audientiam nu.* 2. Laym. *ibidem in fine* . Pirh. *cit. num.* 122. *in fine* . Tametsi Engels *h. t. num.* 14. cui favet Reiffenst. *h. t. num.* 215. probabile censeat, esse præsumptionem juris tantum . Qualis est , dum lex io re dubia aliquid præsumit , ulterius non procedit , aliquid statuendo , quod pro jure habeatur . Et contra hanc probatio in contrarium admittitur .

QUÆSTIO CCCXXI.

An & qualiter vitientur rescripta ob nimiam generalitatem seu multitudinem negotiorum in iis alicui commissorum.

RESP. Rescriptum io quo negotia omnia , tam præsentia , quam futura committuotur uni etiam certo Judici , tanquam de falsitate suspecta rejici debent *c. ad hæc h. t.* ubi Papa , dum intellexit , quod quidam ex Curia Romana obtioerent hujusmodi literas omoia eorum negotia unius Judicis vel plurium arbitrio committerentur ; qui deio , dum aliquos convenire velleot , non requisito Judicis Ordinarii examine , ad unum vel plures illos delegatos sibi propitios , ut adversario suspectos , pro examinanda ac definienda causa recurrebant . Papa inquam volens huic malo occurrere , mandat diœcesano , ut si in sua provincia istiusmodi literas repererit , eas viribus carere , authoritate Sedis Apostolicæ decernat . Et ratio est ; quia tale rescriptum est contra stylum Curiæ , nimirum derogans Judicis Ordinarii potestati . Gl. *in cit. c. ad hæc v. omnia negotia* . Abb. *ibid. nu.* 3. & 4. Pirh. *h. t. n.* 124. Quibus tamen non obstat , quod soleant quandoque per rescriptum constitui Judices delegati , qui habeant potestatem super omnibus negotiis præsentibus & futuris , & dicuntur conservatores , quales dari solent Ordinibus Religiosorum , ut eos defendant ab omnibus injuriis & impugnationibus adversariorum præsentibus & futuris . Abb. Pir. *LL. cit.* juxta *c. 1. & ult. de off. Jud. del. in* 6. Adde , quod Responsio procedat in rescriptis justitiæ seu ad lites .

QUÆSTIO CCCXXII.

An & qualiter vitientur rescripta ob incertos constitutos in iis Judices .

RESP. Tametsi Papa possit per rescriptum ex certa scientia dare alicui potestatem eligendi Judicem io aliquem delegatum quemcunque is voluerit (clausula enim : *ex certa scientia* : hic æquivalet potentiæ absolutæ seu plenitudini potestatis ; Princeps autem agere possint ex plenitudine potestatis contra jus commune positivum communemque stylum seu consuetudinem Curiæ) salvo tamen semper jure eum recusandi . Si autem dicta clausula non adhibeatur , aut aliud non exprimatur , rescriptum tale justitiæ , io quo incertus Judex aut plures ex arbitrio impetrantis eligendi , redditur suspectum de falsitate & noo subsistit ob rationem jam iodicatam *in respons. ad præced. q.* Sumitur ex *cit. c. ad hæc h. t.* Dixi salvo semper jure , talem Judicem ab impetrante vi talis rescripti , cui inserta dicta clausula : *ex certa scientia* ; recusandi . Quia videtur Papa noo posse , etiam de plenitudine potestatis in rescripto justitiæ delegare Judicem , quem impetrans sibi elegerit ad causam seu litem decidendam , denegando alteri parti potestatem recusandi talem Judicem ; cum hujusmodi rescriptum , utpote auferens jus naturale defensionis , ac sine justa causa nimium alteram partem gravans foret irrationabile . Abb. *in c. ad hæc num.* 8. Pirh. *n.* 124. *in fine* .

QUÆSTIO CCCXXIII.

An & quando rasura vitiet rescriptum aut etiam alia instrumenta .

1. RESP. prima . Prænotando quædam pro meliore sequentium intelligentiam : ac primo quidem , usum datariæ Apostolicæ habere , ut ooo admittantur sopplicationes etiam cum minima rasura , etiam unius literulæ ; cum apud Rotam indubitatum habeatur , supplicationem , in qua apparet abrasio literarum , non carere suspicione fraudis ac doli , sive rasura contingat ante , sive post signatam supplicationem . Imo tollerantur potius plures cassaturæ , etiam per ipsas partes , sive per illum , qui fecit supplicationem , factæ , quam quævis minima rasura . Nam omnibus notum est , posse multa cassari , addi & minui io supplicatione , antequam a Papa signetor , postquam vero a Papa signata est , solis officialibus id permitti , noo autem parti aut ejus sollicitatori , quibus neque in ea punctum addere vel delere sub atrocissimis pœnis prohibitum est . Ita Corrad. *pr. dispens. l. 7. c. 7. n.* 75.

2. Resp. secundo . Rescriptum aliudve instrumentum habens rasuram aut cancellationem literarum in loco suspecto tanquam falsum & invalidum rejici potest , nihil probat *cap. cum inter dilectos de fide instrum. cap. cum olim de privileg.* ac præcipue *cap. cum venerabilis de religios. domib.* ubi instrumentum quoddam propter superlinearem scripturam & rasuram io loco suspecto factam , nempe ubi annotatio temporis recensebatur , reputatur ad faciendam fidem iovalidum , utpote de jure suspectum . Porro locus suspectus literarum hic censetur ille , dum in verbis dispositivis facta est litura . Abb. *in cap. ex literis de fide instrument. num.* 2. Rebuff. *pr. benef. §. requisita in lit. collat num.* 33. Hinc rasora facta in ea parte rescripti vel instrumenti , unde potissima ejus vis & motæ quæstionis resolutio pendet , censetur facta io loco suspecto , ac ideo rescriptum Apostolicum reddit vitiosum ; noo vero facta io loco oon substantiali , adeoque non suspecto . Gloss. *in cit. cap. cum venerabilis* . V. g. io exordio vel præfatione Notarii , ut Jason. *in l. edicto C. de edicto Adriani toll. n.* 29. vel , ut Abb. *l. c.* in narratiooe rescripti vel privilegii .

3. De cetero limitanda responsio . Primo , ut non procedat quo ad instrumeota , dum rasura , super ioscriptio , Cancellatio facta per ipsum Notarium , etiam in loco substantiali , in quo tamen casu expedire , ut hæc adhibeatur cautela ad removendam omnem falsi præsumptionem , tradunt Abb. *in c. cum venerabilis nu.* 16. & 17. citans alios ; ut nimi-

nimirum Notarius in fine scripturæ, & ante subscriptionem iostrumenti & appositionem sigilli testetur, qualiter ipse abraserit tale verbum in tali linea, vel fecerit talem lineam in margine; tunc enim non oberit rasura; cum io tali caso habeat diem & testes, quam & quos non haberet, si etiam a Notario facta esset attestatio in margine, aut post subscriptionem. Mascar. *cit. num.* 17. post Bartol. Berojum *cons.* 1. *num.* 38. *vol.* 2. Secundo dum rasura est modica seu paucarum literarum non mutantium sensum ordinariom. Mascard. *de probat. concl* 1261. *num.* 10. Engels *h. t. num.* 15. Reffenstuel. *h. t. num.* 226. ita tamen (quod est speciale literis Apostolicis) ut si coostet abrasionem quantumvis modicam in iis factam ab ipso impetraote vel utente, ipsæ reddantur falsæ, & eas radens efficiatur falsarius & excommunicatus. Gl. *in c. licet de crimine falsi v. tenuem*. Fago. *in cap. ex conscientia tit. eodem num.* 8. citans alios. Idque intelligens, etiam si rasura foret unius syllabæ, literæ vel puocti. Tertio quando io præcedentibus & subsequentibus verbis aut aliis hujusmodi rescriptis aut iostrumeotis satis apparet, rasuram non esse suspectam, ac ita & noo aliter scribi debuisse. Gl. *in c. cum venerabilis*, Jason. *l. c.* Quarto si scriptura abrasa, etiam io parte substantiali, ita bene fuit rescripta, ut aperte cogooscatur, id manu ejusdem Notarii factum. Jasoo. *loc. cit.* Bartol. &c. apud Reiffenst. *num.* 227. contrarium seotiente Abb. *in c. cum venerabilis num.* 8. ob hanc ratinoem, quod reperiantur aliqui sciente ex arte adulterare se imitari aliorum rescripta. Quinto dum rescriptum aliudve iostrumentum adhuc clausum & signatum coram Ordinario exhibitum; eo quod tunc rasura, si quæ apparet, potius in Cancellaria præsumatur facta quam ab impetraote, qui clausis literis id facere non potuit. Engels *h. t. num.* 15. Honor. *num.* 20. Reiffenstuel. *num.* 229. ubi etiam, quod hac ratione salvetur praxis hodierna delegatorum Papæ non facile propter rasuram etiam factam in dispositivis & ipsa data rejicientium hujusmodi Bullas pootificias; eo quod, ut Corrad. *pr. disp. l.* 7. *num.* 77. literæ hæ, antequam ad plumbum ab ipsa Cancellaria transmittantur, per officiales ad hoc deputatos possint abradi & immutari, pro ut juxta mentem Papæ, cujus Cancellaria dicitur organum, opus fuerit. De quo pluribus Corrad. *l. cit. a num.* 77. item *l.* 2. *cap.* 3. *fere per totum*, quæ utiliter pro praxi leges. Sexto. Ut si rescriptum vel instrumeotum reperiatur penes adversarium meum, & is cogatur illud exhibere io judicio, illud non vitietur im mei præjudicium; imo præstetur ei integra fides io omnibus, in quibus potest præsumi sensus ex tali instrumento, nisi habeat rasuram io loco sobstantiali; eo quod præsumatur rasura facta dolose ab adversario. Siquidem abrasio seu Cancellatio vel additio præsumitur facta ab eo, peoes quem reperitur instrumentum, nisi contrarium probetur. Argum. *l. majorem juncta gl. & DD. ib. C. ad l. Cornel. de falsis*. Jas. *in l. si unus C. de testam.* Septimo. Ut etiam iostrumeotum ob rasuram noo rejiciatur, si corroboretur per vivam vocem testium. Argum. *Auth. de instrum. cautela collat.* 6. Jas. *in cit. l. edicto n.* 19.

QUÆSTIO CCCXXIV.

Quænam sint præterea, ob quæ rescripta reddantur falsa, seu de falsitate suspecta.

Resp. Recenseri eorum a Pirh. *h. t. nu.* 127. ex Tholosano fere sequentia. Primo. Si io iis aliquis ex Patriarchis Archiepiscopis vel Episcopis, quos Papa venerabiles Fratres vocare solet appellaretur filius. Vel si Rex aut Princeps, quos filios nominare solet, vocaretur Frater *c. quam gravi de crim. falsi*. Secundo rescriptum, quod est contra utilitatem publicam. V. gr. ut ædificetur io via publica io præjudicium transeuntium. *l. ult. C. si contra jus*. Tertio si damnosum fisco *l. nec damnosa Cod. de precib. Imperat. offerend.* aut etiam sit io præjudicium tertii impetratum *l. 2. Cod. eod.* vel contra privilegia aliorum, nisi eorum fiat nominatim mentio cum speciali derogatione *cap. cum ordinem h. t.* Quarto quod est impetratum contra transactionem *l. causas C. de transact.* vel contra sententiam, quæ transiit in judicatum, & a qua non fuit appellatom *l. ult. C. sentent. rescind. non poss.* Quioto, Si careat debita solennitate. Argument. *l. jubemus C. de testament.* Sexto. Si cootra prohibita sit impetratum *l. sicut C. de paganis*. Ad dignoscendum quoque, quot modis literæ Apostolicæ reddi possint de falso suspectæ, Corrad. *in pr. dispens. l.* 7. *cap.* 7. *num.* 86. monet, videndos esse textus *capit. dura cap. quam gravi cap. accedens & cap. fin. de crimin. falsi* quos Glossa ad sex reducit his versibus comprehensos:

Forma, stylus: filum, membrana, litura, sigillum:
Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum.

Verum de his latius idem Corrad. *l.* 2. *cap.* 3. *a num.* 86. Neque tamen etiam ad hos sex tantum restringuntur falsandi modi, quin alii plures consurgere possint, ut Gl. *in c. licet de crim. falsi v. falsitatis*.

QUÆSTIO CCCXXV.

De subreptione rescripti dispensationis quis cognoscere possit.

1. Resp. primo. Dubiom non est, quin Judex delegatus, cui commissa dispensationis executio, cognoscere possit de subreptione dispensationis matrimonialis. Bald. *cons.* 97. *vol.* 2. Corrad. *pr. dispens. l.* 7. *c.* 7. *n.* 74.

2. Resp. secundo. Cum delegatus nomine Papæ dispensavit cum cognitinne causæ, non potest Ordinarius se intromittere, nisi subreptio fuerit evidens ex coofessiuoe partis vel ex tenore Bullæ. Geonens. *in pr. cap.* 20. *num.* 19. Corrad. *loc. cit.* Hinc ut Episcopus cognoscat de subreptione dispensationis matrimonialis, quando illi præsentatur dispensatio, & ipse debet adhibere cognitionem causæ, secus, si alius commissarius dispensavit nomine Papæ cum cognitione causæ; licet alias illas subreptionis cognitio ipsi Episcopo prohibita non sit, quando ipse cognoscit de nullitate matrimonii, si partes producuot dispensationem Papæ; qoia tunc incidenter cognoscere potest de subreptione dictæ dispensationis, licet non fuerit illi directa. Bald. *l. c.* & ex eo Corrad. *n.* 75.

QUÆSTIO CCCXXVI.

Qualiter impetranti succurri possit, dum dubitatur an rescriptum sit subreptitium, vel etiam dum re ipsa est subreptitium.

1. Resp. primo. Dum quis timet titulum seu provisionem posse ioficiari, & de subreptione vel obreptione redargui in his, quæ substantiam gratiæ concernunt, sollicitus esse debet, ne ab alio elidatur per aliam impetrationem. Proinde, si subreptio objiciatur ex taciturnitate, perpendendas esse, ait Rosa *de execut. Lit. Apostol. part.* 5. *cap.* 6. *num.* 31. clausules principales insertas in secunda parte supplicatiuois; utrum earum vigore fieri possit seu potius suppleri expressio illius, quod prætermissum est. Quod si tales sint cessabit subreptio; cum gratia dici oequeat subreptitia, dum continet clausulas, quarum vigore exprimitur, quod omissum vitiaret. Quod solum ex clausula generali exprimi posse, ait Lotter. *de re benef. l.* 2. *quæst.* 54. *n.* 45. quem vide

2. Resp. secundo, Si subreptio vel obreptio clara est & evidens, & literæ fuerunt nullæ opus est nova impetratione & collatione, ut Lotter. *loc. cit. num.* 53. Ameyd. *l.* 5. *cap.* 8. *de reform. in princip.* Dum tamen subreptio vel obreptio, de qua aoimadvertit impetrans, non est de specie illa, quæ defectum intentionis implicat necessario, sed tantum probabiliter, potest sibi consulere per rescriptum reformatorum. Lotter. *l. c. nu.* 97. Rosa *num.* 316. Quod quidem locum habet, dum literæ nondum sunt expeditæ, sed solum supplicatio registrata. Lotter. Ros. Ameyd. *LL. citat.* Corrad. *pr. dispens. l.* 8. *cap.* 5. *num.* 56. & 57. Nec vigore talis rescripti corrigi possuot literæ jam expeditæ. Ros. *l. c.* Corrad. *num.* 58. Cum reformatoriom rescriptum dicatur illud, per quod reformatur supplicatio, cum præ insertione prioris supplicationis signatæ, cui subnectitur id, io quo præinserta reformari petitur. Fitque hæc præinsertio, ut Papa intelligat defectum prioris. Lotter. *l. c. nu.* 48. Rosa *num.* 317. Ameyd. *loc. cit.* ubi etiam exemplum & formam ponit. Supponi autem tale rescriptum reformatorium duo, nempe literas non fuisse expeditas. Lotter. *num.* 47. Ameyd. *cit. cap.* 8. ad initium. Et gratiam fuisse validam; cum reformatio locum non habeat, ubi gratia nulla fuit. Ameyd. *num.* 7. Ros. *l. c.* Huic novæ supplicationi cum præinserta apponitur oova data, & oon utitur illa data præinsertæ supplicationis; cum non extendat gratiam, adeoque retrahere ad ioitium rescripti reformati opus non est. Lotter. *l. c.* Qualiter tameo etiam quandoque extendatur, fiatque nova sopplicatio, in qua in corpore ponitur qualitas omissa data primæ supplicæ, & in calce pooitur: *cui prius*. Vide apud Lotter. tam *l. c.* quam *q.* 23. *num.* 19.

3. Resp. tertio. Juvari quoque potest impetrans, dum dubitat de suæ gratiæ valore, alio rescripto, quod revalidatorium dicitur distinctum a priore, quod etiam ipsas literas jam expe-

expeditas supponat, sed ex aliquo defectu nullas. De cujus virtute vide dicta supra, ubi de rescripto in forma *perinde valere* item Rosam *cit. c.* 6. *a n.* 319.

4. Resp. quarto. Cum defectus intentionis & & subreptio est jam deducta in judicium & lis inter provisum & impetrantem, succurri potest alio remedio, nempe per gratiam, *si neutri*, quæ conceditur tam tertio quam alteri collitiganti, si tamen neutri jus est quæsitum, & maximè juvatur illa provisus, contra quem impetrans defectum subreptionis opponit. Quæ tamen gratia requirit, nempe vacationem beneficii tempore datæ, litis pendentiam, & quod neutri sit jus quæsitum. De quibus vide latè agentem Lotter. *l.* 2. *q.* 54. *a n.* 76. & latius Ameyd. *de stylo dat l.* 5. *cap.* 23. *per totum.* Tond. *p.* 2. *c.* 4. *§.* 3.

CAPUT QUARTUM.

De Usu & Executione Rescriptorum eorumque Abusu.

QUÆSTIO CCCXXVII.

Quibus personis committi possit ac debeat rescriptorum Apostolicorum executio.

1. RESP. Executio rescriptorum emanatorum a Sede Apostolica ejusve Legatis quæ causæ cognitionem & jurisdictionem in foro externo requiruot sive sint justitiæ sive gratiæ executio non nisi personis ecclesiasticis dignitatem ecclesiasticam aut personatum obtinentibus, vel Cathedralium Ecclesiarum Canonicis spectato jure communi committi potest ac debet, pro ut constat ex celebri constitutione Bonif. VIII. *cap. statutum §. sancimus hoc tit. in* 6. Quod ita constituendi ratio fuit, tum honor Sedis Apostolicæ, ne ejus authoritas in ministro inferiore vilipendatur; tum impetrantium utilitas, ut nimirum hi haberent executores hujus muneris peritos. Tholos. *l.* 1. *de rescript. cap.* 53. ex quo, ut Pirh. *h. t. n.* 128. intelligi datur, executoribus istiusmodi necessariam esse maximè scientiam Juris Canonici. Explanatur nunc particulatim responsio.

2. Dicitur primo: *emanatorum a Sede Apostolica*. Hæc enim constitutio se non extendit ad Episcopos seu Ordinarios, qui rescripta sua dirigere possunt ad quemvis clericum, eique committere executionem, tametsi nec dignitatem nec Canonicatum habeat, modo alias sit idoneus. Quia de Episcopis hoc in puncto nihil a jure expressum est. Rationem etiam addit Pirh. *num* 129. quod Ordinarii censeantur habere meliorem notitiam clericorum suæ diœcesis, quam Papa clericorum totius orbis; adeoque nosse, qui in sua diœcesi sint apti ad istiusmodi causas cognoscendas. Ad hæc necesse non sit, eorum delegatos esse personas ita graves, ut eæ, quæ gerunt vices Papæ. Ut Gl. *in c. statutum v. Sedis Apostolica*.

3. Dicitur secundo: *ejusve Legatis*: sive hi sint Legati de latere, vel Missi, sive Nati. Glossa ibidem v. Legatorum.

4. Dicitur tertio: *Rescriptorum, quæ causæ cognitionem requirunt*: Rescriptorum enim aliorum, quorum executio in nudo seu mero ministerio citra causæ cognitionem & omnem jurisdictionem consistit. V. g. in collatione beneficii, missione in possessionem, dum nemo se opponit, receptione testium &c. quæ sine ulla causæ cognitione fieri possunt, executores esse possunt, etsi qualitates recensitas non habeant. Navar. *in cap. cum contingat h. t. num.* 8. Pirh. *num.* 128.

5. Dicitur quarto: *& jurisdictionem externam*: Nam aliud est in rescriptis sive dispensationibus pro foro interno a pœnitentiaria committi solitis; non enim requirunt illas eas in executore qualitates; sed, ut ipsa literarum inscriptione exprimi solet, ut sit Magister in Theologia vel Jure Canonico, promotus in aliqua Academia, ita ut non sufficiat, esse Doctorem Juris civilis, aut etiam Theologiæ vel Juris Canonici Licentiatus, vel in ordine aliquo creatus Magister, aut etiam actualis Professor, nisi forte habeat Privilegium Apostolicum, sicut habent Religiosi Societatis a Gregor. XIII. *constit. quæ incipit exponi* habeturque in *compend. privileg. Societatis v. Confessor. n.* 3. Insuper debet esse approbatus ab ordinario diœcesis Oratoris, sive ejus, cum quo facienda dispensatio, ac ab eodem oratore specialiter ad hoc electus. Wiestner. *ad h. t. n.* 159. citans Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 13. *§.* 5. *n.* 1.

6. Dicitur quinto: *sive sint justitiæ sive gratiæ*. Constitutio siquidem *c. statutum* locum habet non tantum in executionibus commissis ad causas justitiæ seu lites decidendas, sed etiam in executoribus, qui deputari solent super gratiis Sedis Apostolicæ expediendis, modo non sint meri executores, ut dictum *n. præced.* Nav. Pirh. *LL. cit.*

7. Dicitur sexto: *non nisi personis Ecclesiasticis*: itant requiratur in executore ad minimum clericatus respectu causarum ecclesiasticarum, quæ coram Judice ecclesiastico tractari debent. De cetero nil vetat constitui executorem laicum in causis temporalibus Ecclesiæ, quæ etiam coram Judice sæculari secundum Canones tractari possunt. Sic enim Papa potest delegare causam criminalem vel civilem contra laicum sibi subditum, vel per viam appellationis contra alium Judicibus etiam laicis. Pirh. *num.* 129. citatis Jo. And. *in c. sua de appell. n.* 3. Franc. *in c. statutum n.* 12.

8. Dicitur septimo: *dignitatem Ecclesiasticam aut personatum obtinentibus*; ubi per dignitatem intelligi præeminentiam ecclesiasticam cum jurisdictione fori externi; per Personatum ecclesiasticum præeminentiam sine jurisdictione, ait Barbos. *in cit. cap. statutum num.* 11. Venit hic quoque dignitas ad nutum amovibilis. Pirh. *num.* 131. qualem V. g. gerit Vicarius generalis Episcopi, cui nimirum jurisdictio Episcopalis generatim, tam quo ad causas, quam quo ad loca diœcesis commissa; quia is, quamdiu est in officio, præeminentiam habet, & jurisdictionem in eodem cum Episcopo tribunali exercet, non obstante, quod non sit simul Vicarius in temporalibus. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *num.* 112. Sbroz *l.* 1. *de Vicar. Episc. c.* 49. *n.* 3. Pirh. *h. t. num.* 132. Sic quoque Vicarius Capituli sede vacante potest esse executor & commissarius papalis, cum sit vicarius jurisdictionis episcopalis. Gl. *in clem.* 2. *h. t. v. Episcopi* Abb. *ibid. n.* 4. Pirh. *cit. n.* 132. *in fine*. Non tamen Vicarius seu Officialis Archidiaconi alteriusve Prælati Episcopo inferioris. Gloss. Abb. Pirh. *LL. cit.* Corrad. *pr. disp. l.* 7. *c.* 4. *n.* 54. Rosa *p.* 1. *c.* 3. *num.* 36. qui dicunt sic habere stylum Datariæ & Cancellariæ qui legem inducit & causat actus nullitatem & contra quem lata conscientia agi non possit. Neque Vicarius foraneus seu Decanus ruralis, sive ad nutum amovibilis, sive perpetuus *clem. citat.* Gloss. *ibidem v. foraneo*. Pirh. *num.* 132. quia licet exerceat jurisdictionem aliquam limitatam ad certas causas vel certam diœcesis partem, non tamen habet dignitatem. Idemque dicendum de Vicario generali Episcopi in temporalibus tantum, censent Pirh. *l. c.* Laym. *in c. statutum num.* 3. Item executor Apostolicus esse potest Prior conventualis, qui toti conventui seu congregationi regularium cum jurisdictione præest, licet non per electionem constitutus, sed per nominationem superioris conventus. V. g. Abbatis, Præpositi, alteriusve Prælati, a quo etiam pro arbitrio amoveri possit; quia dignitatem habet cum jurisdictione super conventu *cit. clem.* & Glossa *ibi vers. per electionem*. Idem est ob eandem rationem de Guardianis, Rectoribus Societatis similibusque ordinum mendicantium Superioribus, quantum est de jure communi. Franc. *in c. statutum num.* 4. Barbos. *in cit. clem.* 2. *num.* 11. Azor. *Institut. mor. part.* 2. *l.* 3. *cap.* 13. *quæst.* 7. Dixi; quantum est de jure communi; cum jure speciali suarum constitutionum hujusmodi delegationes cum bonorum temporalium litigio conjunctas a Guardianis admitti posse neget Rodriq. *qq. regul. Tom.* 1. *quæst.* 64. *art.* 4. Sanchez *l.* 6. *Mor. cap.* 3. *num.* 81. qui etiam *num.* 82. ait, id superioribus Societatis nostræ non permissum sine Generalis licentia juxta *part.* 6. *constitut. cap.* 3. *§.* 7. Idem est de Abbatibus commendatariis perpetuis sæcularium ecclesiarum. Barbos. *loc. cit. num.* 12. relatis aliis. Gonz. *ad Regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. *§.* 9. *num.* 10. Secus vero dicendum de Priore claustrali, qui in eodem conventu Abbati est subjectus, ad quem immediate pertinet potestas administrationis & jurisdictionis supra monasterium. Cum talis Prior nec dignitatem nec jurisdictionem habeat, sed simplex officium & sollicitudinem. *citat. clem.* 2. & *ibi* Gloss. *v. claustrali* & Abb. *num.* 6. Pirh. *n.* 133. Unde jam sequitur, multo minus simplicem religiosum posse constitui executorem literarum Apostolicarum.

9. Dicitur denique: *vel Cathedralium ecclesiarum Canonicis*; quibus verbis, num quoque comprehendantur Canonici Ecclesiæ Cathedralis regularis, ut & hi jure communi

esse

esse possint executores literarum Apostolicarum, controvertunt AA. affirmant cum Abb. *in c. causam de Iudic. n. 9.* Rodriq. *Tom. 2. qq. regular. q. 124. ar. 1.* Sanch. *n. 83.* Laym. *in c. statutum h. t. n. 9.* Pirh. *ad tit. de off. deleg. n. 32. &c.* tum moti generalitate verborum *cit. c. statutum* indistincte Cathedralium ecclesiarum Canonicis executionem hujusmodi permittentis; tum authoritate *cit. clem.* Dignitatem regularem quoad hoc executionis munus sæculari æquiparantis. Negant e contra idipsum cum Felin. *in cit. c. causam n. 4.* Archid. *in c. statutum n. 1.* Franc. *n. 2.* Gomes. *n. 32.* Gratian. *discept. for. c. 270. num. 6.* August. Barbos. *cit. num. 12.* Petrus Barbos. *in l. cum prætor. §. fin. ff. de Iudic. num. 60.* quos citat & sequitur Wiestner. *h. t. n. 156.* hac ducti ratione, quod ante Bonif. VIII. religiosi & Canonici regulares quicunque a judicandi & exequendi munere fuerint remoti. Argum. *Can. de præsentium c. ex parte 2. de postul. c. 1. ne clerici vel Monachi.* Dictus autem Bonif. memorata illa constitutione sua non intenderit executiones & commissiones tales, & qualitates ad eas requisitas extendere, sed potius restringere; adeoque nullas personas, quibus talis executio antiquitus non competebat, ad eam reddere habiles. Unde sicut Religiosi ceteri, sic etiam regularium ecclesiarum, tam Cathedralium quam Collegiatarum Canonici ad executorum munus sint inhabiles. His non obstantibus, quod Canonici Cathedrales dignitatem habere censeantur; cum eo ipso, quod careant præeminentia & jurisdictione externa; dignitatem proprie non habeant, ut Wiestner. *l. c.* Illius autem, quod ait Rosa *p. 2. c. 3. n. 9.* Barbos. *in c. statutum n. 25.* nimirum, quod ei, cum quo Papa dispensavit in ætate ad obtinendum Canonicatum in Cathedrali non possit a Papa committi causam, illius inquam rationem non video, dummodo aliunde nihil desit. De cetero huculque dictis non obstantibus, si Papa ex certa scientia committeret causam simplici clerico carenti supradictis qualitatibus, absque dubio valeret commissio; censetur enim tunc Papa velle dicto juri communi *c. statutum* derogare, quod potest.

QUÆSTIO CCCXXVIII.

Num subdelegatus Executor habere quoque debeat dictas qualitates.

RESp. Affirmative, & quidem a fortiore; adeoque licet Delegatus Papæ subdelegare possit alteri executionem, non tamen nisi habenti easdem qualitates. Anchar. *in c. statutum h. t. in 6. num. 2.* Barbos. *n. 4.* Menoch. *cons. 17. n. 8. Tom. 1.* Genuens. *in pr. c. 70. n. 3.* Tusch. *lit. D. concl. 145. n. 2.* qui etiam ait, in hoc non juvare consensum partium. Paxford. *Tom. 3. l. 13. tit. 6. n. 16.* & plures alii, quos citat & sequitur Rosa *p. 2. c. 3. n. 12.*

QUÆSTIO CCCXXIX.

Utrum executor esse possit, qui tempore datæ habuit, non vero habet amplius tempore præsentationis dictas qualitates.

1. RESp. primo. Sufficere, quod tempore præsentationis habeat dictas qualitates dignitatis aut Canonicatus Cathedralis, etsi eas non habuerit tempore datæ literarum, tradit Rosa *l. c. n. 8.* Barbos. *in c. statutum h. t. n. 20. & de potest. Episc. alleg. 54. n. 155.* Tusch. *l. c. n. 13.* Riccius *in pr. rerum quotidianar. resol. 413.*

2. Resp. secundo. Si post cæptum negotium. V. g. post transmissam citationem; adeoque re non amplius integra, desinat esse in dignitate aut esse Canonicus Cathedralis, posse illum nihilominus in causa procedere, tradunt AA. iidem; nisi tamen dignitate aut Canonicatu sit spoliatus in pœnam criminis, ita ut inde infamiam contraxerit. Ros. *l. c.* & AA. mox citandi.

3. Resp. tertio. Si quis tempore commissionis factæ, seu expeditionis literarum habuit dignitatem, eamque postea, antequam ei literæ principales præsentarentur, resignavit, tunc si fuit delegatio personalis, sive sub nomine proprio ei facta, poterit eam exequi: si vero fuit realis facta dignitati, seu alicui sub nomine dignitatis. V. g. Archidiacono, Vicario &c. non potest eam exequi, sed successor ejus in officio & dignitate eam exequi debet. Argum. *c. quoniam de off. Iudic. deleg. & ibi* DD. Pirh. *h. t. n. 130.* Monet. *de commut. ultimar. volunt. c. 8. a n. 161.* Ros. *l. c. n. 9.* Aliud tamen est in Canonico Cathedrali: is enim, cum proprie successorem non habeat. Gl. communiter recepta. *in c. quod sicut v. consentire de elect.* censetur semper commissio facta personæ, etiam nomine ejus proprio non expresso. Atque ita poterit re adhuc integra, post resignationem Canonicatus procedere in causa, eamque expedire. Gl. *in c. statutum v. Canonicus.* Franc. *ibidem num. 9.* Pirh. *l. c.*

QUÆSTIO CCCXXX.

An igitur etiam executio commissa officiali vel Vicario generali, transeat ad ejus successorem, aut etiam ad Vicarium Capituli Sede vacante.

1. RESp. ad primum affirmative. Gl. *in clem. 2. h. t. v. principalis.* Abb. *in c. quoniam de off. deleg. a n. 10.* Pavin. *de potest. capit. Sede vac. p. 2. q. 10. n. 15.* Garc. *de benef. p. 6. c. 2. n. 34.* Paris. *de resign. l. 1. q. 12. a n. 17.* Wiestner. *h. t. num. 149.* dicens, esse communem ac curiæ stylo receptam. Rosa *p. 1. c. 3. n. 29.* citans Corr. *in pr. disp. l. 7. c. 4. n. 37.* Gamb. *de off. legat. l. 8. q. 97.* & plures alios ac dicens id procedere sive re integra sive non amplius integra removeretur Vicarius. Tametsi enim vicariatus non sit dignitas perpetua, sed eo cedente vel decedente exspiret, etiam absque eo, quod Episcopus, ubi is solus officio satisfacere potest, subrogare cogatur alium; adeoque successorem proprie in dignitate non censeatur habere; Papa tamen facta ei commissione, habet rationem tribunalis, ut ab illo aliquantisper suspensa jurisdictio sustineri videatur; ac si dignitas vicariatus suo modo reputetur perpetua, dum cedenti vel decedenti ordinarie mox alius subrogetur. Ad hæc ita exigere videatur provida ecclesiæ gubernatio, ne si literarum Apostolicarum executiones commissæ vicariis generalibus cum eorum personis interirent, id esset magnopere incommodum & sumptuosum impetrantibus, dum hi pro ejusdem gratiæ impetratione ad sedem Apostolicam iterato recurrere, novasque impensas facere cogerentur. Sic etiam, literas vivente Episcopo directas ejus Vicario, mortuo dein Episcopo iis necdum executioni datis etsi forte præsentatas vicario (cum ab eo, utpote cujus officium Episcopi morte exspirat, exequi nequeant) debere exequi a successore dicti Vicarii, aut novam petendam commissionem docent Ros. *loc. cit. num. 33.* Corr. &c.

2. Resp. ad secundum. Non convenire, in hoc AA. expendendum tenorem commissionis, an nimirum sit facta Vicario expresso nomine Episcopi vel diæcesis. Et siquidem facta Vicario Episcopi N. non transire illam ad Vicarium Capituli, non secus ac facta Episcopo non transit ad Capitulum Sede vacante, tenent cum Gl. *in clem. 2. v. Episcopi* Felin. *in c. cum te num. 17.* Pavin. *loc. cit. num. 7.* Sbroz. *l. 2. q. 16.* eo quod Vicarius Capituli Sede vacante non sit Vicarius Episcopi, sed tantum jurisdictionis Episcopalis. Si vero commissio facta Vicario diæcesis N. transire illam ad Vicarium Capitularem, tenent Sanch. *l. 8. de mat. d. 17. num. 23.* Salas *de LL. d. 20. num. 184.* Eo quod Vicarius Capitularis, licet non sit Vicarius Episcopi, sit tamen Vicarius diæcesis, & non minus quam Vicarius Episcopi sit Vicarius ordinariæ jurisdictionis Episcopalis, vacante Sede penes Capitulum residentis juxta *c. si Episcopus & c. fin. de supplend. negl. prælator. in 6.* Ac insuper, quod non minus quam Vicarius Episcopi sit capax delegationis Apostolicæ, ut Gl. *in cit. clem. v. Episcopi* Anchar. *num. 1.* Imol. *num. 20.* Verum adversari hoc ipsum praxi ac stylo Curiæ & Cancellariæ Apostolicæ, quo ad literas gratiæ in forma dignum, dum hæ Sede vacante, non ad Capituli Vicarium, sed ad Diæcesis vicinioris Episcopum illiusve Officialem seu Vicarium generalem dirigi consueverunt, argumento non obscuro, quod eas Sede plena ad Episcopum ejusve Vicarium directas non intendat Papa, Sede interea vacante committere Vicario Capituli, sentiunt cum Hieron. Paulo in practica Cancellar. Leo *Thes. fori eccles. c. 10. num. 18. fallent. 5. & 6.* Garc. *loc. cit. num. 44.* Corrad. *pr. dispens. l. 7. c. 4. num. 88.* Quia vero non adversatur, sed conforme est dicto stylo curiæ alias literas gratiæ, puta in forma gratiosa; item quo ad alias commissiones. V. g. executiones pensionum, delegationes causarum seu litium, utpote sede plena non solum Episcopis eorumque Officialibus, sed aliis quoque personis in dignitate constitutis committi; hinc dicti AA. facile concedunt causarum executiones transire quoque ad Vicarium Capituli Sede vacante, negantes idipsum de aliis memoratis literis. Quod etiam discrimen S. Cong. Cardin. interp. declarationibus & Rotæ decisionibus confirmant teste Wiestner. *cit. num. 151.* Verum & hoc ipsum sive qualescumque sint literæ,

ſive diſpenſationem ſive in alia materia, quod eas exequi poſſit Vicarius Capituli, abſolute adverſari ſtylo Datariæ & Cancellariæ, tradunt Roſa *p. 1. c. 3. n.* 30. Corr. *in pr. diſp. l. 7. c. 4. n.* 11. Garc. *p. 6. c. 2. n.* 40. 41. *&* 44. imo aſtruunt iidem Vicarius Epiſcopi, cui directæ literæ, ſi efficeretur mortuo Epiſcopo Vicarius Capituli, non poſſet eas exequi, & in his omnibus ſtylum non opinionem DD. attendendum.

3. Reſp. tertio. Quod ſi Sede vacante emanaret ad Capitulum a Sede Apoſtolica reſcriptum ſeu mandatum de conferendo alicui Canonicatu vel alio beneficio pertinente alias ad collationem ſolius Epiſcopi, poteſt & debet Capitulum ſeu ejus Vicarius illud mandatum exequi, ſi tempore præſentationis nullus adhuc electus & confirmatus eſt Epiſcopus. *c. bis quæ & cap. cum olim de major. & obed.* ſi autem tempore præſentationis electus & confirmatus eſt novus Epiſcopus, Capitulum mandatum illud exequi non poteſt, ſed eaequi illud debet novus Epiſcopus. *c. eam l. c. h. t.* Pirh. *h. t. num.* 144.

QUÆSTIO CCCXXXI.

An executionem commiſſam Vicario facere poſſit Epiſcopus & contra.

RESp. negative. Sbroz. *de vicar. l. 2. q.* 133. *n.* 16. Pavin. *de pot. capit. ſede vac. p. 2. q.* 10. *n.* 14. *&* 33. Monet. *l. c. q. 5. n.* 527. Corrad. *pr. diſp. l. 7. c. 4. n.* 34. *&* 41. Roſ. *p. 1. c. 3. n.* 25. citans Ugol. *de poteſt Epiſc. c. 4.* §. 7. & plures alios. Licet enim Epiſcopus ejuſque vicarius generalis idem conſiſtorium & tribunal eandemque juriſdictionem habeant *c. non putamus de conſuet.* intelligendum tamen id de juriſdictione ordinaria & de cauſis mandato generali Epiſcopi comprehenſis; non vero de juriſdictione a Papa delegata, & cauſis requirentibus mandatum ſpeciale. Jam vero dictarum literarum executio non competit Epiſcopo jure ordinario, ſed tam ipſi quam ejus vicario a Papa delegatur. Unde jam, ſi mandatum v. g. de conferendo directum vicario, & Epiſcopus faceret collationem, eam fore nullam, & nequidem præbere titulum coloratum, aut collatarium juvari regula de triennali, tradunt Garc. *de benef. p. 6. c. 2. n.* 20. *&* 21. Tondut. *tom. 1. p. 2. c. 4. ſ. 2. n.* 1. Roſ. *l. c. n.* 26. Sic pænitentiam impoſitam in abſentia vicarii, ad quem directæ literæ diſpenſationis ab Epiſcopo vi dictarum literarum non profuiſſe, ſed oratorem de novo debuiſſe facere pænitentiam, declaratum fuiſſe in Urbe teſtatur Corrad. *cit. num.* 1. ſic è contra dum literæ directæ Epiſcopo, nullatenus ſe earum executioni miſcere poterit vicarius ante delegationem ſeu potius ſubdelegationem ſibi factam ab Epiſcopo. Roſ. *cit. c. 3. n.* 27. Campanil. *in diverſ. Iur. rubr. 11. c. 13. n.* 148. Miroll. &c. apud Roſ. Quod ſi tamen literæ fuerint expeditæ per Breve, & in illo habeatur: illa disjunctiva: ſive venerabili fratri Epiſcopo, ſive Dilecto in Chriſto filio vicario, opus non erit illa ſubdelegatione, ſi in ſolidum facta eſt commiſſio. Roſa *l. c. n.* 28. ſed poterit vel Epiſcopus vel ejus vicarius independenter ab eo literas eaequi.

QUÆSTIO CCCXXXII.

Quibus ſoleat committi executio literarum Apoſtolicarum.

1. RESp. primo. In beneficialibus, dum dantur literæ in forma gratioſa, cum Papa tunc ipſe provideat, conferat & faciat gratiam immediate, dat eaecutores, quos vult, & plerumque illos etiam, quos vult & nominat pars ipſa; ſoletque tunc tribus committere in ſulidum, conſtitutis tamen in dignitate, nimirum nudum eaercitium v. g. mittendi in poſſeſſionem; unde & meri executores dicuntur, ex ſe nullam habentes aut per hoc accipientes juriſdictionem, niſi quandoque per accidens ratione apparentis contradictoris vel poſſeſſoris; in quo caſu de meris efficientur executores mixti. Roſa *de execut. Liter. Apoſt. p. 1. c. 3. n.* 9. ſi vero expeditæ literæ in forma *dignum* (in quo caſu Papa immediate non providet, ſed dat mandatum de providendo) ſemper committitur executio ordinario, ut is verificatis eapoſitis, & impetrante reperto idoneo, eidem provideat, ſeu conferat beneficium authoritate Apoſtolica. Roſa *l. c. n.* 10. dicens id procedere, ſive literę expeditę in forma *dignum*, antiqua, ſive noviſſima.

2. Reſp. ſecundo. In literis aliis gratioſis, quas Papa concedere ſolet per Breve, ſi totaliter & abſolute ipſe facit gratiam, non dat executores, ſed ipſi oratori dirigit gratiam ſeu Breve v. g. in quo diſpenſat ſuper ętatę. Roſ. *l. c. n.* 10. Nihilominus ſtatuit Tridentin. *Seſſ. 22. c. 5. de reform.* ut & ea, quæ ſic gratioſe impetrata non ſortiantur effectum, donec ab ordinariis, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis ſummarie & extrajudicialiter cognoſcantur, ut pateat eapreſſas preces carere vitio ſubreptionis. Corr. *pr. diſpenſ. l. 2. c. 4. & l. 7. c. 4. n.* 10. Roſ. *l. c.* Quin etiam quandoque licet per Breve concedatur gratia a Papa, committitur tamen ordinariis vel aliis in dignitate conſtitutis in ſolidum, ut gratiam exequantur, ut ſunt Brevia ſuper alienatione bonorum eccleſiaſticorum & ſimilibus materiis. Roſ. *num.* 11.

3. Reſp. tertio generaliter. Quotieſcunque Papa non facit gratiam, ſed pro illa facienda dat mandatum, ſive id fiat per literas ſub plumbo, ut in materiis beneficialibus, ſive per Breve ſub annulo Piſcatoris, literę ſemper diriguntur ad ordinarios locorum, iiſque executio committitur, tanquam qui cenſentur habere cognitionem & certitudinem iſtiuſmodi rerum ſuarum diœceſium, pro ut ſtatuit Trident. *l. c.* ut omnia mandata ad diſpenſandum ſeu diſpenſationes committantur ordinariis locorum. Roſa *cit. n.* 21. dicens, hunc ſtylum inconcuſſe ſervari. Corr. *l. c.* Contingit nihilominus quandoquę, ut eæ literę alteri quam ordinario digantur, dum nimirum is ſuſpectus allegatur. Corrad. *l. 7. c. 4. nn.* 25. dicens, contingere id ſępe in beneficialibus, ut tunc literę dirigantur viciniori ordinario; quod tamen, ait Ameyd. *de ſtyl. datar. l. 1. c. 19. in princ.* non de facili admitti a dataria; ſed valde raro, & non niſi ex urgente cauſa, veriſſimumque dicit Roſ. *n.* 23. quod non ita facile removeri debeat ordinarius ex ſimplice ſuſpicionis allegatione, etiam in literis gratioſis. Porro nomine ordinarii veniunt Epiſcopus & ejus Vicarius ſive officialis generalis, qui juxta communiorem haber juriſdictionem ordinariam. Roſ. *l. c.* citans Peregrin. *in pr. vicariatus p. 1. ſect. 2. ſubſect.* 3. Et quia in regnis & provinciis ultramontanis Vicarius Epiſcopi vocatur Officialis, ſtylus Datarię & Cancellarię habet, ut literę illę inſcribantur Officiali. Roſ. *n.* 22. Corrad. *in pr. diſp. l. 2. c. 4. nn.* 17. vide me *in Vicar. Epiſc. q. 17. n.* 2. Veniunt quoque nomine ordinarii Pręlati omnes habentes juriſdictionem Epiſcopalem ac ſeparatam & territorium diſtinctum, quibus a Cancellaria iſtiuſmodi literę dirigi ſolent. Barboſ. *de pot. Epiſc. alleg.* 81. Fagn. *in c. accedentibus de exceſſ. prælator. n.* 38. Tambur. *de jure Abbat. tom. 2. d. 1. q. 4. n.* 6. Salgad. *de retent. Bullar. part. 2. c.* 4. Roſ. *l. c. n.* 35. Corrad. *l. c. n.* 60. *&* 61.

4. Reſp. quarto literę expeditę ſub plumbo nunquam committuntur Epiſcopis & eorum Vicariis, ſed vel Epiſcopis vel eorum Vicariis, uni ſcilicet eorum, pro ut mandavit Pius V. *in conſt. Cogit.* 32. *in ordine*. Roſa *l. c. n.* 23. & fere ſemper diriguntur & committuntur & diriguntur vicariis. Roſ. ibid. Garc. *p. 6. c. 2. n.* 43.

5. Reſp. denique cum oratores nullius ſunt diæceſis, literæ diriguntur Vicario ſeu Epiſcopo viciniori juxta ſtylum Curiæ. Roſ. *num.* 34. ubi etiam, unde metienda dicta vicinitas.

6. Illud hic quoque obſervandum; quod ſi duo ſunt in diæceſi officiales æque principales, ſeu duo Vicarii generales concurrentes in ordinaria juriſdictione, & literæ inſcriptæ officiali, uterque eorum eas exequi poſſit. Laym. *in cap. ſtatutum h. t. in* 6. cum Gloſ. margin. communiter recepta *in Clem. 2. h. tit. v. principalis*. Ego *in Vicar. Epiſc. loc. cit.*

QUÆSTIO CCCXXXIII.

Quid faciendum, ubi ordinarius literas datas ad ſe, ut conſuetum, recuſat exequi.

RESp. Adiri debet Sedes Apoſtolica pro mutatione executionis, impetranturque tunc literæ directæ viciniori ordinario cum clauſula; quod requiſito prius ordinario oratoris, ejus procuratore fiſcale audito, ſi idem ordinarius ad literarum excutionem ſine rationabili cauſa recuſaverit, ſeu cauſam legitimam recuſationis non adduxerit, tunc ipſe vicinior ordinarius eas literas juxta earum formam exequatur Corrad. *l. 7. c. 4. ſub. n.* 25. Roſ. *cit. c. 3. n.* 14. Unde jam ſecundus executor ſeu vicinior ordinarius nullatenus poteſt procedere ad literarum executionem, niſi requirat prius proprium oratoris ordinarium cum inſerto tenore literarum ſibi præſentatarum, nec ſufficiat, quod partes ipſę requirant proprium ordinarium, ut velit literas exequi Corrad. *l. c.* & latius *l. 4. c. 5. n.* 53. *&* 54. Roſa *n.* 15. *&* 16. ubi etiam, quod id procedat in beneficialibus ſive literæ eapediantur in forma *dignum* antiqua, ſive nova, item *n.* 17. contra Maſſob. *in pr. habendi concurſ. reg. 5. qu... n.* 4. qui docet executorem ſecundum non teneri requirere primum, ſed ſufficere

conſta-

constare in actis, quod fuerit requisitus per partem post literarum præsentationem, & executio facta non sit. Proinde jam ut secundus procedere possit, requiritur negligentia primi, & ut de ea legitime constet per requisitionem (nimirum factam per secundum executorem) & ut utrumque deducatur in actis; ita ut non sufficiat de cetero verum esse. Rosa *n.* 17. citans Garc. *p.* 6. *c.* 2. *a n.* 60. Amoyd. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 38. *in fine* & Rotam *decis.* 773. *p.* 2. *recent.* &c. Porro si res integra est, ordinarius proprius potest purgare moram & literas exequi. Garc. *l. c.* Rosa *n.* 18. Et dici negligens non poterit ante literarum justificationem, sic si comparet legitimus contradictor vel alius possessor, & opponit de suo jure, quia tunc procedi debet juris ordine servato, citato nimirum dicto contradictore &c. adeoque interea dici non potest de negligentia. Garc. *l. c.* Ros. *n.* 19. Salgad. *de retent. Bullar. p.* 2. *c.* 34. *n.* 101. &c. De cetero dum ordinarius pronunciavit literas non esse exequibiles tanquam subreptitias, secundus executor adiri non poterit, utpote qui tantum datur in casum negligentiç. Rosa *n.* 20. *in fine* citans Rutam *decis.* 168. *n.* 20. *apud Bent.*

QUÆSTIO CCCXXXIV.

Ubinam fieri debeat executio rescriptorum Apostolicorum.

1. RESp. primo. Ut causæ delegatæ authoritate literarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejus non alibi audiantur, cognoscantur & tractentur, quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi copia peritorum commode haberi potest, habetur in *cit. c. statutum* ubi per peritos intelliguntur, qui Advocati & Assessores seu Consiliarii esse possunt. Gl. *ibid. v. copia* & *v. peritorum* Pirh. *h. t. n.* 134.

2. Resp. secundo. Delegatum de causa vi rescripti sibi commissa debere cognoscere de loco, in quo obtinet dignitatem, iotuitu cujus illi facta commissio, habetur quoque *cit. c. statutum* ubi: *in nullo quoque casuum prædictorum Judex extra civitatem seu diæcesim, in quibus deputatur, citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat*: Proinde, Papa contrarium *cit. cap.* statuente, locum hic habere nequit, quod scripsit Purpuratus cons. 417. Delegatum Papæ non egere territorio, sed habere territorium generale; eo quod Papam delegantem repræsentet, quia in qualibet diæcesi est ordinarius, adeoque delegatus Papæ non egeat licentia ordinarii; cum non suam, sed Apostolicam jurisdictionem exerceat. Unde jam, si Episcopo facta delegatio, is de causa cognoscere nequit extra suam diæcesin, etiam de licentia Episcopi, in cujus diæcesi commoratur. Ros. *de execut. lit. Apost. p.* 2. *c.* 3. *a.* 14. citans Campanil. *in divers. rub. Iur. rub.* 11. *c.* 13. *n.* 214. Marchesan. *de commiss. c.* 6. *a.* 84. Paxford. *l.* 53. *tit.* 6. Ricc. *in pr. rerum quotidianar. resol.* 42. Marant. *respons.* 70. *c.* 3. Nisi tamen accederet partium consensus expressus. *cit. c. statutum §. in nullo*; non sufficiente consensu earum tacito. Marant. Campan. *LL. cit.* Ros. *n.* 15. vel etiam, nisi in ipsis literis fieret mentio, quod Episcopus, cui fit commissio, reperiatur ob causam aliquam io aliena diæcesi, & diceretur *Episcopo N. commoranti N.* posset enim tunc expedire totum negotium in aliena diæcesi; & tradunt Marches. Ricc. Campan. *LL. cit.* Ros. *n.* 16.

3. Resp. tertio. Tametsi autem juxta jam data delegatus jurisdictionem totam sibi demandatam exercere nequeat, totumque negotium expedire extra locum suæ residentiæ seu territorii, quo circumscribitur ejus dignitas, cujus intuitu facta ei commissio; potest nihilominus, non obstante *cit. c. statutum*, extra dictum locum, etiam non requisito illius ordinarin, vel etiam partium consensu, partem aliquam seu aliquod exercitium demandatæ sibi jurisdictionis, v. g. citare partes, examinare testes &c. exercere, ubi ita necesse est pro negotio principali decidendo. Ros. *n.* 20. qui tamen putat, citando pro hoc Gonz. *in c. quæsitum de off. deleg.* in eo casu necessarium esse, ut delegatus ostendendo literas demandatæ sibi jurisdictionis demonstret se esse Delegatum Papalem.

4. Resp. quarto. Non solum Delegatum debere expedire negotium intra diæcesin, ubi reperitur, verum etiam extra eam nequit totam causam subdelegare, tametsi possit extra proprium locum committere examen testium, ne hi incommodentur. Rosa *n.* 17. dicens, adesse Magistralem *decis.* 508. *penes Dunozett. Iunior.*

QUÆSTIO CCCXXXV.

In qua loco reus, contra quem impetratum rescriptum, conveniri possit ac debeat.

1. RESp. primo. Jure antiquo per literas Apostolicas non potest quis trahi vel citari ad Judicem ultra duas dietas, id est, iter duorum dierum extra diæcesin suam seu rei, nisi in literis expresse derogatum huic juri, aut nisi cum utriusque partis consensu fuerint impetratç, ita habetur *c. nonnulli h. t.* cum enim non debeant per judicium injariis aditus patere *cit. c. nonnulli*, neque injuriæ inde nasci, unde jura oriuntur *c. qualiter de accus.* æquum non est, ut reus e loco valde remoto magnis sumptibus ac molestia citetur, vel cogatur cedere liti, aut actoris vexationem redimere *cit. c. nonnulli*. Jure vero novo, nimirum per *cit. c. statutum h. t. in* 6. id restrictum ad unam dietam a fine diæcesis; Ita ut etiam ad hoc non sufficiat tacitus vel præsumptus conseosus, ut Molin. *tr.* 5. *de Iust. d.* 25. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 135. Unde jam a fortiore sequitur, non posse legatum Papæ trahere reum ultra duas vel unam dietam; cum nequeat dispensare in decreto illo *c. statutum*, præsertim cum hoc desumptum sit ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innoc. III. Abb. *in c. nonnullis h. t. n.* 3. Fagn. *ibid. n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 137. Porro dietæ illæ computandæ, non a loco, in quo reus domicilium habet, sed a finibus diæcesis suæ. *cit. c. statutum §. cum vero* Item intelligi non debent dietæ legales, quarum una 20. miliaria italica, id est 20000. passuum, passum computando ad quinque pedes juxta *l.* 3. *ff. de verb. signif. juncta Gl. v. millia* & *v. passus*. Sed dietæ vulgares, id est, quales secundum communem cujusque loci seu provinciæ consuetudinem pro dietis computantur; nomina enim communi usu intelligenda sunt. *c. ex literis de spons.* Quod si tamen in aliquo loco non constaret, quæ sit dieta vulgaris, ad dietas legales recurrendum esse, ait Pirh. *l. c.* uti & frequenter, dum non exprimitur, an sint dietæ legales seu a jure definitæ, relinquendum id esse arbitrio Judicis consideratis circumstantiis diei longi vel brevis, viarum ac personarum tradit Menoch. *arbit. cas.* 206. *a num.* 3.

2. Tametsi autem velint quidam, limitandam esse responsionem de reo non trahendo ad judicium ultra unam dietam, ut tantum procedat, si agatur de actione mere personali, quæ scilicet non est in rem scripta, nec datur ad rem certam, secus vero, si agatur de actione mere reali, id est, quæ instituitur ratione rei sitæ in diæcesi; in quo posteriore casu volunt computandam dietam non a diæcesi domicilii, sed a diæcesi, in qua res sita. Contrarium tamen etiam de tali actione reali, quod computatio dietç debeat fieri a fine diçcesis, in qua reus habitat, licet res existat alibi, tanquam verius, tenent Gl. *in c. statutum §. cum vero* Imol. *in c. dilectus h. t. n.* 12. Felin. *ibid. n.* 13. quos sequitur Pirh. *cit. n.* 135. qui etiam *n.* 136. ex Abb. *in idem c. dilectus a n.* 4. tres ponit observandas regulas. Primam, quod sicut reus conveniri potest intra diæcesin, in qua res, de qua litigatur, sita est, coram Judice ordinario. *c. ult. de foro compet.* ita etiam a Delegato Papæ, tametsi ultra duas vel unam dietam extra diæcesin habitationis suæ traheretur. Secundam, quod si per rescriptum papale citetur ad judicium extra diæcesin, in qua res, de qua litigatur, sita est (vel ubi contraxit aut deliquit) dietæ computari non debeant a loco, in quo res sita, sed a loco, in quo clericus ratiune sui beneficii residet; cum enim ratione rei sitæ in aliquo territorio non acquirat ibi diæcesin seu domicilium, adeoque absolute loquendo non fiat subditus illius loci, licet ibi sortiatur forum & conveniri possit ratione rei possessæ, non potest trahi extra diæcesin, in qua res sita ad duas vel unam dietam. Tertia, quod, si quis in duabus diæcesibus habet domicilium, in una principale, in altera minus principale, & in hoc minus principali res sita sit, reusque conveniatur per rescriptum Apostolicum, dieta computari debeat a finibus diæcesis, In qua minus principale habeat domicilium, & simul res litigiosa sita est; cum duo vincula fortius ligent quam unum; sumuntur hæc ex *c. ex parte de foro compet.* & docet *ibid.* Abb. *num.* 9.

3. De cetero limitanda responsio secundum omnes primo, ut locum non habeat in delegatis ab ordinariis locorum; ita ut Episcopus diæcesanus nequidem intra unam dietam extra fines suæ diæcesis possit causas delegare; cum generaliter *c. placuit. c. Episcopum q.* 1. *Clem. unic. de foro compet.* interdictum sit, ne quis jurisdictionem (intellige contentiosam) exerceat in aliena diæcesi Potest tamen diæcesanus quemcunque subditum suum a quocunque loco diæcesis, etiam ultra duas dietas, ab habitatione illius citare ad

judicium; cum in quocunque loco suæ diæcesis non exempto possit per seipsum aut suos delegatos causas ad forum ecclesiasticum pertinentes audire & cognoscere. *c. cum Episcopus de off. Iud. ordinar. in 6.* Sed neque Metropolitanus potest cognoscere aut delegare causas, nisi in sua diæcesi, aut in diæcesi Judicis, a quo fuit appellatum. *c. ut litigantes de off. ordinar. in 6.* Abb. *in c. nonnulli h. t. n. 4.* Fagn. *ibidem n. 5.* Pirh. *h. t. num.* 137. Secundo, ut citari possint etiam ultra duas dietas, si partes impetrantes rescriptum expresse consentiant in Judices remotos. Pirh. *l. c.* Tertio, si Papa ex certa scientia rescribat contra jus, expresse mentionem faciendo in literis de hac constitutione derogando ei, ut dispositioni *cap. nonnulli* derogavit per *c. statutum h. t. in 7.* Fagn. *in cit. c. statutum n. 12. & 13.* Pirh. *l. c.* Quarto, ut solus reus prohibeatur trahi extra suam diæcesin ultra duas vel unam dietam; in hujus enim solius favorem & in odium impetrantium rescriptum ad lites edita est dicta constitutio, perinde jam actor, tametsi in progressu litis fiat reus v. g. quia convenitur a reo, vel si reus appellet, potest trahi ultra unam vel duas dietas extra suam diæcesin; quia debet sequi forum rei, modo non trahatur ultra duas dietas a finibus diæcesis rei. Innoc. *in cit. c. nonnulli num. 1.* Host. *ibid. v. ut reus.*

4. Resp. secundo. Si actor & reus habeant domicilium in eadem civitate seu diæcesi, causæ inter eos a Papa ejusve Legato committi non possunt extra illam civitatem aut diæcesin, neque extra illas eorum aliquis conveniri. Ita habetur *cit. c. statutum §. cum vero* & *ibi* Gl. *v. ejusdem civitatis.* Nisi tamen ab Episcopo contra aliquem de sua diæcesi, vel e contra ab aliquo contra Episcopum Capitulum ejus Cathedrale, vel etiam contra ipsam civitatem, villam, castrum actio dirigenda, vel nisi actor eandem civitatem seu diæcesin, in qua judicium agitandum, ob adversarii potentiam vel aliud justum periculum intrare, adeoque illum intra eandem convenire non auderet, in his enim casibus potest causa delegari extra civitatem seu diæcesin, ita tamen, ut nullus eorum possit ultra unam dietam a fine diæcesis trahi & conveniri. *cit. c. statutum §. cum vero* in quo tamen casu justi timoris aut periculi debet is, qui literas commissionis ad Judicem extra civitatem vel diæcesin impetravit in illis exprimere justum timorem vel periculum, & de eo fidem facere Judici delegato, saltem per proprium juramentum; & si fidem de eo non faciat, debet Judex dimittere causam condemnando actorem in expensas factas a reo. *cit. §. cum vero & ibi* Gl. *v. saltem.* Dum vero actor & reus sunt diversarum civitatum vel diæcesium, actorque in civitate vel diæcesi rei habere Judicem recuset, poterit libere impetrare alium Judicem, non quidem in sua, sed alia civitate, illucque reum trahere; modo non trahatur reus ultra unam dietam extra suam diæcesin. *cit. c. statutum §. cum autem*, ubi Gl. *v. remotus.* addit, quod etsi ille locus modice, v. g. ad unum milliare distaret ultra unam dietam, non posse ibi reum conveniri.

5. Resp. tertio. Judex a Papa delegatus (sive actor & reus sint ejusdem civitatis aut diæcesis, & in eadem vel alia sit Judex impetratus, sive sint diversarum civitatum vel diæcesium, & in civitate rei vel alia tertia impetrans sit Judex seu delegatus) non potest partes citare, nec de causa sibi commissa cognoscere extra civitatem aut diæcesin, ad quam deputatus (excederet enim alias formam mandati) nisi accesserit partium consensus (locus enim certus deputatus est in favorem partium, cui illæ renonciare possunt, ut Vivian. *in ration. Iur. pontif. in cit. §. in nullo*) expressus, tacito, v. g. consistente in eo, quod non opponatur exceptio, non sufficiente alio, quin citatio & processus reliquus est ipso jure irritus *cit. c. statutum §. in nullo.*

QUÆSTIO CCCXXXVI.

Intra quantum temporis spatium literæ aut rescripta sint expedienda.

1. RESp. primo. Præsentato rescripto executor negotium sive causam sibi commissam tractare & expedire debet intra terminum sibi in rescripto præfixum; pertinet enim tunc tempus ad formam substantialem delegationis, illiusque lapsum delegati jurisdictio & potestas exspirat. *c. de causis de off. deleg.* Abb. *ibid. n. 5.* Laym. *ibid. n. 1.*

2. Resp. secundo. Si certum tempus præfixum non est, & est rescriptum justitiæ, delegato curandum est, ut liti quam primum commode potest, finis cito imponatur, ne labore & sumptibus vexentur partes. *c. finem de dolo.*

3. Resp. tertio. Terminus certus quo ad rescripta justitiæ pertractationis causæ jure Canonico præscriptus non est Gl. fin. *in c. venerabilis de Iudice.* Abb. *ibidem n. 6.* Felin. *n. 1.* Laym. *n. 4.* Argum. ejusdem *cap. venerabilis*, ubi Judex delegatus prætextu triennii lapsi judicium subterfugere nitens, non obstante hac exceptione, jubetur in negotio seu causa procedere.

4. Resp. quarto. Quamvis potestas executoris literarum Apostolicarum continentium gratias nullo temporis spatio circumscripta sit, eo quod, cum gratia ipsa sit perennis, executoris, etiam potestas ad eam accessoria debeat esse talis, ne gratia principalis reddatur elusoria per ejus accessorium. Ameyd. *de styl. Datar. l. 1. c. 5. a n. 42.* Rosa *de execut. Lit. Apost. part. 1. cap. 10. num. 1.* duretque fere, quousque provisus sit inductus in possessionem. Wiestner. *h. t. num. 174.* rescripta tamen beneficialia quo ad collationem faciendam proviso, ejusque missionem in possessionem sunt exequenda intra 30. dies facta præsentatione eorum juxta constitut. Pii V. allegatam a Paris. *de resign. lib. 8. q. 7. num. 187.* & Garc. &, licet id indubitatum dicat Rosa *loc. cit. num. 2.* in provisionibus expeditis in forma *dignum* novissima, addit tamen ex Ameyd. *loc. cit.* quod in expeditionibus in forma dignum antiqua certum sit non esse ullum tempus determinatum. Quod si tamen legitimum obstet impedimentum aut contradictor, tempus illud utique prolongandum est. Siquidem dum duo de suo vel Ecclesiæ jure contendunt, eos executor audire debet, assignatis ad allegandum competentibus terminis, de causa cognoscere, & sententiam pronunciare, quo minus enim tunc provisio intra præscriptum terminum executioni mandetur, penes executorem non stetit. Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 31. §. 2. num. 4.* Pirh. *ad tit. de præb. num. 305.*

5. Resp. quinto. In rescriptis continentibus materiam Justitiæ, potestas seu jurisdictio executoris circumscribitur anno, ne lites immortales reddantur juxta *c. quærenti de off. deleg.* quod loqui de delegato principaliter dato ad causam seu litem ait Garc. *de benef. p. 6. cap. 2. n. 147.* apud Rosam *n. 4.* Unde, si executor datus principaliter ad gratiam eique accessorie conjuncta potestas contentiosa, dum se offert contradictor, durare ejus potestatem ultra annum, sicut durat ipsa gratia, tradit Garc. *l. c.* contra Ameyd. *l. c.* censentem, citatum *c. quærenti* etiam locum habere, ubi judicium contradictorium annexum executioni; adeoque & tunc potestatem ejus non extendere se ultra annum. Illud pro generali regula hic tradit Rosa *num.* 6. quod rescripta continentia gratiam, si quoque per accidens contineant justitiam, regulanda esse ut rescripta gratiæ, non attendendo, quid per accidens contineant, sicut è contra rescripta principaliter justitiæ, accessorie continentia gratiam regulanda sunt, sicut cetera rescripta justitiæ, attendendo semper, ad quid primo & principaliter concessa juxta doctrinam Abb. *in cap. ad audientiam num. 14.* & Sanch. *de mat. lib. 8. d. 28. num. 6.*

6. Resp. sexto. Executoribus literarum Apostolicarum concessarum a prædecessore Papa, eoque mortuo necdum præsentatarum, quæ revalidantur a successore Papa per *Reg. 12. Cancellariæ*, præscriptum per eandem regulam annum a dicta revalidatione, censent plures apud Rosam *loc. cit. num. 7.* & quod licet dicta regula faciat tantum mentionem literarum gratiæ, debeat tamen intelligi de iis, quæ habent annexam litem & controversiam, quia agendum contra intrusum, censet Ameyd. *cit. cap. 5. num. 43.* Verum negat hæc ipsa Rosa *num. 8.* ubi quod in dicta regula nullum præfigatur tempus executoribus ad exequendum dictas literas a prædecessore Papa concessas, quas quilibet Papa sequens revalidat, sed tantum revalidentur per eum literæ tam meræ gratiæ quam justitiæ, quæ intra annum ante diem obitus prædecessoris Papæ fuerunt concessæ; adeoque annus non præfigatur executoribus, sed tantum cadat super tempus concessionis literarum; ita ut literæ tam gratiæ quam justitiæ intra illum annum revalidentur, non vero ante illud tempus concessæ.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXXXVII.

Quid juris sit, si executor, contradictore deficiente & impedimento cessante, collationem beneficii & missionem in possessionem non faciat intra 30. illos dies, aut etiam facere renuat.

1 RESp. primo. Si id facere omittat vel negligentia vel malitia, potest provisus apud eundem instare pro literarum expeditione & beneficii collatione, & is moram purgare conferendo beneficium, etiam post 30. dies; eo quod hic terminus in favorem provisi præfixus sit, qui proinde juri adeundi alium executorem renunciare potest. Archid. *in c. si Capitulo de concess. præb. in 6.* Franc. *ibid. n. 3.* Garc. *de benef. p. 6. c. 2. n. 90.* Rosa *p. 1. c. 3. n. 18.* Massob. *in pr. habendi concurs. reg. 5. dub. 11.* qui tamen, ut dictum supra, executor negligens dici non potest ante literarum justificationem. Ros. *n. 19.* Vel etiam poterit provisus seu impetrans in virtute Bullæ executoriæ una cum aliis literis sibi concessæ (si enim expeditæ literæ in forma *dignum* novissima, hac attenta, dentur eodem tempore secundæ literæ executoriæ, directæ vel viciniori ordinario vel Metropolitano, in quibus conceditur; Quod si Ordinarius intra 30. dies exequi recusaverit, vel alias negligens fuerit, ipse exequatur. Rosa *n. 16.*) secundum executorem adire, & probata primi executoris malitia vel negligentia, petere ab eo (prævio tamen examine; si literæ expeditæ in forma *dignum*) collationem beneficii & missionem in possessionem. Garc. *l. c. a n. 60.* Si vero literæ sunt expeditæ in forma *dignum* antiqua, quo casu non expediuntur literæ executoriæ, sed una duntaxat Bulla, tunc si Ordinarius, ad quem directæ literæ, renuat exequi, debent impetrari a Papa novæ literæ directæ Ordinario viciniori vel Metropolitano, ut, requisito prius Ordinario, & si is renuat, ipse vicinior vel Metropolitanus exequatur. Rosa *cit. n. 6.* Qualiter autem secundus executor procedere possit vel non possit, dictum est *quæst. ante hanc 4.* De cetero renuente Ordinario, si is exceperit, non esse in potestate impetrantis independenter a talibus literis executoriis recurrere ad Metropolitanum vigore ordinariæ appellationis, ut videtur tenere Tondut. *p. 2. c. 4. §. 2. n. 6.* censet Ros. *n. 20.* eo quod, cum in eo casu Ordinarius fungatur authoritate Apostolica delegata, appellari ab eo ad alium nequat; si quidem a delegato ad delegantem appellandum. *l. 1. l. fin. ff. quis & a quo appell.* ad Papam recurrendum. De quo plura infra: ubi ad quem a Decreto executoris detur appellatio.

2. Resp. secundo. Si executor deputatus in literis expeditis in forma *dignum* intra 30. dies beneficium non contulerit sub prætextu, quod impetrans repertus fuerit non idoneus, seu quod literæ sint subreptitiæ, impetrans vigore Bullæ executoriæ recurrere non poterit ad executorem secundum in ea designatum, & executori primo substitutum. Anchar. *in c. si capitulo de concess. præb. in 6. n. 21.* Grac. *discep. for. c. 92. n. 31.* Garc. *l. c. n. 60.* Ros. *cit. n. 20. in fine.* Siquidem vigore Bullæ executoriæ datur secundo executori solum jurisdictio conditionata, non simpliciter in omnem casum, quo collatio intra 30. dies facta non fuerit; sed in eum duntaxat, quo primus executor fuit in mora, sive negligens, & per eum stetit, quo minus literæ Apostolicæ executioni mandatæ fuerint (in quem casum, etsi id non exprimatur, censetur semper substitutus secundus. Garc. *l. c. n. 64.* Argum *c. si capitulo*) ac consequenter eo ipso, quod negligentia vel malitia primi non intervenit, secundi executoris jurisdictio exspiravit. Proinde jam proviso, qui tali sententia se gravatum sentit, aliud non superest remedium quam appellationis, & quidem ad Papam. Quod certum esse videtur, ubi executio negatur prætextu subreptionis; quia executor, a quo appellatur, delegatus est ab ipso Papa. Quin & ubi executio negatur propter reprobationem Examinatorum, quia hoc examen ab Examinatoribus vice executoris seu Delegati Apostolici institutum super dignitate, seu idoneitate impetrantis, censetur quoque factum, non authoritate ordinaria, sed a Sede Apostolica delegata. Castrop. *tr. 13. p. 13. §. 2. n. 9.* quem sequitur Wiestner. *h. t. n. 178.* contra Garc. *l. c. n. 76.* censentem posse fieri appellationem ad Metropolitanum. Neque his obstat decretum Trident. *sess. 24. c. 18.* ubi, quod non detur appellatio ab Examinatorum reprobatione, nam id intelligendum est, de Examinatoribus Synodalibus, qui non authoritate Apostolica sed propria, seu ex proprio suo munere peragunt Examinatores.

QUÆSTIO CCCXXXVIII.

An postquam executor contulit impetranti beneficium, illumque misit in possessionem, exspiret ejus potestas.

RESp. Non convenire in hoc AA. exspirare illam mox, ut provisus acquisivit possessionem pacificam, tenent cum Jo. And. *in c. pro illorum de præb. n. 11.* Salgad. *de retent. bullar. p. 2. c. 18. a n. 21.* Massob. *in pr. habendi concurs. reg. 5. du. 12. n. 5.* Staphil. *de lit. gratia tit. de vi & effect. claus. §. significato n. 3.* fundatur hæc sententia in eo, quod executor sit veluti Judex delegatus, nec in alio differat a Judice, quam quod Judex principaliter datur ad causam, secundario ad sententiam exequendam; executor vero principaliter datur super executione; secundario vero cognoscere possit, & partes Judicis assumere. Abb. *in c. postulasti de off. ordinar. n. 3.* Jam vero, postquam provisus missus in possessionem, executor functus sit officio, nec habeat amplius, quod faciat, & cessat finis, ob quem datus est, adeoque jam adiri debeat Judex ordinarius via ordinaria, coram quo immissus in possessionem conveniendus, ut Cassador. *decis. 1. sub tit. de rest. spoliat.* Riccius *in pr. resolut. 299.* Salgad. *p. 2. c. 18. a n. 29.* apud Ros. *p. 1. c. 10. n. 13.* Hanc sententiam expresse videtur tenere Ros. *l. c. n. 18.* ubi, quod, cum executor datur accessorie ad gratiam, tamdiu durat ejus potestas, quamdiu fuerit gratia executioni mandata, per quam gratia dicitur consumpta, ubi autem gratia suum habuit effectum, executoris potestas statim finita censeatur; quia per talem immissionem in possessionem, adimplevit officium, ad quod datus a Papa. *c. sublatis de off. delegat. & c. quarensi tit. eod.* non obstante, quod executori concedatur annus, ut possit sententiam mandare executioni; quia dicitur post datam executionis sententiam mox exspirare ejus jurisdictionem. Neque obstante, quod adsint in literis clausulæ: *defendat inductum, & faciat de fructibus respondere:* quia hoc ipsum intelligitur, cum statim in initio turbatur possessio. Neque denique obstante, quod intra annum adhuc dicatur possessio in limine, ex hoc enim non sequitur, quod ab executore sit tuendus; cum sub Judicis ordinaria authoritate veniat tuendus. Hoc ipsum tamen limitant AA. hujus sententiæ. Salgad. *n. 34.* Ros. *n. 28.* nisi in continenti in possessionem missus turbaretur ac molestaretur, eo quod non videatur pacificam possessionem adeptus, qui vel statim dimisit, vel in ea illico turbatur, *l. non videtur ff. de acquir. possess.* nec dicatur, quod non durat vel parum duravit. Argum. *l. qui non solvit. ff. de solut.* E contra jurisdictionem executoris non finiri non expleto anno post immissionem in possessionem, tenent Felin. *in c. quarensi de off. deleg.* Marchesan. *de commiss. ab executor. Brevium & lit. Apostol. p. 5. §. 2. num. 102.* Amevd. *l. c. c. 5. num. 45.* Fundamentum hujus sententiæ est, quod ad pacificam possessionem requiratur annalis possessio juxta Felin. *in c. in nostro h. tit.* Mascard. *conf. 183. n. 4.* Vitalin. *in Clem. si plures de præbend. num. 13.* Dicaturque, quod quamdiu durat annus, possessio sit in limine, & non censeatur acquisivisse possessionem pacifice, qui in limine fuit turbatus.

QUÆSTIO CCCXXXIX.

An postquam executor male fuit executus literas, exspiret ejus potestas; an vero possit de novo eas exequi & ex integro procedere, aut etiam supplere, quod omisit.

1. RESp. ad primum. Postquam delegatus Judex sententiavit sive bene sive male, non posse de novo judicare, quia judicando jam functus est officio suo, & per probationem sententiæ cessavit jurisdictio ei mandata. *c. venerabilis 2. in literas de off. deleg. l. sicut pro parte cap. quomodo & quando Judex* Felin. *in cap. qualiter & quando il 2. de accusat. num. 38.* Vant. *de nullitat. v. coram quo possit. num. 14.* Tiraq. *in l. boves §. hoc sermone de verbor. signif. Limitat. 1. num. 4.* Scaccia *de appell. q. 19. remed. 2. conf. 6. num. 91.* Gutt. *qq. canon. l. 2. c. 2.* Ridolph. *in pr. part. 1. c. 13. num. 82.* Tondul. *qq. benef. c. 49. num. 17.* Ros. *p. 1. c. 10. num. 24.* dicens esse tritum in jure. Limitant hoc ipsum seu distinguunt aliqui, ut nimirum tantum procedat, dum error est juris, non vero dum est facti. V. g. condemnavit executor aliquem, quem credebat citatum. Contulit præbendam non vacantem, quam vacare credebat, pro qua sententia refert

etiam decisionem Rotæ Rosa *n.* 26. Rejiciunt hanc sententiam alii cum Baldo & Felin. & indistincte tenent, sive in facto sive io jure erraverit, quod non possit amplius sententiare, & in causa illa se immittere. Distinguunt alii secundo aliter, ut non procedat, si delegatus processerit non servata forma rescripti; eo quod tunc oon dicatur functus suo officio, adeoque possit de novo cognoscere. Ita Tiraq. *l. c. limit.* 2. *a n.* 51. Ridolph. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 585. Scaccia *l. c. n.* 102. quam sententiam tuto teneri posse, air Rosa *n.* 32. quamvis se etiam dubitare dicat. Addit autem Scaccia, debere evidenter constare ex ipsa sententia, ipsam esse latam contra formam rescripti substantialem, ita etiam, ut si forma illa, contra quam sententia lata, non esset substantialis, sed respiceret jus & favorem litigantium, cui ipsi renunciare possint, processus valeret, si neuter exciperet, aut de nollitate diceret. Tertio alii distinguunt, ut procedat quo ad rescripta justitiæ, seu executore dato ad lites, non vero quo ad executorem rescripti gratiæ. Itaut si executor datus ad providendum de beneficio, & sic in extrajudicialibus respicientibus gratiam nulliter processit, is possit iterum ex integro procedere. Ita Scaccia *l. c. n.* 100. Ridolph. *l. c. n.* 586. quam sententiam licet approbet Rosa. *n.* 33. ita tamen restringit: nisi executor pronunciavit literas esse subreptitias, quamvis in extrajudicialibus; tunc enim non posset se amplius negotio immiscere, pro ut de dispensationibus matrimonialibus disisse ait Corrad. *in pr. disp. l.* 7. *c.* 4. *a n.* 55. quem vide. Quod si tamen etiam executor datus ad providendum processerit ut executor mixtus servato juris ordine, & cum cognitione causæ, sive bene, sive male judicaverit, & sive in facto, sive in jure errando processus fuerit nullus, exspiret per hoc ejus jurisdictio, debeatque pars, quæ se gravatam senserit adire superiorem legitimum, & coram eo sua jura deducere. Ita Rosa *n.* 31. citans Rotæ *decis,*

2. Resp. ad secundum. Cum executor omisit aliquid, sibi in literis commissum, poterit illud dein supplere, pro ut dixit Corrad. *in pr. disp. l.* 8. *c.* 2. *n.* 35. apud Rosam. *n.* 34. de facultate legitimandi prolem.

QUÆSTIO CCCXL.

An rescripta executioni mandari possint mortuo rescribente.

RESp. ad hoc commodius respondendum infra, ubi rescripta exspirent morte concedeotis.

QUÆSTIO CCCXLI.

Executor merus & mixtus quis, & qualiter merus fieri possit mixtus & contra, quodque sit utriusque præcipuum officium.

1. RESp. ad primum. Executor datus in literis Apostolicis merus dicitur, cui committitur nudum ministerium exequendum. V. g. missio in possessionem absque exercitio jurisdictionis, cujus proinde officium in solo facto consistit, absque eo, quud partes Jddicis assumere possit; daturqoe ut plurimam in literis gratiosis, seu in forma gratiosa expeditis, cum gratia ab ipsomet Papa facta. Executor mixtus, cui, non nudum mioisterium, sed etiam aliquod jurisdictionis exercitium committitur, ita ut partes Judicis assumere possit & teneatur. Qualis semper censetur, ubi Papa non facit gratiam, sed ipsi executori faciendam committit. V. g. dum literæ beneficiales in forma dignum expediuntur; vel etiam dum literæ pro dispeosationibus ad eum dirigerentur Rosa. *de executor. lit, apost. p.* 1. *c.* 6. *n.* 1. & 2. & *c.* 14. ubi cum Ameyd. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 51. Quod id procedet, sive adsit, sive non cootradictor, eo quod committatur huie executori, ut prævia justificatione narratorum & idoneitate oratoris conferat beneficium; adeoque ei committitor, ut procedat cum causæ cognitione, & consequenter ei demandatur jurisdictio, quod est esse mixtum ad differentiam, meri, cui committitur nudum ministerium. Contradictoris autem existentia nihil aliud efficiat, quam quod tunc debeat partes Judicis assumere, & sit Judex cum jurisdictione contentiosa inter partes agitanda; dum non existente contradictore, sit quidem Judex cum jurisdictiooe, sed oon contentiosa, & in utroque casu teneatur adhibere causæ cognitionem. Sed ubi adest contradictor, fieri debet hæc cognitio & narratorum justificatio, parte seu contradictore citato, & in omnibus audito; si autem non sit contradictor, fiat dicta cognitio, nullo citato; quod est exercere jurisdictionem voluntariam.

2. Resp. ad secundum. Potest quandoque executor merus fieri, non quidem ex vi rescripti, sed ex accidente mixtus, puta, cum adest legitimus contradictor vel possessor in beneficio; hic enim citandus & audiendus, etsi intrusus; cum possessor non statim per solam executoris declarationem teneatur relinquere jus suum. Ameyd. *de Stylo Datar. l.* 1. *c.* 5. *q.* 3. *n.* 50. Salgad. *de retent. Bullar, p.* 2. *c.* 33. *num.* 57. & 65. Rosa *n.* 3. & 4. Et quod semper, quando agitur de removendo possessore, executor de mero efficiatur mixtus, & partes Judicis assumere teneatur, tenet Garc. *de benef. p.* 6. *c.* 2. *n.* 110. Felin. *in c. fin. de præsump. n.* 34. Ros. *n.* 5. & 7. citatis plurimis Rotæ decisionibus contra Ubertum *in pr. 6. de exec. lit. Apost. n.* 264. ubi quod executor merus, dum alius est in possessione, debeat illum citare & audire ejus exceptiones, non tamen per hoc desinat esse merus; quia non cognoscit de tituli proprietate, & rejicit exceptiones, maxime dum frivolæ sunt, uti &, ut idem Ubertus *de citationib. c.* 2. *n.* 59. non desinit esse merus, si faciat actus pro justificatiooe. Verum communis sententia habet, quod implicet executorem merum exercere debere partes Judicis & jurisdictionem, quæ io jure fundatur: cum officium meri executoris consistit in facto tantum & non in exercitio jurisdictionis; adeoque cum executor facit actus pro justificatione, vel citat vel aliud actum similem facit, non est amplius merus executor. Ad hæc contingere potest, & ut plurimum contingit, quod possessor proponat exceptiones relevantes, quas rejicere nequit executor, sed tenetur super illis interloqui, si discussione egeant. Neque in contrarium facit clausula: *amoto quolibet*: super qua se fundat Ubertus inserta literis gratiosis. Hæc enim intelligitur de contradictoribus de facto, & non de contradictoribus de jure. Rosa *n.* 7. vide eundem *p.* 1. *c.* 5. *a num.* 162. Et licet executor vi talis clausulæ manens merus, amovere possit intrusum, non tamen possessorem cum titulo colorato. Rebuff. *in pr. p.* 2. *c.* 8. *n.* 103. Ros. *n.* 8. citans Staphil. *de lit. grat. fol.* 98. *vers. ex quo sequitur*. Quin & tenetur cognoscere de validitate tituli, ut Ludovis. 335. *n.* 12. & Ridolph. apud Rosam.

3. Resp. ad tertium executor mixtus, qui datus in literis præsertim in forma *dignum* ad cognoscendum etiam cum prævia cognitione causæ, sitoe exequendum nec ne, ex natura sua vocatur mixtus, per accidens fieri potest merus, dum oimirum nullus est oppositor vel cootradictor, etiamsi adsint clausulæ illum talem efficientes. Ameyd. *loc. cit.* Ros. *num.* 11. præter alias plures citans Rotam in *Lucana Canonicat.* coram Royas 1. *Iun.* 1647. & apud Ottobon. *decis.* 186. *num.* 9.

4. Resp. ad quartum. Præcipuum officium executoris mixti officium est in verificando narrata Papæ in literis contenta, ac videre, an literæ obreptitiæ vel subreptitiæ, juxta quod monet Trident. *sess.* 22. *c.* 5. *de reform.* Quod dum advertit; cessare debet ab executione Literarum, ut DD. commuoiter *in c. super literis h. t.* qui textus licet loquatur de literis contentiosis, concludant tamen Canonistæ, a fortiore illius dispositionem eriam in gratiosis locum habere, præsertim in beneficialibus, in quibus major ambitio consideratur, & intervenire præsumitur. Ros. *n.* 14. citatis pluribus Rotæ decis. Potest proinde executor mixtus pronunciare tam pro executione, quam pro non executione. E contra executor merus noo cognoscit de subreptione secundum Rotam *decis.* 11. *penes Rub. Tom.* 2. & *decis. Rob.* apud Rosam *n.* 15. potestque tantum desistere ab executione, sed non potest declarare, literas exequendas non esse; cum unlla mandata sit ei cognitio. Ros. *num.* 12.

QUÆSTIO CCCXLII.

Quænam potissimum clausulæ constituant executorem mixtum, & quæ relinquant merum.

RESp. Mixtum facit clausula: *constito*. De quo satis dictum supra, ubi de clausulis. Secundo clausula: *vocatis vocandis de jure*; semper facit executorem mixtum ex natura sui. Garc. *p.* 12. *c.* 2. §. 1. *n.* 140. Ridolph. *p.* 3. *c.* 8. Ros. *p.* 1. *c.* 5. citans iosuper Rotam *in Cosentina canonicat.* 5. *Iun.* 1449. *coram Mohio*. Non solet autem hæc clausula apponi io gratiosis. Ros. *l. c.* Oldr. *de rescrip. prælud.* 9. *n.* 26. Qualiter autem vi illios clausulæ procedere debeat executor judicialiter, dicetur paulo post. Tertio clausula: *amoto*: antequam negotium excussum, & ante sententiam aliquam executoris; dum adest intrusus facit executorem mixtum. Ridolph. *l. c. num.* 97.

Garc.

Garc. *p 6. c. 3. n.* 48. Barbos. *clauf. 5. amote n.* 3. Rosa *l. c. num.* 166. *&c.* Si vero fuit facta discussio & præcessit sententia aliqua, literæque non sunt expeditæ sub intrusione, non facit executorem mixtum, nec retardat executionem; quia negotio excusso, executor nihil habet facere, quam exequi. Garc. *n.* 140. Rof. *l. c.* ubi etiam, quod non tollat viam executivam hæc clausula *amote*, ubi apposita est in parte executiva, & gratia est legitime justificata, & literæ non expeditæ sub intrusione; citat pro hoc Barbos. *clauf.* 7. *n.* 10. Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 11. *n.* 467. Gonz. &c.

QUÆSTIO CCCXLIII.

Executor quid agere debeat, dum de prebendis literas, non quidem subreptitias, sed aliter vitiosas.

RESP. Si literas sibi præsentatas defectuosas & per occupationem vel alias minus bene expeditas reperiat, potest tradere eas parti, aut ipse ad illorum, quorum interest, instantiam ad Cancellariam Apostolicam remittere per officiales, quibus hujusmodi tenores & formas restringere convenit, ad debitam formam reducendas juxta *Regul. Cancell.* 27. *hodie de non judicando juxta formam Cancell. in fine*. quam explicatam vide apud Chok. Mandos. Sarnens. in dictam Regulam. Remissionem tamen illam non semper esse necessariam, sed remitti arbitrio Judicis seu executoris, ait Lotter. *de re benef. l.* 3. *c.* 2. *n.* 38. probatque ex verbis regulæ: *remitti poterunt*: quæ verba non important necessitatem. Menoch. *de arb. l.* 1. *q.* 8. *n.* 47. Item probatur a Rosa. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 2. ex illis regulæ verbis: *ad illorum; quorum interest instantiam*; ex iis enim videtur, quod Judex non teneatur mittere Bullam male formatam ad Cancellariam corrigendam, nisi pars petat; maxime, quia Judex, etsi regulariter non possit supplere in iis, quæ pertinent ad utilitatem privatam, *l.* 3. *§. hoc autem Judicium ff. de damno infecto* & *ibi* Bartol. in causa tamen beneficiali possit supplere Judex ex officio. *c. cum olim. h. t.* & gl. *in c. bonæ de postulat.* adeoque possit, si velit, sed non astringatur. Consulit tamen Rof. *n.* 3. quod cum Bullæ & literæ apostolicæ in aliqua parte mendosæ de falso redargui possunt, semper remittendas ad cancellariam, & ibi corrigendas, nisi error tam patens sit, qui ex Judicis authoritate suppleri possit, modo sit levis, ut cum deficeret una litera in nomine, uti etiam notat Corrad. *pr. disp. l.* 7. *c.* 7. *n.* 75. & ex eo Rof. *n.* 4. quod, cum executor videt, literas sibi præsentatas esse abrasas, non debeat se exhibere proclivem in denegando iis executionem, redarguendo eas de subreptione falsi, cum contingere possit, ut, hæc abrasio facta debito modo. Neque his obstat, quod cognitio discordiæ: ex qua deducitur mala expeditio literarum, pertineat ad ipsos Expeditores literarum secundum *decis.* Veralli 174. *n.* 1. & 2. *part.* 2. id enim intelligendum de discordia inconciliabili; si enim conciliabilis est, vel deprehendatur error, non est necessaria remissio, sed salvantur literæ earumque expeditio. Lotter. *l. c.* Glossator. Antiq. *in cit. Reg. Cancell. de non judicand.* Chok. *ibidem n.* 21. & 22.

QUÆSTIO CCCXLIV.

Ut executor procedere possit, qualiter debeant esse expeditæ literæ, eidemque præsentatæ.

1. RESP. primo. Ut executor procedere possit ad executionem literarum, non sufficit gratiam esse concessam, eique commissam ejus executionem. Etsi enim gratia dicatur in esso suo perfecta, postquam est signata, ut Rota apud Mohed. *decis.* 3. *sub tit. de Rescript. n.* 1. & sæpe apud alios, ut videre est apud Rosam. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 2. recipiatque executor ex tunc jurisdictionem; non tamen eam accipit in actu, sed in habitu tantum. Etsi etiam expeditio literarum det formam gratiæ. Fagn. *in c. licet de crim. falsi a n.* 12. exque dicantur expeditę, cum fuerint plumbatæ. Fagn. *n.* 5. Ludov. *decis.* 440. *n.* 5. apud Rof. *n.* 3. non tamen sufficiunt; sed ut literę expeditæ coram executore, cui diriguntur, pręsententur, necessario requiritur ad hoc, ut jurisdictionem suam in actum deducere, seu executioni eas mandare possit. Mandos. *ad reg.* 27. *Cancell. q.* 17. *n.* 4. Ubert. *de citationib. c.* 8. *n.* 328. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 1. *n.* 349. & *p.* 6. *c.* 2. *n.* 2. Corrad. *pr. disp. l.* 7. *c.* 6. *n.* 5. & 6. Rof. *n.* 4. Itaut, si executor ante dictam præsentationem procederet ad executionem, ageret nulliter. Garc. *cit. c.* 2. *n.* 16. Uber. *de cit. c.* 2. *n.* 26. Am. *de styl. datar. c.* 5. *n.* 48. Rof. *n.* 5. citans plures Rotæ decis. Siquidem executor omnino servare debet formam sibi in literis præscriptam, aliter agere nulliter; hanc autem scire & observare non poterit, nisi literæ sint præsentatæ, ex quarum Lectura videbit, quid & quo ordine agere debeat. Porro de hac præsentatione facta sufficienter constabit, si executor in decreto suo sententia posuerit illam clausulam: *visis literis*: cum hęc verba realem productionem designent Rota apud Ott. *dec.* 58. *n.* 26. Rof. *n.* 6. qui tamen ex Lott. ait, id procedere, dum executor extrajudicialiter procedere potuit, nullo existente contradictore, ut loquitur citata illa decisio. Si vero judicialiter procedere tenebatur, tunc ejus assertioni standum non esse, sed debere constare ex actis de tali productione & pręsentatione literarum.

2. Resp. secundo, non sufficere præsentare copiam Bullarum, sed Bullas ipsas originales præsentandas, tenent Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 16. Lotter. *l.* 3. *q.* 11. *n.* 75. Ameyd. *c.* 5. *n.* 48. & hanc communem fuisse opinionem, ait Rof. *c. n.* 6. qui tamen mox *n.* 7. subjungit, attenta tamen *constit.* Innoc. *publicata* 3. *Febr.* 1652. sufficere transumptum Bullarum cum subscriptione Prodatarii cum ejus sigillo impresso, & cum subscriptione Notarii ad id deputati, & ita Rotam *in Leodiens. Canonicat.* 25. *Jun.* 1655. *coram Verospio n.* 9. qualiter etiam sufficiat quandoque præsentari transumptum in forma vidimus. vide apud Corrad. *l.* 7. *c. ult. n.* 9. ad quem, postquam praxin talis resumpti obiter explicarat, remittit Rosa. *cit. num* 7.

3. Resp. tertio. Literæ præsentari debent coram illo executore, cui directæ sunt, solent autem, ut dictum supra, ordinarie dirigi proprio Ordinario. Rof. *n.* 8. Quod si autem erratum fuit in nomine executoris, cui dirigi habebant, posse adhuc proprium ordinarium eas exequi; eo quod, dum constat de corpore, error non sit habendus in consideratione, tenent Diana. *p.* 3. *tr.* 10. *Resol.* 36. Pont. *de mat. l.* 8. *c.* 17. *n.* 193. Sanctarell. *var. p.* 1. *q.* 53. E contra tamen sentit Rof. *n.* 10. citans Leo. *Thes. fori eccl. c.* 22. *n.* 60. Salgad. *de retent. Bullar. p.* 2. *c.* 34. *a n.* 10. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 21. *n.* 39. Corrad. *pr. disp. l.* 7. *c.* 5. *n.* 8. & 9. *&c.* nempe, ubi erratum in nomine Ordinarii. V. g. ubi inscriptæ Ordinario Monasteriensi, quæ dirigi debebant ordinario Coloniensi, remittendas esse pro correctione ad Cancellariam, & interea a neutro dictorum ordinariorum posse exequi. Non ab Ordinario proprio; cum huic non sit facta delegatio. Non ab ordinario non proprio, cui per errorem directæ; quia per concilium Trid. causæ omnes, præsertim beneficiales & matrimoniales committi debent proprio ordinario.

4. Resp. quarto. Num dictæ literæ præsentandæ necessario ante mortem Papæ concedentis, statues satis ex dicendis infra ad *quæst.* ubi, an executor post mortem Papæ possit procedere ad executionem. Vide Rosam *cit. cap.* 4. *a num.* 11.

QUÆSTIO CCCXLV.

Quæ justificanda, & in quæ inquirendum antequam executor procedere possit ad executionem.

1. RESP. primo in genere. Non sufficit, quod verificetur causa, cui innititur gratia. V. g. dispensatio, qua sola posita solet Papa dispensare, ut tenet Sanch. *l.* 8. *d.* 21. *n.* 44. Sed omnia narrata sunt justificanda seu verificanda; cum Papa in literis mandat executori post narrativam ut super præmissis se diligenter informet. Particula autem illa *præmissis* includit omnia. Corrad. *pr. disp. l.* 7. *c* 6. *n.* 19. Ros. *p.* 1. *c.* 12. *n.* 4. qui etiam *n.* 5. observat, aliud esse, gratiam esse subreptitiam; & narrata non justificari. Potest enim esse, quod gratia non sit subreptitia, & tamen non sit exequenda; quia nimirum narrata non sunt justificata. Sic jam, si executor processit, non justificata e. g. reservatione beneficii, sententia illius & processus est nullus. Rof. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 39. citans Rotam apud Ottob. *decis.* 57. *n.* 3. nisi nullus adsit contradictor. Ottob. *n.* 4. & consequenter possessio capta ante talem justificationem reservationis vel etiam generaliter ante justificationem literarum est omnino nulla. Rof. *l. c.* Ottob. *dec.* 106. *n.* 7. & 8.

2. Resp. secundo in specie. Si literæ expeditæ in forma gratiosa, & adest possessor alius beneficii, aut legitimus contradictor, (supposita provisi idoneitate, eo quod de hac constet) verificari debent omnia in literis gratiæ narrata, nisi illa jure præsumantur; vel contradictor opponat de reticentia veritatis de jure vel stylo exprimendæ; hæc enim excipiens seu opponens ipse probare seu justificare tenetur; cum regulariter probatio incumbat ei, qui in adversæ partis præjudicium aliquid asserit, & in eo fundat in-

tentionem suam vel exceptionem. Juxta *can. accusator q. 5.* & *l. ei incumbit. ff. de probat.* ita Abb. *in cap. constitutus h. tit. num.* 4. Felin. *n.* 2. Laym. *n.* 4. Si vero possessor vel contradictor, non adsit (idoneitate in beneficiato requisita, quæque in literis narrata non est, supposita) tenetur executor se extrajudicialiter informare de narratorum veritate, & provisus ea verificare, etiam nemine contradicente, si narratorum falsitas gratiam vitiet, vel narrata sint fundamentum gratiæ. Ut si in literis narrata reservatio, affectio, devolutio beneficii, collatio illius facta alteri simoniace, vel non habenti legitimam ætatem, intrusio, non facta publicatio, vacatio ob delictum ipso jure vel per sententiam, litis pendentia, &c. Vel quod impetrans alias esset inhabilis, ut sunt ætas, clericatus, dispensatio &c. Vel quod habeant rationem causæ moventis Papam ad gratiam concedendam, ut sunt Doctoratus, nobilitas &c. Cujus necessariæ verificationis ratio est, quod in rescriptis exprimi soleat, vel saltem tacite subintelligatur hæc clausula: *si preces veritate nitantur: c. ex parte h. t.* & *l. fin. C. de divers. rescript.* ita ut hujusmodi narrata, dum aliunde explorata non sunt, aut jure præsumuntur vera esse, probari debeat. Et quidem plene, si iis gratiæ concessio principaliter innitatur, vel saltem semiplene, si hujus gratiæ fundamentum non sint. Ita Garc. *l. c. n.* 252. Castrop. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 31. *§.* 2. *n.* 2. Wiestner *h. tit. nu.* 179.

3. Resp. tertio. Si literæ expeditæ in forma *dignum*, executor ultra verificationem narratorum inquirere debet in impetrantis dignitatem seu idoneitatem; an scilicet sit legitime natus, sit Clericus, constitutus in ordinibus, ætate, quam beneficium requirit, bonis moribus & scientia sufficienter instructus. Paris. *l. 4. de resign. q.* 1. *n.* 5. Gutt. *qq. can. l.* 2. *c.* 11. *nu.* 61. In illius tamen idoneitatis exploratione & probatione citatio partis & cognitio judicialis non requiritur, nisi adesset intrusus vel alius legitimus contradictor. Abbas *in c. fin. de præsump. n.* 13. Felin. *ibid. nu.* 36. Garc. *p.* 6. *c.* 2. *a n.* 242. Sed fieri potest quo ad scientiam per examen, & quo ad alias qualitates per testes aliasque probationes extrajudicialiter acceptas.

4. Porro si executor, dum ei nota est impetrantis idoneitas, ei sine examine de idoneitate confert beneficium, collationem esse jure validam, eo quod inquisitio in rem manifestam sit supervacanea *can. manifesta q.* 1. censet Sanchez *l.* 8. *d.* 34. *n.* 24. Negat econtra Garc. *l. c.* eo quod verba literarum Apostolicarum: *si per diligentem examinationem idoneus fuerit repertus:* contineant formam, qua omissa, actus sit nullus; uti a pari constat, dum provisio Parochiæ est invalida omisso examine ex decreto Trid. idque etiamsi constaret de idoneitate promovendi. Mediam viam ingrediuntur cum Felin. *in c. fin. de præsump. n.* 28. Castrop. *l. c. §.* 3. *n.* 4. Wiestner *h. t. num.* 181. dum tenent, necessarium esse examen, dum sola privata notitia constat de idoneitate impetrantis; secus, si dicta idoneitas sit notoria; eo quod examen præscribatur, ut habeatur notitia juridica, quam, secluso examine, non inducit notitia privata, sed notoreitas; adeoque examen præscribatur pro forma, quando idoneitas notoria non est. Tridentinum vero, hac distinctione non attenta, requirens absolute examen, loquitur de Ecclesiis Parochialibus providendis per concursum, cui locus non est in provisionibus Apostolicis, quibus examen solum præscribitur, ut habeatur notitia juridica idoneitatis, quæ satis inducitur notorieitate.

5. Quod si impetrans ab Examinatoribus ad hoc deputatis examinatus, & judicatus est inidoneus, non posse executorem denuo a se examinato & judicato idoneo valide conferre beneficium, tenent Castrop. *loc. cit. num.* 5. Garcias *n.* 255. eo quod postquam ab Examinatoribus inventus & judicatus non idoneus, deficiat conditio, sub qua beneficii collatio executori in literis Apostolicis demandata, adeoque & potestas conferendi, quæ vi illius clausulæ: *si per diligentem examinationem illum idoneum repereris:* alligata videtur examinationi primæ conjunctæ cum judicio. Argum. *leg. bonor §.* 1. *ff. de verb. signif.* secus est, si examinatores peracto examine, suum de impetrantis idoneitate judicium suspenderunt, eo quod quem examinatorum judicio non declarato, executor prævio examine diligente idoneum judicavit, vere sit repertus idoneus. AA. iidem.

QUÆSTIO CCCXLVI.

Qualiter executor justificata gratia ulterius procedere debeat.

1. RESP. Primo. Executor verificata narrativa, & si clausula est in forma *dignum*, debet authoritate Apostolica facere collationem proviso. Rosa *p.* 1. *c.* 24. *nu.* 27. provisio enim in forma *dignum*, secuta justificatione paratam habet executionem, pro ut millies censuisse Rotam, ait Rosa *n.* 16. & producit tituli puritatem, quam ante dictam justificationem gratia non producebat. Retrotrahitur autem tunc gratia in forma *dignum* ad diem datæ literarum, in quo momento censetur facta. Ros. *num.* 25. juxta *decis. Rota* 122. *n.* 10. *part.* 10. *recent.* adeoque excludit omnem aliam gratiam medio tempore impetratam tanquam posteriorem. Ros. *l. c.* juxta Rotam *decis.* 523. *n.* 3. *part.* 3. *recent.*

2. Resp. secundo. Dein debet per se vel subdelegatum suum provisum mittere in possessionem, & is eam de manibus executoris aut subdelegati illius recipere. Ros. *num.* 28. Ac denique capta possessione, si beneficium est curatum, aut Canonicatus Cathedralis, debet provisus intra duos menses emittere professionem fidei juxta Decretum Trid. & constitur. Pii V. de qua professione vide fuse agentem Rosam, *a num.* 30.

QUÆSTIO CCCXLVII.

Quid si ergo executor prævio examine judicavit idoneum, qui revera idoneus non est, an poterit valide ei conferre beneficium.

RESP. Subsistere talem collationem factam vi rescripti in forma *dignum*, tenent Abbas *in c.* 1. *de sentent. & re judicat. num.* 29. Bald. *in l. si cum inter C. quando provocar. non est necesse nu.* 8. Garcias *nu.* 270. eo quod clausula istiusmodi rescripti; *si per diligentem* &c. verificetur, & conditio purificetur in eo casu, modo executor bona fide processerit. Neque obstat, quod dispensatio sit invalida facta ab executore ordinario erronee judicante, preces veritate niti, si re ipsa veræ non sint, ut bene Sanchez *l.* 8. *d.* 21. *nu.* 37. quia rescripta hujusmodi dispensationum expediri soleor cum dicta clausula: *si preces* &c. quæ revera conditio non impletur si narrata falsa sunt, quantumcunque executor judicet ea vera esse. Simile quid est, dum jubetur conferri resignatario beneficium sub expressa vel tacita hac conditione: si resignans aliunde commode vivere possit: & is reipsa non habet, unde vivere possit, invalide confertur beneficium, tametsi executor falsis deceptus probationibus judicaverit illum aliunde sufficienter vivere posse.

QUÆSTIO CCCXLVIII.

Quid sit procedere judicialiter & extrajudicialiter.

1. RESP. Primo. Datum executorem cum jurisdictione, habere mandatum ad conferendum beneficium, vel dispensandum verificatis narratis, debere procedere cum cognitione causæ, & assumere partes Judicis &c. important modum & necessitatem procedendi judicialiter, ut patebit ex mox subjiciendis; quare

2. Resp. secundo. Per processum seu actum judicialem intelligitur ille, qui fit per Judicem in judicio contradictorio cum contentione, scilicet inter actorem & reum, cum judicium definitur, quod sit actus legitimus coram Judice factus inter actorem & reum, sive verum, sive fictum, & tunc vocatur jurisdictio contentiosa juxta *l. inter stipulantem §.* 1. *de verb. oblig.* per actum vero extrajudicialem intelligitur ille, qui fit a Judice; etiam cum cognitione causæ, non tamen contentiose nec judiciali strepitu inter partes, sed ex proprio officio exercendo jurisdictionem non contentiosam, cum nullæ adsint partes invicem pugnantes, sed voluntariam, quæ talem personarum distinctionem non requirit, & exerceri potest extra territorium proprium. Ros. *cit. c.* 8. *nu.* 7. & 8.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXLIX.

Executor qualiter possit ac debeat judicialiter vel extrajudicialiter procedere.

1. RESp. Primo in genere. Dum adest in literis clausula aliqua, quæ importat judicialem cognitionem, tenetur executor procedere judicialiter & assumere partes Judicis; præscribitur enim tunc a Principe forma, quam omnino executor observare tenetur, alias procedet nulliter. Rosa *p. 1. c. 8. n. 1. & 2.* sic quod vi clausulæ: *vocatis de jure vocandis:* necessario procedendum sit judicialiter, ait esse in confesso apud omnes, citatque pro hoc Rotam apud Durand. *decis.* 238. *nu.* 6. & Riccium *in pr. p. 3. qu.* 8. eadem fere habet Rosa *p. 1. c. 5. n.* 165. ibique citans Garc. *p. 11. c. 2. §. 1. nu.* 140. Ridolph. &c. addens tamen, quod clausula hæc faciat executorem mixtum, id intelligendum, dum adest, qui vocari debet; & quod executores dati cum hac clausula non sint censendi meri, sed veri Judices, docent Felinus *in c. exhibita de Judic. n.* 4. Lotter. *l. 2. q. 44. n.* 8. Econtra, dum in literis nulla adest clausula, quæ cognitionem judicialem importet, potest se executor informare extrajudicialiter. Mareschot. *var. l. 2. c.* 1. Buratt. *decis.* 622. *nu.* 2. Rosa *n.* 4. citans plures Rotæ decis.

2. Resp. secundo in specie. Primo executor literarum Apostolicarum datarum in materia alienationum bonorum, sive concordiarum & cessionum jurium & similium, in quibus apponi solet clausula: *vocatis vocandis*: semper judicialiter procedendum, cum citatione eorum, quorum interest, & sic cognitio seu verificatio expositorum & causæ evidentis utilitatis facienda judicialiter. Ros. *cit. c. 8. num.* 10. dicens, in hoc convenire omnes, & millies a Rota decisum.

3. Secundo. Quo ad dispensationes matrimoniales, tametsi certum sit, fieri debere justificationem narrativæ, etiam prævia cognitione causæ & examine testium a Judice delegato habente jurisdictionem Genuens. *in pr. c. 60. n.* 7. Corrad. *pr. dispens. l. 8. c. 2. n. 10. & l. 7. c. 6. nu.* 21. Rosa *num* 11. Non tamen processus hic necessario est judicialis, licet factus ab habente jurisdictionem; cum hæc jurisdictio, utpote per hoc non exercita inter partes, non sit contentiosa. Neque his obstat clausula: *super informationem eandem vobis consliterit*: cum clausula hæc referri possit ad extrajudicialem cognitionem. Abb. *in c. fin. de præsump. n.* 3. Gonzal. *in proœm. §. 7. n.* 233. & hoc, quia regulariter nullus adest contradictor legitimus, & executor inter oratores exercet suam jurisdictionem voluntariam sibi delegatam, satisque sit, cum se informasse de veritate narrata, ut hac justificata, procedat extrajudicialiter ad dispensandum, vigore præsertim clausulæ: *cujus conscientiam oneramus.*

4. Tertio. Cum collatio & provisio beneficiorum sit actus extrajudicialis, *c. concertationi de appell. in 6. & ibi* AA. Abb. *l. c.* processus quoque factus ab executore vigore literarum Apostolicarum super verificatione narratorum, præcisa clausula: *vocatis vocandis*: & possessore nullo expellendo, est extrajudicialis. Ros. *nu.* 13. ex Gonz. *num. 9. in annot. post glos.* 9. qui etiam *p. 1. c. 5. n.* 167. ait, quod etsi clausula *amoto* esset apposita in literis in forma gratiosa, non teneatur procedere judicialiter, dum non adest contradictor. Et sic, quod ubi nullus est contradictor, possessioque vacua; etsi teneatur extrajudicialiter verificare narrata, possit procedere ad esequendum, seu faciendam gratiam, tenent Salgad. *de retent. Bullar. p. 2. c. 34. n.* 73. Ros. *nu.* 16. citans Rotam apud Ottobon. *decis.* 58. *n.* 27. apud Dunozett. 397. *n. 4. & part.* 10. *recent. decis.* 34. *nu.* 28. procedereque hoc ipsum, ubi literæ expeditæ in forma *dignum*, tradit Salgad. *l. c. n.* 59. nimirum informationem super idoneitate tunc magis esse extrajudicialem quam judicialem cognitionem. Item Garc. *p. 6. c. 2. nu.* 244. ubi, quod requiratur informatio judicialis, cum adest adversarius vel alius intrusus; secus, si possessio sit vacua; quia tunc potest se extrajudicialiter informare, & verba illa: *si consliterit: si repereris*: possunt importare & referri etiam ad informationem extrajudicialem. Item Ridolph. *p. 2. c. 8. n.* 75. allegans pro se *decis. Putei* 144. *n. 4. l. 2.* & sic videri resolvisse Rotam *in Leodiens. Abbatiæ* 24. *Jan.* 1622. *coram Ubald.* ait Rosa *p. 1. c. 14. nu.* 10. contra Ameyd. *lib.* 2. *c. 5. sub n.* 107. docentem, quod executor, cui commissa informatio super idoneitate, gravando desuper ejus conscientiam non possit se extrajudicialiter informare, præsertim cum provisio in forma *dignum* est super provisione beneficiorum juratorum: cum tunc adhibeatur illa clausula; adhibitis per te Examinatoribus in diœcesana Synodo deputatis. Eidem adhærere videtur Ros. *l. c. nu.* 12. ubi quod executor literarum in forma *dignum* debeat ad narratorum verificationem procedere judicialiter, id quotidie a Rota canonizari, & esse pro hoc ejus *decis.* 164. *n.* 10. apud Ottobon. attamen hoc ipsum mitigat Rosa *num.* 15. ubi quod esecutor in forma *dignum* debet procedere non quidem omnino extrajudicialiter (intellige, dum nullus est contradictor aut possessor) sed cum jurium in actis productione. Item *nu.* 16. ubi: cum dicitur in multis Rotæ decisionibus, quod executor nullo existente legitimo contradictore potest se extrajudicialiter informare, præsertim apud Ottoboni *decis.* 58. *nu.* 27. intelligendum est de extrajudiciali informatione cum jurium productione in actis juxta doctrinam Ameyden. nullus enim requiritur processus judicialis, nulla citatio partis &c. Et quod executor remanens merus, quia nullus adest contradictor, sufficiat ut mandet tradi possessionem, quia tunc præsumatur, quod omnia sint justificata: cum in estrajudicialibus executori credatur, habet Rosa *p. 1. c. 8. n. 15. in fine* citato Manzanedo *decis. 155. n. 3. & 4.* idem fere habet *n. 16. in fine* citato Ottobon. *decis.* 154. & Rota *part. 11. recent. decis.* 59. *num. 10. & 17.* nimirum, quod in dicto casu meri executoris, ex eo, quod literæ sint expeditæ, præsumantur justificatæ.

5. Quarto. Cum adest legitimus contradictor, aut possessio plena, executor tenetur procedere in forma judicii, sive tunc certo processus omnino judicialis efformandus est; cum nihil tunc deficiat, ut sit verum judicium, ex quo interveniunt veri oppugnatores, nimirum actor & reus, quorum unus jura deducit, alter exceptiones proponit, quæ omnia audienda & excutienda. Felinus *in c. fin. de præsum. n.* 27. Lambert. *de jurep. l. 2. par. 2. l. 2. par. 2. q. 11. principal. art.* 4. Gonzal. *l. c. n.* 38. Ameyd. *cit. c. 5. n. 50. & 51.* Salgad. *l. c. n.* 113. Ros. *p. 1. c. 8. nu.* 17. ubi, quod omnium scribentium tam Juristarum tum ad *tit. de Judiciis*, tum *in ff. quam cod.* quam Canonistarum *ad eundem tit. extra*. Idemque procedere, etiamsi nemo possideat, sit tamen, qui opponat, & is citatus fuerit; quod tunc necesse sit procedere judicialiter, tenere Rotam apud Arguelles, *decis. 5. n.* 8. ait Rosa *cit. n.* 17. Item si literæ espeditæ certo modo, quia dantur de pleno judicio, opus est executorem procedore judicialiter. Rosa *n. 17. in fine*. Lotter. *l. 2. q. 44. n.* 8. Item dum gratia, de cujus justificatione agitur, venit purificanda ex facto alterius, de cujus præjudicio agitur, non potest ad ejus executionem deveniri, nisi procedendo judicialiter, citando illum, contra quem gratia tendit. Rosa *nu.* 19. citans Flores de Mena, *l. 1. q. 4. nu.* 26. Ottobon. *decis.* 186. *n.* 11. aliasque Rotæ decisiones. Porro qualiter executor citare debeat possessorem aliumque, contra quem tendit gratia, vide apud Rosam, *cit. c. 8. a n.* 19. item qualiter amovere intrusum, vide apud eundem, *p. 1. c. 16. a n.* 50.

QUÆSTIO CCCL.

An executor subdelegare possit.

1. RESp. Primo in genere. Executor literarum Apostolicarum subdelegare potest. Rosa *p. 1. c. 10. nu.* 35. Tametsi enim veluti regula generalis habeatur, quod executor subdelegare non possit, *l. fin. de off. ejus* &c. & *l. a judice C. de judiciis*, cum qui mandatam jurisdictionem habet, nihil proprium habet, sed alienæ jurisdictionis exercitium, *l. 1. de off. ejus*, excipitur tamen ab ea regula Delegatus Principis in signum prærogativæ, *cit. l. a judice c. fin. de off. deleg. c. cum causam de appell.* Bellon. *de jurisd. mandata c. 5. quæst. 4. num.* 5.

2. Resp. secundo limitando. Tametsi, dum executori nudum commissum ministerium, illud subdelegari nequeat, ut expresse in *c. fin. §. ult. extra de Legat.* dum tamen esecutor est mixtus, quia præter ministerium committitur ei jurisdictio aliqua, etsi & tunc ministerium nudum non sit subdelegabile, ut ait Rosa *n.* 37. tradi ab omnibus *in c. quoniam §. fin. de off. deleg.* jurisdictio tamen cum ipso ministerio principali connexa, non tamen principaliter demandata, subdelegari potest. Sic v. gr. in literis dispensationum examen testium committi potest alteri. Ita cum Innoc. & Abb. *in cit. c. fi. §. cæterum de off. deleg.* Felinus *ibid. vers. quinto limita*, & in materia beneficiali Garc. *p. 6. c. 2. n.* 100. Ameyd. *l. 1. c. 5. a nu.* 502. Tondut. *de benef. to. 1. c. 65. n.* 24. & in materia dispensationum matrimonialium. Sanchez *l. 8. d. 27. nu.* 43. Corrad. *pr. disp. l. 7. c. 6. n.* 47. Rosa *num.* 38. dicens praxi receptum. Proceditque idipsum in executore mero seu literarum in forma gratiosa, dum is per comparationem contradictoris efficitur mixtus; cum enim is tunc debeat verificare narrata, examen testium poterit committi alteri. Rosa *nu.* 39. citans

Fer-

Fermosin. *in c. fin. & libelli oblat. q. 4. n. 9.* Neque his obstat, quod io literis habeatur clausula: *conscientiam suam oneramus:* non enim semper per dictam clausulam censeri debet electa industria personæ, quæ subdelegationem impetrat, sed potius sonat in monitionem. Sanchez *l. cit.* referuntque pro hoc Rotæ *decis. in Legionens. Canonicat.* Ameyd. *nu.* 103. Garcias *l. c.* Quin & dato, vi dictæ clausulæ esse electam industriam personæ, illa tamen censetur electa quo ad actum ipsum principaliter commissum, nempe dispensandi, conferendi &c. secus quo ad alia, quæ suor præambulæ ad ipsum actum & mioisterium commissum. Unde tenet Garcias *n.* 104. quod in provisionibus io forma *dignum*, etiam in beneficiis curatis possit executor examen alteri subdelegare, faciendum tamen cum Examinatoribus Synodalibus, ita ut verba illa: *per te*, posita in literis non impediant hanc subdelegationem. Quod tamen Rosa *n.* 41. putat habere difficultatem aliquam: eo quod verba *per te* sint satis arcta & limitata, & sint de forma. Et quod executor etiam committere possit alteri immissionem io possessionem, ait Rosa *num.* 42. cum Spada *cons.* 53 *lit.* 3. *tom.* 11. Quin & *n.* 43. se vidisse decisionem Rotæ 104. *part.* 13, *recent.* in qua expresse dicitur, quod executor delegatus a Papa possit subdelegare non tantum nudum mioisterium, sed etiam ipsam jurisdictionem demandatam, etiamsi electa fuerit industria personæ per clausulas apponi solitas. Et licet DD. aliqui id negent, quo ad causæ cognitionem, dum quo ad hanc electa industria persooæ, contrarium tamen se verius existimasse Rotam, ait Rosa. Vide eundem *p.* 2. *c.* 5. *per tot.* de hac potestate subdelegandi per *n.* 39. ex professo agentem.

QUÆSTIO CCCLI.

Num executor Sedis Apostolicæ mandare quid possit ordinariis locorum, & qualiter ii se gerere debeant, dum a diversis delegatis contraria forte accipiunt mandata.

1. RESp. ad primum. Potest mandare quod ad executionem causæ sibi commissæ pertinet, teneturque id ordinarius exequi; quia in ea causa delegatus gerit vices Papæ delegantis, ideoque major est, *c. sane de off. delegat.* Abbas *in c. cum contingat h. t. n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 142. debet tamen executor exhibere ordinario literas suæ delegationis, ut fidem faciat de potestate sua accepta. Pirh. *l. c.* Argum. *c. cum contingat.* Nullatenus autem controversiis ortis inter Judices delegatos de sua jurisdictione ordinarius se immiscere debet, v. gr. utriusque partis litigantis probationes aut exceptiones admittendo: cum jurisdictionem in delegatos Papæ non habeat. Sed eo solum fine potest petere exhiberi sibi literas Apostolicas, ut cognoscat, an & cui Judici delegato obedire debeat, si quæ, de quibus inter delegatos ortum est dubium vel controversia, jubeatur exequi. Abbas *in c. contingat. nu.* 3.

2. Resp. Ad secundum. Si Titius impetret rescriptum contra Cajum ad delegatum, & dein Cajus impetret aliud rescriptum ad alium delegatum in eadem causa, & primus delegatus mandet Episcopo, ut Cajum a se excommunicatum publice denunciet: alter vero delegatus mandet Episcopo, ut Cajum ab excommunicatione absolutum promulget. Ordinarius in hoc casu, quando recipit mandatum a primo delegato, vel scit esse controversiam inter duos delegatos, vel non scit: si scit, non debet exequi mandatum, donec lis inter delegatos præcisa juxta *c. pastoralis h. t.* si nescit, tenetur exequi mandatum, & tunc, si post dictam executionem delegatus secundus mandet ei contrarium, debet petere exhiberi sibi literas commissionis aut earum copiam, etsi reperiat in posterioribus expresse revocari priores, debet secundum mandatum exequi, si non inveniat Priores revocari, quin & si dubitet de revocatione, non debet secundum exequi, donec contentio inter delegatos sit definita; alias, si constet per secundas literas revocatas esse primas, debet exequi secundum mandatum non primum: ita statutum habetur, *cap. cum contingat h. tit.* Cujus decisionis hæc est ratio, quod dum rescripta duorum delegatorum non possunt simul subsistere, necesse sit jurisdictionem unius esse invalidam, ideoque unum ex illis non esse Judicem competentem. Porro hanc constitutionem habere locum in rescriptis quoque gratiæ, v. g. ad conferenda beneficia, utpote circa quæ frequenter accidit, ut executores ordinariis mandent contraria, notat Pirh. *h. t. n.* 142. *in fine*.

QUÆSTIO CCCLII.

An & qualiter executor sibi assumere possit consiliarium eique, uti & testibus præbere salarium.

1. RESp. ad primum. Non potest sibi assumere Assessorem seu consiliarium, nisi eo egeat; quia forte ipse non est satis peritus, vel infirmitate aut negotiis impeditus: quod relinquitur ejus conscientiæ. Debet autem tunc eligere peritum, & qui neutri parti litigantium sit suspectus, *c. statutum h. t. §. Assessorem.*

2. Resp. ad secundum. Si tali consiliario non egeat Judex delegatus, debet ipse ei præbere salarium; alias vero ipsæ partes (quod moderabitur ipse Judex secundum qualitatem causæ & partium conditionem) quarum commune negotium geritur. *cit. c. statutum*, juncta Glossa; ei siquidem incumbit præstare sumptus, cujus gratia actus geritur, *l. sed si §. quo a loco ff. ad exhibendum.* Pari ratione Notarios in causa assumptos, qui plerumque in exigendo soleot metas excedere, refrænare prudenter debet Judex delegatus, ne alias cum illis aut cum Assessore lucrum participet, adeoque ad restitutionem tenebitur, nequicquam illi profutura remissione a partibus facta, *cit. c. statutum §. si quid autem.*

3. Resp. ad tertium. Testes convocare non debet, nisi conditio & status causæ sibi commissæ id requirat, tunc autem is, qui testes produxit, tenetur eis subministrare expensas competentes, quas fecerint veniendo, commorando, & recedendo. De cetero an & qualiter Judex delegatus possit expensas aut munus a partibus litigantibus accipere, commodius dicetur *ad tit. de off. delegat.* Vide tantisper Pirh. *ad tit. de rescrip. n.* 149.

QUÆSTIO CCCLIII.

An & qualiter ab executore literarum Apostolicarum appellari possit, & ad quem.

1. RESp. Primo in genere. Ab executoribus appellari non potest, nisi modum excesserint, *l. ab executoribus ff. de appell. l. ab executione C. quorum appell. non recip. c. novit. de appell. c. quo ad consultationem de sent. & re judic.* Marchesan *de commiss. part.* 1. *c.* 23. *n.* 14. Salgad. *de potestat. regia part.* 4. *c. n.* 19. Rosa *p.* 1. *c.* 11. *n.* 1. Limitationes hujus generalis responsionis dabunt respons. seq.

2. Resp. secundo in specie. Ab executore mixto per accidens admittitur appellatio, etiamsi modum non excesserit Menoch. *de arb. l.* 1. *c.* 38. *n.* 2. Salg. *l. c. num.* 34. Quin & ab executore mixto literarum Apostolicarum licitam esse appellationem, tanquam communem tenent. Rosa *nu.* 3. Garcias *p.* 6. *c.* 2. *a nu.* 112. Salgad. *de retent. Bullar. p.* 2. *c.* 34. *nu.* 110. Ameyd. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 53. ubi, quod decretum mixti executoris semper admittat appellationem. Rota *decis.* 292. *part.* 12. *recent.* loquens in specie; de executore in forma *dignum*, qui est & dicitur mixtus. Et licet Ridolph. *p.* 2. *c.* 8. *num.* 45. & Rota, ut videre est apud Rosam *nu.* 5. dixerint, appellationem suspensivam in materia executionis literarum Apostolicarum non dari; causari tamen ab appellatione hac utrumque effectum, & devolutivum & suspensivum, tenet Rosa *n.* 4. Garc. *l. c.* & apud illos, uti & apud Ameyd. *l.* 1. *c.* 5. *nu.* 79. Rota, quamvis Ameyd. *nu.* 57. teste Rosa *num.* 11. doceat, quod, dum executor datus cum clausula; *vocatis vocandis:* (quæ utique facit executorem mixtum & judicium ordinarium, cum operetur, ut is, qui alias poterat procedere extrajudicialiter, teneatur procedere judicialiter) non tamen detur ab ejus decreto appellatio suspensiva, sed si materia mereatur executionem, possit executor procedere ad executionem decreti.

1. Resp. tertio. Ab executore mero non datur appellatio. Gabri. *in lit. de appell. concl.* 4. Ubert. *in pr. par.* 6. *de justif. lit. Apost. fol.* 264. voluitque hoc ipsum Ameyd. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 54. non semper per decretum meri executoris amittere appellationem, si tamen merus executor evadat mixtus, existente nimirum contradictore legitimo, puta, quia adest provisus ab ordinario, possidens cum titulo colorato, illumque producens coram ordinario, licita est appellatio, quæ utrumque producit effectum & suspensivum & devolutivum, maxime si vacatio evenerit in mense ordinarii. Salgad. *de retent. Bullar. l. c. n.* 94. Rosa *n.* 8. Garcias *nu.* 139. referens decis. Rotæ *in Colon. Canonicat.* 4. *Feb.* 1598. Causatque talis appellatio, ut Salgad. *num.* 132. Tond. *p.* 2. *c.* 4. *§.* 1. *num.* 14.

num. 14. *tom.* 1. Gonz. *gl.* 9. *in annotat. n.* 227. &c. ut gesta post appellationem sint attentata. Compendio materiam hanc absolvit Rosa *n.* 15. dicendo: si agatur solum ordinarie & via executiva, impeditur per legitimum contradictorem, nimirum existentem in possessione cum titulo saltem colorato, admitti appellationem suspensivam; & causari attentata, si aliquid post illam appellationem innovetur; si vero judicium executivum non immutetur (intellige per comparentem legitimum contradictorem) & adhuc agitur executive per executorem, non dari appellationem suspensivam, sed ea non obstante, procedi ad immissionem, quæ non retardatur prætextu appellationis: Atque ita per protestationem comparentis, qui non sit legitimus contradictor ad impediendam viam executivam, non impediri missionem in possessionem, nisi is in continente doceat de jure suo, dixit Amed. *lib.* 3. *c.* 24. §. 2. *nu.* 54.

4. Resp. ad alterum. Cum executor literarum Apostolicarum sive procedat ordinarie, sive executive, semper procedat ut delegatus Papæ & jurisdictione delegata a Papa, ut manifeste patet ex illis verbis: *authoritate nostra conferas, dispenses* &c. & a delegato ad delegantem detur appellatio, *L. ult. C. de Judic. L. præcipimus. C. de appell.* appellatio a decreto executoris, non ad Metropolitanum, sed necessario ad Sedem Apostolicam facienda, uti hæc patent a simili, de quo supra, nimirum, quod dum ordinarius renuit exequi vel negligens est, non est recurrendum ad Metropolitanum, sed ad Papam, qui dat secundum executorem, qui citato & requisito primo debet exequi, ita Rosa *n.* 20. Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *c.* 5. *n.* 576. Garcias *p.* 6. *c.* 2. *n.* 22. ubi, quod appellandum ad Papam, dum ordinarius pronunciavit, non esse locum executioni literarum: quia non reperit impetrantem idoneum, vel quia literæ sunt subreptitiæ, eo quod executor pronunciavit ut Judex Apostolicus. Neque his obstat, quod hujusmodi literæ & causæ dirigantur ordinariis; utitur enim & tunc ordinarius non jurisdictione & jure ordinario sibi competente (in quo casu ab ordinario appellatur ad Metropolitanum) sed jurisdictione & potestate vere Pontificia sibi delegata & commissa in illo speciali casu; estque talis delegatio vera commissio novæ jurisdictionis & potestatis, & non tantum excitatio jurisdictionis & potestatis ordinariæ, in quo casu appellandum ad Metropolitanum; nec est potestas delegata specialis clausa in corpore juris ad certas causas seu in certis causis, qualiter a Tridentino committuntur plura ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato, in quo casu dubitari potest, & dubitant plures, an ad Metropolitanum, an ad Papam appellandum, sed est specialis commissio delegata ab homine, quæ prius non competebat, quæque in singulis casibus specialiter committitur a Papa, prout ei placet, ita, ut etiam alteri quam ordinario eam committere possit, etsi non soleat. Rosa *l. c.* citans Merollam. Neque etiam his obstat, quod in quadam declaratione S. Congreg. Concilii, quam affert Garcias *loc. cit.* & Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 7. *nu.* 25. decisum sit rejecto in examine pro Parochis, postquam is exhibuerat Bullam Parochiæ sibi resignatæ Episcopo, dandam appellationem ad Metropolitanum. Nam, cum, ut ipse Garcias examen ad Parochias in forma dignum fieri debeat ab Examinatoribus Synodalibus, ut dicitur in ipsis literis in forma *dignum*, & hi Examinatores in hoc suo Ministerio non fungantur authoritate Apostolica, bene ab eorum rejectione ad Metropolitanum appellari dicitur, secus ac in aliis provisionibus beneficiorum in forma dignum. Verum cum ab Examinatorum Synodalium examine detur appellatio dictum est supra.

QUÆSTIO CCCLIV.

An & qualiter executor recusari possit.

RESP. Executor literarum Apostolicarum tam in beneficialibus quam aliis materiis recusari potest, etiam antequam literæ expediantur, allegando aliquam justam caussam suspicionis. Corrad. *pr. disp. l.* 2. *c.* 4. *nu.* 25. Rosa *part.* 1. *c.* 31. *nu.* 18. Idque, etiamsi sit merus executor; quia etiam hic potest gravare partem, dando possessionem non citato legitimo contradictore sive possessore, & quod semper, ubi executor gravare potest partem, licita sit recusatio ipsius, tradit Abb. *in c. novit. de appell. n.* 7. & ex eo Rosa *l. c.* A quo autem, cum literæ jam expeditæ sunt, & impetrans gratiam habet suspectum executorem in iis datum, fieri debeat hæc executoris mutatio, non ita pariformiter explicant AA. Quod hæc materia pertineat potius ad signaturam gratiæ quam Justitiæ, ait Corrad. *l. c. n.* 25. & 26. Ameyd. vero *l.* 1. *c.* 5. *qu.* 1. fere per totam loquens in materia beneficiali, dum literæ expeditæ sunt in forma gratiosa, quia tunc dantur Subexecutores, sive a Cancellaria, sive a Summistaria ad partis instantiam seu provisi nominationem, qui solum assistunt provisioni, tunc per signaturam justitiæ bene fieri hanc mutationem: quia alias dedisset Cancellaria vel Summistaris, si fuissent petiti, & sic fieri correctionem per Cancellariam. Dum vero datus executor provisioni in forma *dignum*: quia tunc datur executor per Datariam, & censetur datus per ipsummet Papam Ordinarius Vicinior expresse, non autem tacite, nempe in casum negligentiæ, ideo a signatura non posse fieri hanc mutationem, sed a solo Papa faciendum, dicit Ameyd. *l. c.* Et in mutandis hujusmodi executoribus datis per Datariam adeundum esse Papam, tenere videtur ipse Corrad. ita fere Rosa *c.* 31. *n.* 27.

QUÆSTIO CCCLV.

Quibus modis committi soleant abusus rescriptorum.

1. RESP. Fere sequentibus, potissimum quo ad rescripta justitiæ seu ad lites. Primo, dum quis rescriptum pro se & nomine suo impetratum cedat alteri ejusdem nominis, & cessionarius dein utendo illo indebite alios fatigat, *c. fin. h. tit.* sunt enim rescripta jura personalia, quæ personas, quibus sunt concessa, non excedunt, adeoque alteri cedi nequeunt. Cedens hujusmodi literas alteri committit crimen falsi, ideoque criminaliter puniri potest. Argument. *L. falsi l. qui falsum ff. ad leg. Cornel. de falsis*. Jo. And. *in cit. c. fin. n.* 3. Abb. *n.* 18. Pirh. *h. t. num.* 156. & qui recipit, & utitur tali rescripto alieno, puniendus est tanquam reus Stellionatus, qui est crimen commissum per quamlibet imposturam seu callidam circumventionem, quæ proprio seu specifico nomine caret. Abb. *l. c. n.* 8.

2. Secundo. Dum quis impetrat literas contra personas, quibuscum illi controversia non est, & sic calumniose trahit illas ad judicium, *c. fin. h. t.*

3. Tertio. Dum quis literas impetratas trahit ad futuras controversias, quæ tempore impetrationis necdum obtentæ erant, *cit. c. fin.*

4. Quarto. Dum quis impetrat plura rescripta ad diversos Judices (etiam ordinarios, quia eadem est ratio) super eodem negotio, vel etiam super pluribus negotiis seu personalibus actionibus, quæ commodius coram uno Judice tractari possent; idque adversarium laboribus & sumptibus fatigandi gratia, ut vel sic componere, vel jure suo cedere cogatur, *c. fin. h. t.* & *c. dispendia h. t. in* 6.

5. Quinto. Dum reus convenire volens actorem suum, literas & ipse impetrat adversus actorem ad diversos Judices, ut vi illarum actorem eodem tempore ad diversa loca vel indeterminate ad villam v. gr. quæ idem commune nomen habet cum aliis pluribus villis, citari procurat, ut si non comparuerit, quasi contumax excommunicetur, & ita ab agendo repellatur, *cit. c. fin. h. t.*

QUÆSTIO CCCLVI.

Quænam sint pœnæ abutentium rescriptis Apostolicis.

RESP. Jure Canonico sunt duæ constitutæ abutentibus prædictis modis rescriptis Apostolicis. Prima, ut abutens careat omni commodo rescripti impetrati, *cit. cap. fin. h. tit.* estque proinde processus vi talium literarum institutus ipso jure nullus, *c. dispendia h. t. in* 6. Altera, ut abutens, sive actor sit, sive reus, causando per hoc expensas in eas, uti & in damna inde emergentia condemnari debeat, *c. fin. h. t.* & *cit. c. dispendia*, cum generale sit, ut, qui adversarium indebite fatigando exstitit ei causa expensarum vel damni alterius, id ei compensare cogendus sit, *c. calumniam de pœnis*. Glos. *in c. dispendia ver. legitimus*. Quod ipsum tamen procedit, si adversarius petat partem condemnari in expensas; quia Judex officium impertiri non tenetur, si partes non petant, dum agitur, non de publica, sed de privata utilitate; nisi forte essent causæ spectantes ad personas miserabiles, vel ad misericordiam ac pietatem; cum in iis Judex officium suum, etiam non imploratum interponere teneatur. Porro condemnandus est abutens in impensas, non a Judice ordinario, quippe qui in hoc negotio jurisdi-

risdictionem non habet; sed a delegato. Tametsi enim Judex delegatus per tale rescriptum ad se directum, utpoto invalidum jurisdictionem non accipiat super cognitione causæ principalis, acquirit tamen eam super articulis seu quæstionibus incidentibus, ita ut cognoscere possit, an rescriptum propter fraudem impetrantis sit invalidum, & an impetrans damnari debeat in expensas. Pirhing *hoc. titul. num.* 159.

CAPUT QUINTUM.

De Derogatione, Revocatione, Renunciatione & Exspiratione Rescriptorum.

QUÆSTIO CCCLVII.

An & qualiter per rescriptum speciale derogetur rescripto generali.

1. RESP. Primo. Per rescriptum speciale continens aliquid præter vel contra jus commone derogatur rescripto generali nihil continenti, præterquam quod jure communi concessum, etiamsi istius rescripti in speciali rescripto non fiat mentio, *c. 1. h. t.* & Abbas *ibi. nu. 7.* Sic (qui casus est *cit. c. 1.*) Titio in rescripto a Papa concessa est libera potestas appellandi alias etiam jure communi competens omnibus, & postmodum Cajus impetrat rescriptum a Papa, in quo causa, quæ est inter ipsum & Titium, committitur certis Judicibus delegatis, sublato appellationis remedio, appellatio facta a Titio non admittitur: quia speciale rescriptum impetratum a Cajo de non admittenda ab ejus adversario appellatione, derogat generali rescripto appellandi concesso Titio, etsi de eo non faciat mentionem. Siquidem potest Princeps per speciale rescriptum seu privilegium alicui concessum derogare juri communi, eumque ab eo eximere, & quia Princeps concedens rescriptum, quo confirmat illud, quod jure communi concessum, non potest præsumi ignorare jus commune, ita nec rescriptum continens jus commune, adeoque, sicut necesse non est meminisse jus commune, dum dat rescriptum speciale præter illud, ita neque necesse est meminisse eum dati rescripti sui continentis jus commune. Pirhing *h. t. nu.* 160. *in fine*.

2. Resp. secundo. Per rescriptum speciale adhuc derogatur rescripto generali, etsi hoc contineat aliquid ultra jus commune, absque eo, quod necesse sit fieri mentionem de eo in rescripto speciali, quia mandato generali derogat speciale & species generi juxta *Reg. 34. in 6.* & *Reg. 8. in ff.* tametsi de genere in specie derogante non fiat mentio, *c. dudum de præb. in 6. §. nos igitur*. Sic speciale rescriptum Cajo, datum de quo *respons. præced.* adhuc derogat rescripto generali, quo concederetur Titio facultas appellandi etiam bis & sæpius in eadem causa. Sic, si posteaquam per rescriptum concessit Papa Episcopo potestatem conferendi omnia diœcesis suæ beneficia pertinentia ad collationem Sedis Apostolicæ, & dein Papa alicui conferat aut conferri mandet unum ex talibus beneficiis, nulla facta mentione prioris facultatis suæ concessæ Episcopo, posterius hoc, contrarium nempe rescriptum derogans priori est exequendum, juxta *c. quamvis de præb. in 6.* ita Pirhing *h. t. nu.* 161. Argum. *cit. c. 1. h. t.* Secundum aliam, ut inquit, ejus explicationem, quam tenet Host. *in sum. eod. n. 2.* Neque ex eo sequitur, Principem nolle derogare per rescriptum speciale generali, quod Princeps censeatur probabiliter ignorare, quæ sunt facti, adeoque etiam indulta a se concessa, non inclusa Corpori juris, siquidem illa ignorantia prioris rescripti generalis non est causa rescripti specialis posterioris; cum, tametsi Princeps scivisset seu recordatus fuisset prius suum rescriptum generale seu privilegium, adbuc probabiliter ei derogasset per concessionem secundi specialis. Abb. *in cit. c. 1. n. 10. in fine* Pirh. *n.* 161. *in fine*. Princeps enim, dum generatim alicui concedit indultum seu privilegium, censetur semper sibi voluisse reservare potestatem, occurrente casu vel necessitatis vel utilitatis generali illi concessioni per speciale rescriptum derogandi, ut habetur *in c. dudum de præb. in 6.* Ad hæc, tale rescriptum speciale non est omnino contrarium priori; cum non tollat penitus ejus effectum, sed aliquantulum solum minuit; cum illud in aliis casibus effectum suum habere possit. Pirh. *n.* 162. Laym. *in c. 1. h. t. n. 3.*

3. Nihilominus limitatur hæc responsio a Pirhing *n.* 153. ut non procedat, sive non derogetur generali per speciale, nisi facta ejus mentione, dum per rescriptum generale quæsitum est alicui jus in re in qualibet specie contenta sub genere illo. Rescriptum enim Principis, si aliud non exprimatur, ita intelligi debet, ut alteri non inferatur præjudicium in jure jam quæsito, *l. 2. §. Si quis a Principe ff. ne quis in loco publico*. Sic, si Papa alicui concessisset jus percipiendi decimas in tota Parochia, & dein alteri concessisset jus percipiendi decimas alicujus prædii siti intra Parochiam, præsumi non debet per posteriorem concessionem seu posterius speciale rescriptum voluisse derogare juri quæsito alteri per prius rescriptum, sed potius censendum posterius rescriptum processisse ex ignorantia prioris, dum hujus non fit mentio. Abb. *l. c.* Pirhing *nu.* 163. cum licet alias in facto proprio non præsumatur ignorantia vel oblivio, nisi diuturnum tempus intercesserit, possit tamen Princeps ob multitudinem varietatemque agendorum oblivisci rescriptorum suorum, ita ut posterius in aliquo contrarium priori emanet sine recordatione prioris, *c. ex parte de off. & potest. judic. deleg.* Secus vero esse, ait Pirh. *l. cit.* si Papa contulisset alicui potestatem conferendi omnia beneficia certi alicujus loci; dijudicandi causas omnes certi alicujus generis; tunc enim censendum esse Principem non abdicasse a se, omnino potestatem disponendi contrarium; adeoque si in specie contra talem generalem concessionem disponat aliquid, v. gr. per rescriptum mandet alicui conferri beneficium aliquod talis loci, deroget in tantum facultati illi generali. Verum non video satis utriusque hujus casus disparitatem, cum sicut in priori quæsitum est concessionario jus in re respectu facultatis percipiendi decimas, ubi hæ provenerint, & jus ad rem respectu perceptionis decimarum proventurarum: ita in secundo casu concessum sit tali jus in re respectu facultatis conferendi beneficia talis loci, ubi ea vacaverint, ita & jus ad rem respectu collationis beneficiorum vacaturorum. De cetero non tantum rescripto generali gratiæ aut beneficiali, sed etiam Justitiæ sive ad lites derogatur per speciale, ut si v. gr. (qui est casus *c. pastoralis h. t.*) generaliter facta est alicui delegatio absque personarum vel causarum expressione cognoscendi de injuria in decimis illata Titio, & de quibusdam aliis ipsi ab eodem proponendis, & dein committatur alteri certa aliqua causa circa has decimas, per speciale hoc mandatum derogetur illi generali mandato, etsi ejus mentio facta non sit. Pirh. *n.* 165. Layman *in §. quoniam cit. c. pastoralis*.

4. Resp. tertio. Rescriptum speciale seu privilegium etiam, & quidem a fortiore derogat rescripto generali posteriori seu subsequenti; ita ut hoc per illud limitetur, nisi de speciali rescripto mentionem faciat, v. gr. si alicui concessum rescriptum immunitatis a contributionibus, & post emanet generale decretum, quo omnes jubentur solvere contributiones, per hoc decretum non derogatur dicto speciali rescripto seu privilegio immunitatis concesso jam prius alicui; cum Princeps non censeatur velle auferre alicui privilegium prius concessum, nisi id exprimat, *cap. veniens de præscrip.* Layman *in c. 1. h. t. n. 8.* Pirhing *h. t. nu.* 166. Aliud exemplum adducit Pirh. *n.* 167. ex *c. si propter h. tit. in 6.* ubi, quod si Papa alicui Episcopo ex speciali gratia concessisset ad solutionem debitorum suorum omnium beneficiorum vacantium fructus ad quinquennium, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, privilegiis vel statutis, per quæ concessio illius gratiæ impediri posset, per hanc novam concessionem generalem non derogetur specialibus applicationibus primorum fructuum aliquorum beneficiorum prius factis fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, mensæ Capituli, aut alicui singulari personæ, nisi hoc ipsum fuerit expressum; quia privilegium speciale derogat privilegio generali, præsertim subsequenti, & in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. De cetero dictæ decretalis *Si propter:* varias interpretationes & ulteriorem explanationem non inutiliter leges apud Pirh. *l. c.*

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLVIII.

An & qualiter ex pluribus rescriptis beneficialibus simul vel successive impetratis ab eodem, unum alteri deroget & sic ei præferendum.

1. **R**Esp. Primo. Plura rescripta ad idem beneficium inter se non pugnantia, sed sub eadem forma ac tenore data simul eodem tempore se invicem non elidunt, seu unum alteri non derogat, sed valida sunt omnia. Abb. *in c. in nostra h. t. nu.* 5. Felin. *ibid. n.* 5. Pirh. *h. t. nu.* 169. omnia enim in effectu reputantur unum rescriptum, & habent se solum ut plura exemplaria, ad majorem cautelam, si forte unum amittatur, impetrata, non secus ac unicum testamentum pluribus exemplaribus descriptum *l. unum ff. quis testam. facere poss.* Idemque est ob paritatem rationis, si talia rescripta successive impetrentur. Abb. *l. c. n.* 6. Imol. *ibid n.* 6. Gl. *in c. ex tenore h. t. v. negotio*.

2. Resp. secundo. Si quis plura rescripta sive simul, sive successive impetrat ad plura beneficia vacantia vel vacatura in diversis ecclesiis, posteriori per prius derogatur, sive posterius redditur irritum tanquam subreptitium ob taciturnitatem veritatis intrinsece ad rem pertinentis: nisi constet impetrantem priori renunciasse. Ita probabilius & communius Jo. Andr. *in c. in nostra n.* 7. Abb. *ibid. nu.* 7. Imol. *nu.* 11. Felin. *n.* 1. quos citat & sequitur Pirh. *h. t. num.* 169. contra Glos. *in c. in nostra v. mentionem*. Tholosanum *ibidem num.* 2. putantes valere utrumque, & esse in optione impetrantis uti, quo maluerit.

QUÆSTIO CCCLIX.

Qualiter, si plura rescripta a diversis impetrata ad beneficium ejusdem Ecclesiæ se elidant, seu uni per alterum derogetur quo ad prælationem.

1. **R**Esp. Primo. Si Titius a Papa impetravit rescriptum, in quo mandatur illi provideri de Canonicatu in certa Ecclesia, constituto certo executore, qui ipsum in Canonicum recipi faciat, & de præbenda, si quæ vacet, aut proxime vacatura est, provideat; & dein Cajus simile rescriptum obtineat pro eadem ecclesia, isque prius seu ante Titium literas suas præsentet, & vi illarum sit receptus in Canonicum, antequam Titius literas suas præsentaret. In hoc casu Titius, qui prius literas beneficiales impetravit, sed posterius præsentavit, in assecutione præbendæ præferendus est Cajo, si huic necdum facta collatio præbendæ; alioqui ea jam facta Cajo eidem relinquenda. Nisi forte executor a Papa constitutus intimasset collatori mandatum & potestatem sibi factam de providendo Titio de præbenda vel etiam vigore mandati ipsi interdixisset, ne conferret Cajo; tunc enim collatio facta Cajo de præbenda jam tum vacante ante præsentationem literarum factam a Titio, irrita foret. Idem est, si Papa in prioribus literis a Titio impetratis adjecisset decretum, ut irritum esset, si quid contra fuerit attentatum. Secus tamen dicendum, si Titio dolus vel negligentia objiei posset. Prout hæc omnia habentur *in c. si tibi h. t. in 6.*

2. Resp. secundo. Si Titius impetret rescriptum, in quo mandatur executori, ut ei in certa Ecclesia authoritate Apostolica provideatur de Canonicatu & præbenda vacante vel proxime vacatura sub hac conditione; si Episcopi & Capituli consensus accedat. Dein Cajus similem gratiam ad eandem ecclesiam absolute obtinet, isque ante impletam positam Titio conditionem sit receptus in Canonicum; & dein Titius etiam recipiatur in Canonicum, postque utriusque receptionem in Canonicum dein vacet præbenda, Cajus, etsi posterior impetrans, præferendus Titio. Sic habetur *c. si pro te h. t. in 6.* Rationem addit Pirh. *n.* 171. quia primo impetranti seu Titio facta gratia solum sub conditione; per conditionem autem de futuro contingente suspendatur quælibet dispositio seu mandatum usque ad conditionis purificationem. Proinde Titius non censeatus gratiam impetrasse, antequam conditio evenerit, & consequenter, si Cajus ante eventum istius conditionis impetravit absolutam gratiam, reipsa & in effectu est prior impetrans.

3. Resp. tertio. Si duo impetrarunt literas una eademque die datas de Canonicatu & præbenda sibi in certa ecclesia conferendo, & non appareat, quis eorum prius impetravit; tunc, si uni eorum Papa contulit Canonicatum, alteri vero conferri mandavit, præferri quo ad præbendam debet is, cui Papa contulit, etsi alter prius literas suas præsentavit, & in Canonicum receptus sit; quia is propter concurrentis Canonicatum prærogativam dicitur *in cap. si sede de præb. in 6.* potius habere jus ad præbendam. Si autem utrique Papa contulit aut conferri mandavit, præferendus est, qui prius literas præsentavit. Si ambo etiam simul præsentarunt, ii, ad quos spectat Canonicorum receptio & præbendarum collatio, vel eorum major pars, poterunt unum ex iis, quem voluerint, eligere, altero omnino excluso: nisi ex literis manifeste appareat, voluisse Papam utrique provideri, quod in dubio non præsumitur; quia non præsumitur, Papam voluisse eandem ecclesiam pluribus istiusmodi mandatis gravare. Ita statuitur *in c. duobus h. t. in 6.* Si autem duo literas impetrent uno eodemque die, in quibus confertur, vel conferri mandatur idem beneficium, literæ datæ posterius (intellige quo ad horam) habendæ pro subreptitiis & irritis. Dum autem non constat, cujus literæ prius sint datæ, neutra gratia est executioni mandanda, donec ipse Papa consulatur. Franc. *in c. duobus n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 173.

4. Resp. quarto. Si Titius obtinuit rescriptum, in quo mandatur, ut ipsi in certa Ecclesia provideatur de beneficio vacante vel proxime vacaturo; ac dein ante executionem hujus gratiæ idem Papa aut ejus Successor gratiam illam revocet, similemque exspectativam in eadem ecclesia conferat Cajo, post quod Titius impetret a Papa, ut ad gratiam revocatam restituatur, ac dein vacet beneficium, in illius collatione præferendus est Cajus; quia restitutio illa facta Titio censetur facta sine præjudicio juris alieni, estque nova concessio. Ita statuitur *c. quamvis h. tit. in 6.* ex quibus plura quo ad similes restitutiones deducit Pirhing *nu.* 174. & 175. quem vide.

QUÆSTIO CCCLX.

An & qualiter rescripta exspirent per renunciationem.

1. **R**Esp. Primo. Dum rescriptum tendit in favorem solius impetrantis, potest hic eidem renunciare: cum quilibet possit juri suo, & iis, quæ pro se introducta sunt, renunciare, *cap. si diligenti de foro compet. cap. si quis in rescribendo de pactis*. Atque ita exspirat tale rescriptum. Procedit idipsum, etiamsi emanasset rescriptum motu proprio Principis, adhuc impetrans non cogitur illo uti, *l. quod favore C. de LL.* Felin. *ad Rub. h. t. n.* 3.

2. Resp. secundo. Si rescriptum continet favorem plurium, quilibet eorum renunciare eidem potest, quatenus continet favorem suum, & non lædit favorem alterius, *cit. c. si diligenti*. Si autem renunciando simul læderetur favor concessus tertio, distinguendum est. Vel enim jus tertio quæsitum est, & non potest alter renunciare, ne lædat hoc jus tertio quæsitum. Vel necdum jus tertio quæsitum fuit, quia v. gr. non apparet, concedentem rescriptum voluisse jus acquiri a tempore datæ, neque etiam intervenerit adhuc præsentatio rescripti, & tunc non obstante illius tertii contradictione, potest impetrans tali rescripto renunciare. Reiffenst. *h. t. n.* 265.

3. Resp. tertio. Potest impetrator rescripti ad lites pro sua privata authoritate duntaxat obtenti eidem renunciare, saltem ante præsentationem. Felin. *l. c.* Abb. *in c. ex consuetudine n.* 10. Cum per talem renunciationem factam ante præsentationem jus nullius alterius lædatur, & juri suo privato quilibet renunciare valeat. Neque reus queri potest, quod actor rescripto contra se impetrato non utatur; cum nemo invitus agere compellatur, *l. unic. C. ut nemo invitus*. Quin & probabilius est, quod eidem post jam factam illius præsentationem Judici, ante tamen citationem renunciare possit. Tum quia ante citationem partis licitum est pœnitere, & a proposita in libello actione desistere (imo & postea usque ad contestationem litis, modo refundat sumptus a reo citato factos, *Auth. qui semel C. quomodo & quando judex &c.*) adeoque & renunciare rescripto ante factam rei citationem, utpote quæ est fundamentum & principium exercitii jurisdictionis contentiosæ, *cap. gratum de off. deleg.* Sed neque etiam post præsentationem literarum ad citationem partium, invito actore, cujus favore concessum rescriptum, procedere potest Judex. Argum. *c. quæ ad gratiam de Reg. jur. in 6. l. quod favore C. de LL.* Quod si tamen rescriptum emanavit pro bono publico, licet ad alicujus instantiam, impetrator non potest ei renunciare. Sic si per rescriptum sic impetratum mandetur alicui inquisitio, v. gr. de ecclesia aliqua aut certis

per-

personis ob bonum commune, post receptas istiusmodi literas potest Judex procedere licet impetrans desistat prosequi negotium, aut etiam sit invitus, & quantumcunque reclamet. Argum. *c. quoniam Apostolica §. is autem de off. delegat. cap. 1. & 2. de collusione detegend* Quin etiam impetratur ante præsentationem literarum cogi possit per Judicem ad exhibendum; cum quod concessum est in favorem publicum, a privatis renuociari non potest, *cit. c. si diligenti de for. comp.* Abb. Felin. *LL. cit.*

QUÆSTIO CCCLXI.

Qualiter per revocationem exspirent rescripta.

1. RESp. Primo in genere. Tam per tacitam quam expressam revocationem exspirant rescripta. Et quidem tacite revocatur rescriptum per concessionem alterius rescripti omnino contrarii. Expresse vero, quando Princeps verbis claris mandata sua vel gratias prius concessas revocat. Uti id potissimum contingit, quando gratiæ, privilegia, indulgentiæ concessæ, vel potius quandoque per nimiam importunitatem petentium extortæ, incipiunt esse damnosæ, & causa insolentiarum. Quemadmodum Bonif. VIII. *c. ult. h. t. in 6.* revocavit omnes indulgentias & concessiones a se & prædecessoribus suis factas, ut clerici possent in absentia percipere fructus suorum beneficiorum, cujus constitutionis pleniorem explicationem vide apud Pirh. *h. t. a n.* 181.

2. Resp. secundo. Princeps seu Judex Ordinarius, etiam inferior, potest jurisdictionem concessam per rescriptum causamque delegatam revocare, non solum quando res est adhuc integra, sed etiam re non amplius integra, sive quando per citationem partium Judicium jam est inchoatum juxta *l. 58. ff. de judic.* ubi: judicium solvitur prohibente eo, qui judicari jusserat; idque etiamsi lis jam contestata. Glos. *in cit. l.* Sanchez *de matr. l. 8. d. 33. nu. 6.* Laym. *in c. venerabili de off. jud. deleg. a nu. 4.* Modo tamen revocatio non cedat in damnum tertii vel mandatarii. Porro revocatio in ordine ad hoc, ut in delegato finiatur jurisdictio commissa, non prius sortitur effectum, quam literæ revocationis delegato fuerint præsentatæ & intimatæ, *c. cum contingat h. t.* Secus tamen res se habet in mandato ad contrahendum matrimonium, nomine mandantis; hoc enim exspirat eo ipso, quod mandans mutet voluntatem suam, etiam ignorante mandatario, *c. 9. de procurat. in 6.* Idem est in mandato manumissionis, per *l. 4. ff. de manumiss.*

3. Resp tertio. Etiam delegatus, qui totam jurisdictionem sibi delegatam alteri subdelegavit, potest illam revocare re adhuc integra, *c. quamvis h. t. in 6.* Si autem non totam, sed partem causæ subdelegavit, etiam re non integra, poterit revocare jurisdictionem, quia tunc locum habet. *Lib. 58. ff. de judiciis.* Occasione horum sit

QUÆSTIO CCCLXII.

Quandonam in ordine ad revocationem rescriptorum seu jurisdictionis delegatæ censeatur res non esse amplius integra.

1. RESp. Primo. Quamvis probabile sit, ad hoc, ut res desinat esse integra, non requiri usum jurisdictionis per citationem partium; probabilius tamen est, & in praxi tenendum propter consensum DD. requiri ad hoc exercitium jurisdictionis per citationem. Sanch. *de matr. l. 8. d. 28. a n. 8.* citans plures. Sed neque sufficere citationem, seu mandatum ad citandum expeditum esse a delegato, sed necessarium, ut sit quoque partibus intimatum; cum solum mandatum citandi vel intimandi, aut mandati citationis expeditio non sit citatio perfecta & consummata, qualem jura requirunt, dum citationem exigunt. Argum. *c. quia propter & c. post petitum, de elect.* ait Crimer. *l. 1. decret. num.* 1591. dum etiam *n.* 1591. subjicit, non obstare his, quod in *c. gratum de off. delegat.* dicatur negotium quasi cæptum ex hoc, quod propositum sit citationis edictum, quia id non intelligitur de sola mandati expeditione, sed de proposito edicto cum effectu seu citatione facta, quæ non tribuitur nudo mandato. De cetero sufficit ad effectum perpetrandæ jurisdictionis, seu ut res non censeatur amplius integra, unica citatio; cum *cap. gratum* plus non exigatur ad hunc effectum, quam facta citatio; citatio autem una, v. gr. per edictum, est vere facta citatio. In *Auth.* vero *qui semel, & l. tres denunciationes C. quomodo & quando judex*, requiritur trina citatio, non ad dictum effectum, sed ut citatus condemnetur, ita Sanchez *l. c. a n.* 14.

2. Resp. secundo. Ut res seu causa desinat esse integra, sufficit, usum jurisdictionis factum per citationem, & non requiritur, ut insuper lis sit contestata, ita probabilius Sanchez *l. c.* contra Salas *de leg. d. 20. s. 17. n. 127.* Barbos. *p. 2. de potest Episc. alleg. 39. n. 29.* & alios apud Sanch. innixos potissimum, *c. relatum de off. deleg.* ubi decernitur, exspirare jurisdictionem delegati lite non contestata, nempe ante hanc contestationem moriente delegante; unde recte videtur inferri: ergo usque ad hanc contestationem res manet integra. Dum interim responsio nostra innititur expresso textui *cap. gratum*, ubi dicitur, per citationem juridicam negotium esse cæptum, & consequenter non integrum. Licet autem inter citatos duos textus, nimirum *c. relatum & c. gratum*, fateantur plures, esse manifestam antilogiam seu contrarietatem, & textum *cap. relatum*, quod est Lucii III. corrigi per textum posteriorem *c. gratum*, quod est Urbani III. alii tamen ad dissolvendam hanc, ut dicunt, apparentem contrarietatem seu ad conciliandum hæc jura, & citandam hanc correctionem varias interpretationes adducunt, inter quas illa videtur congruentior, quod in *c. relatum* decernatur exspirare jurisdictionem a delegato concessam alteri delegato sive subdelegatam, & sic, si subdelegans moriatur lite necdum contestata, seu nullo edito exercitio jurisdictionis præter hanc subdelegationem, manere adhuc rem integram. Ex quo non sequitur, exspirare quoque jurisdictionem delegatam, delegante seu Principe ipso mortuo post citationem, & ante litis contestationem; adeoque distinguendum inter jurisdictionem delegatam & subdelegatam in ordine ad hoc, ut res censeatur integra. Dici etiam potest judicium contentiosum incipere a citatione partium, & ab hac res deducta ad forum contentiosum in ordine ad effectum perpetuandæ in delegato jurisdictionis, seu ad hoc, ut causa non dicatur amplius integra, esto, quod contestatio litis requiratur, ut res dicatur deducta ad forum contentiosum in ordine ad alios effectus, v. gr. ut delictum dicatur non amplius occultum, prout requiritur, ut Episcopi absolvant ab irregularitate ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. Pari modo bene dicitur ante litis contestationem non esse judicium per ordinem ad quoslibet effectus, qui nascuntur inde, quod reus parti petenti coram Judice respondet; esse tamen judicium per ordinem ad effectus, quos parit usus jurisdictionis judicialis. Idem denique dicendum ad hoc, quod lis non dicatur mota ante litis contestationem, nimirum, quod non sit mota continuative in ordine ad quoslibet effectus.

3. Resp. tertio; causam non desinere esse integram per hoc, quod delegatus jurisdictionem sibi commissam subdeleget, per hanc enim subdelegationem delegatus non dicitur usus commissa seu delegata sibi jurisdictione, sed ordinaria, quam omnis delegatus habet non virtute delegationis, dum lex delegato concedit in his vel illis casibus potestatem subdelegandi, ita probabilius Sanch. *l. c. n.* 18. contra alios.

5. Resp. quarto. Res non desinit esse integra per præsentationem & acceptationem rescripti; cum acceptare rescriptum & jurisdictionem, non sit eo uti. Sanchez *lib. 8. de matr. d. 28. n.* 19. cum communi.

5. Resp. quinto. Dum jurisdictio ad plures causas vel circa plures personas delegata est, seu res non manet amplius integra per unam citationem communem omnium. Secus per citationem particularem unius ex illis. Siquidem tale rescriptum continens diversa a se invicem independentia & non connexa est materialiter solum unum, formaliter vero multiplex; adeoque necessarium non est per exercitium jurisdictionis ad unum in eo contentorum, rem quo ad illud solum non manere integram.

6. Resp. sexto. Dum alicui delegatur munus aliquod, v. gr. visitatio Monasterii alicujus, cujus exercitium non eget citatione juridica, vel etiam contestatione litis, jurisdictio dicitur cæpta, & res non amplius esse integra per primum usum talis muneris seu commissionis circa aliquid eorum, ad quæ se tale munus extendit. Idem dicendum in rescriptis gratiæ, in quibus locum non habet judicialis citatio, quod jurisdictio jam cæpta, & consequenter negotium non censeatur amplius integrum per hoc, quod authoritative virtute rescripti voces ad te impetrantem, aut etiam de illius ætate aliisque cæteris cognoscere. Item in rescriptis ad dispensandum per hoc, quod vocati jam testes ad explorandum, num preces veritate nitantur, jam est cæptum negotium, & res non amplius integra; adeoque procedere potest executor ad dispensandum, tametsi Papa, qui gratiam dispensationis faciendæ concessit, ante dispensationem factam decessit; quia decessit re non amplius integra.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLXIII.

An rescripta gratiæ exspirent morte rescribentis, an vero executioni adhuc mandari possint mortuo rescribente.

1. RESP. Primo. Rescripta gratiæ in forma gratiosa certum est, posse executioni mandari seu non exspirare, re adhuc integra post mortem Papæ concedentis; quia continent gratiam perfectam factamque ab ipso Papa solam executionem & missionem in possessionem executori committenre. Garcias *de benef. p. 6. cap. 2. num.* 309. Sanchez *de matr. l. 8. d. 28. n.* 72. juxta *cap. si super gratia de off. deleg. in 6.* ubi non extinguuntur morte Papæ concedentis gratiæ in favorem impetrantium concessæ, v. gr. facultates absolvendi a reservatis, dispensandi in votis & juramentis, conferendi beneficia, testandi &c. sic in *Fore benef. p. 3. q.* 658. diai, quod dum gratia reservationis pensionis certæ facta alicui, a Papa committitur alicui in partibus danda executioni, non exspiret morte Papæ eam concedentis, re adhuc integra, seu dicta commissione necdum consecuta, ut AA. iidem & insuper Gigas *de pens. quæst.* 91. Guttier. *qq. can. lib. 2 c. 17. num* 5. Si tamen committeretur alicui in partibus, ut assignaret Titio pensionem, non determinando quantitatem, sed relinquendo hoc arbitrio executoris, exspiraret gratia morte Papæ. Argum. *c. si cui nulla de præb. in 6.* quia non esset gratia facta de re certa & determinata, sed facienda. Garc. *l. c. n.* 310. Idem est de mandato providendi certæ personæ de incerto beneficio vacaturo. Garc. *num.* 301. citans Gonzal. *gl. 12. nu.* 42. Coch. *in inst. l. 1. tit. 7. nu.* 50. Non tamen etiam exspiraret gratia ad beneficium incertum moriente Papa ante vacationem, etiam re integra, si Papa non commisisset executori provisionem, sed ipse contulisset ex nunc pro ut ex tunc; eo quod tunc gratia sit facta. Garcias *l. c. n.* 305. citans Rotam *in Calagur. exspectativa 5. Jul.* 1592. Quod si etiam gratia ad Sedis Apostolicæ beneplacitum concessa, morte concedentis non extinguitur, sed perpetuo durat, donec a successore revocatur: Quia Sedes ipsa seu dignitas non moritur. Ita habetur *c. si gratiose h. tit. in 6.* ubi etiam hæc ratio additur; quod sicut gratia seu privilegium personale, quod conceditur personæ, cum eadem extinguitur; quod vero conceditur rei v. gr. sedi aut dignitati Episcopali, mortuo Episcopo, non extinguitur, sed ad successorem transit, ita etiam privilegium personale ex parte concedentis, quod ab ejus persona censetur provenire, cum eadem extinguitur; reale vero ex parte concedentis, quod ab ejus Dignitate vel officio provenit, cum concedente non extinguitur, sed cum Dignitate permanet, donec positive revocetur. Quin etiam, etsi gratia concessa sit cum adjectione, non in abstracto: *ad beneplacitum sedis vel dignitatis*, sed in concreto: *ad beneplacitum Romani Pontificis, Regis, Episcopi &c.* gratiam non extingui per mortem personæ concedentis, sed esse perpetuam; cum emanarit ratione officii vel dignitatis (uti etiam contigit, si causa alicui delegetur sub nomine officii vel dignitatis, v. gr. Archiepiscopo Trevirensi, non exspirat per mortem dicti Archiepiscopi) nisi aliud ex verbis aliisve circumstantiis colligatur, probabilius censent Sanchez *cit. d. 28. n.* 62. Pirhing *h. t. nu.* 187. contrarium apud hunc tenentibus Covar. & Molin. Proceditque autem hoc ipsum, ubi dignitas est perpetua & successorem habet, si enim Legatus Pontificius vel Vicarius generalis Episcopi concedat gratiam ad beneplacitum officii vel dignitatis suæ, iis mortuis aut amotis ab officio exspirat gratia. Franc. *in cit. c. si gratiose n.* 13. Sanch. *l. c. n.* 59. Pirh. *nu.* 188. Quod si in rescripto utrumque expressum, tam persona quam dignitas perpetua, v. gr. *usque ad beneplacitum nostrum & Sedis Apostolicæ*, putant aliqui apud Sanch. *l. c. n.* 60. attendendum an persona præcedat, & tunc per mortem ejus exspirare gratiam. Pirh. *n.* 189. cum aliis censet, si res dubia est, in hoc casu gratiam non exspirare per mortem personæ, ne alias verba illa: *& Apostolicæ Sedis*: videantur frustra adjecta; & gratia seu privilegium nulli præjudicans sit late interpretandum. Exspirat autem gratia, si concessa ad beneplacitum ipsius Papæ concedentis. Sanch. *l. c. nu.* 49. Covar. *l. 3. var. c. 15. n.* 4. Molin. *tr. 5. de just. d. 20. in 6.* Suar. *de leg. lib. 8. d. 33. nu.* 3. Proceditque idipsum non tantum in gratia ambitiosa & odiosa, v. gr. retinendi plura beneficia, sed & in omni gratia favorabili, v. gr. in concessione indulgentiarum, concessa ad beneplacitum Papæ alteriusve Principis; cum eadem in omnibus sit ratio, nimirum quod beneplacitum & voluntas concedentis extinguatur per obitum ejus. Franc. *in cit. c. si gratiose n.* 10. Sanch. *l. c. n.* 50. Suar. *l. c. n.* 3.

Neque obstat, quod precarium non extinguatur morte concedentis, *cap. ult. de precariis, l. cum precario ff. eod.* quia id verum, si precarium concessum absolute & simpliciter, non adjecta aliqua conditione seu limitatione. Glos. *in c. si gratiose h. t. in 6. v. exspirat.* Pirhing *nu.* 184. *in fine*. Item procedit id ipsum, sive gratia concessa ad beneplacitum personæ exspirat quoque morte ejusdem civili, ut si deponatur ab officio, vel illud resignet Franc. *l. c. num.* 11. Sanchez *num.* 56. Pirhing *h. t. nu.* 185. Radix siquidem seu facultas concedendi gratiam, aut perseverandi in hac voluntate est officium, adeoque verba illa; *ad beneplacitum*: ita intelligi debent: quamdiu concedens permanens in officio voluerit. Non tamen procedit, seu non extinguitur gratia, si concedens fuerit excommunicatus, vel ab officio suspensus; quia etsi tunc nequeat fungi officio, illudque exercere, manet tamen in eo officium & potestas radicaliter seu habitualiter; adeoque etiam prior voluntas concedendi gratiam in eo perseverat. Franc. *n.* 12. Sanchez *n.* 57. Pirhing *loc. cit.* Neque extinguitur gratia ex eo, quod qui concessit eam, incidat postea in amentiam diuturnam vel perpetuam, modo officium retineat, illudque administret per Vicarium seu Officialem; quia retinet habitualiter seu interpretative priorem voluntatem; cum eam mutare non possit. Argum. *leg. si is qui ff. de acquir. possess.* ubi dicitur, quod furiosus non potest desistere ab animo possidendi. Ita Covar. *lib. 3. var. resol. c. 15. num.* 4. Sanchez *n.* 58. Pirhing *l. c.* Quod si tamen Princeps concesserit gratiam cum clausula: *donec revocaveris*: non extinguitur per mortem concedentis, sed requiritur actus positivus contrarius, quo revocetur gratia. Cum e contrario clausula: *ad beneplacitum nostrum*: seu quamdiu voluerit: solum exigat perseverantiam in priore voluntate, & non novum actum seu contrariam dispositionem, adeoque dum eveniente morte concedentis, non perseveret amplius illa voluntas, mirum non est, quod per eam exspiret. Sanch. *l. cit. nu.* 52. Suar. *de leg. l. 8. c. 33. a n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 184.

2. Resp. secundo. Rescripta gratiæ in forma *dignum* de providendo certæ personæ de beneficio certo vacante non exspirant morte concedentis, sed etiam post illam dari possunt executioni. Sanchez *cit. d. 28. n.* 87. Garcias *num.* 300. Gutt. *qq. can. lib. 2. cap. 17. num.* 5. Mandos. *in Reg. Cancell. 10. quæst. 2. num.* 4. siquidem in hoc casu gratia potius a Papa facta quam ab executore facienda; cum is, cui providendum jus in hoc casu ad beneficium habeat, ita ut si executor eum idoneum, & preces veritati niti repererit, beneficium ei sine injuria denegare nequeat. Garcias *part. 4. cap. 3. nu.* 59. Secus est, quando vigore rescripti alicui providendum de beneficio incerto vacaturo; cum enim per hoc jus ad rem impetranti non acquiratur, gratia respectu talis beneficii non tam facta quam facienda committitur, mirum non est, hoc mandatum, quemadmodum omne seu mandatum generatim acceptum, re integra, morte mandantis exspiret, *l. mandatum C. de mandat.* & *§. recte inst. eod.* His tamen omnibus non obstantibus, innixi textui *c. si cui nulla de præb. in 6.* absolute & indiscriminatim tenent cum Glos. *in cit. cap. cui vers. morietur* & Decio *ad rubr. de constitut. lectur. 1. num.* 4. Coras. *de benef. part. 4. c. 5. num.* 54. Zerol. *pr. Episc. vers. delegatus §.* 1. & expresse Rosa *de execut. lit. apost. part. 1. cap. a num.* 27. per plures *num. antecod. & subsequen.* stabilit, mandata hujusmodi rescriptis seu literis contenta de aliquo faciendo nomine Sedis Apostolicæ ad favorem certarum personarum concessa, in quibus non favor illius, cui commissæ sunt literæ, seu cui mandatum datum, sed illius, cujus gratia concessa sunt, seu emanarunt, attenditur ut sunt provisiones in forma *dignum*, dispensationes matrimoniales faciendæ, facultas alienandi & similia rescripta morte Papæ, re integra, omnino suspendi, nec posse executorem in iis datum ad illa exequenda procedere, nisi forte jurisdictio per aliquod ejus exercitium radicata, & sic re non amplius integra. Secus tamen sit, si ejusmodi rescripta contineant potestatem aliquid faciendi cum certo genere personarum, in quibus attenditur favor illius, cui talis potestas conceditur: eo quod tunc gratia facta sit perfecta. Vide de hac materia exspirationis rescriptorum gratiæ plura infra, *ad tit. de potest jud. deleg.* ubi de exspiratione jurisdictionis delegatæ.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLXIV.

An & qualiter exspirent rescripta justitiæ morte concedentis.

1. RESp. Communem esse regulam, jurisdictionem delegatam in causis justitiæ seu ad lites exspirare morte naturali concedentis seu delegantis, re adhuc integra, pru ut constat *ex c. relatum de off. delegat.*

2. Extenditur hoc ipsum primo, ut procedat in mandante ab officio deposito. Siquidem per mortem io ordine ad finiendam jurisdictionem in delegato venit quoque depositio ab officio. Glos. *in c. licet h. t. v. re integra.* Abb. *ibid. nu. 5.* Sanchez *l. 8. d.* 18. *nu.* 32. non tameo exspirat aut suspenditur per excommunicationem, suspensionem, interdictum juxta dicta *quæst. præced.* secus ac accidit io Vicario Generali Episcopi excommunicato &c. Quia jurisdictio Vicarii eadem est cum jurisdictioue Episcopi; jurisdictio autem delegati distincta est a jurisdictione delegantis Abb. *l. c. n.* 8. Extenditur secundo, ut etiam procedat, tametsi delegatus seu mandatarius iguoret mortem delegantis, seu ita, ut si delegatus prius post mortem delegaotis uti cæpit jurisdictione, ejus acta sint irrita defectu jurisdictioois; nisi forte intercedat error communis hominum ignorantium mortem, ac credentium, delegatum legitime procedere, tunc eoim existente titulo esto putatitio, quem facit rescriptum commissionis obtentum, defectum jurisdictionix supplet Magistratus vel lex, necessitate boni communis sic exigente, pro ut habetur *leg. Barbarius de off. prætor.* de cujus Legix ioterpretatione alibi fusius.

3. Limitatus econtra responsio primo, ut non procedat, si delegatus ad aliquem actum eundem alias exercere potuit potestate ordinaria. Licet enim tunc re adhuc integra per mortem delegantis exspiret jurisdictio, in quantum delegata est, non tamen in quantom est ordinaria, nou jure delegationis, sed ratione dignitatis vel muneris competeos; adeoque a delegatiooe independens. Limitatur secundo, ut non procedat, ubi jurisdictio delegatur immediate ab ipsa dignitate dnlegaotis, v. gr. Sede Apostolica. Sicut enim dignitas illa nuo exspirat morte personæ illam obtineotis; sic nec per illam exspirat, quod concessum ab ipsa dignitate juxta dicta *quæst. præced.* commuoiter autem, adeoque etiam, in dobiu, concedi censetur, noo a digoitate, sed a persona illam possideote. Crimer. *l. 1. decretal. n.* 1628. plura de his infra *ad tit. de potest. jud. delegati.*

TITULUS QUARTUS.

DE CONSUETUDINE.

CAPUT PRIMUM.

De Natura, Divisione & Conditionibus Consuetudinis.

QUÆSTIO CCCLXV.

Unde nomen Consuetudinis & quotupliciter sumatur.

1. RESp. Primo. Dicitur consuetudo a verbo *consuesco* seu consuefacio, hoc est, simul & sæpius facio.

2. Resp. ad secundum. Sumitur hoc nomen tripliciter, ut Bartol. *in leg. de quibus, §. veniamus ff. de LL.* Primo pro assuefactione hominis, *leg. si servus plurimum ff. de Legat.* Quamvis in hac significatione conveniat suo modo cum brutis, *§. pavonum Instit. de rerum divis.* ubi: *in his autem animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent &c.* Secundo magis ad præsens propositum *in cap. 1. de constit. in 6.* pro facto ipso & frequente usu, seu actibus frequentatis & solitis fieri ab aliqua communitate. Dicitur exiode consuetudo facti, & coosuetudini hoc modo acceptæ convenire potius videtur definitio, quam ex D. Thom. affert Suarez *l. 7. de legib. num. 5.* frequentia operandi libere eodem modo, sive frequentia actuum humanorum similium tempore continuata. Tertio sumitur pro jure, quod ex hujusmodi diuturnooso & frequentatis actibus nascitur, *capit. ultim. hoc. tit.* diciturque jus non scriptum juxta *paragraf. ex non scripto. Institut. de jure natur. gent. & civil.* ubi: *ex non scripto jus venit, quod usus approbavit; nam diuturni mores consensu utentium comprobati jus efficiunt.* Et io dubio nomen consuetudinix de hac consuetudine juris intelligitur; cum hæc sola proprie dicatur consuetudo per textum, *capit. Cumana de election.* & Abbas *ibidem num.* 4. & Mascard. *de prob. concl.* 572. *num.* 11.

QUÆSTIO CCCLXVI.

Consuetudo hoc tertio modo accepta, & de qua nobis deinceps agendum qualiter definienda.

RESp. Definiri commuoiter solet ex Isidoro relato *in cap. consuetudo dist.* 1. esse jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex: Dicitur *Jus*, non accipicodo hoc nomen pro facultate morali, sed pro lege, quatenus ea late accipitur, & utramque juris scripti & non scripti speciem comprehendit, ac proinde stat loco generix. Dicitur secundo: *moribus constitutum*, ot ejus origo & causa ostendatur, quam respiciendo, per receptum nempe transcendentalem, differt a lege scripta, cujus obligatio ex publicæ potestatis ordinatione expressa & promulgata procedit, ut amplius dicetur paulo post; per mores aotem intelliguotur mores populi publici, seu actus liberi frequentati a populo, rationabiles & probati (etsi forte primi, a quibus inchoatur coosuetudo, non sint tales: quia facti contra legem) Reipublicæ & religioni congruentes; nam mores seu actus improbi & pravi (intellige, quia sunt contra jus divinum vel naturale) licet longu usu continnati jus seu legem consuetudinis inducere nequeunt, sed potius nomine corruptelæ veniunt, *cap. fin. h. tit. cap. mala consuetudo 3. & seq. dist.* 8. Dicitur tertio: *quod pro lege suscipitur:* juxta *l. de quibus ff. de LL.* ubi: *inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur: & leg. 33. ff. eod. diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet;* non quia vere lex non sit, sed quia loco legis scriptæ suscipitur, & eandem cum illa obligatiouem inducit. Dicitur quarto: *dum lex deficit* (quas particulas omitti posse sine læsione definitionis censet Engels *ad hoc titul. num.* 1. & ex eo Reiffenstuel *ad hoc. tit. num. 6.*) nimirum dum lex ista de re lata non est, vel quando est ambigua, vel quando lex incipit esse inutilis, & non amplius moribus populi accommodata. Reiffenstuel *ibidem* ex Vallens. *hoc. tit. §. 1. num.* 1. Porro dum consuetudo confirmatur perfecte legi scriptæ, non constituit jus novum, sed potius jus coostitutum exequitur. Verum non est hæc consuetudo juris, utpote de cujus essentia est, ut non fiat ex legis antecedentis obligatione; cum tendat ad novi juris introductionem, sed facti, de qua verum est, quod dicitur, consuetudinem quandoque induci post legem ac consequenter legem supponat. Si vero consuetudu aliquid superaddit vel immutat, vel etiam interpretatur & declarat legem ambiguam, hac in parte jus novum constituit; quia io illa parte jam deficit lex. Suarez *l. c. cap. 1. num.* 2. quin & omnino deficit, dum consuetudo ei omnino opponitur. Castrop. *tr. 3. disp. 3. p. 1. nu.* 1. Unde etiam dividitur io eam, quæ est secundum legem, quæ est præter legem, quæ est contra legem; de quo paulo post. De cetero loquendo subtilius cum Bartol. *in leg. de quibus ff. de LL. quæst. 5. num. 6.* consuetudo perfecta nunquam adversatur legi scriptæ, quia ei derogat, ac proinde noo habet legem, seu non exstat lex, cui adversetur;

tur; non enim duo jura possunt esse sibi contraria; sed solum adversatur legi, dum nondum est perfecta consuetudo, sed solum inchoata.

QUÆSTIO CCCLXVII.

An & qualiter consuetudo differat a more & frequentato usu.

1. Resp. ad primum, morem & consuetudinem fere idem significare. Pirh. *ad h. t. num.* 4. vel enim *mos* sumitur pro ipsis actibus eorumque frequentia seu iteratione, & sic est idem, quod consuetudo facti; vel sumitur pro ipso jure, quod resultat ex actuum frequentia, & tunc idem est, quod consuetudo juris.

2. Resp. ad secundum. Distinguitur hæc consuetudo a frequente usu tanquam effectus a sua causa. Castrop. *l. c. nu.* 3. & patet ex dictis.

QUÆSTIO CCCLXVIII.

Qualiter distinguatur consuetudo a traditione.

Resp. in hoc, quod traditiones proprie, quamvis usu & frequentatione actuum seu consuetudine facti conserventur & propagentur, numerenturque eæ, quæ mores concernunt inter partes juris non scripti, non tamen ex illo uso ortum suum ducant, aut jus faciunt. Pirh. *h. t. nu.* 2. Zoesius *ibid. num.* 15. sed ab institutione alicujus (intellige habentis ad hoc potestatem) per modum regulæ conceptæ datæ & promulgatæ tunc præsentibus, sive verbo sive scripto juxta illud Apost. 2. *ad Thess.* 2. *tenete traditiones, quas didicistis sive per Sermonem sive per Epistolam* &c. Ac deinceps veluti per manus Successorum & posterorum traditæ usque nunc perseverant. Porro triplicis generis sunt traditiones; aliquæ divinæ, quæ ex præcepto divino non scripto, scilicet ex ore ipsius Christi ab Apostolis acceptæ, ut Trident. *Sess.* 4. *de Canonicis Scriptur.* quales fere sunt, quæ spectant ad materiam & formam Sacramentorum. Aliquæ Apostolicæ, quæ ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante conceptæ, ut idem Trident. *l. cit.* ac relictæ per manus Successorum ad nos pervenerunt. Azor. 1. *part. l.* 8. *cap.* 4. *q.* 2. quales sunt de jejunio quadragesimali & quatuor temporum, de observatione diei Dominicæ. Aliquæ denique sunt ecclesiasticæ, quæ sine ullo præcepto expresso vel tacito, sive scripto, sive lato, sive divino, sive Apostolico, ex solo tacito Ecclesiæ Rectorum consensu introductæ fuerunt; quales sunt verisimiliter quædam de quibusdam ceremoniis Sacramentalibus. Suar. *l.* 7. *de LL. cap.* 4. *num.* 11. Divinis illis & Apostolicis ratione authorum suorum inesse authoritatem parem S. Scripturæ, astruit Crimer. *h. t. num.* 1653. citatis pro hoc Zoesio *ad h. t. num.* 1. Coturio *in Synop. controvers. fidei demonst.* 3. *cap.* 1. Ecclesiasticis vero authoritatem eandem, quæ est decretorum & constitutionum ecclesiasticarum. Idem remittens ad Azor. *l. c. tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 4. *qu.* 4. & 5. de traditionibus ex professo tractantem; verum de hoc alibi.

QUÆSTIO CCCLXIX.

Qualiter consuetudo differat a stylo & foro.

1. Resp. ad primum. Distinguitur a stylo tanquam includens seu latius parens ab incluso. Castrop. *l. c. num.* 3. stylus enim (intellige facti) significat practicam alicujus Curiæ; adeoque sumitur pro modo & forma quasi artificiali procedendi, vel in scribendis literis, vel in modo sequendi in judiciis, vel ordine aliquo judiciali. Stylus vero juris est jus illud speciale non scriptum, natum ex illo usu frequente & modo, quo procedi solet in judiciis & causæ decidi sententia aliqua vel rescripto, obligans ad modum illum seu ordinem observandum. Unde vides, quod stylus sit consuetudo contracta ad certam materiam; consuetudo vero ut sic certam materiam non respicit. Suar. *loc. cit. cap.* 5. *a n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 3. ubi etiam ex Suar. *num.* 6. quod stylus Curiæ non solo usu factoque, sed etiam quandoque jussu & authoritate legislatoris velut lex scripta fieri & introduci possit.

2. Resp. ad secundum. Eadem ratione consuetudo a foro distinguitur; cum forus seu forum fere cum stylo coincidat; est enim (omissis aliis ejus acceptionibus, inter quas est & illa, qua cujuscunque Judicis territorium forum dicitur. Suarez *l. c. c.* 6.) consuetudo de usu & modo jurisdictionis in judiciis servando (& ideo observare forum idem est, ac observare consuetudines tribunalium legitime inductas) qui usus & modus vim legis habere potest. Suar. *l.* 7. *de LL. c.* 5. *a nu.* 9. Castrop. *num.* 3. Dico vim legis habere potest, siquidem stylus seu forus & ordo ille de se vim legis non habet, sed tunc, quando authoritate Principis exercetur eo fine, ut sit pro lege & consuetudine. De cetero enim Curialistæ aliique similes, qui legislatores non sunt, vi muneris sui & soli consuetudinem inducere nequeunt, quæ habeat vim legis. Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 21. *n.* 16. Suar. *l.* 7. *c.* 11. *in fine*. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 2. *§.* 3. *nu.* 7. &c. de quo pluribus infra. Adde, quod stylus etiam Curiæ Romanæ, sit valde variabilis, non tantum quo ad mutationem Papæ, sed etiam Auditorum (quod non sonat rationem legis, utpote quæ ex natura sua stabilis est) estque modo albus, modo niger. Vincent. de Justis *in pr. dispens. matrim. l.* 1. *c.* 4. *a nu.* 345. quodque dictus stylus Curiæ Romanæ, etiamsi haberet vim legis obligantis ipsos Curiales, reduci tamen nequeat ad consuetudinem juris, seu non habeat rationem & vim legis inducentis necessitatem aliis Judicibus & Tribunalibus extra dictam Curiam illum servandi vel sequendi, nisi ad summum, ubi est scriptus, probatus, notorius, stabilis, inconcussus, speciali decisione & declaratione Pontificis confirmatus, ex eodem Vincentio tradunt Streinius *in proleg. Juris Can. §.* 9. *n.* 8. & plures alii.

QUÆSTIO CCCLXX.

Qualiter consuetudo differat a præscriptione.

Resp. quamvis consuetudo, quæ est contra legem, non parum conveniat cum præscriptione, in pluribus tamen ab ea differt, ut videre est apud Abb. *c. fin. de consu. n.* 20. Rochum de Curtis *c. ult. de consuet.* Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 18. *q. ult.* Suar. *l.* 7. *de LL. c.* 1. *a nu.* 10. & alios passim. Primo consuetudo respicit communitatem, quam obligat ad actum ponendum vel omittendum, vel etiam quam deobligat; præscriptio vero personas privatas, & quando contra communitatem procedit, hæc tanquam persona particularis consideratur. Castrop. *l. c. §.* 1. *num.* 3. Secundo consuetudo sæpe inducit obligationem legalem in his, qui utuntur consuetudine, vel a legali obligatione eximit; præscriptio autem non inducit obligationem legalem in eo, contra quem præscribitur, sed Justitiæ; nec eximit ab obligatione legali, sed Justitiæ; quia præscriptio parit Dominium, consuetudo legem. Tertio ad præscriptionem non requiritur nec expressus, nec tacitus consensus illius, contra quem præscribitur; ad consuetudinem vero requiritur tacitus saltem consensus Principis; ex quo fit consuetudinem non præscribere contra Principem; cum ex ejus consensu inducatur, & vim habeat, & consequenter contra nullum. Castr. citans Vasq. *d.* 177. *c.* 5. *n.* 43. Quarto præscriptio minuit dominium & jura illius, contra quem præscribitur; consuetudo nullum jus alterius minuit. Quinto præscriptio fit cum damno unius & lucro alterius, consuetudo cum æquali damno vel lucro omnium, unde dum agitur de tollendo jus uni & acquirendo alteri, dicitur præscriptio, non consuetudo. Card. de Luc. *de jurisd. d.* 34. *n.* 24. Sexto præscriptio requirit titulum, secus consuetudo, utpote cui pro titulo sufficit populi ac Principis consensus tacitus. Host. *in sum. t. de consuet. n.* 13. Barb. *in collectan. ad c. ult. h. t. n.* 21. Septimo in præscriptione, requiritur bona fides, saltem a tempore, a quo incipit tempus ad eam requisitum; consuetudo etiam mala fide incæpta præscribere potest contra legem, de quo infra. Octavo, præscriptio cum titulo putativo fieri potest; consuetudo fieri debet ex certa scientia, adeoque induci nequit cum errore legis; errantis enim nullus est consensus. Nono, præscriptio locum habet in rebus mobilibus corporalibus & incorporalibus; consuetudo in solis incorporalibus v. g. in jurisdictione, electionibus, servitutibus. Decimo, consuetudo est favorabilis, præscriptio odiosa. Fagn. *in c. venerabili de consib. n.* 26. Card. de Luca *de servitutib. d.* 28. *num.* 6. quod tamen intelligendum de consuetudine, quæ non est contra legem, neque in præjudicium tertii, quæ proinde tanquam nemini præjudicans, de casu uno ad alium extendenda. Argument. *l.* 1. *C. quæ sit longa consuetud.* & *l. de quibus ff. de LL.* dum e contra consuetudo contra jus commune sit stricti juris, & tantum habet de potentia, quantum de usu & actu; adeoque ultra id, quod actum est, non extenditur. Ita post Bartol. *in authen. qui rem num.* 8. *Cod. de SS. Ecclesiis*. Mascard. *de probat. concl.* 423. *num.* 15. Pirh. *hoc tit. num.* 15. Unde & Fagn. *in cap. cum contingat de decimis numer.* 10. ait; licet alias consuetudo

sit favorabilis & extendenda, hoc tamen est verum in materia non multum præjudiciali, alias secus.

QUÆSTIO CCCLXXI.

Qualiter consuetudo differat a lege & statuto.

Resp. præcipue in sequentibus. Primo, quod lex & statutum sit jus scriptum: consuetudo jus non scriptum; non ex eo, quod repugnet consuetudini, quod ex post redigatur in scripturam, prout jus feudale adhuc hodie dicitur jus consuetudinarium, non obstante, quod in Corpus juris sit redactum; sed quod consuetudo a primo sui exordio non ex scripto & præcepto alicujus legislatoris, sed ex moribus utentium descenderit, neque postea tanquam nova lex per aliquem legislatorem sit præcepta; lex autem statim a principio soleat redigi in scripturam, etsi de ejus essentia non sit scriptura. Secundo, quod leges & statuta minorem recipiant dubitationem, utpote quæ solenniter jam promulgatæ non egent amplius probatione; consuetudo vero ob plures ad eam requisitas conditiones sit probatu difficilis juxta Gl. *in c. fin. h. t.* Tertio, quod consuetudo causetur tacito consensu, lex vero & statutum non nisi expresso consensu.

QUÆSTIO CCCLXXII.

Quotuplex sit consuetudo.

1. Resp. dividi eam generatim acceptam fere secundum quatuor genera causarum. Primo ex parte finis seu effectum per eam intentorum in consuetudinem secundum legem, præter legem & contra legem. Abb. *in c. fin. h. t. n.* 20. Suar. *l. 7. c. 4. n.* 1. Roch de Curte *de consuetud. l. 5. n.* 5. quippe cujus effectus primarius est, quandoque interpretari legem jam conditam, quandoque jus novum condere, quandoque legi jam conditæ derogare, aut eam penitus tollere. Consuetudo secundum legem non est consuetudo juris sed facti; est enim ipsa observatio & executio legis præexistentis, jus nullum novum non scriptum seu consuetudinarium inducens, quippe nullatenus incæpta aut continuata animo inducendi jus novum; sed jus præexistens confirmans, adjuvans, deducendo illud in usum juxta illud *can. 3. dist. 4. leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur autem, dum moribus utentium comprobantur*; intellige, non quod per usum firmitas aliqua intrinseca de novo legi accrescat, sed quia removentur, quæ legem tollere poterant, nempe contraria consuetudo, aut quæ eam difficiliorem reddebant. Et hæc est consuetudo, de qua dicitur *c. cum dilectus h. t. consuetudo est optima legum interpres*: dum interpretatur sensum legis, qui forte dubius foret, ea consuetudine non interveniente. Castrop. *n.* 4. consuetudo præter legem est, quæ constituit jus novum, ubi deficit lex, nimirum in iis casibus, qui a jure communi scripto non sunt decisi, seu circa quos lex nulla posita fuit. Habet hæc consuetudo parem cum lege scripta, tam in conscientia quam foro externo vim obligandi, ac proinde non minus quam lex scripta suscipi & observari debet *l. de quibus ff. de LL.* & *l. seq. & l. sed & ea eadem*. Consuetudo contra legem seu legi contraria est, qua lex scripta vel usu nunquam recipitur, vel jam recepta contrariis moribus vel abrogatur seu tota tollitur, vel derogatur seu ex parte solum deficit obligare; vel etiam positive contrarium dispositioni juria humani præexistentis inducitur; certum siquidem est, contra legem humanam prævalere & obligationem inducere posse consuetudinem, absque eo, quod inde sequatur, dari obligationem ad aliquid mali. His non obstante quod inferiores Papa nequeant condere legem seu statutum contra canones, nam inter legem derogantem legi priori & consuetudinem hoc est discrimen, quod in priori penitus deest consensus Principis seu Papæ, secus ac in consuetudine, ceteroquin tamen rationabili, utpote in qua censetur legislator condescendere infirmitati subditorum legem non observantium, & vel hoc ipso demonstrantium, legem non esse amplius accommodatam moribus & utilitati subditorum, sed potius deservire ad laqueum conscientiis injiciendum. Dico *legem humanam*; nam consuetudo nulla vim legis habens dari potest adversus legem naturalem, sed semper erit corruptela; cum sit de actu malo & peccaminoso, in quem nulla cadere potest obligatio; Idemque dicendum de consuetudine contraria legi divinæ, quæ, cum semper perseverat, Deo nunquam consentiente in ejus abrogationem, quantumcunque demum longo tempore egerint contra eam homines, semper talia consuetudo erit peccatum & consequenter inefficax ad inducendam obligationem vel deobligationem.

2. Secundo ratione materiæ dividitur consuetudo in Canonicam sive Ecclesiasticam quæ versatur circa materiam spiritualem seu ecclesiasticam; & civilem, quæ contingit in materia temporali, seu spectante ad rectam gubernationem Reipub. circa res, personas. Neque datur hic tertia aliqua species consuetudinis mixtæ; nam, si materia sit spiritualis, servaturque tam a clerici quam laicis, quatenus Christiani sunt, consuetudo absolute est ecclesiastica; si materia est mere profana, pertinens ad politicum & temporale regimen Reip. vel civitatis, adeoque æque servanda a clericis quam laicis, quatenus cives sunt, consuetudo absolute est civilis. Suar. *l. 7. c. 5. n.* 1. Quod si autem in aliquo loco tam laici quam clerici judices servent aliquam consuetudinem in suis tribunalibus & judiciis, duplex erit consuetudo, una ecclesiastica, altera civilis. Suar. *l. c. n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 7.

3. Tertio ratione causæ formalis in judicialem & extrajudicialem, Reiffenst. *h. t. num.* 18. citans Zasium *in tit. de LL. n. ult.* Consuetudo judicialis ea est, quæ pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere prolatis obtinuit in judicio; dum nimirum ad minimum bis pariformiter judicatum fuerit intra decennium circa causas similes in judicio contradictorio. Reiffenst. *l. c.* juxta Gloss. *in l. de quibus ff. inveterata* ex Bartol. *ibidem ff. de LL.* dum autem quandoque secundum eam, quandoque contra eam fuit judicatum, nulla oritur consuetudo. Gloss. *in l. cum de consuet. ff. eod.* Consuetudo extrajudicialis est, quæ longo usu populi extra judicium inducitur.

4. Quarto ratione causæ efficientis communiter dividi solet ex Host. *in Sum. h. t. num.* 12. in generalissimam, quæ obtinet apud omnes fere gentes, & est ipsum jus gentium usibus & moribus totius orbis introductum; vel etiam quæ viget apud omnes Catholicos, ut est signare se signo S. Crucis. Can. Ecclesiasticarum dist. 11. In generalem seu universalem & communem, quæ in tota aliqua Provincia vel regno servatur. In specialem seu localem, quæ in civitate aliqua vel pago tantum locum habet; & in specialissimam, quæ recepta solum in uno aliquo collegio vel familia, vel alia communitate imperfecta obtinet. Paulo aliter hanc divisionem facit Suar. *l. 7. c. 3. nu.* 7. in communissimam, & est ipsum jus gentium; in communem seu publicam, quæ est unius provinciæ, regni, civitatis; & in particularem seu privatam, quæ a communitate aliqua imperfecta inducta est. Sed hæc jus legale non constituit, ut dicitur infra nobis non nisi de consuetudine communi seu perfecta, utpote quæ solo est inductiva juris positivi humani.

QUÆSTIO CCCLXXIII.

Quænam requirantur conditiones ad consuetudinem legitimam habentem rationem & vim legis.

Resp. tametsi a Gl. *in c. fin. h. t.* Earum referantur plures, hæ tamen reipsa non omnes sunt necessariæ ad eam, vel commode referuntur ad has duas, nimirum ut sit rationabilis & legimæ præscripta.

QUÆSTIO CCCLXXIV.

Quænam consuetudo censenda rationabilis.

1. Resp. Quæ est de re honesta & utili Reip. Siquidem consuetudo vim legis habet & pro lege suscipitur & lex quædam tacita; ergo eandem cum lege æquitatem habere debet. Sanch. *l. 7. de matrim. dist. 4. num.* 14 Castropal. *tr. 3. d. 3. par. 2. §. 1. num.* 2. Suar. *l. 7. cap. 6. num.* 14. Bonac. *dist. 1. qu. 1. part. ult. §. 3. num.* 46. Pont. *de mat. . . . cap. 5. num.* 2. Pirh. *ad h. t. num.* 19. &c. Unde licet recte dicatur, consuetudinem tunc dicendam rationabilem, quando de ea re, de qua est consuetudo, justa foret lex de novo condita, priore mutata, si quæ esset, vel nulla lege mutata, si nulla lex ea de re exstabat; hæc tamen expositio hujus termini: *consuetudo rationabilis*: data pro definitione illius a Sylv. *v. consuetudo qu.* 1. Soto *de Justit. l. 1. quæst. 7. art.* x. & aliis apud Barbos. *in cap. fin. h. tit. num.* 11. quos sequitur Crimer. *ad l. 1. decretal. num.* 1690. non satis placet, quia fusior & minus clara. Minus quoque placet illa (utpote, præterquam quod sit fusior, procedit per viam remotionis, & nihil expositionis positivæ afferendo, quam dant Laym. *l. 1. Th. Mor. tr. 4. c. 24. num.* 4. Azor. *p. 1. l. 5. c. 17. q.* 5. quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. num.* 34.

num. 34. nempe quod illa consuetudo sit rationabilis, quæ neque juri naturæ, neque divino adversatur, neque a jure Canonico reprobatur, neque peccandi licentiam aut occasionem præbet, neque alia ratione communi utilitati perniciosa est. Immerito autem definitionem nostram obscurum per æque obscurum explicare dicitur a Reiffenstuel. Non enim in ea dicitur: *de re rationabili*: sed de re honesta seu conformi, & non difformi dictamini rectæ rationis, qui termini satis clari sunt.

2. De cetero dicta conditio rationabilitatis non tantum procedit de consuetudine, quæ est præter legem, sed & in consuetudine contra legem reperiri potest. Nam etsi consuetudo (intellige inchoative talis) quamdiu adversatur legi existenti (quæ essentialiter esse debet rectæ rationi conformis) esse nequeat rationabilis, dum tamen per longum usum & tempus evadit ad rationem consuetudinis proprie & complete talis, per quam lex contraria tollitur, jam procedit rationabiliter; quia jam conformis rationi, & expediens est ejus usus seu continuatio, ne culpa ulterius progrediatur, neve subditi ad observantiam rei tam reditæ tam difficilis astringantur. Ita Castropal. *num.* 3. citans Suar. *l.* 7. *cap.* 18. *num.* 24. Bonacin. *num.* 45. Adde, quod nihil impediat, quo minus lex, quæ abrogatur per legem contrariam, fuerit rationabilis, & simul dicta lex abrogans sit rationabilis. Unde jam etiam vides, qualiter non obstet rationabilitati consuetudinis contra legem, quod inducatur seu inchoetur mala fide, secus, ac accidit in præscriptione, quæ cum mala fide inchoari nequit, ne foveantur furta, rapinæ & latrocinia; eum per consuetudinem taliter inchoatam non foveantur transgressiones legis; potest siquidem Princeps de facili consuetudinem (intellige necdum in esse suo completam) interrumpere, & legem suam renovare, si judicaverit expediens.

QUÆSTIO CCCLXXV.

Quandonam censeatur expedire bono communi consuetudo, adeoque hic & nunc esse rationabilis.

1. Resp. primo. Consuetudo præter legem, eo ipso, quod nulli legi adversetur ejus observantia, censetur expedire bono communi; quia bono communi videtur expedire id, in quod (intellige, lege scripta deficiente, nulla lege repugnante) omnes conveniunt. Castrop. *nu.* 4. Menoch. *l.* 2. *cent.* 1. *de arb. cas.* 82. *n.* 14.

2. Resp. secundo. Quo ad consuetudinem contrariam legi, nempe humanæ, id relinquendum arbitrio prudentum, communiter cum Gloss. *in cap.* 1. *de const. in* 6. *v. rationabile* censent Menoch. Castrop. *LL. cit.* Sanch. *l.* 7. *de matr. dist.* 4. *num.* 14. *in fine*. Abb. Jo. And. *in cap. ult. h. t.* Veruntamen consuetudinem contra legem eo ipso censendam rationabilem, quod nullo jure sit reprobata (qualis adhuc non censetur, etsi contraria sit juri Canonico alterive legi humanæ; diversa enim valde sunt; adversari legi, & a lege reprobari, ut patebit ex dicendis paulo post) dicit Crimer. *ad l.* 1. *decretal. num.* 1695. Unde patet, posteros consuetudinem a suis majoribus introductam observantes excusari a culpa, nec teneri inquirere de ejus justitia, sed recte posse eam præsumere Castrop. *l. c.* tenentque hæc a fortiore, dum consuetudo est immemorialis; quia vel ex ipsa diuturnitate temporis præsumitur in ea justus titulus. Castrop. *loc. cit.* citans Alex. *in cap. quo jure dist.* 8. Salas *dist.* 19. *sect.* 18. *in fine*. De cetero, dum expensis omnibus adhuc remanet dubium de rationabilitate & expedientia seu utilitate consuetudinis, veluti jam existentis in possessione, jam introductæ seu perfectæ, in favorem consuetudinis præsumendum est, eam esse rationabilem & Reipub. expedientem. Suar. *loc. cit. num.* 15. Sanch. *l. c.* Castrop. *num.* 5. post Bald. *in cap. cum venissent de eo, qui mittitur in possess. num.* 2. E contra, si consuetudo a lege reprobatur, aut prohibetur, in dubio pro lege dicta standum, & consuetudinem præsumendam irrationabilem, tanquam certum tradunt Sanch. Suar. Salas. Castrop. *LL. cit.* eo quod reprobatio consuetudinis facta a lege sit certa, adeoque ab honestate dubia vinci non possit. Iidem cum Cajet. 1. 2. *q.* 97. *ar.* 3. *Supplem.*

QUÆSTIO CCCLXXVI.

An consuetudo, cui jus positivum humanum resistit, censenda sit hoc ipso irrationabilis.

1. Resp. primo. Si jus resistat consuetudini illam reprobando penitus tanquam corruptelam, habenda est pro irrationabili, & nullo unquam tempore, etiam immemoriali acquirere potest legitimitatem, ut licite observari possit: Lex siquidem reprobans consuetudinem ut iniquam, ei etiam futuræ derogat. Est communis, & habetur *in cap. cum venerabilis & c. ult. h. t.* nisi forte superveniat causa nova vel circumstantia adimens ei iniquitatem, quæ ab initio ei inesse videbatur. Dum tanquam iniqua a legislatore reprobabatur; tunc enim etiam contra eam ipsam legem induci potest consuetudo. Gloss. *in cap.* 1. *v. expresse de constitut. in* 6. juncta Gl. margin. ubi: *nisi consuetudo juvaretur nova ratione*, Abb. *in cap. ult. h. t. n.* 24.

2. Resp. secundo. Si lex simpliciter prohibet induci consuetudinem contra legem, non tamen eam damnet tanquam irrationabilem, censendam irrationabilem, & non valere consuetudinem postea contra ejusmodi legem ordinario tempore inductam, eo, quod in tali casu desit consensus legalis ad valorem consuetudinis necessario requisitus; cum lex semper loquatur, & consequenter, si prohibet induci consuetudinem in contrarium, eam semper prohibeat, ita inquam docent Abb. *in c.* 2. *de probat. n.* 7. (qui tamen ita limitat: nisi superveniat nova causa, vel antiqua innotescat, quæ si ante innotuisset, Princeps verisimiliter talem consuetudinem non prohibuisset) Bart. *in l. de quibus ff. de LL. in* 10. *opposit.* Covar. *variar. resol. l.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 24. *n.* 7. quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. n.* 47. Ad quos accedit Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *part.* 4. §. 2. *num.* 10. qui etiam *num.* 8. hanc insinuat rationem: quod dum consuetudo prohibetur, prohibeatur semper ut irrationabilis, hoc est, ut minus rationi consona, & aliquo modo disciplinæ ecclesiasticæ & bono communi contraria. Limitant tamen hoc ipsum Castrop. Laym. Reiffenstuel. &c. hoc modo: nisi Princeps consuetudinis de novo introducendæ conscius eam, cum posset, non inhiberet; eo quod tunc consensus tacitus ad consuetudinem requisitus non desit. Idem tenent, dum consuetudo caret omni titulo etiam colorato & præsumpto. Pirh. *h. tit. nu.* 40. & Molin. *tr.* 2. *de Justit. & Jure d.* 77. *num.* 4. Et dum contra hos AA. movetur, quod hujusmodi clausula prohibitoria solummodo ad Judices referatur, prohibendo illis, ne patiantur consuetudinem aliquam adversus legem induci; negant id ipsum; eo quod dicta clausula vi verborum aliud importet, nimirum prohibitionem ipsius consuetudinis secundum se, quam prohibitionem absque dubio facere potest Princeps; a proprietate autem verborum non sit recedendum sine gravi causa, qualis non est in præsente. Nihilominus directe & simpliciter contrarium æque probabiliter, si non probabilius tenent, Nav. *Tom.* 1. *comment. de spol. clericor.* §. 14. *num.* 8. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 17. *q.* 10. Suar. *l.* 7. *de LL. cap.* 9. *num.* 21. eo quod, licet ex tali prohibitione pateat, contrarium aliqua ratione magis placere Principi seu legislatori, nihilominus dum consuetudo prohibita nec directe nec indirecte contraria existit legi naturali aut divinæ, possitque intra tempus ordinarium evadere non nociva, sed utilis Reip. adeoque rationabilis, nihil sit, quo minus tempore ordinario præscribi & induci possit. De cetero contra talem legem inhibitoriam consuetudinis prævalituram consuetudinem immemorialem tenent unanimiter AA. citati, & insuper Barb. *claus.* 87. Mascard. *de probat. concl.* 424. *n.* 4. Alex. *cons.* 6. *n.* 4. *vol.* 1. *&c.* eo quod, cum consuetudo immemorialis habeat majorem vim & authoritatem quam aliæ consuetudines *l. hoc jure §. ductus aquæ ff. de aqua quotidian.* necesse sit ei specialiter & expresse derogari; adeoque non sufficit prohibitio simpliciter & generaliter facta.

3. Resp. tertio. Dum lex derogatoria consuetudinis utitur hac clausula: *non obstante consuetudine quacunque contraria*: & nihil aliud exprimit, extendi illam solum ad consuetudines tempore tali legis conditæ existentes, & non ad futuras; adeoque posse de novo induci consuetudinem adversus talem legem, tenent cum Gloss. *in cap. statutum v. consuetudines de elect.* Jason. *in l. de quibus ff. de LL. num.* 55. Suar. *de LL. l.* 7. *cap.* 7. Laym. *l. c. num* 7. Azor. *l. c. quæst.* 10. Engels *h. t. num.* 23. Reiff. &c. eo quod, cum clausula dicta commode intelligi possit de consuetudinibus tunc existentibus, de iis tantum intelligi debeat; cum correctoria legis veluti odiosa non sint extendenda. Ad illud, quod opponi potest, nempe legem semper ex natura sua trahere ad casus futuros, adeoque

hoc ipsum etiam dicendum, de lege inclusam habente dictam clausulam, ad id inquam respondet, id procedere tantum, pro illo tempore, quo nova consuetudo necdum legitime præscripta fuit. Ad objectum vero tenorem *c. ad nostram h. t.* dicunt, ibi sermonem esse de consuetudine de se irrationabili. Contrarium tamen nempe extendendi dictam legem ad consuetudines tam anteriores, quam futuras, eo quod extensio illa sit favor legis jam constitutæ, tenent Barbos. *claus.* 87. *n.* 15. Sanch. *de matr. l.* 7. *d.* 4. *n.* 13. Molin. *l. c. d.* 79. Covar. *l. c.* Castrop. *loc. ult. cit. num.* 8. qui etiam dicit, sic tenere fere omnes DD. in *c. cum inter h. t.* Verum forte de hac controversia amplius infra, ubi de effectu consuetudinis. Porro plures in specie consuetudines irrationabiles a jure reprobatas vide apud Reiffenst. *h. t. a n.* 56. *per tot.* §. 3.

QUÆSTIO CCCLXXVII.

In quo sensu consuetudo dicatur præscripta.

RESp. Tametsi *c. ult. h. t.* de consuetudine contra jus dicatur, quod debeat esse legitime præscripta, & *cap.* 3. *eod. in* 6. Quod sit canonice præscripta. Non tamen id accipiendum proprie & in rigore post Jas. *in l. de quibus ff. de LL. num.* 44. Engels *h. t. num.* 15. Reiffenst. *num.* 90. consuetudo siquidem loquendo proprie non præscribitur, sed per eam præscribitur adversus legem. Laym. *in cap. ult. h. t.* Sed neque hic ipse modus loquendi est proprius; cum contra illum duntaxat proprie præscribi dicatur, cujus dominium aut jus cum ejus jactura & damno tollitur aut minuitur. Et si in præsente præscriberetur contra aliquem, non tam contra legem quam legislatorem præscriberetur. Hoc non, cum ex consensu legislatoris tacito vel expresso consuetudo vim legis obtineat. Castropal. *loc. paulo post citand. num.* 4. Proinde consuetudinem præscribi, nihil est aliud, quam eam (intellige, consuetudinem facti, seu actus, per quos nascitur consuetudo juris) continuati tempore ad præscriptionem requisito, & consuetudinem (intellige juris) præscriptam esse, nihil aliud significat, quam eam esse obtentam per cursum temporis requisiti ad præscriptionem, ut Abb. *in c. non est h. t. in* 6. *n.* 7. apud Pereyram *in elucidar. n.* 249. & Crimer. *ad* 3. *decretal. n.* 1700.

QUÆSTIO CCCLXXVIII.

Quantum tempus requiratur, ut consuetudo sit & dicatur legitime præscripta.

1. RESp primo. Ad inducendam consuetudinem habentem vim legis, diuturnitatem temporis unanimiter requirunt omnes, sed quanta hæc esse debeat, maxime controvertunt AA. Ad consuetudinem talem, non distinguendo, an sit præter, an contra legem; An sit ecclesiastica, an civilis, nullum tempus determinatum esse, neque a jure naturæ, neque a jure humano Canonico aut civili, eo quod jura, quæ illud determinare videntur, vel loquantur (ut ait Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 2. §. 2. *n.* 3.) non de consuetudine legali, sed de consuetudine requisita ad præscriptionem rerum mobilium & immobilium contra personas privatas vel communitates; vel, dum loquuntur de consuetudine legali, ut *c. ult. hoc tit.* requirant tempus diuturnum, & sic adhuc per hoc non determinent tempus; cum tempus diuturnum aliquando biennio, aliquando quinquennio vel etiam 40. vel pluribus annis pro diversis materiis comprehendatur. Vel nec tempus determinant utendo verbis: *legitime præscripta*. Cum præterquam, quod in hoc puncto a præscriptione ad consuetudinem legalem argumentari non liceat, non omni præscriptioni idem tempus determinatum sit. Ita inquam docent Menoch. *de arbitr. l.* 2. *centur.* 1. *cas.* 83. *num.* 6. Coras. *in l. de quibus ff. de LL. num.* 8. Cujat. *l.* 2. *observat. c.* 1. Duar. *de LL. c.* 11. Soto *de Just. quæst.* 7. *ar.* 2. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 6. *dub.* 14. Vasq. Valent. Pont. apud Castropal. *citat. num.* 3. Communior vero affirmant, consuetudinem longævam esse & legitime præscriptam, sufficientem tam ad legem abrogandam, quam ad novam constituendam, quæ per decennium continuatis actibus obtenta. Ita docent Suar. *de LL. l.* 7. *c.* 8. *nu.* 7. juncto *cap.* 15. *num.* 5. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p. ult.* §. 3. *num.* 31. Mascard. *de probat, concl.* 424. *a n.* 24. Sa *v. consuetudo num.* 3. Castrop. *l. c. n.* 5. &c. Ratio hujus sententiæ, quod jura ad talem consuetudinem solum requirant longum tempus; decennium autem in jure sit longum tempus, & infra illud non reputetur. *L. ult. Cod. de præscrips. long. temp.* §. 1. *inst. de usucap.* Item requirunt consuetudinem præscriptam; consuetudo autem obtenta per decennium sit consuetudo legitime præscripta, prout jura requirunt; cum licet multæ aliæ præscriptiones longum tempus exigant, hic tamen illud tempus sufficiat; quia agitur de re omnino favorabili & nemini contraria. Non Principi, cum non nisi de ejus consensu vim habeat; non subditis, cum eorum similiter operantium consensu inducatur. Hinc jam.

2. Resp. secundo. Limitanda non est responsio nostra primo ad consuetudinem obtentam præsente & sciente Principe ex eo, quod ad præscriptionem bonorum longius tempus requiratur inter præsentes quam absentes. Nam hæc locum non habent in præscriptione legali, seu consuetudine; utpote quæ non introducitur contra jus alicujus, ut immediate jam dictum; neque invito legislatore, utpote qui primitus condidit legem sub hac conditione tacita; ut si restiterit populus per consuetudinem longævam, ipse contentus sit legem suam ipso facto abrogari. Unde jam consuetudo inducit novam legem & abrogant antiquam, non ex consensu subsequente legislatoris, sed ex præcedente incluso non tantum tacitè in qualibet ejus lege, pro ut jam dictum; sed etiam expresse in speciali ejus, aut superioris illius lege, qua declarat & statuit, consuetudinem longi temporis habere authoritatem inducendi & abrogandi legem. Ac proinde perinde est; sive is absit seu ignoret, dum consuetudo contraria suæ legi inducitur, sive præsens sit, & id sciat ita Castr. *cit.* §. 2, *n.* 7.

3. Neque etiam secundo ad consuetudinem, quæ obtinuit via præscriptionis, nempe absente & non sciente Principe, ita ut ad consuetudinem introducendam via conniventiæ, nimirum Principe sciente & tolerante, cum posset ejus inductioni resistere eamque prohibendo subditos cogere ad observantiam legis non requiratur tempus determinatum, uti tradunt Less. *l.* 2. *cap.* 6. *num.* 45. Pirh. *h. t. num.* 34. Reiffenst. *num.* 93. Eo quod tunc non tollatur lex tam vi consuetudinis, quam ab ipsomet Princeps conniveote per tacitam ejus revocationem (intellige subsequentem) qui, quia potest habere quandoque causas aliquas sibi notas permissionis & dissimulationis pro una alterave aut pluribus vicibus seu aliquo tempore, ut constat ex *cap. super eo de cognat. spirit.* V. gr. ut alio tempore commodius transgressores puniat, ex tali ejus non resistentia præcise non recte infertur ejus approbatio; adeoque requiritur talis ejus taciturnitas & permissio, qui æquivaleat legitimæ legis abrogationi, quæ quandonam seu intra quod tempus absit, quia determinari non potest, non satis congruenter statuitur decennium, sed potius relinquendum prudenti arbitrio, ut de hoc spectatis & consideratis diligenter omnibus statuatur. Neque inquam sic limitanda videtur responsio. Nam licet satis probabiliter hæc dicantur, qui tamen adhuc hac via vix unquam certi quid statui posset de consuetudinis in hoc casu perfectione, seu jam obtenta in vi subsequentis istiusmodi consensus legislatore, juraque indiscriminatim ad consuetudinem obtentam requirunt tempus longum, & tempus longum infra decennium non reputetur, ut dictum est *cap. ultim. hoc tit.* merito statuitur decennium; hoc ita, ut, nisi aliunde constet aliud de subsequente hoc Principis consensu, illud sit exspectandum; cum ubi jura non distinguunt, neque nos distinguere debeamus.

4. Neque tertio. Ad consuetudinem civilem, ita ut ad consuetudinem ecclesiasticam nunquam adhuc receptam quidem sufficiat decennium, ad receptam vero abrogandam requiratur consuetudo 40. annorum, non secus ac ad præscribendum contra alia jura ecclesiastica, pro ut volunt Felin. *cap.* 1. *num.* 13. *de treuga.* Navar. *cons.* 1. *quæst.* 5. *num.* 24. *de constit.* Covar. *l.* 2. *variar. resol. cap.* 16. *num.* 6. §. *quinto.* Zoesius *h. t. num.* 14. Engels *num.* 15. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 4 Suar. *l.* 7. *de LL. cap.* 18. *num.* 12. Rebell. 2. *p. l.* 1. *q.* 5. *num.* 12. Bonac. *d.* 1. *qu. part. ultim.* §. 3. *num.* 32. Mascard. *v. consuetudo concl.* 424. *nu.* 32. Salas. Reginald. &c. vel etiam, ut discriminatim ad consuetudinem abrogativam legis Canonicæ, sive ea lex usu recepta sit, sive non, requirantur 40. anni, prout tenent Abb. *in cap. ult. h. t.* Imol. *in c. treugas de treuga & pace* & *ibidem* Fagn. *n.* 40. & 67. Diana, *par.* 6. *tr.* 5. *resol.* 2. §. *sed quid ergo*, asserens, se eam tenere authoritate Rotæ Romanæ, quæ semper hanc sententiam canonizavit, ut patet *in una Gerundens. adminis.* 13. *Maji.* 1630. *coram Verospio.* Nam illa limitatio probabilius rejicitur a Less. *l.* 2. *de Just. c.* 6. *n.* 46. Lugo *d.* 7. *de Just. s.* 6. *num.* 92. Azor. *part.* 1. *l.* 5 *c.* 18. *qu.* 6. Castrop. *tract.* 3. *d.* 3. *p.* 2. §. 2. *num.* 9. Pirh. *h. t. num.* 39. Haunold. *de Just. & jure Tom.* 1. *tr.* 1. *c.* 3. *controv.* 2. *n.* 130. Reiffenst. *h. t. n.* 105. eo quod consuetudo abrogans legem ecclesiasticam non procedat contra ecclesiam, sed potius ex mente & de consensu illius tradito & manifestato, in *cap. ult.*

ult. h. t. præfcriptiones autem quæ funt in favorem Ecclefiæ, non egeant fpatio 40. annorum, fed perficiuntur decennio, ut tradit Rota *in noviff. p. n. dec. 375. num. 8*, ait Caftrop. Sed neque abrogatio legis per contrariam confuetudinem minuit utilitatem, bona aut jura Ecclefiæ (ob quam caufam, ne fcilicet Ecclefia plurimum damnificetur in bonis ac juribus fuis, ad difficilius præfcribendum contra illam requiruntur 40 anni) fitque falva poteftate ac jurisdictione legislatoris ecclefiaftici. Quin, & fi ex proportione vel fimilitudine præfcriptionis proprie dictæ requirerentur 40. anni in confuetudine legali Canonica, ut præfcripta cenferetur, jam etiam, ut recte Caftrop. *l. c.* ad præfcribendum contra leges & conftitutiones ecclefiafticas feu pontificias requirerentur in ea centum anni; quia tot requiruntur ad præfcribendum contra Ecclefiam Romanam *Auth. quas actiones C. de SS. eccleſ. c. ad audientiam & cap. cum vobis de præfcrip.* vel etiam tempus cujus initii non exftat memoria; cum adverfus refervata Principi (inter quæ etiam eft difpenfatio & Canonizatio legis illius) non nifi confuetudine immemoriali præfcribitur, ut Mafcard. *de prob. concl. 424. n. 40.* referens plures juxta *c. fuper quibufdam §. præterea de verb. fignif.* Unde jam etiam nihil ad rem facit textus *c. auditis de præfcrip. & c. cum Ecclefia de caufa poſſeſſ.* ubi ad præfcribendum contra ecclefiam requiruntur 40. anni; quia agitur ibi de præfcriptione juftitiæ contra jura & bona ecclefiarum, non de confuetudine feu præfcriptione legali. Item quia non eft facienda difcrepantia inter jus civile Canonicum, ubi non habetur expreffa difpofitio in contrarium *c. 1. de novi oper. nunciat.* ad abrogandam autem legem civilem per confuetudinem contrariam fufficit decennium *l. fuper longi C. de præfcrip. longi temp.* ubi: fuper longi temporis præfcriptione, quę ex decem annis introduceretur &c. Et quo ad hoc in jure Can. non reperitur expreffa in contrarium difpofitio. Ac denique, quia (quod attinet diftinctionem illam inter legem receptam & nondum receptam) ubi jus non diftinguit, uti non facit hoc in puncto, neque nos diftinguere debemus. Ad hæc, cum receptio & acceptatio populi non requiratur ad intrinfecam conftitutionem legis, maxime Canonicæ, parum refert ad ejus abrogationem, an ea aliquando fuerit ufu recepta nec ne; cum utraque habeat fuam firmitatem intrinfecam & robur obligandi.

5. Admittenda vero e contra eft limitatio, ut non fufficiat decennium, fed requirantur 40. anni aut tempus longius, ubi ex abrogatione legis Canonicæ per confuetudinem refultaret præjudicium feu detraheretur juri quæfito tertii, nempe Ecclefiæ. Abb. *in c. ult. h. t. n. 18.* Sperell. *decif. 89. fori eccleſ. a n. 23.* Mafcard. *l. c. n. 36.* quos citat ac fequitur Reiffenft. *h. t. nu. 109.* eo quod ubi agitur de tollendo jure uni, etiam per legem quæfito & acquirendo alteri, non eft pura confuetudo, fed eft, vel involvitur præfcriptio, non obftante, quod termini ifti; *confuetudo & præfcriptio*, alias non raro fumantur promifcue. Card. de Luc. *de jurifd. de foro compet. difc. 34. nu. 28.* Unde jam etiam, licet ipfemet legislator, ftante longa confuetudine contra legem cenfeatur revocare legem veluti deftitutam fine fuo, & non amplius communitati convenientem; non tamen cenfetur præjudicare juri tertii quæfito per legem. Atque ex his poteft peti refponfio ad decifiones illas rotales ab adverfariis objectas admittentes non nifi 40. annorum confuetudinem contra leges ecclefiafticas, nimirum dicendo, procedere illas in iis cafibus, ubi fimul agitur de præjudicio tertii aut alicujus ecclefiæ particularis, alteriufve loci pii, quibus per legem abrogandam jus quæfitum; illud non per fimplicem abrogationem legis, fed folum per veram præfcriptionem elidi poffe. Idque, quia credendum non eft, litigantes tam magnis fumptibus coram hoc fupremo Ecclefiæ tribunali fpectare nudam derogationem legis, fi non intereffet præjudicium propriorum jurium aut ecclefiarum fibi commiffarum.

QUÆSTIO CCCLXXIX.

Qualiter, ut confuetudo dicatur præfcripta, dictum decennium non debeat interrumpi.

RESp. Requiritur, ut femel cæpta ita continuetur, ut nullo actu contrario interrumpatur. Abb. *in c. ult. h. t. num. 19.* Suar. *de LL. l. 7. cap. 8. num. 14. & 15.* Laym. *cit. cap. 24. num. 15.* Caftrop. *tr. 3. diſp. 3. part. 2. §. 2. num. 11.* Pirh. *h. t. num. 41.* cum communi. Quia in genere ad præfcriptionem requiritur continuatio poffeffionis tempore legibus definito. Et fi interrumperetur hoc tempus v. gr. decennium, poffeffio vel confuetudo non duraret decennio, prout requiritur. Ad hæc tempus requifitum ad aliquem effectum intelligitur de tempore continuo & non interrupto. Caftrop. *loc. cit.* citans Lapum *alleg. 47.* Sylv. *v. religio 3. quæft. 5.* Navar. *conf. 87. de regular. num. 1.* Sic itaque, fi legislator civilis aut ecclefiafticus vel transgreffores puniret, vel pro lege contra confuetudinem judicet, aut lege aliqua contra confuetudinem (intellige necdum perfectam) caveat per claufulam: *contraria confuetudine non obftante*: vel fi a tota communitate aut majore ejus parte contra confuetudinem agatur, & lex, contra quam incæptum præfcribi, obfervetur, etiamfi id fiat unico actu (etfi de cetero jam perfecta feu completa per unicum actum non tollatur, de quo inferius, ubi de ceffatione confuetudinis) cenfetur confuetudo interrupta, & de novo inchoari debet, ut vim legis habere poffit, vel legem præcedentem tollere. Siquidem Princeps vel populus operando contra confuetudinem aperte fignificat, fe non habere animum introducendi confuetudinem inftar legis, nec præbere confenfum in abrogationem legis per confuetudinem.

QUÆSTIO CCCLXXX.

An præter has duas conditiones rationabilitatis & durationis decennalis ad hoc, ut confuetudo vim obligandi vel deobligandi habeat, requiratur, quod fit in judicio contradictorio approbata.

REfpond. Negative. Abb. *in cap. ultim. hoc tit. num. 16.* dicens effe communem Canoniftarum & Legiftarum. Suar. *l. 7. cap. 15. num. 2.* Mafcard. *concl. 427. num. 3.* Bonac. *d. 1. quæft. 1. part. ult. §. 3. num. 25.* Caftrop. *tract. 3. diſp. 3. part. 3. num. 9.* Pirh. *hoc tit. num. 23.* Hac enim ratione nunquam poffe talis confuetudo induci. Si enim ante judicium confuetudo non habuit vim, Judex in judicio non poteft decernere & declarare vim habuiffe & valuiffe. Si vero ante judicium & fententiam Judicis habuit vim, adeoque fuit perfecta, ad hoc, ut habeat vim, non eft neceffaria fententia Judicis. Ita Pirh. *ad hoc tit. num. 23.* & ex eo Reiffenft. *hoc tit. num. 147.* Sed neque jus fcriptum ullibi hanc conditionem requirit; cum folum requirat, ut confuetudo fit rationabilis, præfcripta, inveterata, diuturna *capit. ultim. hoc tit. & l. de quibus ff. de LL.* Et *cap. Abbate de verbor. fignific.* quod communiter opponi folet, dum ibidem dicitur: *ad hoc, ut valeat confuetudo* (intellige, fi ex adverfo negetur confuetudo) *oportet, ut obtenta fit in contradictorio judicio, & judicatum fit, quod erat confuetudo*: non loquitur de confuetudine legali feu præfcriptione contra legem, fed de præfcriptione juris eligendi. Et dato, quod loqueretur de confuetudine legali, folum probat confuetudinem ex allegatis a parte adverfa non effe fufficienter probatam, dum lite fuper confuetudine in judicio contradictorio mota, pro ea non fuit data fententia; non tamen probat, iftiufmodi fententiam effe neceffariam, ad hoc, ut confuetudo obtineat, & vim habeat. Quinimo, ut bene ait Caftropal. ne quidem probat, fententiam illam neceffariam effe ad probandam confuetudinem; cum probatio confuetudinis præfupponatur ad illam fententiam. Sed neque contrarium elicitur ex *l. de confuetudine ff. de LL.* ubi cavetur, quod dum allegatur confuetudo, primo infpiciendum fit, an in contradictorio judicio firmata fit. Nam non dicitur per hoc, quod exploratum fit, an confuetudo vi datæ fententiæ in contradictorio judicio inducta fit; fed dum firmata fit (intellige firmitate aliqua extrinfeca) quod non negamus. Et hoc nequidem, ut Caftrop. de neceffitate, fed utilitate; quia maximè prodeft ad probandam confuetudinem talis fententia; cùm ex hac probatione releveretur allegans ab onere probandi confuetudinem, ut Caftropal. *loc. cit.* citans Donell. *l. 1. commentar. cap. 10.*

CAPUT SECUNDUM.

De Causa Consuetudinis,

QUÆSTIO CCCLXXXI.

An actus, per quos inducitur consuetudo, debeant esse boni & honesti.

1. Resp. primo. Id non requiri, sed potest induci consuetudo juris jam constituti abrogativa mala fide, seu per actus ab initio malos & prohibitos per legem (intellige humanam, secus enim est de actibus ab intrinseco malis seu contrariis legi naturæ aut divinæ) ita cum communi Suar. *loc. cit. num.* 25. & *cap.* 1. *num.* 12. Salas *dis.* 19. *s.* 9. De Lugo *de Justit. disp.* 5. *s.* 6. *num.* 96. Sanch. *de matrim. disp.* 4. *num.* 14. Pirh. *hoc tit. num.* 43. &c. Ratio est, quod illi actus non concurrant tanquam causa ad inducendam consuetudinem abrogativam legis, sed solum ut indicium taciti consensus Principis vel juris, per quem lex abrogatur. Neque hic consensus est malus, licet subditorum agentium contra legem actus, quibus legislator inducitur ad præbendum illum consensum sint mali, quia prohibiti per legem; non enim annuit illis ut mali sunt, sed ut signum sunt magni desiderii in populo carendi ista lege. Quia non vult legislator aut etiam jus cum illa resistentia obligare. Quin & Principem iniquum non esse, annuendo iniquæ subditorum voluntati, & propter hanc consentiendo in abrogationem legis justæ & honestæ, ex eo patet, quod etiam per expressam voluntatem honestissime abrogare possit legem honestam intuitu actus mali tanquam conditionis; dum nimirum videt, eam legem per accidens esse occasionem gravium peccatorum. Tam etiam quod resultat ex actibus illis malis bonum est, nempe ut similes actus sine malitia fiant abrogata lege. Neque denique ipsi illi actus in se mali, quia prohibiti, mali sunt ex fine suo extrinseco, qui est & esse debet sublatio obligationis legis; siquidem velle a se tollere obligationem legis, ex se malum non est.

2. Resp. secundo. Quinimmo, ut consuetudo abroget legem, tanquam conditio, saltem ordinarie, requisita, necessarium est, ut actus sint mali, quia requiritur, ut actus sint facti cum scientia legis, & animo agendi contra legem ex motivo hoc tollendi legem. Quod motivum etsi, ut jam dictum, honestum sit & honeste intendi possit, transgressio tamen legis & voluntas agendi contra legem ob motivum illud in se honestum mala est, quia habet objectum materiale prohibitum. Dixi *saltem ordinarie*. Quia docet D. Thom. posse quandoque abrogari legem per actus frequentatos bonos, dum nimirum occurrente aliqua necessitate particulari, homines incipiunt sine culpa non servare legem, ac postmodum recurrente sæpius hac necessitate, continuant non servare legem. Verum id non placet Suarez eo quod dum quis operatur ex epiikeja ob aliquam occurrentem necessitatem, non operetur contra legem (multoque minus ea voluntate agendi contra legem, ut eam hoc modo tollat) & consequenter non destruat legem. Neque etiam tales actus dent jus, ut cessante tali necessitate possit quis operari contra legem.

3. Resp. tertio. Habent hucusque dicta locum non solum in consuetudine, quæ inducitur via conniventiæ, seu sciente & permittente Principe, ut volunt Laym. *Theol. Mor. l.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. & 21. Pirh. *hoc tit. num.* 44. Sed etiam in consuetudine, quæ inducitur via præscriptionis, seu ignorante Principe. Siquidem consuetudo hæc non dicitur præscripta ex eo, quod in omnibus imitatur præscriptionem veram, ut dictum supra. Quinimo per hoc ipsum, quod inchoari possit mala fide, distinguitur a præscriptione. Unde jam non solum posteri eorum, qui primi transgressi sunt legem mala fide, operantes non amplius mala sed bona fide, quia existimare debent, & in dubio præsumere possunt, antecessores suos habuisse justam causam non servandi legem; sed & illi ipsi primi transgressores consuetudinem inchoare possunt.

4. Resp. quarto. Actus inductivi novi juris consuetudinarii, seu consuetudinis præter legem non possunt esse mali ex objecto suo materiali. Patet, quia eo ipso quod mali sunt ex objecto sunt contra legem aliquam, adeoque frequentati parere non possunt nisi consuetudinem abrogantem illam legem. Dixi *ex objecto materiali*; quia actus depravati ex fine aliquo extrinseco malo inducere possunt consuetudinem præter legem, seu obligationem ad eos deinceps exercendos, absque tamen fine illo extrinseco malo v. gr. dum jejunatur diebus Mercurii, ut id in obligationem deducatur, miscetur tamen motivum aliquod vanæ gloriæ.

QUÆSTIO CCCLXXXII.

An actus inductivi consuetudinis tam præter, quam contra legem debeant esse voluntarii.

1. Resp. primo. Affirmative Suar. *de LL. l.* 7. *c.* 12. *num.* 1. Castrop. *l. c.* §. 3. *num.* 11. cum communi & certa. Causa enim consuetudinis, unde ea totam vim suam habet, est tacitus consensus & conventus populi *l. de quibus ff. de LL.* & *l. sed & ea ff. eodem* & licet requiratur consensus quoque Principis, si populus superiorem habet, quem populus frequentatis suis actibus, quasi tacite petit a Principe ad inducendum jus consuetudinarium seu non scriptum, supponit tamen consensus ille Principis consensum populi, utpote a quo incipit jus consuetudinis, & cui Princeps quoad hoc morem gerit, dum non vult consuetudinem obligare vel deobligare, priusquam populus velit eam induci, & per illam obligari vel deobligari, Sed hunc consensum indicare aut etiam constituere nequeunt actus, nisi voluntarii: cum consensus sit actus voluntatis liber. Hinc infero &

2. Resp. secundo. Actus ex errore vel ignorantia facti parere non possunt consuetudinem. Abb. *in c. ult. h. t. num.* 12. Castrop. Suar. *LL. cit.* cum communi & juxta Gloss. communiter receptam *in cit. cap. ult. v. legitime præscripta*. Error siquidem tollit liberum consensum, actusque facti ex ignorantia sunt non voluntarii, & nihil magis est voluntati contrarium; quia errantis nullus est consensus *l. non idcirco C. de Jur. & facti ignorant* & non consentiunt qui errant *l. si per errorem ff. de jurisdict. omn. Jud.* Et sic in specie actus frequentati a populo ex errore & ignorantia circa legem, quia putat erronee, se vi legis latæ teneri ad tales actus exercendos vel omittendos, nunquam per eos inducitur jus novum consuetudinarium, seu consuetudo præter legem. Hinc, si populus ex errore putans, se ad aliquid obligari, per decem aut plures annos certo die observaret jejunium, nulla tamen per hoc induceretur consuetudo præter jus seu obligatio. Sic si populus consuevit non extrahere frumentum; quia putat erronee per legem id sibi prohibitum; non inducit Consuetudinem obligantem; quia non abstinuit ab illa extractione animo inducendi consuetudinem, sed animo observandi, quam sibi latam existimabat. Sic etiam (quod exemplum affert Pirh. *h. t. num.* 25.) qui emisit professionem religiosam invalide, dum putans suam professionem esse validam, longo tempore exercet actus proprios professorum, ad quos putat, se vi professionis suæ obligari, nunquam per illos reddit professionem suam validam, aut sibi inducit obligationem; quia nemo potest vel etiam censetur velle ratificare, seu validum reddere, quod ignorat esse invalidum. Idem cum non possit lex abrogari, quæ non est, populus quotumcunque erronee putans legem latam esse, velit illam suis actibus eam violare, animo excutiendi a se obligationem, nunquam generabitur consuetudo contra legem. Idem est, dum populus reipsa frequentatis actibus agit contra legem revera existentem, putans, tamen se per eos agere conformiter legi, aut nullam a se legem violari. Neque his obstat *l.* 33. *ff. de LL.* communiter in oppositum afferri solita, ubi dicitur: *quod non est ratione inductum, sed errore primum, dein consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet.* Nam illius legis sensus non est hic, ut vult Bartol. *in l.* 33. *ff. de LL.* & *l.* 2. *quæ sit long. temp. consuetudo n.* 21. quod consuetudo, sed per errorem inducta valida sit in sua materia, non tamen extendenda ad casus similes: sed, omissis aliis, quos dant Castrop. *loc. cit.* Laym. &c. ille, quem ex Suar. *l. c. n.* 8. suggerit Pirh. *l. c.* nempe quod talis consuetudo non obtinet in similibus, seu cognito errore non pariat, seu non relinquat post se jus ad exercendos similes actus illis, qui antea per errorem quasi ex consuetudine, quæ legitima putabatur, exercebantur. Cum hæc interpre-

pretatio neque absurdum contineat, nec vim verbis faciat. Quo etiam spectat, quod ait Castrop. *loc. cit.* nempe, quod licet durante errore & ignorantia, intelligatur seu videatur consuetudo habere vires, errore tamen & ignorantia sublatis tota corruat. Ulterius infero &

3. Resp. tertio: Actus per vim vel gravem metum extorti in populo per longum tempus apti non sunt ad inducendam consuetudinem. Suar. *cit. c. 12. in fine*, & *c. 18. num. 8.* Castrop. *cit. §. 3. num.* 10. Pirh. *num.* 27. *&c.* communiter. Nam vis & exactio proprie dicta, & ab extrinseco illata tollit voluntarium, adeoque & liberum consensum necessarium ad inducendam consuetudinem. Metus autem gravis, etsi solum causet involuntarium secundum quid, & relinquat actum simpliciter voluntarium, ex eo tamen adhuc impedit introductionem consuetudinis; quod actus facti ex solo timore, ita ut eo absente nullatenus fieret, non sunt, nec moraliter præsumi possunt, facti animo inducendi consuetudinem seu jus & obligationem ad similes deinceps faciendos, sed potius animo evadendi malum, quod intentatur; ac consequenter esse non possunt sufficiens indicium consensus populi in talem consuetudinem, aut etiam Principis, quippe non volentis subditos per injustum metum cogi ad similes consuetudines inducendas.

QUÆSTIO CCCLXXXIII.

Num actus inducentes consuetudinem debeant procedere ex intentione inducendi consuetudinem.

RESP. Affirmativè, nempe ex intentione inducendi novam obligationem seu jus novum non scriptum, dum est consuetudo præter legem; vel abrogandi legem scriptam & obligationem antiquam, dum est consuetudo contra legem. Gloss. *in c. ult. h. t. v. legitime sit præscripta.* Abb. *ibid. num.* 17. Suar. *l. c. c.* 14. *n.* 6. Sa *v. consuetudo num.* 3. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 18. *q.* 5. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p. ult. §.* 3. *nu.* 19. Castrop. *l. c. num.* 22. citans plures alios. Siquidem actus agentium non operantur ultra eorum intentionem *l. non omnis ff. de reb. cred. cap. final. de præbend.* & sicut de ratione legis in genere est, ut feratur animo seu cum intentione obligandi, & si est lex derogatoria prioris legis, ut feratur cum intentione deobligandi, ita etiam ut consuetudo vim legis novæ non scriptæ habeat, aut etiam vim abrogandi legem, debet induci ab iis, qui eam inducere possunt, ex dicta intentione; eum, quod est de ratione legis in genere, seu prout comprehendit scriptam & non scriptam, est quoque de ratione legis comprehensæ sub illo genere, nempe consuetudinis. Dixi debere adesse intentionem inducendi obligationem novam vel tollendi antiquam. Possunt siquidem actus procedere animo inducendi consuetudinem non obligatoriam aut deobligatoriam hoc vel illud faciendi vel omittendi. V. g. ex devotione, gratitudine, urbanitate. Qualiter inducta consuetudo salutandi B. Virginem ter in die ad pulsum Campanæ; sumendi cineres in die cinerum &c. item dum populus multo tempore consuevit alicui Principi exhibere obsequium aliquod vel donarium. Vel etiam possunt procedere illi actus contra legem, populo non intendente per eos eam abrogare, sed tantum ut depravatæ voluntati satisfaciant. Ubi tamen illud notandum, requiri, ut toto tempore requisito ad consuetudinem legitime præscriptam ea continuata fuerit animo inducendi obligationem vel deobligationem, tametsi cæpisset (intellige occasionaliter) ex devotione, non computando tamen actus illos ex devotione factos, sed faciendo initium ab iis qui exerciti animo ducendi obligationem. Ita Suar. *l. c. c.* 14. *n.* 6. Azor. Castrop. *l. c.* Menoch. *de arb. l.* 2. *centur.* 5. *casu* 494. *n.* 4. Molin. *de Just. tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 77. Pir. *n.* 28. Porro ad dignoscendum, cum consuetudo inducta sit animo inducendi obligationem, vel solum ex devotione, liberalitate &c. ipsi actus, quia de se indifferentes sunt, ut fiant ex obligatione vel ex devotione, non sufficiunt. Proinde ad prudens arbitrium, quo id examinatis omnibus circumstantiis dijudicetur, recurrendum, ait Castrop. *l. c. n.* 33. Hujus tamen judicii faciendi conjecturas quatuor assignat Suar. *l.* 7. *de LL. c.* 15. *nu.* 13. quarum prima est, si consuetudo sit rei gravis ac difficilis communiter servata a populo; quia non solet populus uniformiter convenire in istiusmodi actibus, nisi quando scit se obligatum. Secunda, si viri timorati male sentiant de his, qui non servant consuetudinem, & communiter populus scandalizatur. Tertia, si superiores puniant non servantes illam consuetudinem. Quarta, si materia consuetudinis & illius obligatio multum conferat Reipubl. De cetero in dubio semper præsumendum est, consuetudinem ex devotione, & non ex obligatione inductam. Ita censent Suar. *l. c. n.* 13. Castrop. *cit. n.* 13. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p. ult. §.* 3. *num.* 21. Eo quod, quæ sunt facti & non juris, non præsumuntur, & lex seu obligatio non præsumatur, nisi probetur. Nemo etiam præsumatur, velle sibi imponere obligationem, nisi id manifeste constet, præsertim sub peccato mortali. Unde etiam censet Ariaga, nullam de facto dari (etsi absolute dari possit) consuetudinem legalem præter legem, quæ vi solius consuetudinis obliget sub peccato, sed accedere semper ad consuetudinem vel votum factum a communitate, vel legem aliquam latam a principe. Eo quod moraliter sit incredibile, voluisse majorem partem communitatis talibus actibus imponere sibi tam grave onus, qualis est obligatio, maxime sub peccato gravi & per tempus notabile hanc intentionem non retractasse. Dum vero consuetudo est contra legem, facilius creditur, tales actus cæptos & continuatos animo abrogandi legem; eo quod ad libertatem, quam per talem legem amisit, populus ex natura sua sit proclivior. Unde, dum dubitatur, sitne consuetudo inducta contra legem animo eam abrogandi, recte præsumitur pro parte affirmativa.

QUÆSTIO CCCLXXXIV.

An & qualiter dicti actus debeant esse externi & publici.

1. RESP. primo debent esse externi, quia hic agimus de consuetudine externa & de inducenda vel abroganda, quæ inductio & abolitio non fit per actus mere internos.

2. Resp. secundò. Debent esse publici & notorii ipso facto, hoc est, non clam & in occulto, sed palam & publice facti & frequentati, ita ut in notitiam populi devenire possint. Suar. *l.* 7. *c.* 10. *n.* 5. Castrop. *nu.* 14. Pirh. *h. t. n.* 22. Consuetudo siquidem pro lege suscipitur, & cum non egeat alia a seipsa promulgatione, sequitur, debere esse reipsa manifestam, & quidem majori parti communitatis; cum ab illa majore parte debeat procedere. Quin & ipsi Principi (intellige, dum consuetudo eo sciente & permittente, seu via conniventiæ procedit) si populus sit ei subjectus, utpote cujus consensus requiritur. Adde, quod constare quoque debeat publice illos exerceri quasi ex obligatione seu animo (saltem interpretativo) inducendi consuetudinem præter legem se obligatoriam; cum ut dictum, actibus meræ & liberæ facultatis non inducatur hæc consuetudo. Reiffenst. *h. t. n.* 129. citans gl. *in can. consuetudo dist.* 1. *v. institutum.*

2. Resp. secundo. Non tamen est necessarium, ut actus sint publici notoreitate juris, sive ut sint publicati in judicio per sententiam Judicis, qua parte contradicente sit judicatum consuetudinem inductam esse. Suar. *l. c. cap.* 11. *nu.* 2. Abb. *in c. ult. h. t.* Pir. *h. t. nu.* 23. Neque enim juridica hæc notitia de frequentis actuum esse necessaria probatur ex ratione naturali; cum usus ipso facto notorius seu publicus per se devenire potest in notitiam totius civitatis & Principis, ita ut tam populus vel major ejus pars, quam Princeps tacite consentire censeatur; adeoque tacitus consensus tam populi, quam Principis non minus per actus extrajudiciales publicos, quam judiciales sufficienter colligi & declarari potest. Neque etiam ex jure scripto probari potest, id requiri, ut patet ex dictis supra, ubi an requiratur, ut consuetudo sit approbata in judicio contradictorio.

QUÆSTIO CCCLXXXV.

An & qualiter dicti actus debeant esse uniformes, pacifici, & non controversi.

1. RESP. primo, Debent esse uniformes, hoc est, eadem ratione a majore parte communitatis observati & practicati; quia ex actibus difformiter exercitis & continuatis non intelligitur, quid populus servari velit gl. *in l. cum de consuet. ff. de LL.* Castrop. *cit. §.* 3. *nu.* 14. cum communi. Quo etiam spectare videtur, quod a majore parte fiant animo inducendi consuetudinem obligatoriam & deobligatoriam; si enim a majore parte fiant ex devotione, ab aliis dicto animo inducendi obligationem, non inducetur consuetudo.

2. Resp. secundo. Debent esse exerciti pacifice, & non controversi a majore parte communitatis; non tamen obstat, si pars minor contradicat, & contrarium agat; cujus oppositum est in præscriptione proprie tali. Castrop. *l. c.*

QUÆSTIO CCCLXXXVI.

An requiratur saltem aliqua actuum frequentia tam ad consuetudinem præter legem, quam contra legem, ita ut unus actus ad hoc non sufficiat.

1. RESp. primo requiri saltem aliquam actuum multitudinem seu frequentiam, seu usum aliquoties iteratum videtur certum ex ipsa definitione consuetudinis: *jus moribus constitutum* item ex §. *non scripto inst. de Jure Nat. Gent. Civ.* ubi dicitur: *diuturni mores consensu utentium comprobati*: per *mores* enim ut dictum, *q. 2. h. t.* significantur actus liberi frequentati a populo unde.

2. Resp. secundo non sufficit ad hoc unus actus, nec etiam duo, Suar. *de LL. l. 7. c. 10. n. 13.* Bonac. *d. 1. q. 1. p. ult. n. 32.* Castrop. *cit. §. 3. n. 3.* Pont. *l. 6. de mat. c. 6. n. 1.* Pirh. *h. t. nu. 20.* Sal. *d. 19. s. 8. n. 71.* Crim. *ad l. 1. decret. n. 1665.* & plures alii. Imprimis contra Abb. *in c. ult. h. t. num. 17.* Azor. *Tom. 1. l. 5. c. 17. q. 9. & c. 18. q. 15.* Vallens. *§. 2. h. t. nu. 1.* docentes sufficere actum unum diu continuatum, nempe tempore ad consuetudinem requisito; eo quod is æquivaleat pluribus. Dein contra Mascard. *concl. 424. a num. 16.* Sylv. *v. consuetudo q. 4.* Sa *eod. num. 3.* Less. *l. 2. cap. 7. dub. 14. num. 95.* inclinante in idem Reiffenst. *h. t. n. 120.* & indicante Sanch. *de mat. l. 4. d. 5. nu. 22.* putantes, quod sufficiant actus duo; eo quod bis sit aut ter, dicatur geri frequenter *c. ita nos 25. qu. 2.* item quod generaliter duo actus sufficere solent, dum jura loquuntur in plurali, & certum numerum non determinant juxta *Reg. 40. Juris in 6.* pluralis locutio duorum numero est contenta &c. Et quia consuetudo judicialis per duas sententias conformiter latas intra decennium inducitur. Item stylus duobus actibus perficitur. Et hinc de duobus actibus judicialibus, secus de extrajudicialibus, quod consuetudinem perficiant admittunt cum gl. *in l. de quibus ff. de LL. v. inveterata & in l. diuturna ff. eod.* Zasius *tit. de LL. num. 7.* Bartol. *in c. l. de quibus in repet. p. 4.* inquiens: cum Judex authoritate populi sit præpositus, quod facit Judex, totus populus facere videtur & expresse de stylo tradunt Rebuff. *tr. de consuet. a. 2. gl. 13. num. 10. & 17.* Decius *in Rub. de consuet. n. 35. &c.* Ratio responsionis est, quod de ratione consuetudinis vim legis habentis sit, ut sit diuturna, longæva, legitime præscripta, nimirum durans ad minimum per decennium; talis autem esse non possit unico vel duobus actibus intra decennium exercitis, ut patet; sed opus est actuum successione & iteratione. His non obstante citata *reg. juris 40.* cum ad consuetudinem non requirantur plures simpliciter actus, sed tot frequentati actus, ut ex illis possit sufficienter colligi consensus majoris partis populi & Principis, qui certe ex uno alterove actu, saltem semper & universaliter præsumi non potest, ut rectè Azor. *p. 1. instit. mor. l. 5. c. 17. q. 9.* Pirh. *h. t. num. 21.* cum fortè per errorem, vel mali alicujus avertendi gratia unum vel alterum actum permittat populus vel Princeps, non tamen animo, ut per hoc jus novum inducatur, aut antiquum abrogetur. Neque etiam obstante *can. ita nos 25. qu. 1. & l. 3. C. de Episc. audient.* in quibus geminatio actus criminosi vocatur consuetudo. Non enim ibi sumitur consuetudo pro ea, quæ ad legem inducendam vel abrogandam sufficiat (hæc enim in Criminibus non habet locum) sed accipitur consuetudo improprie pro assuefactione criminis, quæ sufficit ad graviorem punitionem criminis. Ita hos textus explicant Suar. *cit. c. 10. n. 3.* Castropal. *n. 5.* post Bartol. *in l. 2. C. quæ sit lon a consuetud.* Neque refert, quod iste unus actus aut duo sint notorie gesti, sciente & non contradicente Principe (prout aliqui limitant responsionem) præterquam enim, quod ex ista scientia & non resistentia Principis præcise non recte inferatur approbatio, si legislator exinde censeatur approbare consuetudinem, jam ea in hoc casu non haberet vim legis ratione sui; cum non sit consuetudo propriè, sed consuetudo solum inchoata; sed haberet vim legis ex approbatione dicta, quæ sicut se sola potest statuere legem, & præexistentiam abrogare, idem efficere potest annexa uni vel duobus actibus. Castr. *nu. 4.* Neque etiam, quod unius alterve actus diu fuerit continuatus. V. g. semel iterumve intra decennium servatum jejunium ad duas vel tres septimanas continuas, etiam animo inducendi obligationem; quia adhuc talis actus de se non est sufficiens ad judicandum animum constantem populi, aut Principis consensum. Neque etiam, quod unus actus diu permaneat. Præterquam enim, quod unus idemque actus liber de quo hic agimus, physice diu multoque minus ad decennium perdurare nequeat. AA. qui id sufficere volunt, intelligendi sunt, non de consuetudine pure legali, sed de præscriptione propria juris seu dominii. Sic enim unica collatione beneficii, cui lis nulla mota est, præscibitur jus in eo beneficio, ut Castropal. *citat. num. 5.* Dixi tamen: *consuetudine pure legali*: Sic enim, dum privatus aliquis vel etiam communitas aliqua v. g. civitas (hæc enim in eo casu se habet ut persona singularis) contra legem vetantem flumini publico inædificari molendinum aut pontem, id facit nemine contradicente, acquirit jus deinceps ibidem ædificandi molendinum vel pontem atque ita per unum illum actum tollit a se obligationem dictæ legis; non tamen dici potest id factum vi consuetudinis, nec inde inductam consuetudinem pure legalem ædificandi molendinum. Quod si autem id facerent plures civitates seu communitates diversis temporibus intra decennium constituentes unam provinciam animo tollendi a se dictam obligationem non ædificandi, jam vere videtur induci consuetudo contra legem, sed forent plures actus. Idem fere est, dum clerico sæculari confertur beneficium regulare contra legem id vetantem; vel e contra regulari seculare, & is illud per 40. annos quietè possideat, non inducitur consuetudo contra legem conferendi sæculare beneficium regulari manens tale; quia hoc ipso censetur tale beneficium sæculare. Neque refert, quod actus isti unus aut alter sint judiciales. Suar. *cap. 11. num. 12.* Castrop. *num. 6.* Nam cum actus judiciales de se non faciant jus; quia non procedunt ab habentibus potestatem illud constituendi, non aliter de iis, quam de factis extra judicium est judicandum & loquendum hoc in puncto; ita ut si habeant de cetero requisitam frequentiam & continuationem non sint apti inducere consuetudinem legalem completam. Pari modo loquendum de stylo necessario observando, ait Castrop. qui tamen *nu. 8.* subdit, de stylo curiæ Romanæ Bullis & Decretis Pontificum manifestatu aliter loquendum, nimirum certum esse, quod jus contineat, neque egeat ad sui vigorem diuturnitate juxta *c. quam grave de crimine falsi*. Item *n. 7.* excipit actum judicialem, si is sit a supremo legislatore; eo quod tunc ejus sententia, etsi sit unica, habenda tamen sit loco legis; cum tunc non ratione consuetudinis, sed ratione ejus voluntatis sufficienter manifestatæ vim legis habeat.

3. Resp. tertio. De cetero, cum certus numerus actuum a jure determinatus non sit, rectè dicitur, id relinquendum Judici arbitrandum, ut nimirum is considerata qualitate actuum & personarum eos exercentium, & materia, circa quam versantur dicti actus, dispiciat, an tot talesque fuerint exerciti & continuati actus, & ex illis sufficienter colligi & præsumi possint majoris saltem partis communitatis, uti & Principis (intellige, dum eo sciente inducitur) consensus, cum is aliquando ex paucioribus, quandoque pluribus actibus declaretur pro varia materiarum & occasionum exigentia; ita etiam ut sufficiat singulis annis intra decennium positum fuisse a communitate actum unum v. gr. observationis jejunii, vel diei festi. Ita cum Bartol. *in l. 2. C. quæ sit longa consuetud. num. 12.* Jason. *in l. de quibus ff. de LL. n. 51.* Menoch. *de arbitr. Judic. cas. 81.* Pirh. *h. t. n. 21.* Engels *n. 8.* Reiffenst. *n. 120. juncto n. 122.*

QUÆSTIO CCCLXXXVII.

An & quis consensus populi requiratur ad inducendam consuetudinem.

5. RESp. primo. Dum populus habet potestatem condendi legem vel statutum, requiritur & sufficit tacitus consensus populi, majore saltem illius parte sciente & non contradicente; dum contradicere potest, nec opus est alio consensu, quam communitatis talis liberæ. Abb. *in c. ult. h. t. n. 53.* Laym. *Th. Mor. l. 1. tr. 4. c. 24. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 15.* cum communi. Pars prior patet, ex *l. de quibus* ubi dicitur: *rectissime receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur*: item ubi postquam Jurisconsultus dixisset, inveteratam consuetudinem pro lege non immerito custodiri; rationem addit; *nam cum ipsa leges nos teneant, quia judicio populi recepta sunt, etiam ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, omnes tenebunt* item ex *l. sed & ea ff. de LL.* ad jus siquidem consuetudinis inducendum requiritur consensus ejus, qui potest legem condere juxta citatos textus. Cum enim vera consuetudo pro lege suscipi & custodiri debeat *can. consuetudo 5. dist. 1.* Sicque revera lex non scripta, sine publicæ potestatis, hoc est, legislatoris voluntate induci non potest. Dum autem superiorem non habet populus, & ipse est legislator, consensus ille populi sufficit, quæ erat pars altera responsionis; quia ad inducendam consuetudinem nullius alterius quam legislatoris & populi consensus requiritur. Porro non videtur tunc alius populi consensus requiri quam tacitus & interpretativus,

tivus, quem exercite præbet exercendo actus animo jus novum inducendi, vel abrogandi antiquum.

2. Resp. secundo. Dum populus non habet potestatem ferendi leges, sed habet Principem, adhuc ejus consensus necessarius est ad inducendam consuetudinem proprie talem, hoc est, obligantem & deobligantem in vi consuetudinis, & non solum modo ex voluntate principis; hac enim ratione non tam consuetudo vera, quam jus seu lex condistincta a consuetudine induceretur. Adde, quod necessario, ut constat ex antecedentibus, requiratur ad consuetudinem, ut actus eam inducentes exerceantur a populo animo inducendi vel tollendi obligationem, qui animus est ipse populi consensus.

QUÆSTIO CCCLXXXVIII.

An & qualiter requiratur consensus Principis.

1. RESp. Tametsi requiri aliquem consensum Principis seu legislatoris, juxta jam dicta indubitatum sit. Non requiritur tamen consensus Principis personalis & particularis, quo is hic & nunc consentit expresse, vel antecedenter dando licentiam ad inducendam consuetudinem, vel concomitanter, vel consequenter eam approbando, vel etiam tacite, dum sciens populi mores seu actus non impedit seu prohibet, sed tolerat cum impedire posset & prohibere. Sed sufficit consensus generalis & legalis juridicus, qui non immediate & personaliter hic & nunc, dum consuetudo aliqua inchoatur aut perficitur, a Principe sed per jus ipsum scriptum a Principe ejusve Antecessoribus alias conditum datus intelligitur hoc ipso, quod jure communi civili & canonico (puta *c. fin. h. t. L. de quibus ff. de LL. L. ult. Cod. quæ sit longa consuetudo*) statutum sit, quod consuetudo affecta certis conditionibus sit valida, & rationem legis, & vim habeat legem alias constitutam abrogandi aut novam inducendi. Consentit enim tunc Papa, Imperator vel Princeps hoc ipso in omnes particulares consuetudines legitime inductas. Ac proinde lex abrogari potest, & nova induci per legitimam consuetudinem, hic & nunc eam ignorante Principe seu legislatore. Ita Abb. *in c. ult. h. t. num.* 13. Roch. de Curte *de consuetud. §.* 4. *num.* 44. Suar. *de LL. l.* 7. *c.* 13. *a num.* 6. Sanch. *de mat. L.* 7. *d.* 4. *num.* 11. & 14. Bonac. *d.* 1. *quæst.* 1. *part. ult. §.* 3. *num.* 32. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 18. *qu.* 1. Laym. *Theol. Mor. L.* 1. *tract.* 1. *cap.* 24. *num.* 2. Castrop. *tract.* 3. *d.* 3. *p.* 3. *§.* 5. *num.* 3. Reiffenst. *h. t. num.* 139. Pirh. *h. t. num.* 16. dicens esse communem Jurisperitorum. Contra gl. *fin. in c. ult. h. t.* Federic. de Senis *cons.* 17. *num.* 3. Sperell. *fori Eccles. decis.* 133. Pagn. *in c. utrum autem, n.* 18. *de cognat. spirit.* citans decis. Rot. *in Rom. Concord. S. Petri coram Cavalerio*, Pont. *de mat. L.* 6. *cap.* 6. *num.* 7. Vasq. 1. 2. *d.* 177. *cap.* 2. & 3. quorum aliqui censent, consuetudinem contra legem non valere, nisi sit inducta ex certa scientia illius, qui posset expresse tollere legem. Alii generaliter docent neque consuetudinem contra legem, neque præter legem posse induci sine hac scientia. Quamvis etiam eorum aliqui, & in specie Sperell. & Pagnan, ut ostendit Reiffenst. *n.* 141. citatæque ab eo decisiones loquantur de consuetudine, cui jus resistit eam reprobando, adeoque potius dicenda sit corruptela, utpote ad quam inducendam, quia deficit consensus juridicus seu generalis per legem communem præstitus, opus est expresso consensu, puta, concesso per speciale privilegium postea continuo practicatum, intellige, dum alias vitium talis consuetudinis purgari potest. De cetero fundamentum adversariorum est, quod consuetudo sit species juris, habeatque vim legis, adeoque aliter quam cum scientia & authoritate ejus, qui potest legem condere, nequeat induci, multo minus lex tolli; cum inferior non possit tollere legem superioris absque ejusdem scientia & consensu juxta *Clem. ne Romani §.* 2. *de elect.* Verum hæc ipsa ratio non satis diluta in ipsa responsione, ubi ostensum, qualiter revera Principis authoritas & consensus interveniat, non quidem præstitus in particulari hic & nunc, dum hæc vel illa in particulari consuetudo inducitur inchoative aut completive, sed antecedenter per legem conditam & scriptam satis declaratus, qui non minus est efficax, quam si per se immediate velit seu consentiat Princeps; & consequenter etiam, qualiter consuetudo vires suas non habeat a potestate (saltem sola & principaliter) subditorum, sed a fomento juris & authoritate legislatoris, qua nixos subditos, mirum non est, posse tollere legem aut novam non scriptam inducere; etsi non possit de cetero legem scriptam condere, aut etiam per legem a se de novo conditam abrogare; cum quo ad hoc destituti sint authoritate & consensu legislatoris. Proinde jam, cum dictus consensus legalis ex natura rei sit sufficiens ad consuetudinem utramque inducendam, neque de jure positivo aliud ad eam requiratur; quam ut sit rationalis & præscripta, sine fundamento requiritur scientia & hanc consequens consensus tacitus vel expressus Principis. Et certe si hæc scientia specialis requireretur, vix unquam, ut bene Pirh. vel rarissime leges canonicæ per consuetudinem poterunt abrogari; cum ipse Pontifex *c.* 1. *de const. in* 6. fateatur, se speciales locorum consuetudines ignorare.

2. Quod autem æque jus novum constitui possit quam antiquum abrogari absque dicta scientia & speciali consensu Principis, non obstante, quod videatur non tam facile concedi populo potestas illa inducendi jus novum, quam tollendi antiquum, utpote quæ est aliqua usurpatio jurisdictionis, quæ populo (saltem in causis ecclesiasticis) non competit, sed reservata Prælatis, secus ac contingit in abrogatione legis, utpote quæ non fit directe potestative & via jurisdictionis tollendo obligationem legis, sed indirecte, sive via præscriptionis eximendo se a legis observatione. Id inquam his non obstantibus, specialiter probatur ex eo, quod licet jure canonico *in cit. c. ult. h. t.* consuetudini rationabili & legitime præscriptæ expresse solum attribuatur potestas abrogandi legem; non autem inducendi novam legem non scriptam; quia tamen ejusdem est solvere ac ligare, ac proinde non minor potestas requiratur ad legem antiquam abrogandam, quam ad inducendam novam recte dicitur, constitutionem illam juris canonici etiam comprehendere consuetudinem novi juris constitutivam & ob paritatem rationis ad illam extendendam esse; adeoque, si ad consuetudinem abrogativam legis non requiritur scientia & specialis consensus Principis, neque illum requiri ad consuetudinem novi juris constitutivam. Præsertim cum per abrogationem legis antiquæ magis videatur derogari voluntati & authoritati Principis, quam per inductionem legis, & consequenter magis ad illam quam ad hanc necessarius videtur consensus ille specialis Principis. Ita Pirh. *n.* 18. dicens, id probabile esse, ac citans pro hoc Suar. *cit. c.* 13. *n.* 9. Sanch. *de mat. d.* 4. *n.* 11. & 14. quamvis ipse *n.* 17. videatur amplecti sententiam oppositam.

3. De cetero ad consuetudinem tam novi juris inductivam quam veteris abrogativam, dum ea non procedit via præscriptionis, requiri scientiam & consensum Principis specialem, quidem expressum, dum res gravis est, alias saltem tacitum, dum res levis est, tenent Suar. *l. c. n.* 11. & 12. Pirh. *num.* 19. eo quod ad consuetudinem necessario requiratur aliquis consensus Principis; dum autem consuetudo non est legitime præscripta, non datur consensus ille virtute legis alicujus, seu deficit consensus juridicus & legalis; quia neque lex canonica, neque civilis approbat consuetudinem, nisi sit præscripta seu diuturna & longæva, adeoque opus sit consensu speciali, saltem tacito, qui explicatur per scientiam & patientiam Principis, non simpliciter permissivam (multa enim tolerantur, quæ non approbantur, *c. cum jam dudum, de præb.*) sed approbativam, de qua constare possit ex usu & circumstantiis. ita AA. iidem.

QUÆSTIO CCCLXXXIX.

An quibus induci possit consuetudo vim legis habens.

1. RESp. primo. Induci nequit ab una persona, etiamsi ea potestatem habeat legislativam. Suar. *de LL. l.* 7. *c.* 33. Roch. *de Curte, tr. de consuetud. in præfat. n.* 16. & 22. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 3. *num.* 1. id certum dicens. Consuetudo enim requirit consensum plurium & convenientiam in actibus; & legislator non censetur imponere legem subditis ex eo, quod ipse hoc vel illo modo constanter operetur. AA. iidem. Neque ex eo hoc infertur, quod persona privata consuetudine se possit eximere ab obligatione legis. Sicut vi *c.* 1. *de præscrip.* obligatus in correctione subditorum procedere ex consilio capituli, potest se, ut constat ex *c. non est de consuetud. in* 6. eximere ab hac obligatione consuetudine, seu sæpius agendo contra dictum *c.* 1. Nam ut tradit Castrop. *l. c.* non est hæc exemptio directa a lege, qualis requiritur ad consuetudinem legalem contra legem, sed solum indirecta, quæ contingit per sublationem materiæ, nempe juris Capitularium. Quod hi vi *cit. c.* 1. habebant ad hoc, ne sine suo consilio procederet Episcopus ad correctionem subditorum; adeoque non nisi per præscriptionem proprie dictam, quæ dari potest a propria persona, per quod ipsum dictum est supra differre præscriptionem proprie dictam a consuetudine.

2. Resp.

2. Resp. secundo. Neque etiam communitas aliqua imperfecta. V. g. familia privata potest inducere consuetudinem legalem; eo quod licet capax sit præcepti lati pro recta domus ordinatione a Patre familias exspirantis morte præcipientis, non tamen capax est legis (qualis est consuetudo) utpote quæ est præceptum commune perpetuum durans etiam post mortem legislatoris: ita AA. cit. quam quoque certam dicit Castrop. *num.* 2. Argum. L. *de quibus* & *L. sed ea*, *de LL.*

3. Resp. tertio. Communitas perfecta, puta Respublica, provincia, Regnum superiorem non recognoscens, utpote potens ferre legem scriptam, potest inducere consuetudinem, quæ pro lege suscipitur. Illud enim potest communitas per tacitum consensum, quod potest per expressum, neque refert suffragio voluntatem suam declaret, an rebus ipsis. Habetque se talis populus seu communitas instar supremi Principis in tali Republica; adeoque sicut habet absolutam potestatem ferendi legem scriptam, ita etiam non scriptam.

4. Resp. quarto. Communitas perfecta recognoscens superiorem, etsi potestatem non habeat condendi leges vel statuta, potest tamen inducere consuetudinem vim Legis habentem. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *ar.* 3. *ad* Suar. *loc. cit. cap.* 9. *num.* 12. Salas, *de LL. d.* 19. *s.* 6. *num.* 59. & *s.* 11. *nu.* 90. Castrop. *loc. cit. num.* 4. Pirh. *h. t. num.* 8. & alii passim hanc ponentes regulam: quod communitas, cui lex imponi potest, possit etiam ipsa inducere consuetudinem vim legis habentem. Eo quod licet talis communitas actu non habeat potestatem condendi leges, est tamen capax, cui ista potestas condendi statuta & veras leges ex privilegio concedatur. Unde mirum non est, quod actu competit illi potestas inducendi leges non scriptas, vel tollendi per non observationem leges scriptas, accedente consensu Principis; cum tunc communitas talis non inducat consuetudinem authoritate præcise propria seu legem consuetudinariam ut suam, sed ex consensu Principis, qui consuetudini rationabili & præscriptæ talis communitatis capacis legis recipiendæ applicatus est per legem & de jure communi. AA. iidem. Hinc jam communitas Clericorum inferiorum Papa potest inducere consuetudinem contra Canones, *cap. ult. h. t.* licet non possit ferre legem vel statutum contra Canones, *c. institutionis*, 7. *cap.* 25. *quæst.* 2. Suar. *cit. cap.* 9. *num.* 9. Pirh. *num.* 10. Item communitas Laicorum potest inducere consuetudinem etiam in materia spirituali, & ad divinum cultum spectante, quæ vim legis habeat, v. g. obligantem ad jejunium, ad celebrandum festum, mediante dicto consensu legali Papæ aliorumque Prælatorum ecclesiasticorum. Et contra communitas laicorum etiamsi perfecta, non potest inducere consuetudinem contra legem immunitatis ecclesiasticæ, non tantum in personis, sed etiam in bonis ecclesiasticis, omniaque acta, quæ fundantur in prætextu talis consuetudinis sunt nulla, imo & injusta; dicta enim exemptio & communitas tollit ecclesiasticis passivam capacitatem obligationis a jurisdictione Laica qua tali; consuetudo autem, ut obtineat vim legis novæ, aut etiam veterem abrogandi, requirit in eadem communitate, a qua inducitur, passivam capacitatem obligationis ab eo, a cujus consensu pendet in obtinenda vi legis. Ex qua ratione jam etiam sequi videtur, non posse laicos sua consuetudine eximere clericos ab oblatione clericis qua talibus imposita, neque e contra. Et generaliter unam communitatem non posse deobligari consuetudine alterius communitatis; tum etiam, quia actus unius communitatis distinctæ non pertinent ad aliam. Suar. *L.* 7. *c.* 9. *n.* 11. & *c.* 16. *num.* 9. Castrop. *cit. p.* 3. *num.* 6. & apud hunc Bonac. Sal. &c. Dixi communitatis distinctæ; quia dum laici & clerici constituunt unam communitatem, nempe civitatem, qua cives sunt, inducere possunt consuetudinem in materia Clericis non propria obligantem etiam Clericos, v. g. circa jejunia & festa observanda Suar. *cit. c.* 16. *num.* 12. Castrop. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 56. contra Palud. cui favere dicitur Salas. Quod etiam videtur verum, Clericis, dum hi efficiunt minimam partem civitatis, non consentientibus.

5. Resp. quarto. Major pars communitatis potest suo consensu inducere consuetudinem tam contra quam præter legem, absque eo, quod necesse sit, duas partes populi seu communitatis consentire consuetudinem observando, vel etiam scire illam induci, prout voluit Abb. *in c. fin. h. t. num.* 58. ex L. *nulli* & L. *plane ff. quod hujusque universit. nomine*, quia id gratis asseritur; quia nullo jure comprobatur. Suar. *loc. cit. num.* 13. & 14. Pirh. *num.* 14. Crimer. *nu.* 1725. cum communi. Siquidem citati textus solum loquuntur de necessaria præsentia duarum partium communitatis cujusque, ut actor qui illius nomine experitur in judicio constituatur. Quamvis & tunc non sit necessarium, ut illæ duæ partes consentiant, sed sufficit consensus majoris partis præsentium, ut ait Pirh. *loc. cit.* secutus gl. *in cit. c. nulli v. duæ partes*. Ubi etiam, quod cum in diuturna consuetudine fere totus populus sit præsens, duarum partium præsentia desiderari possit. Si autem quandoque & alibi in jure requirantur duæ partes communitatis, id fere speciale est quibusdam electionibus non extendendum ad consuetudinem. Unde jam etiam ex eo, quid sufficiat major pars, sequitur, adhuc induci consuetudinem etsi minor pars resistat & contradicat. Uti etiam ex eo, quod major illa pars requiratur, sequitur, quod Domini, qui titulo inductæ consuetudinis cogunt subditos ad onera quædam, quæ ipsi vel majores eorum induxerunt sine consensu majoris partis communitatis, quam gravant, inique agant; cum justitiæ fundamentum, quod ponunt in consuetudine, sit nullum ex defectu consensus majoris partis (etsi forte pars aliqua minor consensisset libere) qui certe consensus ex præstitis tot annis istis oneribus præsumi non potest, dum coacti & sæpe interposita reclamatione, qua non obstante, metu pœnæ, carcerum & graviorum malorum tacere compulsi, & sine ullo animo inducendi per hoc obligationem, oppressiones hujusmodi, destituti omni ope Judicum toleraverunt.

6. Porro majorem partem communitatis computandam ex iis personis, quæ habiles sunt ad consensum præstandum consuetudini introducendæ. Quales non sunt amentes, infantes; quia consuetudo non nisi ex moribus seu actibus humanis & moralibus inducitur, tradunt Abb. *in L. fin. h. t. num.* 18. Bartol. *in L.* 2. *C. quæ sit longa consuet. n.* 13. quos citat & sequitur Pirh. *n.* 14. Quin & cum Bartol. ait idem, non esse computandus minores 25. annis; eo quod in lege condenda non habeant perfectum suffragium. Arg. *L. ad remp. ff. de muner. & honor.* & *L. Spuriis, ff. de decurionib.* ac denique etiam mulieres, circa quas tamen specialis sit

QUÆSTIO CCCXC.

An mulieres inducere possint consuetudinem.

1. RESP. primo. Mulieres, v. g. moniales possunt inducere consuetudinem contra leges seu per desuetudinem & non observantiam eximere se a legibus sibi impositis; quia sunt capaces ad minimum legis recipiendæ. Suar. *l. c. nu.* 15. Salas *d.* 19. *s.* 15. *n.* 91. Bonac. 1. *q.* 1. *p. ult. n.* 53. Castr. *p.* 3. *n.* 6. Reiffenst. *h. t. num.* 115.

2. Resp. secundo. Videntur quoque communitates seu collegia mulierum tam sæcularia quam regularia, v. g. pro omnibus totius Ordinis vel alicujus provinciæ Monasteriis, vel etiam pro aliquo speciali monasterio posse inducere consuetudinem præter legem, seu habentem vim novæ legis non scriptæ, accedente nimirum consensu tacito Principis (intellige, si non legali præstito in vi legis alicujus, saltem tunc exhibito per viam conniventiæ approbativæ, dum inducitur consuetudo) Bartol. *in L. consuetudinis. C. de consuetud. n.* 13. Suar. *cit. c.* 9. *num.* 10. & 11. Reiffenst. *h. t. num.* 114. *in fine.* Wiestner. *n.* 10. Pirh. *n.* 14. *in fin.* Quamvis hic limitate loqui videatur, dum ait: si longo tempore actum aliquem frequentaverunt. V. g. ut in totum primogenitæ succedant; saltem indirecte & per viam præscriptionis, consuetudinem inducere possunt, quæ vim obligandi accipiat, non tam ex consensu mulierum, quam totius populi vel majoris partis illius, qui eam tolerando videtur consentire tacite ac accedente consensu saltem tacito Principis, si populus superiori fuerit subjectus. Contrarium sentientibus Abb. *in L. ult. h. t. n.* 8. Bartol. *in L. lex n. ult.* & Jason. *nu.* 14. *ff. de LL.* Gobat. *Th. experim. tr.* 5. *num.* 570. qui etiam exinde infert, moniales non obligari ex ulla consuetudine ad recitandum breviarium; quia a monialibus utpote fœminis non potest introduci consuetudo obligans sub mortali, ut etiam docet Decius *in reg.* 2. *ff. de reg. jur. num.* 27. *&c.* Quod tamen intelligendum non nisi accedente approbatione superioris, ajunt Suar. *cap.* 9. *nu.* 55. Bassæus *v. consuetudo num.* 6. *&c.* post Bartol. Ratio nostræ responsionis est, ut ad hanc consuetudinem inducendam ab aliqua communitate sufficiat, quod capax sit veræ legis recipiendæ, & non requiratur in ea potestas jurisdictionis & legislativa (etsi ea requiratur in approbante consuetudinem) qua carent fœminæ, prout ex communi tenent Bartol. *in L.* 1. *ff. de LL.* per textum illius, ubi dicitur: lex est commune præceptum virorum prudentum consultum. Patentque hæc ex eo, quod a communitate clericorum possit induci consuetudo contra Canones, quæ tamen non habet potestatem condendi legem adversantem SS. Canonibus. Similiter, quod a communitate laicorum incapace ferendi legem

gem veram induci possit lex non scripta. V. gr. consuetudo jejunandi. Proinde jam ex eo, quod consuetudo legi veræ scriptæ veræ æquiparetur & æquipolleat juxta L. *de quibus, ff. de LL.* non licet argumentari. Nam æquipollent non quoad modum introductionis utriusque; cum lex vera essentialiter supponat in conditore sui jurisdictionem, a qua & in cujus vi procedit; Lex vero non scripta nonnisi capacitatem recipiendæ legis veræ in inductore suo: sed quoad jus & vim obligationem inducendi & tollendi juxta *l. sed & ea, & l. imo ff. de LL.* Neque refert mulieres in monasterio vel quovis alio cætu sociali ab Abbatissis similibusve præfectis, non jurisdictionis, sed œconomica & domestica potestate regi, & ab iis non leges, sed præcepta solum recipere posse; cum subjectæ insuper sint Prælatis aliis ecclesiasticis, a quibus veras etiam leges recipere, ac ita communitatibus perfectis accenseri valeant.

CAPUT TERTIUM.

De Interpretatione seu Extensione, Probatione, Effectu, & Cessatione Consuetudinis.

QUÆSTIO CCCXCI.

An & qualiter consuetudo extendenda ab uno loco ad alium, a personis ad personas, a casu uno ad alium.

1. RESp. primo. Consuetudo legitime inducta contra legem ab uno personarum genere ad aliud, vel etiam ab ejusdem generis, diversæ tamen civitatis personis ab uno loco ad alium, ab uno casu ad alium, tametsi sit par eadem ratio, non est extendenda. Mascard. *de probat. concl.* 423. *nu.* 13. Decius *in cap.* 1. *de prob. num.* 27. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 4. *§.* 1. *num.* 5. & 3. Card. de Luc. *de benef. disc.* 30. *num.* 12. Pirh. *h. t. num.* 51. Reiffenst. *num.* 161. & 162. Consuetudo enim, quæ contra jus est, seu juri communi derogat, hoc ipso odiosa est, & est stricti juris, tantumque de potentia seu jure, quantum de actu & usu habet; ut Bald. *in Auth. qua rem, Cod. de SS. Eccles. num.* 8. Menoch. *retinend. possess. remed.* 5. *num.* 62. adeoque extendenda non est ultra ea, in quibus specifice observata est, sub limitatione tamen paulo post subjicienda. Sic itaque consuetudo specialis hujus vel illius loci contra legem non præjudicat juri universali aut etiam speciali vigenti in alio loco. Ubi tamen illud notandum cum Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 423. *a num.* 12. Pirh. *h. t. nu.* 52. quod consuetudo, quæ viget in civitate plerumque extendatur ad castra & alia loca vicina, quæ in eodem territorio sive jurisdictione sita sunt, & in iisdem etiam observetur; quia sunt loca accessoria & adhærentia civitati. Sic consuetudo deobligans, v. g. tribum mercatorum non deobligat eo ipso tribum aliorum opificum (dum nimirum constituunt diversas quasi communitates, quibus singulis leges imponi possunt) etsi materia utrique tribui alioquin esset accommodata & hoc quidem ea hac generali etiam regula: quod consuetudo non obliget vel deobliget, nisi eam communitatem, cujus moribus inducta. Sic consuetudo non venandi non derogat legi non piscandi. Quamvis tamen etiam consuetudinem contra jus debere extendi de uno casu ad alium similem, & omnino secundum jura æquiparatum, qui quodammodo propter paritatem seu identitatem videtur includi sub priore, & velut pars in toto contineri asserat Pirh. *nu.* 52. citans pro hoc Suar. *l.* 7. *c.* 16. *num.* 14. Abb. *in c. dilecti, nu.* 5. *de arb.* & *ibidem* Laym. *num.* 1.

2. Resp. secundo. Neque consuetudo præter legem dicto modo est extendenda regulariter, non secus ac dictum de lege scripta ob rationes & fere sub limitationibus ibi allatis. Pirh. *loc. cit.* Wiestner *loc. cit.* Reiffenst. *num.* 160. citans Feder. de Senis. *cons.* 91. *num.* 4. Tusch. *lit. C. concl.* 821. ac dicens communem. Licet enim hæc consuetudo non tam odiosa, & ideo non tam stricti juris, quam ea, quæ est contra legem, habet tamen suos limites; & quidem, quod extendenda regulariter non sit ad casum etiam similem, seu extra ea, in quibus specifice obtenta, etsi per actus exercitos ab eadem communitate, ea eo constat, quod, ut dictum, plus non habeat de potentia & jure, quam habet de actu seu usu. Quod ipsum tamen, & quidem a fortiore patitur limitationem immediate ante datam ex Pirh. circa consuetudinem contra legem non extendenda a casu ad casum. Quod vero extendenda non sit de loco ad locum seu a communitate una ad aliam, eadem est ratio, quæ data est in fine *respons. præc.* nimirum quod communitas nullam habens potestatem in alteram communitatem distinctam illam per actus a se exercitos obligare nequeat; quia, ut ait Castrop. *part.* 3. *num.* 6. actus unius ad alteram non pertinent. Et hæc juxta *Can. illa autem, dist.* 12. ubi; quod consuetudo jejunandi die Sabbati vigens Romæ non obliget Mediolani. Item Can. Catholica Ecclesia dist. 13. ubi; quod quælibet Ecclesia regatur suis specialibus consuetudinibus & constitutionibus.

3. Patitur tamen & hæc pars suas limitationes; nimirum dum aliud suadet ratio æquitatis & convenientiæ. Sic in genere, ubi in aliqua certa ecclesia, civitate vel loco non exstat speciale statutum vel particularis consuetudo nihil disponens circa certam aliquam materiam, & in jure quoque nihil habetur circa illam expressum, recurrendum est pro facienda dispositione vel causarum occurrentium decisione ad consuetudinem vicinarum Ecclesiarum, civitatum, locorum. Barbos. *in Collectan. ad c. cum olim h. t. num.* 4. Menoch. *cons.* 312. *num.* 13. Cravet. *cons.* 206. *num* 14. juxta *cap. super eo, de censib.* ubi in subsidium jubetur observari consuetudo vicinarum Provinciarum & *c. super eo,* 3. *de cognat. spirit.* ubi Papa mandat observari consuetudinem Metropolitanæ Ecclesiæ vel aliarum circumpositarum. Sic in specie, si in aliqua ecclesia erigatur nova aliqua dignitas vel officium, de quibus jure communi nihil dispositum est, consuetudo vicinarum ecclesiarum circa eam quoque servanda est, *cit. c. cum olim*, ubi id expressum habetur, & *ibi* Abb. *num.* 4. inde etiam inferens idem esse, quo ad honores deferendos. Laym. *ibidem, num.* 4. Pirh. *h.* 1. *n.* 53. Reiffenst. *nu.* 163. Wiestner. *num.* 59. ubi tamen illud notandum cum Castrop. *tract.* 3. *d.* 3. *p.* 4. *§.* 1. *num.* 3. & Salas, *d.* 19. *s.* 14. *num.* 102. hoc intelligendum, non de obligatione, sed de convenientia & æquitate; quia consuetudo unius communitatis ad aliam authentice non extenditur, non obstante textu, *c. super eo, de cognat. spirit.* ubi videtur præcipi Episcopo, inquirere consuetudinem suæ Metropolitanæ aliarumque circumpositarum ecclesiarum; quia id non videtur injungi ex præcisa obligatione, sed ex æquitate; tum quia illa inquisitio fit ad investigandam consuetudinem propriæ ecclesiæ, quæ ignorabatur; adeoque consuetudo Metropolitanæ aliarumve ecclesiarum vicinarum non obligat suffraganeum; quia est Metropolitanæ vel aliarum ecclesiarum, sed quia præsumitur esse eandem consuetudinem in propria ecclesia, etsi ignoretur. Castrop. *loc. cit.* Suar. *lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 7. dum vero in vicinis locis diversæ sunt consuetudines speciales, in defectu juris communis consuetudinisque particularis, observanda est consuetudo magis rationabilis, minusque aliis præjudicans & nociva, *cit. c. cum olim.* Abb. *ibid. num.* 7. Barbos. *num.* 1. citans alios. Porro in dubio, quænam sit magis rationabilis & minus nociva, attendendum ad consuetudinem propriæ Ecclesiæ Metropolitanæ. *Can. de his, dist.* 12. *c. super eo, de cognat. spirit.* & vel maxime consuetudo Ecclesiæ Romanæ; tanquam matris & capitis omnium ecclesiarum. *Can.* 1. *& seq. dist.* 11. & Magistræ in omnibus sequendæ. *Can. quis, nesciat, dist.* 11. & *Can. omnes, dist.* 22. Quamvis alias, exceptis articulis fidei, illam, ubi præcipit aliquid observandum non universaliter, sequi non teneantur Abb. *in cap. ult. num.* 1. *de reg. jur.* cum *Gl. in c. nolite, dist.* 11. & *c. unic. v. doceat, de summa Trinit.* juxta *c. certificari, de sepult.* & *c. trina, de consecrat. dist.* 4. De cetero ubi adest juris communis dispositio circa talem materiam, ad eam prius recurrendum, quam ad consuetudinem specialem vicinorum locorum; eo quod talis specialis consuetudo, ut dictum, non præjudicet juri communi universaliter, sed solum specialiter pro tali determinato loco, ubi viget. Abb. in *cit. c. cum olim, n.* 7.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXCII.

Consuetudo an, & a quo probanda.

RESp. Consuetudo est ab allegante illam probanda. Mascard. *de prob. concl.* 423. *num.*4. Barbos. *in c. cum dilectus, num.* 16. Paris. *cons.* 31. *n.*14. *vol.* 3. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.*6. *nu.*1. cum communi. Est enim quid facti, *c.* 1. *de const. in* 6. Saltem quo ad introductionem, ea autem quæ consistunt in facto, cum plerumque etiam prudentissimos & peritissimos lateant. *L. in omni, ff. de J. & F. ignorantia*, non præsumuntur, sed sunt probanda. Arg. *c. cum in jure, de off. del. L. in bello, §.* 2. *ff. de captiv. & postlim.* Nav. *in can. placuit, de panit. dist.* 6. *in fine*. Excipitur tamen primo, ubi consuetudo esset notoria; sufficit enim tunc eam allegare. Mascard. *loc. cit. n.* 27. Tiraq. *de præscript. §.* 1. *gl.* 2. Excipitur secundo ubi consuetudo respicit modum & ordinem procedendi in judicio (secus est de consuetudine respiciente ipsam decisionem causæ) eo quod consuetudo hæc servanda in prosecutione litis debeat esse aliunde nota Judici; & si is de ea sit dubius, ipse teneatur se desuper informare. Castrop. *loc. cit. n.* 3. cum Mascard. *loc. cit. n.*33. Decio, Bartol. & aliis. Idem est de consuetudine, quæ vocatur stylus fori & Curiæ; quia hæc pertinet ad Judicem, cui incumbit obligatio ea sciendi, quæ ad rectam officii sui executionem pertinent. Castrop. *nu.* 4. Porro dum dubitatur non de consuetudine, sed de ejus qualitate, an nimirum rationabilis sit & honesta, id discernere, cum non sit facti, sed juris, pertinet ad Judicem. Abb. *in c. fin. h. t. n.* 5. Roch. de Curte *tr. de consuet. S.* 7. *n.* 24. Salas, *d.* 19. *f.* 58. *num.* 108. Castrop. *loc. cit. n* 5.

QUÆSTIO CCCXCIII.

An & cur consuetudo sit difficilis probationis.

RESp. Consuetudinem esse difficilis probationis fatentur omnes cum Gl. *in c. fin. h.* t. Quin & esse difficillimam ejus probationem, ait Abb. *cons.* 53. *n.*2. *l.* 3. imo esse quasi impossibilem dicit Host. *in c. ult. h.* t. eo quod ad ejus probationem necesse sit probare omne id, quod ad ejus constitutionem requiritur; nimirum num a majore parte communitatis, & animo eam inducendi sit inducta, an per tempus legitimum continuoque usu fuerit observata; quod ipsum probare perquam difficile est, præsertim, cum, ut dicitur *§. penult. Inst. de jure nat. gent. & civil.* mores populi valde sint mutabiles ac variabiles. Item quod debeat probari in specie, imo & in individuo, ut ait Card. de Luca, *de feudis disc.* 53 *nu.* 4. Ac denique, quod plene debeat probari, ut Bartol. *in repetit. L. consuetudinis, qu.* 27. *c. quæ sit longa consuetudo*, de quo postremo *quæst. seq.*

QUÆSTIO CCCXCIV.

An & a quo consuetudo probanda plene, & quando probetur semiplene, & quando plene.

1. RESp. ad primum. Ab allegante consuetudinem ea probanda est, quia generale est, quod affirmanti incumbat probatio *l.* 2. *ff. de prob.*

2. Resp. ad secundum. Est plene probanda. Bartol. *loc. cit.* & *in L. de quibus, ff. de LL. n.* 22. Mascard. *l. c. n.* 19. Castrop. *cit. p.* 6. *n.* 6. Crimer. *h. t. n.* 1752. cum communi; quia, ut inquit Castrop. sæpe ex consuetudine pendet causæ decisio. Ubi tamen de consuetudine non ageretur principaliter; sed incidenter & secundario, sufficere videtur semiplena probatio. Mascard. *num.* 6. Castrop. *loc. cit.*

3. Resp. ad tertium. Non probatur semiplene unico teste, ita etiam, ut in hac parte deferri nequeat juramentum suppletivum. Mascard. *n.* 21. Castrop. *n.* 7. cum Bald. &c. Cum enim consuetudo, utpote consistens in facto, consensu nimirum populi &c. allata cognitio unius solius de ea eo ipso suspecta censetur, & testimonium fallax. Castrop. Neque sufficit unus testis, si agatur de consuetudine vigente in alio loco, quam in quo degit testis. Castrop. *loc. cit.* contra Mascard. eo quod, nisi adsint alii testes de loco, in quo viget consuetudo, a fortiore censeatur cognitio absentis suspecta. Quod si tamen ageretur de probanda consuetudine valde antiqua; quia tunc vix esset, qui illius recordetur, unus testis juratus semiplenam constituit probationem. Mascard. Castrop. *LL. cit.* juxta *Auth. sed cum testator. C. ad leg. falcid.* & *L. si arb. ff. de prob.*

4. Resp. ad quartum primo. Probatur plene consuetudo per duos testes de ea deponentes. Mascard. *concl.* 424. *num.* 4. & 13. Hostiens. *in sum. h. t. num.* 20. Bartol. *in l.* 2. *C. quæ sit long. consuet. q.* 26. Roch. *loc. cit. f.* 34. *num.*66. Castrop. *num.* 8. Reiffenst. *h. t. n.* 179. debent autem deponere de usu majoris partis populi, frequentia actuum & diuturnitate temporis, quo hi exerciti Mascard. *l. c. nu.* 2. Decius *cons.* 483. *num.*20. Castrop. Reiffenst. *LL. cit.* quia consuetudo est usus frequens populi, longo tempore durans, adeoque debent deponere, se vidisse ita observatum in illo loco, scientibus & præsentibus multis, legitimo temporis spatio. Castrop. citans pro hoc plures Rotæ decisiones. Quod si tamen communiter DD. testentur consuetudinem (intellige, etsi non testentur de visu) a se sic observatum, & nullus sit, qui contradicat, integram illis habendam fidem; eo quod tunc videatur probata consuetudo notoria, & dicta illorum habeantur tanquam instrumenta, tradunt. Mascard. *concl.*426. *n.*17. Sanch. *de mat. l.*7. *d.* 17. *n.*8. Castrop. *n.*10. qui tamen id limitat, citans pro hac limitatione Mascard. *n.*24. nimirum, quod debeat consuetudo esse juri communi conformis, & non adversa; alias dicta Doctorum non plene probent; cum iis omnibus jus commune præponderet. De cetero Doctori uni excellenti testanti in suis scriptis esse consuetudinem non credendum concludenter, ut tradit Castrop. *n* 9. cum Mascard. *cit. concl.* 426. *n.* 11. Sic conciliante varia alias super hoc puncto DD. placita; quia consuetudo est quid facti, & in his, quæ facti sunt, nihil magis Doctori quam aliis credendum. Castrop. *l. c.* quin & ea, quæ facti sunt fallunt plerumque etiam prudentissimos. Item testi, cujuscunque sit qualitatis, non creditur absque juramento, ut de religiosis *c. tuis, de testibus*, & de Episcopo *c. fin. de jurum. calum.* imo nec Cardinali, ut Gl. *in c. cum olim, v. fratrum, de privileg.* & *ibidem* Abb. vide Castrop. *cit. n.* 9. sed tantum præsumptive; eo quod, cum testis, etiam non juratus faciat præsumptionem. Gl. *in c. super, de testibus*, & dictum honesti viri faciat credulitatem. Decius *cons.* 540. & 691. *in fine*, & præsumatur etiam pro Nutatio, *c. ad audientiam, de præscript.* præsumendum sit quoque pro dicto excellentis Doctoris, donec contrarium probetur. Et hæc quidem tradit Castrop. *n.*11. citans Suar. *de LL. l.* 7. *c.*11. *n.*8. intelligenda esse de probatione fori externi & judicialis. Nam in foro conscientiæ censet, uni excellenti Doctori asserenti consuetudinem esse, modo alii non contradicant, posse integre fidem adhiberi; cum faciat rem moraliter certam, ac proinde aptam, cui fides in hoc foro conscientiæ sit adhibenda.

5. Resp. ad quartum secundo. Consuetudo immemorialis concludenter intelligitur probata per testes, si ii deponant, se ita observatum vidisse; & a majoribus audivisse, quin viderint vel audierint contrarium observari. Castrop. *cit. p.* 6. *num.* 8. Magis hoc ipsum specificat Reiffenst. *h. t. nu.* 180. dum requirit, ut testentur de visu 40. annorum (quod, ut possint, requiri in iis 54. annos ætatis, subducto tempore litis) de auditu a majoribus; qui & ipsi dicant, se audivisse a majoribus; testentur insuper, quod fuerit & sit vox publica seu fama, memoriam non exstare nec exstitisse in contrarium, citat pro his Gl. *in c.* 1. *v. memoria, de præscrip. in* 6. Sperell. *for. eccles. decis.*69. *n.*26. Gabr. *l.* 5. *tit. de præscrip. concl.* 1. *num.*81.

6. Resp. ad quartum tertio. Præter probationem per testes probatur consuetudo concludenter primo ex eo, quod successu temporis redacta fuerit in scripturam, ut contingit in usibus & consuetudinibus feudorum. Reiffenst. *h. t. num.* 174. secundo. Quia jam semel obtenta in judicio contradictorio, hoc est, dum, mota quæstione super existentia consuetudinis, unus dixit esse consuetudinem, & adversarius negavit esse. Idem *ibid.* citans, *c. Abbate, de verbor. signif.* & *l. cum de consuetudine, ff. de LL.* ac dicens, hos duos modos carere graviore difficultate. Tertio. Quia bis intra longum tempus judicatum, secundum consuetudinem allegatam, etsi non in judicio contradictorio, pro quo citat Gl. *in c. Abbate, v. contradictorio judicio*, & addit rationem; quod duo actus, seu gemina sententia judicialis conformiter lata circa idem genus causarum inducat consuetudinem, licet non probetur, sic lege fuisse constitutum. Argum. *L. diuturna, ff. de LL.* juncta Gl. *ibidem* dicente; quod consuetudo inducitur per duas sententias latas intra decem annos, & juxta Hostiens. *ad h. t. num.* 5. Bartol. *in repetit. l. consuetudinis q.* 19. *c. quæ sit long. consuet.* His non obstante, quod alias regulariter res inter alios judicata non præjudicet aliis, juxta *L. sæpe ff. de re judic.* & *c. quamvis, de sent. & re judic.* eo quod præterquam hoc ipsum procedat regulariter, patiatur multas limitationes, quas refert Glos. *in cit. c. quamvis*, in præsente duæ illæ conformes non præjudicent aliis in vim rei

rei judicatæ, sed in vim consuetudinis habente vim legis inde resultantis; quia sufficienter ex illis binis sententiis colligatur consensus populi; cum, quod Judex authoritate populi constitutus facit, populus facere censeatur. Verum vide dicta contra hanc doctrinam supra, ubi, qualis frequentia actuum requiratur ad legitimam consuetudinem. Quarto probando ita ab antiquo inviolabiliter observatum fuisse, ita ut non exstet memoria contra factum. Reiffenst. *nu.* 178. citans, *c. venerabilis, de prob.* ita ut tunc opus non sit probare sententiam judicialem, aut statutum aliquod. Idem citato Hostiens. *ubi ante num.* 6.

QUÆSTIO CCCXCV.

Quinam sint effectus consuetudinis.

RESP. Sunt fere quatuor. Interpretatio legis jam existentis, abrogatio legis prioris, obligatio seu introductio novæ legis (secundum quos tres effectus passim dividitur consuetudo in eam, quæ est secundum legem, in eam quæ est contra legem, & in eam quæ est præter legem) & citatio actus gesti in contrarium.

QUÆSTIO CCCXCVI.

An & qualiter consuetudo interpretetur legem præexistentem.

1. RESP. primo. Consuetudo habet vim interpretandi legem, juxta quod dicitur *in c. cum dilectus, de consuetud.* consuetudo est optima legum interpres. Ex eo enim, quod habeat vim legem novam inducendi & institutam abrogandi, a fortiore sequitur, quod habeat vim interpretandi legem; cum hic effectus videatur magis necessarius quam illi alii; cum leges sæpe sint ambiguæ & obscuræ, tum quo ad obligationem, tum quo ad materiam ad quam se extendunt, quæ obscuritas & ambiguitas tollitur per interpretationem. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 4. *§.* 3. *num.* 1.

2. Resp. secundo. Consuetudinem dupliciter interpretari legem; nempe authentice seu necessario, & probabiliter seu conjecturaliter tantum. Consuetudo authentice interpretans legem, quæ & juris dicitur, ea est, cujus interpretatio, utpote vim legis habens, necessario servanda, non secus ac vera lex scripta, per quam Legislator priorem suam legem interpretatur, juxta illud. *L. nam Imperator ff. de LL. in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere &c.* adeoque consuetudo talis debet esse legitime præscripta, seu habere omnia, quæ ad consuetudinem vim legis habentem requiruntur. Consuetudo conjecturaliter solum, sive ad modum, quo Doctores probabiliter interpretari solent leges, etsi altiore quodam modo præ Doctoribus; eo quod in eo plures in unum conveniant, interpretans legem ea est, quæ consistit in mera frequentatione actuum; necdum debito numero aut tempore frequentatorum; adeoque necdum completa seu præscripta; unde & consuetudo in facti seu in fieri appellatur. Unde jam etiam, quia vim legis non habet, decennium non requirit, ut consuetudo authentice interpretans legem, sed breviore tempore contenta est. Castrop. *num.* 3. Quare etiam Judex æstimare potest eam parvo tempore stabilitam esse, seu sufficientem ad probabiliter interpretandam legem. Cravet. *cons.* 21. *num.* 12. Menoch. *l.* 2. *de arb. Jud. casu* 83. *num.* 10. Castrop. *loc. cit.* Hanc tamen etiam vim probabiliter interpretandi legem negat Menoch. & alii consuetudini tali non præscriptæ, dum ea est contra juris communis claram dispositionem; eo quod tunc sit potius corruptela, & nequaquam movere debeat Judicem. De cetero potest ad hanc interpretationem faciendam deservire tam consuetudo antecedens legem, quam eam subsequens; quia lex non intelligitur derogare consuetudini, sed potius secundum eam fieri. Abb. *in c. certificari, de sepulturis.* Bartol. *in l. omnes populi ff. de Just. & Jure.* Suar. *l.* 7. *c.* 17. *n.* 2. Castrop. *l. c. n.* 2. cum Gl. *in c. nonnulli, de rescript.* Ex dictis

3. Sequitur primo; quod dum aliud lex, aliud consuetudo præscripta habet (sive, quod idem videtur, dum consuetudo aliter quam lex præsefert, eam interpretatur) Judex non debeat ferre sententiam secundum legem, sed secundum consuetudinem; quia talis consuetudo habet vim abrogandi legem. Et hæc etiam, dum partes compromisissent in Judicem, ut tanquam arbiter sententiam ferat secundum jura. Quia consuetudo præscripta jus est, & sub jure continetur, & a jure imperatur servari. Secus tamen est, ubi consuetudo necdum præscripta esset. Ita Castrop. *num.* 4. Salas. *d.* 19. *s.* 13. *num.* 104. ex Abbate. Secundo regulandum judicium tam internum quam externum secundum interpretationem juris, quam fecit consuetudo præscripta; quia hac interpretatione nulla alia firmior aut solidior. Castrop. *num.* 6. Item secundum illam regulandos contractus, utpote qui secundum illam facti intelliguntur, dum aliud non est expressum *l. semper stipulationibus, ff. de reg. jur.* Salas, *num.* 103. Castrop. *num.* 4.

QUÆSTIO CCCXCVII.

An & qualiter consuetudo abrogare possit legem pœnalem qua talem.

1. RESP. Primo consuetudo non solum abrogare potest legem simpliciter præcipientem aut prohibentem, seu ejus obligationem tollere, ut manifestum est ex *c. ult. h. t.* & *l. de quibus ff. de LL.* & ex sæpe dictis in antecedentibus; cujus etiam rationem præter alias datas hanc dat Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 4. *§.* 2. *num.* 1. quod ad bonum commune rectamque reip. administrationem spectet, ut Princeps suis legibus non astringat populum diu earum observationi repugnantem per actus vel omissiones continuatas, sed potius consuetudini consentiat, intellige legaliter, seu in vim legum antecedenter in genere latarum. Verum etiam consuetudo legitime præscripta abrogare potest legem pœnalem, ut supponunt quoque AA. & quidem non tantum legem pœnalem mixtam, ubi non tantum pœna, sed etiam ipse actus est sub obligatione, tollendo nimirum simul obligationem ad culpam & obligationem ad pœnam. Sed & legem mere pœnalem, per quam nimirum actus immediate præceptus non est sub obligatione, sed tantum tolerantia pœnæ, si actus præceptus non ponatur, vel si actus prohibitus ponatur; non enim major est obligatio legis ad pœnam quam ad actum præceptum aut ejus omissionem; sed hæc obligatio tolli potest per consuetudinem; ergo & illa.

2. Resp. Secundo potest talis consuetudo abrogare pœnam non solum ferendam a Judice (de quo neminem dubitare ait Castrop. *num.* 3.) sed etiam ipso jure latam, manente obligatione legis. Abb. *in c.* 2. *de treuga & pace.* Sylv. *v. consuetudo, qu.* 3. & 11. Nav. *comment.* 3. *de regul. num.* 55. & *in man. c.* 27. *num.* 149. & 150. Suar. *de LL. l.* 7. *c.* 19. *nu.* 3. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 18. *q.* 10. Castrop. *loc. cit. num.* 3. Contra Castrop. *l.* 2. *de lege pœnal. c.* 12. Quod enim potest lege expressa seu scripta expressaque voluntate seu consensu Principis fieri, id etiam potest fieri per legem non scriptam seu consuetudinem, tacitumque Principis consensum. Jam vero certum est posse Principem lege de novo lata, vel pura voluntate sua abrogare pœnam in lege statutam manente ejus obligatione; cum, etsi de se transgressioni legis seu culpæ debeatur pœna, non tamen debeatur hæc determinata pœna; quia potuit Judici relinqui pœna imponenda. Et sic de facto variæ pœnæ alias in multis decretis & nominatim in *Extrav.* 1. *Extrav. ambitiosæ de reb. eccles. non alien.* impositæ modo usu cessarunt, & AA. iidem.

3. Resp. tertio. Potest quoque consuetudo abrogare obligationem legis ad culpam, relicta obligatione ad pœnam. Nav. *in c. fraternitas* 12. *q.* 2. *num. ult.* Suar. *num.* 12. Salas, *d.* 19. *de LL. c.* 9. *n.* 77. Castrop. *l. c. n.* 4. Cum enim dari possint leges pure pœnales seu obligantes solum ad pœnam & non ad culpam proprie talem, hoc ipsum induci potuit per consuetudinem. Limitatur tamen responsio: nisi pœna sit talis, quæ culpam proprie talem supponat, ut fit in censuris, quæ nunquam imponuntur nisi contumacibus & Ecclesiæ inobedientibus, adeoque culpam proprie talem supponunt. Castrop. *n.* 4. Reiffenst. *h. t. num.* 157.

QUÆSTIO CCCXCVIII.

An consuetudo irritare possit leges irritantes actus & contractus.

RESP. affirmative. Potest enim id fieri per legem; ergo etiam per consuetudinem, quæ loco legis recipitur. Et si potest inveniri causa honestans legem derogantem legi priori irritanti; uti de facto contigit, dum Trident. abrogavit plures leges statutas circa varia impedimenta dirimentia matrimonii, poterit etiam intervenire causa honestans ejusmodi consuetudinem. Ita Innoc. *in c.* 1. *de cognat. spirit.* ubi in specie loquitur de impedimentis dirimentibus matrimonii jure ecclesiastico inductis, ea per consuetudinem contrariam tolli posse.

posse. Castrop. *n.* 5. citans Sanch. *de mat. l.* 7. *d.* 4. *n.* 51. & 14. Suar. *l.* 7. *c.* 19. *n.* 14. Salas. *d.* 19. *f.* 10. *n.* 78. Pont. *de mat. l.* 6. *c.* 4. *n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 63. Sic etiam, licet persona, quæ per legem inhabilis est & incapax ad actum aliquem ponendum, non possit fieri habilis & capax privato suo usu præscribendo contra legem inhabilitantem, potest tamen per communem & publicam consuetudinem rationabilem lex illa inhabilitans certas personas ad actum aliquem abrogari Suar. *n.* 56. Pirh. *l. c.* Sic v. g. persona alias ineligibilis vi consuetudinis fit eligibilis, Gl. *in c. frustra v. consuetudo, dist.* 8.

QUÆSTIO CCCXCIX.

An consuetudo abrogare possit legem humanam prohibentem consuetudinem per generalem clausulam: non obstante consuetudine quacunque contraria.

RESp. Potest abrogari talis lex per subsequentem consuetudinem, non tantum, dum dicitur, dictam clausulam extendere se tantum ad consuetudinem præteritam, sed etiam ad subsequentem, sive eam indifferentem esse ad utrumque, quod posterius cum Sanch. *de mat. l.* 7. *d.* 4. *num.* 13. Cævall. *in qq. pract. qu.* 704. Covar. 3. *var. c.* 13. *num.* 4. Tiraq. *de retract. in præfat. a num.* 18. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 4. *§.* 2. *n.* 8. contra Pirh. *h. t. num.* 63. (ubi distinguit inter legem abrogantem & prohibentem vel reprobantem, & ait, priorem non nisi ad præteritam consuetudinem se extendere, legem prohibentem vero nonnisi ad futuram) diximus supra, eo quod extensio illa sit favor legis, etsi odiosa sit consuetudini; & quia futura quoque consuetudo continuari potest lex illam prævenire & impedire potest. Ratio vero responsionis, quam tenent Suar. *l.* 7. *c.* 7. *a num.* 2. & *c.* 19. *num.* 18. & 21. Salas. *d.* 19. *f.* 7. *nu.* 72. Crimer. *ad h. t. n.* 1744. Pirh. *num.* 66. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 24. *nu.* 7. Azor. *cit. c.* 29. *q.* 10. Castrop. &c. est. Quia consuetudo illa subsequens potest evadere rationabilis, sive fieri, ut conveniens sit, induci consuetudinem contrariam dictæ legi prohibenti consuetudinem, & legislatorem mutare voluntatem suam, qui per hanc prohibitionem suam consuetudini futuræ rationabili & præscriptæ non abstulit vim derogatoriam. Ideoque etiam per dictam legem non tam prohibetur consuetudo futura pro tunc, quando perfecta & adepta rationabilitatem, sed quando adhuc imperfecta seu in fieri. Adde, quod sola prohibitio consuetudinis futuræ non est signum sufficiens irrationabilitatis; sed fieri solet ad majorem cautelam, ut ait Pirh. ne Judices patiantur contrariam consuetudinem induci. Quin & dicta clausula prohibitoria consuetudinis futuræ non habet majorem vim quam ipsa lex scripta; cum eo ipso, quod ea feratur de re aliqua, prohibeatur consuetudo ei directe contraria absque eo, quod dicta clausula ei sit apposita. Jam vero contra legem non habentem appositam sibi dictam clausulam derogatoriam prævalere potest consuetudo contraria subsequens.

QUÆSTIO CCCC.

An consuetudo abrogare possit legem reprobantem consuetudinem.

1. RESp. primo. Dum lex reprobat consuetudinem non tantum expresse seu signate ut dissonam, vel etiam exercite, seu non exprimendo id, quia dissona est rectæ rationi & contraria legi naturali vel divinæ, nulla ei consuetudine derogari potest; cum talis consuetudo, vi cujus licita fierent adulteria, furta, usuræ, deficeret perpetuo & immutabiliter & in rationabilitate. Ita Gl. & DD. communiter *in c. fin. h. t.*

2. Resp. secundo. Idem dicendum, dum lex prohibet consuetudinem ob certas circumstantias, quæ illam irrationabilem reddunt. V. gr. quia imminuat cultum divinum, inducit perversitatem judiciorum, nutrit peccata; quia manentibus illis circumstantiis manet irrationabilis. Abb. *in cap. licet de probat. num.* 7. & 8. Covar. *leg.* 2. *var. cap.* 13. *num.* 4. Suarez *cit. num.* 19. *num.* 24. *&c.*

3. Resp. tertio. Lex reprobans etiam consuetudinem ut inconvenientem Reip. aut Ecclesiæ, manente illa inconvenientia, seu non mutatis circumstantiis, ita ut Legislator posset derogari legi consuetudine, non potest abrogari per consuetudinem; eo quod circa talem consuetudinem deficiat consensus legislatoris, non tantum expressus, vel etiam tacitus præstitus per conniventiam, sed etiam legalis; cum lex nulla tali consuetudini præstet authoritatem. Ita Castrop. *cit. §.* 2. *num.* 10. citans Nav. *comment. de spoliis, §.* 15. *num.* 8. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 53. *num.* 4. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 57. *qu.* 10. Suar. *cit. cap.* 19. *num.* 21. & 24. Pont. *l.* 6. *c.* 6. *num.* 9. Bonac. *d.* 1. *p.* 5. *p. ult. §.* 3. *n.* 37. Quod autem hac in parte dicit Castrop. de lege ob dictam rationem inconvenientiæ consuetudinem reprobante, idem asserit de lege simpliciter prohibente consuetudinem; quia inter illas leges *num.* 7. censet faciendum non esse discrimen; eo quod lex simpliciter prohibens consuetudinem (intellige, dum non prohibet ut vel quia contraria legi naturali aut divinæ) semper, etsi id non exprimat, prohibeat ut inconvenientem Reip. dum eo ipso, quod legislator ferendo legem judicet, eam esse Rei p. convenientem, necessario judicare debeat, consuetudinem ei contrariam esse disconvenientem Reip. adeoque hanc reprobet ferenda legem.

4. Verum illud hic notandum, quod disconvenientia vel minor illa convenientia consuetudinis cum Rep. prohibitæ per ipsam consuetudinem præscriptam tanquam magis convenientem quandoque tollitur. Siquidem dum populus frequentatis & diuturno tempore continuatis actibus pergit agere contra legem prohibentem consuetudinem, ac ita ostendit desiderium suum vehemens abrogationis dictæ legis magis quandoque conveniens est tranquillitati Reip. ejusque rectæ gubernationi, ut Princeps condescendat huic desiderio vel etiam infirmitati, præbendo suum in illam legis abrogationem consensum, quam ut rigide urgere pergat, dictæ legis observantiam. Atque ita jam abrogabitur lex illa vetans introductionem consuetudinis per consuetudinem, non aliunde, circumstantiis illis vi quarum minus ea conveniens erat Reip. mutatis vel sublatis, quam per majorem convenientiam illam dictæ consuetudinis præscriptæ.

QUÆSTIO CCCCI.

An consuetudine abrogari possit lex versans circa Sacramentalia, hoc est, ceremonias & alia ad Sacramentorum substantiam non pertinentia.

RESp. Affirmative. Covar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. *§.* 10. *num.* 19. Sanch. *de mat. l.* 7. *d.* 82. *num.* 20. Suar. *de LL. l.* 7. *c.* 19. *num.* 26. Nav. *in man. c.* 23. *num.* 83. Laym. *cit. c.* 23. *num.* 12. Pirh. *h. t. n.* 64. Castrop. *cit. §.* 2. *num.* 11. Argum. *C. de trina* 80. *dist.* 4. *de consecrat.* ubi, quod Baptismus una vel trina immersione conferri possit pro cujusque ecclesiæ consuetudine. Item *c.* 2. *de temp. ordin.* ubi, quod licet consuetudo illa conferendi ordines extra quatuor tempora sit improbanda, adeoque, si fieri possit tollenda; dum tamen ejusmodi consuetudo per se Ecclesiæ non damnosa toleratur, seu non damnatur, a culpa & pæna excusari illos, qui se illi consuetudini conformant &c. Et hæc etiam, ut ait Castrop. etiamsi talis consuetudo non cognoscatur a Principe; quod idem fieri possit vi consuetudinis, quod vi legis scriptæ: jam vero constet, legislatores sæpe per leges Sacramentalium a se constitutas mutasse pro diversitate temporum, ut videre est in matrimonio, ordine, Eucharistia administranda. Sed neque sit fundamentum excipiendi consuetudinem adversus legem Sacramentalem, aut etiam postulandi potius in ea consensum legislatoris alium quam legalem. His non obstante *Clem. ult. de ætat. & qualit. præfic.* ubi a Papa confirmatur generalis consuetudo circa ætatem ordinandorum contra antiquos Canones inducta, non quod antea vim non habuerit aut invalida esset; sed quia, cum possit Pontifex eam abrogare, voluit non abrogare, sed potius expresse eam approbare, etiamsi speciali illa approbatione non egeret.

QUÆSTIO CCCCII.

An consuetudo possit prævalere adversus jus gentium.

RESp. Contra jus gentium proprie tale consuetudinem prævalere non posse cum communi tenent Abb. *in c. fin. h. t. n.* 23. Bartol. *in l. omnes populi ff. de jure & just.* Rochus de Curte. *tr. de consuet. f.* 5. *n.* 16. Salas. *d.* 19. *f.* 6. *n.* 65. Azor. *cit. c.* 17. *q.* 4. Wiestner. *h. t. n.* 39. Siquidem ex una parte jus gentium, etsi distinctum a jure naturali, tacito tamen omnium gentium consensu, tanquam maxime juri naturali conforma, constitutum & acceptatum. Ex altera vero parte a communitate gentium nec traditæ, nec approbatæ sunt leges vim ali-

quam

quam tribuentes consuetudini adversus illud inducendæ; a privato Principe vero, utpote inferiore, tales leges ferri nequeunt, ut tradit Bald. *tit. de natura feudi*, *c.* 1. Jason. *in l. quo minus ff. de fluminibus in repetit. n.* 3. apud Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 12. Nihilominus satis probabiliter censet Castrop. citans pro hoc Gl. *in l. si locus*, *ff. quemadmod. servitut. amitt.* Suar. *de LL. l.* 7. *cap.* 4. *num.* 6. posse singularem Principem statuere in republica sua aliqua juri gentium contraria, si ita expediens visum fuerit rectæ Reip. suæ gubernationi. V. gr. ut capti in bello non redigantur in servitutem. Item ut subsistente causa justa & communi cives aliqui priventur possessionibus suis, etiam non soluto pretio a Rep. item ut vendant vel mutuo cedant domum. Eo quod, cum Principem habere hanc potestatem, sit maxime conveniens administrationi Reip. censendum sit illum eam habere ex tacito consensu hominum; quin & ipso jure gentium dictante, hanc ei debere potestatem concedi. Et consequenter jam idipsum ex consensu illius Principis præstare potest consuetudo. Verum addit Castrop. per hæc & similia a tali Principe statuta, si recte inspiciantur, non derogari juri gentium; cum illud nunquam obliget captivos in servitutem redigere, sed id permittat, dum contrarium a gubernatore Reip. non statuatur. Similiter jus gentium nunquam prohibuerit privationem dominii in privatis civibus, si Resp. ad sui gubernationem illa privatione indigeat; sed prohibuit solum illam privationem, nulla communi causa intercedente; adeoque nunquam videatur consuetudo directe procedere contra jus gentium.

QUÆSTIO CCCCIII.

An & qualem obligationem pariat consuetudo.

1. RESp. primo. Consuetudo legitima prohibens aut præcipiens aliquid, utpote quæ pro lege recipitur & facit jus non scriptum, non secus ac lex scripta obligare potest. Ad culpam gravem vel levem pro materiæ qualitate. Est communis. Sic si alicubi ex longæva consuetudine celebratur dies festus, utique sub peccato mortali, non secus ac alium diem festum ab Ecclesia institutum, celebrandum tenebitur communitas. Ad hujusmodi autem obligationem in praxi asserendam attendendum est potissimum, num actus, quibus introducta consuetudo frequentati publice a majore parte communitatis tanquam ex obligatione, absque tamen errore, quo forte communitas credidit, se ad eos ponendos obligatam lege aliqua scripta. V. g. ad celebrandum festum ex institutione Ecclesiæ.

2. Resp. secundo. Potest dari consuetudo juris, maxime pœnalis, quæ obliget solum ad pœnam, etiam determinatam. Roch. *l. c. s.* 4. *n.* 20. Suar. *l. c. c.* 16. *a n.* 2. Castrop. *l. c. p.* 4. §. 2. *n.* 1. reputans id omnino certum; quia per legem scriptam induci potest talis obligatio, nimirum ad sustinendam pœnam hanc vel illam determinatam absque eo, quod transgressores talis legis incurrant culpam moralem; ergo etiam similis obligatio induci poterit per consuetudinem. Quid enim vetat? communitatem per tempus legitimum frequentasse actus animo, ut si quis secus seu contrarium egerit, teneatur ad talem vel talem pœnam subeundam.

3. Resp. tertio. Consuetudo unius communitatis non obligat communitatem aliam. Censetur enim Princeps solum velle illa communitatem, quæ eam induxit, obligare. Et cum communitas aliam communitatem sibi non subjectam obligare nequeat, etiam consuetudinem animo obligandi se tantum, & non alios, inducere potuit. Et licet Judex loci alicujus in decidendis causis sui fori sequi possit consuetudinem rationabilem alterius loci, quando in proprio loco ad decisionem talis causæ non suppetit lex, statutum aut consuetudo propria; non tamen ad eam servandam in vim legis obligabitur, sed solum ex conniventia aliqua & æquitate. Salas, *d.* 19. *s.* 14. *n.* 102. Verum de his satis supra, ubi de extensione consuetudinis.

QUÆSTIO CCCCIV.

An consuetudine induci possit irritatio actuum alias validorum.

RESp. Affirmative. Sanch. *de mat. l.* 7. *d.* 4. *n.* 11. Suar. *l. c. n.* 4. & *c.* 19. *n.* 14. Salas. *s.* 10. *n.* 86. *juncto n.* 84. Castrop. *l. c. p.* 4. §. 4. *n.* 1. Nihil enim vetat, quo minus communitas aliqua animo inducendi obligationem in certis casibus observandi certam formam, qua non servata actus sit irritus, frequentet actus, habeatque etiam ad hoc paratum consensum legalem legislatoris, nimirum per textum *c. fin. h. t.* & *l. de quibus ff. de LL.* ubi cuilibet consuetudini rationabili & legitime præscriptæ datur potestas legalis absque ulla limitatione & distinctione. Ac proinde jam non soli consuetudini, ex cujus violatione oritur scandalum, sed etiam ex cujus violatione illud non oritur, tribuitur vis illa inducendi jus non scriptum irritans, ut contra Covar. Henriq. & alios citatos a Sanch. *cit. d.* 4. *n.* 7. tenent idem Sanch. Castrop. *l. c. n.* 6. eo quod vim illam suam non habeat ex secutione vel non secutione scandali; sed ex eo præcise, quod rationabilis sit & legitime præscripta. Adde, si consuetudo habeat vim derogandi legem aliquam irritantem, etiam habere potest vim inducendi legem aliquam irritantem; cum non minorem authoritatem requirat ad legem abrogandam, quam ad legem inducendam. Sic itaque consuetudine reddi quis potest inhabilis ad beneficium, seu irritari illius promotio. Argum. *c. cum olim*, *de cler. conjug.* inhabilis ad electionem, *c. Cumana de elect.* & *c. cum ecclesia*, *de causa possess. & propriet.* inhabilis ad matrimonium, *c. super eo*, *de cognat. spirit.* Neque his obstat, quod nemo inferior Pontifice possit inducere legem irritantem matrimonium, electiones aliosque contractus. Nam præterquam, quod a potestate condendi legem scriptam non licet argumentari ad potestatem inducendi jus non scriptum; cum, ut dictum supra, licet lex scripta & non scripta seu consuetudo conveniant in vi introducendi vel tollendi obligationem, non tamen in sui introductione, communitas non in vi sua, sed ex consensu Papæ dato *in c. ult. h. t.* inducit impedimentum dirimens matrimonium &c. Castrop. *l. c. n.* 2. Similiter Laici absque clericis introducere possunt consuetudinem ecclesiasticam, etiam irritantem, dum materia consuetudinis pertinet quoque ad Laicos; quia non introducunt illam authoritate propria, seu quam ipsi habent a se; sed ex consensu Papæ, ut patet in jejuniis, festivitatibus. His non obstante, *c.* 1 *de sponsal.* quia illa consuetudo a laicis inducta forte non erat rationabilis & legitime præscripta, ut Castrop. *n.* 4. Quanquam, ut idem, cognitio talis consuetudinis matrimonialis aut alterius rei ecclesiasticæ inducta a laicis spectet ad forum Ecclesiæ, juxta *c. tuam*, *de ord. cognit.*

QUÆSTIO CCCCV.

Utrum consuetudo diuturna, minus tamen justa, seu mala nullum penitus habeat effectum.

RESp. Negative. Habet enim binos sequentes. Primus, quod præstet probabilem causam dubitandi de validitate juris & actus ei conformiter gesti. Abb. *in c. causam*, *de elect. n.* 3. Reiffenst. *h. t. num.* 167. Modo tamen consuetudo illa non sit evidenter mala; eo quod tunc justam ignorantiæ & dubitationis causam præbere non possit. Garc. *de benef. par.* 9. *c.* 2. *num.* 28. & in eo Reiffenst. Alter, quod excuset a pœna externi, non tamen interni, gl. *in can. denique dist.* 4. ubi: consuetudo excusat a pœna temporali, sed non a gehennali: Jason. *in l. de quibus*, *ff. de LL. n.* 8. Mascard. *de prob. concl.* 194. *num.* 10. & *concl.* 1417. *num.* 35. juxta *c. sane de tempor. ordinat.* ubi propter consuetudinem loci antiquam, licet alias pravam & irrationabilem evitantur pœnæ depositionis & suspensionis. Quin & quod talis consuetudo excuset etiam a pœna, excommunicationis, tradit Fagn. *in c. ad hæc de religios. domib. n.* 70. Tiraq. *de pœnis*, *caus.* 42. apud Reiffenst. *h. t. num.* 168. Ratio responsionis est; quod hoc ipso, quod talis consuetudo toleretur & permittatur in foro externo, non debet in eo puniri, alioquin jam non permitteretur. Quod autem talis consuetudo non excuset a pœna fori interni, ex eo patet, quod consuetudo eo ipso, quod sit prava & irrationabilis, non excuset a culpa; quin & hanc aggravet, juxta *c. fin. h. t.* quod tamen intellige de uno eodemque operante juxta pravam illam consuetudinem.

QUÆSTIO CCCCVI.

An & quot modis consuetudo rationabilis legitime jam introducta cessare seu tolli possit.

RESp. Quod ea rursus tolli possit, extra controversiam est. Cessatio autem & abrogatio illius in genere dupliciter fieri potest. Nempe vel per legem vel per consuetudinem aliam ei contrariam. Et quidem quod per legem abrogari possit, non secus ac lex scripta, habet textus *in c.* 1. *de const. in* 6. *c. cum consuetudinis h. t.* & ratio patet; nimirum quia cum tota consuetudinis vis & efficacia pendeat a voluntate saltem tacita legislatoris, hoc ei resistente ferendo legem abrogatoriam illius, vim ea amplius nullam habebit. Sed neque

pote-

potestas superioris a consuetudine jam inducta impediri potest, quo minus ei contrarium disponere valeat, ubi viderit, id convenire; cederet enim id in maximam communitatis perniciem.

QUÆSTIO CCCCVII.

Per qualem legem derogetur consuetudini, seu ei derogatum censeatur.

1. RESp. primo. Ut lex abroget consuetudinem debet esse ei e diametro contraria. Quare si observantia consuetudinis aliqua ratione compati potest cum lege, etiamsi ad hunc effectum, nimirum ad relinquendam consuetudinem in suo vigore, verba legis deberent restringi, non debet censeri abrogata per legem. Castrop. *tract.* 3. *d.* 3. *p.* 5. *§.* 2. *num.* 2. cum communi. Ratio patet; quia juris correctio, quo ad fieri potest, vitanda est *ex l. præcipimus, de appellat.* consuetudo autem legitime præscripta est jus quoddam.

2. Resp. secundo, Lege universali abrogatur consuetudo ei contraria æque universalis, etiam si lex illius mentionem non faciat, aut etiam habeat clausulam derogatoriam; idque sive lex universalis procedat a supremo sive ab inferiore Legislatore respectu sui territorii. Abb. *in fin. h. t. num.* 24. Azor. *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 16. *quæst.* 7. Suar. *l.* 7. *c.* 20. *num.* 7. Castrop. *num.* 3. cum communi. Sumitur ex *c.* 1., *de consit. in* 6. ubi solæ consuetudines particulares a lege tali universali censentur exceptæ, & quod per novam constitutinnem generaliter latam tollatur consuetudo contraria, etiam nulla facta ejus mentinne. Et Ratio a priori est, quod cum legislator supremus v. gr. Papa respectu universalis Ecclesiæ, legislator alius particularis respectu sui territorii, censeatur non magis ignorare consuetudines universales, quam alia jura universalia, condendo legem aliquam universalem consuetudini universali contrariam, ei velit derogare.

3. Resp. tertio. Per leges universales non censetur derogari consuetudinibus aut statutis particularibus locorum, nisi talis consuetudinis fiat mentio specialis, vel saltem apponatur clausula derogatoria generalis cujuscunque consuetudinis aut statuti contrarii. AA. citati, pro *respons. præcedent.* cum communi & juxta textum, *c.* 1. *de consi. in* 6. Et ratin est, quod cum Princeps censeatur probabiliter ignorare istiusmodi jura, statuta & consuetudines particulares, censetur quoque illis non velle derogare; cum derogatin consuetudinia juri communi obstet ex *l. minime, ff. de* LL. Atque in hoc sensu ait Castrop. *num.* 4. & 5. Verum est axioma illud: *consuetudo* (intellige particularis loci) *Principum leges & rescripta* (intellige universalia non munita clausula derogatoria universali) *silere faciunt*. Item textus *c. unic. de feudi cognit. legum Romanorum non est vilis autoritas, sed non adeo vim suam extendunt, ut usum vincant aut mores*: intellige particularium locorum. Vel etiam hujus textus intellectus hic est, ut Pirh. *h. t. num.* 72. cum Suar. *cit.* 20. *n.* 4. ex Baldo, causas feudales non secundum leges scriptas Romanorum vel Longobardorum, sed secundum jura consuetudinis decidendas esse; adeoque in materia feudorum servandas esse proprias consuetudines, non obstantibus legibus generalibus aliter disponentibus. Unde jam etiam, si Rex mandaret proprio exactori compellere debitorem, quocunque modo sibi visum fuerit, nunquam censeri velle derogare consuetudini & legi municipali in exigendis tributis, ait Castrop. *cit. num.* 4.

4. Resp. quarto. Lege speciali lata a Principe superiore V. gr. Papa vel Rege pro aliqua eivitate vel provincia suæ ditionis non derogari consuetudini illius Provinciæ, nisi expresse apponatur clausula, probabile esse censet Castrop. *l. c. num.* 6. citans pro hoc Suar. *l.* 7. *c.* 20. *num.* 15. Sa. *v. lex nu.* 19. Bonac. *d.* 1. *qu.* 1. *p. ult. §.* 3. *num.* 42. Argum. *c.* 1. *de consi. in* 6. nbi ideo censetur non derogari consuetudini particulari per legem universalem, quia Princeps præsumitur illam, utpote in facto consistentem, ignorare; sed idem est fundamentum ignorantiæ, utpote fundatæ in eo, quod Princeps non possit omnibus partibus suæ diæcesis adesse, aut etiam nb varietatem & multitudinem negotiorum omnia singularia cognoscere sive legem universalem, sive particularem condat. Quod autem lex talis hac ratinne esset frustranea, utpote neminem ligans, dum omnes loci talis subditi ubligantur vel utuntur consuetudine contraria, id inquam per accidens esse, dicit Castrop. ob ignoratam a Principe consuetudinem. Quanquam addat, revera non esse frustraneum, cum vere obligentur illa subditi, licet obligatio suspendatur, usque dum ad Principem recurratur, isque reddatur certior de tali consuetudine. Infert quoque ex hac doctrina Castrop. idem dicendum de statuto facto ab aliqua communitate, ad cujus valorem Principis consensus requiritur; nimirum illo non derogari consuetudini contrariæ talis communitatia, nisi Princeps sit conscius illius consuetudinis, quam si sciret, posset forte negare suum consensum tali statuto derogatorio. Si vero Principis consensus ad valorem talis statuti necessarius non est, procedere videtur, quod tradit Pirh. *h. t. num.* 72. citans pro hoc Abb. *in c. ult. h. t. num.* 25. nimirum per statutum civitatis editum contra propriam suam consuetudinem hanc tolli; quia cives præsumuntur scire suas consuetudines.

QUÆSTIO CCCCVIII.

Ut lex destituta clausula derogatoria censeatur non derogare consuetudini, an hæc necessario debeat esse præscripta, an vero sufficiat esse in fieri, seu tendere ad præscriptionem.

RESp. Probabilius videri, debere illam esse præscriptam. Ita Castrop. *l. c. n.* 8. contra Suar. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 12. probabiliter quoque censentem, sufficere etiam consuetudinem non præscriptam. Rationes hujus sententiæ sunt, quod soli illi consuetudini censeatur non derogatum, quæ tribuebat facultatem illa utendi, quæque prævaluit contra legem latam & constituebat aliquod jus; cum derogatio proprie sit alicujus juria & facultatis derogatio, quæ non competunt consuetudini necdum præscriptæ. Ad hæc, legem impediri, ne habeat efficaciam consuetudine, est res odiosa, utpote cedens in legislatoris detrimentum. Item consuetudo est stricti juris stricteque interpretanda, ut Rota *in novissim. p.* 2. apud Farinac. *decis.* 112. *n.* 4. adeoque quod ipsa resistat efficaciæ legis, id ipsum extendendum non nisi ad consuetudinem proprie talem, qualis non est, nisi præscripta. Mascard. *de prob. v. consuetudo, concl.* 423. *n.* 17. ubi ait, se, dum loquitur de consuetudine, intelligere præscriptam. Bald. *in c.* 1. *de fundal. cognit. col.* 2. ubi inquit: quod dicitur de consuetudine, intelligitur, de præscripta; cum antequam sit præscripta, non dicitur consuetudo, sed voluntas inducendi consuetudinem. Item Castrop. nomine consuetudinis non venit, nisi consuetudo proprie dicta, qualis est sola præscripta, ut Mascard. *l. c.* Neque his obstat *c.* 1. *de const. in* 6. ubi fit solum mentio de rationabilitate consuetudinis, & non de præscriptione. Nam per hoc non negatur, consuetudinem, cui derogari potest, debere esse præscriptam; imo supponi hoc ipsum; cum de illius abrogatione ibidem agebatur. Quin & solo illo verbo *Rationabilis* videri exclusam consuetudinem non præscriptam, ait Castrop. cum remanente lege & valore ejus, consuetudo ei contraria non sit rationabilis, sed ad summum quasi tendat ad rationabilitatem. Lex quoque (quod erat, alterum sententiæ oppositæ fundamentum) dum dicitur ferri juxta consuetudinem patriæ, & non contra illam, intelligendum non est de consuetudine inchoata solum, & necdum recepta, sed tantum de recepta & præscripta.

QUÆSTIO CCCCIX.

An clausula generalis: non obstante quacunque consuetudine: *se sola sufficiat ad derogandum consuetudini, etiam immemoriali.*

1. RESp. primo. Sufficit ad derogandum consuetudini quæ hominum memoriam non excedit. Reiffenst. *ad h. t. num.* 184. cum communi. Si enim dicta clausula ad tollendas consuetudines particularium locorum non sufficeret, nihil operaretur. Nam consuetudo generalis, si quæ extaret, sufficienter tollitur per ipsammet novam constitutionem ei contrariam. Ad hæc dicta clausula satia demonstrat, Principem habuisse, saltem implicitam, cognitionem hujus vel illius consuetudinis particularis loci, pro ut per Rotam.

2. Resp. secundo. Vi clausulæ generalis derogatoriæ: *non obstante quacunque consuetudine*: contentæ in lege revocatoria consuetudinis non derogatur consuetudini Immemoriali; sed necesse est, ut illi expresse derogetur, addendo: *etiam immemoriali*: vel aliquo simili: Tiraq. *de utroque retract. tr.* 2. *§.* 1. *gl.* 2. *num.* 25. Covar. *l.* 4. *var. cap.* 13. *num.* 5. Barbos. *clauf.* 87. *num.* 4. & 8. Suar. *l.* 7. *c.* 20. *num.* 18. Pirh. *h. t. num.* 72. Castrop. *cit. §.* 1. *num.* 10. & apud hunc Bonac. Salas &c. cum comm. contra gl. *fin. in clem. ult. de reb. eccles. non alien.* & Abb. *ibidem num.* 17. & alios apud Barbos. *num.* 3. Siquidem pro consuetudine immemoriali stat justus titulus

tulus

tulus (intellige præsumptive) cum stante possessione immemorali, allegari possit melior titulus de mundo. Fag. *in c. cum Apostolica num. 6. de his, quæ fiunt a Prælat.* Insuper consuetudo antiquissima vel excedens hominum memoriam habet vim privilegii a Principe concessi. Mascard. *de prob. concl.* 429. *a num.* 3. Abb. *cons.* 72. *vol.* 2. Decius *cons.* 11. *num.* 9. Fagn. *in c. cum contingat. de foro compet. num.* 6. Salas *de LL. d.* 17. *s.* 2. *num.* 23. Castrop. *loc. cit.* juxta *l. hoc jure §. ductus aqua ff. de aqua quotid. & æstiva & c. super quibusdam de verb. signif. & ibi gl. v. non extat memoria* ubi, quod consuetudo, cujus initii non exstat memoria, privilegium inducat. Jam vero consuetudo privilegiata non comprehenditur sub generali revocatione consuetudinum; quia privilegium non censetur derogari ex tali clausula derogante consuetudinem. Fagn. *in c. ad hæc num.* 34. *de Relig. domib.* referens sic decrevisse S. Cong. uti hoc ipsum confirmat Castrop. a simili de præscriptione, quæ, si immemorialis fuerit, non censetur exclusa, dum præscriptio generaliter excluditur, ut constat ex *cit. l. hoc jure*.

3. Nihilominus hujus doctrinæ limitationes aliquot adducit Reiffenst. *h. t. a num.* 190. ita ut non procedat Primo quando per novam legem seu constitutionem, maxime canonicam, reprobatur consuetudo tanquam irrationabilis, ut fit *c. ad nostram c. cum inter c. ex parte h. t.* Si enim judicio supremi legislatoris & Christi in terris Vicario irrationabilis & corruptela dicitur, nemo fidelium audebit dicere eam rationabilem. Si autem a parte rei est irrationabilis, hanc ei irrationabilitatem, immutatis aliis circumstantiis, non tollit præcise immemoriabilitas temporis. Secundo quoties ratio illa, ob quam lex consuetudinem abrogavit, militat, quoque in consuetudine immemoriali. Pro quo citat Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *num.* 5. Barbos. *cit. claus.* 87. *num.* 10. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 33. *n.* 2. Garc. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *num.* 190. quæ tamen limitatio non usque adeo placet; nisi dum ratio abrogationis fundaretur in irrationabilitate consuetudinis, & hæc perduraret; cum alias, etsi forte consuetudo minus de se conveniens Reipubl. adhuc minus conveniens esse possit, tollere consuetudinem tam antiquam. Tertio pro quo citat Fagn. *in c. ad hæc n.* 34. quoties generaliter tolluntur consuetudines, excipiendo duntaxat unum certum casum, cujus exceptuati casus ratio non competit consuetudini immemoriali; eo quod tunc exceptuatio unius firmat regulam in non exceptuatis.

QUÆSTIO CCCCX.

An & qualiter consuetudo abrogetur per aliam consuetudinem.

1. RESp. ad primum consuetudo consuetudine alia abrogari potest, non secus ac lex lege, quia habet vim legis. Suar. *cit. c.* 20. *n.* 19. Salas *de LL. d.* 19. *s.* 13. *num.* 99. Pirh. *h. t. num.* 72. Castrop. *l. c. §.* 2. *num.* 2. cum communi Argum. *l. pacto novissimo C. de pactis & L.* 2. *C. de inoff. dotib.*

2. Resp. ad secundum, Consuetudo posterior ut præexistentem abrogare possit, debet habere sequentes conditiones. Primo debet esse præexistenti directe contraria. Sic generalis non nisi per generalem, vel etiam per specialem pro illo loco tantum, in quo illa specialis viget, abrogatur. Specialis per specialem in eo loco, in quo antiqua illa specialis vigebat, & in quo nova illa specialis inducitur; cum in diversis locis non sint contrariæ, sed quælibet in suo loco vim legis habeat. Quin etiam speciali derogatur per generalem, si hæc extenditur etiam ad locum, in quo specialis illa vigebat. Ita fere Suar. *c.* 20. *n.* 19. Pirh. *l. c.* Castrop. *l. c. num.* 2. Secundo, ut consuetudo abrogativa sit legitime præscripta, hoc est, legitimo & tanto tempore continuata, quanto opus habuit prior ad sui inductionem. Argum. *c. fin. h. t. & l. de quibus ff. de LL.* ubi non assignatur diversum tempus consuetudini abrogandi legem scriptam & abrogandi consuetudinem. Quemadmodum autem supra diximus, tam ad consuetudinem abrogativam legis, seu eam, quæ est contra legem, quam ad inductionem novæ, seu quæ est præter legem, sive sit in materia civili, sive ecclesiastica, requiri & sufficere decennium; sic quoque hic non nisi decennium ad consuetudinem abrogativam consuetudinis, nullo facto discrimine inter consuetudinem præter vel contra legem, inter consuetudinem civilem & ecclesiasticam, requiri & sufficere dicimus, eadem nixi ratione, nimirum, qui tam hæc quam illa consuetudo, dum est præscripta, non est contra juris dispositionem, sed potius juri tam canonico quam civili conformis, utpote ex ipso jure habens suam efficaciam. Ac ita tradit Castrop. *cit. §.* 2. *n.* 5. Reiffenst. *h. t. num.* 196. citans Abb. *in c. fin. h. t. num.* 19. Felin. *in c. cum accessissent de const. n.* 30. Mascard. *concl.* 172. *num.* 15. contra Suar. *cit. c.* 20. *num.* 21. qui id solum admittit in casu, quo prior consuetudo contra jus commune fuit particularis seu specialis alicujus loci; non autem ubi fuit universalis totius Ecclesiæ, ad cujus abrogationem requirit 40. annos. Illud hic notandum. Quod si lex ab initio non fuit recepta, neque observata per tempus aliquod sufficiens; ac dein incipit a communitate observari per tempus sufficiens: non tolli consuetudinem consuetudine; non enim per illa non receptionem seu non observantiam, etiam debito tempore ad consuetudinem inducendam requisito, non fuit lex talis omnino sublata, sed tantum ejus obligatio suspensa; ac proinde dum populus incipit eam postmodum observare, illa statim obligare incipit absque eo, quod opus sit exspectare tempus ad inducendum novum jus per consuetudinem.

TITULUS QUINTUS.

DE POSTULATIONE.

Hunc titulum integre & accurate tractatum vide in foro beneficiali *Part.* 2. *a quæst.* 198. *ad quæst.* 231.

TITULUS SEXTUS.

DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

Hunc titulum integre tractatum a me vide in Foro beneficiali *a quæst.* 232. *ad quæst.* 413.

TITULUS SEPTIMUS.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

QUÆSTIO CCCCXI.

Quid sit & qualiter definienda translatio.

RESp. Translatio ecclesiastica seu canonica generatim accepta est, & definiri potest: personæ alicujus ecclesiasticæ de una ad aliam ecclesiam authoritate superioris facta mutatio. Ita fere Hostiensis, *h. t. n. 1. ex c. mutationes 7. q. 1.* Dicitur primo: *persona alicujus* dupliciter enim accipi potest translatio, generice & specifice. Specifice quidem pro translatiune Episcupi. De qua agitur potissimum *h. t.* juxta quod præfert ejus rubrica. Quæ quoque, ut in eam notat Abb. antiquitus erat hæc *de Translatione Episcopi vel electi*. Eo quod Episcopus ante consecrationem non appelletur simpliciter *Episcopus*, sed *Episcopus electus*. Genericè vero pro translatione quoque aliarum personarum ecclesiasticarum, tum Episcopo superiorum, puta Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum; dum & hi de suis Ecclesiis ad alias transferri possunt juxta *c. Bona de postulat. & c. dilectus de præb. & dignit.* quam eo inferiorum, puta Abbatum, Præpositorum, tam sæcularium quam regularium. Arg. *c. venerabilis de consuetud. & c. dudum de elect.* quin & parochorum, imo beneficiatorum non curatorum. Argum. *c. admonet de renunc.* Pith. *h. 1. n. 1.* Dicitur secundo *ecclesiastica*. Quia hic nullatenus agitur de ecclesiarum Advocatis, Syndicis, Procuratoribus, Sacristanis, similibusque officialibus earum laicis ab unius ecclesiæ ad alterins ecclesiæ servitium transeuntibus. Dicitur tertio: *ab una ecclesia ad aliam*: sive eæ sint sæculares sive regulares; sive inter se pares, sive una major & altera minor. Dicitur quarto: *facta authoritate Superioris*: propria enim authoritate facta translatio sui, seu translatio ex propriæ voluntatis præsumptione ab una ecclesia ad aliam, translatio canonica non est nec licita *c. 1. de cleric. non resident.* de quo plura paulo post. Dicitur denique istiusmodi Episcoporum translatio *mutatio* in *cit. c. mutationes* quia consistit in transitu ab una sede ad aliam. Differt autem a permutatione beneficiorum; quod ea sit resignatio quædam reciproca facta a permutantibus ex lege, ut unus alterius beneficium dimissum seu resignatum obtineat *c. unico de rer. permut. in 6.* translatio vero non importet illam beneficii seu sedis dimissæ occupationem factam ab alio; multoque minus dimissionem illius factam sub dicta conditione. Suar. *l. 4. de simon. c. 32. n. 4.* ubi hoc ioter translationem & permutationem assignat discrimen; quod permutatio fiat per modum contractus, & ideo per se postulet, ut fiat inter duos, & ex consensu eorum. Translatio autem neque sit contractus, neque fiat per modum contractus, adeoque non requirat ut fiat inter duos.

QUÆSTIO CCCCXII.

Utrum Episcopus (idem est de Prælatis eo Superioribus & inferioribus) authoritate propria Ecclesiam suam relinquere possit.

1. RESp. primo. Potest Episcopus electus ante confirmationem libere in manibus eligeotium renunciare & cedere juri per electionem a se acceptatam sibi quæsito sine ullius licentia *c. 2. de integ. restit.* juncta gl. *v. renunciavit*, Abb. *ibid. n. 11.* Paris. *de Resign. l. 7. q. 1. n. 80.* Pirh. *ad h. t. n. 9.* Wiestner. *n. 9.* Ego *in for. benef. p. 3. q. 173. num. 1.* Per electionem siquidem etiam acceptatam ab electo contrahitur quasi conjugale vinculum & spirituale matrimonium illius cum ecclesia sua non oisi initiative *c. cum inter de elect. & c. fin. h. t.* adeoque habens rationem quasi sponsalium, ut indicat Pirh. *h. t. n. 8.* quod facile & sine superioris authoritate dissolvitur. Quin etiam probabilius est, electum post præbitum consensum electioni de se factæ, petitamque ab eo aut eligentibus electionis confirmationem, nondum tamen obtentam, posse libere sine superioris authoritate renunciare electioni suæ; eo quod per hanc confirmationis præcise petitionem nihil libertatis aut juris amiserit, nihilque plus juris acquisierit, seu arctius adstrictus sit ecclesiæ, ad quam electus. Wiest. *l. c.* Crim. *ad 1. decretal. n. 2038.* juxta *c. si electio de elect. in 6.* & argumento ducto a contrario ex verbis *c. inter corporalia h. t.* ubi: *Episcopus electus & confirmatur non debet relinquere ecclesiam sine licentia Papæ*: Et licet Pirg. *l. c.* asserat contrarium, eo quod, quia negotium jam per dictam postulatiunem jam delatum sit, res jam sit affecta & non amplius integra, ut gl. *in cit. c. si electio v. renunciavit* subjungit tamen, contrarium esse quoque valde probabile ob rationem a nobis datam, citatque pro hoc Paris. *de resign. l. 7. q. 1. n. 78.* Porro quod hic dictum de electo necdum confirmato, a fortiore locum habet in postulato ante postulationis admissionem factam a superiure; cum per hanc minus juris quam per electionem, imo nihil juris acquirat postulatus. Vide me *in Foro benef. l. c.*

2. Resp. secundo. Episcopus jam confirmatus, aut etiam postulatus, admissa a superiore postulatiooe, etsi necdum consecratus, nequit sine superioris authoritate relinquere Ecclesiam seu sedem suam. Siquidem per confirmationem & postulationis admissionem efficitur verus sponsus Ecclesiæ suæ de præsente sive matrimonium illius spirituale cum ecclesia sua mediantibus eligentibus, quia repræsentant ecclesiam, ut Pirh. *n. 6.* evadit veluti ratum. Reiffenst. *h. t. n. 6. & 180.* cum commuoi juxta *c. licet c. inter corporalia c. fin. h. t.* quod non magis propria voluntate & authoritate quam matrimonium carnale ratum solvi potest, ut patebit amplius ex dicendis in *Respons. ad quæst. seq.* Ex dictis sequitur, multo minus posse Episcopum authoritate propria relicta sua ecclesia transire ad aliam.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCXIII.

Quæ sit pæna Episcopi confirmati propria authoritate de sua ecclesia transeuntis ad aliam.

1. RESp. Episcopus confirmatus etsi necdum consecratus id faciens ecclesiam utramque amittit, juxta *c. quanto h. t.* ubi Episcopo Hildesimensi, qui perperam electus a Canonicis Herbipolensibus propria authoritate relicta ecclesia suai, transtulerat se ad Herbipolensem, præcipit Papa, ut administrationem Herbipolensis Ecclesiæ penitus derelinquat, & ad Ecclesiam Hildesimensem non redeat & *c. si quis Episcopus 7. q. 1.* ita, ut, quemadmodum loquitur Papa in citatis textibus; *nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit.*

2. Extenditur hoc ipsum, quod ab utraque ecclesia, tam propria quam aliena repellendus sit talis, præcipue locum habeat in eo, qui propria authoritate migravit ad ecclesiam aliam majorem vel ditiorem; quia id præsumitur fecisse ex ambitione vel avaritia, cupiditate nimirum honoris vel divitiarum, habeat tamen quoque locum in eo, qui ad Ecclesiam parem vel etiam minorem transiit. Pirh. *h. t. num. 11. & 12.* cum Gl. fin. *in cit. c. quanto.* Limitatur è contra hac ratione, ut dicta pæna non ipso jure, sed solum per & post sententiam condemnatoriam privatus existat Ecclesia, quam sine licentia dimisit. Abb. *in c. quanto n. 13.* Imol. *ibid. n. 8.* Pirh. *h. t. n. 12.* Reiffenst. *n. 5.* Argum. *c. si quis Episcopus caus. 7. quæst. 1.* ubi dicitur: *carebit & propria.* Unde jam etiam Clerici dictæ ecclesiæ perperam desertæ aliique subditi obedire teneantur Episcopo illi, donec per sententiam illa privetur. Item limitatur a Pirh. *n. 12.* citante Jo. And. Innoc. *in cit. c. quanto* & Abb. *ibid. n. 12.* ut privandus veniat sola illa ecclesia, vel quam sine venia deseruit, vel quam sine venia adiit, ne pæna ultra delictum extendatur. Verum non video, quomodo hæc disjunctio consistat cum verbis illis citati textus: *nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit.* Ad hæc, quomodo privandus ea Ecclesia, quam sine licentia adiit? cum jus nullum in ea aut ad eam quæsierit. Et quomodo pro pæna reputabitur, quod per electionem ad eam, utpote ipso jure nullam jus nullum ad eam adeptus sit.

QUÆSTIO CCCCXIV.

Quænam sit pæna aliorum Prælatorum vel etiam clericorum sine licentia superioris a suis ecclesiis transeuntium ad alias.

RESp. Privantur communione tamdiu donec ad desertam ecclesiam redierint. Et si alter interea in eadem ecclesia deserta substitutus, tamdiu ab officio & beneficio vacare debet, quamdiu substitutus vivet. Pirh. *h. t. n. 12.* Crimer. *n. 2054.* pro ut expresse habetur *c. si quis presbyter. & cap. eos Sacerdotes 7. q. 1.* & si post Revocationem sui Episcopi non redierint ad suam ecclesiam, omni modo ab officio suo deponi debent, nec aliquando spem restitutionis habere *cit. c. si quis presbyter.*

QUÆSTIO CCCCXV.

Cujus authoritate fieri debeat translatio Episcopi confirmati & consecrati ad aliam ecclesiam.

1. RESp Translationem Episcoporum Prælatorumque & Superiorum fieri non posse sine authoritate Papæ; pro ut constat ex *c. 1. h. t.* ubi Innoc. III. rescribens Antiocheno Patriarchæ, qui authoritate propria Archiepiscopum Apamensem ad Tripolitanam ecclesiam transtulerat, ait: translationes Episcoporum & sedium episcopalium mutationes ad Apostolicæ Sedis Antistitem de jure (quin & de consuetudine, ut dicitur *c. quanto h. t.*) pertineant, nec sine ejusdem consensu quicquam in his debeat mutari. Unde & dictum Patriarcham in pœnam illius temeritatis a confirmatione Episcoporum suspendit. Et ratio est; quia causæ graviores & arduæ ecclesiæ reservatæ sunt summo Pontifici, ut habetur *in c. cum ex illa h. t.* Siquidem dum Christus Petro, & in eo ejus successoribus summis Pontificibus supremam ac universalem totius Ecclesiæ gubernationem concessit, consequens est, ut & illi aliis inferioribus & sibi subordinatis Episcopis & Prælatis potestatem limitatam concedendi permiserit potestatem, ita ut causas graviores sibi suoque examini ac decisioni specialiter reservent. Jam vero inter istiusmodi arduas & graviores, & propterea Papæ reservatas causas est illa Episcoporum translatio & mutatio *c. mutationes cons. 7. q. 1. c. 1. & 2. h. t.* Non minus quam eorum renunciationes admittere ex *c. nisi de renunc.* Ecclesiæ Cathedrali dare administratorem. Barbos. *de off. Episc. p. 3. alleg. 1. n. 7.* ex *c. is cui de elect. in 6. & c. Ecclesia Cath. de supplend. negl. prælator. in 6.* Episcopo dare coadjutorem Barbos *l. c. n. 8.* Ecclesiam Cathedralem in Metropolitanam erigere Barbos. *n. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 2. dub. 27. n. 7.* aliaque similia, quæ enumerata vide apud Gl. *in c. translationem v. reservata de off. Legati & in c. 1. h. t. v. pertineant.* Adde, quod sicut conjugium carnale, etiam ratum tantum, neque authoritate propria, neque ullius alterius quam Papæ solvi potest; ita etiam matrimonium spirituale electi & confirmati Episcopi cum Ecclesia, etiam non nisi quasi ratum effectum per confirmationem, ab alio dissolvi nequit quam a Papa, nulla facta in hac indissolubilitate differentia inter Episcopum confirmatum tantum & consecratum; cum Ordo episcopalis seu consecratio, etsi matrimonium dictum per eam dicatur consummari, ut Gl. *in c. 2. h. t. v. nihil addit.* nihil tamen conferat ad substantiam hujus vinculi spiritualis, nihilque majoris firmitatis dictæ indissolubilitati adjiciat, pro ut hæc omnia expressa habentur in *c. inter corporalia 2. h. t.* Pontifice inter cætera ibi sic inquiente: *Sicut enim Episcopus consecratus sine licentia summi Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere, ita & electus & confirmatus: cum non debeat in dubium revocari, quin post electionem & confirmationem Canonicam inter personas eligentium* (dum hi repræsentant ecclesiam) *& electi conjugium sit spirituale contractum, cui perfecto* (intellige per confirmationem) *episcopalis dignitas* (seu Character Ordinis episcopalis) *nihil addit, cum quis episcopali præditus dignitate nullius etiam Ecclesiæ possit esse Episcopus. Quemadmodum de illo contingit, qui oneri pontificali renunciat, non honori. Unde cum non sit majus vinculum Episcopi ad ecclesiam quam electi, maxime, cum fuerit confirmatus; imo idem penitus & non aliud, idem juris obtinet in utroque. Sicut ergo Episcoporum* (intellige consecratorum) *translatio, depositio, cessio, sic electorum post confirmationem spiritualis ratione conjugii soli est Romano Pontifici reservata. Licet usque ad tempora ista, quod tantum fuerat de Episcopis* (intellige charactere per consecrationem insignitis) *expressum non fuerat de electis* (intellige post confirmationem) *propter expressam tamen similitudinem vel identitatem patuit nemini poterat videri dubium subtiliter intuenti &c.*

2. Neque his obstat primo, quo in *can. quoniam dist. 100.* Ecclesia, quam tenet Episcopus electus confirmatus, necdum tamen consecratus, dicatur adhuc viduata, adeoque nullum adhuc a tali Episcopo cum ea contractum vinculum conjugale, quod dissolutione a Papa facta egeat. Nam ecclesia talis ante consecrationem Episcopi confirmati non dicitur viduata absolute & simpliciter, quasi nullum omnino sponsum habeat, sed quasi viduata secundum quid, sive quo ad quædam, quia Episcopus non consecratus exercere nequit, quæ sunt ordinis. Qualiter etiam ecclesia viduata dicitur, quæ Episcopum quidem habet, sed inutilem ad obeunda munia episcopalia; cum paria censeantur, aliquid non esse, vel esse, sed inutiliter, pro ut iterum hæc ipsa iisdem fere verbis expressa habentur *cit. c. inter corporalia §. sed neque illud.* Neque secundo, quod *eodem c. quoniam* statutum sit, quod Metropolitanus possit Episcopum electum & confirmatum, si intra sex menses consecrationem negligat, in pænam hujus negligentiæ amovere, seu compellere ad renunciandum Episcopatui. Nam ex hoc non sequitur, quod amotio illa, & consequenter solutio illa vinculi contingat sine authoritate Papæ: cum enim is vi dicti Canonis concesserit istam Metropolitano amovendi potestatem, dici nequit ea amotio fieri sine authoritate & licentia Papæ, saltem generali. Uti hoc ipsum iterum expressum habetur *cit. c. inter corporalia §. nec quod de cessione.* Idem dicendum ad illud, quod dum vi *cit. c. quanto.* Episcopus transiens propria authoritate ad aliam ecclesiam utramque amittit, hæc amissio seu dissolutio vinculi cum ecclesia deserta non contingat sine authoritate Papæ, quippe qui conditor est dicti canonis.

QUÆSTIO CCCCXVI.

An & qua authoritate Episcopus consecratus a priore sua ecclesia transferri possit ad aliam.

1. RESp. ad primum. Potest id fieri authoritate Sedis Apostolicæ, uti constat ex *c. 2. h. t.* ita exigente ecclesiarum necessitate & utilitate, adeoque recta ecclesiæ gubernatione hanc translationem & dissolutionem matrimonii Spiritualis Episcopi cum sua ecclesia faciendi potestatem relictam esse a Christo supremo suo in terris Vicario, his non obstante dicti matrimonii Spiritualis per consecrationem consummatione. Neque enim matrimonium illud sic consummatum institutum est ad significandam indissolubilem unionem seu conjunctionem Christi cum Ecclesia per incarnationem seu assumptionem naturæ humanæ, sicut ad eam significandam matrimonium carnale consummatum divinitus institutum est, adeoque etiam a Papa indissolubile *c. debitum de bigamis & c. unico de voto in 6.* Neque tamen etiam ex hoc sequitur, conjugii hujus Spiritualis vinculum minus forte vinculo matrimonii carnalis, contra quod expresse habetur *c. 2. h. t.* ubi ait Pontifex: *inter corporalia & spiritualia eam novimus differentiam, quod corporalia facilius destruuntur quam construuntur; Spiritualia vero facilius construuntur quam destruuntur.* Et paulo post subjungit: *cum ergo fortius sit spirituale vinculum* (nimirum conjugii Spiritualis Episcopi cum Ecclesia) *quam carnale &c.* quæ verba posteriora Gl. *in cit. c. 2. v. fortius ait.* Sic interpretatur: *fortius, id est, dignius; quoniam carnale in veritate fortius est, quia dissolvi non potest.* Nam omissa minus apta Glossæ interpretatione, utpote per quam literæ hujus textus inferri violentiam judicat Abb. *ibidem n. 13.* cum Hostiens. rectius cum eodem Abb. *l. c.* Vallensis *h. t. num. 3.* quem citat & sequitur Reiffenst. *ibidem num. 15.* dicitur vinculum illud Spirituale vocari fortius, non quidem in omnibus, sed quo ad certos effectus & respectus ad intentionem dicti illius pontificis deservientes. In quantum nimirum primo, ut Wiestner. *h. t. num. 7.* & Reiffenst. *num. 7.* per consumationem hujus matrimonii spiritualis seu consecrationem imprimitur Character, etiam post mortem indelebilis, vel impressus per præcedentem ordinationem sacerdotalem novo quodam modo reali augetur. De quo vide Laym. *Theol. mor. l. 5. tr. 9. c. 4. num. 3.* Verum hæc indelebilis impressio Characteris facere non videtur ad majorem indissolubilitatem; cum, ut dictum, ad indissolubilitatem nihil conferat consecratio. Secundo quatenus conjugio carnali ligati absque authoritate Papæ recedere possunt a communi thoro & habitatione mutuo consensu profitentium religionem *c. cum sit c. ex publico c. uxoratus de conversione conjugator.* Cum tamen vinculo illo spirituali ligatis recessuris ab ecclesia sua, vel etiam a professione religiosa ad hoc opus sit authoritate Papæ. Tertio, quod conjugio carnali præcise qua consummato non competat ista indissolubilitas, sed quatenus elevato ad rationem Sacramenti. Cum matrimonium celebratum inter infideles & consummatum dissolvatur sine authoritate Papæ etiam quo ad vinculum, si uni eorum ad fidem converso, alter simpliciter, vel sine injuria Creatoris cohabitare nolit *c. quanto c. gaudemus de divortiis.*

2. Resp. ad secundum. Dum translatio dicta Episcopi, seu dissolutio illa matrimonii spiritualis cum ecclesia dicitur *in c. 2. h. t.* fieri non humana, sed potius divina, potestate, non est id ita accipiendum, quasi fiat authoritate pure divina, ita ut illa dicti conjugii indissolubilitas oriatur immediate ea institutione divina (Christus enim nihil determinate præcepit aut tradidit de officio Episcopi perpetuo & indissolubili, sed id reliquit Ecclesiæ dispositioni. Pirh. *h. t. num. 7.*) uti contingit in matrimonio carnali; alias non magis Papa illud quam matrimonium carnale solvere posset. Sed in hoc sensu, quod sola suprema potestate Pontificia, non ab hominibus, sed immediate a Christo accepta. Matth. 16. & Joan. *ult.* dissolvi possit. Et sic quoque dissolutio hujus vinculi Papæ sit reservata authoritate divina, hoc est, Papa sibi eam reservarit authoritate immediate a Christo accepta, in qua dicta constitutio seu reservatio fundatur. Pirh. *n. 7.* citans Suar. *de relig. Tom. 3. l. 2. cap. 16. num.* 20. juxta textum *cap. 1. & 3. h. t.* Quemadmodum etiam traditiones Apostolicæ, V. g. de quadragesimali jejunio interdum divina authoritate latæ seu divina præcepta vocantur; quia Apostoli tanquam Rectores Ecclesiæ immediate a Christo acceperunt potestatem instituendi ea, quæ ecclesiis necessaria viderentur, ut Layman *in cit. c. 2. n. 9.* Licet de cætero loquendo proprie ac stricte, translatio illa & depositio Episcoporum sine licentia Papæ facta non divina sed ecclesiastica solum lege seu traditione sit prohibita. Quæ traditio, cum sit antiquissima, cujus initium ignoretur, Pirh. *l. c.* ait censendam esse traditionem Apostolicam.

QUÆSTIO CCCCXVII.

Cujus authoritate fieri possit ac debeat aliorum Prælatorum Episcopo inferiorum vel etiam aliorum beneficiatorum translatio.

1. RESp. primo. Fieri quoque ea potest authoritate proximi eorum superioris seu proprii Episcopi. *Can. Abb. caus. 18. qu. 2. cap. si quis 3. & cap. seq. dist. 71.* Siquidem ejusmodi Prælatorum vinculum cum suis Ecclesiis ita firmum non est sicut Episcoporum; cum non sicut illi ita & hi censeantur ita proprie contrahere verum matrimonium cum suis ecclesiis, *cap. requisisti de testam.* Unde spectato jure communi & seclusa consuetudine & privilegio, annulum (intellige sponsalitium & in signum desponsationis suæ cum ecclesiis suis) deferre non possunt. Pirhing *h. tit. num. 10.* citato Abb. *in cap. ultim. h. tit. num. 5.* cum solus Episcopus per annulum sic desponsetur. Wiestner citato D. Thom. *in 4. dist. 20. art. 4.* illique tanquam proprio ac vero Ecclesiæ suæ sponso annuli deferendi jus competat. Butrio *in cap. final. de postulat. num. 15.* Fagnanus *in cap. quanto num. 6.* Quamvis, ut Pirhing *cit. num. 10.* Prælati tales Episcopo inferiores, si conventum vel Collegium habeant, præsertim cum jurisdictione ordinaria in subditos suos, in latiore acceptione dici possint Sponsi suarum ecclesiarum, utpote quæ per eorum mortem dicuntur viduatæ *in cap. ne pro defectu & cap. quia propter & ibi* Glos. *verf. ecclesiis viduatis.* Porro si ecclesia, ad quam fit translatio, est in diœcesi aliena, adeoque subjecta Episcopo illius, jam hujus quoque consensus præter consensum Episcopi, in cujus Diœcesi ecclesia, a qua transfertur, requiritur. Argumen. *c. admonet de renunc. & c. fin. de cler. peregrin.*

2. Resp. secundo. Prælati vero transferendi si sint exempti, & immediate subjecti Papæ, vel etiam ecclesia, ad quam fit translatio, sit exempta vel etiam reservata, sine licentia Papæ fieri nequit translatio. Host. *in sum. h. t. num. 4.* Abb. *in c. fin. h. t. n. 5.* Pirh. *n. 10.*

QUÆSTIO CCCCXVIII.

Num Episcopus invitus a Papa transferri possit.

1. RESp. Primo. Potest invitum absolvere a vinculo cum priore Ecclesia, exigente causa justa, ita ut revera ea ecclesia vacet, etiam ante translationem ejus ad aliam ecclesiam, non secus, ac solvere potest vinculum matrimonii carnalis rati, altero conjugum invito. Fagnanus *in c. quanto h. t. nu. 101.* Pirh. *h. t. num. 13.* Wiestner *num. 10.* contra Jo. Monachum *in cap. generali de elect. in 6. num. 10.* & alios hoc nixos fundamento: quod saltem, sicut utroque sponso invito matrimonium carnale ratum dissolvi nequit a Papa, ita etiam tam Episcopo quam Ecclesia, cui desponsatur, invitis, hoc conjugum solvi non possit a Papa. Quin & quod præscindendo a mutuo illo consensu Episcopi cum ecclesia, Episcopo solo renuente hoc matrimonium solvi nequeat expresse haberi videatur *in can. quamvis 7. qu. 1.* ubi S. Gregor. Papa inquit, quod alium in locum Episcopi viventis, nisi recusante illo, nulla sinit ratio ordinari. De cetero procedit responsio nostra, tametsi Episcopus ille fuerit non tantum confirmatus, sed etiam consecratus, ac ita matrimonium illius cum ecclesia consummatum; cum ut dictum Spiritualis illa consummatio firmitati istius matrimonii rati nihil addat. His non obstante, quod contrarium sit in matrimonio carnali consummato, quod etiam volentibus conjugibus solvi nequit, cum, ut dictum quoque, non sit in omnibus paritas inter matrimonium carnale & Spirituale etiam consummatum. Ad fundamentum contrariæ sententiæ dici potest quod non appareat ratio, cur, si uno conjugum invito solvi possit matrimonium carnale ratum, non etiam solvi possit utroque invito, causa gravi & publica urgente, præterquam quod consensum electorum, qui Episcopum eligerunt & Ecclesiam repræsentant, supplere posse videatur Ecclesiæ universalis Rector. Ad dictum S. Gregor. dicitur, subintelligendum: *sine gravi causa* (nam Fagnanus *loc. citat. numer.* 87. Pirhing *loc. citat.* aliique nostræ sententiæ libenter admittunt, matrimonium illud ratum

Epi-

Episcopi nulla humana potestate solvi posse; adeoque nequidem a Papa ex plenitudine potestatis, sine gravi causa) certum enim est, acceptum universaliter omnino non tenere; cum possit Papa Episcopum deponere, & cogere ad cedendum Episcopatui ex gravi causa, ac consequenter eo invito curare alium eo vivente in loco ejus ordinari. Adde, quod S. Gregor. ibi loquatur de Episcopo ægrotante, in cujus locum, ut ordinetur alius eo invito, nulla sinit ratio; cum afflicto non sit addenda afflictio *c. ex parte de cler. ægrot.* sed dandus est talis Episcopo coadjutor.

2. Resp. secundo. Videtur probabilius non posse Papam Episcopum invitum transferre ad aliam ecclesiam, seu separatum a sua ecclesia copulare alteri ecclesiæ Conjugio spirituali, nisi ipse consentiat. Fagn. *in c. quanto h. t. n. num.* 101. Pirh. *h. t. num.* 13. Wiestner. *num.* 15. Sannig. *h. t. cap.* 2. *num.* 3. Reiffenst. *num.* 30. citans insuper Gl. *in can. Episcopus de loco 7. quæst.* 1. Jo. And. *in c. quod ob gratiam de Reg. Iur. in 6. n.* 1. Qui tamen dum ibi ait, quod Papa possit transferre invitum, saltem ut careat prima ecclesia, videtur de altero dubitare. Ratio responsionis est, quod ad valorem matrimonii hujus Spiritualis non secus ac ad valorem matrimonii carnalis requiratur consensus contrahentium; utpote ex quo consensu consurgit matrimonium, juxta quod dicitur *c. inter h. t.* per mutuum consensum eligentium & electi quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum. Adde, quod indubitatum sit, ad recipiendam valide consecrationem episcopalem, utpote quæ Sacramentum est, requiratur positiva intentio & voluntas consecrationem recipiendi. Neque pro contrario dici potest (quod maxime urgere videtur contra Episcopum semel legitime consecratum) quod Ecclesia universalis per totum orbem diffusa sit una; adeoque qui semel consentit per susceptionem Characteris episcopalis in hac Ecclesia episcopali, non possit amplius resistere Papæ, volenti illum transferre pro bono publico de una ecclesia ad aliam; cum hac ratione alteretur solum locus, non autem dignitas respectu Ecclesiæ universalis. Nam licet ex eo ad summum sequatur, quod Papa possit Episcopum semel consecratum cogere ad ministeria episcopalia exhibenda certæ ecclesiæ, vel etiam ad præstandum suum consensum in matrimonium cum certa ecclesia particulari, de quo *respons. seq.* nullateous tamen sequitur, quod possit eum citra ejus consensum cum ea tanquam verum ejus sponsum indissolubiliter copulare. Neque etiam id ipsum sequitur ex eo, quod Papa habeat plenariam potestatem in beneficialibus disponendi *c. licet. de præb. in 6. Clem.* 1. *§. fin. ut lite pendente.* Nam etsi habeat liberam plenamque dispositionem omnium ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum & vel sic Collegiatam mutandi in Cathedralem, Cathedralem in Metropolitanam, erigendi, dividendi, extinguendi Episcopatus, aliasque Prælaturas & beneficia, ita ut, quemadmodum dicunt Bald. *in l. rescripta C. de precibus Imperatori offer. n.* 8. Alex. *cons.* 74. *num.* 19. *l.* 4. Abb. *in c. fin. de postulat. n.* 13. Jo. And. Host. &c. omnia mundi beneficia quo ad Papam censeantur obedientialia & manualia. Non tamen habet illam in ipsas beneficiatorum personas, quæ proprie ecclesiarum, quibus præsunt, sponsi sunt, ita ut eas sine omni illorum consensu & voluntate ecclesiæ particulari tanquam sponsos alligare possit, præsertim, dum dicitur dictus consensus ad ineundum tale matrimonium spirituale jure divino requiri. Argum. *c.* 2. *h. t.* ubi illud: *quas Deus conjunxit, homo non separet:* applicatur huic conjugio Episcopi cum sua ecclesia.

3. Resp. tertio. Nihilominus potest Papa, non solum aliquem renitentem, præsertim jam consecratum Episcopum addicerere ministerio & administrationi alicujus ecclesiæ, etiam viduatæ suo sponso, citra tamen rationem sponsi, seu quod per hoc evadat sponsus talis ecclesiæ, verum etiam cogere, etiam per pœnas. V. g. subtractionem prioris Episcopatus, ad præstandum consensum in dictum conjugium cum alia ecclesia, & sic compellere, ut nolente fiat volens, urgente nimirum bono publico aut gravi necessitate vel utilitate Gl. *in can. omnis 7. q.* 1. *v. coacte.* Abb. *in c. fin. de postulat. n.* 12. Fagn. *l. c. num.* 117. Pirh. *cit. n.* 13. Reiffenst. *ad h. t. num.* 28. quo facit textus *can. displicet.* 23. *q.* 4. ubi: *multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* In quo casu, si translatus consentiat tandem, non dicitur, ut Reiffenst. *n.* 29. facere actum voluntarium, sed potius necessarium; quia licet interveniat ejus consensus, hic tamen non habet originem a causa mere voluntaria, ut accidit in spontanea Episcopatuum permutatione facta cum consensu Pontificis; sed est quidam consensus etiam ab invito præstandus Papæ, ac ita effugiendi peccatum inobedientiæ, vel etiam pœnas intentatas. Sed & si pie & obedienter demum præstetur consensus non tamen ex eo magis dicetur translatio illa voluntaria, quam mors dicatur voluntaria ex eo, quod pie morientes consensum suum præbeant, ut conforment se voluntati Dei. Card. de Luc. *de benef. d.* 24. *n.* 9.

4. Resp. quarto. Pari ratione Episcopi suos subditos clericos ab una ad aliam ecclesiam transferre possunt, si justa causa subsit. Pirh. *n.* 13. *in fine* Argum. *placuit. dist.* 74. ubi clerici pro necessitatibus ecclesiarum promoveri contemnentes a proprio gradu dejiciuntur.

QUÆSTIO CCCCXIX.

Ob quas causas fieri possit illa Episcoporum translatio.

RESP. Causæ, ob quas Episcopus, etiam invitus (intellige in hoc sensu, ut non nisi præcepto, vel etiam intentatione penarum contra voluntatem suam adactus) transferri possit, sunt duæ; magna nimirum necessitas & evidens utilitas: intellige, ecclesiæ, ad quam, vel a qua transfertur. Nimirum dum id suadet & urget bonum pacis & concordiæ, ingens & copiosior fructus animarum ab eo faciendus in altera quam in priore ecclesia, præcipue si huic ob varias circumstantias est parum utilis, ob aeris intemperiem, plebis seditiones, perpetuas hostium incursiones & devastationes (in quo tamen posteriore casu, cessantibus istiusmodi hostilibus incursionibus ad priorem suam ecclesiam redire tenebitur, si ab ea legitime absolutus & alteri copulatus conjugaliter non sit) uti hæc sumuntur ex *c. mutationes & c. temporis caus.* 7. *q.* 1. Hostiens. *h. t. in sum. n.* 6. Gonz. *in c.* 2. *h. t. n.* 13. Pirh. *num.* 26. De cetero fieri quoque potest illa translatio Episcopi ad ecclesiam majorem ob favorem transferendi; non quidem præcise, sed ob ejus merita: quia & hoc ipsum; nimirum honore & favore prosequi Episcopum de Ecclesia, præsertim universali, bene meritum, pertinet ad bonum publicum. In quo casu certum est requiri consensum transferendi; cum talis translatio non aliter censeatur fieri per Papam, quam sub conditione; si transferendus consentiat: ne alioquin, quod ob gratiam illius conceditur, in ejus dispendium retorqueatur contra *Reg. Iur.* 61. *in* 6.

QUÆSTIO CCCCXX.

Qualiter translatio hæc fieri possit & solent ab ecclesia minore ad majorem, vel a majore ad minorem, vel a pari ad parem.

1. RESP. primo. Dum hæc translatio Episcopi (idem est de aliis eo majoribus & inferioribus) fit a Papa ex plenitudine potestatis invito transferendo, ob causas urgentes fieri potest ab ecclesia non tantum pari ad parem, sed & a majore ad minorem. Sequi videtur ex dictis *quæst. præced.* Ubi illud notandum, quod tametsi unus Episcopatus sit altero ditior, seu plures habeat redditus, non tamen propterea censeri debeat majore seu majoris dignitatis juxta *c. legimus dist.* 93. & Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 16.

2. Resp. secundo. Ordinarie tamen & regulariter hæc translatio non fit nisi a minore ad majorem dignitatem juxta cit. can. legimus. Quin etiam, ut quis volens transeat a majore ad minorem. V. g. a Metropolitana ad Cathedralem, ægre permittitur & difficilius dispensatur; tum quia major ecclesiæ utilitas præsumitur in transitu a minore ad majorem, quam in transitu a majore ad minorem *c.* 1. *h. t.* Gl. *in c. fin. h. t. v. parem* Abb. *ib. n.* 8. Pirh. *h. t. n.* 15. Unde jam etiam, qui obtinuit a Papa indultum seu privilegium transeundi ad majorem dignitatem, vi illius transire nequit ad minorem vel parem, ut expresse habetur *c. licet, seu ult. h. t. §. hoc autem.* Gl. citata Pirh. *l. c.* tum quia indultum tale contra jus commune impetratum est stricte interpretandum; tum quia talis transitus non est causa necessitatis vel utilitatis, seu avaritiæ, dum ea, quæ deseritur, altera est pauperior, vel etiam alterius finis minus honesti studio fieri præsumitur. Innoc. *in cit. c. fin. n.* 4. Abb. *n.* 16. Pirh. *n.* 15. Quare etiam indultum concessum transeundi ad ecclesiam minorem a majore majus reputatur ab Abb. *l. c. n.* 8. & Laym. *in idem c. n.* 1. indulto transeundi a minore ad majorem. Neque his obstat, quod concessis majoribus, concessa videantur & minora *Reg.* 53. *in* 6. *& can. visis* 16. *q.* 2. V. g. dum dispensatus ob illegitimitatem ad ordines majores censetur, & sit quoque dispensatus ad minores. Dispensatus simili impedimento laborans ad Archiepiscopatum censetur quoque dispensatus ad Episcopatum. Nam verum hoc est, ubi concessio

vel dispensatio tollit inhabilitatem ob defectum personæ, uti probant allata exempla; non tamen, ubi non tollitur vitium personæ, quæ de se alias apta tam ad majus quam ad minus; sed impedimentum aliud. V. g. in præsente vinculum matrimonii spiritualis, quo Episcopus priori ecclesiæ adstrictus, qui de se habilis ad utrumque Episcopatum. Præsertim dum indultum illud ad majus fundatur in majore utilitate, estque magis consentaneum juri communi, qualis est in præsente promotio a minore ad majorem dignitatem; quippe, quæ fit gradatim ascendendo non descendendo & quidem in præsente ex præsumpta majore utilitate.

QUÆSTIO CCCCXXI.

Qualiter translatio illa Episcopi fiat interveniente postulatione vel electione.

RESp. Sive dignitas, ad quam fit translatio sit electiva, adeoque necesse sit intercedere electionem vel postulationem, dum promovendus obnoxius est impedimento canonico, in quo dispensari potest & solet; sive sit collationis liberæ vel etiam necessariæ; dum nimirum ad alterius nominationem vel præsentationem necessario facienda promotio, absolvendus est a vinculo, quo priori ecclesiæ astringitur. Hostiens. *in sum. h. t. n.* 3. Pirh. *n.* 15. & quidem antequam ei fieri potest collatio libera vel necessaria; quin & ante præsentationem illius; ne alias remanens obstrictus talis impedimento præsentaretur inhabilis, nisi forte jam antecedenter instructus esset privilegio retinendi priorem ecclesiam simul cum alia, ad quam præsentatur. Quod si vero promoveatur via postulationis necesse non est, prius liberatum esse a tali impedimento; quia vel hoc ipso postulari non posset, utpote carens jam impedimento. Porro notandum hic, quod licet electus (nimirum carens tali impedimento, aut contra illud instructus privilegio eligibilitatis) post legitimam electionem sui consentire possit in eam, etiam ante ejusdem confirmationem & examinationem, postulatus tamen (nimirum quia laborat tali impedimento & caret tali indulto) nequeat consentire in sui postulationem ante examinationem & admissionem postulationis. Qua admissa jam poterit sine licentia alia Papæ adire dignitatem seu ecclesiam, ad quam postulatus. Pirh. *l. c.* citatis Innoc. *ad c. ult. h. t. n.* 2. Abb. *ibidem n.* 15. Quod tamen ex eodem Abbate addit; Pirh. nimirum quod etsi alicui detur licentia transeundi ad alium Episcopatum, noo tamen per talem dispensationem seu indultum is habilitetur quo ad modum providendi (nimirum ut eligi possit) eo quod per hoc non statim tollitur vinculum spiritualis matrimonii cum priore ecclesia, a quo provenit impedimentum, ut eligi nequeat, sed debeat postulari id inquam, non video, quomodo subsistat. Nam etsi per tale indultum concessum ei, quem Papa scit esse sponsum alterius ecclesiæ, non tollatur præcise dictum vinculum; quia posset habens talem licentiam, & vi illius adiens aliam ecclesiam, retinere simul priorem, dum ad hoc speciale habet privilegium, sub disjunctione tameo vi talis licentiæ intendit Papa vel tollere dictum vinculum, vel ut eo remanente possit transire ad aliam ecclesiam; io utroque enioi casu per talem licentiam redditur eligibilis; quia tollitur jam impedimentum, quo impediebatur eligi.

QUÆSTIO CCCCXXII.

An & qualiter per translationem vacet prior ecclesia.

1. RESp. primo. Dum translatus privilegium non habet retinendi simul ecclesiam priorem, & translatio fit ob merita translati in ejus favorem, eo tamen absente ac penitus ignorante, solvitur matrimonium inter illam, efficiturque ea vidua, & vacat ipso jure, quamprimum translatus in translationem soi iibere factam a Papa consentit, seu eam acceptat, etiam ante acquisitam posterioris hujus ecclesiæ possessionem, ne alias translatus simul foret sponsus duarum ecclesiarum, & ita committeret spirituale adulterium. Quę ratio, quia cessat in aliis Prælatutis, dignitatibus & beneficiis, utpote in quibus non reperitur illa conjugii spiritualis ratio, quę io Episcopo, ordinarie non vacant, ante obtentum jus plenum & possessionem in aliis, Ita Abb. *in c. fin. de postulat. n.* 13. *& l.* 2. *cons.* 101. *a n.* 3. Tusch. *v. translatio Episcop. concl.* 364. Fago. *in c. quanto h. t. a n.* 96. Reiffenst. *h. t. n.* 41. Pirh. *h. t. n.* 17. quamvis is expresse non addat: si fiat translatio a Papa translato absente & peoitus ignorante. Estque etiam ratio hujus responsionis a priore hæc; quod Papa in tali casu favoris erga personam translati, nisi aliud exprimat, non aliter transferri soleat, quam sub conditione; si traosferendus consentiat vel expresse vel tacite saltem, adeoque ante purificationem hujus conditioois translatus non est sponsus secundæ ecclesiæ, ac consequenter non vacat prima.

2. Resp. secundo. Dum tamen fit translatio ad instantiam translati, vel de ejus præscitu (qui præscitus etiam intercurrere censetur, dum providetur de secunda ecclesia per viam electionis coofirmatæ) illico vacat Episcopatus prior, quam primum in Curia seu Consistorio Papæ decernitur & fit ei collatio secundæ ecclesiæ (idem videtur, dum coofirmatur ejus electio) non tantum ante adeptam possessionem illius, sed etiam hodiedum ante expeditionem literarum Apostolicarum (ante quam expeditionem olim non vacabat ecclesia prior. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *n.* 49. *& ead. gl. §.* 1. *n.* 8. Barb. *jur. eccles. l.* 3. *c.* 14. *n.* 25. idque juxta Extrav. injunctæ de elect. inter commun.) habitamque desuper a transferendo notitiam. Abb. *cit. cons.* 101. *n.* 3. Fagn. *l. c. n.* 90. Barbos. *l. c. cap.* 19. *n.* 37. *& in collect. ad c.* 1. *h. t. a.* 5. ubi etiam refert desuper emanatam S. Cong. die 14. Decemb. 1624. Illust. Cardinal. negot. Episcopor. præpositæ declarationem ubi: *S. D. N. approbante, censuit, Ecclesiam, a qua quis volens transfertur, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ, & posteaquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio seu documento Secretarii Sacri Collegii, illico teneri, eum abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum tanquam sede vacante, & ita posse ac debere Capitulum statim ea jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare &c.* Et ratio hujus est, quod translatus, ad cujus instantiam vel de cujus præscitu fit translatio seu promotio ad secundam ecclesiam, jam eo ipso antecedeoter præbuit suum consensum in dissolutiono sui matrimonii prioris & in dictum matrimonium novum seu translatiooem sui: ergo mox, ut illa dissolutio & translatio contingit, desinit esse Episcopus illius ecclesiæ, a qua transfertur *can. si quis jam translatus* 21. *q.* 2. & quo ad primam ecclesiam habetur pro mortuo ex illa hora, qua transfertur *can. in apibus §. seu in quibus casibus* 7. *q.* 1. juncta Gl. *ibid. v. defunctus* ac ita prior ecclesia fit vidua ac vacans. Pro ut simile quid contingit in matrimoniu carnali rato, cujus vinculum illico solvitur per professionem religiosam, altero etiam conjugum illam ignorante. Neque in contrarium faciunt textus *si quis Episcopus & can. si qui Episcopi* 92. *c. cum in cunctis de elect.* & similes, quibus iooixi cum Gl. *in can. si quis jam translatus* 21, *q.* 2. volunt adversarii non vacare priorem ecclesiam ante pacifice obtentam corporalem possessionem secundæ. Quia non loquuntur de Episcopo translato, sed de Episcopo noviter ordinato, cui priora beneficia & prælaturæ relinquuntur, usque ad ejusdem consecrationem, vel etiam ad Episcopatus pacificam possessionem, utpote cum quibus non habuit conjugium spirituale, adeoque necesse oon est ab eorum vinculo prius, vel etiam consecutionem Episcopatus liberari.

3. Resp. tertio. Dum translatio fit, non tam ad favorem personæ, quam ob causam publicam, nempe gravi necessitate vel utilitate ecclesiæ ita exigente, invito seu reluctaote transferendo, non vacare ecclesiam ante consensum illius, (intellige, non tam spontaneè præstitum, quam per præceptum aliamque adactionem extortum. Aliter enim invitus dici non potest) censent Pirh. *h.* 1. *n.* 17. Wiestner. *h. t. n.* 13. citans pro hoc Abb. *in c. cum nobis de elect. n.* 5. Fagn. *in c. quanto h.* 1. *n.* 91. Silv *de benef. p.* 3. *q.* 37. eo quod & tunc fieri velint translationem sub conditione; si Episcopus consenserit, ut Wiestner. *l. c.* Contrarium tamen tenet Reiffenst. *h. t. n.* 43. contiogere nimirum in dicto casu statim a die promotionis seu translationis (intellige, non exspectato consensu translati) vacationem ecclesiæ, nisi Papa aliud vacantiæ tempus determinet; tam enim vacatio quam retentio priorum beneficiorum, aut etiam præhabiti Episcopatus, pendet a voluntate & decreto Papæ, qui quandoque decernit vacare alia beneficia, vel etiam Episcopatum præhabitum vel ante seu tempore translationis factæ in Curia; vel etiam post, cum primum trauslatus adeptus possessionem pacificam vel etiam fructuosam Episcopatus, vel majoris partis bonorum. Tusch. *Lit. B. concl.* 71. *n.* 15. Reiffenst. *h. t. n.* 42. Quod ipsum verum esse judico, dum Papa in literis diceret. V. g. Episcopum Perusinum a sua ecclesia absolvimus (quod Papam ex gravi causa facere posse citra omnem illius consensum dictum est supra) & ad ecclesiam Ferrariensem transferendum duximus, si dicatur Papa tunc procedere jubendo, eo enim

eo enim ipso, quo ille absolvitur, sive volens sive nolens a sua ecclesia, ea continuo vacat, etiam antequam ecclesiam Ferrariensem acceptet, ac ita translatio compleatur. Neque enim illa absolutio ab ecclesia Perusina, etsi facta illa intentione a Papa, ut ecclesiæ alteri copuletur, est conditionata; si transferendus velit, vel etiam, si ecclesiam Ferrariensem acceptavit, seu in matrimonium cum ea consenserit, sed absolute. Unde etiamsi postmodum noluerit obedire præcepto Papæ & consensum suum præbere in matrimonium spirituale cum altera ecclesia, ad priorem vacantem redire non poterit sine nova Papæ licentia. De cetero censetur Papa transferre Episcopum ob favorem personæ, si procedit providendo seu promovendo, secus, si procedat jubendo. Reiffenst. *n.* 43. Si autem processerit jubendo, censetur facta translatio ex causa publica & favore ecclesiæ, non favore personæ, ac ita cogitur Episcopus transire ad aliam ecclesiam Reiffenst. *n.* 25. citans *can. omnis* 7. *q.* 1. Baldum *L. rescripta n.* 8. Tusch. *Lit. T. concl.* 364. *n.* 9. Abb. &c. Dum vero non apparet, sed dubium est, num Papa processerit jubendo an providendo, ut si absolute dixerit in literis: *Episcopum N. absolvimus ab ecclesia, cui præest, & ad ecclesiam N. duximus transferendum*; talis translatio præsumitur facta non tantum favore ecclesiæ, sive ob ejus utilitatem, sed etiam in gratiam personæ, ac ita de Episcopo invito. Fagn. *in c. quanto h. t. num.* 123. citans alios apud Reiffenst. *cit. num.* 25.

4 Resp. quarto. Tametsi, dum translatio fit, Papa soleat prius transferendum absolvere a vinculo prioris ecclesiæ. Argum. *c. inter corporalia h. t.* uti id ab antiquo observatum est fieri de more Curiæ Romanæ. *c. bonæ memoriæ*, Reiffenst. *h. t. n.* 37. atque ita vacet ecclesia vi talis absolutionis, ubi tamen id non fieret, spectato jure communi dissolvetur illud vinculum prius, & vacaret eo ipso jure per translationem seu adeptionem secundæ ecclesiæ. *can. in apibus* 7. *q.* 1. *§. translatis c. quanto h. t.* Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 15. *n.* 49. citans Rebuff. *in pr. tit. requisit. ad collat. num.* 51. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 25. atque ita adhuc in eo casu dissolvetur illud vinculum cum priore ecclesia interveniente authoritate Papæ, utpote conditore istorum jurium, seu præbente illam in istis juribus.

QUÆSTIO CCCCXXIII.

An per translationem amittatur alternativa, quam habuit Episcopus conferendi alternis mensibus beneficia.

RESp. affirmative, ita ut, si ea pro Episcopatu de novo adepto frui voluerit, debeat eam de novo petere; cum prior illius impetratio fuerit solum pro Episcopatu dimisso; neque etiam acceptatio illius fieri potuerit pro Episcopatu obventuro aliquando. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 1. *n.* 484. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 58. *a n.* 18. Card. de Luc. *de benef. d.* 93. *n.* 12. *&c.*

QUÆSTIO CCCCXXIV.

Utrum Episcopus translatus (idem est de aliis Prælatis vel etiam beneficiatis) possit secum asportare fructus jam perceptos, & bona ex redditibus prioris ecclesiæ sibi comparata.

1. RESp. affirmative. Tusch. *Lit. T. concl.* 364. *num.* 10. Calderin. *cons.* 264. *alias* 2. *de reb. eccl. non aliem.* Reiffenst. *h. t. num.* 47. citans insuper Rotæ *decis. un. de translat. Episcopor. in antiq.* contra Petrum Barbos. *p.* 1. *l. divortio n.* 52. *ff. soluto matrim.* citantem pro se Bellam. *c. si quis translatus* 21. *q.* 2. *n.* 10. Anchar. *cons.* 189. *n.* 1. Alciat. *resp.* 1. *n.* 49. *l.* 1. Item contra Aug. Barbos. *de off. & potest. Episc. l.* 3. *alleg.* 114. *n.* 16. etsi *l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 19. *n.* 35. & *c.* 2. *h. t. n.* 4. inclinare videntur in oppositam sententiam. Ratio responsionis est, quod cum redditus seu fructus beneficiorum dentur Episcopo aliisque clericis ob ministerium exhibitum ecclesiis in earum regimine, cura, aliisque obsequiis divinis *c. cum secundum de præb.* æquum omnino sit, ut iis etiam a suis ecclesiis transeuntibus, aut etiam simpliciter renunciantibus, relinquantur, quin etiam ex eo illis relinqui debeant; quod licet Episcopi aliique ecclesiarum Prælati non sint Domini possessionum, feudorum aliorumque bonorum immobilium, sed solum administratores & œconomi *c. expedit. c. videntes* 12. *quæst.* 1. comparenturque in vivis usufructuario gl. recepta *in c. præsenti*

v. reservari de off. ordinar. in 6. Fagn. *in. c. si quis sane n.* 3. *de pecul. clericor.* Sunt tamen juxta omnino probabiliorem veri domini fructuum perceptorum (etsi cum onere superflua erogandi in causas pias) adeoque & exinde comparatorum sibi bonorum (cum res, quæ succedit in locum alterius, eodem jure censeatur cum illa *c. ecclesia ut lite pendente.*) sive ea sint mobilia, sive immobilia, sive pretiosa sive non pretios.; quia circa hujusmodi bona jura non distinguunt. Tusch. Calder *l. c.* Reiffenst. *n.* 47. adeoque jam etiam, licet Episcopus translatus censeatur civiliter mortuus quo ad ecclesiam priorem *c. in apibus §. ecce* 7. *q.* 1. & *ibi* Gl. *v. defuncto* remanet tamen in eo jus & dominium semel acquisitum fructuum rerumque aliarum ex iis comparatarum. Favetque nostræ responsioni constitutio Julii III. *cum sicut* confirmata per Urbanum VIII. ubi Papa *§. nos attendentes* expresse fatetur fructus, pecunias, aliasque res occasione ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum provenientes, *postquam ad manus beneficiatorum pervenerint, & cum aliis ipsorum fructibus, pecuniis & rebus commixti, seu ipsis beneficiatis incorporati sunt, non ulterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiatorum propriis & aliis acquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro sæcularibus & profanis haberi &c.* Neque obstat, quod de jure communi *c.* 1. *de testam.* & *c. quia sæpe de elect. in* 6. omnia bona Episcopi intuitu ecclesiæ acquisita post mortem illius sint conservanda in dominio ecclesiæ, ac futuris successoribus fideliter conservanda. Id enim intelligendum videtur de bonis illis, quæ tempore vitæ Episcopi in dominium illius non transierunt. Qualia sæpe sunt frumenta, vina, pecuniæ &c. extra redditus mensæ Episcopi constituta.

2. Limitanda tamen etiam est responsio, ita ut, si Episcopus etiam talia bona ex redditibus comparata destinasset semel aut donasset Ecclesiæ, ea in hujus dominio remanere debeant, nec amplius ab Episcopo translato auferri possint. *Can. nulli liceat* 12. *q.* 2. Unde etiam, si ecclesia ante adventum Episcopi pro necessitatibus aut instructione prædiorum vel cultura fundorum suorum habuit certa animalia, equos, boves, oves &c. & Episcopus in locum deficientium subrogavit aliquos equos, boves, oves, nequeat post sui translationem ejusmodi animalia, utpote jam destinata ecclesiæ, secum transferre. Card. de Luca *de benef. d.* 84. *n.* 13. ubi idem dicendum ait de iis animalibus, quæ necessaria fuissent ex fundi qualitate pro eo instruendo, licet ex negligentia prædecessoris sui vel ex alio casu ab ingressu suo in Episcopatum non invenisset tot animalia. Rationem dat, quod suppletio illa fieri debeat ex fructibus, utpote onus aliquod reale & intrinsecum incumbens beneficiato tanquam usufructuario, qui tenetur in vitium & arborum demortuarum locum suis sumptibus substituere alias. *L. agri l. vetat fuit. & seq. ff. de usufructu & §. in pecudum Inst. de rer. divis.* quia recte colere, & quasi bonus paterfamilias uti debet.

QUÆSTIO CCCCXXV.

An etiam fructus pendentes & tempore translationis Episcopi adhuc inexacti pro rata temporis translato debeantur.

RESp. In hoc non convenire AA. affirmant Car. de Luca *de beneficiis d.* 84. *n.* 4. Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 6. *a n.* 79. Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 1. *a n.* 96. *&c.* Negant Gl. *in c. præsenti v. reservari de off. ordinar. in* 6. Hostiens. Card. Imol. *in c. ult. de pecul. clericor.* Nav. *cons.* 7. *de succession. ab intest. num.* 7. quos sequitur Reiffenst. *h. t. a n.* 56. referens insuper pro hac posteriore sententia Rotam *in caus. Pharens. pens.* 19. *Jun.* 1598. Fundatur sententia posterior in eo, quod beneficiati bonorum immobilium, puta fundorum, vinearum, agrorum sint solum administratores & usufructuarii, ut Gl. & Fagn. *quæst. præced.* citati; usufructuarius vero acquirat fructus ante mortem collectos, non vero pendentes *l. usufructuarius ff. quibus mod. ususf. amitt.* & *§. is vero. Instit. de rerum division.* ubi: is vero, ad quem ususfructus fundi pertinet, non aliter dominus fructuum efficitur, quam si ipse eos perceperit, & ideo, si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur &c. Adeoque hi fructus adhuc pendentes tempore translationis, tanquam mortis civilis Episcopi, pertinent ad ecclesiam vel successorem in beneficio juxta citatam Bullam Jul. III. *cum sicut &c.* in qua is motu proprio constituit & declaravit, quod fructus beneficiorum tempore obitus beneficiatorum, etiam Episcoporum inexacti & necdum percepti ad successores in beneficio, & non ad hæredes spectent in locis, in quibus non de-

putantur a Camera Apostolica Spoliorum Collectores, addendo etiam rationem; quod hi fructus adhuc pendentes sint ipsarum ecclesiarum, ac vere existant, juri autem non congruat, ut quis de bonis ac rebus ipsarum ecclesiarum, quæ omni jure alienari prohibentur, disponere eaque alienare possit. Quam Bullam juri communi quo ad hoc conformem dicit Reiffenstuel quamvis alias eam, utpote quæ a principio multis nimis dura visa, ut ait Nav. *l. cit. cons.* 4. *num.* 5. non ubique receptam dicat, pro ut eam in Galliis & Hispaniis, uti & in provincia Mediolanensi usu receptam nunquam fuisse testatur Garcias *p.* 2. *c.* 1. *num.* 103. & 104. citans Zechum *de benef. c.* 18. *nu.* 8. Alii vero, ut Hondedus *vol.* 2. *cons.* 85. *a n.* 15. Antonell. *tr. de regim. eccl. Episc. l.* 3. *cap.* 10. censeant, eam, cum solum loquatur in beneficiato defuncto morte naturali, locum non habere inter resignantem & resignatarium: eo quod constitutiones juris communis correctoriæ non sint extendendæ extra casum, de quo loquuntur. Quod tamen reprobat Reiffenstuel *n.* 60. eo quod, licet differentia sit inter vacationem beneficii per cessum seu resignationem, & inter vacationem per decessum seu mortem quo ad impetrationem illius, nulla tamen convincatur adesse ratio diversitatis in Episcopo cedente, resignante, translato, & in Episcopo mortuo naturaliter quo ad vinculum, titulum & administrationem prioris ecclesiæ juxta *c. in apibus* & Glos. *ibidem v. defuncto* Abb. *in cap. nisi essent. de preb.* Nicol. de Ubaldis *tom.* 3. *tractatuum, tr. de success. ab intest. clericor. §. sequitur n.* 11. Paris. *de resign. l.* 1. *qu.* 5. *nu.* 4. & 8. citantem plures alios, & ubi intervenit identitas rationis expressæ, uti contingit in citata Bulla, recte fiat extensio etiam in correctoriis. Verum de his vide me fusius & accuratius agentem, facta distinctione inter fructus civiles, naturales & mixtos, item inter separatos a solo & in horreo reconditos, etsi necdum exactos, & inter necdum separatos a solo, etsi maturos, *in foro benef. p.* 3. *q.* 247.

TITULUS OCTAVUS.

De Authoritate & Usu Pallii.

QUÆSTIO CCCCXXVI.

Quid nomine Pallii hic veniat.

RESp. Præcipuum Archiepiscoporum (Patriarcharum etiam & Primatum) insigne & principale ornamentum, sumptum de corpore S. Petri, cujus concessione iis per Papam factæ plenitudo pontificalis seu pastoralis officii cum appellatione Archiepiscopalis nominis confertur, & collata significatur. Desumpta hac descriptione ex *c. significasti de elect.* & *c. nisi specialis h. tit.* Hostiens. *in sum. h. t. num.* 1. Dicitur primo *insigne*, hoc est, non tantum præclarum, sed & signum quoddam amplissimæ & præcellentis supra alios Episcopos dignitatis & authoritatis indicativum, juxta textum *c. significasti*, ubi Pontifex Archiepiscopo Panormitano rescribens, ait, *cum igitur a Sede Apostolica vestra insignia dignitatis exigitis, quæ a B. Petri tantum corpore assumuntur &c.* Thomasin. *de veteri & nova Ecclesia disciplina p.* 1. *l.* 2. *c.* 56. *n.* 12. ubi ex Alcuino, *l. de divin. off.* cum pallium primum Romanus tantum Pontifex & Patriarchæ ceteri induerint, argumento id est, eminentissimam quandam authoritatem & præcellentem supra alios designari, tanquam in eis duntaxat pontificiæ amplitudinis resideat plenitudo &c. quamvis ex speciali privilegio quibusdam etiam Episcopis conferri soleat, quorum plures enumeratos vide apud Reiffenst. *h. t. n.* 4. Dicitur secundo: *principale ornamentum* juxta quod ait Thomas. *l. c. c.* 53. *n.* 6. ex Isidoro Pelusiota & Germano pallium inter Episcopalia ornamenta maxime insigne est, quod supra cetera apponitur ornamenta, & juxta quod idem Alcuinus apud eundem ait: pallium Archiepiscopale supra omnia ornamenta est, ut lamina in fronte Pontificis, significatque torquem, quem solebant legitime certantes accipere. Dicitur tertio: *sumptum de corpore S. Petri*, juxta citatum textum *c. significasti*, vel quia istiusmodi pallia benedicuntur & consecrantur a Papa supra altare S. Petri Romæ, ibique ponuntur, & inde ab Archiepiscopis ibi præsentibus, aut eorum, si absint, procuratoribus sumuntur, & cum Glos. *in cap. significasti v. assumuntur*. Barbos. *ibid. n.* 6. Pirh. *h. t. nu.* 1. quamvis, ut Pirh. ex Hostiens. *h. t. n.* 3. addat, pallium hoc quoque ex altari capellæ pontificiæ recipi possit, vel, ut cum Layin. *in c. significasti n.* 2. Pirhing *l. c.* Wiestner *h. t. n.* 4. Reiffenstuel *nu.* 5. quia significat particulam aliquam potestatis pontificiæ in B. Petro ejusque Successoribus Romanis Pontificibus principaliter residentis, dum Archiepiscopi & Episcopi vocati tantum sunt in partem sollicitudinis: non in plenitudinem potestatis, *Can. qui scit.* 2. *qu.* 6. & *c. ad honorem h. t.* Dicitur quarto *concessione*: ut intelligatur, non solere nisi ad petitionem dari, de quo paulo post. Dicitur quinto *per Papam facta*: quia is solus de jure & authoritate propria & universaliter confert. Dicitur sexto: *confertur plenitudo potestatis*: quia absque pallio Archiepiscopi, etiam consecrati, plura tam spectantia ad potestatem jurisdictionis quam ordinis exercere nequeunt. Dicitur denique; *cum appellatione nominis Archiepiscopalis*. Non enim ante receptionem pallii appellari potest Archiepiscopus, *c. nisi specialis h. t.* & *ibi gl. v. nominis*. Abbas *ibid. n.* 1. & 7. tametsi dici possit Metropolitanus. Argum. *c. suffraganeis de elect.* Abbas *ibid. n.* 1. Verum de his omnibus accuratius in *seqq. qq.*

QUÆSTIO CCCCXXVII.

Quæ sit forma seu figura hujus Pallii, & quæ significatio.

1. RESp. ad primum. Est vestis candida ex lana alba contexta in coronæ seu circuli modum pectus & humeros circumdans, ac quatuor nigris vel purpureis crucibus distinctam, anteriore parte non nihil dependens. Abb. *ad rubric. h. t.* Sylv. *v. pallium*, Azor. *Inst. Mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 34. *qu.* 5. Pirh. *h. t. n.* 1.

2. Resp. ad secundum. Præcipuam ejus significationem tradit Thomas. *l. c.* 53. *nu.* 7. ex Isidoro Pelusiot. ubi: visum est illi, illud non ex lino sed lana contextum, ut oculis intuentium objiciat imaginem, memoriamque refricet æterni animarum pastoris, qui errantem ovem quæsivit, impositamque humeris suis revexit. Item *nu.* 7. ex German. Patriarch. Constantinop. *in Theoria rer. ecclesiast.* humerale illud, quo Episcopus circumdatur significat ovis pellem, quam errantem, cum Dominus invenisset, super humeris suis assumpsit. Alias ejus mysticas significationes vide apud Abbas *in rub. h. t.*

QUÆSTIO CCCCXXVIII.

Quæ Pallii hujus origo.

RESp. ejus originem esse antiquissimam. Siquidem illo usos primis nascentis Ecclesiæ Sæculis Romanos Pontifices, perhibet Polydor. Virgil. *l.* 4. *de invent. rer. c.* 22. a B. Petro missum S. Materno primo Coloniensium Episcopo, habet Rupertus Tuitiens. *l. de divin. off. c.* 27. a S. Lino singulare potestatis testimonium & privilegium concessum habet S. Maximus. *Homil. de veste Sacerd.* a S. Marco Successore S. Sylvestri Episcopo Hostiensi. Platina *in vita S. Marci* a S. Gregor. M. indultum Syagrio Augustudunensium Præsuli ipsemet S. Gregor. *lib.* 7. *epist.* 112. &c. Usum hujus pallii antiquiorem fuisse in Ecclesia Græca quam Latina, ait Thomas. *cit. c.* 53. *n.* 1. qui etiam *c.* 54. *nu.* 1. quod in occidente primus omnium illud a Symmacho Papa acceperit Cæsarius Arelatensis Episcopus.

QUÆSTIO CCCCXXIX.

A quo illud olim obtineri solitum, & modo impetrari debeat.

1. RESp. ad primum. In Oriente olim ab ipsis Imperatoribus accepisse pallia Episcopos, & tamdiu a pontificali munere abstinuisse, donec pallium ab Imperatore accepissent, nunquam tamen in Occidente Imperatorem id ulli contulisse, testatur Thomas. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 53. *num.* 15. Pallia

lia a Patriarchis solita fuisse submitti Metropolitanis, & ab his in re ipsa sui consecratione accepisse illa Episcopos, tradit Thomas. *l. c. n.* 8. Postmodum etiam quatuor Patriarchas: Constantinopolitanum, Antiochenum, Alexandrinum, Jerosolymitanum, postquam & ipsi receperant a Papa pallium, præstito eidem fidelitatis & obedientiæ juramento solitos fuisse illud conferre ex concessione seu privilegio Papæ, nimirum ab Innocentio III. in Concilio Generali renovato, suis suffraganeis; recipientes ab illis pro se professionem Canonicam sive obedientiam & reverentiam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ, habetur *in c. antiqua de privil. & ibi gl. v. professionem*. Sic dum sub Innoc. III. Latini occuparunt Constantinopolim & Orientale Imperium, statutum, in Concilio Lateranensi 4. anno 1215. ut deinceps Patriarchæ orientales pallio donarentur a Pontifice, eoque deinceps ipsi donarentur a Pontifice, eoque deinceps ipsi donarent suffraganeos sibi obnoxios. Thomas. *c.* 56. *nu.* 4. voce autem illa *suffraganeis* non intelligi ibi Episcopos, sed Metropolitas, ita ut non omnibus Episcopis aliis per illud Concilii statutum concessum sit pallium, ostendit Thomas. *l. cit. c.* 57. *n.* 10.

QUÆSTIO CCCCXXX.

Quibus concedatur seu conferatur pallium.

RESP. Pallium in Græcia olim concessum Episcopis omnibus, verisimile astruit Thomas. *l. cit. c.* 54. *nu.* 6. ubi ait, pallium in Græcia nec Patriarchas, nec Metropolitas seu Archiepiscopos servasse proprium sibi, sed cum Episcopis omnibus communicasse. Sic enim Isidor. & German. universim pronunciant, pallium inter Episcopalia ornamenta esse maxime insigne, Episcoporum hoc esse decus splendidissimum, quod supra cetera apponatur ornamenta, quo Episcopi a clericis quibuslibet & gradibus aliis distinguantur &c. Item *cap.* 56. ait, viros doctissimos eam amplexos sententiam, Græcis Episcopis omnibus prorsus communicatum fuisse pallium, eoque donari solitos fuisse illos eo tempore, quo ordinabantur. Verum mox subjungit idem, hanc doctrinam validis nihilominus machinis oppugnari a viris quoque doctrina præstantissimis, conaturque ipse ex Synodo General. 8. *Canon.* 17. deducere contrarium; nempe in Ecclesia Græca ac in Latina jus utendi pallio ad solos manasse Metropolitas, qui eo a Patriarchis vel præsentibus dato, vel misso absentibus sacra dignitate sua quodammodo investiebantur. Item ex verbis *Can.* 27. ejusdem Synodi: *ita ut Episcopi, quibus concessum est palliis uti certis temporibus* &c. infert, non omnibus Episcopis fas fuisse uti pallio. Item *nu.* 3. ex Baron. ad annum Christi 935. ait ex facto illo Theophylacti Patriarchæ Constantinopolit. quo is sibi suique successoribus impetravit a Papa facultatem utendi pallio, non exspectata Romani Pontificis licentia, inolevisse, ut non solum Patriarchæ, sed & omnes totius Græciæ Episcopi pallium usurparent (intellige per abusum) adeoque saltem ante illud tempus, Episcopos omnes seu promiscue illud non usurpasse. Alia argumenta vide apud eundem, *n.* 4. quis denique *n.* 5. ex Balsamone ait; quod postquam illud pallium in Occidente concessum omnibus Metropolitanis, imo & indultum Episcopis quibusdam, Græci Episcopi quoque omnes usurparint pallium, impetrata vel extorta aut saltem simulata Papę concessione. Sed quidquid sit de hoc, pallium illud primo competit Papæ veluti Archiepiscopo Romano, ut constat ex *c. ad honorem h.* 1. soli que illi primum usitatum fuit, dein etiam Patriarchis, & lapsu temporis præcellentibus quibusdam Metropolitanis, quibus Papa vices suas delegaret, non in Occidente tantum, sed & in Oriente delatum. Thomas. *cit. nu.* 5. Hodiedum verò Archiepiscopis omnibus concedi consuevit, *cit. c.* 1. *&* 2. *dist.* 100. Hostiens. *in sum. h. t. n.* 3. quin & Episcopis quibusdam ex speciali privilegio vel longa consuetudine a Sede Apostolica mittitur, ut Quinque ecclesiensi in Hungaria, *c. cum in juventute de præsump.* Bambergensi in Germania immediate subjecto Papæ. Ostiensi Decano Collegii Cardinalium, a quo Papa consecratur. Papiensi in Lombardia. Lucensi in Tuscia. Dulensi in Gallia. Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 7. *n.* 103. Gonz. *in c.* 1. *h. t. n.* 8. Pirh. *h. t. n.* 3. Wiestner *nu.* 2.

QUÆSTIO CCCCXXXI.

Qua ratione & modo impetrari soleat & debeat.

1. RESP. Primo. Indubitatum esse ait Thomas *l. cit.* 53. *nu.* 9. aliquot saltem sæculis non sine voluntate Imperatoris in Oriente pallium, sicut & in Occidente concessum fuisse cujus argumentum est, ut Thomas *ibidem* ex liberato, quod Anthymus Patriarcha Constantinopolitanus simul ac ab Agapeto Papa extrusus est ab ea Sede, quam invaserat; pallium Imperatori reddidit & recessit. Item quod Gregor. M. ut ipsemet testatur, *Lib.* 5. *Epist.* 27. interpellarit Imperatorem pro Anastasio Patriarcha, ut liberum ei esset Romam accedere, & usum pallii retinere ad functiones Pontificales obeundas. Atque ita Thomas, *l. c. c.* 56. *nu.* 6. *in fine* ait: in Imperatoris ergo potestate erat & arbitrio, quamdiu & ubi Patriarchæ pallio uterentur, quod minus absonum erat, si eo ab ipso Imperatore donabantur; concluditque: ergo in Oriente Imperatorum magis quam Pontificum donum hoc erat. Cujus consuetudinis hanc quoque rationem addit Thomas, quod cum id genus vestimenti initio regium fuisset, eoque voluissent Imperatores, quæ eximia erat & singularis pietas, decorare regale Christi sacerdotium, hanc illis vicissim per aliquot secula pietatem & gratitudinem rependit Ecclesia, ut illo nemo indueretur præter eorum assensum; notanter tamen etiam ait Thomas *c.* 54. *nu.* 2. *in fine*: verum utrumque aut decorum aut necessarium fuerit Imperatoris ac Regis explorare ante consensum, non alia tamen magis quam Apostolica authoritate pallium concedebatur: successu vero temporis mos ille accipiendi de manu Imperatorum pallii, aut etiam in illo conferendo petendi consensum Imperatoris desiit, ut ostendit Thomas *c.* 54. *a nu.* 4. Sic Gregor. M. Leandro Episcopo Hispalensi misit pallium, ne petito quidem Imperatoris consensu. Cujus quoque desitionis æquitatem his verbis subjungit idem *nu.* 7. si pallium ab Imperatoribus susceptum eo tempore, quo plures sacræ sacerdotalesque vestes a laicis & civilibus necdum satis secernebantur, magis consentaneum, adeoque & necessarium fuit, ut postquam eæ vestes prorsus sacræ fuerunt, usuque civili subductæ sunt, tum demum eæ a Pontifice potius & Patriarchis quam ab Imperatoribus tributæ fuerint. Unde & ipsi præsules non minus honorificum & magis decorum existimabant, hæc Pontificatus insignia a summis Pontificibus, quam a terrenis Principibus accepisse. Quin & dein Pontifices interpellari & multum rogati ab Imperatoribus ac Regibus pallium concesserunt. Sic Tilpino Rhemensi Archiepiscopo ad interpellationem Caroli M. pallium concessit Adrianus I. anno 770. Flodoard. *l.* 2. *c.* 17. Item ad preces ejusdem Imperatoris anno 786. idem Pontifex concessit illud Ermenberto Bituricensi Episcopo, ad instantiam Caroli Calvi Senonensi Episcopo Nicol. I. Adalgarium Episcopum Augustudunensem pallio donavit Joannes VIII. ad preces ejusdem Caroli Calvi, uti hæc pluribus istiusmodi exemplis prosequitur Thomas. *cit. c.* 56. *a n.* 9.

2. Resp. secundo. Quod etiam jam tum olim vehementissime postulandum esset pallium, & hodiedum mitti non soleat nisi ad petitionem obnixe & instanter factam ab ipso Archiepiscopo vel ejus procuratore speciale ad hoc mandatum habente, constat ex *Can. optamus* 3. *dist.* 100. Item ex *cap. Prisca ead. dist.* ubi Gregor. in Epistula quam dedit ad Brunigildem Reginam sic ait: *Prisca consuetudo obtinuit, ut honor pallii nisi exigentibus causarum meritis & fortiter postulanti dari non debeat* &c. Unde & voluit, ut Siagrius Augustudunensis Episcopus ipse sibi pallium & alii pro eo Episcopi postularent. Sic Vigilius Papa, ut constat ex *Epist. ejus, l. ad Auraneum Episcopum Arelatensem* eundem pallio non donavit, nisi tum ipsius, tum Childeberti Regis precibus fatigatus. Sic Pelagius I. Sapaudo Arelatensi Episcopo non prius quam ipse per literas & homines ad id missos petisset, concessit. Similia adducit Thomas *c.* 54. *n.* 5. & inde *nu.* 7. bene deducit, pallium illud non esse novum servitutis vinculum astute excogitatum ad subjugandos Romano Pontifici Metropolitas, dum ad solas Principum vehementes preces, nec non ipsorum Episcoporum vota ad diligentiam semper concessum sit pallium. Quin & necessitatem fuisse olim & legem ut ipsi Archiepiscopi Romam adirent petendi & impetrandi pallii gratia notum est, pro ut fuse deducit Thomas, *c.* 57. *a num.* 4. Sic Petrus Damiani apud Imperatricem Agnetem conjugem Henrici II. ægre ferentem, quod Archiepiscopo Coloniensi absenti negaretur pallium, excusavit per antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ut Archiepiscopi Romam pergerent, tanquam ad fontem & Originem summæ

mæ ejus potestatis sacræ, cujus absolutionem & perfectionem assequi coeperent. Idem Petrus *lib. 7. ep. 4.* meminitque hujus consuetudinis Gratian. *dist.* 100. quamvis alias in Decretalibus Gregorii, aut nusquam alibi in jure innuatur dicta necessitas eundi Romam pro pallio; quin & huic itineri tot objecti obices, tot justæ dispensandi causæ interveniant, ut vel ipsis illis duobus sæculis, quibus maxime laboratum, fere exoleverit illa consuetudo. Thomas *l. c. nu.* 5. remanente tamen & hodiedum necessitate in lege petendi illud per se vel per procuratorem. His tamen etiam non obstantibus submissum & olim quandoque ultroneè pallium non petitum, inter alia constat ex eo, quod ad annum 1034. Papa misso pallio & annulo S. Adiloni Abbati Cluniacensi jusserit esse Archiepiscopum Lugdunensem; & modo idipsum contingit. Hosticns. *in sum. h. t. nu.* 4. Argum. *c. bonæ 2. de postulat. §. fin.* De cetero cessante legitimo impedimento intra tres menses a die consecrationis, si petens sit consecratus, vel si non fuit consecratus, a die confirmationis, *c. quoniam* juncta Glos. *v. consecrationis*, *& c. optatum dist.* 100. Abb. *in c. honorem hoc tit. nu.* 8. & si Metropolitanus ultra dictos tres menses pallium petere neglexerit, ut dicitur cit. c. quoniam commissa sibi careat potestate, sitque Metropolitanis aliis licentia post secundam vel trinam commonitionem viduatis ecclesiis (qualiter vocantur ecclesiæ, ad quas electus Metropolitanus ante receptionem pallii Host. *h. t. n.* 1.) cum consensu Pontificis ordinando & consecrando Episcopos subvenire.

3. Resp. tertio. Peti debet pallium præmissa prius fidei professione & præstito juramento fidelitatis & obedientiæ Sedi Apostolicæ, *c. optatum dist.* 100. *& c. significasti de elect.* ubi cum misso per Apocrisarios suos pallio Archiepiscopo Panormitano sub conditione, ut in verba sibi præscripta juramentum præstaret Sedi Apostolicæ, mirantesque id ipsum regni Proceres, ostenderent traditionem potestatis (quæ per traditionem pallii significatur juxta *cap. ad honorem h. t.*) non debere fieri sub conditione, sed pure & sine gravamine imposito; eo quod neque ab Apostolis neque in Conciliis tale juramentum præceptum reperiatur. Respondet Paschalis Papa: quod sicut Christus B. Petrum Ecclesiæ Pastorem constituturus ab ipso conditionem ac promissionem exegit dilectionis, ita Sedem Apostolicam ab iis, quos in partem pastoralis officii adscribit, conditionem & promissionem fidelitatis, unitatis, & obedientiæ exigere solere. Concilia vero Romanæ Ecclesiæ legem non præfigere, & in eorum statutis Romani Pontificis authoritas semper excepta intelligitur; cum omnia coacta, & statuta in iis robur & authoritatem acceperint non nisi ab authoritate Ecclesiæ Romanæ. Proinde jam, ut ibidem concludit Pontifex, si Archiepiscopus a Romana Apostolica Sede pallium tanquam insigne dignitatis suæ petat & accipit, ideo æquum esse, ut vicissim debitæ subjectionis signa præstito juramento exhibeat, quo declaretur, quod sit membrum in corpore Ecclesiæ cum aliis membris & ipso capite Christo ejusque in terris Vicario cohærens & unitatem conservans. Unde bene de hoc juramento inquit Thomas. *c. 56. num* 9. quod etsi, quod in susceptione pallii cœperit exigi jus jurandum, sit novum, aptius tamen esse non potuerit tot & tantis ecclesiasticæ disciplinæ vulneribus remedium, quam ut novis vinculis constringerentur, & ad diligentiorem custodiam Canonum, & ad meliorem cum Pontifice, qui eorum vindex & ecclesiasticæ disciplinæ tutor & defensor est, conjunctionem. Porro inane prorsusque nullo nixum fundamento esse commentum hoc jugum juramenti Metropolitis imposuisse Pontifices callida & abstrusa dominandi libidine, ut eos subjectiores suæ Sedi haberent, quasi plenitudo potestatis non eis nisi simul cum pallio traderetur, & ab eo ipso traderetur, a quo pallium accipiunt, solide ac erudite ostendit Thomasin. *l. c. cap. 53. n.* 11. item *c. 54. n. 21. & c. 55. a n. 5. & c. 56. a n. 7.* Quæ sane utpote lectu scituque dignissima non piguisset nullo verbo mutato, huc transferre, nisi brevitatis studium persuasisset contrarium.

4. Resp. quarto. Solent quoque una cum pallio impetrato & submisso quandoque privilegia aliqua concedi, aut saltem antiqua confirmari; quin etiam olim sæpe cum pallio Vicariatus Apostolicus concedebatur. Sic Aureliano Episcopo Arelatensi Vigilius Papa, ut constat ex Epist. ejus III. ad eundem, simul cum pallio contulit dictum Vicariatum. Sic Sapaudo item Arelatensi Episcopo Pelagius I. concessit una cum pallio Vicariatum, ita ut eum constitueret veluti primum ac Principem Episcoporum in Galliis vices Papæ gerentem. Thomas. *l. c. c. 54. nu.* 5.

QUÆSTIO CCCCXXXII.

Quæ sit forma traditionis pallii.

RESp. sequens: *Ad honorem Dei omnipotentis & B. Mariæ Virginis & BB. Apostolorum Petri & Pauli & Domini Papæ N. & Ecclesiæ Romanæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri in signum plenitudinis Pontificalis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam in Nativitate Domini &c.* & in aliis diebus, qui in papali privilegio exprimuntur, *in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Gl. in c. ad honorem v. eodem* Gonz. *ibid. n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 5.

QUÆSTIO CCCCXXXIII.

An propter objectionem criminis vel defectus differri debeat collatio pallii.

RESp. negative. Sic enim statuitur *in Extrav. unic. inter com. h. tit.* his fere verbis: traditio pallii deinceps facienda iis, qui ad regimen ecclesiæ Metropolitanæ vel aliarum Ecclesiarum (intellige, quibus ex privilegio vel consuetudine illud conceditur) per objectionem cujuscunque criminis vel defectus non impediatur aut retardetur (ne scilicet per falsas objectiones diutius vacent Ecclesiæ, & ut malitiis hominum obvietur) nisi objiciens præstito juramento corporali, se malitiose id non agere; sed objecta vera esse credere, promptam de objectis fidem faciat, id est, intra bimestre temporis spatium a die collationis numerandum objecta legitime probet, & nihilominus se ad pœnam talionis seu extraordinariam arbitrio præsidentis obliget; per hujusmodi tamen traditionem pallii non obstantibus objectionibus factam nullum præjudicium viæ accusationis, denunciationis, vel inquisitionis generatur.

QUÆSTIO CCCCXXXIV.

Quo in loco gestare pallium licitum sit iis, quibus id concessum.

1. RESp. Primo. *Solus Romanus Pontifex in missarum solemniis semper utitur & ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis* (intellige, quam gerit in totam Ecclesiam Christianam, *c. cuncta c. per principalem caus. 3. qu. 3.*) *quæ per pallium significatur*, *c. ad honorem h. tit.* idque quia illud gerit de jure ad nullius concessionem superioris, nullaque lege constrictus.

2. Resp. secundo. Aliis vero inferioribus usus ille pallii, tam quo ad locum, quam quo ad tempus restrictus semper fuit. Thomas. *p. 1. l. 2. cap. 57. nu.* 11. ubi: dubitari nequidem potest, quin apud Græcos æque ac apud Latinos usus pallii restrictus esset in certos dies ac ceremonias solennes. Sic *Can.* 27. Synodi œcumenicæ 8. dicitur; *ita ut quibus est palliis uti temporibus certis, in eisdem temporibus & locis iis induantur, & tali ac tanto non abutantur amictu propter typhum.* Quamvis Thomas. *l. c. 56. nu.* 5. indicare videatur, quod neque Patriarchæ quondam in Oriente ullis limitibus loci aut temporis fuerint arctati quo ad deferendum pallium, tametsi, ut ait, illius usus Metropolitis angustis valde limitibus circumscriberetur. Balsamon etiam, ut habetur *Juris Oriental. tom. 1. p.* 447. contendat, Patriarchas dignitatis suæ insignia ubique locorum, etiam extra Patriarchatus sui fines deferre posse. Sic Gregor. M. ut videre est *lib. 4. ep.* 15. illius, & apud Thomas. *c. 56. nu.* 4. fregit insolentiam Archiepiscopi Ravennatis, qui præter morem receptissimum etiam extra Ecclesiam in publicis litaniarum processionibus pallium suum circumferebat, objiciens illi consuetudinem Ecclesiæ Orientalis, ubi nequidem ii Metropolitani, qui sub se 30. vel 40. Episcopos habebant ea potestate tam late abutebantur.

3. Resp. tertio certum est, hodiedum inferiores omnes, hoc est Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos quosdam ex speciali privilegio usum pallii habentes, nec semper nec ubique licite eo uti posse, sed in ecclesiis duntaxat suæ jurisdictioni ecclesiasticæ subjectis, ac certis anni diebus intra missarum solennia, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, uti hæc habentur *c. ad honorem* juncto *c. 6. & ultimo h. t.* Sic itaque pallio uti nequeunt, etiam aliis vestibus sacris induti, extra ecclesiam propriam Metropolitanam, vel Cathedralem,

lem v. gr. in processionibus, *c. 1. h. tit.* ubi Clemens III. ait: *si vero te sacris indutum vestibus ecclesiam processionaliter vel alio modo exire contigerit, tunc pallio minime uti debes.* Hinc etiam Archiepiscopus uti nequit pallio intra suam provinciam, extra tamen ecclesiam, ubi forte sub papilione in castris, vel domi suæ, vel etiam in domo alia privata ob necessitatem celebraret. Glos. *in c. 6. h. t.* Jo. And. *ibid. n. 3.* Pirhing *h. t. nu. 10.* qui tamen censet probabile, posse illum uti pallio, dum solenniter celebraret in altari exstructo ante fores templi ob multitudinem hominum; eo quod ratio haberi non soleat illius, quod per accidens in casu aliquo contingit, & quod talis celebratio substituatur in locum illius, quæ in templo fieri deberet. Quamvis tamen in tali re attendendum, quæ sit cujusque ecclesiæ consuetudo. Pirh. *ibidem.* Laym. *in c. cum sit h. t. nu. 2.* Sic eo uti nequit Episcopus habens privilegium pallii extra ecclesias suæ diœcesis, Archiepiscopus extra ecclesias suæ provinciæ, etiamsi de cetero celebraret in ecclesiis seu templis alienæ provinciæ, vel etiamsi de consensu etiam Archiepiscopi vel Episcopi, aut etiam ad evocationem illius ibidem conferret ordines, vel ecclesiam consecraret; debet enim tunc id facere non aliis indutus vestibus & insignibus Pontificalibus quam Episcopus simplex. Pirh. *h. t. nu. 18.* Proinde jam, dum dicitur, *c. cum sit h. tit.* quod Archiepiscopus, ubicunque fuerit, pallio in Missa diebus solennibus uti possit, *τὸ ubicunque* restringendum & accipiendum pro qualibet ecclesia provinciæ suæ tantum. Gl. unic. *in c. cum sit*, sunt enim jura juribus concordanda, *cap. cum expediat. de elect. in 6.* rationem etiam hujus restrictionis dat ex Abb. *in c. 1. h. t. nu. 4.* Pirh. *nu. 19. in fine*: quod insignia, quibus denotatur jurisdictio vel præeminentia (cujusmodi & pallium Archiepiscopale) non possint portari intra limites jurisdictionis etiam voluntariæ, ne alterius jurisdictionem videatur quis usurpare. His non obstantibus, quod Proconsul missus in Provinciam utatur suis insigniis etiam extra provinciam sibi commissam, *lib. 1. ff. de off. Proconsul.* Item Legatus Papæ de Latere insigniis suæ legationis utatur extra provinciam sibi decretam. Nam in eo est disparitas, quod Proconsuli & Legato committatur jurisdictio nomine mittentis, cujus vices gerunt, exercenda: Archiepiscopus vero non mittatur a Papa, ut ejus nomine jurisdictionem exerceat, sed per confirmationem committitur ei Archiepiscopatus, ut suam, seu propriam & ordinariam in eo exerceat jurisdictionem, & ideo insigniis suis non nisi intra provinciam hanc suam uti potest. Pirh. *n. 9.* Ex quo sequi videtur, Legatum Pontificium, qui est Archiepiscopus aut Episcopus habens alias pro suo Episcopatu privilegium utendi pallio, constitutum extra suam diæcesin seu Archidiæcesin intra Provinciam suæ legationis, uti non posse pallio, cum ibi jurisdictionem propriam (cujus pallium est insigne) non exerceat.

4 Dein. Uti possunt pallio intra quamcunque Ecclesiam provinciæ sibi commissæ, ut expresse, *cit. c. 1.* Metropolitani; adeoque non tantum in ecclesiis sui Archiepiscopatus, sed etiam in ecclesiis Episcoporum sibi subjectorum, licet enim alias nomen *Ecclesia Episcopalis* plerumque stricte accipiatur pro Ecclesia Cathedrali, in materia tamen favorabili nemini que præjudicante, qualis est hæc, ita accipitur in privilegio illo concesso Archiepiscopis, ut comprehendat quamcunque ecclesiam, non solum intra ejus Archidiæcesin, sed etiam intra totam ejus provinciam (quam constituunt omnes Episcopatus suffraganeorum ei subjectorum) sitam, ut Glos. *in cit. c. 1. v. quamlibet & in c. ad honorem v. in ecclesia sua.*

QUÆSTIO CCCCXXXV.

An quoque Archiepiscopus uti possit pallio in Ecclesiis exemptis intra provinciam suam, propriis earum Prælatis invitis.

RESP. affirmative. Glos. *in Clem. 2. de privileg. v. Pontificalibus.* Abb. *ibid. n. 3.* Barbos. *n. 5.* Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiepiscop. authorit. nu. 32.* Pirh. *h. t. nu. 8. in fine.* Reiffenst. *n. 15.* Wiestner *n. 13.* Argum. *cit. Clem. 2.* ubi imprimis expresse dicitur, celebrationem Archiepiscopis & Episcopis competere in ecclesia exempta. Deinde celebratio in Pontificalibus ibidem generaliter & sine exceptione pallii conceditur. Accedit quoque ratio, quod istiusmodi celebratio cum pallio respiciat dignitatem & honorem sine administratione jurisdictionis; exercitium autem & usus ubique istiusmodi respicientium tantum honorem & dignitatem in propria diæcesi vel provincia permittatur *cit. Clem.* & nullibi prohibeatur, sed solum in aliena provincia. Fagn. *in cap. fin. h. t. nu. 18.* secus ac est in iis, quæ simul sunt jurisdictionis, qualia, v. gr. sunt causas cognoscere, clericos ordinare, Sacramentum confirmationis conferre; utpote per quorum exercitium rectoribus locorum invitis privilegium exemptionis violari censetur. Fagn. *l. cit.* Neque responsioni obstat, quod loca istiusmodi exempta, licet sint in diœcesi vel provincia, non dicantur tamen esse de diœcesi, & locis existentibus extra illam æquiparentur. Gonzal. *ad reg. 8. gl. 43. a n. 182.* Nam æquiparantur illis quo ad ea exercenda, quæ sunt officii & jurisdictionis contentiosæ, *c. luminoso 18. q. 2.* non autem quo ad insignia dignitatis, præeminentiæ, & honoris sine administratione jurisdictionis & officii. Fagnanus *l. c. n. 6. & 17.*

QUÆSTIO CCCCXXXVI.

An non saltem per consuetudinem immemorialem induci possit, ut Archiepiscopus in aliena provincia uti possit pallio.

RESP. Id fieri non posse. Sumitur ex *c. suarum h. t.* ubi, posteaquam Archiepiscopus Compostellanus necesse habens sæpe commorari extra suam provinciam in Hispania, & in Hispania generalis consuetudo existeret, ut Archiepiscopi etiam extra suas provincias uterentur pallio, supplicasset Innocentio III. ut sibi id concederetur. Respondet Pontifex, talem consuetudinem corruptelam dicendam; ex speciali tamen gratia id ei concessit in duobus tantum casibus; nimirum, ut dum ob necessarium impedimentum ad propriam ecclesiam accedere nequiret, possit eo uti in aliena diœcesi ad consecrandos Episcopos suos suffraganeos, & clericos ordinandos, modo is, ad quem ecclesia pertinet, id permitteret. Unde jam etiam deducitur, quod habens simile privilegium, ut eo utatur, requiri consensum non tantum Ordinarii illius loci, sed & Metropolitani, ad cujus provinciam spectat illa diœcesis. Siquidem privilegium alicui concessum ita explicandum, ut in aliorum non cedat præjudicium. Glos. *in cit. c. ex suarum v. permittat*, cederet autem in præjudicium Episcopi Diœcesani, si Episcopus alienus sine ejus consensu prius petito ordinare vellet in ejusdem diœcesi clericos, etiam alias sibi subjectos, dum hac ratione videretur ejus jurisdictionem invadere & violare. Idem cederet in præjudicium Metropolitani, si alius Archiepiscopus in ejus provincia sine ejus licentia uteretur pallio, utpote quod insigne est jurisdictionis propriæ. Ita Pirh. *n. 16.* citato Abb. *in c. 5. n. 10. & 12.* & *in c. 6. n. 3.* & *in c. ult. h. t. n. 4.* De cetero dictæ consuetudinis ratio est, quod consuetudo quæ est contra substantiam seu formam substantialem rei non valeat. Argum. *c. x. de consuetud. in 6.* esset autem talis consuetudo utendi pallio extra propriam provinciam contra substantialem formam concessionis pallii; quippe quæ in ipsa forma traditionis pallii limitatur ad ecclesias provinciæ propriæ. Ita Laym. *cit. c. 5. h. t. n. 2.* Pirh. *n. 14.*

QUÆSTIO CCCCXXXVII.

Quo tempore licitum uti pallio.

1. RESP. primo generatim. Quod certis solum diebus uti eo possit Archiepiscopus aliusve Episcopus privilegiatus, *c. ad honorem h. t.* ubi: certis debeat uti diebus. Nimirum solennibus, *c. cum sit h. tit.* ibi: *diebus solennibus.* Secundum receptam cujusque Ecclesiæ Metropolitanæ consuetudinem. Ut Laym. *in c. ad honorem n. 3.* Pirh. *h. t. n. 1x.* quique in ejusdem pallii concessione seu traditione & privilegio exprimuntur, *cap. ult. h. t.* Solet autem communius concedi usus pallii pro illis diebus, qui enumerantur, partim a Gl. *in c. ad honorem v. eod.* partim ab Hostiens. *in sum. h. t. nu. 5.* nimirum Nativitatis Domini, SS. Stephani & Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominica palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Tribus diebus Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Joannis Baptistæ, Omnium Apostolorum, tribus vel, ut Host. 4. Festivitatibus B. Virginis, S. Michaelis, omnium SS. in Dedicatione ecclesiæ, festivitatibus principalibus Ecclesiæ Archiepiscopalis, die anniversario consecrationis Archiepiscopalis.

2. Resp. secundo. Extra missarum solennia uti non potest pallio. Argum. *c. ad honorem* ubi: *in missarum solenniis c. pallium dist. 100.* ubi dicitur transmitti Archiepiscopo pallium, ut inter sola missarum solennia eo utatur, & *c. contra ead. dist. 100.* ubi dicitur. Quod pene de nullo Metropolitano sit auditum, usum pallii sibi extra missarum solennia sibi vendi-

vendicasse. Notat nihilominus Gl. *in cit. c. pallium*, quod in Synodo quoque uti possit pallio. Tametsi autem dictis diebus solenoibus intra ecclesiam suam possit, quio & debeat non nisi cum pallio celebrare missarum solennia. Pirh. *h. t. n.* 13. Argum. *c. ult. h. t.* dum tamen in iis privatim solom & non solennitet, seu oon in pontificalibus celebrat, necesso non est eum uti pallio. Pirh. *n.* 12. *in fine*. Reiffenst. *h. t. nu.* 18. Quin etiam, secluso speciali privilegio, eo uti non potest, dum dicit missam pro defunctis. Argum. *c. ult. h. t.* Gl. *fin. ib.* & Abb. *n.* 6. Pirh. *n.* 13. Reiffenst. *cit. n.* 18. uti oeque io aliis omnihus functiooibus pontificalibus, eo uti possunt. Wiestnet *h. t. nu.* 16.

QUÆSTIO CCCCXXXVIII.

Num ante receptionem pallii licitum olim fuerit aut modo sit Archiepiscopis exercere pontificalia.

RESp. Negative. Thomass. *l. c. p.* 1. *l.* 2. *c.* 53. *n.* 10. ubi: nec Patriarchis, nec Metropolitanis exercere pontificalia sine pallio fas erat in oriente. Et quod mittebatur a Patriaccha, pallium Metropolitano, ejus electionis & coosectationis quasi sigillum & munimen erat, eo ejus electio & ordinatio confirmabatur. Hinc apparet, unde lex ea orta & consuetudo, ot Archiepiscopo ante acceptum pallium pontificalia exereere munia nulla unquam ratione liceret; adeoque hunc usum antiquiorem esse, quam ut calumniæ patere possit, vel eorum maledicontiæ, qui has juris novi tondiculas fuisse calumniantur ad deprimendam strictiusque subjiciendam Romano Pontifici Metropolitanorum amplitudinem. Item *c.* 57. *n.* 9. ubi ait; dum Innoc. III. in decretis interdicit Metropolitis functionibus ante receptionem pallii, id novum non est; cnm non aliud per hoc quam Prædecessorum statuta ab annis 300. edita universalisque Ecclesiæ consuetudini innixa confitmet. Sic Nicolaus Papa in responsione ad Bulgaros *cap.* 7. affirmat, receptissimum eum fuisse toto orbe Christiano morem, ante recoptionem pallii non consecrandi Episcopos, nec Concilia celehrandi. Sic Paschalis II. Polonorum Archiepiscopo rescribit, moro universalis Ecclesiæ antiquo non concedi Archiepiscopis, ut Episcopos ordinent, aut Concilium ante celebrent, quam hoc eximiæ potestatis insigne assecuti sint. Baron. *ad Annum* 1101. *nu.* 8. Sic Gregor. VIII. prohibuit Rotomagensem Archiepiscopum, ne vel Episcopos vel Preshytetos ordinaret, vel ecclesias ante dedicarot, quam pallium accepisset, graviter eum increpans, quod tamdiu ab eo petendo contra aotiquæ Ecclesiæ statuta abstinuisset. Porro hanc consuetudinem & inde naram legem exspectandi palliom ante exercitiom pontificalium munerum primitus originem duxisse a spontanea Metropolitanorum abstinentia ab iis exercendis studio religionis ante receptionom pallii, censet Thomasin. *l. c. cap.* 57. *nu.* 6. ubi: simillimum veri est, Metropolitanos ipsos contemplantes pallium velut insigne plenitudinis & summi apicis potestatis ejus, quæ Metropolitanis propria est, ideoque illud tam flagtante studio prosecutos, ut tandem omnes consecuti sint, sponte abstiouisse pontificalibus muniis, donec illud recepissent; atque ita inolita coosuetudine legem sibi ipsos condidisse. Rationem quoque aliquam dictæ oecessitatis dat Thomass. *cit.* 57. *n.* 8. his verbis: enim vero si palliom insigne est plenitudinis Pontificiæ potestatis, hinc illud pene necessario sequitur, ut ejus potestatis nulla ante obeas munia, quam ejus insigno & quasi investituram accipias. Rationem vero, cur Archiepiscopi non possiot sino pallio perficere oa, quæ Episcopi pallio nec donati nec donandi unquam perficiunt v. gr. ordinate Presbyteros. Innocent. III. *in cap.* 28. *de elect.* obi Metropolitanis interdicit functionibus pontificalibus, hanc rationem insinuat his verbis: *cum id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur* &c. nimirum quod licet Atchiepiscopo communia quædam sint cum Episcopis officia, ea tamen ab illo cum eximia quadam & singulari prærogativa gerantur. Aliam hojus rationem vide apud Thom. *c. c.* 57. *n.* 9. Illud hic notandum, quod Rodericus a Cuncha *in comment. ad c. pallium dist.* 100. apud Barbos. *in c. nisi speciales h. tit. nu.* 4. affirmet; posse Archiepiscopum, qui pallium suum perdidit per incendium, exercere pontificalia sioe pallio.

QUÆSTIO CCCCXXXIX.

Quos actus jurisdictionis, aut etiam Ordinis exercere possit aut non possit Archiepiscopus ante acceptum pallium, aut sine illo.

1. RESp. ad primum. Actus jurisdictionis maiores exercere nequit ante acceptum pallium, v. gr. convocare Concilium provinciale, *c. quod sicut de elect. §. præter.* Layman *in c. nisi h. t. num.* 1. Pirhing *ad tit. de elect.* 333. Similiter nec visitare provinciam. Glos. *in cit. c. quod sicut v. sine pallio.* Pirbing *l. cit.* Potest tameo ante acceptum pallium exercere actus minores jurisdictionis, v. g. constituere Judices, committere potestatem ordinandi vel etiam coosecrandi suffraganeus. Argum. *c. suffraganeis de elect.* Layman *l. cit.* Pirhiog *l. c. num.* 334.

2. Resp. ad secnodom. Actus ordinis episcopalis, qui inter missarum solennia, aut saltem com pontificalihus ornamentis fiunt, v. gr. ordinare, conficere Chrisma, consecrare ecclesias, exercere nequit, nec ante receptionem pallii, nec sine pallio juxta expressum textum *cit. c. quod sicut*; eo quod talia facere videatur non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus. Layman *l. c.* Pirhing *cit. n.* 333. *juncto n.* 335. ubi etiam, quod ante receptum pallium nequeat cooferre Sacramentum confirmationis, benedicere Ahbates & Virgines. Actus vero Ordiois, quos sola stola indutus Episcopus facere solet, ut sunt, vasa sacra consecrare, corporalia & cæmiteria benedicere, licite exercere potest ante acceptum pallium. Layman *l. cit.* Pirh. *n.* 335. citans Host. *in sum. h. t. n.* 1. Azorius *p.* 2. *l.* 3. *c.* 33. *q.* 5. De cetero valde probahile est, posse Archiepiscopum consecratum invitatum ah alio Episcopo seu ex commissione alterius Archiepiscopi vel Episcopi in ejus Diœcesi exercere pootificalia omnia ante receptum pallinm; cum satis appareat, illum tunc ea non exercere ut Archiepiscopnm, sed ut simplicem Episcopum ah alio ad hoc invitatum. Pirh. *h. t. n.* 18. citans Host. *in sum. h. t. n.* 6.

QUÆSTIO CCCCXL.

An pallium ad alios transferri possit, vel etiam aliis accomodari.

1. RESp. ad primum negative. Tametsi enim jus pallii gestandi sit privilegium ipsius ecclesiæ seu dignitatis Atchiepiscopalis, ac propterea transeat ad quemcunque in ea successorem; ipsa tameo pallii donatio est veluti privilegium personale, uti restrictum ad locum seu in ordine ad ecclesias propriæ provinciæ, ita etiam ad personam illius, cui traditur, ita ut hac demortua (intellige, vel physice vel moraliter) ejus usus nulli alteri deservire possit; sed cum suo Archiepiscopo inferendum sepulchro: adeoque successor illius in eodem Archiepiscopatu eo uti nequeat juxta *c. ad hoc h. t.* ubi: *cum pallium personam non transeat, sed quisque cum eo debeat sepeliri*. Laym. *ibid. n.* 2. Pirh. *h. t. nu.* 20. Unde etiam

2. Resp. ad secundum. Archiepiscopus onus alteri pallium suum ad usum accomodare nequit. Abbas *in cap. final. h. tit. in* 6. juxta *cit. cap. ad hoc*. Idque etiamsi hic ab altero invitatus ad exercenda pontificalia in sua Archidiœcesi, quia invitatus potest etiam ibi sine pallio celebrare. Pirhing *h. t. n.* 20. citaos *c. ult. h. tit.* & Abb. *ibid. nu* 3. ubi tamen non dicitur, quod possit ibi sine pallio celobrare missarum solennia, seu pontificaliter, aut etiam alia pontificalia exercere; sed tantum, quod possit ibi sioe pallio & sandaliis celebrare: quia id potest in sua provincia (iotellige privatim) ut dictum supra.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCXLI.

An Archiepiscopus translatus a suo Archiepiscopatu ad alium Archiepiscopatum, vel etiam Episcopatum possit ibidem uti priore suo pallio.

RESp. Potest quidem translatus pallium suum prius secum auferre (quin & debet illud secum auferre, cum debeat sepeliri cum utroque pallio, sic, ut vel postremum priori super imponatur, vel, quod magis congruit, primum capiti ejus aut corpori subjiciatur, Abb. *ad cit. c. ad hoc n. 7.* Layman *ibid. n. 3.* Barbos. *ad c. 2. h. t. n. 3.* Azor. *l. cit. qu. 8.* Pirhing *h. t. num. 7.*) absque tamen usu illius ibidem; quare novum petere debet juxta *c. bonæ 4. de postulat.* Siquidem neque prædecessoris sui pallio ibi forte relicto uti potest juxta jam dicta neque suo priore, utpote quod datum cum restrictione ad ecclesias certæ provinciæ, nempe illius, a qua translatus. Translatus tamen ad alium Episcopatum (quamvis illud secum auferre possit, possitque etiam cum eo capiti supposito, non tamen humeris circumdato more Archiepiscopali, sepeliri) usum tamen illius omnino amittit. Uti etiam contingit in eo, qui simpliciter Archiepiscopatui suo renunciavit, qui perdit usum pallii etsi alibi (quin etiam in provincia sua relicta) exerceat pontificalia, *c. ad supplicationem de renunc.* Glos. *in cit. c. bonæ v. pallium.* Unde etiam dicendum videtur, quod si resignans talis postmodum rursus adipiscatur Archiepiscopatum dimissum, vel etiam translatus iterum transferatur ad Archiepiscopatum, a quo translatus, debere petere novum pallium; quia prius illud jam per mortem illam civilem penitus quo ad usum amissum est. Quemadmodum etiam olim, si quis Metropolita aut Patriarcha deponeretur, auferebatur ei pallium. Thomasin *p. 1. l. 2. c. 53. n. 10.* uti in vita Agathonis Papæ refertur, Synodum 6. deturbato a Sede sua Macario Antiocheno Patriarcha Monotelitarum signifero jussisse auferri pallium.

TITULUS NONUS.

DE RENUNCIATIONE.

Titulus hic, qui est de renunciatione beneficiorum, adeoque in quo rubrum latius patet nigro, seu inscriptio illius contentis sub ea exacte tractatus a me *in for. benef. part 3. a quæst. 234. ad quæst. 376.*

TITULUS DECIMUS.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Supplenda Negligentia Prælatorum quo ad Administrationem & Jurisdictionem.

QUÆSTIO CCCCXLII.

Quid sit illa Prælatorum negligentia, in quibus contingat, & quibus modis deprehenditur.

1. RESp. Ad primum. Negligentia in genere est omissio illius, quod quis facere potest & debet. Hostiens. *in sum. h. t. n. 1.* Dicitur; *quod quis facere potest*; quæ enim ob impotentiam physicam vel moralem, quæ est circa ea, quæ sunt contra bonos mores seu moraliter mala, fieri non potuerunt, neglecta dici non possunt; impossibilium enim omissio culpabilis non est, quia libera non est; negligentia autem, de qua hic, culpam sonat. Dicitur secundo, *quod fieri debuit*, neque enim culpabilis est omissio eorum, ad quæ nulla fuit obligatio. Dein negligentia in specie Prælatorum, de qua hic, est omissio illius, ad quod faciendum Prælatus de jure vel consuetudine tenebatur. Sumitur ex *can. negligente 2. qu. 3.* Prælatorum autem nomine veniunt hic quælibet personæ ecclesiasticæ vel collegia Superioratu aliquo aut jurisdictione, vel simili etiam potestate aliqua ecclesiastica pollentia.

2. Resp. ad secundum. Negligentia Prælatorum, de qua hic, generatim loquendo contingit potissimum in duobus, nimirum in jurisdictione contentiosa vel voluntaria. Barbos. *de potest. Episcop. p. 3. alleg. 126. n. 2.* jurisdictio contentiosa ea dicitur, quæ exercetur in invitos, puta, vocando eos in jus, puniendo &c. Glos. *in l. 2. ff. de off. procons. v. contentiosam*, voluntaria, quæ exercetur tantum in volentes, ad quam in ecclesiasticis spectat & revocatur ordinatio, consecratio, benedictio, beneficiorum provisio, absolutio, dispensatio, authoritatis seu decreti interpositio. Barbos. *l. c.* Reiffenstuel *ad h. t. n. 7.*

3. Resp. ad tertium. Negligentia hæc variis modis deprehenditur. Aliquando ex lapsu temporis, *c. licet Magister h. t. c. nulla de concess. præb.* quandoque post trinam monitionem præcedentem, ut *in c. 1. h. tit.* interdum in ipso facto, prout fit in casu denegatæ justitiæ. *Auth. ut differentis judic. §. si tamen contingeret. Auth. statuimus C. de Episc. & Cleric.* ita fere Reiffenst. *n. 8.*

QUÆSTIO CCCCXLIII.

Generalis. Qualiter & per quos supplenda negligentia.

RESp. Generaliter loquendo; ordinarie illa negligentia supplenda per superiores gradatim ascendendo usque ad Papam; ita exigente Hierarchia ecclesiastica, qua superiores invigilare debent inferioribus. Sic negligentia commissa a Prælato in provisione beneficiorum suppletur ordinarie per ejus immediatum superiorem *c. ne pro defectu de elect.* Judex delegatus supplet negligentiam ordinarii *c. prudentiam §. penult. & ult. de off. deleg.* Ordinarius supplet negligentiam Abbatis non revocantis monachum vagabundum, *cap. quanto de off. ordinar.* Dixi *ordinarie*. Quia in certis casibus specialiter in jure expressis fit ea quandoque ad mediatum superiorem *c. quanquam de elect. in 6.* statuitur, ut quod si electio Cathedrali vacante non fuerit facta intra tempus debitum, potestas eligendi devolvatur ad proximum superiorem, si vero facta scienter de indigno, devolvatur ad Papam. Quandoque etiam ad inferiores, *c. nulla §. fin. de concess. præb.* ubi statuitur, per capitulum jure devolutionis supplendam negligentiam ab Episcopo in conferendo debito tempore beneficia sic in *c. volumus dist. 89.* ubi: clerus constituit Vicedominum seu majo-

maiorem domus Episcopo, si is eum statuere negligit. Nonnunquam etiam in confusionem negligentium fit dicta suppletio ab ipsu jure, *c. 1. h. tit.* ubi: si Episcopus tertio humiliter requisitus benedicere Abbatem Cistercienſem (idem est de aliis Abbatibus, qui ab Episcopo benedici consueverunt. Glos. *in c. cum contingat v. Abbati de atate & qual. præficiendor.* Barbos. *in c. 1. h. t. n. 4.* Pirh. *h. t. n. 26.* Reiffenst. *n. 5.*) recuset, ipso jure conceditur dictis Abbatibus potestas proprios monachos benedicendi, aliaque ad eorum officium spectantia exercendi, donec Episcopi suam duritiem recognoscentes ipsos benedicere non recusent.

QUÆSTIO CCCCXLIV.

An jurisdictio Episcopi ob ejus negligentiam universaliter devolvatur ad Metropolitanum.

RESp. Probabilior est negativa, nimirum non devolvi eum ad illum nisi in casibus in jure expressis. Hanc tenent Jo. Andr. *in cap. nullus de jurep.* Archid. *in c. 1. h. t. in 6.* Abb. *in c. pastoralis n. 10. de off. ordinar. & in cap. si quis contra de foro compet. a n. 40.* Pixsec. *pr. Episc. c. 5. art. 2. n. 35.* Barbos. *in collectan. ad c. 1. h. t. in 6. n. 9.* Layman *ibid. n. 2.* Pirh. *h. t. nu. 11.* Reiffenst. *n. 10.* Wiestner *n. 46. &c.* Contrarium, nimirum, quod si Episcopus in suo officio negligens, & de hoc admonitus se non emendet, Archiepiscopus possit eo invito in ejus diœcesi exercere jurisdictionem, v. gr. excommunicando, absolvendo, ordinando, causas cognoscendo, condemnando &c. tenentibus. Glos. *in cit. c. pastoralis v. exceptis, & in c. 1. h. tit. in 6. v. culpis.* Ancbar, *ibidem nu. 1.* Franc. *n. 3.* Hostiens. *in sum. tit. de off. ordinar. nu. 7.* Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiepiscopus nu. 21.* Axor. *p. 2. l. 3. c. 34. q. 10. in fine.* Engels *h. t. nu. 6.* Ratio nostræ responsionis est, quod in materia generaliter probibitoria, quod non reperitur expresse concessum, intelligatur esse denegatum. Argum *c. inter corporalia de transl. Episcopor.* & Glos. *ibi. v. non invenitur*, & Clem. *exivi §. porro cum de verb. signif.* Sed generaliter prohibitum est, ne Archiepiscopus in suffraganeorum suorum subditos exerceat jurisdictionem, *canon. nullus Primas c. conquestus 9. qu. 3. cit. c. pastoralis de off. ordinar.* nisi in casibus exceptis: ergo cum inter casus exceptos in dictis textibus aut etiam alibi in jure non reperiatur casus negligentiæ Episcopi in genere, seu quod Archiepiscopus generaliter in quibusvis casibus suppleat negligentiam Episcopi, in eo universaliter Metropolitanus jurisdictionem exercere nequit in diœcesi Episcopi negligentis. Porro plerique, quos adversarii in contrarium adducunt textus, ea continent, quæ sunt inter casus specialiter exceptos, a quibus sane ad alios similes, multoque minus ad omnes in negligentia Episcopi fundatos argumentari licet ex eo, quod lex illa de supplenda negligentia Prælatorum sit favorabilis, utpote utilitatem ecclesiarum respiciens, adeoque late extendenda. Nam quidquid sit de hoc ecclesiarum favore, lex illa spectat ad materiam prohibitoriam; dum autem aliquid generaliter probibetur, quod expresse non conceditur, denegatum censetur, pro ut generaliter loquitur textus *cit. Clem. exivi.* His tamen non obstantibus, seu licet Archiepiscopus causas subditorum (intellige extra casus ei specialiter a jure concessos) suffraganeorum suorum in prima instantia cognoscere nequeat, adeoque nec a dictis subditis adiri possit in prima instantia per viam simplicis querelæ, ut ipse negligentiam Episcopi suppleat, potest tamen adiri, ut ipse Episcopum injuste negligentem compellat ad faciendum suum officium, quod potest Metropolitanus, siquidem hujus jurisdictioni subjectus est Episcopus suffraganeus illius, adeo, ut ei Archiepiscopus præcipere possit, quæ ad officium episcopale spectant, atque ad horum executionem compellere etiam per censuras. Argum. *can. de iis dist. 12.* Glos. *fin. ibid.* Idem Argum. *c. pastoralis de off. ordinar.* ut Abb. *ibid. nu. 2.* Barbosa *de off. & potest Episc. alleg. 126. n. 35.* Laym. *de elect. Prælator. qu. 104.* Pirh. *h. t. n. 12.* Wiest. *n. 47.* cum communi. Quemadmodum etiam adiri potest per viam appellationis, ubi subditus Episcupi ex tali Episcopi negligentia se læsum senserit. Barbosa *l. c. n. 14.* Reiffenst. *h. t. n. 15.* cum appellationis remedium generaliter concessum omnibus ad reparandum gravamen a Judice injuste illatum, *l. 1. ff. de appell.* Ac proinde jam etiam necesse non est, ut in casu istius negligentiæ jurisdictio & administratio dicatur devolvi ad Capitulum (utpote cui concessum non est supplere hunc Episcopi defectum nisi in casibus expressis, ut quandoque in provisione beneficiorum, de quo inferius) cum, ut dictum, recurri possit ad ejus superiorem, nimirum Metropolitanum vel etiam Papam, ut ab eo compellatur aut detur ei coadjutor cum potestate liberæ administrationis, de quo item infra. Laym. *in cap. si Episcopus hoc tit. in 6. §. notandum.* Pirhing, Wiestner *LL. cit.*

QUÆSTIO CCCCXLV.

An & qualiter Archiepiscopus supplere possit negligentiam Episcopi in casu denegatæ vel protractæ Justitiæ.

1. RESp. ad primum. In casu denegatæ Justitiæ (quod accidit ubi Judex debite requisitus litem cum æquitate audire recusavit) jurisdictio primæ instantiæ devolvitur ab Episcopo ad Metropolitanum. Generale siquidem est, jurisdictionem hanc devolvi ad superiorem (qualis est Metropolitanus respectu Episcopi suffraganei sui) denegantis, ut is per viam simplicis querelæ adiri possit pro cognitione causæ & administratione justitiæ. *Auth. de mandatis Principum §. sit tibi quoque Collat. 3. Authorit. ut differentes judices collat. 9.* Gail. *l. 1. practicar. observat. observ. 28. nu. 1.* ubi enim prima instantia ab inferiore Judice denegatur, eam apud superiorem quærere necesse est. Et quidem sub ratione primæ instantiæ, cum non detur secunda sine prima, ut Reiffenstuel *h. t. n. 29.* citato Engels *h. t. nu. 4.* Quod si tamen res amplius integra non sit, sed judicium jam cæptum coram inferiore Judice, & is in progressu denegavit justitiam, non per viam simplicis querelæ de denegata justitia, sed per viam appellationis (qua proinde opus) ob negligentium inferioris caussa ad superiorem devolvitur. Gail. *l. c. n. 2.* a quo illud probari ex praxi Cameræ & doctrina Abbatis *in c. ex parte de appell. n. 2.* ait Reiffenst. *h. t. n. 30.* Requiritur autem pro utroque casu, nimirum devolutionis jurisdictionis tam per viam simplicis querelæ, quam per viam appellationis, ut tam de facta debita requisitione, quam de eam secuta denegatione justitiæ doceatur per publicum instrumentum aliasve legitimas probationes; cum talis negligentia in Judice alias non præsumatur. Sufficere vero probari semel denegatam Justitiam, ut Gail. *l. c. nu. 5.* cum Glos. *in Clem. 1. de heretic. v. requisierint*, & *ibid.* Imol. quanquam hoc intelligendum dicat Reiffenst. *n. 31.* in casu, quo Judex expresse verbo vel facto, puta, verberibus aut incarceratione, negavit administrare justitiam. Argum. *Clem. quamvis de appell.* cum ceteroqui, ut inferior superiorem de negligentia convenire possit, opus sit trina monitione. Argum. *c. 1. h. t. & Auth. statutum C. de Episcop. & cleric.* ubi: si quis justitiam denegare præsumpserit tertio requisitus, jurisdictionem amittit, ut tradit Felin. *in c. ex parte de consi. §. fallit enim primo n. 8.*

2. Resp. ad secundum. In casu protractæ justitiæ, dum nimirum Judex inferior v. gr. Episcopus admisit quidem causam, sed protraxit eam, seu neglexit finire, debere prius decerni a superiore, v. gr. Archiepiscopo promotoriales ut vocant, in quibus inferiori Judici assignatus certi temporis terminus pro administranda justitia, & eo elapso censeri primum jurisdictionem devolutam ad Judicem superiorem, ex Gail. *l. c. n. 6.* & citato Engels *h. t. n. 4. & 5.* habet Reiffenst. *n. 23.* Quo facit decretum Tridentini *sess. 24. c. 20. de reform.* ubi; quod quando causæ quæcunque ecclesiasticæ in prima instantia coram Ordinariis locorum intra biennium a die motæ litis computandum non terminantur, postea liberum est partibus vel alteri illarum Judices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent.

QUÆSTIO CCCCXLVI.

Quinam sint casus concernentes jurisdictionem, in quibus negligentia Episcopi suppleatur per Metropolitanum.

RESp. sunt fere sequentes. Primus. Dum Episcopus negligit constituere ecclesiarum œconomos, quibus res ecclesiæ gubernandæ committuntur, Metropolitanus eos constituere potest, *can. cum simus caus. 9. quæst. 3.* Secundus. Dum Episcopus non vult absolvere excommunicatum, cum deberet, potest eum, accepta debita cautione, absolvere Metropolitanus, *c. per tuas de sent. excom. c. qua fronte de appell. c. ad reprimendam de off. ordinar.* Idem de dispensatione, dum ea est debita ratione personæ ætatis, loci, temporis, pietatis, necessitatis, utilitatis ecclesiæ, tradit Barbosa *p. 1. de off. & potest. Episc. alleg. 4. n. 24.* Verum de hoc accuratius supra, *ad tit. de const. in quæst. num. subditi suffraganeorum dispensari possint a Metropolitano.* Tertius. Si notoria crimina

mioa suorum Diœcesanorum emendare negligit Episcopus, potest ea libere corrigere & punire Archiepiscopus, *cap. 1. §. sane de censib. in 6.* Quartus. Dum oegligeos est Episcopus in executione ultimarum voluntatum ad pias causas. *Auth. de ecclesiastic. titulis §. si quis autem pro redemptione, collat. 9.* Abb. *in cap. pastoralis num. 11.* Barbosa *ibid. num. 8.* Quintus. Quandoque ob negligentiam commissam in provisione beneficiorum ea devolvitur ad Metropolitanum, de quo *cap. seq.*

QUÆSTIO CCCCXLVII.

An quandoque Episcopi exempti negligentia suppleri possit a Metropolitano.

RESp. negative. Proinde semper recurrendum ad Papam eique negligentia illa denuncianda. Argumen. *c. nullus de jurep.* Quaraot. *in sum. Bullar. v. Archiepisc. authoritat nu. 21.* Barbos. *l. c. nu. 26.* Porro idem dicendum de aliis Prælatis exemptis seu immediate subjectis Papæ, quod eorum negligentia suppleri non possit ab Episcopis, nisi forte ex delegatione Papæ.

QUÆSTIO CCCCXLVIII.

Qualiter supplenda negligentia Episcopi (idem est tam de Prælato illo superiore quam inferiore) per dationem curatoris, administratoris, coadjutoris.

1. RESp. Primo. Potest & solet quandoque illa negligentia Episcopi suppleri per Vicarium generalem, non tantum ab Episcopo sponte electum, sed etiam Roma submissum. Ego *in Vicar. Episc. q. 27.* ubi ex Pignatel. quod ex praxi S. Congregat. præpositæ negot. Episcop. si Episcopus negligat expeditionem causarum, nedum ei præcipere solet, ut Vicarium Generalem constituat, sed etiam, quando opus est, transmittat Vicarium Apostolicum pro diœcesis regimine. Qui Vicarius sic missus revera est Vicarius Apostolicus, & jurisdictionem habet privative ad Episcopum, nec Episcopus eum removere potest ex declarationibus pluribus ejusdem Congregat. quarum plures refert. Addit quoque Pignatel. *Tom. 10. consult. 129. a. 6.* ex Paris. *cons. 80. n. 22. l. 4.* & Sanch. *de matr. l. 3. d. 31.* Quod Vicarius ille episcopalis a Papa constitutus majorem habeat facultatem, præsertim io substituendo sibi alium, quam Vicarius Generalis ab Episcopo constitutus. Et ex Gratian. *discept. forens. discept. 106. nu. 29. & 30. & discept. 111. n. 56.* Quod ille Vicarius Episcopi a Papa constitutus habeat omnes qualitates, quæ ipsi Episcopo insunt, & propterea sit æqualiter houorandus. Vide me *l. cit. qu. 26.*

2. Resp. secundo. Potest quoque negligentia Episcopi in administrando Episcopatu (idem est de aliis Prælatis, tam eo superioribus quam inferioribus negligentibus in suo officio) suppleri per dationem coadjutoris seu curatoris cum plena & libera potestate administrandi, respectu quidem Episcoporum iisque superiorum Prælatorum per Papam; respectu vero inferiorum per illorum etiam immediatos superiores. Gonz. *ad Reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 25.* Pirh. *h. t. n. 58.* Argum. *c. 2. h. t.* ubi Regi Portugalliæ regnum suum remisse ac oegligenter administraoti datus coadjutor a Papa Innoc. IV. ejusdem Regis Frater Comes Boloniensis. Si autem id factum Regi, potiore jure id fieri potest respectu Prælati ecclesiastici. Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 9. nu. 4.* Sed & est generalis doctrina, ut Pirh. tradita a Glos. magna *ibid. not. 1.* Quod si is qui præest alicui communitati, in officio negligens sit & remissus, debeat superior idoneum ei dare coadjutorem seu curatorem. Non tamen ea datio coadjutoris in casu negligentiæ respectu Episcoporum fieri potest per Archiepiscopum (aut etiam respectu Archiepiscoporum per Patriarchas & Primates) utpote qui licet jurisdictionem habeat in Episcopum sibi subjectum, noo tamen in ejusdem diœcesin, nisi in casibus io jure expressis, inter quos noo est illa datio coadjutoris ob negligentiam, sicut nec est ob ejus captivitatem vel infirmitatem. Pirh. *cit. n. 18.* Constatque hoc ipsum ex *c. unic. de cler. ægrot. in 6.* ubi expressum, dationem coadjutorum Episcopis & superioribus Prælatis esse de causis majoribus, & ad solum Papam pertinere. Porro quod hic dictum de negligentia Episcupi, idem locum habet, dum is suspectus est de delapidatione. De quo vide me *in Vicar. Episcop. quæst. 345.* & huc applica.

QUÆSTIO CCCCXLIX.

Per quem suppleadus defectus Episcopi ob culpam suam excommunicati vel suspensi, adeoque impediti exercere munus suum pastorale.

1. RESp. Primo. Non potest suppleri per ejus Metropolitanum, sive in hoc casu non devolvitur jurisdictio ad Metropolitanum, uti expresse habetur *c. 1. h. t. in 6.* cujus quoque ratio eodem textu contioetur. Nimirum, quia, ut dictum aliquoties, Archiepiscopus non potest exercere jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum, nisi id specialiter a jure ei concessum reperiatur; sed oosquam in jure reperitur concessum vel expressum, quod Episcopo excommunicato ob culpam suam, jurisdictio in illius subditos seu potestas audiendi & definiendi omnes eorum causas in prima instantia devolvatur ad Archiepiscopum, ac proinde id hoc ipso debet censeri probibitum. Addit & aliam hujus rationem ex Geminian. *ad cap. 1. h. t. in 6. nu. 5.* & Viviano *in rati. n. jur. Pontif. ibidem.* Pirhing *h. t. nu. 14.* & alii passim: nimirum, ne si in hoc casu concederetur Metropolitano in subditos suffraganeorum jurisdictio, daretur illi occasio excommunicandi facile suffraganeos.

2. Resp. secundo. Neque suppleri potest per Capitulum. Fagnanus *in cap. quia diversitatem de concess. præbend. num. 25.* citans pro se Hostiens. *in c. 1. de off. Vicar. in 6 num. 1.* probat hanc suam sententiam *num. 26.* imprimis ex *c. Romana hoc. tit. in 6.* nimirum; quod si io hoc casu jurisdictio devoluta esset ad Capitulum, Papa ibidem non pro ratione daret, quod hæc jurisdictio noo videatur in jure esse concessa Metropolitano, sed quod ea concessa jam esset alteri, nempe Capitulo, cui jus suum auferre non possit Metropolita. Probat dein etiam *num. 27.* ex *c. si Episcopus h. tit. in 6.* ubi jurisdictio Episcopi naturaliter viventis tribuitur Capitulo in speciali casu; quando Episcopus est captus a paganis vel schismaticis; eo quod tunc Sedes censeatur vacare quasi per mortem; adeoque extra hunc casum regulariter jurisdictio Episcopi naturaliter viveniis non transeat ad Capitulum; cum mors civilis vel spiritualis Prælati non æquiparetur morti naturali, nisi ubi id io jure cautum invenitur, ut Gl. *in c. placuit il 2. 16. quæst. 5. v. mortuus.* Probat tertio *n. 31. & 32.* ex eo, quod Sedes uti vacat interpretative per inhabilitatem Prælati. Argum. *c. inter corporalia de translat. Episcopor.* ita etiam vacet interpretative per excommunicationem & suspensionem, ut post Host. expresse Pavin. *de off. & potest Capit. Sede vac. prælud. ult. n. 13.* Sede autem interpretative vacante per inhabilitatem, jurisdictio non devolvatur ad capitulum, sed Papa provideat per coadjutorem, *cap. ex parte de cler. ægrot.* Neque his obstat S. Congr. Concil. 14. Jan. 1588. declarans, Episcopo hæretico existente, pertinere ad Capitulum potestatem dandi dimissorias. Nam id circo tunc spectat jurisdictio ad Capitulum, quia Sedes tooc non interpretative, sed vere vacat juxta *c. commissi de hæret. in 6.* Fagn. *l. c. nu. 34.* citans seipsum *in c. ad abolendam tit. eod. n. 29.*

3. Resp. tertio. Neque suppleri potest per ejus Vicarium seu Officialem. Eo ipso enim, quo suspensa est & impedita est jurisdictio Episcopi suspensa quoque est jurisdictio Vicarii, & acta a Vicario, durante illa excommunicatione vel suspensione Episcopi pertinentia ad jurisdictionem sunt invalida. Azor. *part. 2. lib. 3. c. 6. q. 13.* Pirbing *ad tit. de off. Vicar. nu. 69.* citans Sanchez *de matrim. l. 3. disp. 30.* Sbroz. *l. 3. q. 17. a. 1. & 4.* citans Selvam *de benef. p. 2. q. 14. n. 6.* Cuchum *inst. jur. can. de Vicar. Episcop. nu. 134.* Paris. *cons. 89. n. 6. vol. 4. &c.* Et ratio est, quia unum idemque tribunal est Episcopi & Vicarii illius, adeoque sicut per excommunicationem, suspensiooem &c. suspenditur jurisdictio Episcopi, ita etiam Vicarii illius, qui jurisdictionem dependenter ab Episcopo habet. Et sic, ut inquit Bald. *in cap. licet de off. deleg. num. 6.* apud Sbroz. *l. c. nu. 2.* excommunicatio (iotellige Episcopi) ioficit auditorium Episcopi & Vicarii. Exteosiones & limitatiunes hujus doctrinæ vide apud me *in Vicar. Episc. q. 89. a nu. 3.*

4. Resp. quarto. Proinde jam in hoc casu nemo potest reddere jus in diœcesi Episcopi excommunicati præter Papam. Pagnan. *l. c. n. 25.* citans Host. *in c. 5. de off. Vicar. in 6. n. 1.* Gl. *ibid. v. ipsius.* Jo. Monach. *ibid. a. 5.* unde recurrendum ad Papam tanquam ad omnium ordinarium, qui omnibus præest, *c. cuncta & c. ult. caus. 9. q. 3.* & ab eo petendum, ut vel Episcopum excommunicatum absolvat, vel alio modo Ecclesiæ provideat. Pirh. *n. 13. & 14.* citans Anchar. *in c. 5. h. t. in 6. not. 2.* Porro quod dictum in hoc casu de Episcopis,

idem

idem dicendum de aliis Prælatis inferioribus exemptis seu Papæ immediate subjectis.

QUÆSTIO CCCL.

A quo & qualiter supplenda negligentia Episcopi, quam is committit in assumendo Vicarium.

1. RESp. Primo, Ubi Episcopus negligeret constituere Vicarium, dum ad hoc tenetur, potest & debet Metropolitanus præfigere illi terminum ad constituendum Vicarium, quo elapso, si non constituat, ipsemet Metropolitanus Vicarium constituet, vel Episcopum ad illum constituendum cogere potest. Pirhing *ad tit. de off. Vicar. n. 28.* citans Abb. *in c. quoniam de off. ordinar. n. 3.* Ugol. *de off. Episc. p. 1. c. 4. §. 6. n. 2.* Sbroz. *l. 1. qu. 46. n. 4.* & exactius *qu. 57. per tot.* citans *c. cum sionus 9. qu. 3.* ubi dicitur: Si Episcopus non sategerit constituere œconomum in sua ecclesia, Metropolitanus eum constituere potest, accipiendo œconomum pro Vicario, *& c. nova 16. qu. 7.* & pro dicta practica seu modo in hoc procedendi, præfigendo terminum citat Abb. *in cap. quoniam de off. ordinar. nu. 4.* Cuch. *inst. jur. can. de Vicar. Episc. tit. 8. n. 13. l. 2. nu. 39.* Quod si vero ecclesia sit exempta, seu non subjecta Metropolitano, Episcopo illius negligente constituere Vicarium, non Metropolitanus, sed propinquior Episcopus in ea deputabit Vicarium etsi ipse Metropolitanus in sua Ecclesia negligat constituere Vicarium, cum constituet antiquior suffraganeus. Sbroz *lib. 1. qu. 58.* citans Cucbum, ubi ante idem Trident. *sess. 24. c. 16. de reform.* Verum illud loquitur ibidem tantum de Capitulo Sede vacante negligente constituere Vicarium.

2. Resp. secundo. De cetero, Episcopo negligente constituere Vicarium, Capitulum eum constituere nequit Sbroz. *lib. 1. quæst. 59.* ex Berojo *cons. 23. a n. 4. vol. 1.* quia in eo casu jura statuunt modum alium supplendi hanc negligentiam, citra quod dicta constitutio devolvatur ad Capitulum.

QUÆSTIO CCCCLI.

A quo & qualiter supplendus defectus ordinariæ jurisdictionis, Episcopo capto, vel diu absente, vel etiam alio impedimento perpetuo aut diuturno impedito exercere suum officium.

1. RESp. ad primum. Capto a Paganis (vel etiam ab hæreticis, ut Gl. hic v. paganis) vel schismaticis Episcopo, non ad Metropolitanum, sed ad Capitulum Cathedrale, non secus ac si Sedes per mortem (vel etiam per renunciationem, depositionem, ut Gl. *hic v. mortem*) vacaret, jus administrationis tam in temporalibus quam spiritualibus devolvitur; donec vel Episcopus restitutus fuerit, vel Papa, qui quam primum commode fieri potest, super hoc consuli debet, aliud ordinaverit. Ita expresse decisum habetur, *c. si Episcopus h. tit. in 6.* Card. de Luc. *de benef. dist. 16. nu. 4. junctio n. 12.* Reb. *in cap. cum nulla de concess. præb.* Consentaneum enim est naturæ, ut defectum capitis reliquum corpus suppleat, donec de medio majore provideatur, ut Laym. *in cit. c. & in c. 1. h. t. in fin.* & ex eo Pirh. *h. t. nu. 15.* Quamvis per dictam constitutionem non impediatur Episcopus captus, si possit per literas subditis præcipere, ecclesiamque suam, quantum valeat, administrare, exemplo S. Marcelli Papæ & SS. Polycarpi, Ignatii & aliorum Pontificum. Layman *in cit. c. si Episc. h. t. nu. 1.* De cetero Episcopo capto non poterit ejus Vicarius supplere in administratione. Tametsi enim per captivitatem illam (ut rectius contra Glos. *in cap. si Episc. v. sed Capitulum.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 57.* & alios tenent Fagn. *in c. per tuas il 1. de simoniac.* Pirhing *ad tit. de off. Vicar. num. 68.*) non extinguatur Vicariatus; eo quod Episcopus captus non efficiatur servus capientium, seu non amittat libertatem nisi de facto; proinde retinet habitualiter jurisdictionem, & ea solum quo ad exercitium suspendatur, ac interea devolvatur ad Capitulum, adeoque non sit civiliter mortuus quo ad habitum jurisdictionis, sed solum quo ad exercitium illius; hinc etiam Vicarii jurisdictio durante captivitate Episcopi, licet, quo ad habitum non sit amissa, est tamen suspensa, ita ut eam interea exercere nequeat, nisi forte exercitium illius committeretur a Capitulo; potest enim Capitulum, utpote ad quod in hoc casu, uti & in diuturna Episcopi absentia devolvitur jurisdictio in utroque casu constituere Vicarium, penes quem sit jurisdictionis exercitium, seu administratio. Qui tamen Vicarius constitutus a Capitulo dicendus non erit proprie Vicarius Generalis Episcopi, sed Capituli, & Vicarius jurisdictionis Episcopalis. Ego in *Vicar. Epist. quæst. 25.*

2. Resp. ad secundum. Idem omnino est, si Episcopus ad loca remota discessit diu absfuturus, nullo loco sui constituto Vicario seu administratore, ut nimirum Capitulum interim administret & exequatur, saltem ea, quæ necessaria sunt, & dilationem non patiuntur, donec Papa consultus respondeat & provideat. Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiepisc. nu. 22.* Layman *in c. 3. h. t. in 6. n. 1.* Dian. *p. 6. tr. 4. resol. 3.* Pirh. *h. t. n. 16.* Reiffenst. *n. 39.* juxta *cit. c. 3.*

3. Resp. ad tertium. Idem quoque est de Episcopo incidente in amentiam, vel omnino & absolute reddito inhabili ad administrandum, vel etiam alio diuturno impedimento detento. Layman, Pirhing, Reiff. *LL. c.* generale siquidem est, quod in omni casu, quo Episcopus exercere officium suum non potest, nec alteri committere, Capitulum vices illius in administratione subeat, donec Papa desuper certior factus aliud disponat. Sylv. *in sum. v. Archi-Episcop.* Pirh. *cit. nu. 13.* dum enim ob impedimentum tale durabile est omnino inidoneus ad administrationem, idem censeri debeat, ac si sedes vacaret, (quo in casu indubitato administratio spectat ad Capitulum, *c. his quæ, & c. cum olim de major. & obed.*) cum idem sit, non habere Episcopum, & habere inutilem, *c. inter corporalia de translat. Episc. §. sed neque*, juncta Gl. *ibidem v. inutilem.* Barbos. *axiom. 174. a num. 13.* nisi quod ubi sedes vere vacat, Capitulum etiam inconsulto Papa administrare pergat, donec novus Episcopus succedat. Et quidem, si Episcopus amentia alisve infirmitate ad sui officii executionem ex toto vel ex parte perpetuo inhabilis sit, ab ipso Episcopo cum consensu Capituli, vel si is, quid velit nolitve, exprimere nequeat, a capitulo solo assumendum coadjutorem, & si hunc Episcopus ipse assumere quidem valeat, nolit tamen recurrendum esse ad Papam, a quo per dationem Coadjutoris vel aliter providendum, juxta *c. unic. de Cler. ægrot. in 6.* Azor. *inst. mor. p. 2. l. 3. c. 2. q. 2.* Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 9. n. 5.* Wiestner *h. t. n. 44.* Idque ex authoritate pontificia, dum alias constituere Episcopia & illis majoribus coadjutores etiam temporales tantum sit solius Papæ. Gonz. *ad Reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 34.* citans Jacobat. *de Concil. l. 3. art. 3. n. 16.* Abb. *in c. fin. de cler. ægrot. n. 5.* Butrinm. *n. 14.* Item Barb. *jur. eccl. l. 3. c. 10. n. 21.* citans Jambar. *de off. & potest. legat. l. 3. de coadjut. nu. 13. &c.* Castropalao Azorius *LL. cit.*

QUÆSTIO CCCCLII.

Generalis, a quo & quomodo supplenda negligentia Prælatorum inferiorum in administranda justitia & officio suo.

1. RESp. Primo. Cum juxta dicta supra, generatim loquendo, ea, quæ per Prælatorum negligentiam omissa fuerunt, ordinarie per superiores supplenda sint ascendendo gradatim usque ad Papam. Prælatorum inferiorum Episcopo subjectorum negligentia supplenda est per Episcopos, ita ut, si elapso termino negligentes perseverent, Episcopus ipse procedere possit & per se supplere. Abb. *in c. irrefragabili de off. ordinar. nu. 2.* Tusch. *Lit. N. Concl. 34. & 35.* apud Reiffenst. *h. t. n. 41.* Cujus etiam specialis ratio est, dum inferiores Prælati, v. gr. Archidiaconus, Capitulum Cathedrale ex privilegio vel consuetudine præscripta contra Episcopum habentes potestatem corrigendi delicta subditorum, negligant administrare Justitiam, quod non aliter Episcopus censeatur amisisse jurisdictionem, nisi in quantum inferior præscribens aut privilegiatus velit ea uti; adeoque quando talis inferior Prælatus negligit exercere suam jurisdictionem illico potuit eam exercere Episcopus, cum hoc jam posse spectato jure communi, nec est necesse recurrere ad alium superiorem. Reiffenstuel *loc. citat.* citans Abbat. *ubi ante.*

2. Resp. secundo. Possunt etiam Episcopi & Legati Apostolici supplere hanc negligentiam, uti etiam defectum ob senium, infirmitatem, simileve impedimentum per dationem Coadjutoris temporalis. Fagnanus *in c. nulla de concess. præb. n. 67.* ubi: *licet coadjutoria temporalis in inferioribus Prælatis dari possit ab ordinario, ad quem spectat destitutio vel cessionis admissio.* Barbos. *jure eccl. l. 3. c. 10. nu. 22.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 13. nu. 5.* ubi, quod Rectori senio confecto possit dare coadjutorem Episcopus, citans pro hoc Tuschum *Lit. C. concl. 402. num. 1.* Remouch. *de coadjutor. c. 5. nu. 2. & 5.* ubi id expresse de Archidiaconis & beneficiatis curam anima-

rum

rum aliquam habentibus. Si autem id potest Episcopus respectu Rectorum senio confectorum similique naturali impedimento laborantium, etiam iis invitis, multo magis videtur id facere posse ob eorum negligentiam, argumento ducto ex ratione generali, quam dat Gonz. *l. c. n.* 36. Quamque approbat Barbos. *h. c.* nimirum, quod sicut Episcopi, Legati, Nuncii bus inferiores instituere & destituere possint ex causa, ita majore ratione dare illis ex causis (quarum præcipua est dicta negligentia) coadjutores temporales. Cur vero id ipsum limitet Remouch. *cit. c. 9. n. 4. & 6.* ut retuli *in Vicar. Episcop. qu.* 332. *n.* 2. citando etiam pro hoc Lambert. *de jurep. l. 2. p. 1. qu.* 6. *a. 2. n.* 1. ita ut in beneficiis juris patronatus laici neque Legatus, neque Episcopus possit, Papa vero possit, non soleat tamen concedere istiusmodi temporales coadjutores sine consensu patronorum, non video, præsertim dum ex necessitate, nimirum ob inhabilitatem coadjuti conceduntur, seu potius invito etiam coadjuto statuuntur. Cum ex una parte inde Patronis non creetur præjudicium, dum illæ coadjutoriæ cedente vel decedente coadjuto extinguantur; ex altera parte, per hoc creari posset magnum detrimentum ecclesiis. Tametsi igitur de jure communi Episcopus Abbatibus similibusque Prælatis in dicto casu inhabilitatis statuere poterat coadjutorem, uti & Monasteriis vacantibus œconomum, modo tamen, dum Sedis Apostolicæ privilegio Religiones fere omnes ab Episcoporum aliorumque Ordinariorum jurisdictione exemptæ sint, si contingeret de aliqua justa causa oportere, Abbati alicui coadjutorem dari, talem dationem coadjutoris spectare ad Abbatem generalem sive ad diffinitorium, ait Tambur. *de jure Abb. Tom. 1. d. 13. quæsito 1. & 2.* Quod si tamen Abbates talem nullum Abbatem generalem habeant seu agnoscerent, essentque alias exempti a jurisdictione Episcopi, sive sunt regulares, sive sæculares, non nisi a Papa (intellige, in dicto casu inhabilitatis culpabilis) iis dari potest coadjutor Tambur. *l. c. n.* 3. Barbos. *de offic. Episc. allegat.* 50. *nu.* 8. Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiep. author. nu.* 9. Ego *in Vicar. Ep. q.* 333. *n.* 2.

QUÆSTIO CCCCLIII.

Ob quas in specie infirmitates tam mentis quam corporis hic defectus potius sit supplendus per dationem coadjutoris, quam per amotionem eorundem.

RESp. Videri hæc ipsa posse apud me *in Vicar. Episc. quæst.* 340. *& seq.*

QUÆSTIO CCCCLIV.

Specialis. An & a quo supplenda negligentia Prælatorum consistens in dilapidatione bonorum.

RESp. Prælato dilapidanti bona Ecclesiæ dandus coadjutor vel etiam administrator. Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 9. n.* 27. Barbos. *jur. Eccles. l. 3. c.* 10. *n.* 20. citantes Abb. *in c. venerabilis de off. deleg. nu. 4. & in cap. Heli. de simon. num.* 8. Mandos. *in reg. 2. q. 5. n.* 6. & in casu providendum de coadjutore quo ad temporalia tantum, si de cetero Prælatus ille bene administraret spiritualia. Ventrigl. *Tom. 2. annot. 13. num.* 12. Paris. *de resign. l. 7. qu.* 10. Siquidem juxta impedimentum coadjuti conceditur coadjutor pro administratione spiritualium. Ex e contra, si temporalia administrare potest, conceditur solum pro administratione spiritualium. Barbos. *de pot. Ep. alleg.* 63. *n.* 13. Castr. *tr. 13. d. 1. p. 9. n.* 2. citans Azor. *inst. mor. p. 2. l. 3. c. 2. q.* 10.

QUÆSTIO CCCCLV.

Ad quem fiat devolutio juris corrigendi & puniendi Canonicos aliosque Clericos ob negligentiam Episcopi vel etiam Capituli, dum forte ad aliud spectat hoc jus.

RESpond. Videndum de hoc infra *ad tit. de offic. Jud. ordinarior.* ubi de jure Episcopi corrigendi & puniendi.

QUÆSTIO CCCCLVI.

Num Judicis sæcularis negligentia suppleri possit per Judicem ecclesiasticum, & e contra.

1. RESp. ad primum affirmative gl. fin. *in c. qualiter & quando de Judic.* Abb. *ibid. a.* 7. Bald. *in l. contractibus §. in omni C. de non numerata pec.* Tusch. *Lit. E. concl.* 240. *nu.* 1. Sperell. *fori eccl. dec.* 126. *a.* 47. Maranta *Speculi aur. p. 4. d. 11. n.* 11. Barb. *in c. licet ex suscepto de foro compet. nu. 2. &c.* prout decisum *c. ex transmissa c. licet c. ex tenore de foro compet.* ubi: *Judice sæculari negligente seu malitiose differente terminationem causæ etiam feudalis potest adiri Judex ecclesiasticus, ut debitum ei finem imponat.* Rationem hujus ex eo deducit Reiff. *h. t. nu.* 44. quod licet potestas sæcularis & politica sit distincta a potestate ecclesiastica, hæc tamen sit illa sublimior *c. solitæ de maj. & obed.* simulque ecclesia, saltem indirecte seu casualiter exerceat jurisdictionem in bona temporalia Christianorum, *c. per venerabilem qui filii sint legitimi.* Adeoque mirum non sit, potestate sæculari negligente, posse potestatem ecclesiasticam desuper requisitam dictam negligentiam per se supplere.

2. Resp. ad secundum, non posse tamen Judicem laicum supplere negligentiam Judicis ecclesiastici; adeoque nec Clericum etiam in casu negligentiæ Judicis ecclesiastici trahi ad forum sæculare *c. qualiter & quando de jud.* gl. fin. *ibid.* & Abb. *n.* 7. Barb. *n.* 2. Sperel. *l. c. a.* 48. Farin. *p. 4. l. 1. cons.* 68. *n. 2. &* 10. Contra gl. *in can. filiis 16. q. 7. v. Regis.* Menoch. *de retin. possess. remed. 3. a num.* 355. volentes, posse Judicem sæcularem hanc negligentiam in realibus, non tamen in personalibus, supplere. Ratio responsionis est, quod imprimis Judex sæcularis nullam habeat jurisdictionem in clericos *c. Eccl. S. Mariæ de const.* imo sit hujus jurisdictionis (intellige per se & ordinariæ competentis) incapax *c. causam de præscr. c. sacerdotibus 11. q.* 1. Dein sit longe inferior ecclesiastico *c. c. solitæ de major. & obed.* Nunquam autem inferior suppleat negligentiam superioris, nisi in casibus in jure expressis, ut innoc. *in c. quia diversitatem de concess. præb.* urgetque hæc ratio non solum in actionibus personalibus sed etiam realibus Clericorum; eo quod, si persona sit exempta, etiam res illius tanquam accessoria exempta esse debet, juxta illud: accessorium sequitur principale *c. accessorium de reg. Jur. in 6.* Reiffenst. *n.* 45.

3. Neque his obstat primo *can. si quis cum clerico 11. q. 1.* ubi de actore clericum in causa pecuniaria coram ejus Episcopo conveniente dicitur: *sin autem noluerit Episcopus litem dirimere, tunc ad civilem Judicem disceptatio causæ perveniat.* Cui simile quid habetur in *Auth. ut Clerici §. si vero coll.* 6. Nam præterquam quod dictum canonem, in quantum dicit; quod Episcopo negligente disceptatio causæ ad Judicem civilem perveniat, revocatum esse, post Jo. And. dicat Abb. *in c. c. qualiter & quando n.* 7. apud Reiff. *h. t. n.* 46. Idem Canon, utpote desumptus ex citata *auth.* seu ex *Novell.* 83. prout ibi in margine notatur, nihil firmitatis habeat; cum leges civiles directe de Clericis disponentes non valeant ex defectu jurisdictionis, nisi quatenus ab Ecclesia approbantur. Quin & reprobatur vi *c. c. qualiter & quanto.* Neque secundo *Can. filiis 16. q. 7.* ex quo gl. *ibid. v. Regis* infert; Metropolitano negligente vel rebus ecclesiasticis abutente adiri posse Regem, ut eum corrigat, cum per ecclesiasticum Judicem corrigi non possit. Nam tam a gl. illatum una cum sua ratione, quam ipsa illatio falsa sunt. Imprimis illatum, ut constat ex *c. c. qualiter & quanto.* Dein & illius ratio; cum Metropolitanus cogi possit per Primatem & Papam. Denique ipsa illatio; cum textus tantum habeat, Metropolitani negligentiam seu abusum Regis auribus intimandum, ex quo dictum illatum nullatenus sequitur; cum intimationis illius finis esse possit, non ut Re[x] per se illum corrigat, sed vel ut ipsum moveat, vel apud superiorem illius instet, ut ab eo compellatur justitiam resque ecclesiasticas rite administrare. Barb. *in cit. c. qualiter & quanto n.* 3. Reiff. *n.* 46. cum Abb. *l. c.* Neq; tertio. Quod *in can. nos si incompetenter, 2. q. 7.* Ubi ipse Papa Leo IV. se sæculari Imperatoris judicio submisit bis verbis: *nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non observavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio, &c.* Nam præterquam quod Papa per hæc se subjecerit judicio Imperatoris, non coactivo sed arbitrario, sive ut *ibid.* Archid. ejusdem directioni; idque, ut Gratian. *ibid. nu.* 1. ex humilitatis dispensatione, & ad vitandum forte alias timendum scandalum licuit hoc summo Pontifici, ut Archid. *l. c.* utpote qui est supra omne forum. Unde ex eo Pontificis facto non sequitur licere quoque aliis Prælatis inferioribus negligentiam suam Judici sæculari corrigendam, aut etiam dijudicandam submittere. Arg. *c. si diligenti de foro comp.* Neque denique: quod *c. 2. de regularibus* supponatur,

posse in causa ecclesiastica ob negligentiam Judicis ecclesiastici reclamari, & haberi recursum ad Principem. Nam ut gl. *ibid. v. ad Principem* ibi per *Principem* non intelligitur Princeps sæcularis, sed Papa qui absolute & sine addito dicitur Princeps. *Can. corpora de consecrat. d.* 2. juncta gl. *ibid. v. Principis.*

QUÆSTIO CCCCLVII.

Per quem & qualiter supplenda negligentia Principum ac Regum Christianorum.

1. RESp. primo. Si talis Princeps remissus & negligens fuerit in administratione Regni seu provinciæ, dissipando jura & bona Regni gravando subditos ac potissimum causas Ecclesiarum, pauperum & orphanorum negligendo &c. debet illi dari a superiore seculari, si talem habeat, coadjutor seu curator, qui ejus vice Regni negotia libere administret *c.* 1. & 2. *dist.* 87. *c. ex parte de foro comp.* Barbos. Laym. *in c.* 2. *h. t. n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 19. Reiff. *n.* 51. cum communi Canonistarum.

2. Resp. secundo. Si Rex superiorem in temporalibus non recognoscat, & Regni Proceres remedium aliud adhibere nolunt aut nequeunt, spectabit ad Papam providere illi de idoneo coadjutore committendo illi curam ac generalem liberamque Regni administrationem, relinquendo interim Regi ejusque legitimo hæredi jura Regni. Canonistæ communiter *in c.* 2. *h. t. in* 6. ubi Sanctio Regi Portugalliæ in tali casu negligentiæ Papa coadjutorem dedit fratrem ejus cum mandato ad Proceres Regni, ut non obstante fidelitatis juramento, quo Regi obstricti, aut etiam Regis prohibitione, dicto coadjutori obediant, consilio auxilioque contra repugnantes adsint, alias ab Archiepiscopo Bracarensi, præmissa monitione per censuras ecclesiasticas, remota appellatione, compellendos. Et Ratio est, quod ex una parte nihil per hoc juri Regis coadjuti ejusve hæredi, aut etiam Regni adimatur; sed potius eorum incolumitati optime hac ratione consulatur, tametsi aliqualiter quoque per hoc negligentia Principis, adimendo illi administrationem, puniatur. Ex altera vero parte, quod id potestatem Papæ non excedat in casu, ubi Proceres alio aptiore remedio succurrere nequeunt. Uti ex eo patet, quod potestas sæcularis subjecta sit spirituali seu ecclesiasticæ, ut ab ea judicari possit, etiam in temporibus in ordine ad finem æternæ beatitudinis, quatenus ad eum obtinendum serviunt, vel ab eo abducunt juxta Extravag. *unam sanctam inter commun. de majorit. & obed.* Insuper, quod Papa tanquam supremus Christi in terra Vicarius, indirecte quoque & casualiter ob bonum nimirum universalis Ecclesiæ sibi a Deo commissæ etiam de bonis temporalibus Christianorum omnium disponere possit *cap. per venerabilem qui filii sint legitimi & clem. pastoralis de sent. & re judicat. &c.* spectentque specialiter ad Ecclesiæ summum Rectorem causæ ecclesiasticæ, tum & miserabilium personarum contra oppressionem a potestate sæculari factum cura ac defensio.

QUÆSTIO CCCCLVIII.

A quo & qualiter supplenda negligentia Capituli Sede vacante.

1. RESp. primo. Si Capitulum (ad quod Sede vacante spectat jus administrationis tam in spiritualibus quam in temporalibus) perperam seu per malitiam administret (intellige vel per se, vel etiam per constitutum a se Vicarium) potest Metropolitanus constituere administratorem *cap. ult. h. t.* modo tamen capitulum administret male tam in temporalibus quam spiritualibus. In concedendo enim Archiepiscopo hanc potestatem constituendi administratorem, cui alias in Ecclesiam Episcopalem Sede vacante nihil juris competit, quam quod in jure exprimitur, jus utrumque copulative requirit, nimirum *citat. cap. ult.* Anchar. *in cit. cap. not.* 3. Franc. *num.* 2. *not.* 1. post Jo. And. Quamvis Pirh. *h. t. n.* 21. citando pro hoc Franc. dicat, ex æquitate sufficere alterutrum, nempe ut vel in temporalibus vel in spiritualibus male administret. Quoad hæc videnda sunt dicta *quæst. ante hanc* 3. insuper conceditur hæc potestas Archiepiscopo deputandi administratorem ecclesiæ vacanti *in cit. c. ult.* non nisi vocato prius capitulo seu capitularibus, utpote quorum interest, & præmissa causæ cognitione, ita ut hac non præmissa datio coadjutoris per Archidiaconum non valeat, gl. *in cit. cap. ult. v. vocato & v. præmissa cognitione.* Tametsi, quod ea alias non valeat, textus non dicat, cum, ut *ibidem* gl. sufficit, legislatorem aliquid prohibuisse, etsi non addat, non valere, quod contra prohibitionem factum fuerit. *L. non dubium C. de LL.*

2. Resp. secundo. Si capitulum Sede vacante (quod etsi de jure communi alias non tenebatur pro administratione & jurisdictione illa ad se devoluta constituere Vicarium, sed eam administrare poterat per se, hodiedum tamen ad hoc tenetur juxta expressam dispositionem *Tridem. sess.* 24. *cap.* 16. Fagn. *in cap. his quæ de major. & obed.*) intra octo dies juxta eandem Trid. dispositionem (quod tempus qualiter & a quo die currat, vid. apud me *in Vic. Ep. q.* 543.) negligat constituere Vicarium, potest hunc constituere Metropolitanus, & si ecclesia vacans fuerit Metropolitana antiquior Episcopus suffraganeus; si vero exempta, Episcopus propinquior in ea constituere potest Vicarium, prout hæc disponuntur a Trident. *loc. citat.* & juxta illa Barbos. *jur. Eccles. l.* 1. *cap.* 32. *num.* 55. & 56. Poterit nihilominus capitulum, dum intra octo dies non elegerit Vicarium, re adhuc integra, antequam Metropolitanus eum constituat, purgare moram & eum eligere. Paxford. *lib.* 12 *tit.* 2. *num.* 6. Garc. *part.* 5. *capit.* 7. *numer.* 7. Ventrigl. *Tom* 2. *ann.* 15. §. 2. *nu.* 4. dicens, hanc sententiam esse veriorem & verbis Concilii conformiorem, utpote quod illa devolutione puniat negligentiam Capituli, quæ purgata mora considerari nequit contra Suarez *Tom.* 5. *dist.* 28. *sect.* 3. *numer.* 3. qui tamen ibi teste Garcia solum dicit, Capitulum in eo casu non electi a se Vicarii intra octiduum, vel non electi modo a Concilio præscripto, privari pro ea vice facultate eum eligendi, & non addit; quod etiam purgata mora privetur dicta facultate. Quin etiam Pignatel. *Tom.* 3. *consil.* 34. *a numer.* 13. probat pluribus Sacr. Congreg. responsis, non posse adhuc Metropolitanum constituere Vicarium, si Capitulum intra 8. dies elegerit quidem eum, sed nulliter v. gr. eligendo non doctorem, existentibus Doctoribus; eo quod Concilium devolutionem statuit potissimum ac principaliter ob negligentiam in gerendo actu, quæ non debeat extendi ad casum, quo actus quidem gestus, sed nulliter; cum minus sit peccare in qualitate quam in substantia; & quia regulariter conceditur aliquid fieri per secundum actum, quando per primum non valuit, nec fuit satisfactum menti disponentis ex allegatis per Gabriel. *tit. de LL. conclus.* 2. *num.* 28. & Tiraq. *in lege boves §. hoc sermon. lim.* 1. & 6. vide me in *Vicar. Episcop. quæst.* 344.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De Supplenda Negligentia Prælatorum in materia beneficiali.

QUÆSTIO CCCCLIX.

An quo supplenda negligentia Patronorum in præsentando.

RESP. Per superiorem seu eum, ad quem pertinet præsentatum instituere, sive is sit Episcopus, sive alius. Ita ut si Patronus intra tempus sibi a jure, vel etiam a fundatore (potest enim fundator, sive laicus sive ecclesiasticus fuerit, in limine fundationis tempus alias a jure patronis concessam ad præsentandum abbreviare vel prorogare. Cardin. de Luca *de jurepatr. disc.* 64. *num.* 14. de quo vide me *in foro benefic. part.* 2. *quæst.* 137. *num.* 1.) statutum, nempe quadrimestre, si patronus est laicus, vel semestre, si patronus est ecclesiasticus (de tempore statuto patronatui mixto ex laicis & ecclesiasticis vide me *l. c. q.* 135. *nu.* 1. ubi etiam *nu.* 3. de tempore statuto patronis quo ad parochialia & curata beneficia nempe 20. dierum per constitutionem Pii V. item *n.* 2. quod cum Regibus & summis Principibus patronis non curetur de tempore) præsentare neglexerit, is libere conferre valeat beneficium *c. quoniam c. cum propter de jurepatr.* gl. *in Clem. unic. tit. eod. v. dispositionem* Abb. *ibid. nu.* 3. Rochus de Curte *de jurep. v. honorificum q.* 33. ita etiam, ut hæc suppletio seu devolutio non evitetur, tametsi patronus intra dictum tempus præsentasset a se delectum ordinario ad examen; dum nimirum institutio facienda per inferiorem Garc. *p.* 10. *c.* 3. *num.* 6. testans sic resolutum *in Mediolanens. Jurispatr.* 22. *Maj.* 1595. Quamvis patronum etiam post lapsum termini ei a jure ad præsentandum præfixi admittere ad præsentandum possit habens instituere, ad quem jure devoluta est collatio, cedendo huic favori suo (dicitur enim *cap.* 2. *hoc tit.* si non præsentent patroni intra tempus, liceat tibi in iis ordinare Rectores = *licent* autem favorem & licentiam, non necessitatem imponit) Cardin. de Luc. *loc. cit. nu.* 16. Barbos. *Jur. Ecclesiast. l.* 3. *cap.* 12. *num.* 170. Castropal. *tract.* 13. *disp.* 2. *part.* 5. *num.* 8. vide me *loc. cit. q.* 137. *a num.* 2. Porro qualiter dictum tempus incipiat patronis currere, non ab hora vacationis beneficii, sed ab hora notitiæ vacationis, & qualis debeat esse hæc notitia; & qualiter probanda ad effectum devolutionis evitandum, vide accurate a me tractatum *in foro benef. q.* 139. *& seq.*

QUÆSTIO CCCCLX.

Per quem & qualiter supplenda negligentia circa institutionem præsentati.

1. RESP. primo. Juxta constitutionem Pii V. quæ habetur *Tom.* 2. *Bullarii* & apud Quaranta *in summ. Bullarii v. beneficiorum paroch. collat.* estque inter constitutiones hujus Pontificis 33. ac incipit: *In conferendis* prohibetur expresse ordinariis ne tempus decem dierum ordinariis ac patronis a Tridentino ad nominandum idoneos ad ecclesiam regendam coram deputatis examinatoribus præfixum ultra alios 10. dies prorogare præsumant; ac præsentati, examinati & approbati intra duos menses a die præsentationis & habiti examinis institui debent; aliter beneficium devolvi ad Papam. Habet tamen etiam Reiff. *h. t. n.* 16. testans idem statutum in citata Bulla. Quod si Episcopus tales intra duos menses, prout tenetur, non instituerit, patroni adire possint Metropolitanum ut eos instituat.

2. Resp. secundo. De cetero quo ad alia beneficia non curata ordinarius seu habens instituere post factam sibi debite præsentationem differre non potest ultra sex menses, quin ad alium superiorem illius devolvatur institutio. Unde etiam, licet patrono cui elapsum est tempus ei concessum illud prorogare possit, non potest tamen illud ultra sex menses. Barbos. *cit. num.* 170. Castropal. *loc. cit. num.* 8. citans *cap.* 1. *de concess. prabend.* Dum vero facta legitime præsentatione Patronus vel etiam præsentatus ob plus æquo dilatam institutionem ab habente instituere appellationem aut querelam prosequitur apud superiorem seu Judicem, potestas instituendi non devolvitur ad dictum Judicem, qui de gravamine cognoscit vel querelam recipit, nisi per indirectum. Si enim procedatur per viam querelæ (cui tunc est locus, ubi nullum gravamen positivum supponitur, sed solum negligentia & mora in instituendo) poterit aditus superior præfigere terminum habenti instituere, intra quem si nolit instituere, tunc ipse loco illius poterit instituere, Lotter. *de re benef. l.* 2. *qu.* 13. *nu.* 65. & 66. (quamvis idem *num.* 63. dicat, in hoc casu frequentius & tutius practicari, ut impetretur provisio a Papa, asserendo simpliciter se præsentatum a patronis) Corrad. *pr. benef. l.* 4. *c.* 3. *nu.* 12. juxta *Decis. Rota* 4. *de jurep. in novis.* Si autem procedatur per viam appellationis a gravamine positive illato, sive quia expresse sit denegata institutio, sive quia ter rogatus solenniter obstinate distulit, facultas instituendi videtur devolvi ad Judicem appellationis, seu Judicem ad quem; eo quod, ut Franc. *in c. bona de appell. n.* 12. hic sit præcipuus affectus appellationis, ut negotium, de quo appellatum, devolvat. Lotter. *n.* 67. tenetque hanc sententiam gl. *in Clem. auditor v. dubitum de rescrip.* Veruntamen, quod nunquam potestas instituendi vel conferendi (quidquid sit de potestate confirmandi; de qua videtur esse textus in *c. significaverunt de except.*) etiamsi appellatio pronuncietur legitima, devolvatur ad dictum Judicem aut alios delegatos, nec aliter eos posse concipere sententiam, quam remittendo præsentatum ad ordinarium seu habentem instituere, ut ipse eum instituat, tenet ipse Lotter. *n.* 70. & 72. citans pro hoc Imol. *in cap. dudum de elect. n.* 5. & 6. Jo. And. *in c. M. Ferrariensis de const. n.* 21. Rotam *in Aretina Capellan.* 4. *Julii* 1603. ait nihilominus idem Lotter. *num.* 79. quod quotiescunque supponitur appellatum in ipso articulo denegatæ institutionis, & causa per speciale rescriptum commissa est extra Rotam seu Curiam cum clausula consueta devolutionis totius negotii principalis, se tenere, posse Judicem institutionem facere ei, cui debetur de jure. quibus addit Corr. *l. c. n.* 13. quod testetur Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 103. servari in praxi, ut delegati a Nuncio in causis Capellaniarum & beneficiorum jurispatronatus in gradu appellationis faciant institutionem & collationem, possitque hæc praxis servari & sustineri ex clausulis commissionum: *cum incidentibus, dependentibus, annexis*: quas clausulas semper adjicit Papa, dando similes commissiones in gradu appellationis, ex qua Curiæ Romanæ observantia tenuerunt nonnulli, quod vigore dictæ clausulæ Delegatus per Papam ad hujusmodi causam possit etiam procedere ad institutionem præsentati. Quod tamen Corrad. ait, sibi non videri tutum. Porro qualiter in dicto casu appellationis devolvatur & spectet jus instituendi ad Auditores Rotæ, vide apud Lotter. *l. c. n.* 71. & apud me *for. benef. p.* 2. *quæst.* 177. *num.* 2.

QUÆSTIO CCCCLXI.

Per quem & qualiter supplenda negligentia electorum, dum intra debitum tempus neglexerunt eligere, vel etiam male elegerunt.

1. RESP. ad primum. Si neglexerunt eligere intra tempus sibi a jure communi vel speciali statutum (quod quantum sit, & qualiter impeditis non currat, vide apud me, *in foro benef. p.* 2. *q.* 328. & 329.) electio seu provisio devolvitur ad immediatum superiorem, *c. ne pro defectu, de elect.* (quod & in hoc correxit jus antiquum, vi cujus tunc electio seu provisio in ecclesiis Cathedralibus devolvebatur immediate ad Papam, ut constat ex *c. cum dilectus de concess. prabend.*) V. gr. in Ecclesia Cathedrali ad Metropolitanum, in ecclesia inferiore, tam sæculari quam regulari non exempta ad Episcopum. Modo tamen superior immediatus habeat alias potestatem confirmandi electum (ob negligentiam enim electorum jus eligendi devolvitur non nisi ad eum superiorem immediatum, qui alia habet potestatem confirmandi electum, sive is sit Archiepiscopus, sive Episcopus sive alius Prælatus. Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 18. Pirh. *ad tit. de elect. num.* 250. citans Abb.) uti adhuc hodie dum Salisburgensi tanquam Metropolitano subjectos esse aliquot Episcopatus Germaniæ quo ad accipiendam ab eo confirmationem

testatur Laym. *ad cit. c. ne pro defectu num.* 6. dum alias specialiter in Germania jus confirmandi Episcopos electos a Canonic. Cathedralibus sibi reservaverit Nicolaus V. in Concordatis Germaniæ. Adeoque si in eorum electione committatur negligentia ultra terminum, devolvitur ad Papam immediate provisio. Uti etiam contingit, dum ecclesiæ alias sunt exemptæ, & Papæ immediate subjectæ *cap. sicut cap. licet h. t. c. cum singula de præb. & dignit. in* 6. Qui dein superior immediatus, ad quem facta in hoc casu devolutio, intra terminum alias præfixum de jure communi ordinariis electoribus, scilicet intra 3. menses respectu Ecclesiæ Cathedralis aut regularis, vel intra 6. respectu aliarum ecclesiarum sæcularium tenetur providere ecclesiæ, eligendo seu assumendo aliquem ex gremio ejusdem ecclesiæ, si adest, idoneo, alias ex alia ecclesia *cit. c. ne pro defectu.* Pirh. *l. c. num.* 251. Quod si & is hoc negligat, devolvitur provisio ad alium superiorem, & sic successive, usque dum deveniatur ad Papam *cap. quanquam de elect. in* 6. Gl. fin. *ibid. Clem. unic. de suppl. neglig.* & AA. communiter. Quod si tamen superior ille elegerit, vel providerit, sed electio vel provisio ab eo facta ex quavis causa fuerit reprobata, vel provisus ab eo noluerit consentire, aut post consensum suum renunciavit juri suo, mox potestas eligendi revolvitur ad eosdem electores, & ita quidem, ut integrum iterum tempus, nimirum trium vel sex mensium iis de novo concedatur. Gloss. *in cap. si electio de elect. in* 6. Pirh. *n.* 246. Hi enim ob negligentiam eligendi intra tempus statutum privantur electione pro prima & una vice illa Pirh. *l. c.* Passer. *de elect. c.* 23. *n.* 40.

2. Resp. ad secundum primo. Dum electio, quæ de cetero adhuc dici potest canonica ex eo, quod facta a majore ultra medietatem parte, est nulla, cassaturque ob defectum aliquem in ea commissum aut ob aliam causam. V. gr. ob occultum vitium electi, quod post factam electionem prius innotescit, ea non devolvitur ad superiorem, sed spectat ad eosdem electores de novo eligere; nisi defectus sit talis, ob quem electores sint jure privati ad eligendum de novo, concesso iis iterum de novo toto tempore nimirum 3. vel 6. mensium. Passer. *l. c. num.* 41. Quod idem dicendum, si electus non consensit, vel post consensum renunciavit, vel mortuus est: modo tamen nihil sit factum in fraudem ab electoribus, veluti si ante trimestre vel semestre elapsum de industria elegerunt aliquem, quem sciunt non consensurum, ut vel sic diutius vacet Ecclesia; tunc enim electio spectabit ad superiorem *cap. si elect.* Pirh. *l. c.*

3. Resp. ad secundum secundo. Dum tamen electio evidenter non est electio. V. g. dum quis nominatus est non a majore supra medietatem parte, tunc enim, si electores intra præfixum terminum non progrediantur ad aliam electionem, ea devolvitur superiorem. Egn *p.* 2. *q.* 332. *n.* 2. *in fine.* Verum tunc non tam ob male factam electionem, quam ob omissam electionem fit illa devolutio.

4. Resp. ad secundum tertio. Dum electio nulla est ob coelectionem Laicorum, ut constat *cap. querelam c. quisquis c. cap. Massana de elect.* (ubi licet fiat mentio solum de electione Episcopi, extendendum tamen esse ob rationis identitatem ad electiones quoque aliorum Prælatorum, ait Pirh. *ad tit. de election. num.* 18.) & quidem ipso jure; cum, ut Passerin. *de elect. cap.* 10. *num.* 17. exclusio laicorum immiscentium se electioni ferendo suffragium sit de forma electionis. Idque etiam probabilius, etiamsi Capitulares eos admiserint sine omni sua culpa, vel quia per ignorantiam, vel quia illos prohibere nequiverunt, vel gravi metu adacti eos admiserunt, etsi de cetero non consentiant in illorum suffragia; quin & positive protestati sint contra Laym. *in cit. c. Massana.* Butrio *in c. fin. de procurat. n.* 2. eo quod pœnalis illa constitutio: qua talis electio irritatur, principaliter edita sit in odium laicorum præsumentium se immiscere electioni. Contrarium, nimirum electionem factam ab habilibus non irritari per admixtionem laicorum vel aliorum inhabilium ignoranter (vel quod idem est, sine culpa) admissorum probabiliter quoque, ut fatetur Pirh. sustinente Fagnano *in cap. Massana num.* 10. 21. 31. & 33. citante pro se Innoc. *in cap. illo* (ubi is etiam asserat, id verum esse, si unus tantum ex electoribus esset habilis, & omnes alii inhabiles) *item cap. fin. de procurat.* ubi expressum sit, valere actum collegialiter gestum ab habilibus & inhabilibus ignoranter admissis, pro qua sententia vide plura apud me *Fori benefic. part.* 2. *quæst.* 248. *num.* 2. *in fine.* In hoc inquam casu nullitatis inductæ sine culpa electorum, non videtur ea devolvi ad superiorem, sed posse electores de novo eligere exclusis laicis; eo quod pœnali illa constitutione, utpote lata principaliter & pure in odium Laicorum, non videatur voluisse Papa inferre præjudicium juri innocentum. Secus est, dum electores culpabiliter admiserunt istiusmodi inhabiles.

5. Resp. ad secundum quarto. Dum electores, aliqui tantum elegerunt scienter indignum, electione illa, utpote invalida, rescissa, electio non devolvitur ad superiorem, sed potestas eligendi pro ista vice etiam pergit residere penes reliquos. Abbas *in c. cum Vintoniens. de elect. n.* 2. possuntque hi statim eodem contextu decretum factæ a se electionis, si in ea consentiant, promulgare, vel novum scrutinium, aliis exclusis, inchoare. Abb. *loc. cit. num.* 15. Laym. *de elect. q.* 64. Pirh. *ad cit. de elect. n.* 47. Quinimo devolvi seu potius remanere hanc potestatem eligendi penes unum, si illo excepto omnes elegerunt indignum, habet Gl. *in c. perpetuo de elect. in* 6. Cavendum tamen, ne minor pars id faciat, priusquam ab eligentibus indignum tale decretum formatum sit; alias enim etiam eorum electio foret irrita, utpote facta non a majore parte Capituli; cum ante tale factum decretum ab eligentibus indignum hi necdum jure eligendi sint privati, adeoque ad novam electionem procedere possent. De quo postremo vide me *l. c. q.* 251. Quod si vero Capitulares omnes elegerunt indignum, devolvitur (intellige, post factum decretum capitulare electionis; tametsi jam enim data sint suffragia a singulis, promulgatumque etiam scrutinium, adhuc non censetur perfecta electio ante formatum decretum solennis & publicæ seu communiter nomine omnium factæ electionis *cap. perpetuo & ibi* Gloss. *v. perstiterint c. in genesi de elect.* Imol. & Jo. And. *ad cap. congregato de elect.* de quo vide me *loc. cit.*) electio ad superiorem in cathedralibus & exemptis ad Papam, in aliis ad proximum superiorem, ad quem spectat electum confirmare *cap. quanquam de elect.* & *ibi* Gl. magna *in notatis.* Pirh. *c. num.* 48. citans Abb. Quod si etiam Capitulares in prima electione innocentes in secunda electione & ipsi omnes elegerint indignum, potestas eligendi non devolvitur ad eos, qui in prima electione fuerunt nocentes, sed ad dictum superiorem, non secus, ac si omnes ab initio deliquissent; tunc enim omnes quo ad istam electionem privati sunt ejus suffragiis. Laym. *l. c.* Pirh. *n.* 49.

6. Resp. ad secundum quinto. Idem, quod dictum de eligentibus indignum, pari modo applicandum iis, qui ob non servatam præscriptam a Concilio Lateranensi *in cap. quia propter de elect.* formam privantur per sententiam jure eligendi *cap. quanquam de elect in* 6. Barbos. *ibi num.* 1. Wiestner *hoc t. nu.* 25. ita ut secuta illa privatione per sententiam vel etiam ante illam, dum forte ipso jure privati sunt devolvatur provisio ad superiorem.

QUÆSTIO CCCCLXII.

Per quos & qualiter supplenda negligentia commissa ab electoribus postulantibus scienter indignum.

1. RESP. primo pari modo in hoc casu factæ scienter postulationis indigni, seu etiam laborantis defectu indispensabili vel in quo dispensari non solet, loquendum quo ad devolutionem & suppletionem, ac dictum de eligentibus scienter indignum. Sunt enim non minus postulantes quam eligentes in eo casu pro illa vice privati ipso jure postulandi & eligendi. Argum. *cap. scriptum de elect.* Barbos. *Jur. eccles. l.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 17. *q.* 6. Laym. *in c. ad hæc de postul. n.* 5. Passer. *de elect. cap.* 24. *num.* 17. Pirh. *ad tit. de postulat. nu.* 7. & 17. juxta *cap.* 1. *de post.* & Gloss. *ibid. v. privare* & Abb. *ibid. num.* 31. Siquidem in hoc *cap.* 1. hanc pœnam statutam alias in *c. cum in cunctis de elect.* eligentibus scienter indignum. Innoc. III. expresse quoque statuit pro postulantibus scienter indignum, non tam condendo per hoc jus novum, quam antiquum illud interpretando. Unde licet alias pœnæ regulariter tanquam odiosæ non sint extendendæ; quin tamen electio & postulatio in jure æquiparantur, utpote tendentes ad eundem finem providendi ecclesiæ vacanti; & quidem expresse quo ad pœnas, quod de uno dicitur, censetur quoque statutum de altero in eo, in quo sunt æquiparata. Pirh. Laym. *LL. cit.* citantes Gl. *in c. si postquam de elect. in* 6. *v. provisione.* Unde jam etiam illud, quod Laym. *in c. cum in cunctis de elect. in n.* 4. certum esse ait; nimirum, quod si capitulum v. g. collegiatæ sæcularis aut regularis ecclesiæ (intellige, non exemptæ) eligat Prælatum indignum, Episcopus possit pro illa vice privare electores potestate eligendi, & ipsemet jure devolutionis facere provisionem, pro quo citat *cap. dudum & c. quanquam de elect.* id ipsum inquam de postulatione indigni locum quoque habebit.

2. Resp. secundo. Quod si tamen non omnes capitulares postularint indignum, sed aliqui, non tantum non consenserunt, sed & positive contradixerunt tali postulationi indigni, ad hos, etsi numero pauciores, pro illa vice devolvitur postula-

tio

tio vel electio. Argom. *c. 2. c. bona c. cum Vintoniensis de elect.* Pirh. *ad tit. de postulat. n.* 29. imo si unicus solom sit innocens, & restiterit tali postulationi, is solus Prælatum eligere vel postulare poterit. Gloss. communiter recept. *in cit. cap.* 2. *v. pauciores* apud Pirh. *loc. cit.* jus enim & nomen universitatis stat & conservatur etiam io uno. *L. sicut, quod cujusque universitat. nomine*, de quo postremo vide me *in foro benefic. pars.* 2. *qu.* 220.

QUÆSTIO CCCCLXIII.

Per quem & qualiter supplenda negligentia commissa circa confirmationem electi.

REspond. Loquendum fere in hoc puncto de confirmatione quo supra de institutione. Siquidem, licet sicut institutioni sic & confirmationi certum tempus statutum non sit. Passerin. *de elect. c.* 33. *n.* 56. Barbos. *jur. eccles. l.* 1. *cap.* 9. *num.* 254. Lavor *de elect. tit.* 4. *c.* 25. *nu.* 43. Pirh. *ad tit. de elect. nu.* 304. citans Rebuff. *in pr. tit. de devol. n* 6. Si tamen Confirmator reouat facere, aut nimis diu differat confirmationem, potest peti a superiore coofirmatoris, ut is eum ad confirmandum compellat præfigendo illi terminum cum intimatione, nisi intra illam confirmet, ipse superior jure devoluto id faciet. Barbos. citans Lavor. *ubi ante num.* 44. Sigismund. a Bononia *de elect. dub.* 45. *num.* 3. & Rotam *in Legionens. confirm.* 23. *Jan.* 1617. Passerin. *loc. cit.* citans Tambur. *de jure* Abb. *Tom.* 1. *dist.* 6. *quæst.* 2. *num.* 10. Porro hic terminus præfixus brevis esse debet, licèt sit arbitrarius, excedere tamen non debeat 6. menses. Barbos. *loc. cit.* citans Massabr. *in pr. habend. concurs. requisit.* 9. *dist.* 1. & Lambertin. *de jurepat. l.* 2. *part.* 3. *quæst.* 2. *ar.* 6. *num.* 4. Passer. *loc. cit.* Fieri hanc devolutionem, dum Episcopus indigoum confirmavit aut etiam instituit, juxta diceoda *quæst. seq.* de collatione ab eo facta ad Capitolum, eradunt Pirh. *ad tit. de concess. prabend. num.* 35. Laym. *in cap. cum in cunctis §. clerici sane num.* 7. Lotter. *l.* 2. *quæstion.* 24. *num.* 40.

QUÆSTIO CCCCLXIV.

An & qualiter semper supplenda negligentia commissa circa collationem liberam beneficiorum per superiorem.

1. REsp. primo. Suppletur hæc oegligentia per devolutionem potestatis conferendi ad alium. Contingit autem dicta negligentia; adeoque & devolutio duobus modis. Primo dum non fit collatio intra tempus concessum ad conferendum *c.* 2. *de concess. præb. & ibi* A A. Garc. *de benef. p.* 10. *c.* 3. *n.* 1. Coras. *de benef. p.* 3. *c.* 7. *nu.* 8. Secuodo ob collationem scienter factam indigno seu inhabili; cum idem sit, quin & gravius delictum inhabilem promovere, & neminem promovere. Laym. *in c. cum in cunctis de elect. §. clericus sane nu.* 9. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 34. *n.* 5. Garc. *l. c. n.* 2. Qualiter autem probanda sit dicta negligentia in ordine ad hunc effectum devolutionis, vido apud me *in foro benef. p.* 2. *qu.* 740. *per tot.*

2. Resp. secundo. Devolutio hæc liberæ collationis semper fit ad superiorem, adeoque nuoquam per inferiorem aut parem suppleri potest dicta negligentia. Lotter. *l.* 2. *quæst.* 24. *num.* 33. Castrop. *l. c. num.* 2. Unde si ad Papam propter effectionem vel reservationem aliquam spectat provisio, impossibile est, ut ex quacunque procrastinatione ad alium fiat devolutio. Lotrer. *n.* 34. citans Cassador. *dec.* 8. *de præb. num.* 3. & Rotam *in Aquens. Archipresbyt.* 11. *Martii* 1602. Hinc quoque, ut ab Episcopo negligente conferre; aut delinquente in collatione non fiat propric devolutio, hodiedum inductum esse consuerudine, etsi jure antiquo, nimirum juxta *cap.* 2. *de concess. præb.* & *cap. cum in cunctis* ea facta ad capitulum, asserit Castrop. Contrarium tamen sentiente Pirh. *ad tit. de præb. num.* 34. & citante pro hoc Abb. Rebuff. Azor. & item Laym. *l. c.* Lotterio *l. c. n.* 40. nimirum adhuc hodiedum ab Episcopo fieri tunc devolutionem ad Capitulum, jure sic specialiter disponeote ob magnam & specialem communicationem, quæ est inter capitulum & Episcopum tanquam caput & membra, ut merito unius defectus ab altero suppleatur, uti haoc hujus mutuæ devolutionis ab Episcopo ad capitulum, a capitulo ad Episcopum causam agnoscere omnes, *in cit. cap* 2. *de concess. præb.* ait Lotter. *cit. num.* 40. Sed quidquid sit de hoc, adhuc hac ratione non recedi a data regula, nempe quod devolutio semper fiat ad superiorem, eo quod tunc in hac parte capitulum efficiator authoritate canonica superius ipso Episcopo, ait Lotter. *l. c. nu.* 42. Porro procedit responsio, nempe quod in casu negligentiæ fiat ista devolutio ab Episcopo ad capitulum in beneficiis spectaotibus ad solam Episcopi collationem, & quidem jure proprio, quatenus est illius Ecclesiæ Episcopus, utpote in quo jure Capitulum aliquo modo communicat, non vero in beneficiis spectantibus ad Episcopi dispositionem jure devuluto, eo quod quo ad hæc non sit tanta inter Episcopum & capitulum communicatio, dum ea non confert tanquam Episcopus suę Ecclesiæ, sed mere per accidens, quatenus est superior ordinarii collatoris negligentis ea conferre. Lotter. citans Abb. post Ionoc. *in c. cum in cunctis n.* 7. Bellam. Compostel. *ibid.*

QUÆSTIO CCCCLXV.

In quibus præterea casibus ista negligentia Episcopi non suppleatur devolutione facta ad Capitulum & contra.

1. REsp. Primo, si Episcopus & capitulum provisionem beneficiorum pertinentem alias simultanee ad Episcopum & capitulum diviserunt inter se per turnos, & capitulum negligens fuit in provisione, vel scienter indignum præsentavit in suo turoo, devolutio non fit ad Episcopum, sed ad Episcopi & capituli superiorem. Idem est, dum absque divisione in turnos cooferunt Episcopus & capitulum, & propter æqualitatem votorum neutra collatio concludit. V. gr. dum Episcopus uni, capitulum reliquum alteri confert, quemadmodum dum ona medietas patronorum unum, altera alium præsentat, locus est devolutioni ad superiorem. Garc. *p.* 5. *cap.* 4. *num.* 35. Card. de Luc. *de benef. d.* 28. *num.* 16. (qui tamen etiam *dist.* 1. *num.* 31. dicit, devolutionem tunc fieri ad Papam) quod tamen ipsum intelligendum de casu, quo uterque nimirum Episcopus & capitulum valide ac legitime jus suum exercet. Nam ubi unus eorum negligit, vel inutiliter agit, tunc totom jus devolvitur ad consortem, seu per jus non decrescendi in eo consolidatur. Cardin. de Luc. *citat. dist.* 28. *num.* 18. secundo dum Episcopus & capitulum simultanee habent conferre, & absque eo, quod divisio facta per turnos, neglexerunt conferre, devolutio neque fit ad Episcopum, neque ad capitulum, sed ad superiorem illorum *cap.* 2. *de concess. prabend.* ne, si in eo casu fieret devolutio ad alterum, ipse suppleret negligentiam propriam, & fieret devolutio ab eodem ad eundem. Pirh. *loc. cit. num.* 39. Cumque in hoc casu Episcopus non sit superior capitulo, sed æqualis, devolutio fieret ad parem, quod, ut dictum in *praced. respons.* fieri nequit. Castrop. *tract.* 13. *de benefic. d.* 2. *part.* 34. *num.* 2. Garc. *p.* 10. *cap.* 3. *num.* 35. qui etiam *num.* 36. ait, hinc idem esse, hoc est, in hoc casu simultanee conferendi non fieri devolutionem ad Episcopum vel ad capitulum seu ad turnarium sequentem, sed ad superiorem, si per Canonicum, cui in turno capituli ex commissione seu ordine ipsius competit, non providetur intra tempus.

2. Resp. secundo. Quod si tamen Episcopus ex consuetudine vel speciali concessione simul etiam sit Canonicus capitularis seu ecclesiæ cathedralis, atque ita valens repræsentare duplicem personam, interessendo actibus capitularibus veluti Episcopus seu Prælatus, vel ut Canonicus, interfuit collationi, devolutio fiet ad aundem ut Episcopum, sive ut caput capituli; Quia tunc non supplet negligentiam propriam sed capituli; cum interessendu collationi non est Prelatus, sed ut Canooicus, ut Prælatus non fuerit negligens, sed ut singularis Canonicus una cum ceteris capitularibus, quemadmodum, ut habetur *c. penult. de appell. in* 6. si contingat appellari a provisione capituli, potest appellari ad Episcopum, si ipse interfuerit ut Canonicus, secus, si ut Episcopus, ita fere Pirh. *ad tit. de concess. præb. n.* 39. Card. de Luc. *de benef. d.* 1. *n.* 31. & *d.* 30. *n.* 19. nisi tamen ipse impedierit, ne collatio fieret intra tempus datum ad cooferendum; tunc enim devolutio fiet ad ipsum, etiamsi collationi interfuerit non tanquam Episcopus; sed ad Metropolitanum. Pirh. *l. c.* nisi tamen etiam dolus ille Episcopi probabiliter excuset capitulum a negligentia, in quo casu illud restituendum in integrum.

QUÆSTIO CCCCLXVI.

Qualiter illa devolutio seu suppletio negligentiæ commissæ in collatione fiat gradatim.

RESp. fit gradatim, nimirum ad immediatum superiorem v. g. Episcopum, & non illico ad Papam (nisi beneficia sint exempta, vel etiam appellatum ad Sedem Apostolicam) Lotter. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 42. citans Abb. *in cap.* 2. *de concess. prab. n.* 7. & Rebuff. *in pr. tit. de devol. num.* 17. Unde etiam ut Lotter. *nu.* 45. qui impetrat beneficium devolutum (intellige extra viam appellationis) ad Papam, necesse haberet justificare omnium inferiorum, seu intermediorum scientiam, in infimo seu primo collatore quidem de vacatione, in ceteris de devolutione ad Episcopum, in cujus diœcesi sita beneficia, ab hoc ad metropolitanum, ab eo ad Primatem vel etiam Patriarcham, si ei subjectus Metropolitanus. Pirh. *nu.* 34. Castrop. *l. c. n.* 2. Lotter. *l. c. n.* 43. qui tamen *n.* 44. addit illud de Patriarcha minus receptum esse. His non obstantibus, quod, ut dictum supra, electio devolvatur ad superiorem proximum habentem confirmare, & confirmatio quo ad Episcopos in Germania vi concordatorum spectet ad Papam. Tametsi autem is, ad quem facta devolutio, dum scienter contulit indigno, ita ut collatio sit ipso jure nulla, devolutio fiat ad superiorem (secus ac contingit, dum inscienter contulit indigno, in quo casu nulla fit ab eo devolutio) ea tamen non fit ad superiorem, sed revertitur ad primum collatorem, dum contulit indigno quidem, sed non ipso jure indigno, seu cui facta collatio non erat irrita ipso jure, sed per sententiam postmodum fuit irritata; quia facta provisione valida, cessavit devolutio; & dum postea irritatur collatio, beneficium tanquam primo vacans debet provideri Castr. *l. c. n.* 7.

QUÆSTIO CCCCLXVII.

Per quem facienda collatio, dum Episcopus ob suspensionem ab officio vel excommunicationem conferre nequit.

1. RESp. primo. In beneficiis pertinentibus ad simultaneam Episcopi & Capituli collationem, Episcopo suspenso vel excommunicato, ad Capitulum solum spectat collatio *c.* 1. *h. t. in* 6. *cap. unic. ne Sede vac. in* 6. Pirh. *ad tit. de concess. prab. n.* 36.

2. Resp. secundo. In beneficiis pertinentibus ad Episcopi solius collationem in dicto casu devolutio neque fit ad Capitulum, neque ad Metropolitanum, sed ad Papam, utpote ad quem pertinet interim providere ecclesiis, etiamsi in conferendo non fuerit negligens inferior collator. Pirh. *loc. citat.* Argum. *cap. quia diversitatem. de concess. prabend.* ubi dicitur: *non ad Capitulum, nec ad Metropolitanum, sed ad illum tempore durantis suspensionis prabendarum donatio pertinebit, qui etiam, non existente desidia & negligentia, poterat prabendas donare seu conferre* (intellige, præterito etiam ordinario collatore) qualis est solus Papa: neque, si Papa durante excommunicatione vel suspensione Episcopi non provideat, Metropolitanus conferre debet; sed expectandum donec Episcopus a censura absolvatur; & postquam absolutus, competit adhuc Episcopo integrum semestre ad conferendum, ita ut ante illud elapsum non fiat devolutio ad Capitulum vel Metropolitanum. Pirh. *l. c.* Quod si tamen Episcopus suspensus vel excommunicatus fuisset negligens in petenda absolutione a censura, devolutio fiet ad immediatum superiorem, sex illi menses incipiunt currere a tempore negligentiæ. Pirh. *l. c.* cum Gl. *in c.* 1. *h. t.*

QUÆSTIO CCCCLXVIII.

An & qualiter Legatus Pontificius supplere possit negligentiam Episcopi aut aliorum Prælatorum ab iis commissam in collatione beneficiorum ad eos spectante jure devoluta.

1. RESp. primo. Potest conferre beneficia devoluta ad Episcopum ex negligentia patroni. Garc. *part.* 5. *c.* 3. *num.* 58. citans Selvam *part.* 2. *quæst.* 5. *num.* 41. posse similiter conferre devoluta ob negligentiam collatorum docetur passim: verum id distinguit Castrop. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 26. *num.* 6. dicens, id posse Legatum dum beneficia vacantia devoluta existunt intra Provinciam delegationis; id vero non posse, si ea existant extra provinciam, etiamsi Prælatus seu collator (idem esse videtur de patrono) ob cujus negligentiam in providendo devoluta sunt, existat seu habitet intra provinciam; eo quod Legato concedantur beneficia suæ provinciæ, sive collator alias ordinarius sit in eadem provincia, sive non, cum in collatione beneficiorum potius spectetur locus, in quo situm beneficium, quam locus, ubi residet collator. Ac proinde ad explorandam potestatem Legati circa beneficia non debet attendi, cui Prælato, an exempto, an non exempto, an ordinario, an de provincia, an extra provinciam, an jure devoluto, an ordinario competat, sed num sint extra provinciam, vel an intra seu de provincia. Idem tenet Garc. *loc. cit. a num.* 27. ubi quod Legatus possit beneficia suæ provinciæ, etiam devoluta ad Prælatum alterius provinciæ conferre; quia potest conferre beneficia suæ provinciæ, etsi spectent ad collationem existentis extra provinciam, citat pro hoc Rebuff. *in concord. tit. de Regia nominat.* Lambert. p. 3. *l.* 2. *quæst.* 8. *a num.* 5. & plures alios, & *num.* 29. dicens, non posse Legatum conferre beneficia alterius provinciæ, etiamsi devoluta vel etiam alias spectantia ad collationem Prælati, qui est de provincia Legationis suæ citat pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de devolut. num.* 38. Imol. *in cap.* 2. *de concess. prabend.* Gambar. &c. contra Selvam *par.* 2. *q.* 3. *num.* 40.

2. Resp. secundo. Potest itaque Legatus conferre beneficia devoluta ad Episcopum ex negligentia Prælati exempti, si ea beneficia existant intra suam provinciam. Castrop. *loc. cit. num.* 7. contra Pirh. *ad tit. de offic. Legat. num.* 22. Neque obstat, quod Episcopus hæc beneficia provideat tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus; quia Legatus se intromittit independenter a devolutione & delegatione Episcopi, ut ait Castropal. addens, hanc regulam, quod delegatus non possit se intromittere in his, quæ Episcopus, non ut ordinarius, sed ut delegatus exequitur, tantum veram esse, quo ad privationem, non autem quo ad preventionem, hoc est, non possit se in iis intromittere privative, bene cumulativè. Item veram esse in delegatione ab homine, non autem in facta a jure.

QUÆSTIO CCCCLXIX.

Per quem supplenda negligentia, seu ad quem spectet devolutio, dum Cardinalis Episcopus collator ordinarius non contulit intra 6. menses beneficium, quod alias vacavit in mense Apostolico.

RESp. ad Metropolitanum fiet devolutio. Garc. *par.* 5. *c.* 1. *num.* 631. Gonz. *ad Reg.* 8. *Gl.* 24. *q.* 4. *ex num.* 78. juxta *c.* 2. *de concess. prab.* quia ab una parte tale beneficium nunquam fuit reservatum; cum regula 8. non comprehendat Cardinales collatores ordinarios, sed eos excipiat; nec beneficium per devolutionem vacat de novo, sed simpliciter durat prima vacatio; & sic, cum a principio non fuerit reservatum, remanet non reservatum in perpetuum. Ab altera parte Cardinalis Episcopus quo ad hunc effectum devolutionis non potest dici exemptus ab Archiepiscopo, maxime, cum ipsa beneficia nullo modo dici possint exempta ab Archiepiscopo. De cetero dum Cardinalis negligit vigore indulti conferre beneficium reservatum, devolvitur collatio ad solum Papam, utpote cui a principio fuit, & dein semper manet reservatum. Garc. *num.* 632. Gonz. *gl.* 53. *a num.* 37. Contra Chok. *ad reg.* 8. *Gl.* 10. *num.* 6. ubi tamen, dum dicit beneficia, quæ vi indulti conferre potest & negligit conferre, devolvi ad Archiepiscopum, & non ad Papam, videtur confundere beneficia, quæ vigore indulti confert Cardinalis, cum iis, quæ confert vi exceptionis factæ in regul. 8. Idem tamen cum Chok. tenet Tondut. *in qq. benefic. part.* 2. *cap.* 3. *§.* 5. *num.* 20. dicens, devolvi in eo casu collationem ad immediatum superiorem, cujus asserti rationem quam afferat vide apud me *Fur. benefic. part.* 2. *quæst.* 749.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCLXX.

A quo supplenda negligentia Vicarii Episcopalis, dum is contulit indigno, ideoque pro ista vice extitit privatus jure conferendi.

RESP. supplenda, non per Metropolitanum, sed per Episcopum, seu ad episcopum, spectare collationem (nisi forte is mandarit conferri tali, aut collationem tali factam ratam habuerit) cum enim Episcopus committens Vicario facultatem conferendi, censeatur mandasse, ut idoneæ personæ conferatur, adeoque Vicarius conferens indigno transgressus sit limites mandati, id Episcopo nocere non debet, quo minus ad eum redeat, vel penes eum remaneat potestas conferendi; cum culpa officialis aut Vicarii nocere non debeat Domino. Laym. *in c. Romana de off. Vic. in 6. n. 9.* citans Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. n. 41. & tit. de forma Vicar. nu.* 540. Et licet Vicarius ut Judex & jurisdictionem ex eodem tribunali cum Episcopo exercens, censeatur eadem cum eo persona, non secus ac ipse Episcopus Metropolitano subjecta, qui proinde Vicarium ratione officii male administrati punire potest (secus, si deliquerit ut persona privata) Laym. *l. c. n.* 8. citans Pavin. *de potestate Capitul. Sede vac. p. 2. q. 10. nu.* 23. Sbroz. *de off. Vicar. q. 57. nu.* 6. potest tamen Episcopus de delicto aut negligentia Vicarii in suo officio commissa cognoscere eumque punire, si ipse sit extra culpam. Laym. *l. c. n.* 9. citans Sbroz. *ubi ante n.* 11. & Speculator *l. 2. p. 1. tit. de comp. Jud. additione n.* . siquidem Vicarius in ratione officii quodammodo subjectus & subordinatus est Episcopo suo, & licet sit eadem utriusque jurisdictio, ea tamen aliter residet in Episcopo, aliter in Vicario, nempe cum dependentia a voluntate Episcopi, qua is Vicario invigilare debet, & male ab eo acta rescindere. Laym. *cit. n.* 9. Adde, quod potestas conferendi beneficia neque sit potestas jurisdictionis, neque competat Vicario, qua tali nisi specialiter ei committatur.

QUÆSTIO CCCCLXXI.

A quo supplenda negligentia commissa ab inferioribus collatoribus Sede Episcopali vacante.

1. RESP. non convenire in hoc AA. Non posse eam suppleri per Capitulum, seu ad illud non spectare collationem beneficiorum Sede vacante, tenent Abb. *in cap. cum olim de major. & obed. num.* 2. Barbos. *de potest. Episcop. allegat.* 126. *num.* 70. & *Jur. eccles. l.* 1. *c.* 32. *num.* 110. citans Pavin. *de c. Sede vac. p. 2. q. 2. n.* 10. Rebuff. *tit. de devol. n.* 93.) Garc. *p. 5. cap. 7. num.* 57. Zoesius *ad rubr. Sede vac. num.* 3. Azor. *part. 2. l. 3. c. 38. q. 6. & l. 6. cap. 26. q.* 9. Laym. *in cap. cum olim num.* 3. Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 29. num.* 10. Fermos. *tr. de Cap. Sede vac. num.* 4. Diana *p. 8. tr. 4. resol.* 27. quos citavi & secutus sum *in Vicar. Ep. q. 527. n.* 2. Fundamentum, ut dixi *l. c.* hujus sententiæ est, quod hæc devolutio ad Prælatum superiorem indirecta ob negligentiam vel defectum inferiorum non deducatur immediate ex natura rei, nec ex aliqua ratione concludente, sed immediate ex dispositione juris Canonici, adeoque inducenda non est extra casus ab eo expressos, intra quos non est, quod devolutio ab inferioribus ob eorum negligentiam facienda ad Episcopum viventem, eo mortuo transeat ad Capitulum. *Cap.* enim 2. *de concess. preb.* loquitur tantum de devolutione collationis jure proprio competentis Episcopo, quod ea, negligente Episcopo, devolvatur ad Capitulum. Sed & loquendo generaliter in materia beneficiorum, Capitulum Sede vacante nihil assequitur, quam quod a jure expressum. Lotter. *de re benef. l. 2. qu. 2. num.* 31. tale autem quid non est collatio beneficiorum (intellige eorum quæ alias ei Sede plena non competebat) quin & licet Capitulum succedat in iis, quæ jure ordinario competunt Episcopo *capit. cum olim* collatio tamen beneficiorum est casus unus isque præcipuus ab ista regula positive exceptus per *cap. ne Sede vacant. & cap. unic. tit. eod. in* 6. Garc. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. n.* 8. Cujus prohibitionis & exceptionis hæc est ratio, tum quod collatio sit fructus dignitatis Episcopalis. Gl. *in c. cum olim v. Capitulo*. Lotter. *n.* 16. Garc. Castrop. *LL. cit.* quin & non tantum fructus simplex sed fructus cum honorificentia, qui propterea a persona avelli non potest. Lotter. *n.* 17. Fermos. *l. c. n.* 4. ex Abb. & Fel. fructus autem reserventur Successori AA. iidem juxta *c. quia sæpe de elect. in 6. c. cum vos de elect.* Tum quia insuper collatio beneficiorum continet meram gratiam, in quo transcendit jus instituendi & confirmandi, quæ potius sunt de mera justitia. Lotter. *n.* 16. seu quia est libera donatio, donare autem prohibetur is, cui libera bonorum administratio non conceditur. Castrop. *l. c. n.* 8. juxta *c. fin. de off. Vicar. in* 6. Adeoque, cum Capitulum Sede vacante alienare aut donare nequeat, conferre quoque nequit illa beneficia spectantia ad liberam solius Episcopi qua talis collationem; adeoque nec devoluta ad illum ab eo conferenda, si viveret. His adde, quod beneficia devoluta Episcopus conferat jure delegationis; Capitulum autem non succedat in iis, quæ Episcopo competunt jure delegationis etiam jure communi inductæ juxta tradita & pluribus firmata per Abb. *in c. cum olim de majorit. & obed. n.* 5. Garc. *l. c. n.* 53. Sanch. *de matrim. l. 8. d. 2. n.* 10. apud Castrop. *l. c. n.* 10.

2. Prædictam sententiam quamvis rigori juris conformiorem, oppositam tamen æquiorem & satis probabilem judicant Diana, Ventrigl. Wiestner. *h. t. nu.* 30. eamque tenent Jo. And. *in c. quanquam de elect. in* 6. Lambert. *de jurep. l. 2. p. 3. q. 2. a. 8. n.* 6. Molin. *de jure & justitia tr. 5. d. 11. nu.* 12. Zynæus *Analys. juris Pontif. h. t. n.* 7. Zerol. *pr. Episc. v. Capitulum §.* 5. &c. hoc nixi fundamento desumpto potissimum ex Molina; quod beneficii devoluti collatio videatur esse actus jurisdictionis necessariæ, cujusmodi actus Capitulo Sede vacante permittuntur. Argum. *c. cum olim*. Quin & quales ab aliquibus censentur omnes collationes, quæ alicui ex quacunque causa debentur, vel sine ecclesiarum damno & animarum periculo differri non possunt. Ad hæc beneficiorum collationes non sunt proprius fructus Episcopatus, utpote advenientes per accidens, non tam in favorem Episcopi, quam in bonum Ecclesiarum & animarum. Insuper (quam rationem affert Diana *l. c. resol* 27.) hæc devolutio seu potius facultas illis conferendi in casu devolutionis, supplendo hac ratione negligentiam inferioris, pertinet ad Episcopum ratione jurisdictionis Episcopalis (& quidem, ut Molina, necessariæ ad diœcesis utilem administrationem) adeoque in ea succedat Capitulum, secus, ac accidit in potestate conferendi jure proprio, utpote quæ, cum nascatur tanquam fructus ex dignitate Episcopali (de qua intelligenda videntur, quæ paulo ante pro sententia opposita allata ex Lott.) conferre hoc jure proprio Episcopali non spectat ad jurisdictionalia.

3. De cetero neutra harum sententia, saltem in Germania, videtur pugnare cum regula 2. Cancel. & constitutione Pii V. quæ incipit: *Sanctissimus* edita 9. Martii 1568. quibus beneficia vacantia Sede vacante, adeoque & eo tempore devoluta, reservantur Papæ. Quia regula illa non ligat Germaniam propter ejus concordata *§. item placet nobis*; in qua probabilius quoque constitutio illa Piana, & si quæ aliæ post illam hac de re edita ex obligatione non servantur, quatenus privilegiis per concordata concessis videntur derogare, tum quia lege generali non tolluntur statuta, pacta & privilegia particularia, nisi id exprimatur *c. 1. de const. in* 6. tum quia Nicolaus V. in concordatis *§. de ceteris*; diserte promisit, quod collationes ordinariorum extra casus expressos ulla reservatione, aut dispositione Apostolica authoritate facta aut facienda nolit impedire, ac tandem *§. sed de beneficiis* addit, eam constitutionem duraturam, donec in futuro Concilio aliud fuerit ordinatum ita fere Wiestner. *l. c.*

QUÆSTIO CCCCLXXII.

An Capitulum Sede vacante supplere possit negligentiam commissam in institutione & confirmatione ab inferioribus.

RESP. affirmative; Sive Capitulum potest beneficia ob negligentiam hac in parte commissam ab inferioribus Episcopo, adeoque jam devoluta ad Episcopum conferre, seu in iis instituere præsentatos, & confirmare electos. Fermosin. *tr. de Cap. Sede Vac. q. 24. n.* 4. dicens, de hac collatione necessaria loqui plures AA. primæ sententiæ prioris. Ego *in Vicar. Ep. p. 2. q.* 528. sunt enim institutio & confirmatio collatio necessaria, adeoque ad jurisdictionem necessariam spectantes, in qua Capitulum Sede vacante succedit. Proceditque idipsum non tantum in devolutis his beneficiis ad Episcopum adhuc viventem, sed & in iis, quorum devolutio contingit prius Sede jam vacante; quia Capitulum succedet Episcopo in jurisdictione necessaria; adeoque est adhuc immediatus superior habens instituere & confirmare, dum ea pertinebant aliàs ad Episcopum qua talem. Quod si autem devolutio in his facta ob negligentiam ipsius Episcopi, devolutio non fiet ad Capitulum, utpote quæ eo vivente adhuc & negligente facta jam ad illius superiorem, nempe Metropolitanum.

QUÆSTIO CCCCLXXIII.

Per quem supplenda negligentia Legati de Latere, sive ad quem ab eo fiat devolutio.

Resp. ad solum Papam; Cum nulli subsit. Garc. *p. 5. c. 3. n.* 22. Porro si verum est, quod Legatus conferre possit devoluta, etiam ex propria culpa & negligentia ad Papam, ut docet Garc. *n.* 26. citans pro hoc Gamb. *de potest. Leg. l.* 3. *nu.* 14. & 22. Selvam *pag.* 2. *q.* 3. *n.* 42. Imol. Card. & alios contra Lapum *in Cl. si de beneficiis de præb.* tenentem, non posse Legatum, postquam negligens fuit in conferendo, dum collatio devolvitur ad Papam; si inquam ea doctrina Garciæ vera est, non currit Legato sicut aliis ordinariis collatoribus tempus sex mensium, ut idem Garc. *n.* 26. ex Gamb. ubi ante adeoque minus proprie dicetur devolvi ab eo collatio ad Papam.

QUÆSTIO CCCCLXXIV.

In quibus beneficiis ista suppletio per superiorem immediatum, seu devolutio locum habet nec ne.

1. Resp. primo. Primo non habet locum juxta dicta in beneficiis propter affectionem vel reservationem spectantibus ad Papam. Neque secundo illa devolutio ad immediatum superiorem locum habet in beneficiis vacantibus in mensibus spectantibus ad ordinarium vi alternativæ. Lotter. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 36. contra Gonz. *gl.* 53. *a n.* 27. fundantem se in eo, quod gratia illa alternativa perimat reservationem, ob quam alias fit devolutio immediate ad Papam. Neque tertio in reservatis. Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *nu.* 64. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 18. citans alios; qui tamen etiam *n.* 20. ait, in tantum adhuc habere locum in reservatis, ut si collator vi indulti, quod forte habet conferendi reservata, ea non conferat intra statutum tempus, ea amplius conferre nequeat, sed collatio devolvatur ad Papam. Neque quarto in Episcopatibus & Archiepiscopatibus secundum dicta.

2. Resp. secundo: locum vero habet dicta suppletio & devolutio. Primo in beneficiis manualibus, cum qualitate tamen illa manualitatis. Arg. *Clem. unic. h. t.* Lot. *l. c. n.* 5. Garc. *l. c. a n.* 46. qui tamen *n.* 47. addit, quod collator inferior, qui neglexit intra semestre ea conferre, eo elapso, re adhuc integra, possit purgare moram & ea conferre; eo quod ad illius nutum sint amovibilia, etsi in aliis beneficiis non sit locus purgationis moræ, nec valeat collatio elapso termino conferendi; seu facta post devolutione, etiam re integra. Secundo in beneficiis spectantibus ad collationem regularium; ita ut ea Episcopus seu Ordinarius loci, in quo sita sunt, illa conferre possit tanquam Ordinarius, si illi collatores regulares non sint exempti, alias, si illi Prælati sunt exempti & immediate subjecti Papæ, non nisi ut delegatus Apostolicus. Pir. *t. de concess. præb. n.* 34. citans *Clem. unic. h. t.* Barb. *Jur. eccl. l.* 3. *c.* 23. *n.* 109. Rebuff. *in pr. t. de devol. n.* 37. & 39. Quod si etiam ipsa beneficia sint exempta, ad Papam fieri immediate devolutionem, ait Wiestner. *h. t. nu.* 27. citans pro hoc Barbos. *in cap. nulla de concess. præb. n.* 7. & Laym. *de elect. q.* 98. allegantem Gl. *in clem. unic. h. t. v. sua.* Quæ tamen dicat, posse adhuc Episcopum authoritate Apostolica conferre etiam beneficia exempta. Tertio beneficiis regularibus, hoc est, conventualibus. Lotter. *cit. q.* 24. *n.* 3. juxta *citat. clem. unic.* Si tamen regulares sunt exempti, devolutio fiet immediate ad Papam. V. g. Si Capitulum negligeret eligere Abbatem vel Priorem claustralem, vel etiam si totum deficeret capitulum mortuis omnibus, potestas conferendi Abbatiam vel Prioratum spectabit ad solum Papam. Lotter. *l. c. a nu.* 47. Licet enim Episcopus fundet intentionem suam de jure communi etiam in provisione regularium respectu institutionis & confirmationis, ut Abb. *in c. venerabilis de except. n.* 45 id tamen solum intelligendum de non exemptis. Lotter. *n.* 50. citans Erasmum Chok. *de jurisd. ordin. in exemptos.* Et licet jus supplendi ipsis quoque diæcesanis permissum sit vi *cit. clem. unic.* id tamen vi delegationis habent; & eatenus Ordinarii supplent negligentiam regularium, quatenus id iis in specie indultum. Lot. *n.* 51. & 52. citans Card. *in clem. unic. h. t. n.* 15. Quarto in beneficiis jurispatronatus, etiam laicalis. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *a nu.* 4. Item in electivis. Pirh. *ad tit. de concess. præb. n.* 37. Addit tamen Lotter. *l. c. n.* 4. quod in beneficiis juris patronatus & electivis proprie loquendo non cadat devolutio, nisi prius perempta & extincta facultate præsentandi & eligendi, ac inde creato novo jure libere conferendi in eo, qui alioquin non habebat nisi jus instituendi vel confirmandi, qui si intra 6. menses illud non conferat, fit devolutio (intellige jam proprie talis) ad superiorem. Idem habet Lot. *l.* 2. *q.* 23. *n.* 60.

QUÆSTIO CCCCLXXV.

Intra quod tempus supplenda negligentia ab eo, ad quem jure devoluto spectat collatio, seu provisio.

Resp. Quilibet superior, ad quem gradatim fit devolutio, habet semestre ad conferendum. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 61. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 32. Pirh. *ad t. de concess. præb. n.* 35. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 10. Proceditque id ipsum, etiamsi devolutio facta a patrono laico, qui tantum habet quadrimestre. Garc. *l. c.* citans plures. Porro computatur singulorum semestre, non a die, quo ad illos jus hoc devolutum, sed a die, quo sciverunt illud ad se devolutum. Corr. Garc. Pir. Azor. *LL. citat.* atque ita, ut Pirh. contingere potest, ut ecclesia vacet ad duos etiam annus.

QUÆSTIO CCCCLXXVI.

An is, ad quem pertinet supplere, seu ad quem facta devolutio, possit denuo inferiori collatori, a quo ea facta, concedere facultatem conferendi.

Resp. Affirmative. Pirh. *ad tit. de concess. præb. nu.* 35. citans Azor. *ubi ante q.* 12. & Rebuff. *in pr. tit. de devol. n.* 30. Item Pirh. *tit. de suppl. negl. prælat. n.* 5. ubi, quod collatio facta post elapsum semestre in vim talis concessionis non sit invalida; in quo tamen casu talem non tam jure proprio, utpote quo ob negligentiam privatus, quam jure ad superiorem devoluto, ait Pirh. *cit. n.* 5. Simili quoque modo, tametsi collatio (idem est de electione) facta post elapsum statutum tempus ab iis, ad quos alias pertinebat, sit ipso jure nulla, utpote facta ab iis, qui ob negligentiam jam privati erant jure eligendi vel conferendi, & jam devoluta ad superiorem; valebit tamen, sive potius de novo convalescet, si per patientiam vel ex misericordia toleretur. Argum. *c. literas v. patientiam* ubi, quod instituti a collatoribus, postquam jure conferendi privati sunt ob negligentiam, habeant jus in beneficiis; non ex tunc, id est, ex priore collatione, utpote quæ invalida fuit, adeoque ratificari non potuit, sed ex nunc, id est, ob tolerantiam Papæ illiusve Legati (vel etiam alterius superioris, ad quem facta devolutio) quippe quæ tolerantia vim novæ collationis habet. Pirh. *h. t. n.* 4. & 5. ubi etiam ex Laym. ad *cit. c. literas, not.* 2. quod a talibus jure conferendi privatis provisi, nemine se opponente, a Judice tolerari possint, modo sunt idonei, & provisio de cetero facta sine ecclesiæ aut boni publici detrimento. Quin etiam Pirh. cum Laym. ait, valde probabile esse, quod tales provisi interim, dum nemo se opponit, aut collatio a Judice non declaratur irrita, tuta conscientia retinere possint beneficia; eo quod talis collatio, vel etiam electio, jure naturali sit valida ante sententiam declaratoriam.

QUÆSTIO CCCCLXXVII.

An Prælatus, ad quem spectat suppletio negligentiæ, possit conferre beneficium ad se devolutum sine consensu & consilio capituli sui.

Resp. affirmative. In his enim, quæ Prælatus agit jure devoluto, non tenetur exquirere consilium aut consensum ex necessitate, sed ad summum ex æquitate aliqua & honestate. Laym. *in c. cum in cunctis de elect. §. clerici sane n.* 7. Item *in c. ne pro defectu tit. eod. n.* 7. Porro qualiter beneficium devolutum provideatur a Papa, & impetretur, vide apud me *in For. benef. p.* 2. *q.* 258.

TITU-

TITULUS UNDECIMUS.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM ET QUALITATE ORDINANDORUM.

CAPUT PRIMUM.

De quidditate & numero Ordinum.

QUÆSTIO CCCCLXXVIII.

Nomen Ordinis quid importet.

RESp. Sumi illud varie. Primo in genere accipitur fere a Philosophis pro habitudine plurium ad unum primum, seu ad unum prius. Vasq. 1. *p. d.* 67. *c.* 5. Secundo magis specifice a Juristis pro recto tenore litis secundum jus, & dicitur ordo juris. Tertio pro concinna plurium inter se quoad locum & situm distributione & digestione secundum superius & inferius vel medium aliamve situationem. Sic v. gr. acies ordinata dicitur exercitus explicatus in suas alas, hæ in turmas equestres pedestres & corpus medium. Sic inter cœlos ipsos est ordo, quo unus alteri secundum superius & inferius subordinatur. Ordo sic acceptus definitur a S. August. *l.* 9. *de civit. Dei*, *c.* 13. esse parium disparium que rerum sua cuique loca distribuens dispositio. Quarto pro subordinatione, qua creaturarum intellectualium aliæ aliis juxta majorem minoremve dignitatem & potestatem subjiciuntur, vel supra alias elevantur. Sic Respublica habet suum ordinem. V. gr. civilis ordinatur & componitur ex variis hominum statibus, puta, Magistratu, statu Senatorio, Equestri, plebejo. Multitudo Angelorum habet tres Hierarchias, harum singulæ tres Ordines. S. Dionys. *de cælesti Hierarch. c.* 6. Quinto eæ ipsæ hominum classes seu status, ex quibus Respublica componitur, dicuntur Ordines. Sic aliquis dicitur esse in Ordine Senatorio. In Ordine Religioso v. g. S. Benedicti. Quo etiam revocari potest acceptio illa ordinis, quo a Juristis accipitur pro Curia & Concilio. De quo est *titulus* 59. *cod. l.* 10. *de his, qui in exilium dati, vel ab ordine moti sunt*. Ita ut per ordinem, cujus meminit hæc Rubrica, juxta Garciam aliosque Jurisperitos apud Crimer. *in l.* 1. *decret. n.* 2110. intelligitur Ordo ille antiquus decurionum, qui appellatur Curia, & idem est, quod hodie Concilium, Capitulum, Consistorium, nempe Decurionum, Consiliariorum, Rectorum. Unde ab ordine moti dicuntur, qui a tali Consistorio remoti aut interdicti vel suspensi sunt. Argum. *l.* 1. *&* 2. *ff. de decretis ab ordine faciendis*. Et hac ratione vicinius accedendo ad præsens nostrum institutum, nomen *ordo* Sexto quasi antonomastice significat, certum quendam gradum seu statum personarum, nempe Clericorum ad certa ministeria ecclesiastica consecratarum. Septimo pro certo gradu traditæ potestatis ac ministerii ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, peragendumque Missæ Sacrificium, Laym. *Theol. Mor. l.* 5. *tr.* 9. *c.* 1. *num.* 1. Qualis est v. g. Subdiaconatus, Diaconatus &c. quos ordines Trident. *sess.* 23. *nu.* 4. ex Anacleto *Ep.* 2. *c.* 1. Cyril. & aliis PP. vocat *gradus*. Denique sumitur pro ipsa illa actione, qua dicta spiritualis potestas & officium traditur. In quo sensu dicitur Sacramentum Ordinis, utpote quod in illa actione consistit. Quamvis dicta actio majoris distinctionis gratia appellari potius soleat *ordinatio* quam Ordo. Et de ea est titulus præsens.

QUÆSTIO CCCCLXXIX.

Quid sit seu qualiter definiendus Ordo in hac postrema significatione acceptus.

RESp. Bene illum definiri seu potius describi a Magistro sentent. *in* 4. *dist.* 24. Quod sit cæremonia sacra, qua alii conceditur potestas ad aliquod altaris officium seu ministerium firmiter & stabiliter. Castrop. *tract.* 27. *d. unic. p.* 1. *num.* 2. In qua descriptione loco generis stat *cæremonia* sacra (quæ quid sit, a Theologis in *tract. de Sacram. in genere* examinari solet) utpote conveniens pluribus aliis actionibus Sacris ab Ecclesia adhiberi solitis, etiam ad res alias quam personas consecrandas. Ubi illud notandum cum Laym. *loc. cit.* & aliis passim AA. ordinationem illam seu dictam cæremoniam consistentem in actione illa consecratoria, non esse meram deputationem extrinsecam personæ ad ministerium ecclesiasticum, quæ ei iterum auferri valeat, uti contingit apud hæreticos, qui quia carent legitimis Episcopis, a quibus Sacram ordinationem percipiant suæ Pseudo-ecclesiæ ministros per meram extrinsecam deputationem creant, ita, ut, casu ita ferente, denuo ex ministris ecclesiasticis fiant laici & de populo, juxta quod jam olim adnotavit Tertullianus *l. de præscrip. c.* 41. his verbis: *alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras laicus; nam & laicis Sacerdotalia munia injungunt*. Sed veram consecrationem internam (ut patet ex Charactere indelebili animæ impresso per illam) ob quam collata alicui talis potestas deinceps amitti aut auferri nequeat v. g. per irregularitatem, uti & hoc ipsum expressius per verba illa ultima definitionis; *firmiter & stabiliter*: signatur.

QUÆSTIO CCCCLXXX.

Quotuplicis generis sint ordines.

RESp. Ordines aliquos esse & dici majores & sacros, alios minores non sacros. Dicuntur majores, quod, etsi Ordines omnes ad mysterium Eucharistiæ & ministerium altaris dirigantur, ii tamen vicinius ad illud concurrant. Sacri, tum ob eandem rationem, tum quia solenne votum castitatis, quo homines specialius in Dei cultum sacrantur, annexum habent; ita ut deinceps, deposito statu clericali, statum matrimonialem aut alia officia laicalia assumere nequeant, intellige, sine dispensatione Pontificis. Tum forte etiam, ut Castrop. *l. c. p.* 2. *n.* 3. Quia forte ipsi soli sunt Sacramentum. Tales olim erant tantum duo, nempe Sacerdotium & Diaconatus; postmodum namque prius ab Ecclesia votum castitatis annexum Subdiaconatui; ut testatur Innoc. III. *c. a multis de ætat. & qual. præfic.* Alii nempe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus, dicuntur minores non Sacri, non quia & ipsi non sunt Cæremonia Sacra, vel etiam Sacramentum, sed quia remotius ad dictum ministerium concurrunt, & absque eo, quod votum illud annexum non habeant, & stare possit cum eis matrimonium. Ita, ut, (juxta quod disponit Trid. *Sess.* 23. *c.* 17. *de reform.*) licet ministeria ecclesiastica ordinum minorum, quantum fieri potest, exercenda per constitutos in illis, in defectu tamen etiam clericorum cœlibum ad ea exercenda assumi possint clerici conjugati, modo non bigami, & qui tonsuram & habitum clericalem in Ecclesia gestent. Engels. *ad h. t. n.* 7.

QUÆSTIO CCCCLXXXI.

Quot in universum sint ordines.

1. RESp. primo, esse eorum plures. Quia enim, ut inquit. Trid. *sess.* 23. *c.* 2. divina res est tam Sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius & majore cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdoti & officio deservirent &c. Neque huic obstat, quod Ordo pro uno tantum Sacramento supponat. Nam Ordines plures unum constituunt Sacramentum unitate finis (intellige proximi) sive unitate respectus & ordinis, quo omnes ad idem Eucharistiæ Sacramentum & Sacrificium tendunt, non secus, ac unum est Eucharistiæ Sacramentum; eo quod licet sicut duæ sint species, panis nimirum & vini,

ita

ita duo materialiter sint Sacramenta, cum cuilibet earum competat ratio essentialis Sacramenti, qualibet earum significante & efficiente spiritualem refectionem; formaliter tamen non sit nisi unicum Sacramentum, dum utraque species conjunctive sumpta significat unam completam & perfectam spiritualem refectionem per modum convivii consistentis in cibo & potu.

2. Resp. secundo. Tametsi ab aliquibus, præsertim Canonistis (anoumerantibus nimirum ceteris ordinibus primam tonsuram & Episcopatum, de quibus speciatim statuetur paulo post) enumerentur ordines novem adæquate inter se distincti; probabilius tamen est, non esse nisi 7. ordines enumeratos a Tridect. *sess. 23. cap. 7.* nempe Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolythatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Sacerdotium. Quod vero hi gradus singuli habeant rationem ordinis, constat ex eo, quod unusquisque eorum contineat cæremoniam Sacram seu actionem consecrativam distinctam ac specialem, per quam sibi applicatam ordinatus constituitur in gradu eminentiore inter Ecclesiæ ministros cum potestate inserviendi officio & ministerio altaris, ut videre est inspectis singulorum muniis, quæ paulo inferius assignabimus.

QUÆSTIO CCCCLXXXII.

An igitur prima tonsura non sit Ordo.

Resp. Probabilius est, primam tonsuram non esse ordinem proprie talem, prout a nobis descriptus, sed solum dispositionem quandam ad Ordines, per quam quia redditur capax ordinum, jurisdictionis ecclesiasticæ, privilegiorum ac beneficiorum &c. Laym. *cit. c. 3. num.* 3. Castrop. *cit. p. 2. nu.* 4. citans Bonae. *de Sacram. d. 8. q. unic. p. 2. num.* 6. Coninck. *d. 20. dub. 1. num.* 3. & plerique Theologi apud Vasq. *d.* 236. *c. 1. num* 9. cum D. Thom. *in 3. p. in supplem. qu. 4. a.* 2. Item ex Canonistis Garc. *de benef. p. 7. c. 1. num.* 2. Pirh. *h. t. num.* 1. Engels. *num.* 6. contra Fagn. *in c. cum contingat, de ætat. & qual. præfic. a num.* 20. mordicus defendentem contrarium. Item contra Barbos. *ad idem c. n.* 8. citantem pro hac sententia Gregor. *in proam. tit. 6. p.* 1. Piasec. *in pr. Ep. p. 1. cap. 1. num.* 3. Vivian. *in pr. Jurispr. p. 2. l. 6. c. 1. num.* 3. Rotam *decis.* 731. *nu. 5. divers. &c.* & quamplurimos alios Canonistas. Ratio prima desumitur ex Trid. quod præterquam, quod nullibi tonsuram vocet ordinem, aut eam inter ordines numeret, etiam ubi ex instituto illos recenset, & vel maxime dogmatice loquitur, & minime doctrinam de eorum numero imminutim tradere censendum est, ut *sess. 3. cap. 7.* candem etiam positiva potius ab ordinibus sejungit & contradistinguit, ut dum *ead. sess. c. 2.* ait: *quod diversi ministrorum ordines ita distributi sint, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Item *ead. sess. c. 6. de reform. nullus prima tonsura insignitus, aut etiam in minoribus constitutus &c.* Secunda ratio est, quod per omnem ecclesiasticum ordinem proprie dictum deputetur quis ad speciale munus, sive conferatur potestas aliqua specialis ad peculiarem aliquam actionem seu functionem circa altaris ministerium, per tonsuram vero primam non deputetur quis ad speciale munus aut conferatur talis potestas peculiaris; sed tantum assumitur quis ad statum clericalem, & per hunc disponitur, ut in aliquod munus & altaris obsequium consecrari possit; uti hoc ipsum insinuatur a Trid. *sess.* 23. *cap. 17. de reform.* ubi præcipit functiones ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum, quæ ab Apostolorum temporibus in Ecclesia receptæ in locis aliquibus aliquandiu intermissæ in usum revocentur, nulla facta mentione tonsuræ. Unde recte colligitur, eam nullum habere in Ecclesia certum & peculiare ministerium sacrum sibi proprium; alioquin enim illius functiones restitui jussisset. Tertiam rationem addit Castrop. *loc. cit.* Ordo, ut colligitur ex Trident. *sess. 23. c. 2.* est gradus aliquis ecclesiasticus eminentiæ & excellentiæ in ordine ad altaris ministerium, quo insignitus illo carentes excedit; at tonsura non habet inter ecclesiasticos gradum aliquem, cum omnibus personis communis sit, nimirum personæ ecclesiasticæ constitutio, & a sæculari divisio, sive specialis præ laicis deputatio ad laudes Deo canendas & celebrandas, ut ex D. Thom. Tanner. *Tom. 4. d. 7. q. 2. dub. 2. nu.* 21. & 22. apud Pirh. *loc. cit.*

2. Ad præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ, nimirum, quod *c. contingat, de ætat. & qualit. præficiend.* dicatur; quod per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam clericalis ordo conferatur: Respondetur facile; dicendo, nomen *Ordinis* hic sumi non proprie, sed late pro dispositione ad ordines suscipiendos. Neque, ut putat Fagn. *loc. cit. nu.* 57. absurdum est, ut quis per clericalem ordinem late & improprie sumptum disponatur seu deputetur ad ordinem proprie ac stricte sumptum; quia non eadem sed alia est dispositio, & alia est forma. Pirh. *loc. c.* Vel etiam dicendo, ordinem hic sumi pro congregatione & statu ab aliis distincto; cum per tonsuram segregetur tonsuratus a statu laico, & constituatur in statu clericali, quod est sufficiens, ut clericalis ordo dici possit, qui privilegiis pluribus gaudeat, & in quo constitutus beneficia ecclesiastica obtinere possit. Castrop. *loc. cit.* dicens, plus non probare ea, quæ præter citat. textum c. cum contingat ab adversariis objiciuntur.

QUÆSTIO CCCCLXXXIII.

Quid hoc in puncto dicendum de Episcopatu.

1. Resp. primo. Episcopatum esse ordinem proprie dictum, & quidem supremum, indubitatum est. Laym. *cit. c. 3. num.* 4. Castrop. *cit. p. 2. n.* 6. Barbos. *in c. quorundam, de testam. num.* 5. citans Felin. *in c. eam, te, de rescript. n.* 4. Bursat. *cons. 125. a nu. 1. vol.* 1. cum communi tam Canonistarum quam Theologorum, Tridentino *sess. 23. c. 4.* asserente, ad ecclesiasticam Hierarchiam & ordinem Episcopos specialiter pertinere, esseque sacerdotibus superiores. Verum utrum sit ordo a presbyterio distinctus, ita ut vere ac simpliciter dici possit, esse octo ordines, controvertitur. Quæ controversia, etsi parum, ut bene inquit Engels, spectet ad effectus juris, paucis tamen explananda.

2. Resp. secundo. Esse ordinem a sacerdotio simplice adæquate distinctum, adeoque proprium ac distinctum characterem imprimere, tanquam probabilius & SS. Canonibus conformius tenent cum Fagn. *in c. 1. de ordinat. ab Episcop. num. 33. & seq.* Navar. *in man. Prælator. c. 22. num.* 18. Tanner. *Tom. 4. d. 7. q. 2. dub. 2. nu.* 32. quos citat & sequitur Pirh. *h. t. n.* 3. item Medin. *l. 1. de cælibat. sacerdot. c.* 16. Cajet. *Tom. 1. opusc. tr.* 11. Valent. *Tom. 4. d. 9. q. 1. p. 2. in fine.* Sa. *v. ordo, n.* 7. aliique apud Laym. *l. c. n.* 4. Fundamenta hujus sententiæ adducuntur sequentia, a Pirh. *loc. cit.* primum sumptum ab authoritate. Quod *c. 1. dist.* 21. numeretur tanquam ordo distinctus a Sacerdotio, pluresque similes Canones congerit Fagn. Quod a Trident. *sess. 23. c. 7.* definiatur contra hæreticos, Episcopos Presbyteris seu sacerdotibus superiores esse, & quidem quo ad potestatem ordinis, de qua ibidem agit; eo quod Episcopatus contineat potestatem conficiendi Sacramenta, quæ simplex Sacerdos conficere nequit. Quod Anaclet. *in Epist. 3. c.* 1. dicat: Sacerdotum ordo bipartitus est. Similia SS. Patrum dicta adducat Laym. *loc. cit. n* 4. Alterum a ratione, nimirum quod Episcopatus habeat propriam & distinctam materiam a simplici sacerdotio, nempe impositionem libri Evangeliorum supra cervicem & scapulas Episcopi consecrandi, & impositionem manuum factam ab Episcopo consecratore & Episcopis assistentibus juxta quod præscribitur in Concilio Carthagin. 4. *can.* 2. uti & formam diversam: nempe: accipe Spiritum S. prout constat ex Pontificali Rom.

3. E contra docent alii, nempe Castrop. *l. c.* & apud hunc Bellarm. *l. de Sacram. Ordin. c.* 5. Coninck. &c. Laym. *l. c. n.* 6. citans Durand. *in 4. dist. 24. q. 6. num.* 8. Paludan. *q. 7. nu.* 3. & 4. Vasq. *d. 240. cap.* 5. Episcopatum non esse ordinem complete & adæquate distinctum a sacerdotio, utpote quod essentialiter & intrinseco includit tanquam partem potestatis episcopalis, ita ut sine illo ne quidem valide conferri possit; eidemque superaddit potestatem ordinandi & confirmandi, & consequenter novum complete characterem non imprimat, sed acceptum in ordinatione Presbyteratus augeat & perficiat (intellige tamen per modum accedentis complementi heterogenei) ac ita una cum sacerdotio collato constituat unum completum ac sublimius sacerdotium. Declarantur hæc a Castrop. & aliis exemplo simplicis sacerdotii, quod duplicem includit potestatem seu duas potestates, adæquate quidem inter se distinctas, nimirum potestatem in Corpus Christi mysticum, sive absolvendi a peccatis, quæ confertur per impositionem manuum Episcopi tanquam specialem materiam, & per verba: accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c. tanquam specialem formam; & potestatem in Corpus Christi verum, sive conficiendi Eucharistiam & offerendi sacrificium; quæ & ipsa specialem suam habet materiam, nempe traditionem calicis cum vino, & patenam cum hostia; & formam: accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. quæ duplices partiales materiæ ac formæ, uti integrant & constituunt unam materiam & formam totalem

talem sacerdotii, ita binæ illæ potestates, quarum illa absolvendi posterius collata supponit essentialiter illam conficiendi Eucharistiam prius collatam (sed non contra) constituunt perfectum sacerdotium, perfectibile tamen ulterius per collationem potestatis conferendi ordines, confirmandi &c quæ confertur in consecratione Episcopali uti & in sacerdotio simplici character prius impressus per collationem potestatis in Corpus Christi verum significativus hujus potestatis completur dein in collatione alterius potestatis absolvendi, ita ut evadat character unus significativus potestatis sacerdotalis integratæ ex duplici illa partiali potestate; & hæc absque eo, quod sacerdotium sit ordo duplex. Pari modo Episcopatus complectitur duplicem illam potestatem, nimirum potestatem illam sacerdotalem integratam ex duplici illa potestate partiali, & superadditam illi potestatem conferendi ordines &c. absque eo, quod Episcopatus sit ordo duplex.

4. Unde jam facile respondetur ad fundamenta oppositæ sententiæ. Ac primo quidem dum dicitur; Quod sacerdotum ordo sit bipartitus; Episcopatus ordo superior Presbyteratu; id intelligendum de ordine in completo & non adæquate perfecto, secundum quam rationem sacerdotium & Episcopatus distinguuntur, duoque ordines Sacerdotii enumerari possunt; unus incompletus & perfectibilis, nempe simplex sacerdotium, alter completus sive perfectus nempe Episcopatus. Castrop. *l. c.* Ubi tamen illud notandum diligenter monet Laym. *loc. cit.* quod dum Episcopatus dicitur ordo superior Presbyteratu, Episcopatum non esse accipiendum in sensu diviso aut incompleto secundum potestatem ordinandi, confirmandi &c. quæ Presbyteratus ordini superadditur; quia hæc potestas præcise sumpta minor est quam potestas conficiendi Corpus Christi, quippe quam excellentior homini conferri nequit; sed in sensu composito & completo, quatenus Episcopatus necessario includit acceptum ordinem Presbyteratus, quemadmodum totum continens perfectius est qualibet parte contenta.

QUÆSTIO CCCCLXXXIV.

In quo sensu ordo Episcopalis sit bipartitus aut etiam quadripartitus.

RESp. Dum *Can. cleros, dist.* 25. dicitur: *ordo Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis.* Sumitur ordo pro gradu episcopali, utpote qui multiplex quo ad dignitatem amplioremque jurisdictionem, non autem pro ordine episcopali proprie dicto seu ut Sacramentum est. Sic enim Ordo Episcopalis unus est, ut constat ex Anacleto *cit. Ep.* 3. *c.* 3. Barbos. *in cit. can. cleros, num.* 5. Turrecrem. *ibidem, num.* 14. apud Reiffenst. *h. t. num.* 28. Porro dum eodem canone (unius Anthor est S. Isidorus) Archiepiscopi a Metropolitanis distingui videntur. Dicendum vel est cum gl. ibid. v. Archiepiscopis, hoc nomine ibi intelligi Primates seu alios Patriarchas minus principales, ut Aquilejensis, de quo habetur *can. nunc vero,* 11. *q.* 3. Gradensis, de quo in superscriptione *can. erubescant, dist.* 32. & alii quidem, de quibus vide Reiffenst. *num.* 29. vel doctrina illa Isidori veluti Doctoris privati relinquenda tantisper eique præferenda clara decisio juris, qua Metropolitanus & Archiepiscopus sumuntur pro eodem, c. referente, de præb. ubi: *ad Metropolitanum, videlicet Rhemensem Archiepiscopum,* cum dictio illa *videlicet* sit declaratoria ejusdem rei & personæ, c. transmissæ, de eo, qui cognovit consanguineam, ita cum Barbos. *loc. cit. n.* 6. & aliis Reiffenst. *cit. num.* 29.

QUÆSTIO CCCCLXXXV.

Num ordines majores sint Sacramentum.

1. RESp. Primo in genere ordinem seu ordinationem esse verum Sacramentum novæ legis a Christo institutum, est de fide, pro ut definit Trident. *sess.* 23. *cap.* 3. & 4. ubi enim est externum symbolum vel signum institutum a Christo cum promissione gratiæ per illud producendæ, ibi est Sacramentum novæ legis; sed tale signum vel ceremonia invenitur in ordinibus. V. gr. impositio manuum juxta illud Apostoli, 1. *ad Timot.* 4. *versic.* 14. *noli negligere gratiam quæ in te est cum impositione manuum,* & *ad Timot.* 2. *vers.* 6. *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

2. Resp. secundo. Episcopatum esse verum Sacramentum. Laym. *loc. cit. c.* 4. *num.* 3. Castrop. *l. c. p.* 3. *n.* 3. citantes Pet. Sotum *Lect.* 4. *de Sacram. Ord.* Bellarm. *L. de Sacram. c.* 5. S. Bonav. *dist* 24. *part.* 2. *ar.* 2. *q.* 3. Dominic. Sot. *l.* 10. *de Just. q.* 1. *a.* 2. Covar *l.* 1. *var. c.* 10. *num.* 15. Valent. Richard. Turrecrem. & plures alii apud Vasq. *d.* 240. *c.* 2. Ratio est, quia Trident. *sess.* 23. *c.* 3. definiens ordinem seu ordinationem esse Sacramentum, id probat ex *Epist.* D. Pauli ad Timot. 1. & 2. *l. c.* neque aliunde id ex scriptura probari potest, ut Castrop. *loc. cit.* Sed in his locis Apostolus expresse loquitur de ordinatione Timothei in Episcopum, ut notat D. Chrysost. in illum locum *Homil.* 11. Item Trident. colligit sacram ordinationem esse Sacramentum, quia in ipsa Spiritus S. confertus his verbis ad ordinandum prolatis: *accipe Spiritum S.* quæ verba in consecratione Episcopi proferuntur, & significant conferri gratiam sanctificantem per illam cæremoniam. Ac denique per ordinationem in Episcopum is destinatur ad ministeria valde ardua nempe ordinandi clericos in sacerdotes, confirmandi fideles; ergo credendum, esse annexam isti ordinationi gratiam (intellige, non tantum habitualem, sed & Sacramentalem) ad ista munia rite & digne obeunda, ita fere Laym. *cit. c.* 4. *num.* 3. Item, ut recte Bellarm. *de Sacram. Ordin. c.* 5. in nulla ordinatione adhibetur tanta solennitas, quanta in ordinatione Episcopi; ibi est impositio manus, ibi unctio, ibi plurima alia, credibile autem non est, tot Sacramentalia instituta, ubi nullum est Sacramentum. Jam vero notandum; quod licet ista consecratio in Episcopum sit Sacramentum separatim collatum a sacerdotio, sicut tamen propterea non est ordo distinctus adæquate ab ordine sacerdotii, sic non esse Sacramentum distinctum a Sacramento Presbyteratus, sed ordinationem Presbyteri sicut in esse ordinis, ita etiam in esse Sacramenti, habitudine morali magis perficere & consummare, pari modo non tam imprimere novum characterem, quam characterem sacerdotalem antea impressum intrinsece augere ac perficere, ut ordinatus in Episcopum jam non tantum Eucharistiam conficere, sed & alios ad eam conficiendam ordinare possit. Laym. *l. c.* remittens ad Henriq. *l.* 10. *c.* 7. *num.* 2. Per quod ipsum satis magnam habet relationem ad Eucharistiam; longeque directius & immediatius potestas illa ordinandi deservit Eucharistiæ conficiendæ, quam potestas Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii &c. cum sine illa potestate consecrandi sacerdotes non conficeretur Eucharistia; quia deessent ministri, nempe sacerdotes, quæ tamen confici posset etsi deessent etiam Diaconi. Ex eo autem, quod episcopatus non conferatur quatuor temporibus sicut Sacramentum alterius cujusque ordinis, sed die Dominico, nullatenus recte infertur, non esse ordinem aut Sacramentum ut patet.

3. Resp. tertio. Indubitatum & de fide est ordinationem Presbyteri esse vere Sacramentum, ita Catholici omnes. Constat ex Trident. dum *sess.* 23. *c.* 3. definit, ordinationem esse verum Sacramentum a Christo institutum; hoc enim verum esse debet saltem de ordine seu ordinatione præcipua, qualis est illa in sacerdotem consecratio, ut relata immediate ad munus & functionem omnium excellentissimam, nempe ad consecrationem corporis & Sanguinis Domini, ad absolvendum a peccatis. Item dum *can.* 4. formam, per quam in sacerdotio confertur potestas absolvendi hanc assignat: *accipe Spiritum S. quorum &c.* (ubi per Spiritum S. significari tam gratiam Sacramentalem quam habitualem, recte asserit Laym. *loc. cit. n.* 2. *juncto n.* 3.) Item dum definit, in sacerdotio imprimi characterem, ita ut, qui semel est sacerdos, laicus dein effici nequeat contra quod sentiunt hæretici. Sed hæc subsistere nequeunt, nisi sacerdotalis ordo sit Sacramentum. Notandum hic denuo, quod licet utraque ex binis collationibus diversarum illarum potestatum in sacerdotio sit Sacramentum; quia est signum sensibile, quo Spiritus S. communicatur, non tamen esse duplex Sacramentum, sed utramque ad complendum ordinem & Sacramentum sacerdotii pertinere. Neque in collatione duplicis istius potestatis duplicem imprimi characterem, sed characterem impressum prius in collatione potestatis conficiendi Eucharistiam ex ordinatione Dei destinari ad potestatem absolvendi (intellige significandam) sive id contingat sine ulla intrinseca mutatione illius, sive ut placet aliis novo modo reali & perfectione illi superaddita.

4. Resp. quarto. Diaconatum esse vere Sacramentum, etsi non sit certum ex fide, cum evidenter id deduci ex verbo Dei scripto vel tradito nequeat; neque exstet ulla hac de re expressa determinatio Ecclesiæ ut bene Bellarm. *loc. cit. c.* 6. esse tamen inquit idem hanc sententiam valde probabilem & quasi certam ait Laym. *cit. cap.* 4. *num.* 4. Esse omnium DD. excepto Durand. *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. *a.* 1. *a num.* 7. & Cajet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 11. *r. ad* 2. *um* asserit Castrop.

strop. *cit. part.* 3. *num.* 6. ita ut Vasq. *d.* 238. *c.* 2. asserat, id sine errore negari non posse; eo quod Trid. *loc. cit. can.* 6. asserens in Ecclesia esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, agnoscit ex Christi institutione aliquot Ministros ultra Episcopos & Presbyteros ad Hierarchiam Ecclesiasticam pertinere, qui ad minus Diaconi esse debent, utpote excellentiores & Sacrificii ministrationi proximiores. Item quod in ordinatione Diaconi adhibeatur impositio manuum, prolatis ab Episcopo his verbis: *accipe Spiritum S.* quæ frustra pronunciarentur, si per illa, vel saltem in hac ordinatione non conferretur ordinato Spiritus S. id est, gratia; & dato, quod ista impositio & verba non sint materia & forma hujus ordinis, adhuc satis ex eo, ut Castrop. quod usurpentur ab Ecclesia in hac ordinatione, significatur, effectum gratiæ, qui per impositionem manus conferri solebat, per hanc vel aliam ceremoniam communicari; quemadmodum etiam Anastas. II. Papa *in Epist. ad Anastas. Imperatorem*, *c.* 7. significat, neque in ordinatione Diaconi ac Presbyteri gratiam conferri, sicut ea confertur in Baptismo. Insuper quod Diaconi destinentur ad officium valde eminens, nempe ut Episcopo & Sacerdoti sacrificanti assistant & ministrent in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, ut inquit Isidor. Hispal. *in Concil. Tolet.* 8. *tom.* 1. *Concilior.* ad quæ rite peragenda indigent spirituali gratia, quæ una cum potestate istiusmodi exercendi confertur illis per adhibitam illis cæremoniam istam externam.

5. Nec obstat primo, quod ait Damas. *Ep.* 4. ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia Apostolorum & 70. discipulorum: qui omnes erant sacerdotes; consequenter, si ab ordine multo magis a ratione Sacramenti excluduntur Diaconatus aliique ordines. Nam Damas. uti & alii Pontifices non definiverunt, nullum esse alium ordinem præter illos duos in ordine sacerdotali; quod ipsum satis indicant verba illa: *duo tantum primi*, uti & Anaclet. *in Ep.* 3. *cap.* 1. *in fine*, ubi ait: *amplius quam isti duo* (scilicet Episcopatus & Sacerdotium) *ordines sacerdotum nec nobis a Deo collati sunt*, *neque Apostoli docuerunt*, cum sensus sit: nulli alii ordines sacerdotales quam isti duo. Neque obstat secundo Tridentinum ex Epistolis ad Timoth. probare ordinem esse Sacramentum, ubi tamen tantum agebatur de Episcopatu, & ad summum etiam de sacerdotio. Nam Concilium tantum intendit per hoc probare, ordinem conferre gratiam & esse Sacramentum, non vero, quod omnes in particulari ordines essent Sacramenta, hoc enim disputationi scholasticæ relinquebat. Neque tertio, quod munia Diaconi pleraque a laicis quoque exhiberi possint. Nam non æque ab iis exhiberi possunt; quia ordinati in Diaconos, idem est de Subdiaconis authentice & authoritate a Deo & Ecclesia accepta, & speciali gratia adjuti ea adhibent, quæ non competunt laicis. Neque quarto. Quod tempore Apostolorum Diaconi tantum fuerint ministri mensarum. Nam id verum non esse, bene ostendit Bellarm. *de ordin. c.* 6. ex eo, quod eo tempore Philippis, Ephesi & in Creta fuerint Diaconi, ut patet ex Epistolis Apostuli ad Timoth. & Titum; & tamen in illis locis Christiani non vivebant communiter, ut opus esset ministris mensarum, & quod Philippus unus ex primis Diaconis non dederit operam præcipue mensis, sed prædicationi & Baptismo. Ad hæc quod Diaconi ab antiquissimis temporibus fuerint Ministri Altaris & Sacramentorum, patet ex Justino Apolog. 2. in fine. Neque quinto, quod Diaconi nullam habeant potestatem faciendi aliquid supernaturale. Nam non est de essentia Sacramenti, ut is, cui illud collatum, efficiat aliquid supernaturale; sed quod sit signum visibile seu cæremonia sacra conferens gratiam. Neque sexto. Quod sic Sacramentum ordinis non videatur esse unum. Nam, ut dictum supra, est unum unitate finis, vel etiam, ut Vasq. *d.* 237. *c.* 3. Coninck. *d.* 10. *dub.* 6. *n.* 52. apud Castrop. non quidem est unum Unitate specifica & atoma, sed generica; differunt namque Diaconatus & Subdiaconatus tum inter se, quam a sacerdotio specie; quia habent diversam materiam & formam & diversum finem proximum, etsi sub genere ordinis comprehendantur; & ad eundem finem principalem, nempe ad Eucharistiæ confectionem referantur.

6. Resp. quinto. Quamvis non ita certum de Subdiaconatu, quod sit Sacramentum, videtur tamen ipsum probabilius; cum sit communior DD. sententia, & plures rationes afferri solitæ pro Diaconatu hac in parte militent quoque pro Subdiaconato, etsi non tam luculenter. Neque valde in contrarium urgeat, quod nulla fiat in Scriptura mentio Subdiaconatus expresse, forte ex eo, ut Castrop. quod eo tempore Ministerium Subdiaconorum non ita fuit necessarium, & ita tenent Engels *h. t. num.* 8. citans Barbos. *de potest. Ep. p.* 3. *alleg.* 3. *n.* 24. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Laym. *c.* 4. *num.* 5. citans D. Thom. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *a.* 1. Richar. *a.* 3. *q.* 3. & *a.* 4. *q.* 1. & 2. Bonav. *ead. dist. q.* 1. *a.* 3. Valent. Paludan. &c. contra Durand. & Cajet. *l. c.* Item contra Magist. *in* 4. *dist.* 27. §. *septimus autem*, & alii apud Vasq. *d.* 238. *c.* 1. censentes, Subdiaconatum pure ab Ecclesia institutum, & ideo Sacramentum non esse. Neque his obstat Subdiaconatum sæpius a simplicibus sacerdotibus collatum, ex eo enim non deficit a ratione Sacramenti, quod quandoque ordinatio hæc, quæ jure proprio Episcopis competit, extraordinaria delegatione commissa fuerit Presbyteris.

QUÆSTIO CCCCLXXXVI.

An minores quatuor ordines sint quoque Sacramentum.

Resp. id licet sit minus adhuc certum, affirmativam tamen esse probabiliorem; eo quod sit communior DD. tenent Engels *loc. cit.* citans pro hac sententia Barbos. *ubi ante* Castrop. *l. c. num.* 9. citans pro ea D. Thom. 3. *p. q.* 22. *a.* 2. Bellarm. *de Sacram. Ordin. c.* 6. & *seq.* Valent. *tom.* 4. *d.* 9. *q.* 1. Sa. *vers. ordo*, *num.* 5. Bonac. Coninck. &c. contra Cajet. Durand. Magist. quibus accedunt Navar. *c.* 22. *num.* 18. Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 31. *num.* 17. qui negativam dicit probabilissimam. Vasq. *d.* 237. *c.* 1. Potissima ratio pro affirmativa desumitur ex Conciliis Florent. & Trident. quorum illud *in Decreto Eugen.* §. *sextum Sacramentum*, declarans, ordinem esse Sacramentum, & in eo materiam esse rem, quæ in ordinatione traditur, & formam verba, quibus ea traditio fit, pro exemplo adducit materiam Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, aliorumque Ordinum per rerum ad eorum Ministeria pertinentium assignationem; per quod satis aperte videtur Concilium illud sentire, minoribus Ordinibus æque rationem Sacramenti, veramque ejus materiam & formam convenire. Trident. vero *Sess.* 23. *de Sacram. Ord. c.* 2. postquam recensuit nomina singulorum Ordinum etiam minorum, statim c. 3. definit & absolute pronunciat Ordinem esse Sacramentum.

QUÆSTIO CCCCLXXXVII.

Quæ origo & institutio singulorum Ordinum.

1. Resp. primo in genere. Sacramentum Ordinis institutum a Christo, & quidem in ultima Cœna, Lucæ 22. dum Apostolis concessit potestatem & imposuit præceptum consecrandi corpus & sanguinem suum his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, constitutos enim illo tempore & ordinatos Apostolus Sacerdotes, certum est ex Trident. *Sess.* 22. *c.* 1. dicente: *at sub earundem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, & eisdem eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: hoc facite* &c. Et licet an iisdem verbis eos Sacerdotes ordinaverit, quod verisimilius putat Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 236. *cap.* 1. *num.* 2. & ex eo Castrop. *loc. cit. p.* 1. *num.* 4. non definiverit Concilium, illud tamen recte ex eo deducitur, illos vel prædictis verbis vel aliis paulo ante prolatis ordinatos esse Sacerdotes; siquidem Christus præcipiebat illis Sacrificium offerre, ad cujus oblationem necessario Minister consecratus requirebatur. Castrop. *loc. cit.*

2. Resp. secundo. Presbyteratum saltem (intellige incomplete, nimirum quo ad potestatem sacrificandi, de quo paulo post) dicto tempore dictisque verbis institutum, dubitari nequit. Sed & singulis aliorum Ordinum, etiam minorum immediate a Christo (qui sibi soli reservavit instituere Sacramenta juxta D. Thom. & alios communiter) in Cæna ultima institutos, unoque verbo Apostolis datam totam potestatem singulorum Ordinum majorum & minorum (qui omnes sub Sacerdotali potestate comprehenduntur) quamvis expressius data potestas Sacerdotalis, cum communi astruit Henriq. *l.* 10. *cap.* 3. Ubi tamen illud notandum quo ad Sacerdotium, nempe probabiliter Christum in cœna non instituisse aut etiam contulisse illud complete Apostolis quo ad utramque potestatem, sed solum potestatem conficiendi Eucharistiam & sacrificandi; uti & tunc collatam Apostolis potestatem Episcopalem consecrandi alios in Sacerdotes Sacrificos, hoc est, quo ad potestatem conficiendi Eucharistiam & sacrificandi, ait idem Henriq. *loc. cit.* Sacerdotium vero complete, sive quo ad alteram etiam potestatem, nempe absolvendi, uti & Episcopatum complete, hoc est, quo ad potestatem con-

confirmandi & ordinandi Sacerdotes complete institutum & collatum Apostolis post resurrectionem Domini, saltem ante Ascensionem, & non dilatam, ut quidam volunt, in diem Pentecostes, sentiunt communius plerique. An vero statim post resurrectionem illis verbis *Jean.* 20. *accipite Spiritum S.* an postmodum quo ad Episcopatum illis verbis: *data est mihi omnis potestas* &c. non ita conveniunt omnes.

3. Jam vero Diaconatum a Christo institutum fuisse ex eo negari nequit, quod Christus ordinaverit Apostolos Episcopos & Presbyteros, nullum autem ordinaverit Diaconum (quod ipsum & non aliud dicere voluerit D. Cyprian. *l.* 2. *Ep.* 9. dum visus negare Diaconatum institutum fuisse) multo minus Subdiaconum, aut minoribus Ordinibus insigniverit. Nam etiam, ut bene Bellarm. *cit. c.* 6. Christus nullum confirmavit, & tamen instituit Sacramentum Confirmationis. Aut etiam ex eo, quod ex occasione quadam ob murmur Græcorum. *Act.* 6. institutus sit Diaconatus, seu Ordo Diaconorum inventus, sed solum ab iis ordinatos primos Diaconos. Neque Subdiaconatum ab Ecclesia institutum & introductum ex eo sequitur, quod tempore Apostolorum non fuerint Subdiaconi; sed illud ad summum inde sequitur, quod quia ob fidelium paucitatem non essent tot Ordines necessarii, & Presbyteri, qui eminenter continebant eos Ordines, munia alias iis propria obire poterant, usus Subdiaconatus minorumque Ordinum cœperit prius postmodum induci in Ecclesiam. Quamvis nec verum, non fuisse tempore Apostolorum illos Ordines in usu; cum S. Ignatius, qui floruit tempore Apostolorum, omnium fere Ordinum meminerit, *in Epist. ad Heronem*, & *in alia ad Antiochenos*, ubi salutari jubet Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Janitores, Exorcistas, teste Bellarm. *l. c. c.* 7. Laym. *l. c. c.* 3. *n.* 2. Et licet Ordinum potissimum minorum, non ita fuerit explorata institutio, ex eo tamen, quod semper ab initio Ecclesiæ non solum officia horum Ordinum, sed & eorum nomina cognita fuerint, ut satis testatur Trident. *Sess.* 23. *c.* 2. sufficienter indicatur, quod a Christo dimanarit eorum institutio. Castrup. *cit. p.* 3. *num.* 10.

QUÆSTIO CCCCLXXXVIII.

Quæ sint munia, functiones & officia singulorum Ordinum.

RESp. fere ex Castrop. *p.* 2. *n.* 2. breviter. Officium Sacerdotalis Ordinis est, conficere Eucharistiam & Sacrificium Deo offerre, & homines Deo reconciliare. Diaconi, sacerdoti in Sacrificio ministrare, calicem, si esset in usu, populo præbere, baptizare & prædicare ex commissione sacerdotis. Subdiaconi Diacono ministrare in iis, quæ ad Sacrificium peragendum fuerint necessaria, præparare aquam ad Altaris Ministerium, porrigere calicem & patenam in usum Sacrificii, pallas & corporalia abluere. Acolythorum, ceroferarios deferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare, adeoque deservire Diacono & Subdiacono. Exorcistarum, Dæmones ab obsessis depellere, ut digne assistant sacrificio, & aquam in Ministerium episcopi præparare, locumque communicaturis concedere. Lectorum legere & canere, quæ a Sacerdote prædicantur, & quæ extra Sacrificium populo annuncianda, ut sic præsentium animi ad reverentiam Sacrificii excitentur. Ostiariorum, pulsare cymbalum tempore sacrificii in illius honorem, aperire Ecclesiam & sacrarium dignis & librum ei, qui prædicat.

QUÆSTIO CCCCLXXXIX.

Quæ sit materia & forma singulorum Ordinum.

1. RESp. primo. Episcopatus, prout distinguitur a Sacerdotio, novamque illi perfectionem superaddit, non est unctio chrismatis, qua in capite inungitur, sed impositio manuum facta a tribus Episcopis, nisi forte Papa dispenset in necessitate, ut fiat consecratio ab uno Episcopo, quod eum facere posse tenent cum communiore Laym. *Theol. Mor. l.* 5. *tr.* 9. *c.* 5. *n.* 1. & citati ab eo. Bellarm. *de notis Eccl. c.* 8. Vasq. Con. &c. dum enim, saltem ex præcepto Ecclesiæ, ut habetur *c.* 2. *ne Episcopi*, *h. t.* juxta communem plures ad consecrationem episcopi requiruntur Episcopi, ut constat ex 2. *ad Timot.* 4. simul præstare debent actionem aliquam; nulla est autem alia actio, quam præstant; conferri quoque per illam manuum impositionem gratiam, constat ex eodem Apostolo *loc. c.* Forma ordinationis in episcopum sunt verba, quæ ab iisdem episcopis, dum manus imponunt, proferuntur nimirum: *accipe Spiritum S.* quæ frustra dicerentur, nisi essent efficacia & gratiæ causativa. Et licet generalia sint, & secundum se non satis significantia potestatem consecrato traditam, conjuncta tamen dictæ impositioni satis indicare videntur, conferri Spiritum S. ut in numerum ordinantium consecrandus referatur. Ita fere Castrop. *loc. cit. p.* 4. *num.* 1. citans Vasq. *d.* 240. *c.* 5. *num.* 58. Bonac. *de Sacram. quæst. unic. p.* 3. *num.* 50. &c.

2. Resp. secundo. Ordinatio Presbyteri (intellige completa) duplicem habet materiam & formam partialem, pro ut duplex per eam confertur potestas. Prioris ordinationis, qua traditur potestas conficiendi Eucharistiam, materia est traditio calicis cum vino & patenæ cum hostia; & forma: *accipe potestatem offerendi Sacrificium* &c. uti hæc constant ex Concilio Florent. *in decreto Eugenii post Sess. ult. §. sextum Sacrament.* & sane nullis aliis rebus aptius significari poterat potestas illa tradita consecrandi corpus & sanguinem Christi. Nequaquam autem ad materiam essentialem hujus primæ ordinationis spectat (ut habet communis contra S. Bonav. *in* 4. *dist.* 24. *pag.* 2. *a.* 1. *q.* 4.) impositio illa manuum, quæ collationem calicis antecedit, & fit ab episcopo simul cum adstantibus Presbyteris absque ullis verbis prolatis; alias enim, ut Castrop. non solus episcopus, sed & alii illi sacerdotes ordinarent, & quidem sine ulla forma tunc adhibita; sed est cæremonia ab Apostolis introducta, qua casu omissa, Sacramentum non est iterandum; & de hac, & non de altera illa subsequente impositione manuum loquitur *c. Presbyter. de Sacram. non iterand.* Posterioris ordinationis, qua confertur potestas absolvendi, materia est impositio manuum facta a solo episcopo. Forma sunt verba in ea impositione prolata: *accipe Spiritum S. quorum remiseritis peccata* &c. Castrop. *loc. cit.* Laym. *l. c. n.* 2. citatique ab eo Scot. *in* 4. *dist.* 24. *art.* 3. Bellarm. *de ord. cap.* 9. Vasq. *d.* 239. *cap.* 3. Coninck. &c. contra Sot. *in* 4. *dist.* 24. *a.* 4. *concl.* 7. Valent. *d.* 9. *q.* 1 *part.* 5. quin & contra D. Thom. Richard. Durand. &c. apud Castrop. & Laym. censentes hanc posteriorem impositionem manuum esse accidentalem & ab Ecclesia introductam cæremoniam; nullamque aliam esse materiam & formam essentialem, quam traditionem illam calicis cum verbis illis: *accipe potestatem offerendi Sacrificium* &c. Sententiam nostram vide fuse stabilitam a Castrop. *loc. cit. n.* 7. cujus illa est potissima ratio, quod potestas illa absolvendi (utique distincta & separabilis ab altera illa potestate consecrandi utpote collata Apostolis prius post resurrectionem. *Jo.* 20. ubi institutum Sacramentum Pænitentiæ, dum in discipulos insufflavit dicendo: *accipite Spiritum S.* pro ut definit Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. priore illa potestate collata jam iis in ultima Cæna) neque significatur neque confertur per porrectionem calicis cum patena & prolationem verborum illorum: *accipe potestatem offerendi Sacrificium* &c. significatur autem aptissime & gratia Sacramentalis & habitualis, uti & potestas absolvendi per illam impositionem manuum una cum prolatione dictorum verborum, ut satis colligitur ex Trident. *Sess.* 23. *can.* 4. ergo & per ea tanquam materiam & formam confertur & gratia & potestas absolvendi; quippe illud est materia & forma cujuslibet Sacramenti, quibus effectus illius significatur. Neque obstat, quod Florent. dum exprimit singulorum ordinum materias & formas, nullam aliam expresserit, quam traditionem illam calicis cum prolatione verborum illorum: *accipe potestatem* &c. cum per non expressionem alterius materiæ & formæ ab hac diversæ non negaverit esse aliam insuper materiam, ostendit satis, se ibi non intendisse omnes materias & formas hujus Ordinis exacte declarare, sed solum notiores & principaliores, quæque nullam dubitationem admittebant. Castrop. *loc. cit. num.* 8. Et parum ad rem facit, quod hæc impositio manuum sub illis verbis: *accipe Spiritum S.* non inveniatur in aliquibus Pontificalibus; satis enim est, quod illam ecclesia Romana in suo Pontificali præscribat.

3. Resp. tertio. Probabilius videtur, materiam Diaconatus esse solam traditionem libri Evangeliorum, & formam: accipe potestatem &c. Castrop. *loc. cit. n.* 50. citans Vasq. *dist.* 238. *c.* 4. *a. num.* 36. Valent. *d.* 9. *q.* 3. *p.* 5. Bonac. *de Sacram. d.* 8. *q. unic. p.* 3. impositionem vero manuum Episcopi sub his verbis: *accipe Spiritum S. & robur ad resistendum Diabolo & tentationibus*; neque adæquate constituere materiam & formam hujus ordinationis, ut Durand. S. Bonav. neque inadæquate, ut volunt Bellarm *de Ordin. cap.* 9. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 8. *num.* 2. Coninck. *d.* 20. *concl.* 3. Laym. *cit. c.* 5. *assert.* 3. Responsionis fundamentum præcipuum est, quod in Florent. *in decreto Eugen. IV.* nulla facta mentione, de illa impositione manuum dicatur: *Diaconatus per libri Evangeliorum traditionem confertur*: & in *c. Presbyter.* asseratur ma-

nuus

nus impositionem, quæ in Presbytero & Diacono fit, esse ritum ab Apostolis institutum, quo omisso, Ordo non sit iterandus, sed ritus ille suppliendus. Ad hæc per dationem libri Evangeliorum sub dictis verbis manifeste & adæquate denotatur effectus hujus Ordinis; & e contra verba illa: *accipe Spiritum S. & robur* &c. cuilibet Ordini competere possint, & nullum Ordinis effectum denotant; & si effectum alicujus Sacramenti denotarent, illud potius esset Sacramentum Confirmationis ut Castrop.

4. Nec obstat primo, quod in Concilio Carthag. *cap.* 4. dicatur: *Diaconus, dum ordinatur, solus Episcopus, qui illum benedicit, manum super caput ejus ponat; quia non ad Sacerdotium sed ad Ministerium consecratur*. Nam Concilium per illa verba non intendit definire, quæ sit materia Diaconatus vel Presbyteratus, sed quæ sit differentia in impositione manuum interveniente in utroque Ordine, ita Castrop. *num.* 11. Neque secundo; quod nascente ecclesia ordinari non sint Diaconi per traditionem libri Evangeliorum, utpote quæ necdum conscripta. Nam dato, quod tunc Diaconatus collatus fuerit traditione alterius cujusdam rei, vel manus impositione vel certis quibusdam formis, non tamen propterea Diaconatus ille ab eo, qui modo confertur per traditionem libri Evangeliorum, diversus erit & diversum Sacramentum. Nam istæ materiæ etsi diversæ in esse physico, non tamen in esse morali juxta institutionem Christi sunt diversæ; credendum enim est, ut cum Bellarm. Coninck. Laym. *loc. c.* ait Castrop. Christum non determinasse materias omnium Ordinum in particulari, sed id relinquendo Apostolis, generatim illos monendo, ut Ordines conferrent per exhibitionem cæremoniæ alicujus, qua potestas in iis collata significaretur, qua & usi sub initium, etsi dein post conscriptum Evangelium illi vel eorum successores illius traditione usi. Neque tamen etiam ex eo, quod essentialiter adhibenda traditio libri Evangeliorum recte infertur, præcipuum munus, ad quod Christus Diaconatum instituit, esse decantare solenniter in missa Evangelium; adeoque hanc decantationem Evangelii in missa esse de jure divino statutam. Nam traditione illius libri ex usu Ecclesiæ denotatur munus Diaconi esse, legem evangelicam prædicare, sive in sacrificio, sive extra, & sacerdoti assistere in sacrificio & Sacramentorum administratione, non obstante, quod munus prædicandi generaliter Diaconis interdictum. Siquidem id factum, quia ecclesia Presbyteris & Episcopis abundat, per quos hoc officium præstari potest.

5. Resp. quarto. Materia Subdiaconatus est traditio calicis vacui cum patena. Forma sunt verba illa: *videte cujus ministerium vobis tradatur*: quæ episcopus profert, postquam omnes ordinandi in Subdiaconos tetigerunt calicem cum patena. D. Thom. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 2. Vasq. *d.* 238. *c.* 5. *num.* 49. Laym. *loc. cit. assert.* 4. aliique apud Castrop. *l. c. n.* 13. dicentem, hanc sententiam omnino communem juxta quod definitur in Florent. & constat ex Concil. Carthag. 4. *cap.* 5. Et ratio quoque persuadet; quia nimirum præcipuum Subdiaconi Ministerium, quod est inservire in sacrificio ministrando calicem & patenam medio Diacono, nullo aptiore signo denotatur, quam dicta traditione calicis & verba illa moraliter cum illa traditione & contactu calicis conjuncta. Sed neque traditio libri Epistolarum sub verbis illis: *accipite librum epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia &c.* constituit materiam & formam partialem hujus ordinationis, multoque minus, ut docuit Viguerius *in sum. inst. Theol. cap.* 16. *§.* 6. *vers.* 1. totalem, eo quod sicut officium Diaconi proprium a Christo institutum non est canere Evangelium in sacrificio, ut Castrop. ita nec officium proprium subdiaconi legere vel canere epistolam, sed utriusque munus est sacerdoti inservire. Quod obsequium quia in Diacono nulla alia traditione quam libri Evangeliorum designatur, in hujus libri traditione materia hujus ordinis constituitur potius, quam in Subdiaconi ordinatione traditione libri epistolarum constituatur ejus materia. Ad hæc traditio illa libri epistolarum non fit ab Episcopo, sed ab Archidiacono assistente Episcopo ordinanti; cum tamen materia & forma ordinationis ab ordinante Episcopo exhiberi debeat. Porro, num ad valorem hujus ordinationis (quæ quæstio a potiore locum habet in Presbytero) requiratur, ut patena & calix quæ porriguntur, debeant esse consecrata, non convenit inter AA. affirmativam tenet Castrop. *part.* 4. *num.* 16. eo quod seclusa consecratione non sint vasa sacrificii, neque ad sacrificium deputata, adeoque eorum traditio & contactus ad sacrificium referri non possit, neque significare, tangentem ea vasa eo contactu in obsequium sacrificii deputari. Negativam tenent apud eundem Sa. *v. ordo, n.* 6. Henriq. *l.* 10. *c.* 5. & *c.* 8. *num.* 45. Bonac. *d.* 8. *q. unic. p.* 3. *num.* 5. eo quod id nullibi caveatur. Illud certius, esse peccatum mortale; ut Castrop. *num.* 17. adhibere calicem vel patenam non consecrata; quia est contra usum ecclesiæ, & vel maxime ob dubium ordinationis.

QUÆSTIO CCCCXC.

Quæ sit materia ordinum minorum.

RESP. Ostiarii materiam & formam esse traditionem clavium Ecclesiæ sub his verbis: *sic agite quasi rationem Deo reddituri pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Colligitur ex concilio Carthag. 4. *c.* 9. Lectoratus, traditionem libri lectionum sub his verbis: *accipite & estote verbi Dei relatores*. Ex dicto concil. *c.* 8. Exorcistæ traditionem libri, in quo continentur exorcismi sub illis verbis: *accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus supra energumenos &c.* ex dicto concil. cap. Acolythatus, juxta probabiliorem, quam tenet Castrop. *cit. part.* 4. *num.* 19. citato Vasq. *d.* 237. *c.* 3. *num.* 36. est duplex partialis materia & forma, juxta quod duplex est officium Acolythi, nimirum traditio ceroferarii seu candelabri cum cereo extincto sub his verbis: *accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipatos &c.* & traditio urceoli vacui aquæ & vini sub his verbis: *accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi &c.* aliis AA. statuentibus materiam adæquatam hujus ordinationis in traditione urceoli. Eo quod munus præcipuum & excellentius Acolythi per eam significetur. Aliis eam statuentibus in sola traditione ceroferarii, eo quod a ceroferario dicatur Acolythus.

QUÆSTIO CCCCXCI.

An & qualis contactus traditorum instrumentorum in ordinationibus requiratur.

5. RESP. primo. Quo ad primum non convenire AA. Nam contactum nullum instrumentorum requiri ad substantiam & valorem ordinis docent Albert. M. *in* 4. *dist.* 24. *a.* 38. *ad* 2. Henriq. *l.* 1. *c.* 9. *num.* 11. Victoria *de Sacram. Ord. num.* 230. Vasq. *d.* 246. *cap.* 2. *num.* 19. & 20. Cajet. *in sum. vers. ordinant.* Armilla, *vers. ordo, num.* 4. quos refert & sequitur Laym. *Theol. Mor. l.* 5. *tr.* 19. *c.* 5. *num.* 4. Idem Engels. *h. t. num.* 10. Fundamentum hujus sententiæ est fere negativum, nimirum quod rationes oppositæ sententiæ affirmativæ, cui tamen jure tam gravi incumberet onus probandi, id non convincant. Non primo praxis ecclesiæ tam sollicite urgentis & præcipientis dictum contactum præstari. Dum causam sufficientem hoc urgendi habeat vel ex hoc ipso, quod traditio & acceptio spiritualis potestatis, quæ ordinando fit, expressius significetur, si is Symbolum materiale, quo talis potestas significatur, manu ipsemet contingat. Non secundo verum sit, quod verbum illud: *accipe* prolatum cum porrectione instrumentorum ex necessitate Sacramenti referatur ad eum, qui ordinatur, ut capiat seu manu contingat Symbolum externum, sed sufficit referri ad potestatem spiritualem conferendam ordinando per exhibitionem Symboli externi; quæ potestas, ut censeatur ab ordinando acceptari, opus non est illo contactu; cum etiam, si requiratur ista positiva acceptatio internæ potestatis, eamque significari extrinsecus, fieri id possit signis aliis ab isto contactu diversis. Quemadmodum tam ex jure civili quam canonico constat, dominium, jurisdictionem, potestatem concedi absque rei traditæ contactu, ex eo solum, quod præsenti exhibeatur v. g. traditio dominii domus ea tantum ostensa a venditore, dataque licentia capiendi possessionem. *L. clavibus ff. de contract. empt.* Adeoque absque eo, quod per contactum illum interna acceptatio significetur. Quin & ex ipso matrimonio, in quo mutua potestas in corpora conceditur conjugibus sine contactu. Et sane si moralis acceptatio potestatis contactu Symboli externi significata requireretur ad valorem Sacramenti, sequeretur, parvulos usu rationis carentes invalide ordinari, quod repugnat sententiæ communi. Ad quod tamen ultimum dicunt adversarii, ad ordinationem validam parvuli sufficere, quod is acceptationi seu traditioni non repugnet, ad quam materialem acceptationem censeatur sufficiens contactus, etsi digitis vas porrectum non stringatur ab eo. Nihilominus contrarium, nempe essentialiter requiri illum contactum docent, Castrop. *loc. cit. num.* 22. & ab eo citati. D. Thom. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *a.* 55. Bonac. Coninck. Valent. Sa. &c. *LL. cit.*

2. Resp. secundo. Hi tamen ipsi AA. requirentes contactum in eo conveniunt, quod opus non sit contactu materiæ

imme-

immediato, sed sufficere mediatum. V. gr. si calix continens sibi patenam superpositam tangatur solus, vel etiam mediante aliquo panno. Sic pro certo habent, opus non esse tangi hostiam impositam patenæ, non secus, ac necesse non est tangi vinum in calice. His tamen non obstantibus juxta omnes peccatum grave est libera omissio contactus materiæ. Tum quia est contra præceptum & praxin Ecclesiæ; tum quia incurritur periculum invalidæ ordinationis ob probabilitatem sententiæ requirentis contactum ad valorem. Quin &, si libere omittatur contactus immediatus, v. g. tangatur solus calix, non attacta patena, peccatum grave esse, etsi negent quidam apud Vasq. *d.* 246. *c.* 2. *n.* 19. plerique tamen admittunt, & inter hos Castr. *l. c. n.* 20. cum Coninck. *d.* 20. *du.* 7. *concl.* 6. idque ob easdem rationes; quia nimirum & hoc est contra præceptum grave Ecclesiæ, quod satis colligitur ex eo, quod contactus ille immediatus in Pontificali Romano præscribatur, & Episcopi diligenter illum procurent. Item quia satis probabile est immediatum contactum requiri ad valorem ordinationis.

CAPUT SECUNDUM.

De Subjecto Ordinum sive de Ordinandis.

§. I.

De iis, qui jure divino sunt incapaces Ordinum.

QUÆSTIO CCCCXCII.

An & quo jure fæmina sit incapax Ordinum.

1. RESP. Mulier ratione sexus jure divino est incapax ordinum. Est communis tam Canonistarum quam Theologorum, ut Pirh. *h. t. n.* 6. hanc certam de fide tradi a D. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 1. testantur Laym. *Theol. Mor. l.* 5. *tr.* 19. *c.* 6. *n.* 1. Castrop. *tr.* 27. *d. unic. p.* 6. *num.* 2. Ordo enim importat eminentiam potestatis, dignitatis & officii in Ecclesia, ejusque effectus est constituere ordinatum in gradu superiore & eminentiore inter reliquos Christi fideles cum potestate eos docendi, ministrandi Sacramenta. Hujus autem superioritatis supra viros & muneris docendi in Ecclesia jure divino incapaces sunt mulieres, ut constat ex Apost. 1. *ad Corinth.* 14. *vers.* 34. *mulieres in Ecclesia taceant &c. turpe est mulieri loqui in ecclesia*, multoque turpius viris divina ministrare. Quin & jura canonica huic juri divino inniti videntur dum *c.* 1. *de cohabit. cler. & mulier. c. sacratas, dist.* 25. *c. in sancta*, 51. *c. vestimenta*, 52. *d.* 1. *de consecrat.* mulieres prohibentur inter Cancellos altaris consistere, Presbytero ministrare, vel sacra vasa contingere, etsi Sanctimoniales sint, hæc autem omnia posse deberent, si ordinum capaces essent.

2. Proinde jam ex eo, quod ait Apost. *ad Galat.* 3. *in Christo JESU non est masculus & fœmina*: male inferunt hæretici, in templo Dei ejusque ministris non esse discrimen masculi a fœmina; cum *l. c.* loquatur Apost. de justificatione & gratia collata per Baptismum, in ordine ad quam in Christo ejusque lege non esse discrimen ait. Nihil vero ibi de ministris templi eorumque ordinibus, ut legenti patet. Sed neque in primitiva Ecclesia dicebantur Presbyteræ & Diaconissæ (quorum fit mentio *c. ult. & penult. dist.* 32. *& c. Diaconissam caus.* 27. *q.* 1. Quin & Sacerdotissæ & Episcopæ, ut constat ex Concil. Antisiodorens. *can.* 21.) ex eo, quod essent ordine aliquo Sacramentali insignitæ; sed vel ex eo, quod essent uxores Presbyterorum vel Diaconorum ab iis ductæ ante ordines susceptos, & deinceps in perpetua continentia viventes, facta thori separatione, *c. presbyter.* 18. *dist.* 32. Pirh. Laym. Engels. *LL. cit.* ex Vasq. *d.* 245. *c.* 3. *a n.* 49. Vel etiam, quod Presbyteræ dicerentur quædam viduæ seniores voto castitatis adstrictæ, electæ ad hoc, ut curam rerum ecclesiæ haberent, & hinc ali solitæ ex redditibus & eleemosynis ecclesiæ. Similiter Diaconissæ dicebantur quædam benedictione aliqua deputatæ ad canendum Evangelium & homilias in Choro, ut Pirh. ex Sanch. *opusc. mor. l.* 7. *c.* 1. *du.* 30. vel etiam, ut ministrarent Diaconis aliisque Ecclesiæ ministris, exequendo ab iis mandata; non vero consecratæ, ut authoritate propria & ex officio ministrarent. Uti hoc indicat Epiphan. *hæres.* 79. *ante medium* dicens: *& ministrarum quidem Diaconissarum ordo est in Ecclesia; sed non ad sacrificandum, neque ut quicquam aggredi* (intellige authoritate propria) *permittuntur*. Harum officia vide apud Castrop. *cit. p.* 6. *n.* 5.

3. Atque ex his jam infertur, hermaphroditos, in quibus prævalet sexus fæmineus (nullum enim ex his monstris habere utrumque sexum perfectum, etsi exterius appareat, sed necessario unum prævalere, & alterum, inanem & irritum esse, ait Aristoteles, *l.* 4. *de generat. animal. c.* 3. *sub finem*) de jure divino incapaces esse ordinum. Eos vero, in quibus prædominatur sexus virilis, valide quidem, illicite tamen ordinari; eo quod, ex communi sententia censeantur irregulares, ut pluribus docet Bonacin. *d.* 8. *de Sacram. q. unic. p.* 5. *num.* 6. apud Castrop. *loc. cit. num.* 3.

QUÆSTIO CCCCXCIII.

An ergo quoque de jure divino mulieres sint incapaces primæ tonsuræ, ita ut quo ad hoc cum iis dispensare nequeat Papa.

1. RESP. affirmative Laym. Pirh. Castrop. *LL. cit.* sequitur ex *respons. ad quæst. præced.* dum enim prima tonsura, etsi ordo ecclesiasticus non sit juxta dicta supra, sit tamen essentialiter deputatio & dispositio ad ordines suscipiendos, horum incapax illius capax esse nequit. Non secus, ac qui est incapax suscipiendi ordinis religiosi, recipi ad novitiatum, qui est dispositio ad illum, nequit. Pirh. Laym. Castrop. citantes Vasq. *d.* 245. *c.* 5. *n.* 12. Coninck. *d.* 20. *du.* 10. *n.* 95.

2. Neque opponas, mulierem capacem esse jurisdictionis, non tantum civilis & laicæ, etiam in regna & provincias, ut constat; sed & jurisdictionis ecclesiasticæ; etiam in clericos, uti id constare videtur ex *c. cum dilecta*, *de major. & obed.* ubi Honor. III. Abbatissæ mandat, ut Canonicas suas & clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientiam ab officio & beneficio suspendat, uti & ex eo, quod, ut ait Gonz. *ad reg.* 8. *canc. gl.* 22. *n.* 13. *seq.* Abbatissæ habere possint curam animarum, quæ vel maxime comprehendit jurisdictionem spiritualem. Item alterius potestatis. V. g. conferendi beneficia; ut ipse ostendi *in foro benef. p.* 2. *q.* 751. Quinimo capacem esse non tantum beneficii, sed & dignitatis ecclesiasticæ, ut patet in Abbatissis, Priorissis perpetuis. Sed similes potestates & jurisdictiones, uti & beneficia, ut obtineri queant, supponunt characterem clericalem seu primam tonsuram actu susceptam, adeoque multo magis capacitatem illum recipiendi. Nam respondeo primo negando vel potius distinguendo generale hoc subsumptum: jurisdictio hujusmodi & potestas spiritualis, uti & beneficia, ut obtineantur, regulariter & via quasi connaturali supponunt clericatum & primam tonsuram, per quam laicus extrahatur ex statu laicali, & reponatur in statu & gradu ecclesiastico, concedo. Ut obtineantur extraordinarie, nimirum ex privilegio Pontificio, nego. Sic enim passim videmus, laicos, tam viros quam mulieres, etiam pure laicas, hoc est, absque eo, quod professionem ullam religiosam emiserint, manentes in statu laicali, esse non tantum patronos, sed & collatores & collatrices beneficiorum ex privilegio Pontificio, ut pluribus citatis tradidi *in foro benef. p.* 2. *q.* 726. *n.* 6. etsi non alio titulo, puta, consuetudinis immemorialis aut præscriptionis, ut quoque citatis pluribus ostendi *l. c. n.* 2. & 3. siquidem solus Papa laicum (intellige manentem talem; neque enim per tale privilegium, quo laico confertur a Papa talis potestas, aut etiam jurisdictio spiritualis in personas ecclesiasticas, extrahitur e statu laicali) reddere potest capacem jurisdictionis spiritualis. Ego *l. c. n.* 6. cum Corrad. *pr. benef. l.* 1. *c.* 4. *n.* 2. citante alios. Et sic in specie laico manenti tali ex privilegio speciali Papæ conferri potest beneficium. Corrad. *l. c. c.* 5. *n.* 135. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 2. *n.* 32. & Canonistæ communiter in *c. Joannes, de cler. conjug.* sic in specie ex privilegio Apostolico fœminam clericatus incapacem obtinere posse beneficium, ait Corrad. *l. c. n.* 141. Quin & citra privilegium obtinere potest

bene-

beneficium continens in se dignitatem eum administratione. V. g. Abbatissarum, quin & cum jurisdictione non solum in suas moniales, sed etiam extra in clericos, ita ut visitare possit, non quidem per se, sed aliis ecclesiasticis personis committendo visitationem. Fuscus *de Visitat. l. 1. c. 2. n. 15.* vide dicta de hoc a me in *Foro benef. p. 3. q. 330. n. 1.* Quanquam potius solummodo usum aliquem seu exercitium spiritualis jurisdictionis ex commissione Prælatorum in clericos sibi subjectos habere censeantur. Vide de hoc Laym. *Theol. Mor. l. 1. num. 5. part. 1. c. 3. num. 3.* Item Azor. *instit. mor. p. 1. l. 13. c. 10. q. 6.* me *loc. cit. p. 2. q. 721.*

QUÆSTIO CCCCXCIV.

An non Baptizatus Baptismo fluminis jure divino sit incapax ordinis suscipiendi.

RESp. affirmative juxta *c. 1. & 2. de Presbytero non baptizat.* Siquidem Baptismus (intellige fluminis reipsa susceptus) est omnium Sacramentorum janua & fundamentum, *c. 2. de cognat. legal. in 6.* ita ut Baptismus flaminis, etsi ad recipiendam gratiam sufficiat, nihil tamen conferat ad valorem aliorum Sacramentorum, utpote quæ, cum sint signa visibilia & externa, prærequirunt signum visibila. Pirh. *h. t. n. 7.* Secus est de non confirmato, Licet enim Trident. *sess. 23. c. 4. reform.* requirat, ut ordinandus sit confirmatus, confirmatio tamen non præcedens ordinem eundem non vitiat. Laym. *de Sacram. Confirm. c. 6.* Sed neque peccatum mortale esse, ait Pirh. *l. c. nu. 20.* ex Nav. *in man. c. 22. n. 9.* suscipere ordinem ante confirmationem, si id faciat ex negligentia, vel etiam scienter absque contemptu.

QUÆSTIO CCCCXCV.

Num carentes usu rationis jure divino sint incapaces ordinum.

1. RESp. primo. Infans seu puer ante usum rationis valide ordinari potest. Vasq. *d. 246. c. 1. n. 6.* Pirh. *l. c. num. 10.* Laym. *l. 5. tr. 9. c. 6. n. 4.* Castrop. *p. 7. n. 2.* cum D. Thom. *in 4. dist. 25. q. a. 15.* Bonav. *a. 2. q. 1.* Scotu, *q. 2.* aliisque, constat ex *c. unic. de cler. per saltum ordinat.* ubi initiatus 4. minoribus ante annos discretionis censetur esse ordinatus valide. Ratio communiter peti solet a voluntate Christi, qui ita instituit Sacramentum ordinis, uti & alia Sacramenta (iis exceptis, quorum materia & forma dependet a suscipientium actibus, puta, pænitentiæ, matrimonii, & consequenter etiam extremæ unctionis) ut cuicunque non repugnanti applicarentur, haberent suum effectum. Unde jam traditio symboli externi sub illis verbis: *accipe potestatem*: justa dicta superius non requirit in ordinando liberam acceptationem, sed solum non repugnantiam. Quare nec opus est consensum infantis suppleri per consensum parentum vel aliorum, quorum curæ demandatus est ordinandus, ut voluit Paludan. *in 4. d. 25. q. post 3. concl. n. 8.* Et hæc de valore ordinis, nam licite nemo ordinari potest anta annos discretionis, de quo postea. Porro illud hic notandum, istiusmodi ante usum rationis ordinatos non astringi dein, dum ad usum rationis deveniunt, ad ea, quæ ordinibus annexa jure ecclesiastico, puta, continentiam, horas canonicas &c. nisi forte rationis compotes, ordinationem in infantia factam ratificent, intellige vel tacite vol expresse, verbo vel opere. V. gr. exercendo actum ordinis suscepti. Pirh. *loc. cit.* cum communi. Extenduntur hæc ipsa ad Episcopatum, ita ut sicut potestas ad consecrandum Corpus Christi & absolvendum a peccatis puero ante usum rationis communicari potest per collationem Presbyreratus; sic etiam eidem communicari potestas confirmandi & ordinandi. Neque enim infertur, eo ipso quoquo eidem collatam potestatem & jurisdictionem actualem in aliquos subditos, ordinatumque speciali alicui ecclesiæ desponsatum esse; cum hæc jurisdictio & desponsatio ex consecratione non dependeat, ut patet in consecratione alicujus in sacerdotem, dum hoc ipso non confertur ei jurisdictio necessaria ad hoc, ut valide possit absolvere; & si forte jure ecclesiastico consecrationi in Episcopum plerumque annexa sit, dum ordinarie non ordinatur quis in Episcopum nisi assignata ei ecclesia saltem in partibus infidelium, cum qua ecclesia contrahere dicitur matrimonium, ad quod requiritur liber consensus. Ita probabilius tenent Sot. *in 4. dist. 25. q. 1. a. 2. concl. 2.* Vasq. *d. 246. c. 2. num. 11.* Bonac. *d. 8. de Sacram. q. unic. p. 5. num. 4.* Filiuc. *tr. 9. c. 4. q. 2. num. 76.* quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit. p. 7. num. 5.* contra D. Thom. & Bonac. *LL. cit.*

2. Resp. secundo. Tametsi idem, quod de infante dictum, dicendum sit de adulto, qui nunquam usum rationis habuit, amens tamen, qui aliquando usum rationis habuit (idem dicendum videtur de plane ebrio) valide ordinari nequit, si tempore, quo usus ratione, ordinem non postulavit, & consensum illum dein contraria voluntate non retractavit. Vasq. *loc. cit. num. 8.* Coninck. *d. 20. du. 10. num. 100.* Bonac. *num. 4.* Castrop. *num. 4.* siquidem, ut iidem, Sacramenta, quæ necessitatis non sunt sed voluntatis, repelli censentur, si non fuerint postulata tempore, quo libere postulari poterant.

QUÆSTIO CCCCXCVI.

An & qualiter per vim coactus prohibeatur jure divino ordinari.

1. RESp. Jure divino naturali irritus est ordo, ad quem suscipiendum cogitur quis per violentiam ei illatam, ita ut absolute reclamet, nec ullo modo consentiat. In adultis enim ad valorem Sacramenti dicto jure requiritur intentio aliqua, saltem habitualis, uti hæc constant, *ex c. majores.*

2. Resp. secundo. Secus tamen est, seu valet ordo, ad quem suscipiendum cogitur quis per metum gravem seu cadentem in constantem virum injuste incussum; cum metum talem passus simpliciter adhuc consentiat, & coacta voluntas sit voluntas, *c. 1. juncta gl. v. vult, caus. 15. q. 1.* Non tamen talis obligatur voto continentiæ ordini ex constitutione ecclesiastica annexo, uti nec ad horas. Nav. *in man. Prælat. c. 22. num. 51.* Sylv. *v. ordo 4. q. 1.* Sanch. *de mat. l. 7. d. 29. n. 5.* Pirh. *loc. cit. num. 8.* Ordinatus enim ordine majore ad continentiam non tenetur vi præcise ordinis, utpote cui ea jure divino annexa non est, ut patet in sacerdotibus orientalibus, sed ratione voti, de servanda continentia ex constitutione Ecclesiæ ei accidentaliter annexo, ut D. Thom. *2. 2. q. 88. a. 11. in corp.* cum communi. Votum autem hoc extortum gravi metu injuste incusso est nullum. AA. communiter *c. 1. de his, quæ vi & metu.* Neque quoad hoc punctum par est ratio in baptizato per metum gravem injuste incussum, dum hic nihilominus tenetur vivere ut baptizatus, & fidem Christianam profiteri, juxta *c. de Judæis, d. 45.* & *ibi* Gl. *verf. coacti*, item *cit. c. majores*; quia obligatio profitendi fidem seu religionem Christianam essentialiter suapte natura adeoque jure divino est annexa Characteri Baptismi, utpote qui non tam votum, quam professio quædam religionis est. Pirh. *loc. cit.* obligatio vero servandi continentiam solum est ex voto implicito accidentaliter solum jure humano inducto & annexo Ordini Sacro, quam proinde obligationem irritare potest dictus metus, etsi quæ annexa ordini essentialiter, irritare nequeat.

3. Quod si tamen sic ordinatus per metum gravem injuste incussum, sciens votum continentiæ ordini annexum per vim sibi extortum esse nullum, dein tacite vel expresse verbo vel facto V. gr. ministrando in ordine suscepto ratificet illud, tenebitur imposterum ad continentiam servandam aliaque onera ordini annexa. Si tamen nesciens, votum a se emissum esse nullum, sed putans se teneri ad continentiam, per illud exercitium ordinis non tenebitur adhuc ad servandam imposterum continentiam; quia sic non censetur ratihabuisse suum votum; cum ad ratificandum actum invalidum necessario requiratur, ut ratificans eum invalidum agnoscat, seque ex eo non obligari.

4. Sic etiam, si superior ob causam necessitatis justo præcepto cogat aliquem ad Ordinem Sacrum suscipiendum; Sic coactus tenebitur ad continentiam. Siquidem vim injustam nullam seu injuriam passus; adeoque jura ei non assistunt annullando votum justo metu emissum. Pirh. *l. c. n. 9.* cum Sanch. *ubi ante n. 10.* Idem est, dum quis gravibus pœnis intentatis juste coactus est ad suscipiendum ordinem. V. g. habens beneficium requirens certum ordinem intentata subtractione fructuum, privatione beneficii, similibusque pœnis. Pirh. *l. c.* citans Piasec. *in pr. Episc. p. 1. c. 1. a. 6. n. 7.* & *c. licite de elect. in 6. clem. 2. de iis qui atat. qualit. &c.*

§. 2.

§. 2.

De iis, qui jure ecclesiastico incapaces sunt ordinum, sive de qualitatibus jure ecclesiastico requisitis in ordinando, & in specie de qualitatibus quasi physicis.

QUÆSTIO CCCCXCVII.

Quinam jure ecclesiastico prohibeantur ordinari.

RESp. sequentes. Ætate legitima carentes, illiterati, corporo vitiati, illegitimi, uxorati & bigami, servi, obligati ad ratiocinia, criminosi, infames, censuris Canonicis irretiti, & in genere omnes irregulares. Quarum qualitatum quædam quasi physicæ, nempe ætas, scientia, integritas corporis; aliæ morales, ut illegitimitas, bigamia, conditio servilis, criminositas, infamia, obligatio ad ratiocinia, censuratio &c. Harum aliquæ tam physicarum quam moralium hic examinandæ veniunt, ceteræ peculiaribus suis titulis servato juris Can. ordine reservantur.

QUÆSTIO CCCCXCVIII.

Quæ ætas requiratur in ordinando.

1. RESp. primo in genere. Ætatem certam ad licitam ordinationem requiri, apud omnes certum est, & quidem quæ annos discretionis attingat; cum non deceat constituere ministros ecclesiæ inscios sui muneris & potestatis traditæ. Castrop. *tr. 27. d. unic. p. 7. n. 6.*

2. Resp. secundo in specie. Ad primam Tonsuram, etsi proprie ordo non sit, quia tamen reponit in ordine ecclesiastico, & disponit ad ordines proprie tales requiruntur anni discretionis, & in specie annus septimus ætatis, ut constat ex *c. nullus h. t. in 6.* ubi præcipitur, ne ullus Episcopus infanti (minori septennio inquit ibidem Gl.) clericalem tonsuram conferre præsumat. Pirh. *h. t. n. 11.* citans Gl. *ubi ante* & quidem completus. Pirh. *l. c.* Barbos. *in c. cum in cunctis de elect. n. 3.* citatis quam plurimis. Verum limitat hoc ipsum Laym. *in cit. c. nullus* citans Anchoran. nisi forte minor 7. annis religionem intraret, videlicet a parentibus vel tutoribus oblatus, pro ut olim moris erat. Quod ipsum sublimitat Tiberius *in instruct. ordinand. q. 58.* his verbis: *infanti dari posset* (intellige tonsura) *in iis locis, in quibus non obligat Trident. quando ingressurus religionem.* Limitandum tamen etiam in genere videtur, nimirum, quod, cum non requirantur nisi anni discretionis (qui non præsumuntur adesse ante septennium, pro ut communius accidit) si hic & nunc ante septennium dicta discretio adesset, sciretque puer rudimenta fidei, legere & scribere, pro ut requiritur ad primam tonsuram, posse illum eam licite recipere ante septennium sentit Quintanadven. apud Sennyci in examine ordinandor. *p. 1. c. 2. n. 23.*

3. Resp. tertio. Ad ordines minores licite suscipiendos, licet non parem omnes ætatem requirant. Dum Armill. *v. ordines* Henriq. Moneta apud Barbos. *l. c.* ad Acolythatum 12. ad reliquos tres septennium requirunt, quorum sententiam sequitur & cummuniorem dicit Engels *ad tit. de ætat. & qualit. n. 1.* citato pro hoc Barbos. *de off. Episcop. p. 2. alleg. 11. n. 1.* Idem dum Soto *in 4. dist. 25. q. 1. a. 2.* Campanil. (quorum opinioni se libenter assentiri ait Barbos. *in c. cum in cunctis de elect. n. 4*) dicens videri requiri annos 14. ad Acolythatum, ad reliquos tres 12. Probabilis tamen, si non probabilior, est sententia, quæ docet, quod, cum nulla ætas sit præscripta a Trident. nihilque quo ad eos innovatum, requiratur & sufficiat ea ætas, quam jus commune requirit juxta Declarat. S. Cong. Concil. apud Pialec. *in pr. episc. p. 1. c. 1. n. n. 1.* nimirum ætas major infantia, quæ est septennium completum, ut Gl. *in clem. ult. de ætat. & qualit.* hanc sententiam tenent Pirh. *l. c. n. 13.* Tiber. *in instruct. ordin.* citans pro ea Toletum *l. 1. c. 48. n. 4* Nav. &c. Quamvis & hic locum habere posse videatur limitatio prior. nempe posse ad hos ordines promoveri illum, qui ante septennium polleret usu rationis & scientia requisita ad illos a Trident. *sess. 23. c. 1. & 11.* Dico; qui haberet dictam scientiam. Nam, ut inquit Castr. *l. c. n. 6.* raro ante annos novem vel decem præsumi potest ea scientia & discretione pollere, quæ ad primam tonsuram, & a fortiore ad exercitium muneris commissi in aliis ordinibus sufficiat, quemadmodum notasse ait Vasq. *d. 246. c. 4. n. 41.* Con. *d. 20. du. 10. n. 102.* Illud etiam hic notandum cum Engels, quod dum aliqui Canones in his ordinibus majorem (puta septennio vel novennio) ætatem præscribant, ut *c. nemo dist. 78.* ii explicandi sint, non de receptione horum ordinum, sed de eorum exercitio, ut nimirum nemo assumatur ad illos exercendos, nisi saltem arbitrio Episcopi in ætate ad hoc idonea constitutus.

4. Resp. quarto. Ad Subdiaconatum olim requirebantur anni 20. ad Diaconatum 25. *c. quicunque dist. 77.* Dein statuti pro Subdiaconatu anni 18. pro Diaconatu anni 20. *clem. ult. de ætat. & qual.* Hodie vero jure novo Tridentini *sess. 23. c. 12.* nullus promoveri potest ad Subdiaconatum ante annum 22. ad Diaconatum ante annum 23. Non requiritur tamen, ut omnes illi sint completi, sed sufficit attactos seu incæptos esse. Castrop. *cit. n. 6.* Engels *l. c. n. 3.* Laym. *l. 5. tr. 9. c. 7. n. 1.* Barbos. *in c. cum in cunctis de elect. num. 51* citans immensam turbam AA. consistit enim hæc sententia optime cum verbis Trident. dum non ordinatur ante 22. annum, qui hunc agere incepit, pro ut hoc ab Engels *l. c.* comprobatur ex jure civili, in quo natus septimo mense legitimus partus habetur, tametsi 182. die, & ita (computando more Græcorum 30. dies pro uno mense) ad initium septimi mensis natus fuerit. Et certe, dum Canones non determinant, an anni isti requisiti ad ordinationem licitam debeant esse completi, an sufficiat, eos incæptos, in dubio, quod favorabilius est, sequimur juxta *reg. 30. juris in 6.* Item jure antiquo anni isti incæpti solum sufficiebant, ut constat ex *clem. cit.* juncta Gl. *v. in decimo octavo anno*; jus autem novum, quantum fieri potest, & non nisi ubi obstat textus expressus contrarium, conformandum antiquo. Quin etiam in horum annorum computatione numerandus non est dies bis sextus; cum annus in jure determinatus intelligatur dierum 365. Engels *l. c. n. 5.* Barbos. *l. c.* citans Henriq. *l. 10. c. 2. §. 2.* Riccium *in pr. for. eccl. resolut. 276.* & seipsum *de potest. Ep. p. 3. alleg. 20. n. 2.* contra Bonac. *de sacram. ord. d. 8. q. unic. p. 5. n. 14. &c.*

5. Resp. quinto. Ad sacerdotium olim requirebantur anni 30. completi *c. placuit c. Episcopus cit. dist. 77.* postmodum statutum tam *in cit. clem. ult.* quam in Trid. *cit. c. 12.* ut nullus ante anno 25. promoveretur Sacerdos. Sufficit hic quoque annum illum 25. incæptum esse. Barbos. *l. c.* Engels. Pirh. *LL. cit.* & apud hunc Sanch. *l. 7. cons. c. 1. du. 33.* & comprobans exemplo beneficii curati, ad quod obtinendum sufficiunt anni 25. incæpti. Extenditur hoc ipsum ad regulares, quorum privilegiis vivæ vocis oraculo alias forte concessis, ut quamprimum attigerunt 23. annum ætatis possint promoveri ad sacerdotium, & Missas celebrare, derogatum est. Laym. *l. 5. tr. 19. c. 7. n. 1.* Pirh. *l. c. n. 11.* id ipsum ostendit Castrop. *l. c.*

6. Resp. sexto. Ad Episcopatum, ut quis ordinetur, requirunt anni 30. completi juxta *c. cum in cunctis ad elect.* Neque in hoc quicquam immutavit Trid. Idque exemplo Christi, qui cum esset annorum 30. cœpit prædicare *Luc. 3.* de quo vide Laym. *l. c.* Porro, dum requiritur annus completus, probabiliter sufficit diem ultimum esse incæptum, ita ut quis licite possit ordinari, etiamsi aliquot horæ ad complementum ætatis desint; quia in favorabilibus dies cæptus habetur pro completo. Argum. *l. aqua ff. de iis, qui testam. facere poss.* ita tenent Pirh. *l. c. n. 12.* & citati ab eo. Dian. *p. 3. tr. 16. resol. 27. & p. 5. resol. 17.* Sanch. *l. c. n. 6.* contra Barbos. *in collect. ad Trid. ad cit. c. 12. n. 3.* cui inhærere videtur Engels *l. c. n. 5.* Cujus tamen sententia in tantum vera videtur, ut dum requiruntur ad Sacerdotium anni 25. inchoati, non sufficiat in anno 24. etiam horam deesse; quia tunc revera annus 25. non esset attactus seu inchoatus. De cetero, dum in dubio est, an quis compleverit requisitam ætatem, non poterit ordinari; quia præceptum de non ordinando ante præscriptam ætatem est in possessione & certum, adeoque vincit ejus dubium. Pirh. *cit. n. 12.* Dian. *p. 4. tr. 3. resol. 21.*

QUÆSTIO CCCCXCIX.

Utrum Episcopus dispensare possit in ætate in Ordine ad suscipiendos Ordines.

RESp. eum citra privilegium ei a Papa concessum (uti id pluribus Episcopis concedi solet) non posse dispensare in ætate secundum universalis Ecclesiæ Canones requisita ad Ordines. Pirh. *h. t. n.* 12. cum Gl. *in cit. Clem. ultim. v. anno*; nequit enim Episcopus relaxare jus commune Canonicum vel Concilii generalis.

QUÆSTIO D.

Qualiter ætas probetur.

1. RESp. primo. Ætas cujusque probatur optime & faciliore via per librum baptismalem. Probatur enim sic veluti ex professione parentum apud acta publica juxta *l. etiam ff. de probat.* Lotter. *de re benef. l. 2. q. 49. n. 32.* citans Mascard. *de probat. concl.* 1147. Mandos. *ad reg. 18. q. 10. n. 4.* &c. Secundo ex libro Patris, in quo, ut fieri solet, dies nativitatis filii annotatur. Lotter. *l. c. n.* 33. Barbos. *in c. super eo de testib.* citans Menoch. *conf.* 33. *n.* 34. & alios quamplur. Et quidem hic liber cessante omni fraude plene probat. Lott. *l. c.* & apud illum Salicet. *in l. si minorem n.* 10. *C. de in integ. rest.* Idque etiam si adesset conjectura vel præsumptio in contrarium, puta, quia ipse filius professus esset, se esse minorem aut majorem ætate. Lotter. *n.* 34. citans Socin. Jun. *conf.* 3. *ex n.* 3. *vol.* 2. Alciat. *reg.* 2. *præsump.* 14. *n.* 5. Tertio per testes. Lotter. *n.* 35. etiam singulares, ut Barbos. *ad c. in omni negotio de testib. n.* 54. citans Farinac. *in pr. crim. p.* 2. *q.* 26. *num.* 268. Lotter. *l. c. num.* 36. citans Rotam *in Trid. Canonicatus* 3. *Martii* 1606. quin & per testes de credulitate, hoc est, dicentes, se credere sic esse. Barbos. *in c. quoties de testib. n.* 9. citans Menoch. *de arb. casu* 196. *n.* 1. *& seq.* De cetero debent hi testes saltem 14. annis excedere ætatem illius, de quo agitur; alias enim factum nativitatis, a quo ætas sumit initium, non poterit cadere sub eorum sensum tempore ætatis discretæ. Lotter. *n.* 35. citans Salicet *ubi ante n.* 3. Felin. *in c. literis de præsump. n.* 7. Menoch. *de præsump. præsump.* 51. *n.* 48. &c. Aitque, supposita hac testium legitima ætate, optimam per illos ætatem probandi rationem esse, si assererent, se nativitatem & tempus observasse; quia essent consanguinei vel vicini, vel referunt factum notabile contemporaneum, quod eorum memoriæ verisimiliter hæsisset v. g. nativitatem proprii filii vel fratris. Possunt quoque parentes esse testes idonei ad probandam ætatem prolium juxta *l. etiam ff. de prob.* Barbos. *in c. super eo de testib. num.* 16. citans Menoch. *de præsump. l.* 2. *præs.* 55. *n.* 11. Item Lotter. *l. c. n.* 44. qui etiam *n.* 45. citatis Salicet. & Rota *ubi ante* ait, id quoque procedere de parentibus spiritualibus, qui baptizatum a sacro fonte levarunt. Neque excluduntur domestici tanquam verisimilius informati de veritate. Lott. *n.* 47. cum Ruin. *l.* 1. *conf.* 194. *num.* 3. Quarto, cum materia hæc ætatis sit difficilis probationis, admittit etiam conjecturas & præsumptiones. Lotter. *n.* 38. citans Alciat. *ubi supra n.* 5. Rotam *decis.* 260. *n.* 1. *p.* 2. *divers.* Et sic probari ætatem per aspectum circa quod postremum illud notandum ex eodem, quod etsi tales conjecturæ & præsumptiones deserviant ipsi justificanti suam habilitatem ex ætate pro consequenda v. g. ordine, beneficio &c. non tamen id sufficere objicienti defectum ætatis pro repellendo illo a possessione v. gr. beneficii, nisi per necessitatem concluderent.

QUÆSTIO DI.

Quænam sit pœna ordinatorum ante legitimam ætatem.

1. RESp. si id sit factum culpa & ex malitia ordinati, suspenditur ab Ordinis exercitio. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 10. *n.* 8. juxta *Extrav.* Pii II. cum ex sacrorum, quæ exstat apud Quarant *in sum. Bullar. v. Ordo* Nav. *in c. accepta de rest. spoliat. opposit.* 8. *num.* 32. *& in sum. c.* 27. *n.* 155. de qua suspensione etsi olim dubitatum, an fuerit latæ sententiæ an ferendæ; modo tamen post dictam *Extrav.* certum est, esse latæ sententiæ. Laym. *l. c.* Fagn. *in c. vel non est compos. h. t. n.* 11. Neque tamen talis suspensus est ab exercitio aliorum Ordinum. Laym *l. c.* citans Henriq. *l.* 13. *c.* 38. *n.* 1. Suar. Avil. &c. cujus tamen contrarium tenent Fagn. *l. c. n.* 14. quod ponderando verba illa: *ad aliquem & in iisdem*, minastrans non tantum in ordine, ad quem ante legitimam ætatem promotus, sed etiam ministrans in aliis Ordinibus majoribus, quos in legitimam ætatem suscepit, incurrat dictam irregularitatem. Neque juxta Suar. impeditus est, quo minus Ordinem superiorem suscipiat. Quod si tamen talis suspensus ob susceptum ante legitimam ætatem Ordinem dein bona fide, vel saltem sine culpa mortali, in suscepto ordine ministret: quia ob ignorantiam juris vel facti putat id sibi licitum, non incurrit irregularitatem (quæ alias jure communi contrahitur propter abusum Ordinis, a quo quis suspensus est) Laym. *l. c.* uti eam adhuc incurreret, si ignorantia hæc foret crassa & mortaliter mala. Laym. *loc. cit.* contra Avilam docentem, excusare omnem ignorantiam etiam crassam, modo non sit affectata. Quod si vero ante legitimam ætatem Ordo susceptus bona fide, non quidem suspensus est, cum prædicta Bulla exigat dolum. Engels *de ætate & qual. n.* 7. Castr. *l. c.* citans Tolet. *l.* 1. *c.* 49. *vers. quarto* Bonac. *d.* 8. *de Sacram. q. unic. part.* 5. *n.* 13. Barbos. Villalob. &c. Neque tamen etiam adhuc talis ordinatus ante ætatem legitimam exercere poterit Ordinem susceptum, sive a suspensione incursa absolutus fuerit, sive eam non incurrerit; eo quod Concilium prohibens ordinari aliquem ante præscriptam ætatem, prohibeat quoque exercitium Ordinis ante illam. Laym. *l. c. n.* 3. Castrop. citans Suar. *de cens. d.* 35. *l.* 1. *n.* 23. Bonac. *ubi ante n.* 13. Idque ne quidem de licentia Episcopi; esset enim talis licentia dispensatio super ætate contra Canones, quæ Episcopo non competit. Engels *ad tit. de ætat. & qual. n.* 6. citans Grac. *de benef. p.* 3. *c.* 9. *num.* 51. qui id decisum a S. Congreg. referat. Si tamen talis susceptum ordinem ante completam ætatem scienter exerceat, graviter quidem peccat, non tamen incurrit irregularitatem. Castrop. citans Suar. Bonac. Tolet. *LL. cit.* Imo si mala fide ordinatus ante legitimam ætatem ministrat ex tolerabili ignorantia dictæ Bullæ seu *Extrav.* Pii II. probabile esse, cum neque censuram, neque irregularitatem incurrere eo quod ignorantia censuræ excuset a censura, ait Engels *ad tit. de ætate &c. n.* 7. citatis Nav. *in man. c.* 27. *n.* 155. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. *§.* 2. *n.* 4. ubi etiam addit Engels juxta Nav. *de off. deleg. cons.* 4. *num.* 2. quod ignorantia Bullæ excuset a peccato & consequenter a censura. De cetero, quod docet Barbos. *de off. & potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 16. *num.* 16. Presbyterum mala fide ordinatum ante legitimam ætatem in ipsa ordinationis Missa incurrere irregularitatem; eo quod Episcopo celebranti concelebret, id reprobat Engels *l. c. n.* 10. citans Zypæum *in Analys. juris pontif. tit. de ordinand. n.* 8. eo quod Ecclesia illam Missam, in qua Presbyteri ordinantur respectu illorum non habeat pro actu celebrationis, sed pro actu ordinationis; ne unus idemque actus duplici pœna suspensionis & irregularitatis puniatur; & certe non dicatur proprie celebrare aut Missam dicere, qui ad altare non accedit, nec seipsum sub utraque specie communicat; in pœnis autem termini sint accipiendi proprie ac strictissime.

2. Porro incursam suspensionem ab ordinato ante legitimam ætatem non esse temporalem seu durantem solummodo usque ad requisitam ætatem ita ut tunc absque ulla absolutione ab ea possit ministrare in suscepto Ordine, sed esse perpetua, seu durare etiam post attactam illam ætatem, donec ab ea absolvatur, tenet Fagn. *in c. vel compos. h. t. n.* 13. eo quod cum simpliciter & indeterminate lata, nostrum non sit eam limitare ad certum tempus, & jura, ubi volunt suspensionem esse temporalem, id soleant exprimere *c. eos h. t. in* 6. Item quod dicta constitutio Pii II sub unica determinatione & verborum structura decernat, suspensos esse ipso jure ordinatos extra tempora, ante ætatem legitimam, sine dimissoriis; adeoque, cum ordinati in primo & tertio casu sint suspensi, quamdiu absolutionem non obtinuerint, idem dicendum erit de ordinatis in secundo casu, nimirum ante legitimam ætatem. Fagn. Pirh. *LL. cit.* citantes Rebuff. Suspensionem tamen hanc non esse reservatam, sed ab ea absolvere posse simplicem Sacerdotem, tenet Card. de Lugo *in resp. mor. du.* 10. *in fine* apud Engels *ad tit. de ætat. & qual. n.* 6. Contrarium tamen insinuat Pirh. *l. c. n.* 96. nimirum quod censura hæc suspensionis auferri debeat ab Episcopo vel confessario privilegiato.

3. De cetero circa dictam constit. Pii II. notanda insuper sunt sequentia. Primo, quod ea, etsi loqui solum videatur de Clericis sæcularibus, ejus tamen dispositio extendenda sit quoque ad Regulares. Pirh. *l. c. n.* 95. ex Mirand. *tom.* 1. *q.* 39. *n.* 6. probante id ex constitutione Sixti V. & quia in materia æqualiter respiciente Clericos sæculares & regulares (qualis est materia circa Ordines recipiendos) nomine Clericorum comprehendantur etiam regulares. Secundo quod

suspen-

ſuſpenſus ab Ordinum executione non ſit inhabilis ad beneficium eccleſiaſticum (intellige requirens talem Ordinem) Argum. *c. vel non cit.* Pirh. *l. c. n.* 96. Tertio dictam conſtitionem tantum loqui de Sacris Ordinibus, ut quia ad aliquem ex iis ante legitimam ætatem ſe fecerint promoveri, a ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint, etſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in iiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant, & ultra alias pænas beneficiis eccleſiaſticis poſſint jure privari. Ideoque, qui ad minores Ordines tantum ante requiſitam ætatem promotus eſt (intellige, etiam cum culpa ſeu mala fide) ſi in iis miniſtret, non incurrat ſuſpenſionem proprie talem, vel etiam irregularitatem, quamvis prohibeatur ab exercitio ordinis ſuſcepti, tum in odium & pænam male ordinantis, tum etiam propter defectum ordinati, ut gl. magna *hic v. injuriam* & ob injuriam Sacramento Ordinis illatam; ac ideo, etſi peccet miniſtrando (intellige, ſi ſciat hunc ſuum defectum) poſſit tamen licite citra omnem diſpenſationem miniſtrare (cujus contrarium eſt in eo, qui ſuſpenſionem proprie dictam incurrit) ubi ad ætatem requiſitam pervenerit. Pirh. *cit. n.* 96. Laym. *th. mor. tr. 9. c. 10. n.* 2. quod autem dictum hic eſt de pæna ſtatuta ordinato ante legitimam ætatem, idem eſt de promoto extra ſtatuta tempora, & de promoto ad Ordines ſine dimiſſoriis, ut conſtat ex dicta Bulla Pii II. apud Fagn. *l. c.* Qualem vero pænam incurrat ordinans in trino illo caſu: pariter conſtat ex eadem Bulla. Sed de hoc infra, ubi de miniſtro Ordinis vide etiam de eo tantiſper Pirh. *h. t. n.* 92.

QUÆSTIO DII.

An & qualis literatura ſeu ſcientia requiratur in ſuſcipiente Ordines.

1. RESp. primo in genere. Ordinari prohibentur illiterati juxta illud *c. 1. diſt. 36. literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis*. Tales autem ſunt, qui vel literarum omnino ignari ſunt, vel non eam ſcientiam habent, quæ ad cujuſque Ordinis ſuſceptionem ſeu executionem requiritur. Pirh. *h. t. num.* 13. quamvis alias illiterati ſimpliciter tales (qui etiam proprie illiterati dicuntur) dicantur ii, qui non in toto rudes, ad literas altiores provecti non ſunt, ut Seneca *de benef. l. 5. q.* 13. penitus vero illiterati dicantur, qui nullas aut modicas literas ſciunt, norunt tamen ſcribere & legere in vulgari, ut Rebuff. *de parif. poſſeſſor. n.* 262. dum autem ex *c. ult. h. t. in* 6. dicitur, ne quidem primam tonſuram illiterato conferri poſſe, majorem adhuc intelligi ruditatem ſeu illiteraturam patet; eo quod juxta declarationem Trid. *Seſſ. 23. c. 4. de reform.* ad primam tonſuram ſufficiat, ſcire fundamenta fidei, legere ac ſcribere ſaltem ut Caſtrop. *tr. 27. de unic. p. 8. n.* 10. Pirh. *l. c.* citantes Azor. *Inſt. mor. p. 2. l. 6. c. 6. q.* 2. Barboſ *de pot. Epiſc. alleg. 11. n.* 5. in lingua nativa ſeu vulgari & vernacula.

2. Reſp. ſecundo in ſpecie. Ad Ordines minores in ordinando requiritur ex præſcripto Trid. *l. c. cap.* 11. intelligentia linguæ latinæ; & quidem pro tempore collationis Ordinum juxta Caſtrop. *l. c.* dum ait, diſplicere ſibi omnino ſententiam, utpote adverſantem verbis Concilii & communi DD. quam Menoch. *de arb. caſu 425. n. 57. & ſeq.* Barboſ. *alleg. 11. n.* 6. &c. docent, nimirum id relinquendum arbitrio Epiſcopi, ut is minores Ordines conferat ei, qui etſi linguam latinam non intelligit, eſt tamen ingenii docilis, eo quod Trid. *l. c.* dicat: *minores Ordines iis, qui ſaltem linguam Latinam intelligant per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo videbitur* &c. & illiteratus dici non debeat, qui pro ætate didicit, & inſuper oſtendit, ſe pro tempore proficere poſſe, ut tradit Turrecrem. *in c. illiteratus diſt.* 36. Rebuff. *de parif. poſſeſſ. n.* 201. Rationem bonam ſubjungit. Caſtr. nimirum quod dicta verba: *niſi aliud Epiſcopo videbitur*: referenda non ſint ad qualitatem ſcientiæ, ſed ad dicta interſtitia; idque juxta ſenſum communem, & talem a Menochio deſcriptum dici non poſſe. Concilium tamen pro minoribus non tantum poſtularit, ne illiteratus eſſet, ſed inſuper calleat linguam latinam, & alias videretur non requiſiviſſe ſpecialem & majorem doctrinam pro his Ordinibus, quam pro prima tonſura. Ordinandos his ordinibus inſuper noſſe debere, quæ ſunt ſui officii, quo ad oſtiarium ſpectat, eccleſiam cuſtodire, dignos admittere, excludere indignos, ait Engels *ad tit. de ſcrutin. ſervand. in ord. n.* 6. de quo tamen nihil Concilium.

3. Reſp. tertio ad Subdiaconatum & Diaconatum requiri a Trid. *cit. c.* 13. ut ordinatus præter linguam latinam ſciat, quæ ad peragendum ſuum officium ſunt neceſſaria v. g. ut Subdiaconus ſciat, quod & qualiter in ſolenni officio calicem ad altare deferre, canere Epiſtolam, & mediante Diacono ad altare miniſtrare, recitare horas Canonicas debeat, quodque teneatur ad continentiam & habitum clericalem. Ait tamen Caſtrop. *l. c. n.* 12. ſatis conferi illum in iis inſtructum, ſi habeat voluntatem legendi rubricas breviarii & miſſalis; cum ex illis facile diſcere poſſit, qualiter munus ſibi injunctum vi Ordinis peragere debeat, & ſic ex praxi colligi ait ex Vaſq. *d. 246. c. 6. n.* 58. Con. *d. 20. du. 10. num.* 103.

4. Reſp. quarto. Ad Sacerdotium requiritur a Trid. *l. c. c.* 14. ultra ſupradicta tanta ſcientia, tum ut docere poſſit populum ea, quæ ſcitu neceſſaria ſunt omnibus ad ſalutem; tum quæ ad miniſtranda Sacramenta pertinent. Circa quod illud notat Caſtrop. *cit. p. 8. n.* 23. contra Vaſq. *d. 246. c. 6. num.* 53. Con. *l. c.* Laym. *l. c. n. 7. n.* 2. per ſcientiam requiſitam pro Sacerdotio ſuſcipiendo non intelligi ſeu comprehendi ſcientiam neceſſariam ad miniſtrandum Sacramentum pænitentiæ, ſed eam ſolam, quæ ad miniſtranda Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ requiritur; cum hæc ſint Sacramenta, quæ communiter a Sacerdotibus ſimplicibus miniſtrari ſolent. De cetero requiritur ſcientia illa actu in promovendo ad Sacerdotium. Unde recte docet Fagn. *in c. cum in cunctis de elect.* ſtante hoc decreto Trid. promoveri non poſſe ad Sacerdotium parum ſcientes, qui tamen ſunt dociles & apti ad docendum. Idque nequidem diſpenſative & ex magna cauſa; cum Epiſcopi in illo Concilii decreto diſpenſare nequeant, ne quidem ex magna cauſa. Sic quoque, dum quæritur de ſcientia requiſita ad beneficium ſimplex, quod ſimul Ordinem & adminiſtrationem annexam habet, adeoque ſcientia neceſſaria in promovendo menſuram recipere debet & ab Ordine & ab adminiſtratione hoc faciendum eſſe diſcrimen, tradit Lotter. *de re benef. l. 2. q. 50. n.* 54. ut ſcientia, quæ ad Ordinem ſpectat, exigatur actu, quæ ad adminiſtrationem, ſaltem aptitudine requiratur.

5. Reſp. quinto. Ad Epiſcopatum requiritur competens aliqua notitia S. Scripturæ, myſteriorum fidei, traditionum, Conciliorum, Theologiæ tam ſpeculativæ quam moralis & SS. Canonum, ut quæ ſunt fidei & morum, docere, gregemque ſuum ab hæreticorum erroribus defendere, jus dicere, & reſponſa dare valeat *c. qui Epiſcopus c. qui eccleſiaſticis & c. fin. diſt. 36. c. omnes c. nulli diſt.* 38. Vide Leſſ. *de jure & Juſt. l. 2. cap. 34. du.* 24. Azor. *p. 2. l. 3. c. 28. & l. 6. c. 6. q.* 11. Barboſ. *in c. cum in cunctis de elect. n.* 7. Non tamen requiritur, ut hæc ſcientia ſit eminens *c. niſi de renunc.* Sed ſufficit tantam adjunctam eſſe prudentiam & rerum experientiam, ut erroribus & deceptionibus obnoxius non ſit; ſed inter bonum & malum, aptum & ineptum a ſuis adjutoribus & officialibus ſuggeſtum conſilium valeat diſcernere. Laym. *ad cit. c. cum in cunctis n.* 5. Argum. *c. nullus diſt.* 28.

QUÆSTIO DIII.

An illa decreta Concilii Trident. de ſcientia neceſſaria locum quoque habeant in regularibus.

RESp. affirmative. Eo quod, dum jura non faciunt diſcrimen (uti in hoc Concilium illud diſcrimen facit) inter Clericos ſæculares & regulares, nec nos illud facere debeamus, præſertim nulla ratione urgente. Nihilominus, quod ſpectat ad intelligentiam linguæ latinæ, etſi aliqualem requirant omnes, minorem tamen in Religioſo quam in Clerico ſæculari ejus intelligentiam expoſtulari, tanquam verius exiſtimat Caſtrop. *l. c. n.* 17. citans pro hoc Abb. *in c. cum in cunctis n.* 3. D. Thom. *in 4. diſt. 24. q. 1. a.* 3. Mirand. *in man. Prælator. tom. 3. q. 8. a.* 7. Rodriq. *tom. 2. qq. regular. q. 24. ar.* 7 Henriq. *lib. 10. de ord. cap. 16. in fine &c.* ex quibus. Henriq. Mirand. Rodriq. aliique ab iis relati credunt, Religioſo ſufficere ut omnibus Ordinibus, etiam Presbyteratu, ordinetur, ſi Sacramenta eorumque materias & formas agnoſcat & recte legere latine ſciat, tametſi latinæ linguæ parum intelligat. Ratio prima quam dat Caſtrop. parum urget, uti & ea quam ſubdit, dum ait, favere huic ſententiæ textum *in c. nullus Epiſcopus h. t. in* 6. ubi infanti & illiterato prohibetur Epiſcopus primam tonſuram conferre, niſi religionem intraret; nam quantum ſpectat ad infantem, quid ibi per religionem intrare intelligatur, dictum eſt ſupra, ubi quæ ætas requiratur ad primam tonſuram.

QUÆSTIO DIV.

Ignorantia & scientia qualiter probentur.

1. RESp. primo. Literarum inscitia, cum per testes deponentes talem non frequentasse scholam, aut instructorem audivisse, vel libros legisse, concludenter non probetur, ut censent Abb. *in c. ult. de ætat. & qual. n.* 2. Sayr. *in thesaur. l.* 6. *c.* 3. *n.* 4. Sed solum ex eo fiat simplex aliqua præsumptio ignorantiæ; ad comprobandam ignorantiam opus erit examine. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 50. *n.* 61.

2. Scientia literarum, cum non sit cognita, sed ex labore & industria homini contingeus in nullo præsumitur, sed eget justificatione. Lott. *l. c. n.* 62. Neque etiam per testes, eriam deponentes de gradu v. g. Doctoratus obtenti (quamvis id faciat præsumptionem aliquam idoneitaris) concludenter probari queat, non aliter quam mediante examine internosci & probari poterit. Lotter. *n.* 65. Ita etiam, ut ipsa testificatio Magistrorum de peritia discipuli supponat examen, utpote vi cujus, dum sæpe discipulum interrogantes, & ab eo responsum accipientes illius scientiam deprehenderunt; plura de hoc vide apud me *in for. benef. part.* 3. *quæst.* 251. *num.* 4.

QUÆSTIO DV.

An & a quo dispensari possit in scientia requisita ad Ordines.

1. RESp. primo. Tametsi in dubio, an ordinandus sufficientem scientiam habeat, id Episcopi arbitrio determinandum relinquatur. Pirh. *l. c. n.* 13. juxta declar. S. Cong. Concil. apud Gallemart. *ad cit. c.* 14. *Trid. n.* 2. licet etiam juxta Castr. *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 6. *n.* 12. & Azor. possit quandoque (quamvis id raro faciendum. Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 54.) ex justa causa conferre beneficium ei, qui parum scit (dummodom tamen actu habeat scientiam ad primam tonsuram, sine qua est incapax beneficii) creditur tamen brevi tempore profecturus; cum possit pro aliquo tempore in obligatinne annexa beneficio dispensare; non potest tamen dispensare in scientia requisita (intellige etiam ex jure humano, puta communi, vel conciliari) ad ordines etiam minores, ita ut durante ignorantia quis ad illos promoveatur. Felin. *in c. at si clericus de Iudic. num.* 21. Suar. *de cens. d.* 51. *s.* 1. *num.* 9. cum communi; cum Concilium requirat illam scientiam actu in ordinando, secus ac contingit in promovendis ad beneficium simplex nullum habens annexum ordinem. Er nullibi Episcopo concesso legatur dicta potestas dispensandi.

2. Resp. secundo. Tametsi Papa in scientia præcise jure humano, etiam ex præscripto Concilii generalis necessaria ad ordinem suscipiendum dispensare possit; nequit tamen dispensare in scientia jure naturæ aut divino necessaria, qualiter conveniens aliqua scienria necessaria est ad exercendum urdinem; cum ex natura rei scientia & rerum agendarum notitia tanta sit necessaria, quanta requiritur ad prudenter exequendum officium, ad quod quis promovetur. Unde jam Papa dispensare poterit, ut quis ordinem suscipiat, absque eo, quod habeat actu scientiam necessariam etiam jure naturæ & divino ad eum exercendum, modo sit certa spes, fore, ut ordinatus scientiam illam sufficientem acquirat tempore, quo ea necessaria erit ad ordinis usum & exercitium. Passer. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 21. Pirh. *h. t. n.* 14. citans Suar. *de censur. d.* 51. *s.* 1. *num.* 11. Nam cum non teneatur ordinem statim exercere ordinatus, possitque habere capacitatem & animum comparandi scientiam necessariam, sed solum ex decreto Concilii; adeoque hac ratione Papa non dispenset nisi in jure humano. E contra dispensare non poterit, ut quis sine scientia necessaria ordinem suscipiat, eoque statim utatur; quia hoc est intrinsece malum & contra jus divinum naturale; sed solum, ut dictum, dare poterit licentiam, ut sine scientia ordinem recipiat, Ita tamen ut eo non utatur, donec scienriam sufficientem acquisiverit. AA. idem. De cetero verba illa Dei dicta per Prophetam: *tu scientiam repulisti, & ego te repellam ne sacerdotio fungaris mihi*. Lotter: *l.* 2. *qu.* 50. *num.* 17. dicit, esse restringenda ad jus divinum positivum, & non ad jus divinum naturale æternum ac immutabile.

QUÆSTIO DVI.

Quæ sit pœna prorsus illiterati promoti ad ordinem.

RESp. Est suspensus (intellige non tam lege positiva quam naturæ, ut colligitur ex jam dictis) ab ordinis executione, donec scientiam sufficientem ad ordinem acquisierit, qua obtenta per se tollitur hoc impedimentum, etiam sine alia dispensatione, quia cessante causa cessat effectus. Pirhing. *loc. cit.* citans Suar. *ubi ante num.* 10.

§. 3.

De qualitatibus ordinandorum moralibus & in specie de non ordinandis criminosis, infamibus, suspensis, interdictis, &c.

QUÆSTIO DVII.

Criminosi an & qualiter prohibeantur ordinari.

1. RESp. primo. Omnes notorie criminosi (& ut addit Barb. qui notorie manet in peccato mortali) prohibentur ordinari. Barb. *de off. Ep. p.* 2. *alleg.* 10. *n.* 41. citans Card. *in pr. Iudic. v. sacram. Ord. n.* 20. Torreblanc. *in pract. Iur. spirit. l.* 2. *c.* 13. *n.* 42. & 43. Argum. *c. ea tuarum & c. ad aures h. t.* Specialiter vero ordinandi non sunt, qui crimen usuræ commiserunt *c. maritum* Barb. *l. c.* simoniaci, præsertim in petendo ordine aut beneficio acquirendo *c. sancitum* 7. *q.* 1. Barb. *ibid.* publice concubinarii vel fornicarii *c. præter hoc dist.* 32. *c. fin. de cohab. cler.* quæ jura videtur innovare Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* Et vel maxime obscænissimo Sodomiæ vitio coinquinati Barb. *l. c.* quem vide *alleg.* 44. de enormi hoc vitio multa præclara adducentem. Ubi etiam *n.* 30. qualiter solus Papa dispensare possit cum convicto & juridice condemnato de hoc vitio. Tenentque hæc ipsa, sive delictum sit nororium notoreitate facti (hoc est per evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione velari potest) sive notoreitate juris (hoc est ordine judiciarin comprobatum, sententiatum vel confessnm in judicio.) Sed neque ista criminosi ad ordines inhabilitas provenit ab irregularitate proprie tali (nullum enim delictum quamvis enorme & publicum, nisi sit ex illis, quibus in specie a jure statuta irregularitas, inducit irregularitatem proprie ralem, hoc est, quæ per modum impedimenti ex se perpetui a jore inducti arcet ab actibus legitimis. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 8. *n.* 64. Passer. *de elect. c.* 25. *num.* 559. Nav. *in man. cap.* 25. *num.* 76. juxta *c. ex tenore h. t.* & Barbos. *ibi num.* 3.) sed ab indignitate, qua criminosus ante pænitentiam indignus est promoveri ad ordines & ministeria ecclesiastica adeoque impedimento quasi naturali tollibili.

2. Resp. secundo. Criminosi occulti v. g. adulteri, perjuri, testes falsi, possunt in susceptis ordinibus ministrare, post peractam pænitentiam vel partem illius *c. ex tenore h. t.* Barbos. *ibid. n.* 1. Fagn. *ibid. n.* 3. & 4. citato Butrio *ibid. n.* 15. Idque etiamsi crimen sit dignum degradatione, seu tale, quod si manifestum esset, degradarentur. AA. iidem *LL. cit.* Et quamvis monendi sint, ne ante peractam pænitentiam id faciant. Barbos. *in c. quæsitum h. t. n.* 4. sitque valde bonum, ut prius pro delicto satisfaciat; est tamen pænitentia illa peracta de consilio tantum; ita ut, si statim a confessione talis celebret, nnn peccet. Fagn. *l. c. n.* 3. Excipiuntur tamen hic rei homicidii etsi occulti; ita etiam, ut post peractam pænitentiam in ordinibus susceptis ministrare nequeant citra dispensationem. Barbos. *ad c. quæsitum n.* 4. Fagn. *l. c. n.* 4.

3. Resp. tertio. Poterunt quoque promoveri ad ordines superiores Barb. *ad c. ex tenore n.* 1. Fagn. *ibid. n.* 4. ubi ex Tancred. & Alano: crimen etiam enorme, si sit occultum, non impedire, quo minus peracta pænitentia possit quis officio suo uti, & ad majores ordines ascendere. Item *n.* 5. citans pro hoc glos. *in cit. c. ex tenore v. utatur*. Innoc. *ibid. n.* 1. dicente absolute talem promoveri posse sine peccato, neque necessariam esse dispensationem, sed sufficere sacerdotis absolutionem. Quin & absolute insigniri possunt ordinibus, consequenter etiam clericatu. Fag. *l. c. n.* 7. ubi ex Gl. & Innoc. quod tametsi facilius impediatur promovendus, quam

quam dejiciatur promotus, quo ad hoc tamen non sit faciendum discrimen inter promotum & promovendum. Et sic in specie Sodomitam occultum non prohiberi insigniri Ordinibus, aut beneficia acquirere, ait Barbos. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 44. n. 28.* citans pro hoc Achill. de Grass. *decis. unic. n. 3. sub tit. de pœnis.* Campan. *in var. Iur. can. rubric. rub. 11. cap. 22. n. 19.* Siquidem Clericus propter criminis hujus atrocitatem nullam incurrit suspensionem vel irregularitatem (idem quo ad irregularitatem est de laico) quamdiu delictum hoc (idem est de delicto alio quocunque excepto homicidio, quantumcunque enormi & degradatione digno, ut Barb. *ad cit. c. ex tenore n. 3.* citat Nav. *cons. 42. ad h. t.* Sayr. *in floribus decis. ad tit. eund. decis. 93.*) occultum est. Barbos. *cit. alleg. 44. n. 27.* citans Ugol. *de irregular. c. 43. §. 3. n. 4.* Valent. *Tom. 4. d. 7. q. 19. p. 3. n. 5.* Campan. ubi ante *n. 9.* Azor. *p. 3. l. 3. c. 19. q. 6. & 7.* Bonac. Dian. Garc. & plures alios contra Covar. *in clem. si furios. p. 1. §. 1. n. 6.* Alterium *de cens. tit. 2. d. 15. c. 3.* Franc. March. Cavalcan &c. censentes, clericos Sodomitas occultos contrahere suspensionem de jure ab ordinum executione, & si in iis ministrent, fieri irregulares a solo Papa dispensandos.

4. Resp. quarto. Quin etiam criminosi occulti vi *c. ex tenore h. t.* dum volunt ordinari, non possunt ab Episcopo prohiberi. Barb. *in cit. c. n. 2. & 3.* citans Sylv. *v. ordo 3. q. 7.* Sanch. *de matrim. l. 9. d. 15. n. 8.* Ita Fagn. *in cit. c. ex tenore n. 8.* ubi: *Nota, Episcopum, qui per confessionem criminosi vel alias extrajudicialiter novit crimen quantumcunque enorme, non posse illi absolute interdicere; ne promoveatur ad ordines, si crimen sit occultum.* Quin imo, addit Fagn. *n. 9.* hoc locum habere, etiamsi crimen sit tale, ut impediat Ordinis executionem post peractam pœnitentiam. Nam etsi hujusmodi crimine irretitus non possit sine peccato ministrare aut promoveri, ab Episcopo tamen prohiberi non potest, cum peccatum illius sit occultum *c. ex tua de simonia* & Argum. *c. si tantum 6. q. 2.* Quod si opponas, directe contrarium, nimirum criminosum occultum prohiberi posse ab Ordinibus, statui mox sequente *cap. ad aures h. t.* Respondent primo aliqui cum Sanch. *l. c.* Sylv. *l. c. q. 9.* Host. & aliis apud Fagn. *l. c. n. 11.* in *c. ex tenore* secus ac in *c. ad aures* agi de Clerico habente titulum ordinationis, seu arctato ratione beneficii, cui annexus ordo, & talem, ubi occulte criminosus est, non posse prohiberi ab Episcopo ab ordinibus. Verum merito displicet Fagnano hæc interpretatio mere voluntaria, vel potius divinatio carens omni fundamento; cum ex nullis verbis hujus decretalis colligi queat, agi ibi de Clerico tali intitulato. Hoc verum, quod Episcopus non teneatur, vel etiam non debeat ordinare Clericum non habentem titulum, adeoque occulte criminosum, ex hoc capite possit repellere ab Ordinibus. Respondent secundo alii, quod in *c. ad aures* prohibeatur ascensus ad ordines propter scandalum Prælatorum. Verum id quoque displicet Fagn. & aliis. Eo quod id quoque sit divinare, dum ex literis *c. ex tenore* nullatenus appareat ibi abfuisse, sed potius colligitur contrarium; quia dum in *c. ex tenore* Clericus ille tam enormiter deliquerit, ut meritus fuisset degradari, utique non poterat ascendere ad Ordines sine scandalo Prælati, qui ejus crimen noverat. Alias aliorum responsiones minus aptas vide apud Fagn. qui tandem suam subjicit, quam dicit conformiorem literæ, communiorem DD. & approbatam a S. Cong. Concil. nimirum in *c. ex tenore* agi de Clerico sæculari *in c. ad aures* de Clerico regulari, qui non habet propriam voluntatem. Eidem responsioni inhæret Laym. *ad cit. c. ad aures n. 2.* Ubi: si Clericus v. g. ad beneficium promovendus ordines superiores petat, Episcopus ratione officii sui obligatus est illi concedere, si canonicum impedimentum illi objicere non possit, tametsi occultum ejus crimen sciat. Sed alia ratio est de Prælato Ordinis, qui obligatus non est, regulares suos ad altiores dignitates aut ordinum gradus promovere; cum obedientiarii sint, seu ex imperio & dispositione Abbatis pendentes. Quamobrem, si Prælatus in secreto (non sacramentali) sciat alicujus regularis sui defectum, non debet nec potest eum ad ordines mittere. Verum omissis his omnibus responsionibus, hodiedum aliter loquendum. Decretalia enim illa *ex tenore* jure novo Trid. *sess. 14. c. 1.* correcta est. Dum Concilium ibi, ut Episcopi liberius exercere possint proprium suum munus, quod est vitia subditorum redarguere (uti exprimitur ibi in proœmio) statuit, ut ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælato ex quacunque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, & dignitates sive honores, restitutio suffragetur. Unde, ut ait Fagnan. *l. c. n. 12.* ex sententia S. Cong. Concil. eo decreto corrigitur dispositio *cap. ex tenore* in ea parte, in qua determinat criminosum occultum esse tantum commonendum sed non prohibendum ascendere ad superiores Ordines, & dispositio *cap. ad aures* quod de regularibus loquitur, extenditur etiam ad Clericos sæculares, ac præterea ampliatur in eo; quia Episcopus non solum potest ob crimen occultum prohibere ascensum ad Ordines, sicut poterant Prælati in vim *cap. ad aures* sed etiam eos suspendere ab ordinibus, gradibus & dignitatibus jam susceptis; quod nec Episcopo nec Prælatis regularibus ante Concilium licebat, de quo postremo fusius vide Fagn. *ad c. ad aures* ubi etiam, quod quo ad facultatem interdicendi & suspendendi Episcopi & Prælati regulares eodem jure censeantur. Porro decretum illud Trid. qua parte tribuit Episcopo facultatem interdicendi subdito ex quacunque causa, etiam occulta, ne ascendat ad ordines sacros, vendicare non tantum sibi locum in promoto ad ordines solum minores, ne is ascendat ad Ordines sacros, sed etiam in promoto ad sacrum Ordinem v. g. Subdiaconatum, ne is ascendat ad alios ordines, puta Diaconatum, Presbyterium, fuse ostendit Fagn. *l. c. n. num. 13.*

QUÆSTIO DVIII.

Quomodo in præsente, vel etiam in ordine ad hoc, ut Episcopus in vim Trid. sess. 24. c. 6. *dispensare possit in irregularitate & suspensione orta ex delicto, dicatur crimen occultum.*

RESP. Occultum crimen in præsente non tantum dicitur illud, quod probari nequit, ut volunt Garc. *de benef. p. 7. c. 11. n. 4.* Jac. de Graffiis *Tom. 2. cons. tit. de homicid. cons. 2. n. 20.* & alii apud Barb. *de potest. Ep. p. 2. alleg. 39. n. 20.* sed quod non est publicum, & etiamsi ab aliquibus sciatur, potest tamen aliqua tergiversatione celari. Occultum enim plerumque accipitur prout contra distinguitur a notorio, publico vel saltem famoso. Barbos. *l. c. n. 21.* ex Abb. *in c. fin. h. t.* ubi is occultum crimen, quo non obstante quis adhuc promoveri potest, vocat illud, quod opponitur notorio, licet probari possit. Notorio autem fit plena rei notitia; inducens indubitatam & finitam probationem discussione non egentem pro quo Barbos. *n. 22.* præter textus *c. cum olim de verb. sign. c. vestra de cohabit. cleric.* citat Clarum *l. 5. §. fin. q. 9.* Mascard. *de probat. n. 1101.* Menoch. *de arb. cas. 166. n. 4.* Comitol. *resp. moral. l. 1. q. 57.* & plures alios. Unde notorium dicitur delictum, quod vel confessum in judicio. Barb. *n. 23.* Mascard. *concl. 1526. num. 4.* Gratian. *discept. forens. c. 142. num. 9.* Item quod ex actis judicii constat. Barbos. *num. 24.* Menoch. *remed. 1. recup. n. 132. & de arb. cas. 166. n. 6.* Tiraq. &c. apud Barbos. vel quod deducitur ex sententia in judicio prolata. Barbos. *cit. n. 24.* cum Mascard. *concl. 1296. n. 15.* Farinac. &c. Unde jam concludit Barbos. *n. 25.* posse Episcopum in virtute Tridentini dispensare, quando delictum non est publicum vel notorium, quamvis sit notum tribus vel quatuor, nec de illo est fama in majore parte viciniæ vel collegii. Unde in magna civitate 4. 5. aut 6. vidisse testes, non videtur satis ad notorium. Pro quo citat Sayr. *de cons. l. 2. c. 12. n. 19.* Sanch. *de mat. l. 2. d. 37. c. 11.* Henoig. &c Porro ut delictum non sit occultum Sayr. *de cons. l. 7. c. 3. n. 13.* Bon. *de cens. d. 7. q. 5. p. 1. n. 4.* Ricc. *in pr. fori eccl. resol. 420. n. 5.* Piacel. Ugol. & alii plurimi apud Barbos. *n. 26.* requirunt; non tantum actum, qui delictum est, esse publicum, sed etiam esse publicum, quod is delictum contineat; & sic Episcopum adhuc dispensare posse in irregularitate contracta ab excommunicato celebrante in excommunicatione, dum hæc occulta est, etsi celebratio manifesta, tenent Barbos. *num. 27.* & citati ab eo Mirand. *in man. Prælator. Tom 2. q. 8. a. 14. concl. 2.* Piacel. *in pr. episc. p. 1. c. 1. n. 56.* Nav. *cons. 2. de clerico non ordinat. ministrant. &c.* Sic si delictum in una civitate esset publicum, in alia vero civitate ubi petitur absolutio vel dispensatio, occultum, licere Episcopo absolvere vel dispensare, modo notitia delicti non sit facile illuc perventura, tenent Barbos. *cit. n. 27.* citans Sanch. *in præcept. decal. l. 2. c. 11. n. 2.* Fagund. *in præcept. Eccl. p. 2. l. 8. c. 8. n. 28.* Avil. *de cons. p. 2. d. 1. du. 11. concl. 2.* & alii contra Suar. *de pænit. disp. 30. s. 2. num. 2.* & Sanchez. *de hæres. cap. 5. du. 6. num. 26.*

QUÆSTIO DIX.

Quandonam dicatur delictum deductum ad forum contentiosum, ut dispensare nequeat Episcopus in irregularitatibus ab eo provenientibus.

RESP. Non convenire in hoc AA. Nam primo tenent aliqui apud Barbos. *loc. cit. num.* 28. delictum statim dici deductum ad forum contentiosum; ac denunciatio aut accusatio de illo coram legitimo Judice facta est. Alii, ut Ricc. *loc. cit. decis.* 521. vel ut habet editio altera. *Resol.* 449. Vulpe &c. statim ac citatio facta est; eo quod ab ea regulariter incipiat Judicium *§. fin. Inst. de pœna temere litigant.* Alii cum Barbos. *num.* 29. *& seq. num.* 31. citante pro hoc Dian. non nisi post litis contestationem; eo quod forus contentiosus vere dici nequeat, nisi inter partes super delicto commisso contendatur negando vel confitendo, quo actu litis contestatio inducitur in criminalibus, ut Farinac. *pr. crim. q.* 10. *sub n.* 35. Item quod forus contentiosus idem sonet, quod judicium, at judicium proprie post litis contestationem dicitur, ut Laocellot. *de attent. in præfat. num.* 7. *&c.* Ac denique, quod forus contentiosus non differat a lite mota, dum idem est in foro contendere ac litem movere; lis mota autem dicitur postquam litis contestatio facta, ut Surd. *de aliment. tit.* 5. *q.* 8. *n.* 64. & alii apud Barbos. *n.* 31. Deducto igitur delicto ad forum contentiosum, Episcopus non poterit dispensare in irregularitate vel suspensione ab illo proveniente, adeoque nec talem ordinare. Ubi tamen illud notandum, impedimentum non esse perpetuum, ac si ex eo, quod semel deductum fuerit in forum contentiosum, semper duraret; sed tantum quousque duraverit judicium, ita ut eo finito, obtenta sententia absolutoria liceat in eo dispensare & talis promoveri, quia adhuc delictum manet occultum, & non potest dici deductum in forum contentiosum cum effectu ex eo, quod probatum non fuerit. Barbos. *num.* 32. citans Suar. *de cens. ubi ante num.* 6. Sanch. *de mat. lib.* 2. *d.* 37. *num.* 12. *& in Decal. lib.* 2. *cap.* 11. *concl.* 3. Molin. *de Iust. tr.* 3. *disp.* 79. *num.* 8. & plures alios. Procedere hoc ipsum, tametsi absolutio obtenta illicitis mediis, ait Barbos. *num.* 33. citatis Suar. *ubi ante num.* 6. Sanch. *de mat. loc. cit.* Sayr. *de cens. lib.* 4. *ar.* 7. *num.* 12. Campan. *in var. Iur. Rub. Rub.* 7. *cap.* 5. *num.* 7. *& Rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 144. Ubi is quoque, adductis pro eo Sayr. *loc. cit. num.* 11. Majolo *de irregul. l.* 3. *cap.* 17. *sub num.* 9. Sigism. de Bonon. *de el. du.* 71. *num.* 10. Bossio &c. tradit, quod si judicium non fuerit finitum lata sententia, eo quod accusator per annum tacuerit, posse Episcopum anno elapso dispensare vel promovere ad ordines.

QUÆSTIO DX.

An postquam delictum deductum ad forum contentiosum, & jam finito judicio punitum, Episcopus cum criminoso possit dispensare & eum ad ordines promovere.

RESP. negative; eo quod delictum deductum in judicium, in eo probatum & sententiatum, hoc modo jam non sit amplius occultum, sed publicum. Ita tenent Barbos. *loc. cit. num.* 35. citans Suar. *ubi ante num.* 5. Bonac. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 5. *n.* 1. Guttier. *qq. Can. l.* 1. *c.* 3. Sayr. *de cens. l.* 4. *c.* 17. *n.* 23. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 11. *n.* 50. *&c.* contra Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 21. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *Resol.* 97. Sancharell. *de hæres. c.* 5. *du.* 6. *n.* 29. Reginal. Hurt. &c. An vero jam præterea tales in judicio condemnati & puniti seu pænitentiati sint impromovibiles ad Ordines, quia exinde contraxerunt infamiam juris & irregularitatem proprie talem, quæ per emendationem solam non diluitur, resolvetur inferius, ubi qualiter infames repellantur ab ordinibus.

QUÆSTIO DXI.

An & qualiter homicidium commissum arceat ab ordinibus.

1. RESP. primo Episcopum dispensare non posse in irregularitate contracta ex homicidio voluntario injusto, & promovere talem, etiamsi illud ita sit occultum, ut nullus præter homicidam sciat, aut etiam scire possit. Est communis contra unum Texed. *Tom.* 2. *l.* 3. *tr.* 3. *n.* 138. quem merito reprehendit Dian. *p.* 6. *resol.* 58. apud Barbos. *de pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 39. *n.* 26. Indubitatum enim est apud omnes, ex una parte contrahi irregularitatem, quæ est impedimentum ad ordines suscipiendos, & quidem distinctam ab ea, quæ ortum habet ex homicidio casuali vel alias justo & licito. Castr. *de cens. d.* 6. *p.* 15. *§.* 1. *n.* 1. per tale homicidium voluntarium occultum factum a baptizato, etsi secus sit de homicidio tali patrato ante Baptismum; cum a non baptizato, utpote non subjecto ecclesiæ non contrahatur irregularitas; sed nec post Baptismum in tali occisore nascitur ea; cum per Baptismum tollatur omne delictum & indecentia ex eo purgatur. Castr. *l. c. §.* 2. *n.* 1. cum communi. Argum. *c. si quis post baptism. dist.* 51. *& ibi* Gl. Ex altera parte hæc irregularitas est indispensabilis ab Episcopo, ut aperte constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* ubi: *liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.*

2. Resp. secundo: Ut in irregularitate nata ex tali homicidio occulta impediatur dispensare, & occisorem promovere ad Ordines Episcopus, debet homicidium illud esse voluntarium, ut habent verba Tridentini, ut voluntarium sit, debet esse volitum in se & intentum. Barb. *l. c. n.* 46. citans Suar. *de irregul. Tom.* 5. *d.* 44. *s.* 2. Molin. *de Iust. tr.* 3. *d.* 33. Bonac. *tr. de contract. d.* 2. *q. ult. p.* 2. *n.* 1. Cov. *in clem. si furiosus p.* 3. *init. &* §. 1. *n.* 2. & plures alios. Sive requiritur intentio expressa occidendi vel apponendi causam de se illativam mortis, & ut talem cognitam, ut si præberes venenum, vel detineres, ut ab aliis occideretur. Castr. *cit. §.* 1. *n.* 1. Qualiter homicidium non esse adhuc in jure Canonico dicendum voluntarium sed casuale, si velles vulnerationem seu percussionem, ex qua plerumque mors sequitur, asserit idem Castr. *l. c.* citatis Vasq. *in* 1. 2. *d.* 100. *n.* 39. Filliuc. *tr.* 20. *c.* 2. *q.* 2. Gasp. Hurtad. *de irreg. difficult.* 5. prout ipsum indicat Suar. *l. c. s.* 1. *n.* 4. & probabile censet Bonac. *Tom.* 1. *d.* 7. *de irreg. q.* 4. *p.* 8. *n.* 2. Item, dum quis in rixa inopinate occidit quis alium, regulariter non esse judicandum homicidium voluntarium tam quo ad forum externum quam internum; eo quod homicida voluntarius dicatur, qui per industriam seu ex proposito occidit, qualis reputandus non sit, qui subito iratus occidit alium, astruit Castr. *l. c. n.* 2. citatis Rodr. *in sum. v. irregularitas c.* 179. *n.* 1. Avil. 7. *p. d.* 6. *s.* 2. *du.* 1. Henr. *l.* 14. *c.* 14. *n.* 1. *&c.* Unde jam

3. Primo irregularis erit ex homicidio voluntario mandans illud. Sic enim adhuc est volitum & intentum in se. Castr. *l. c. §.* 2. *n.* 2. nullatenus tamen irregularis eris, si a mandatario tuo commissum homicidium post revocationem mandati a te factam & ei intimatam. Suar. *d.* 44. *s.* 3. *n.* 7. Henriq. *l.* 14. *c.* 16. *n.* 2. Bon. *de irreg. d.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 15. Avil. *p.* 7. *de irreg. d.* 6. *s.* 2. *du.* 4. *concl.* 2. etiam tacite contrahendo cum adversario de novo amicitiam, mandatario id advertente. AA. iidem. Sic enim mandatarius non agit amplius nomine tuo, nec tu es causa principalis delicti. Secundo irregularis ex homicidio est consulens & persuadens illud, modo consilium influxerit in illud, sive si ex eo processerit vel quo ad substantiam, vel quo ad accelerationem, aut majorem crudelitatem. Castr. *l. c.* citatis Avil. Bonac. *ubi ante.* An vero consilium influxerit, intelligendum ab ipso consulto (modo is vir sit, cui merito credi potest. Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 20. *n.* 44.) si is id neget, vel etiam aliunde constet, quod is jam ante capitalis inimicus erat occisi, ei mortem jam ante minatus, & quæ ad eam spectabant, jam ante compararat; consilium censebitur nullatenus causa, & hinc evitabitur irregularitas hæc utpote ad quam requiritur, ut homicidium ab irregulari tanquam a vera & principali causa actu processerit. Si tamen consulens omnibus pensatis manet dubius, an consilium suum efficaciter influxerit, debere illum se habere irregularem, quia semper præsumendum consilium operari, nisi contrarium probetur, tenet Castr. *l. c. n.* 3. cum Cov. *in Clem. si furiosus p.* 2. *§.* 2. Avil. & Sanch. *l. c.* contra Henriq. *l. c. n.* 3. Irregularitatem hanc secuto homicidio evitabit consulens, si ante conatus contraria persuasione consultum dimovere ab eo, vel ubi id non potuit, monuerit occidendum, ut sibi caveat. Castrop.

num. 4.

n. 4. cum Suar. *ubi ante n.* 12. Bonac. *p.* 8. *n.* 10. *&c.* Ad evitandam tameo irregularitatem hanc opus oon erit monere occidendum, ubi consultus dicit, se non ea tuo consilio, sed alias ob causas velle patrare illud homicidium. Castrop. *l. c.* cum Rodriq. & Avila qoi etiam *n.* 5. ait, certum esse, te non incurrere irregularitatem ex homicidio voluntario (quidquid sit de eo, num in hoc casu iocurras irregularitatem ex homicidio casuali, quod non æque certum apud omnes) dum consulis vel mandas Petro, ut Joannem occidat, dum inde Petrus contra mentem tuam occisus est. Tertio consentiens homicidio, dum eo consensu alii cooperatur, vel percutiendo occisum, vel eum impediendo, ne se defendat, vel defendendo occisorem, illique animum præbendo, sua præsentia, modo tali sua cooperatione expresse intendat mortem occisi, vel actionem præstet, ex qua mors directe seu physice sequatur. Castrop. *n.* 6. ex Suar. *n.* 31. Quarta juxta Molinam & Nav. qui ratum habet homicidium in sui gratiam factum; eo quod talis ratihabitio æquivaleat mandato. Verum melius contrarium seotit Castrop. *l. c. n.* 7. cum Covar. *l. c. §.* 1. *n.* 4. Sayr. *l.* 7. *c.* 4. *n.* 17. Suar. *ubi ante n.* 15. Avil. Bon. Con. &c. Eo quod etsi talis ratihabitio æquivaleat mandato quo ad culpam, non tamen quo ad pænas juris, nisi hæ quoque expresse statuantur ratihabitioni, sicut in *c. cum quis de sent. excom. in* 6. statuitur, excommunicationem canonis incurri quoque ab eo, qui percussionem Clerici suo nominine factam ratam habet. Vel etiam ut Castrop. ratihabitio æquiparetur mandato in iis, quæ a voluntate mandantis dependent, secus in pænis ab alio infligendis.

QUÆSTIO DXII.

An de mutilatione voluntaria occulta pariter loquendum ac de homicidio voluntario quo ad inductionem irregularitatis illius & impedimentum ad ordines indispensabile ab Episcopo.

RESp. Mutilationem voluntariam inducere irregularitatem, adeoque impedire ab ordinibus, verum dispensabilem ab Episcopo. Trid. enim concedit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario; sed irregularitas ex mutilatione proveniens non est irregularitas proveniens ex homicidio voluntario; ergo. Ad hæc facultas illa dispensandi concessa Episcopis per Trident. est late interpretanda, utpote beneficium Principis juri commuoi insertum, & non personæ, sed digoitati episcopali concessa. Ita tenent Suar. *l. c. f.* 4. *num.* 35. Molin. *tr.* 3. *d.* 70. *num.* 19. Rodriq. *qq. regular. Tom.* 5. *quæst.* 24. *a.* 10. Tolet. Bonacin. & plures alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. §.* 3. *n.* 3. contra Henr. *l. c. cap.* 9. *n.* 3. Melin. *in sum. l.* 1. *c.* 11. *§.* 12. Sanch. *l.* 1. *sum. c.* 10. *n.* 49. Porro de mutilatione voluntaria qua tali pari fere modo loquendum ac de voluntario homicidio. Qualis autem de cetero mutilatio sufficiat & requiratur ad inducendam irregularitatem illam dispensabilem ab Episcopo, vide fuse tractatum a Castrop. *loc. cit. §.* 2. *a n.* 63.

QUÆSTIO DXIII.

An & qualiter homicidium casuale inducat irregularitatem & arceat ab ordinibus.

RESp. Homicidium casuale inducit irregularitatem, adeoque impedit promotionem ad ordines io qua tamen irregularitate si homicidium occultum est, potest dispensare Episcopus. Pars prima est communis omnium. *c. clerico jaciente c. eos dist.* 50. modo intercesserit culpa; hanc enim intercedere necesse est, cum irregularitas homicidii (idem est de mutilatione) sit inducta in pænam delicti. Castrop. *l. c. §.* 4. *n.* 1. eaque gravis seu mortaliter mala; eo quod, cum irregularitas hæc sit gravissima pæna, utpote privans maximis bonis supponere debeat culpam sibi proportionatam. Ita sentiunt Castrop. l. *c.* & citati ab eo Nav. *in man. c.* 27. *num.* 231. Valent. *Tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *p.* 3. *§.* 5. Suar. *d.* 45. *f.* 5. *n.* 8. Henriq. *l.* 14. *c.* 15. *n.* 7. Bonac. &c. Argum. *c. quæsitum de pænit. & remiss. c. latr. de homicid.* contra Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. *§.* 4. Cajet. Armill. putantes sufficere culpam levem. Tenetque hoc ipsum, dum homicidium provenit ex opere alias licito, si intercesserit negligentia gravis in præcavendo homicidio. AA. iidem apud Castrop. *l. c. n.* 2. Arg. *c. ult. de homicid. c. presbyterum tit. eod.* Si vero actio, ea qua secutum homicidium vel mutilatio fuit illicita, culpam levem in præcavendo homicidio non impedire irregularitatem, censet cum D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. *& ibi* Caiet. Laym. *l.* 3. *sum. tr.* 5. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 4. *&c.* apud Castrop. *l. c. n.* 3. Argum. *c. Ioannes & c. fin. de homicidio* distingount alii, ut Covar. *l. c. n.* 10. Nav. *n.* 221. Sayr. *l.* 7. *c.* 5. *n.* 12. Valentia &c. & admittunt, culpam etiam levissimam sufficere, ubi opus illicitum, ex quo homicidium sequitur, est ea se periculosum & causativum homicidii, seu quod raro exerceri potest sine secuto illo effectu; secus si non est tale, quam sententiam approbat Castr. *n.* 5. qui eainde *n.* 7. excusat Clericum cootra prohibitionem vacantem Torneamentis & venationi aprorum vel ursorum, ex quibus subsecutum homicidium, si debitam diligentiam adhibuerit ad illud præcavendum; eo quod hæ actiones noo sint ita periculosæ, ut frequenter homicidia inferant, citans pro hoc plurimos. Excipitur tamen hic unicus casus contentus *in c. sententiam ne clerici vel Monachi & c. tua nos de homic.* in quo Clericus irregularis est, morte vel mutilatione proveniente ex officio Chirurgiæ seu medicinæ, quamvis diligentiam adhibuerit ad evitandam mortem vel mutilationem; eo quod omnibus clericis in sacris constitutis (secus est de tantum constitutis in minoribus) interdictum est officium chirurgiæ vel Medici per incisionem vel adustionem. Castrop *l. c. n.* 8. citans Laym *ubi ante p.* 3. *c.* 10. *n.* 3. Molin. *tr.* 3. *d.* 75. *n.* 2. Suar. *d.* 45. *f.* 6. *n.* 12. *&c.* Ad incurrendam tamen illam irregularitatem debent Clerici in sacris constituti per se ipsos facere dictam incisionem vel adustionem ex qua mors sequatur, ita ut secus sit, si mors oon exinde, sed ex gravitate morbi vel aliunde sequatur, tametsi Clericus talem incisionem faciendo peccarit. Pars altera, quod io tali irregularitate dispensando Episcopus, talem promovere possit ad ordines, constat ex Tridect. *cit. c.* 6. ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in omoi irregularitate proveniens ex delicto occulto excepto homicidio voluntario, quale non est, illud de quo hic. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 39. *n.* 48. cum communi. Porro plures in specie casus, in quibus ob homicidium casuale seu indirecte volitum incurritur irregularitas & inhabilitas ad ordines dispensabilis ab Episcopo, vide apud Castrop. *l. c. §.* 5. 6. ubi de cooperantibus ad homicidium vel mutilationem *§.* 7. ubi de non impedientibus *§.* 8. ubi de committentibus homicidium ob defensionem sui aut bonorum suorum.

QUÆSTIO DXIV.

Quinam ex justo homicidio sint vel non sint irregulares (quæ irregularitas dicitur ex defectu perfectæ lenitatis) adeoque non promovibiles ad ordines citra dispensationem Episcopi.

1. RESp. primo. Judex, qui tulit sententiam mortis vel mutilationis *c. aliquantos d.* 51. Non vero Judex Ecclesiasticus, qui clericum dignum morte degradavit, & tradidit Brachio seculari, ut juxta qualitatem delicti cum eo procedat, quę tamen remissio, cum in iis circumstaotiis rationem aliquam habeat cooperationis ad mortem, solet & debet ad evitandam irregularitatem Judex talis ecclesiasticus apud Judicem sæcularem intercedere, ut citra mortis periculum circa reum moderando sententiam, velit cum eo misericorditer agere, quam tameo intercessionem interponunt, noo ut sententiam mortis impediant, sed ut significent, quantum est ex parte sua, se illam non procurare *c. novimus de verb. signif.* Castrop. *de cens. d.* 6. *c.* 14. *p.* 1. *n.* 1. citat Covar. *in clem. furiosus p.* 2. *§.* 5. *n.* 6. Sayr. *l.* 6. *Thes. c.* 16 *n.* 4. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 5. *sect.* 2. *du.* 2. Boo. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 5. *num.* 2. Suar. Con. &c. Quam tamen etiam intercessionem interponere necesse non habent ex Bulla quadam Pauli IV. edita 29. April. 1557. Inquisitores hæreticæ pravitatis, item Commissarii, Vicarii, Consultores. Castr. *l. c.* ex Avil. *ubi ante*. Pegna *directior. Inquisit. p.* 2. *a.* 20. Henriq. &c. Quin & Inquisitores instare possunt pro exsecutione sententiæ, si seculares Judices sint negligentes. Castrop. *l. c.* citatis Avil. Henriq. Tabien. *v. irregularitas p.* 2. *§.* 13. Sed neque irregularis est Prælatus ecclesiasticus habens jurisdictionem temporalem, dum constituit Judices ministros, ut causas sanguinis juxta leges judicent & exequantur, etsi hæc constitutio fiat pro casu aliquo particulari. Castrop. *n.* 3. Laym. *l.* 3. *f.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *concl.* 3. Molin. *tr.* 3. *d.* 8. *a.* 2. *&c.* Argum. *c. fin. ne clerici vel Monach. in* 6. Secus tamen esset, si Judici a se constituto in hoc vel illo casu mandaret, ut sententiam sanguinis proferat. Laym. Castrop. *l. l. cit.* qui etiam ait non contracturum illum irregularitatem pure ex defectu lenitatis, sed ex delicto, eo quod non ageret ut minister publicus, sed ut persona quædam particularis, cui cooperatio talis directa ad mortem est prohibita;

procedaretque id a potiore, si ipse sententiam proferret, & eam Judici suo mandaret exequi.

2. Resp. secundo. Accusator seu denunciator, dum vi istius accusationis subsequitur mors vel mutilatio; quia in eo casu accusator est causa mortis. Castrop. §. 2. *n.* 1. cum communi. Arg. *c. sententiam & c. Clerici ne Clerici vel Monach.* Secus est, si aliunde accusato mors proveniat. V. g. si accusatum de crimine levi Judex excedendo limites morti traderet. Item si accusato de crimine levi supervenirent alterius delicti graves denunciationes, in vim quarum damnaretur morte vel ad mutilationem. Laym. *l. c. cap. 7. in fine* Covar *l. c.* Sayr. *n.* 7. Bon. Castrop. Covar. *LL. cit.* Excusantur ab hac irregularitate accusantes in causa propria, modo protestentur expresse se pœnam sanguinis non intendere *c. 2. de homicid. in 6.* opus tamen non est, ut ea protestatio fiat ex animo, ne occidatur accusatus; quin etsi interius occisionem intenderet accusator, modo eam exterius non manifestet, sed protestetur contrarium, evitabit irregularitatem; cum in citato textu non caveatur, protestationem debere fieri ex animo; & in exteriore foro ejusdem rationis sit protestatio ficta & protestatio vera. Covar. *l. c. n* 2. *vers.* 6. Pelin. *in c. postulasti de homicid. in fine.* Suar. *d.* 47. *s.* 2. *n* 3. Laym. *l. c. p.* 3. *c.* 7. Castrop. *cit n.* 2. contra Sylv. *v. homicid.* 2. *q.* 8. Tolet. *l.* 1. *c.* 82. *num.* 5. Nav. Neque requiritur hanc protestationem fieri una cum accusatione, sed sufficit fieri in judicio ante prolatam sententiam. Castr. *l. c.* cum Covar. Suar. Avil. Porro hoc remedium protestationis ad irregularitatem evitandam inventum a jure æque necessarium est laicis aut clericis, etiamsi *in cit. c.* 2. Clericorum tantum fiat mentio. Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 3. Suar. *ubi ante n.* 6. Molin. *Tom.* 3. *d.* 74. *num.* 9. Locum tamen non habet in actione criminali, sed tantum in civili. Accusans enim criminaliter ea ipsa accusatione protestatur, se quærere punitionem, ac proinde protestationem verbo factam contrario hoc suo facto destruit. Castrop. *n.* 4. cum Suar. *num.* 10. Laym. *c.* 7. *vers.* 3. dicens, id usque adeo verum esse ut accusans petens vindictam citra effusionem sanguinis & mutilationis incurrat adhuc irregularitatem, eo quod petita vindicta non sit amplius in potestate accusatoris limitare pœnam, sed Judex eam infligere debeat juxta qualitatem delicti. Sic quoque frustra est dicta protestatio, & eliditur per accusationem, dum accusans intentat actionem civilem ad reparandum damnum non alia via quam punitione reparabile; secus si illud alia via est reparabile. Castrop. *l. c. n.* 5. ex Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 2. *c.* 2. Sed neque prodest dicta protestatio, dum instituitur accusatio in causa aliena. Castrop. *num.* 8. Covar. *l. c. num.* 5. Laym. *c.* 7. juxta *cit. c. 2. de homicid. in 6.* Porro tunc dicitur instituta accusatio in causa propria, dum instituta in defensionem honoris tui, famæ, rerum temporalium, item parentum, consanguineorum & cognatorum tuorum (etiam usque ad quartum gradum. Ut Castrop. *l. c. num.* 7.) uti tenent Covar. Bonac. Laym. Castrop. *LL. cit.* Molin. *tr.* 3. *d.* 44. *num.* 11. *&c.* Quin & in causa famulorum, domesticorum, subditorum, ut ait Castrop. juxta probabilem traditam a Covar. Suar. Avil. Bonac. *LL. cit.* Probabilissimum quoque censet Castrop. *num.* 8. *in fine* etiam sine illa protestatione evitari irregularitatem, dum instituitur accusatio ad præcavendum damnum Reip. vel alterius personæ privatæ alia via non impedibile; eo quod credibile non sit, Ecclesiam velle irregularitate afficere actionem jure naturali debitam; cum hoc esset impedire opera caritatis. Citat pro hoc Bonac. *num.* 7. Laym. *cit. p. num.* 6. Suar. *cit. d.* 47. *s.* 2. *num.* 11. & 15. Molin. *de Iust. Tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 109. *post* 3. *concl.*

3. Tertio testis voluntarie testificans in causa, sive criminali, sive civili, ex cujus testimonio mors vel mutilatio sequitur, ita ut ei dicta non prosit protestatio, utpote, ut patet, a teste semper interposita in causa aliena. Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 2. Laym. *l. c.* Suar. *d.* 47. *s.* 3. *in fine* Molin. *tr.* 3. *d.* 74. *n.* 10. Jul. Clar. *l.* 5. *sent.* §. *ult. q.* 24. *n.* 8. Covar. *l. c.* §. 5. *n.* 5. *&c.* Contrarium satis probabile esse censet Castrop. *num.* 3. dum laicus compulsus a Judice (ad quod compelli nequit clericus in causa sanguinis a nullo Judice; quia in ea causa testificari ei prohibitum est. D. Thom. 2. 2. *q.* 7. *a.* 1. *ad* 3. Abb. *in c. sententiam ne clerici vel Monach. n.* 15. Laym. *l. c.*) in causa criminali fert testimonium; eo quod credendum non sit, voluisse Ecclesiam imponere irregularitatem ob testificationem jure naturæ debitam, ne hac ratione testes retraherentur a propalanda veritate. Idem esse censet Castrop. *n.* 4. de eo, qui in causa civili testimonium fert ad instantiam partis potentis sine irregularitate prosequi causam v. g. ad instantiam accusatoris, cui eo ipso, quod concessum sit protestatione facta accusare seu querelam deponere, etiam concessum videtur, posse producere testes, quorum productio necessaria ad servandum se indemnem.

4. Quarto. Advocatus, si reus, contra quem egit, occidatur vel mutiletur. Suar. *d.* 47. *s.* 4. *n.* 4. Sayr. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 10. Castrop. *cit.* §. 3. *n.* 6. dicens esse communem omnium sententiam. Secus si reum defendit, sive juste sive injuste, etiamsi nihilominus reus morte condemnetur, & etiamsi advocatus sit clericus; esto enim per hoc ingerendo se sine gravi necessitate isti officio peccet, non peccavit tamen contra justitiam, & ex ejus advocatione mors secuta non est. Castrop. *cit.* §. 3. *n.* 6. Quod si tamen ex negligentia vel imperitia advocati condemnatur reus ad mortem vel deformationem, utique irregularis jam erit ex delicto injustitiæ. Castrop. *ibid.* cum Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 6. Suar. *cit. d.* 47. *s.* 4. *n.* 6. *&c.* Quod si etiam advocatus reum defendens aliqua accusatori objecerit eum convincens de calumnia, ut puniatur pœna talionis, utique erit irregularis, qualis non erit, si utatur protestatione *c. Prælatis de homicid. in 6.* Pari ratione advocatum injuste suscipientem partes accusatoris, qui dein convictus de calumnia occisus est, fore irregularem, eo quod accusator sine tali patrocinio non fuisset moraliter loquendo ausus causam prosequi, & se illi discrimini vitæ exponere, tradit Suar. *l. c. n.* 6. apud Castrop. *cit. num.* 6.

5. Quinto. Consultor, dum juridice expostulatus consilium dedit, quo motus Judex ad proferendam sententiam mortis. Castrop. *num* 7. dicens esse communem, & addens non carere probabilitate, quod irregularitatem non incurrat consultor, si privatim expostuletur ejus judicium a Judice ad informandum se de justitia; siquidem irregularitas tantum imposita est Judici ejusque Officialibus authoritate publica fungentibus, ut Gasp. Hurt. *de irregul. difficult.* 11. *n.* 40.

6. Sexto. Confessarius negans Judici absolutionem, nisi proferat sententiam sanguinis, ad quam proferendam Judex tenebatur in conscientia, non erit irregularis, eo quod non procedat ut publicus minister. Ad hæc Ecclesia præsumenda non sit, ob actionem talem jure divino debitam voluisse afficere Confessarium irregularitate. Castrop. *num.* 8. citatis Suarez *d.* 47. *s.* 1. *n.* 8. Molin. *tr.* 3. *disp.* 74. *n.* 18. Sayr. Bonac. &c. Idem est, dum Confessarius pœnitentem obligat ad fatendum delictum morte vel mutilatione dignum, ad cujus manifestationem jure naturæ tenetur. Castrop. *n.* 9. cum Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 32. Con. *d.* 38. *du.* 10. *n.* 95. Henriq. &c. Item idem est, dum Confessarius vel alius suadet reo, ut mortis sententiæ acquiescat, & cesset ab injusta appellatione: secus, si suaderet, ne appellationem, quæ juste ac legitime interponi posset, & ob eam causam mors acceleraretur. Quod postremum tamen ait Castrop. se verum credere, si illud consilium non interponendi appellationem procederet ab advocato juridice, secus si a privato vel privatim detur; eo quod tunc non concurreret ad mortem ut persona publica & minister Justitiæ; huic autem irregularitati ex defectu lenitatis locus non est, nisi dum quis ut minister publicus authoritate publica concurrit ad mortem vel mutilationem juxta *c. 1. dist. 1. c. sententiam ne Clerici vel Monach. c. Prælatis de homicid. in 6.* Hinc

7. Septimo. Irregulares sunt Tabelliones testium receptiones excipientes illasque legentes, dum publicantur sententiam dictantes, eamque a famulo scriptam sigillo authenticantes vel pronunciantes, eamque scribentes tanquam officiales justitiæ. Item tortores rei, si inde reus confiteatur crimen, ob quod morte afficiatur (nisi id fiat in tribunali S. Inquisitionis, ut Castrop. *loc. cit.* §. 4. *num.* 2.) omnes deferentes reum ad mortem & comitantes loco custodiæ. E contra irregulares non sunt plebs & inter eos & Clerici comitantes spectandi gratia. Neque etiam monens ut scalas ascendat, instigans equum, ut citius reus feratur ad supplicium, insinuans carnifici, posse eum fungi suo officio. Castrop. *loc. cit.*

8. Octavo. Milites justo bello depugnantes ut ministri publici & authoritate a Rep. accepta occidentes & mutilantes sunt irregulares ex defectu lenitatis, & a susceptione Ordinum & altaris ministerio excluduntur. Castrop. *l. c.* §. 7. *n.* 1. cum communi. Nullus vero in bello justo, etiam Sacerdos, ad occidendum adhortans, aut manu propria pugnans irregularis est, nisi per se occiderit aut mutilarit. Abb. *in c. ult. & penult. de Clerico percuss.* Nav. *c.* 27. *n.* 215. Covar. *ubi ante* §. 3. *num.* 2. Laym. *l.* 3. *s.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 8. Molin. *tr.* 2. *d.* 110. *concl.* 2. & plures alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 2. cum communi. Argum. *c. petitio tua de homicid.* qui etiam postremus hanc addit hujus privilegii rationem; ne tot irregularitate involvantur, neve a præliando in bello justo se contineant timore irregularitatis; quod ultimum parum urget, cum per hoc etiam occidentes propria manu ab hoc deterreri non debeant. Neque ex eo, quod clericis prohibitum in bello justo offensivo pugnare propria manu *c. ne clerici vel Monach. c. ex multa de voto* sequitur,

eos in-

eos inde contrahere irregularitatem: dum hæc non contrahitur nisi in casibus in jure expressis; jam vero solum occidentibus manu propria, non autem consilium & auxilium illicite præstantibus statuitur irregularitas. Quin etsi clericus contra hanc prohibitionem pugnet & propria manu occidat, adhuc eum non contrahere irregularitatem ex delicto, tanquam probabilius censet Castrop. *l. cit. num.* 4. eo quod talis, etsi forte non pugnet ex authoritate publica; cum ei pugnare a legibus sit prohibitum, adhuc non pugnet injuste, ita ut committat injustitiam hostes occidendo, adeoque non magis evadat irregularis ex delicto, quam si injusto bello pugnaret contra votum a se factum non pugnandi extra casum necessitatis. De cetero etiam clericum depugnantem in bello defensivo & occidentem hostes non incurrere irregularitatem, eo quod bellum illud non voluntarie, sed coacte suscipiatur (secus, accidit in ministris justitiæ ex justitia legali obligatis homines occidere, utpote obligationem & munia ista voluntarie subeuntibus) & defensio jure naturæ sit debita, censet Castropalao *num.* 5. citatis Hurt. *de irregul. diff.* 12. *nu.* 44. Bonacina *Tom.* 1. *dist.* 7. *qu.* 4. *p.* 4. *nu.* 11. Valent. *Tom.* 3. *dist.* 3. *quæst.* 16. *p.* 4.

QUÆSTIO DXV.

An Episcopus dispensare possit in irregularitate; adeoque in inhabilitate ad Ordines proveniente ex defectu perfectæ lenitatis.

RESp. negative. Siquidem in Concil. Trident. conceditur Episcopis dispensare tantum in irregularitate proveniente ex delicto occulto, qualis non est irregularitas proveniens ex defectu lenitatis. Castrop. *l. c. nu.* 6. citans Suarez *d.* 47. *sec.* 6. *in fine*. Sayr. Bonac. &c. Illud tamen hic notandum, quod si Papa facultatem dederit clerico propria manu depugnandi, is non incurrit irregularitatem; cum eo ipso censeatur dispensasse in jure inducente irregularitatem istam. Secus tamen est, si concessit solum potestatem assistendi & is propria manu occidisset. Covar. *l. c. nu.* 2. Navar. *c.* 25. *n.* 74. Molin. Hurt. Valent. & plures alii apud Castropalao *l. c. n.* 7. *in fine*.

QUÆSTIO DXVI.

An & qualiter hæretici promoveri nequeant ad Ordines.

1. RESp. Primo. Dum hæresis & Apostasia a fide est publica, impedit a susceptione Ordinum, etiam post pœnitentiam & absolutionem. Sunt enim infames & irregulares. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *nu.* 12. cum communi. Argum. *c. nos consuetudine dist.* 12. ubi clerici Apostatantes a fide prohibentur ad ulteriorem gradum ascendere, licet in susceptis Ordinibus, posteaquam conversi sunt, permittantur ministrare, *& c. saluberrimum*, ubi redeuntibus ad fidem adimitur spes promotionis, & pro magno beneficio conceditur in susceptis Ordinibus ministrare *& c.* 2. *&* 15. *de hær. in* 6. redduntur hæretici inhabiles ad beneficia ecclesiastica & officia publica, quod signum est, esse irregulares. Et sane si hæc ab aliquibus, ut paulo post videbimus, etiam hæreticis occultis applicantur, indubitate intelligenda sunt de publicis & notoriis. His tamen non obstantibus in Regionibus Septentrionalibus, in quibus hæresis licentiosius grassatur sustineri potest consuetudo, qua Episcopi ordinare solent ab hæresi conversos & absolutos; cum tales etiam in civili foro non arceantur a dignitatibus & officiis publicis. Laym. *l. cit.* remittens ad Navar. *lib.* 1. *consf.* 1. *de consi. qu.* 14. *edit*, 2. Illud vero, ut subjungit Layman certum esse debet, cum talibus ad fidem Catholicam reversis in dictis Regionibus dispensari posse per privilegium dispensandi super omnibus irregularitatibus præter eas, quæ ex homicidio voluntario, mutilatione, bigamia, & defectu natalium ortæ.

2. Resp. secundo. Dum hæresis est occulta (intellige, non quidem pure mentalis, seu per se occulta; huic enim, utpote judicio Ecclesiæ non subjectæ, annexa esse non potest pœna illa irregularitatis; sed dum prodiit etiam extra mentem scripto vel dicto, est tamen occulta adhuc in eo sensu, quo occultum opponitur notorio & publico juxta dicta supra de criminosis occultis) sententia quidem communior habet, quod per eam incursa sit irregularitas & inhabilitas ad Ordines. Et illa docent Suarez *tom.* 5. *de censur. d.* 43. *sec.* 1. *n.* 3. Sanchez *in decal. l.* 2. *c.* 25. *n.* 2. Filliuc. *tr.* 20. *c.* 9. *nu.* 519. Bonacina *d.* 7. *de irreg. d.* 7. *q.* 3. *p.* 7. Sylv. *v. irregul. q.* 3. Farinacius *de hæresi q.* 189. *n.* 43. Tolet. Navar. &c. apud Castropalao *de cens. dist.* 6. *p.* 19. *§.* 2. *nu.* 1. quibus accedit Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 65. Contrarium tamen tanquam valde probabile sustineri posse, censent Castr. *l. c. nu.* 2. Laym. *l. c.* citantes Henriq. *l.* 14. *c.* 4. *nu.* 6. Avil. *p.* 2. *de irregul. d.* 4. *du.* 2. Sayr. *l.* 7. *c.* 11. *nu.* 16. Sa *v. irregular. ex parte animæ*. Barbosa *in remiss. Concil. sess.* 24. *c.* 6. *v. hæresis*. Rationem addit Layman quod non propter hæresin & Apostasiam secundum se, sed quatenus infamiam annexam habent, irregularitas decreta videatur. Item Castrop. quod textus citati, in quibus se fundant adversarii, statuentes hanc irregularitatem, notoreitatem criminis exigant; siquidem sermonem dirigunt, non ad ipsos hæreticos, sed ad Ecclesiæ pastores, quibus præcipitur, ne hæreticos ad Ordines admittant, intellige, etiam reversos ad fidem & absolutos, dum inhabilitas illa non tollitur per absolutionem Sacramentalem sed eget speciali dispensatione. Sic in specie, *cap. saluberrimum* mandatur fieri abjuratio solennis, quæ supponit crimen hæresis publicum, *c.* 2. *de hæretic. in* 6. prohibetur, ne hæretici eorumque fautores admittantur ad beneficium vel officium publicum, quod nisi delictum sit publicum præstari nequit.

3. Resp. tertio. Eos, qui exterius solum fidem abnegarunt esse irregulares, & consequenter etiam post absolutionem citra dispensationem inhabiles esse ad Ordines, habet communior, quam tenent Farinac. *l. c. q.* 192. *nu.* 75. Bonac. *l. c. n.* 2. Suar. *n.* 2. Majol. *de irreg. l.* 5. *c.* 34. *n.* 2. *&c.* Contrarium tamen sibi videri probabile ait Castrop. *l. c. nu.* 4. & ita teneri ab Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 11. *q. ult. & c.* 21. *q.* 8. Nav. *l.* 5. *consf. tit. de hæres. cons.* 3. *alias* 9. eo quod ex textibus, in quibus se fundant adversarii, nullatenus colligi queat, loqui eos etiam de ficte negantibus fidem.

QUÆSTIO DXVII.

An & qualiter extendantur hæc ad fautores hæreticorum, receptatores, & defensores.

RESp. Eos quoque esse irregulares & impromovibiles ad Ordines, cum communiore tenent Layman Suar. Bonacina *LL. cit.* Contrarium sentientibus Castrop. *l. c. n.* 5. & quos citat Henriq. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 6 Sa *v. irregul. ex defectu lenit.* eo quod dum tales in variis textibus, ut in *c.* 2. *de hæret. in* 6. excluduntur ab officio publico hisce expressis: *hæretici autem, credentes, receptatores, defensores & fautores eorum, ipsorumque filii ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium publicum admittantur*. Nomine officii, non officium Ordinis, sed officium jurisdictionis, uti est Magistratus, Notariatus &c. intelligendum ipsis videatur cum Glos. quam citant *in c. felices de pœnis in* 6. Quamvis vel ex hoc, quod arceantur a publicis officiis (intellige, etiam jurisdictionalibus) Layman inferat, eos infames esse ipso jure, adeoque irregulares. Et certe negari non potest, quin saltem indirecte ratione excommunicationis, quam incurrunt vi Bullæ Cœnæ, *& c. excommunicationis, de hæret. & c. noverit de sent. excom.* arceri eos ab Ordinibus suscipiendis. Illud, quod addit Castropalao satis probabile est, nimirum, quod sit dictis fautoribus irregularitas statuta, ad eam incurrendam requiri, ut dicta fautoria sit publica; cum de ea, ut publica loquantur textus juris. Porro credentes hæreticorum dicuntur, qui in confuso errores illorum credunt, quatenus nimirum credunt eos esse viros bonos & habere bonam fidem, ad distinctionem illorum, qui distincte illorum doctrinam amplectuntur. Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 70. Sanchez *in decal. l.* 2. *c.* 10. *nu.* 2. Suarez *de cens. d.* 21. *sec.* 1. *n.* 6. Ugol. *de cens. p.* 2. *c.* 1. *&c.* Nomine vero fautorum, receptatorum, defensorum, ut condistinctorum a credentibus hereticorum veniunt hic illi, qui favent hæreticis qua talibus, seu quia talem doctrinam profitentur, iisque ad eam docendam, propagandam, defendendam hospitium, auxilium, defensionem, simileve quid præstant. Quod ipsum quis facere potest ex aliquo suo interesse tanquam fine extrinseco absque eo, quod sit credens hæreticorum, adeoque etiam independenter ab eo, quod suspecti habeantur de hæresi subduntur pœnæ inhabilitatis aliisque. Passer. *l. c. n.* 71. *&* 72. Sanch. *l. cit. n.* 4. Suar. *l. c. n.* 4. Non vero dictis nominibus veniunt, adeoque nec dictis pœnis subduntur, qui hæreticis ad sustentandam vitam, vel titulo amicitiæ, vel alia ex causa donant aliquid, vel succurrunt.

QUÆSTIO DXVIII.

Quid hac in parte dicendum de suspectis de hæresi.

RESP. Suspectos tantum de hæresi (nisi forte ideo suspecti, quia sunt fautores hæreticorum, quamvis nec tunc puniantur ut suspecti de hæresi, sed quia favent hæreticis) absolute non incurrere pœnas hæreticorum, adeoque nec dictam irregularitatem seu inhabilitatem, docet Garc. *de benef. p.* 15. *c.* 20. *n.* 87. Alii vero, ut Henriq. *l.* 14. *c.* 4. *n.* 6. Suarez *d.* 43. *sec.* 2. *n.* 9. & 10. Sanch. *l. c. l.* 2. *c.* 25. *num.* 10. Farinac. *de hæresi q.* 192. *nu.* 81. quos citat & sequitur Castrop. *cit.* §. 1. *n.* 6. tenent, esse illos irregulares secundum quid, id est, quod inhabiles sint & promoveri nequeant, dum non purgaverint Suspicionem; ea tamen purgata, possint absque dispensatione promoveri ad Ordines. Unde etiam tradit Castrop. *l. c.* citatis Nav. *l.* 5. *consil. tit. de haret. cons.* 5. & 6. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 3. *n.* 57. Farinac. *ubi ante num.* 80. Sanchez *n.* 12. &c. quod qui ob vehementem suspicionem hæresis coactus est ab Inquisituribus de vehemente abjurare, facta abjuratione, non manet irregularis, neque inhabilis ad officia publica; cum damnatus non fuerit tanquam hæreticus, sed tanquam de hæresi suspectus, quam suspicionem abjuratione facta, se nunquam in hæresim iocurrisse, nec unquam incursurum, sufficienter purgavit; proinde nec infamis, nec alias inhabilis maneat.

QUÆSTIO DXIX.

Quid hac in parte dicendum de hæreticorum eorumque fautorum filiis.

1. RESP. Hæreticorum eorumque fautorum filios (quin & nepotes, qui ab iis per lineam masculinam, non vero per lineam fœmininam descendunt) irregulares esse & excludi ab Ordinibus aliisque officiis publicis, & beneficiis ecclesiasticis (SS. Canonibus & Juribus hoc crimen hæresis ad instar criminis læsæ majestatis punientibus etiam in filiis, *c. vergentis de haret. l. quisquis Cod. ad Leg. Julian. Majest.*) cum communi docent Suar. *l. c. n.* 1. Sanch. *l. c. c.* 28. *n.* 7. Con. *d.* 18. *du.* 7. *n.* 56. Valent. *d.* 7. *q.* 19. *p.* 3. Engels *ad tit. de scrutin. in ordin. fac. n.* 3. Fundatur hæc sententia in *c. statutum v. volumus de haret.* ubi excluduntur ab officiis. Extenditurque recte a Covar. 2. *variar. c.* 8. *nu.* 3. Sanch. Suarez Azor. & aliis. Ad filios illegitimos & spurios; cum nulla sit ratio, ob quam ii speciali privilegio præ filiis legitimis gaudeant, & textus loquantur generaliter de filiis. Verum hic denuo contrarium, nimirum tales filios nullatenus obnoxios irregularitati, tenent Tolet. *l.* 1. *sum. c.* 25. *num.* 8. Sayr. *l.* 5. *Thes. c.* 10. *n.* 40. quibus favet Castrop. *l. c.* §. 2. *nu.* 2. dicens fundamentum oppositæ sententiæ esse parum efficax; eo quod, ut dictum antea, nomen officii publici non officium Ordinis, sed jurisdictionis temporalis Glos. *in cit. c. statutum* intelligat. Illud certius, quod in Germania nostra aliisque partibus Septentrionalibus, in quibus nulla infamiæ macula aspergitur filiis ex hæresi parentum, quo ad descendentes ab hæreticis, modo ipsi probe Catholici reperiantur, pœnæ istæ irregularitatis aliæque locum non habeant, uti non tantum advertunt scriptores Germani. Engels *l. c. nu.* 4. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 12. & alii passim, sed & Itali ac Hispani. Ex quibus Castrop. *l. c. nu.* 7. expresse inquit; requiritur ad prædictam irregularitatem, ut eorum parentes decedentes hæretici infames ob hæresim reputentur; quod, cum non contingat in regionibus, ubi passim hæretici cum Catholicis sunt permixti, videlicet Anglia, Germania, filii horum parentum, quos constat in hæresi decessisse, irregulares non sint; quia hæc irregularitas in filios derivatur ob infamiam parentum & hæresi contractam, ut advertit Henriquez *l.* 14. *c.* 5. *n.* 4. Sa *v. irregul. ex defect. anim. nu.* 4. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 27. *n.* 28. Bonacina *d.* 7. *de irreg. qu.* 3. *p.* 7. *n.* 9. De cetero, ubi communis sententia obtinet, & ubi irregularitas comprehendit filios ac nepotes, variæ nihilominus limitationes adhibendæ. Nam

2. Primo. Non extenditur ad illos, quorum parentes resipuerunt Ecclesiæ reconciliati. Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 123. Azorius *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *qu.* 1. & 2. Peyrin. *in priv. qu.* 2. *c.* 5. *nu.* 77. juxta *c. statutum de haret.* Ad hanc irregularitatem filiorum requirens, ut parentes decesserint in hæresi a delicto non emendati, neque Ecclesiæ reincorporati. Unde etiam ait Castrop. *l. c. nu.* 4. satis probabiliter ab Henriq. *de irregul. l.* 14. *c.* 5. *n.* 4. Gasp. Hurt. *de irreg. dist.* 2. *diff.* 3. *n.* 8. Simanc & aliis negari, quod filii parentum ob crimen hæresis repetitum combustorum, incurrant illam irregularitatem, modo dicti parentes ante mortem ob data signa pœnitentiæ fuerint absoluti, tametsi non solenniter, cum textus non exigat reconciliationem & reincorporationem solennem; & cum simus in materia pœnali & odiosa, restrictio facienda non sit ad dictam solennem reconciliationem. Cujus contrarium tenent cum communiore, & ut inquit Castrop. in praxi observata sententia Pegna *in director. inquisit. p.* 3. *comment.* 164. Azorius *tom.* 1. *l.* 8. *c.* 13. *post q.* 8. Molin. *tom.* 3. *disp.* 658. *n.* 19. Suar. *cit. sec.* 3. *nu.* 4. &c. eo quod taliter conversi præsumantur in hæresi decedere & ficte converti, magis timore, ne vivi comburantur, quam fidei amore; & quod videatur requisita solennis & juridica absolutio, ut ab Ecclesia judicentur decedere reconciliati. Item contrarium tenent, & quidem a potiore Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 78. & quos citat, Peyrin. *l. cit.* Suarez Sigism. a Bonon. & alii, dum docent, quod etiamsi parentes post relapsum denuo egerint pœnitentiam, filios tamen eorum manere impromovibiles ad officia publica.

3. Secundo. Non nisi ad filios & nepotes parentum, quorum hæresis vel fautoria hæreticorum est notoria. Idem extendunt apud Castrop. *l. c. n.* 6. Azor. Suar. Molin. Pegna *LL. cit.* ad filios eorum, qui combusti, quia probatam hæresim, de qua convicti, negant seu confiteri nolunt. Item ad eos, qui in absentia condemnantur, combustis eorum statuis; eo quod hæc contumacia hæresin probet, *c. cum contumacia de haret. in* 6. Quod tamen satis probabiliter negat Passer. *l. cit. nu.* 84. dum eorum hæresis probata non esset in Judicio, eo quod per hoc, quod tale in Judicio Ecclesiæ & tribunali Inquisitionis haberetur & damnentur pro hæreticis, plus non habeatur, quam quod suspecti de hæresi contumaces sint præsumptive & per fictionem juris hæretici; adeoque tales non sint simpliciter, sed solum analogice hæretici & consequenter in constitutione pœnali, in qua innocentes puniuntur ob delictum alterius, nomen hæretici non debeat extendi ad talem significationem impropriam & analogicam. Ad hæc etsi contumax in jure reputetur confessus, hæc tamen confessio non noceat hæredibus, *l. ejus, qui delatorem ff. de jure fisci*, & sententia lata in contumaciam neminem infamet Surdus, *vol.* 2. *cons.* 573. *nu.* 100. Nec in crimine læsæ majestatis pœnæ Patris damnati non nocent filiis, nisi in processu probatum. Roland. *vol.* 4. *cons.* 29. *n.* 21.

4. Tertio. Non extenditur nisi ad filios & nepotes parentum quorum hæresis vel fautoria hæreticorum est notoria, notoreitate vel facti, vel juris, vel per propriam confessionem factam in judicio, vel per sententiam Judicis. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *qu.* 3. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 43. *sec.* 3. *n.* 2. Sanchez *in decal. l.* 2. *d.* 27. *n.* 28. Lessius *l. c. nu.* 121. eo quod in *c. statutum*, ubi ista pœna irregularitatis statuitur dictis filiis requiratur, ut hæretici tales esse probentur; in jure autem illud probatum dicitur, quod aliquo ex dictis modis est notorium. Passer. *l. c. n.* 79. Quin etiam non extendatur ad filios eorum, quorum quidem hæresis est notoria notoreitate facti, quia tamen conversati & decesserunt inter hæreticos, infamiam non incurrunt. Et quidem hoc congruenter ad dicta paulo supra hac *ead. quæst.* Quod tamen reprobat Passer. *n.* 82. putans hæresim semper generare infamiam apud bene sentientes; & notoreitas facti non requiratur ut generans infamiam, sed ut manifestans rem, ita ut exinde censeantur probati hæretici.

5. Quarto. Non extenditur ad filios natos ante commissam hæresim paternam; eo quod sic nati non sint formaliter filii hæreticorum, sed nati a parentibus Catholicis. Lessius *cit. n.* 121. Henriq. *l. c. n.* 5. Sanch. *l. c. n.* 54. Hurtad. *l. cit. diff.* 3. *n.* 8. Bonac. *d.* 7. *q.* 3. *p.* 7. *n.* 10. Nav. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 2. Imo ne quidem ad conceptos ante hæresin paternam. Less. Bonac. *LL. cit.* Quorum tamen utrumque negant Passer. *n.* 78. & 88. item Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 74. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 79. & alii, quos citavi & secutus sum *in for. benef. p.* 1. *q.* 297. *n.* 8.

6. Quinto. Ex privilegio Pontificis immunes sunt ab illa irregularitate aliisque pœnis filii hæreticorum, si parentes hæreticos denuncient Inquisitoribus. Pegna *l. cit. p.* 2. *c.* 54. *comment.* 55. Sanchez *loc. cit. num.* 31. Farinacius *loc. cit. qu.* 191. *num.* 37. Et plures alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. nu.* 8.

QUÆ-

QUÆSTIO DXX.

An descendentes a Judæis vel Saracenis sint inhabiles ad Ordines.

RESp. Descendens a Patre Judæo vel Saraceno (modo non sit neophytus, sed in infantia baptizatus) non est irregularis, & non prohibetur ordinari. Si enim talis jure communi non est inhabili ad dignitates ecclesiasticas & beneficia obtinenda, ut tenet Castrop. *loc. cit. §.* 3. *n.* 3. Covar. *Clem. si furiosus p.* 1. §. 2. *n.* 8. *concl.* 6. Sanch. *cit. c.* 28. *n.* 15. Suar. *de cens. d.* 43. *sect.* 3. *n.* 8. Sayr. *l.* 6. *c.* 13. *n.* 10. multo minus est inhabilis ad Ordines suscipiendos; quin &, ut ex Sanchez *l. cit. n.* 16. notat Castrop. cum a testibus exigitur juramentum, an ordinandus sit Christianus veteranus, verè dicere possunt, quod sic, eo quod interrogatio hæc ita sit intelligenda, an ita sit Christianus veteranus, ut non sit neophytus. Imo testes jurare posse, Illum non descendere a Judæis; quia non descendit eo modo, quo impeditur ab Ordinibus, beneficiis & officiis publicis. Neque obstat primo Trident. *sess.* 23. *c.* 7. præcipiens Episcopis inquirere ordinandorum genus; dum Concilium hac in parte nihil immutavit & hac inquisitione facienda solum intendit, ut ea; quæ a jure sunt statuta, exactè observarentur. Castrop. *l. c.* Neque secundo constitutio Pauli V. relata a Nav. *l.* 5. *consil. tit. de Judæis cons.* 1. in qua prohibentur descendentes ex Judæis usque ad quartam generationem institui SS. Ordinibus, quam constitutionem Gregor. XIII. dicitur extendisse ad descendentes ex Saracenis. Nam, ut Avila, *de irregul. d.* 4. *du.* 3. Hurt. *d.* 2. *diff.* 3. *n.* 9. apud Castrop. *loc. cit. num.* 4. hæ constitutiones non sunt usu receptæ, præterquam quod a Sanch. *l. c. c.* 27. *n.* 3. Rodriq. *qq. Reg. Tom.* 1. *q.* 24. *art.* 1. & 2. sint latæ pro Ordine D. Francisci, ne scilicet tales ad eum admittantur. Neque obstat tertio, quod *c. constituit* 17. *q.* 4. Judæi aut ii, qui sunt a Judæis, arceantur ab officiis publicis. Nam, ut Castrop. cum Suar. *n.* 9. Sanch. *c.* 28. *n.* 15. id intelligendum de iis, qui nati ex Judæis noviter conversi sunt ad fidem, vel etiam, ut Castr. de suo addit, ii, qui sunt ex Judæorum familia, & in Judaismo manent.

QUÆSTIO DXXI.

An neophyti arceantur ab Ordinibus.

RESp. Neophytos (quo nomine veniunt solum adulti recenter baptizati) esse irregulares & arceri ab ordinibus omnibus. Barbos. *de potest. Ep. p.* 2. *tit.* 2. *gl.* 17. *n.* 6. citatis quamplurimis. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 2. *q.* 2. Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 1. Sayr. *l. c. c.* 10. *n.* 10. & alii cum communi, juxta *c.* 1. & 2. *d.* 48. Unde etiam excludi eos a Prælaturis & officiis, quæ exercitium Ordinum exigunt, non verò ab aliis, quæ puram jurisdictionem concernunt, ait Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 61. finito autem statu neophytorum sine ulla alia dispensatione promoveri possunt ad Ordines dignitatesque ecclesiasticas. Castrop. *l. c. n.* 2. Suar. *de cens. d.* 43. *s.* 3. *n.* 7. Passer. *n.* 62. Porrò status hic regulariter finitur decennio, seu non durat ultra decennium. Castrop. Passer Sayr *LL. cit.* Quamvis citius, etiam intra biennium finiri possit pro majore Neophyti in fide moribus, scientia, qualificatione. Quod ipsum Episcopi arbitrio decidendum relinquitur. Castrop. *l. c.* citatis Coninck. *d.* a. *du.* 7. *n.* 55. Bonac. *de irreg. d.* 7. *q.* x. *p.* 1. *n.* 6. Suar. *n.* 6. & aliis. Unde licèt Episcopus in hac irregularitate dispensare, & neophytum nondum per tempus congruum probatum, etiam in penuria ministrorum, vel etiam ob excellentiam qualitatum statim a suscepto Baptismo sine aliqua morali distantia ad ordines promovere nequeat sine dispensatione Papæ; spectat tamen ad eum, consideratis neophyti eruditione, prudentia, fide, humilitate &c. & recta conversatione arbitrari & decernere, cum exisse statum neophytorum, & ad Ordines promoveri posse. Quod tamen arbitrium quo ad neophytos promovendos ad Episcopatum relinquendum Papæ. Passer. *n.* 61. & 62. vide Barbos. *l. c. n.* 7. & *seq.* ubi qualiter Ambrosius mox a Baptismo promotus ad Episcopatum, & qualiter prohibitio Apostoli de neophyto non promovendo ad Episcopatum non sit ex præcepto divino seu Christi. Et qualiter Pontifices plures Judæos statim a Baptismo promoverint ad primarias dignitates.

QUÆSTIO DXXII.

Quis dispensare possit cum hæreticis redeuntibus ad fidem, ut promoveri possint ad ordines.

1. RESp. primo. Ut Ordinibus initientur, vel etiam si initiati sunt, ut ad superiores ascendant, dispensare potest solus Pontifex, intelligendo, dum hæresis fuit notoria. Suar. *cit. s.* 1. *n.* 6. Bonac. *cit. q.* 3. *n.* 12. Sanchez *in decal. l.* 2. *c.* 25. *n.* 13. Castrop. *l. c.* §. 4. *n.* 1. Et quamvis Hurt. *l. c. diff.* 3. *in fine* velit, posse eos sine dispensatione ulla ministrare in Ordinibus jam ante hæresim susceptis; contrarium tamen tenent Suar. Sanch. Castrop. *LL. c.* eò quod in *c saluberrimum*, 1. *q.* 7. dicatur, eos debere habere pro beneficio, quod in Ordinibus susceptis ministrare possint, adeoque iis hæc ministratio non sit debita. Quinimo putant Suar. Sanch. LL. *cit.* Bonacina *l. c. num.* 3. Ne quidem Episcopum cum iis dispensare posse, quod ad usum Sacerdotii. Argum. *c. presbyter.* 50. *dist.*

2 Resp. secundo. In eo, num dispensare possit Episcopus virtute Trid. *sess.* 24. *c.* 6. in hac irregularitate occulta, neque ad forum contentiosum deducta, non conveniunt AA. negant Suar. *l. c. num.* 15. Tolet. *l.* 1. *c.* 46. Bonac. *l. c. num* 12. Filliuc. *tr.* 20 *num.* 231. eo quod denegata sit Episcopis potestas absolvendi ab hæresi, adeoque & potestas dispensandi in irregularitate ex illa proveniente tanquam quid majus. Contrarium tenet Castrop. *l. c. num.* 4. citans pro se Sanch. *ubi ante num.* 18. & Farinac. *de hæres. q.* 194. *num.* 79. eo quod ista irregularitas non sit certa sed dubia; ac proinde, etsi detur, Episcopis negatam potestatem absolvendi ab hæresi, inde non inferatur, negatam quoque potestatem dispensandi in illa irregularitate dubia. Dum autem dicitur, potestatem dispensandi majorem esse potestate absolvendi, intelligendum sit de potestate dispensandi in impedimento certo. Neque etiam dispensatio hujus irregularitatis sit annexa absolutioni ab excommunicatione; cum sint potestates omnino distinctæ & separatæ. Quin & tradunt Herniq. *l.* 14. *c.* 18. *num.* 2. Mandos. *de signat. grat. v. absolutio ab hæresi. ad init.* & alii apud Castrop. *num.* 5. posse quemlibet ex Inquisitoribus, saltem in foro conscientiæ dispensare in dicta irregularitate juxta Const. Clem. VII. relatam a Pegna *in director. inquisit.* Verum id rectius negant Suar. *n.* 5. Sanch. *n.* 19. Farinac. *q.* 192. *n.* 76. & cum eis Castrop. eo quod dicta constitutio data tantum pro personis, quæ eo tempore aderant, censeatur usu & consuetudine revocata.

3. Resp. tertio. Si quæ contracta irregularitas ob Apostasiam fictam a fide, poterit Episcopus dispensare cum clericis presbytero inferioribus, ut in susceptis Ordinibus ministrent, non verò, ut ascendant ad ordines superiores, uti nec cum aliis, ut Ordines suscipiant. Neque cum presbytero, ut munus sacerdotale & prædicationis exerceat. Si vero verè apostatavit, ne quidem, ut in susceptis Ordinibus ministrent, alius præter Papam dispensare potest, uti hæc omnia constare ait Castrop. *l. c. n.* 6. ex *c. presbyter.* 50. *dist.* & docent Suar. *cit. s.* 2. *n.* 4. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 25. *num.* 21.

4. Resp. quarto in irregularitate contracta a filiis hæreticorum solus Papa dispensare potest, cum hoc in Trid. non concedatur Episcopis, utpote quæ non est ex delicto immediatè proveniens, sed ex aliqua indecentia, quam filii ex delicto parentum contrahunt; poterunt autem tales filii, antequam delictum parentum declaretur & fiat notorium, ministrare in ordinibus susceptis. Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans Gloss. *in cap. satis perversum* 56. *dist. ad init.* Maiol *lib.* 5. *de irregular. cap.* 47. *n.* 6. Suar. *cit. sess.* 3. *n.* 2. Argum. *c.* 2. *de hæret. in* 6.

QUÆSTIO DXXIII.

Per modum prænotabilis ad seq. quæst. *quid & quotuplex sit infamia.*

1. RESp. primo. Infamiam quandoque sumi quasi radicaliter pro aliqua intrinseca deturpatione, quæ ubi fit palam, apta est parere in aliis vilipensionem de tali persona. Aliquando vero quasi actualiter & formaliter pro ipsa talis deturpationis notitia, & inde secuta vilipensione. In hoc secundo sensu accepta, & quidem magis secundum etymon nominis, quo fama a fando dicitur, describi potest infamia, quod sit notitia & opinio manifestata & divul-

vulgata extrinsecus voce; orta etiam ex ratinnabilibus & probabilibus conjecturis (non enim semper requiritur, ut ii, apud quos delictum divulgatum & diffamatum, sint testes de visu) sufficientibus tamen ad hoc, ut viri providi, graves & honesti opinentur ita esse (alias enim non erit fama, sed vox vana populi) habita a majore parte; ita ut in majoribus criminibus major numerus personarum; quam in minoribus ad infamiam, & multo major ad infamandam personam publicam, quam privatam requiratur. Abb. in c. inquisitionis de accus. n. 6. virorum honestorum, prudentum & gravium (infamis enim non est, cujus fama læsa tantum apud malevolos, maledicos, pueros, mulieres aliasque personas leves. Garc. de benef. pag. 7. cap. 6. n. 12. Sanchez opusc. mor. l. 6. c. 3. du. 90. juxta c. quando & qualiter, de accusat.) qui verisimiliter id scire possunt ac debent, si factum est verum & divulgatum; quales fere sunt vicini & multitudo eorum, quorum interest scire v. gr. Scholarium Universitatis, etsi hi habitent in diversis partibus civitatis, respectu delicti commissi ab uno illorum; ita tamen, ut si eorum multitudo sit parva, & non tanta, ut constituat populum (ad quem constituendum requiruntur ad minimum decem, c. curio 19. q. 3. Sylv. v. populus) non sufficiat major pars illorum, ut dicatur factum famosum.

2. Resp. secundo infamia accepta in primo sensu pro illa ipsa deturpatione intrinseca, ut explicetur melius, dividenda est in infamiam facti & infamiam juris. Infamia facti est macula quædam moralis independenter ab omni lege humana ad ipsum factum consurgens, & pariens de operante notitiam obscuram cum vituperatione & reprehensione, per quam in opinione hominum persona tanquam maculata censetur indigna ad actus quosdam legitimos, dignitates & munia. Privat hæc directe & primo possessione naturali famæ, ut Passer. de elect. c. 25. n. 547. Infamia juris est macula moralis ad factum non nisi ex vi & institutione legis, sive scriptæ, sive non scriptæ consurgens & maculans in ordine ad effectus a lege intentos. Unde etiam ulterius definiri potest; quod sit a jure inducta privatio dominii famæ legalis, seu ejus famæ honorabilis & claræ, quam in hominibus supponunt actus legitimi, ut decenter & valide exerceantur. Unde vides, hanc infamiam juris non dicere nec respicere opinionem aliorum, nec esse necessariu quid divulgatum, uti forte requiritur ad infamiam facti, ut respiciat saltem opinionem illam aliorum; quia hoc famæ dominio privati sunt etiam delinquentes occultissimi, quibus hæc pœna infamiæ juris ipso facto incurrenda statuta est; infames enim sunt, quos lex infamat eo ipso, quod aliquid commiserint. Jason. in l. cunctos populos de sum. Trinit. Lect. 2. nu. 44. Quod autem tales delinquentes occultos non liceat infamare, inde est, quod etsi dominium famæ amiserint, eam de facto tamen adhuc possideant; & ne latro quidem hoc injuria exturbandus sit a possessione propria authoritate. Ita Pass. l. c. Ex quibus jam etiam illud infertur, quod infamia facti & simul juris incursa privet dominio & possessione non tantum naturali, sed & civili famæ.

3. Resp. tertio ad infamiam juris consistentem in illa privatione dominii famæ (quæ est status quidam dignitatis illæsæ legibus & moribus comprobatus l. cognitio §. existimatio ff. de variis & extraord. cognition.) & inhabilitatem ad actus legitimos non requiri notoreitatem facti, ob quod illa inflicta a jure delinquenti. Jason. l. c. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 7. Sylv. v. irregular. Suarez de cens. disp. 48. sec. 1. nu. 7. contra Abb. in c. ex tenore h. 1. Nav. c. 27. nu. 248. Covar. variar. resol. c. 3. n. 2. Sanch. in decal. l. 2. c. 26. n. 1. Laym. de irregul. c. 4. n. 8. Henriq. Avil. & alii, quos citat & sequitur Castr. de cens. disp. 6. pag. 20. n. 3. Hoc verum, ut incurratur infamia consistens in illa obscura notitia cum vilipensione committentis delictum, cui ipso facto a jure irrogata dicta privatio & inhabilitas, & ut sciatur ista illius jam a jure facta dejectio, ex statu illo honorifico, in quo erat ante delictum, constetque actus ipsos a tali gestos esse illegitimos, ad hoc inquam, ut patet, requiritur manifestatio & notoreitas illa facti; qua etiam ratione videntur duæ sententiæ sibi contrariæ posse conciliari.

4. Resp. quarto, dari & aliam speciem infamiæ juris, quæ oritur ex condemnatione delicti publici proprii, adeoque hanc requirit, esto de cetero sit delictum privatum, cui a jure non statuta ipso facto privatio illa famæ, l. Athletas §. ult. ff. de his qui notantur infam. Sic damnatus ob intervenientem dolum in contractu societatis, in tutela, mandato, deposito, accusatione alicujus criminis subjicitur infamiæ. Castrop. l. c. nu. 4. ex Molin. tr. 4. d. 9. nu. 22. & seq. Ut autem ob condemnationem incurratur dicta infamia juris, & inde secuta irregularitas & inhabilitas non tollibilis per pænitentiam, sed egens dispensatione, requiruntur sequentia: ut delictum, de quo quis condemnetur sit commissum dolo malo, qui juxta Sylv. v. culpa n. 1. est machinatio, calliditas, fallacia ad alium decipiendum adhibita. Condemnatio facta per Judicem ordinarium, pœna ordinaria, sententia definitiva, quæ transierit in judicatum. Passer. de elect. c. 25. nu. 574. Ita ut non pariatur hæc infamia & irregularitas simpliciter talis. Primo, si delictum commissum sine dolo, etiam ex ignorantia crassa, c. infames 3. quæst. 7. l. 4. ff. de his, qui not. infam. Sanchez opusc. l. 6. c. 3. du. 7. n. 14. Passer. nu. 569. Secundo, si damnatus non sit sententia Judicis ordinarii, sed arbitri, l. quid ergo ff. de his, qui not. Sylv. v. infamia qu. 5. n. 8. Sanchez l. c. Pass. nu. 570. Tertio, si non fuerit sententia definitiva, antequam reus non censeatur condemnatus, sed v. gr. lata in contumaciam, hæc enim non infamat. Castropalao l. cit. Molin. l. 2. n. 5. Pass. l. cit. sufficit tamen sententia definitiva lata ex indiciis indubitatis, seu præsumptionibus; cum hæc interim transeat ad effectum executionis. Menoch. l. 1. præsump. 96 Quarto, si sententia non transierit in judicatum, eo quod fuerit interposita appellatio. Passer. num. 571. Ita tamen, ut si a Judice, ad quem appellatum, confirmetur prior sententia, fuit retrotractio ad diem sententiæ. Molin. l. c. nu. 4. Ugol. de irreg. &c. Quinto si pœna sit severior ordinaria; censetur enim tunc Judex transegisse super infamia, l. quid ergo ff. de his, qui not. infam. & ibidem Bartol. Molin. l. c. Passer. n. 573. Item si pœna fuerit mitior ordinaria ex causa intrinseca; quia scilicet culpa fuit diminuta, nec ei debebatur integra pœna ordinaria; vel etiam, si pœna fuit mitior ex causa extrinseca, v. gr. quia reus erat præclarus artifex. Glos. magna in cit. l. quid ergo. Bartol. ibid. n. 11. Bald. nu. 13. Passer. num. 572. His omnibus aliam insuper conditionem addit Suar. l. c. sec. 5. n. 6. & Abbas in c. inquisitionis de accusat. n. 2. apud Castrop. l. cit. nimirum, quod condemnatio debeat esse facta accusatore instigante, & non sufficiat, latam ex officio Judicis. Item aliam adhuc Passer. num. 574. ut reus per seipsum steterit in judicio, ita ut, si in causa, in qua agit per procuratorem, damnetur reus nec is, nec procurator maneat infamis. Porro ad probandam hanc infamiam non sufficere, aliquem fuisse ductum ad furcas; eo quod quis ad has potuerit quis fuisse condemnatus sine sententia definitiva, habet Passer. l. cit. referens decis. Rotæ. Item hanc infamiam probari non posse per testes, adeoque opus esse scriptura sententiæ juxta Lanfranc. in cap. quoniam contra de prob. n. 72. De cetero ex eo, quod quis accusatus in judicio, non tamen sententiatus, ne quidem sit infamis infamia facti, nisi talis diffamatus jam esset ex motivis probabilibus apud viros graves. Host. & Jo. And. in cap. meminimus de accus. Azorius p. 2. lib. 6. c. 7. qu. 4. Barbos. cit. alleg. 43. n. 14. Passer. n. 591. Sed neque talis infamia juris incurritur ex eo, quod delictum, cui infamia ipso jure non statuitur, per solam confessionem rei in judicio coram Judice legitimo, atque ita notorium altera specie notoreitatis. Abbas in c. si clerici de Judic. Sylv. Ang. Armil. v. infamia. Barbos. in l. furti ff. de his, qui not. infam. Passer. n. 575. contra Nav. c. 23. n. 73. dicens neque in hoc contrarium esse Suarez cit. s. 2. n. 23. cum is, ut patet ex nu. 24. loquatur de casu, in quo per legem in specie pro aliquo delicto imponitur infamia ipso jure.

5. Resp. quioto. Incurritur quoque hæc infamia juris ex pœnis publicis, ad quas quis per sententiam Judicis damnatus. Castropalao l. cit. non tamen sufficit ad hoc pœna pecuniaria, sed requiritur corporalis, qualis est v. gr. pœna fustigationis, flagellationis, & similium, l. ictus ff. de his, qui not. infam. l. fustibus C. ex quibus caus. infam. irrogat. non obstante, l. nullam C. eod. dicentes non incurri propterea infamiam; cum loquatur de casu, in quo hæc pœna infligitur causa indagandæ veritatis. Molin. l. cit. n. 29. apud Castrop. Item damnatio ad opus publicum v. gr. ad metallum, l. Capitalium ff. de pœnis. Item exilium, etiam temporale, l. Imperator. ff. de postul. damnatio ad triremes. Barbos. de off. Episcop. alleg. 43. n. 55. Tusch. v. infamia concl. 111. n. 5. Passer. n. 578. contra Riccium decis. cur. Neapol. decis. 129. Homobon. vol. 2. pag. 4. resp. 158. Successit enim damnationi ad metalla & deportationi. Abb. in rub. de testam. nu. 4. Molin. citatus a Passer. n. 577. Item bannum, sive simplex illud sit, sive capitale. Bartol. in l. amissum ff. de capit. diminut. Sylv. v. bannitus. Item exauctoratio seu privatio militiæ, l. 2. ff. de cap. diminut. Depositio ab officio, l. aut damnum ff. eod. Item in jure Canonico degradatio. Abbas in cap. cum te de sent. & re judic. n. 20. Depositio a beneficio. Glossa in c. licet Heli v. infamia de Simon. Hostiens. ibid. quamvis de hac pœna depositionis dubium esse, an infamet, præcisa qualitate delicti, dicat Passer. n. 579. depositionem autem ab Episcopatu, ordine vel beneficio ideo infamare, quia non fit, nisi ex gravissimis delictis. Abbas & Syr. citati a Passer. Ac denique ex eo,

quod

quod quis damnatus ad pœoiteotias solennes ex crimioe famoso, fit iofamis & irregularis irregularitate etiam post peractam prœniteotiam permanente. Lavor. *de elect. c.* 16. *num.* 514. Alterius *de cens. tom.* 2. *d.* 16. *de suspens. c.* 1. Majol. *de irreg. l.* 3. *c.* 2. *n.* 4. Passer. *n.* 583. Porro, ut dictæ pœnæ inducant iofamiam juris, requiruotur sequentia. Primo, ut seotentia sit lata cognita causa ob crimen ex dolo procedens, *c. infames* 3. *q.* 7. Passer. *n.* 590. ut damnatio ad talem pœnam fiat in judicio justo & legitimo; ita tamen ut sofficiat, aliquem per sententiam interlocutoriam esse damnatom ad tales pœnas; cum sic adhuc pœna sit notoria io jure. Passer. *nu.* 581. Tertio debet constare de justa sententia per productionem illius. Barbos. *de potest Episcop. alleg.* 43. *n.* 16. Quarto, ut sit notorium, pœnam irrogatam ex delicto famoso notorio, & noo tantum ex suspiciono vel præsumptione criminis. Licet per hoc, quod quis publice sit pœniteotiatus ob suspicionem criminis famosi v. gr. hæresis, dum causa hujus suspicioois fuit publica, incurratur infamia facti.

6. Resp. sexto. Item est alia species infamiæ juris ex delicto alieno, qua v. gr. filii & oepotes parentum violentas manus injicientium in Cardinalem S. R. E. iufames efficiuntur, *c. felicis de pœnis in* 6. Filii proditorum, committentium crimen læsæ Majestatis, jure civili redduntur infames, *l. quisquis §. filii c. ad leg. Jul. Majest.* Item secundum aliquos filii hæreticorum; quod tamen rectius negant Castrop. *l. c. n.* 5. Suar. *d.* 48. *s.* 3. Sanchez *in decal. l.* 2. *c.* 28. *n.* 8. etsi admittant esse irregulares, si enim essent infames, essent inhabiles ad testandum. Item secundum aliquos illegitimi; quod rectius negant Castrop. *l. c.* Covar. *pract. qq. c.* 19. *n.* 6. Molin. *tr.* 4. *d.* 7. *n.* 5. non enim arcentur ab officin tabellionatus & decurionatus, *l. generalis.* & *l. Spurii ff. de decurionib.* oeque a jure hæreditatis ex testamento. Sed neque filii histrionum & Caroificum aliorumque vilia officia exercentium ullo modo iofames sunt aut etiam irregulares. Castrop. Suar. *LL. cit.* Ac denique est iofamia ex officin, dum aliqua sunt in Rep. officia tam vilia, ut ea exercentibus infamiam irrogent; quales erant olim histriones obscæna publice in theatris exercentes, *leg.* 1. & 2. & *seq. ff. de his qui notantur infam.* Molin. *tr.* 4. *d.* 8. *nu.* 1. Sanchez *l. c.* Nequaquam tameo carnifices, lictores, esto gerant officia infimæ notæ, esse exinde iofames, nullo jure scripto caveri, ait Castrop. *l. cit. nu.* 6. Sed forte alicubi ex consuetudine habentur tales iofames.

7. Resp. septimo. Crimina, quibus jus civile commune infamiam annectit, sunt. Lenocinium, quod committit, qui ex consuetudine virum vel fœminam inducit, ut cum alio fornicetur, *l.* 5. *l. athletas ff. de his qui not. infam.* Secundo qui bina matrimonia, etsi invalida, contrahit propria authoritate, secus, si alterius, cui subjicitur, jussu *l.* 1. & *l. quid ergo ff. eod.* Tertio locans suas operas, ut cum bestia depugnet, nisi forte hæc esset aliis perniciosa *l.* 1. *ff. de postulando.* Quarto descendens in certamen privatum cum alio homine quæstus gratia, seu accepto pretio, *l.* 2. *ff. de his, qui not.* secus, si causa fortitudiois ostendendæ, etiam proposito præmio, id faciat *loc. cit. C. de Athletis.* Quinto Miles seu Dux ab exercitu dimissus ob delictum ibi commissum, vel si ob eam causam privaretur insigniis militaribus, *lib.* 1. & 2. *ff. de his qui not.* Sexto: Miles aliena prædia conducens negotiationis gratia, *l. ult. ff. de locato.* Septimo usurarios ex officio fænus exercens, *l. improbum C. ex quibus caus. infam. irrogetur.* Octavo non implens juramentum suum promissorium, *L. si quis major. C. de transactionibus.* Porro jure civili speciali certorum regnorum sunt & alia crimina, quibus irrogatur infamia. Sic jure regni sui, hoc est Legioneosis, Sodomitas esse infames, etsi probabilius jure communi tales non sint, ait Castropalao *loc. cit. num.* 2. Jure vero Canonico iofames sunt rei læsæ Majestatis tam humanæ quam divioæ, eorum fautores, hostiliter iosectantes Cardinales S. R. E. *cap. felicis de pœnis in* 6. raptores mulierum Trident. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* descendentes io duellum eorumque patrini. Trident. *Sess.* 25. *cap.* 19. Ac denique omoes, qui jure civili infamiam incurrunt, iofames jure Canonico censentur. Castropalao *cit. num.* 2. juxta *capit. omnes* 6. *qu.* 1. ubi Adrianus dicit: *omnes infames esse dicimus, quos leges sæculares infames appellant.*

QUÆSTIO DXXIV.

An qui & qualiter infames repellantur ab ordinibus.

RESP. Omnes iofames, sive iofamia juris sive infamia facti sunt irregolares, ac proinde nec ad Ordioes promoveri, nec in iis ministrare possunt. Suarez *dist.* 48. *sec.* 2. Navar. *c.* 27. *n.* 204. Avil. *p.* 7. *dist.* 4. *du.* 5. Bonacina *de irregul. d.* 7. *qu.* 3. *p.* 1. Castrop. *cit. p.* 20. *n.* 9. Argum. *c. infames* 6. *qu.* 1. *c. qui in aliquo dist.* 51. Est enim hic effectus secundarius utriusque illius iofamiæ juxta dicta ut tales sint inhabiles & impediti ad actus legitimos, præsertim Ordinum, Prælaturæ dignitatis propter excelleotiam, honorem & sanctitatem suam requirentium ministrum puri & immaculati nominis, seu famæ illæsæ & claræ, æstimatiooisque commendabilis.. Porro est hoc inter prædictos iofames at proinde irregulares discrimeo; quod infames infamia juris sint simpliciter irregulares, durante eorum inhabilitate perpetuo, usque dum cum illis dispensetur. Infames infamia facti sint irregulares & iohabiles secundum quid, seu ad tempus, cessante oimirum eorum illa inhabilitate per emendatinnem vitæ citra dispensationem.

QUÆSTIO DXXV.

An igitur infames infamia juris latæ sententiæ & ipso facto incursæ, absque eo, quod præcedat sententia declaratoria delicti, aut hoc sit notorium, vel etiam publicum, teneantur in conscientia abstinere ab Ordinibus suscipiendis aliisque actibus, ad quos illos dicta infamia inhabilitat.

RESPONDENT affirmative Imol. *in cit. cap. felicis.* Felin. *in c. cum non ab homine de judiciis n.* 10. Suarez *cit. d.* 48. *sec.* 1. *n.* 17. Et sic censent, teneri talem abstinere a petitione & susceptione ordioum, a beneficio & Prælatura acceptandis, a testificando &c. quaotum fieri potest possessione famæ suæ salva, & absque manifestatione delicti sui; eo quod latæ sententiæ quo ad effectus mere privativos, seu non requirentes ad executionem sui actom homiois, secum feruot executionem suam, nec indigeaot facto alterius; noo tamen teoeri ad dimittendum beneficium vel officiom jam obtentum; eo quod hic effectus pœnalis sit positivus. Ecootra Jason. *in l. si quis major. ff. de transactionib. n.* 25. Bursatt. *cons.* 14. *n.* 18. Jo. Aod. *in c. felicis n.* 2. Sanchez *de mat. l.* 7. *d.* 13. *n.* 1. Azor. *tom.* 1. *l.* 8. *c.* 13. Passer. *de elect. cap.* 25. *nu.* 555. citans Molin. Felin. Sayr. &c. seotire videntur, infamem ipso jure, occultum tamen, non teneri ad hoc, nec probiberi habere se extriosecos ot non infamem, utpotu qui manet io possessione famæ suæ, retinetque jus possidendi eaque otendi; adeoque habet extrinsecus & possidet æstimationem illam laudabilem, quam ratio & jura reqoirunt ad ordines alios legitimos, dignitates &c. Cum enim fundetur impedimentum hoc ad ea in privatione famæ (iotellige, actuali illa cousistente in obscura illa notitia ex vilipensione delinquentis) tanquam effectus secundarius, quamdiu hanc iofamiam non iofert, nec illud inducit. Nihilominus, cum infamis ipso jure a tempore commissi crimiois sit & maneat privatus dominio famæ suæ, accedens dein sententia declaratoria criminis, vel etiam alionde deducto facto notorio vel publico, hæc sententia vel notoreitas retrotrahenda est ad tempus commissi criminis, ita ut ab hoc tempore ipso jure nullæ fiot electiones promotionesque illius ad beneficia (non tamen ordines, dum hi semel collati valide, deioceps iovalidari nequeant ob characterem impressum) Item actus ab eo gesti, exceptis ab eo actis ratione officii seu juriidictionis, hæc enim sustineotur ut legitime gesta in gratiam boni communis ex *L. Barbar. ff. de off. Prætor.* Suar. *l. c.* Passer. *n.* 554. Item ab eo tempore ceosendus sit privatus esse beneficiis habitis eorumque fructibus, ut vel sit pœna infamiæ ipso jure lata effectum hunc habeat, oe alias nullum habens, non distingueretur a pæna oon lata ipso jure sed solum ferenda. Suarez *l. c. nu.* 16. Azorius *p.* 1. *l.* 6. *c.* 13. *post quæst.* 8. Passer. *num.* 554.

QUÆSTIO DXXVI.

An & qualiter & a quo dispensari possit in ista irregularitate orta ex infamia, & hæc aboleri.

1. RESP. Primo infamiam facti proprie loquendo esse indispensabilem; cum jus naturæ & dictamen rationis indispensabile probibeat, infamem, maoentem infamem (hoc est, qui digna prenitentia & virtuosa vita præcedentem infamiam non abstersit) promoveri ad ordines seu officia ecclesiastica. Passer. *de elect. cap.* 25. *num.* 540. Hinc contrarinm docentes, nimirum posse quandoque in hoc dispensari, ut Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 43. *num.* 30. Mirand. *tom.* 2. *qu.* 8. *art.* 5. Rodriquez *tom.* 1. *qq. reg. qu.* 24. *nu.* 6. *&c.* videntur confundere infamiam facti cum infamia juris. Nihilominus vere contrarium docet Castropalao *cit. p.* 20. *nu.* 13. hisce expressis; quo ad effectus jure canonico infamibus inductos certum est, Pontificem dispensare posse; potest oamque absolute infames ad ordines & beneficia promovere; sed quia ea promotio noo expedit, nisi purgata infamia, & persona in statum pristinum restituta, nuoquam Pontifex id præstabit, nisi prius infamiam aboleverit &c. Verum hoc ipsum erat in quæstione, num dictus effectus infamiæ, nimirum iohabilitas ad ordines sit pure a jure humano, dum jus naturæ dictat criminosum & deturpatæ vitæ deputandum non esse in ministrum istiusmodi sacrorum officiorum.

2. Resp. secundo, infamiam juris a quolibet clerico Pontificem abolere posse; quia is ejus jurisdictioni subjectus; non vero a laico, nisi vel ipse vel Judex eam irrogans sub Pontificis jurisdictione existat, tradit Castrop. *p.* 20. *num.* 13. citans Molin. *tr.* 4. *disp.* 10. *num.* 3. idque Argum. *c. cum te de sent. & re judic.* Verum si Papa laicum jurisdictioni suæ temporali non subjectum legitimare potest in ordinare ad munia ecclesiastica & ordines, cur talem laicum infamem infamia juris ioducta a jure civili habilitare non posset ad eadem munia; illud certum, Principem sæcularem (intellige, qui leges istiusmodi annexivas infamiæ condere potest) posse a suis subditis tollere infamiam a jure civili inductam, qua sublata, cesset irregularitas in ea fundata. Castrop. *l. c.* citans Henriq. *l.* 14. *c.* 5. *n.* 3. Avil. *p.* 7. *d.* 4. *du.* 5. Suar. *disp.* 48. *sec.* 2. *n.* 4. & 10.

3. Resp. tertio. Episcopus nullatenus cum infamibus dispensare potest (intellige abolendo infamiam etiam jure Canonico tantum inductam) ut ad ordines ascendant. Castrup. *l. cit.* qui tamen subdit, posse illum concedere dispensationem, ut post peractam pænitentiam in susceptis ordinibus ministrent, si delicta, ex quibus contracta infamia, sint adulterio minora; pro quo citat *cap. at si Cleric. tit. de Judic.* Abbas *in cap. cum te numer.* 15. *de sentent. & re Judicat.* Molin. *d.* 10. *n.* 6. Henriq. & Avil. *ubi ante.* Quod si dictum velit de infamibus infamia facti, *τὸ dispensatio* minus proprie accipienda erit. Nam infames infamia facti post peractam pænitentiam, ut dictum, non egent dispensatione, neque ad mioistrandum in ordinibus, neque ad illos suscipiendos; sed ad summum opus erit, Episcopum arbitrari, num sufficiente & sat longa pænitentia dicta infamia abolita. Si vero de infamia juris, res non caret difficultate; cum post abolitam per pænitentiam infamiam facti remanet adhuc infamia juris (quæ æque inhabilitat ad ministrandum in susceptis, quam ad Ordines suscipiendos) quam Episcopus tollere nequeat, si non expresse id illi in jure vel a Pontifice cuncedatur. Illud hic notandum, quod dum sublata per Principem sæcularem aut Pontificem infamia juris, etiam mox a delicto commissa, cui ea irrogata, adhuc remaneat infamia facti ex natura rei cuicunque crimini, dum evadit notorium, annexa, non aliter delebilis, quam per pænitentiam condignam, non posse adhuc infamem promoveri ad Ordines, nisi peracta pœnitentia, intellige, non tantum ea, quæ consistit in retractatione interna peccati per contritionem vel attritionem, & esse potest momentanea, sed ea, quæ consistit in laudabili subsecuta & per tempus aliquod continuata vita; per hanc enim solam ex animis virorum prudentum & gravium tollitur illa de tali concepta obscura notitia conjuncta cum vilipensione & reprehensione, in qua consistit infamia.

QUÆSTIO DXXVII.

An & qualiter suspensio probibeat a susceptione & exercitio Ordinum.

1. RESP. Primo. Suspensio (quæ melius & clarius definitur cum Suarez *tom.* 5. *de cens. d.* 25. *sec.* 1. *n.* 2. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. Castrop. *de cens. d.* 4. *p.* 1. *nu.* 1. aliisque ab eo citatis; quod sit censura ecclesiastica, qua minister ecclesiæ formaliter impeditur, ne functiones ecclesiasticas exerceat aliave potestate utatur) imprimis prohibere non potest a Clericatu: cum eum necessario supponat, quippe soli clerici hac censora affici possunt, eo quod ipsi tantum capaces sint officii & beneficii ecclesiastici functiones exercendi. Valent. *tom.* 4. *d.* 7. *q.* 18. *p.* 1. *pronunciato* 1. Suarez *cit. s.* 1. *n.* 5. Sayr. *l.* 4. *thes. c.* 1. *n.* 16. Castrop. *l. c. nu.* 2. Et certe suspensio ab officio & beneficio suscepto arcere nequit a clericatu, cum officium & beneficium ecclesiasticum necessario supponat clericatum. Neque obstat, quod in contrarium tradunt & obmovent Henriq. *l.* 13. *de excom. c.* 31. *n.* 2. Filiuc. *de cens. tit. de suspens. c.* 9. uti & indicat Laym. *l. c. num.* 1. nimirum quod Abbatissæ, etsi clerici noo sint, sint tamen personæ ecclesiasticæ, & capaces jurisdictionis ecclesiasticæ; adeoque ab ejus exercitio suspendi posse suspensiooe proprie dicta. Nam præterquam, ut Castropalao quod hæc Abbatissarum & similium fœminarum jurisdictio non sit proprie jurisdictio ecclesiastica, cum non ex ordine ecclesiastico proveoiat; adeoque suspensio earum ab ejus exercitio non sit proprie suspensio ecclesiastica, de qua hic, contrarium patet a posteriore, nimirum dum violantes ejusmodi suspensionem fœminæ non incurrunt irregularitatem statutam omoibus transgressoribus suspensionis, *c. is cui de sent. excom. in* 6. *cap.* 1. *de sent. & re judic. in* 6.

2. Resp. secundo, cum suspensio sit varia; alia simpliciter talis, quæ ab officio & beneficio suspendit; alia partialis, quæ vel ab officio vel a beneficio suspendit. Dumque officium ecclesiasticum complectitur functiones & ordinis & jurisdictionis, alia sit adhuc magis partialis, suspensio pro ut ab his vel ab illis tantum functionibus suspendit. Castrop. *cit. p.* 1. *n.* 3. de suspensione in genere, qualiter arceat ab ordinum susceptionn vel exercitio, vix quicquam statui potest, hinc in specie

3. Resp. tertio. Suspensio absolnta ab officio prohibet ab omni omnium ordioum susceptorum usu; siquidem suspendit ab omni spirituali officio tam ordinis quam jurisdictionis, officium vero ordinis præter usum jurisdictionis complectitur quemcunque cujuscunque ordinis, hoc est, tam minorum quam majorum functiooem. Castrop *l. c.* Unde licet talis adhuc servire possit missæ, quemadmodum etiam laicus non potest tamen id ut mioister publicus ab hoc ab Ecclesia ordinatus, uti ministrant Diacooi & Subdiacooi, qua tales.

4. Resp. quarto. Suspeosus a jurisdictiooe privatus non est ullius ordinis usu, qui absque jurisdictione in alios exerceri potest, distinguuntur siquidem usus ordinis & jurisdictionis. Hinc licet talis nequeat ferre censuras, absolvere ab iis, aut etiam a peccatis; confirmare electos, & alia similia, quæ jurisdictionem spectant; poterit tamen adhuc celebrare missam (idem est de ministratione solenni ex officio Diaconi & Subdiaconi) canere in choro ut Canonicus &c. Argum. *c. transmissum de elect. & ibi* Glos. *v. talibus* Castropalao *l. c. p.* 5. *§.* 1. *n.* 29. & apud illum Nav. *c.* 27. *n.* 160. Henriq. *l.* 13. *c.* 32. *n.* 4. Sayr. *thes. l.* 4. *c.* 4. *n.* 20. Avil. *p.* 3. *disp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 12. Econtra suspensio absoluta ab ordine extra functiones ordinis non extenditur, cum pœnæ exteodendæ non sint ultra verborum proprietatem. Navar. *l. c.* Sayr. *l. c. c.* 5. *n.* 17. Henriquez *l. c. n.* 1. Castrop. *n.* 10. Hinc suspensus ab ordine suspeosus non est ab usu jurisdictionis, qui usum ordinis non iovolvit; cum ut dictum, sint res ioter se distinctæ, & non necessario connexæ. D. Tho. 3. *p. in addit. q.* 22. *art.* 3. Nav. *l. c.* Sayr. *n.* 6. Castrop. *n.* 12. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *de susp. p.* 1. *nu.* 5. Hinc talis concedere potest facultatem eligendi confessarium, absolvendi a peccatis, etsi ipse confessarius esse, seu absolvere nequeat, utpote quod involvit usum ordinis nempe Presbyterii.

5. Resp. quioto. Suspensus ab ordine absolnte privatus est cujuscunque ordinis quocunque usu; cum in his materiis indefinita æquipollest universali, nullaque sit ratio, cur dispositio hunc potius quam alium ordinem, hunc ordinis potius usum quam alium comprebendat. Castrop. *l. c. n.* 11. Suarez *d.* 26. *sec.* 4. *n.* 2. Sayr. *nu.* 13. Henriq. *n.* 2. Sylv. *v. suspensio qu.* 5. docet tamen Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 488. suspensum ab ordine non esse suspensum ab Episcopatu: eo quod nomine ordi-

ordinis in suspensione ab ordine intelligantur solum alii septem ordines. Secus foret, si quis suspensus foret ab ordine speciali, posset enim is exercere actus ordinis, saltem inferioris. V. gr. suspensus a Diaconatu ministrare in Subdiaconatu. Paller. *nu.* 489. Sic dum quis suspensus dicitur a Sacris ordinibus, non exinde impediretur exercere minores; cum communi modo loquendi, maxime in materia odiosa, nomine Sacrorum ordinum non veniant, minores, ut colligitur ex Trident. *sess.* 23. *c.* 11. *de reform.* AA. iidem. Quod si tamen suspensus quis est ab ordine aliquo speciali totaliter, hoc est, ab omnibus ordini illi competentibus functionibus, seu quas vi illius ordinis præstare alias posset, his privatus est directe; indirecte vero etiam ab iisdem functionibus, quatenus & hæc competunt alteri ordini, seu suspensus est ab ordine alio quoad functiones easdem, huic quoque competentes, v. gr. suspensus a sacerdotali officio directe, eo ipso indirecte suspensus est ab ordine Diaconatus & Subdiaconatus exercendo in Missa, sive non potest talis sacerdos deservire in Missa ut Diaconus vel Subdiaconus. Ita tradit Castropalao *loc. cit. nu.* 13. Cujus directe contrarium tenet Layman *loc. cit. nu.* 6. hisce expressis; suspensio ab officio sacerdotis extendit se ad omnem actum proprium sacerdoti, cujusmodi est Missam celebrare, baptizare solenniter, sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ unctionis ministrare; non vero extendit se hæc suspensio ad actus ordinis inferioris; quare non prohibetur Presbyter suspensus ab officio Sacerdotis Epistolam & Evangelium solenniter cantare. Confirmat hæc Layman *loc. cit. coroll.* 5. exemplo Episcopi suspensi ab ordine episcopali, qui solum vi talis suspensionis prohibetur exercere actus ordinis, qui Episcopo proprii sunt, & a sacerdote jure ordinario exercere nequeunt; adeoque adhuc poterit celebrare Missam, absolvere pœnitentes &c. His tamen non obstantibus, quod ordo episcopalis inadæquate acceptus, etsi non includat sacerdotium, hoc tamen essentialiter supponat in ordine ad exercendos istiusmodi actus episcopales, quales sunt v. gr. confirmare, consecrare calices, ordinare sacerdotes &c. Secus tamen foret, si Episcopus suspensus esset ab ordine episcopali totaliter accepto, prout hic includit essentialiter sacerdotium; quod secundum hanc Laymanni doctrinam non sonat suspensio simpliciter facta ab ordine episcopali. Suspensus tamen etiam Episcopus a Pontificalibus (per quam suspensionem, ut Layman per se ac directe prohibetur usus insignium episcopalium, videlicet mitræ, baculi, pallii) per accidens & indirecte consecutive suspensus esset ab omnibus solennibus officiis, quæ sine istiusmodi insignibus exercere non potest; qualia sunt ordinare, consecrare ecclesias, benedicere virgines &c. Sed etiam suspensus ab altari suspensus tantum est a celebratione, ac proinde alia munia sacerdotalis officii exercere potest. Castropalao *loc. citat. num.* 13. *in fine*. Argum. *c. significavit de corp. vitiat.* & *ibi* Abbas & DD. communiter.

6. Resp. sexto. In eo, num suspensus ab ordine inferiore suspensus quoque sit a majore seu superiore, tametsi majoris usus præstari posset absque minoris exercitio, non conveniunt AA. Affirmativam, quam tenent Navar. *cap.* 27. *n.* 163. Henriquez *l.* 13. *c.* 32. *nu.* 2. Sayr. &c. eo quod ei, cui res minoris momenti prohibitæ sunt, dedecent majora concedi juxta *c. cui licet de reg. jur. in* 6. & *c. cum illorum de sent. excom.* hanc inquam sententiam communem dicit Castropalao *l. cit. num.* 17. Quæ sententia si vera est, inde sequitur primo Episcopum suspensum a collatione ordinis inferioris suspensum quoque esse a collatione superioris uti tenent præter jam citatus Bonacina *tom.* 1. *disp.* 3. *de suspens. p.* 2. *num.* 7. Tolet. *l.* 1. *c.* 43. Reginald. *l.* 31. *n.* 15. Abbas *in c. vel non compos. h. t.* & plures alii apud Castropalao *n.* 16. moti insuper hoc principio; indignus minore honore eo ipso indignus est majore, *l. qui indignus ff. de senator.* Item cui honor interdictus est inferior, majores quoque interdictos censeri debet *l. relegatorum ff. de interdictis*. Sequitur secundo, quod suspensus v. gr. a Subdiaconatu non tantum non possit exercere functiones Diaconatus vel Sacerdotii jam suscepti, sed ne quidem dictos ordines suscipere durante hac suspensione a Subdiaconatu; cum impromovibilis quis sit ad illud, quod prohibetur exercere. Nihilominus negativam tenet Castropalao *loc. cit. nu.* 15. citans pro ea Suarez *d.* 26. *sec.* 4. *nu.* 11. Filiuc. *tr.* 17. *c.* 1. *qu.* 4. *n.* 25. Layman *l. c. n.* 6. Gasp. Henriq. *de suspens. diff.* 4. *num.* 4. Fundamentum certum illius non est aliud, quam quod in pœnis stricta facienda sit interpretatio nec sit inconveniens, quod minore honore privatus retineat majorem; & illud solum probet talis suspensio partialis, quod delictum, ob quod ea lata non ita fuerit grave, ut utriusque honoris minoris & majoris privationem mereretur. Negant quoque AA. hujus sententiæ illatum illud primum *cap. ultim. h. tit. in* 6. ubi Episcopus suspensus a collatione primæ tonsuræ non censetur ex communi sententia suspensus a collatione reliquorum ordinum. Item *cap. literas h. tit.* ubi Episcopus dicitur suspensus a collatione Diaconatus & Presbyterii: frustra autem exprimeretur suspensio a collatione Presbyterii si suspensus ab inferiore nempe collatione Diaconatus esset eo ipso suspensus a superiore. Quod tamen parum urget; cum sæpe exprimantur majoris claritatis gratia, quæ implicite alias continentur. Ad rationes quoque illati respondet Castropalao *loc. cit. num* 18. indignum minore honore indignum quoque esse majore, quando quis ex se & absolute indignus est; non vero quando fit indignus in pœnam delicti. Neque dictum principium semper verum esse, eo quod forte delictum commissum sit contra minorem honorem; adeoque ab eo solo expedire amoveri. Affert etiam has in contrarium instantias; quod alias suspensus ab officio confirmationis, quod minus est, esset quoque suspensus ab officio consecrandi, suspensus ab officio prædicandi, suspensus quoque esset ab officio absolvendi, quod dignius est. Illud pro certo habet Castropalao *cit. nu.* 18. citans pro eo Sayr. *ubi ante num.* 11. & Coninck suspensum ab exercitio vel collatione ordinis inferioris non fore irregularem exercendo vel conferendo superiorem ordinem; eo quod non faciat aliquid, quod ei directe interdictum, sed solum consecutive.

7. Porro illud notandum dicta de suspensione secundum Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 478. locum habere, sive suspensus sit denunciatus, sive non; sive notorius, sive occultus, sive suspensus a jure, sive ab homine.

QUÆSTIO DXXVIII.

Suspensus ab ordinibus violans suspensionem an & qualiter peccet & quam pœnam incurrat.

1. RESP. Primo, ex genere suo peccat mortaliter, quia contemnit Ecclesiæ præceptum & gravem illius censuram. Suarez *cit. disp.* 26. *sec.* 2. *nu.* 1. Sayr. *l.* 4. *thes. c.* 15. *num.* 8. Tolet. *lib.* 1. *c.* 14. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *de cens. disp.* 4. *p.* 6. *nu.* 1. Limitatur hoc ipsum primo, ita ut possit ex parvitate materiæ hæc transgressio esse tantum veniale peccatum, qualem putant citati AA. esse, dum suspensus ab ordine ministrat in minoribus: eo quod frequenter hoc eorum ministerium præstetur a laicis, sive qui nullo sunt ordine insigniti. Secundo limitatur, ita ut si suspensus non est denunciatus, possit absque omni culpa ad petitionem fidelium ministrare in suo ordine, v. gr. Sacerdos dicere illis missam, administrare sacramenta, quippe quæ fidelium petitio suspendit prohibitionem censuræ, & reddit actum licitum, qui alias erat illicitus, idque vi seu ex privilegio *Extravag.* Martini V. *ad evitanda*, stante hoc privilegio in eo, quod ante denunciationem possunt fideles a suspenso petere administrationem sacramentorum & jurisdictionis exercitium, & alia quælibet officia, quorum usu per suspensionem est privatus, & qui posita hac fidelium petitione redditur licitus. Ita tenent præter AA. citatos Hurt. *tr. de suspens. diff.* 5. *num.* 13. Henriquez *l.* 13. *cap.* 33. *num.* 3. Secus est, si suspensus est denunciatus, cui extra urgentissimam necessitatem & secluso scandalo nullatenus licet, etiam ad petitionem fidelium exercere ea officia, a quibus est suspensus, peccantque jam fideles petendo a tali exhiberi sibi dicta ministeria: eo quod, esto nullum sit præceptum ex vi suspensionis non communicandi cum suspenso, etiam denunciato, adeoque seclusa petitione & inductione possint licite interesse Missæ aliisque divinis officiis a suspenso peractis, peccent nihilominus petendo a tali id, quod is sine peccato præstare non potest; ac ita, quod vetat jus divinum ac naturale, cooperando alterius peccato. Henriq. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 3. Avil. 3. *p. d.* 2. *du.* 4. *concl.* 1.

2. Resp. secundo. Violantes suspensionem ab ordine, ministrando solenniter in ordine Sacro soli incurrunt irregularitatem. Bonacina *tom.* 1. *de cens. disp.* 3. *par.* 4. *num.* 5. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *qu.* 8. *p.* 1. Filiuc. *tr.* 17. *c.* 11. *quæst.* 4. Castropalao *cit. p.* 6. *num.* 4. cum communi. Argumen. *c.* 1. *de sent. & re judic. in* 6. *cap. cum medicinalis de sent. excom. in* 6. constatque ex *Extrav.* Pii II. *cum ex sacrorum*. Dicitur primo: in Ordine Sacro. Nam ob violationem suspensionis ab ordinibus minoribus non incurri irregularitatem; eo quod officia horum ordinum cum omni sua solennitate a laicis sicut a clericis præstari soleant. Castropalao *loc. citat.* ait esse sententiam receptissimam, & ita tenent Bonacina *loc. c.* Sayr. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 13. Dicitur secundo: ministrando solenniter;

niter; non enim incurritur hæc irregularitas, nisi quando officium ordinis a suspenso exercetur proprie ac formaliter, hoc est, taliter, qualiter a non insignitis isto ordine exerceri nequit. V. g. Cantare Epistolam & Evangelium cum manipulo & stola, qualiter ea cantare nequeunt non Diaconi vel Subdiaconi. Sayr. Bonac. Castrop. *LL. c.* Sed neque limitanda hæc pars responsionis cum Sa *v. irregularitas ex ordinis abusu. n. 7.* ita ut suspensus ad determinatum solum tempus, si violet suspensionem, fit irregularis. Bonac. *Tom. 1. de cens. d. 3. p. 4. a. 6.* Sayr. *l. c. a.* 30. Filiuc. *loc. cit. c. 10. q. 9. n.* 193. Castrop. *l. c. n.* 5. eo quod hæc limitatio expresse adversetur, *c. 1. de sent. & re judic.* ubi de Judice ad annum suspenso dicitur: *quod si suspensione durante damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet secundum Canonicas sanctiones, a quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari.* Dicitur tertio soli, quia ob nullam aliam alterius suspensionis violationem incurritur irregularitas; quia nulli alteri violationi in jure constituta dicta pœna irregularitatis. Sic non incurritur ob violationem suspensionis a beneficio. Majol. *de irregul. l. 3. c. 19. a. 14.* Sayr. *l. c. n.* 2. Bonac. *l. c.* quamvis violator hujus suspensionis a beneficio privetur ipso jure beneficio juxta *c. 1. de elect. in 6.* Neque ob violationem suspensionis a jurisdictione præcise. V. g. eligentes, proferentes sententiam, Parochus assistens matrimonio; quia hæc assistentia est actus jurisdictionis, non ordinis. Bonac. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. num.* 6. Est & alia pœna statuta in genere violatoribus suspensionis, nimirum annullatio actus exerciti, dum ejus valor pendet ab Ecclesia, uti sunt actus jurisdictionis. Castrop. *l. c. n.* 7. Hinc suspensus ab officio sacerdotali videtur invalide absolvere; cum absolutio præter actum ordinis involvat jurisdictionem, sine qua valide non absolvit. Intelligenda hæc de suspenso denunciato.

QUÆSTIO DXXIX.

Suspensio ab ordine qualiter relaxetur.

1. RESp. primo. Suspensio non tantum ab ordine, sed & quocunque alio officio & beneficio, dum lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, hac cessante, vel tempore elapso cessat absque omni absolutione. Gl. *in c. qui sæpe v. donec. de elect. in 6.* Abb. *in c. 1. a. 6.* Iud. Covar. *in 4. decret. p. 2. c. 6. in princ. n.* 18. Suar. *d. 29. s. 1. a.* 3. Nav. *c. 27. n.* 161. Castrop. *l. c. p. 8. n.* 1. citans plures alios. Tempore vero intermedio, seu ante impletam conditionem potest dispensative ab eo tolli, qui eam tulit; non autem ab inferiore. Hinc impositam talem suspensionem a jure commum nemo præter Papam tollere potest. Gl. *in c. cupientes de elect. in 6. v. suspensos* Sanch. *de mat. l. 3. d.* 52. Sylv. *v. suspensio q.* 8. Castrop. *l. c. n.* 2. Pari modo suspensio sive a jure sive ab homine lata sub expressa conditione, ut in perpetuum duret, non potest relaxari ab inferiore; cum hic superioris statuta nequeat abrogare. Sylv. *l. c.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 4. n.* 3. Castrop. n. 3.

2. Resp. secundo. Suspensio lata in jure absolute ad comprimendam alicujus contumaciam seu in illius correctionem, si eam Papa sibi non reservaverit, relaxari potest tam ab Episcopo, quam ejus vicem gerente suspenso cessante a contumacia (perdurans enim in ea a nullo absolvendus, nisi forte absolutionem causæ urgentissimæ postularent) pæna enim inflicta ob contumaciam, si non exprimatur, quod sit perpetua, cessante contumacia, cessare debet *c. ex literis de const.* Dum autem Conditor Canonis sibi non reservat absolutionem, tacite eam concedit inferiori *c. super de sent. excom.* Quia tamen nequidem sub tacita hac condirione lata est, deposita contumacia, etsi tollenda tamen ad sui sublationem absolutione, & non ipso jure exspirat, pro ut docent rectius Suar. *d. 29. s. 2. n.* 15. Castrop. *cit. p. 9. n.* 4. contra Felin. *in cit. c. ex literis n.* 28. Decium *ibid. num.* 16. Sayr. *l. 4. Thes. c. 17. n.* 8.

3. Resp. tertio. Suspensionem in puram pænam delicti latam a jure absque ulla temporis determinatione, quia censetur perpetua. Argum. *L. servus C. de pænis* ubi deciditur pæna carceris simpliciter lata durare in perpetuum, non posse tolli ab Episcopo; cum in pænis a jure perpetuis solus conditor juris dispensare possit. Unde & non tam per absolutionem quam per dispensationem tollenda talis suspensio. Ita docent Abb. & Felin. *in c. tam literis de testib. & attestat.* Sylv. *v. suspensio num* 1. Valent. *Tom. 4. d. 7. quæst. 18. par. 1.* Bonac. *Tom. 1. de cens. d. 3. p. ult.* & plures alii, quos citat & sequitur Castropalao *num.* 5. qui tamen ipse *num.* 6. cum Layman *Theol. Moral. l. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. num.* 4. Sayr. *l. c. num.* 15. Suar. *l. c. sec. 2. num.* 19. Covar. *l. c. 2. part. c. 6. nu.* 13. Glos. *in cap. cupientes de elect. vers. suspensio &c.* tradit contrarium tanquam probabilius & benignius, posse nimirum dispensare in ea Episcopum. Movetur ea ratione, quod hæc suspensio absolute lata differat ab ea, quæ fertur expresse in perpetuum; eo quod alias frustra adderetur; *in perpetuum*: nulla autem alia differentia intervenire potest inter eas, quam quod suspensio in perpetuum ex intentione ferentis debeat durare in perpetuum; lata vero sine illa expressione perpetuitatis ex intentione ferentis sit remissibilia & auferenda præstita pœnitentia & emendatione. Illud pro certo habendum ait Castropalao *loc. cit. num.* 7. cum Layman *l. cit.* Sayr. *num.* 19. Henriquez *l. 13. c. 35. nu.* 3. vi Trident. *sess. 24. cap.* 6. posse Episcopos per se vel suos Vicarios a qualibet suspensione a jure vel homine generaliter lata, dum provenit ex delicto occulto, & deducta non est ad forum contentiosum, absolvere seu dispensare. Quin & cum Layman *loc. citat.* testatur, Societati JESU concessum privilegium, vi cujus Confessarius a Superioribus deputatus possit absolvere a quibuscumque censuris, sententiis, pœnis ecclesiasticis ex delicto occulto provenientibus, extenderequè hoc ipsum se ad suspensiones juris indistincte, eo quod etsi hæ non tam absolutione proprie tali, quam dispensatione tolli debeant, juxta tamen frequentiorem loquendi modum hæc relaxatio vocetur absolutio, ut Sylv. *vers. absolutio 6. dub.* 2. Layman, Suarez &c. prout etiam ipsa forma relaxationis indistincte usurpatur: absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen & restituo te ad executionem tui muneris, ordinis vel ad beneficium &c. De cetero spectato jure communi Sacerdos nullus non habens in foro externo jurisdictionem potest absolvere a suspensione, etiam per modum censuræ latæ; cum hujus absolutio non sit necessario præmittenda absolutioni peccatorum, ob quam alias *in cap. super. de sentent. excom.* proprio Sacerdoti conceditur potestas absolvendi ab excommunicatione non reservata. Castrop. *l. c. n.* 8. Layman *l. c. n.* 2. Henriquez *l. 13. c. 35. nu.* 1.

4. Resp. quarto. A suspensione lata ab homine specialiter solus, qui etiam tulit ejusque in dignitate successor absolvere potest. Ita etiam, ut quamvis ejus superior valide possit relaxare sententiam ab inferiore latam, illicite tamen eam relaxationem concedat. Glossa *in cap. cum ab ecclesiarum de off. ordinar. vers. non relaxet.* Sayr. *loc. citat. cap. 17. num* 24. Castropalao *loc. cit. num.* 9. Excipiuntur duo casus. Primus, si inferior tulit sententiam sine solennitate requisita, *cap. cum medicinalis de sent. excom. in 6.* Alter est in causa appellationis. Castropalao & Sayr. *LL. cit.* servare autem debet ille superior sequentia. Nimirum, si sententia ab inferiore lata manifeste sit injusta, statim absolvere debet, seu absque ulla dilatione declarare debet, esse nullam. Si constet eam valere, non debet ipse eum absolvere, seu reum absolvendum remittere Judici a quo, nisi forte sub juramento prius præcipiat reo, ut suo Judici competenti satisfaciat. Si justitia vel valor sententiæ dubius, poterit ipse absolvere suspensum, præstita ab eo cautione. Castrop. *l. c.* ubi etiam tres casus refert, in quibus nec ipse qui suspensionem tulit, potest eam relaxare. Ac denique *nu.* 10. apponit modum seu formam absolvendi a suspensione.

QUÆSTIO DXXX.

An & qualiter interdictus, aut etiam violans interdictum sit incapax Ordinum.

1. RESp. Primo. Ob interdictum, (quod est censura ecclesiastica prohibens usum divinorum quatenus a fidelibus haberi possunt Castropalao *de cens. disp. 5. part. 1. n.* 2. & differt a suspensione, quod divinis privet tam active quam passive, non quatenus a spirituali potestate procedunt, sed quatenus sunt bona quædam spiritualia & divina a fidelibus participanda. Suspensio vero privet per se tantum usu activo non passivo & quatenus procedunt a potestate spirituali) interdictus personaliter, sive interdicto generali sive speciali, sive a jure sive ab homine, etiam occultus, est impromovibilis ad ordines; quin & si laicus est (interdictum enim est pœna etiam laicis conveniens. Passer. *de election. cap. 25. num.* 500. Castropalao *loc. citat.*) ad primam tonsuram. Qui enim est impeditus exercere ea, quæ ab officium pertineant, est etiam impromovibilis ad officium. Argum. *cap. ultim. de cleric. excom.* Interdictus autem personaliter est impeditus exercere officia divina, quo nomine hic veniunt officia cuique Ordini propria; Passer. *num.* 496. Sayr. *lib. 5. disp.* 5.

dist. 5. *num.* 4. ita ut peccet mortaliter exercendo actus etiam Ordinum minorum. Suar. *de censur. d.* 34. *s.* 3. *num.* 9. ex Sylv. item omnia per se annexa ordini alicui sacro, & quæ illum requirunt, quæque non nisi a Clericis ex institutione Christi vel Ecclesiæ fieri permittuntur. Castrop. *loc. cit.* Quin & nomine officii divini venit recitatio publica horarum, quatenus est actus muneris clericalis & officii ecclesiastici & ministerii cujusdam publici, ministrique ad hoc deputati. Castrop. *loc. cit.* Item officium B. Virginis. Litaniæ in communi & in loco ad hoc deputato specialiter cum ordinaria solennitate. Castropal. *ibidem.*

2. Resp. secundo. Idem dicendum de violante interdictum personale vel locale, sive is sit regularis sive sæcularis independenter ab irregularitate, quam tales violatores incurrunt, dum eæ incurrendæ capaces sunt. Abb. *in cap. postulasti, de cler. excom. num* 5. Covar. *in c. alma mater. s.* 2. *num.* 2. Passer. *nu.* 497. & de celebrante in loco interdicto habetur expresse *in c. is qui, de sent. excom. in* 6. Limitatur responsio primo, ut locum non habeat in non interdicto quidem personaliter exercente divina officia in loco interdicto quidem, sed non denunciatim & nominatim; cum vi *Extrav. ad evitanda*, non sit obligatio non communicandi in divinis officiis cum interdictis, aut abstinendi a sacris officiis in loco aliquo, vel arcendi alios ab iis, nisi locus vel personæ sint nominatim denunciatæ interdictæ. Secundo. In non sciente, vel etiam cum bona fide, etsi aliqua negligentia intervenerit, violante interdictum locale. Argum. *c. is qui, de sent. excom.* Tertio in non nisi venialiter peccante violando interdictum. Suar. *de cens. d.* 34. *s.* 3. *n.* 15.

§. 4.

De qualitate Ordinandorum quo ad vitæ necessaria, sive de titulo Ordinationis.

QUÆSTIO DXXXI.

Titulus Ordinationis quid sit & an necessarius ordinando.

1. Resp. ad primum. Est medium, unde seu per quod provisum ordinando de sufficiente & perpetua sustentatione.

2. Resp. ad secundum. Nemo sine titulo tali reipsa actualiter habito ad Sacros Ordines promoveri potest, ne divinis adscriptus ministeriis cum Ordinis dedecore cogatur vel mendicare, vel sordidum aliquem quæstum facere. Prout dicitur *c. diaconi sunt, dist.* 93. Et in Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Dum autem dicitur *c. sanctorum, dist.* 70. Ordinationem sine titulo factam esse irritam, intelligendum non est, quod sit invalida, sed quod sit irrita & vacua quo ad executionem. Ut Gl. *in cit. c. sanctorum.* Barbos. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 19. *num.* 2. Unde iam sequitur, non posse Episcopum (ut volunt Avil. *de cens. p.* 3. *d.* 5. *dub.* 9. *in fine.* Henriq. *l.* 10. *c.* 17. *ad finem.* Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancel. gl.* 4. *num.* 36. Vega & alii apud Castrop. *tr.* 27. *d. unic. p.* 9. *num.* 5.) dispensare aliquando, ut vir aliquis insignis literis & doctrina, cui defuturum beneficium vel præbendam præsumi nequit, ut hæc spes proxime certa haberi posse videatur loco beneficii, ad sacros ordines absque alio titulo promoveatur. Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 5. *num.* 129. referens faventem huic sententiæ declarat. S. Congr. Castrop. *loc. cit.* citans Rodriq. *regul. qq. Tom.* 2. *c.* 15. *num.* 15. Ledesm. *de Sacram. Ordin. c.* 7. *ante ult. concl.* Item Barbos. *de potest. Ep. p.* 2. *alleg.* 19. *num.* 72. citans Dian. *resol. mor. p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 52. *in fine.* Sanch. *opusc. Tom.* 2. *l.* 7. *cap.* 1. *dub.* 35. *num.* 10. Piasec. *in pr. Episc. p.* 1. *c.* 1. *num.* 45. & plures alios. Satis manifeste colligitur idipsum ex Trid. *loc. cit.* universaliter prohibente, ne quis clericus sæcularis, quamvis alias idoneus moribus, doctrina, ætate, sacris initietur sine beneficio vel patrimonio. Et ait Barbos. *num.* 72. *in fine*, novisse se in Curia Romana virum insignem habentem in Hispania pensionem 30. ducatorum auri de Camera, quem Vicarius Urbis, propter dicta Concilii verba noluerit ordinare titulo literaturæ. Quin, etiamsi quis esset insignitus jam gradu Doctoratus in Theologia Jure & SS. Canonibus, quia exinde adhuc actu non obtineret, unde decenter vivere posset, sed tantum in radice multipliciter impedibili, ordinari adhuc nequiret. Tiber. *in instruct. Ordinand. quæst.* 67. multoque minus insignis grammaticus, musicus, pictor, aut alio honesto labore valens sibi acquirere sustentationem competentem ob eandem rationem incertitudinis. Barbos. *loc. cit. num.* 71. Garc. *loc. cit. num.* 126. Dixi ad sacros ordines requiri titulum. Nam licet ad primam tonsuram quoque & Ordines minores olim requirebatur titulus, ut constat *ex c.* 1. juncta Gl. *v. neminem, d.* 70. & *c.* 2. *de preb.* & Gl. *ibi v. clericos*, modo tamen seu jure novo is non requiritur; cum de iis in Trid. ubi agit de titulo, nulla fiat mentio. Constat etiam ex praxi, nec deest ratio; quia potest quis a clericatu & ordinibus minoribus recedere, aliaque negotia exercere pro libitu. Castrop. *l. c. num.* 2. Pirh. *h.* 1. Barbos. *loc. cit. alleg.* 19. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 6. *n.* 4. Garc. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. citantes quamplures alios.

QUÆSTIO DXXXII.

Quid si ergo quis jam ordinatus esset sine titulo ad Subdiaconatum, an sine titulo promoveri posset ad ordines superiores.

Resp. negative. Eo quod Trident. aliique textus indefinite prohibeant ascensum ad Sacros Ordines sine vero titulo Barbos. *l. c. alleg.* 20. *n.* 22. Castrop. *l. c. n.* 4. citans Suar. *de cens. Tom.* 5. *d.* 31. *s.* 1. *n.* 39. Garc. *ubi ante n.* 122. Avil. *de cens. d.* 5. *du.* 3. Henriq. *l.* 13. *c.* 37. *n.* 2. Neque etiam cessat ratio prohibitionis a Trid. posita; ne ecclesiasticus cogatur mendicare &c. Cum ea procedat efficacius in Diacono & Presbytero quam Subdiacono. Quin & addit Castrop. citatis iisdem AA. talem Subdiaconum peccaturum graviter, nisi quærat beneficium vel patrimonium. Nihilominus Avilam & Henriq. *LL. cit.* censere ait, posse cum tali Episcopum dispensare, ut promoveatur ad superiores ordines, si illis susceptis sperat se facilius acquisiturum sustentationem, quam in Subdiaconatu permanens acquirere nequeat, nisi mendicando vel vile aliquod officium exercendo; eo quod hæc sit sufficiens causa talis dispensationis.

QUÆSTIO DXXXIII.

Quantus debeat esse titulus, & num in congrua sustentatione habenda sit ratio personarum.

1. Resp. ad primum. Certam quantitatem hic præscriptam non esse, sed solum in genere statui, ut sufficiens sit ad honestam & decentem sustentationem personæ ecclesiasticæ. Porro *v* honeste vivere & sustentari, idem significare, quod commode, congrue, competenter, ait Barbos. *cit. alleg.* 19. *num* 8. Proinde non satisfieri menti Concilii, si ordinandus habeat titulum pro victu, seu ad vivendum simpliciter (quemadmodum *Paris. l.* 5. *c.* 6. *q.* 155. cum Nav. apud Pirh. censent sufficere redditus necessarios simpliciter ad victum & vestitum, ita ut clericus tanquam egens mendicare non cogatur) absque eo, quod decenter & statui ecclesiastico competenter vivere posset. Siquidem magna est differentia inter vivere seu sustentari simpliciter; vivere cum penuria, vivere commode, ut ait Gl. *in cit. c.* 2. *de stat. Reg. in* 6. Cum autem & in hoc, nimirum quæ quantitas ad decenter vivendum in statu ecclesiastico requiratur, certa una eademque regula definiri nequeat, id (sive titulus sit beneficium, sive patrimonium) Episcopi ordinantis arbitrio spectatis circumstantiis determinandum relinquitur. Dum determinatio eorum, quæ indeterminate a jure statuuntur, prudenti viro, nempe Judici relinquitur. Argum. *c. de causis, de off. deleg.* & *lib.* 1 *ff. de jure deliber.* Pirh. *l. c. num.* 70. Barbos. *l. c. n.* 11. citatis Paris. *ubi ante, lib.* 6. *q. fin. n.* 131. & 181. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 2. *n.* 31. Garc. *p.* 2. *cap.* 3. *nu.* 112. Menoch. *de arb. casu* 226. *n.* 12. Ricc *for. eccles. resol.* 271. &c. Et sic examen patrimonii pertinere ad Episcopum privative ad alios, resolutum esse a S. Cong. Concil. *in Placent.* 16. *Martii* 1630. testatur Barbos. *l. c. n.* 11. *in fine.* Ut vero Episcopus recte desuper arbitratur, attendenda sunt plura, imprimis consuetudo loci seu patriæ. Barbos. *l. c. num.* 12. & apud illum Menoch *cas.* 236. *n.* 14. Archid. *in c. si Episcopus de preb. in* 6. Gemin. *in c. sicut, de suppl. negl. Prælator.* &c. Item regionum major minorve ubertas, unde major minorve alimentorum caritas. Barbos. *n.* 13. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 10. *quæst.* 9. Paris. *lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 153. Item qualitas ordinandi, de quo *resp. seq.* Ita tamen, ut si post definitam examinatis dictis circumstantiis quantitatem tituli v. g. patrimonii in modico deficeret, curandum id non videatur. Barbos. *n.* 13. *in fine* citatis Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 72. Sanch. *opusc. mor. tom.* 2. *l.* 2. *c.* 2. *dub.* 75. *num.* 8.

P 2. Resp.

2. Resp. ad secundum. In determinanda illa & assignanda congrua attendenda non est qualitas personæ ordinandæ in particulari, num ea sit nobilis, valde literata, ita ut tunc ad ordinationem illius exigatur major quantitas tituli ad hoc, ut dignitatem, quam ante habebat, sustinere, & competenter nobilitati vivere queat. Sed solum in genere decentia status Clericalis & ecclesiastici, sive status cujuslibet clerici in genere, ut pro eo, seu ut & qua clericus seu ecclesiasticus congruenter seu ita vivere valeat, ut non cogatur mendicare, aut sordidum quæstum facere; id enim solum requirit Trid. & eo quod de cetero, licet ea quantitas non sufficeret ad præhabitam dignitatem & nobilitatem sustinendam, id non cadat tam in dedecus status clericalis quam laicalis. Barbos. *l. c. n.* 8. Garc. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 114. Ledesm. *de Sacram. Ordin. cap.* 7. *concl.* 7. & plures alii, quos citat & sequitur Tiber. *in instruct. ordinand. q.* 60. Constat ex praxi, qua in ordine ad ordinationem pro omnibus idem statuitur patrimonium; idem est de pensione & beneficio in ordine ad eundem finem ordinationis. Secus est, dum examinatur sufficientia beneficii in ordine ad hoc, ut aliud secum beneficium non compatiatur, de quo fere loquuntur AA. in contrarium soliti citari; veniunt enim tunc plura alia consideranda, uti & plura veniunt nomine victus; de quo vide me *in foro benef. p.* 3. *quæst.* 71. quo etiam referenda, quæ habet Barbos. *cit. num.* 12. & 13. citatis Azor. Nav. Menoch. &c. congruam sustentationem ita statui debere, ut non tantum sufficiens sit ad clericum sustentandum, sed & pertinentes ad eum, puta parentes, fratres, filios, si quos haber egentes.

QUÆSTIO DXXXIV.

Quotuplex sit titulus ordinationis.

Resp. quamvis plures olim fuerint, vel etiam hodiedum enumerari possent tituli, puta, beneficii, patrimonii, hæreditatis paternæ; pensionis, stipendii assignati ab Episcopo aliave persona ecclesiastica vel laica, vel etiam titulus mensa, omnes tamen hodie reducuntur a Trident. *Sess.* 21. *cap.* 2. ad duos nimirum beneficii & patrimonii, quibus addi potest tertius, scilicet religiosæ paupertatis.

QUÆSTIO DXXXV.

Quinam ordinari possint titulo paupertatis.

1. Resp. Soli valide professi, aut alias vere religiosi in religione approbata, professione subeunte vicem tituli beneficii, dum religio tenetur alere suum religiosum; sic itaque ante possessionem novitii ordinari nequeunt hoc solo titulo; neque alii regulares non professi, aut professi nulliter. Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.* 5. Pirh. *num.* 75. Garc. *loc. cit. n.* 11. & 12. referens *decis. Rotæ in Urgellens. Canonicat.* 3. *Martii.* 1595. *coram Blanchetto.* Idem dicendum de omnibus cujuscunque Ordinis Clericis sive regularibus sive sæcularibus more religiosorum in communi viventibus, nunquam vel non nisi ad certum tempus professionem emittentibus, adeoque ex claustro exire valentibus, ut ait Barbos. *l. c.* citans Garc. *ubi ante. num* 12. Piasec. *pr. Episc. p.* 1. *c.* 1. *de confer. ordinib. n.* 43. Ugol. Sanch. Bonac. &c. ad hos enim omnes decretum Trident. ne nullus ordinetur sine titulo extendit Pius V. in sua Bulla; quæ incipit *Romanus Pontifex*, est in ordine 75. habetur apud Quarantam *in sum. Bullar. v. Ordo*: Unde jam regularem scientem suam professionem irritam peccaturum mortaliter, & incursurum omnes pœnas, quæ incurruntur a sæculari suscipiente Ordines sine titulo beneficii aut patrimonii, tradit Barbos. *n.* 6. cum Dian. *p.* 1. *tr. resol.* 113. Portel. *in dub. regular. v. Ordines Sacri*, *n.* 8. Item regulares non professos ordinatos sine alio titulo ministrantes in suscepto Ordine evadere irregulares, pro quo citat Majol. *de irregul. l.* 4. *c.* 15. *num.* 1. Ricc. *in pr. for. Eccles. resol.* 270. *n.* 3. Nihilominus, dicta Bulla non obstante ex privilegio Papæ sine omni alio titulo ad Ordines Sacros promoveri possunt alumni Pontificii, qui studiorum gratia degunt & aluntur in Seminariis juxta Bullam Gregor. XIII. Anno 1584. 5. Sept. datam.

2. Dixi *professi aut aliter vere religiosi*. Nam religiosi Societatis JESU per post biennium Novitiatus emissa vota, etsi non sint professi, sunt tamen vere religiosi, ideoque eorum paupertas, quæ ex parte eorum est perpetua, est loco beneficii vel patrimonii in ordine ad suscipiendos Ordines sine omni alio titulo, non secus, ac si essent vere professi, pro ut statuit Gregor. XIII. in Bulla sua *Ascendente Domino* & Gregor. XIV. in Bulla. *Ecclesiæ Catholicæ*. Castrop. *loc. cit. num.* 3. Garc. *de benef. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. Barbos. *cit. alleg.* 19 *num.* 7. Vasq. *disp.* 246. *de Ordine cap.* 6. *in fine*. Engels. *loc. cit. num.* 25. Laym. *Theol. Mor. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 4. & alii passim; examinetur num Societas debeat alimenta ordinato, si dimittetur, vide Barbos. *LL. cit.*

QUÆSTIO DXXXVI.

Quantus debeat esse valor beneficii, ut sit titulus ordinationis.

1. Resp. primo. Debet esse sufficiens ad initiatum Sacris Ordinibus honeste & congrue sustentandum, spectata non singularis ordinandi, sed qualitate status ecclesiastici assumpti juxta dicta *quæst.* 2. *hujus* §. Castrop. *l. c. pag.* 10. *nu.* 1. Intuitu cujus præcise nimium postulare videntur Azor. Menoch. Navar. Hojeda apud Barbos. *loc. cit. nu.* 13. dum volunt beneficii valorem ad eam summam pertingere debere, quæ ipsi ordinato eumque contingentibus, quin & pauperibus, peregrinis & advenis hospitio suscipiendis juribusque Episcopalibus solvendis sufficiat. Quin forte & ii cum Castrop. *loc. cit.* Argum. Trid. assignantis Rectori pro congrua 100. Scuta, credunt, nullius beneficii vel patrimonii redditus sufficientes esse ad ordines, nisi dictum valorem attingant. Nam licet id æquum & optandum esset, habet tamen praxis non omnino reprobanda in pluribus locis contrarium, nimirum ut valor inferior beneficii, v. g. 100. vel 80. Imperialium admittator. Neque enim ad decore & statui ecclesiastico congruenter vivendum, necesse semper est, ut quis alat familiam, excipiat hospitio advenas; cum ipse sibi constituere, possit mensam & hospitium apud alium honestum meliusque habentem ecclesiasticum aut etiam sæcularem.

QUÆSTIO DXXXVII.

An valor beneficii deficiens suppleri possit in aliquo adjuncto in ordine ad constituendum titulum sufficientem.

Resp. affirmative. Dum illud adjunctum est quid certum & stabile; sic v. g. dum beneficii vel etiam patrimonii redditus seorsim insufficientes sunt ad congruam sustentationem, simul vero sumpti sufficiant, promoveri quis poterit ad ordines hoc titulo conflato ex utroque. Barbos. *cit. alleg.* 9. *num.* 14 Castrop. *cit. p.* 10. *num.* 2. Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *vers. dimissoriæ*, §. 5. *dub.* 2. Ugol. *de potest. Episc. c.* 36 §. 3. *in fine* & §. 8. *n.* 2. eo quod quis in tali casu, ut ait Castrop. censeri debeat moraliter habere tam beneficium quam patrimonium sufficiens, non per se & divisim, sed quatenus cum alio conjungitur & ex utroque coalescit sustentatio integra. Non tamen ex adjunctis beneficio insufficientibus aliis, incertis, puta eleemosynis aliisque emolumentis, quæ quis ex lectione Missarum aliisque exercitiis Ordinum, ubi ad eos promotus fuerit, vel etiam proprio labore honesto & industria sibi comparare posset, titulus sufficiens conflari potest, multoque minus in talibus titulus adæquate constitui. Barbos. *loc. c. nu.* 14. Castrop. *num.* 3. Garc *loc. c. n.* 126. proceditque idipsum, etiamsi Episcopus obliget se suppleturum quod deficit, usque dum promotus consequatur beneficium sufficiens. AA. iidem. Ratio est, quia redditus congruæ sustentationi sufficientes debent esse certi, ab aliorum voluntate, uti & a proprio labore independentes, ne alias adhuc talis cogatur mendicare, dum hæc omnia deficere possunt, vel propria infirmitate superveniente, vel etiam aliorum liberalitate & pia voluntate cessante. Quod usque adeo verum esse juxta declarat. Sac. Congr. relatam a Barbos. *in remiss. concil. Sess.* 21. *c.* 2. ait Castrop. ut habens beneficium curatum absque similibus incertis insufficiens ad sustentationem congruam, non teneatur talis beneficiatus intra annum ordinari, sed potius dimittere beneficium. Nihilominus praxis habet, ut valor beneficii seu corporis ipsius beneficii insufficiens ad titulum suppleri possit per quotidianas distributiones constanter præberi solitas Canonicis vel Vicariis præsentibus divinis officiis. Barbos. *l. c. n.* 24. citans Campanil. *in Var. Jur. rub. rub.* 8. *c.* 5. *num.* 29. suffragaturque huic praxi non incongrua ratio, non tantum ex eo, quod istiusmodi præsentiæ constanter præbeantur, sed etiam earum non participatio pendeat ex propria voluntate beneficiati. Quin &, ubi is legitime impeditus infirmitate aliave necessitate, habeatur pro præsente, illasque percipiat. Idemque est, dum omnes

nes beneficii redditus ſine corpore conſiſtunt in ſimilibus diſtributionibus quotidianis. Licet enim alias diſtributiones non computentur in valore beneficii, nec veniant nomine fructuum. Barboſ. *loc. cit.* referens *deciſ. Rota*, 134. *alias*, 8. *de prab. in noviſ.* in hoc tamen caſu computandæ in valorem, dum ſatis eſt, beneficiatum illarum cauſa non laborare inopia. Barboſ. Campan. *LL. cit.*

QUÆSTIO DXXXVIII.

An & qualiter, ut beneficium ſit titulus ordinationis, debeat eſſe ſtabile & perpetuum.

1. RESP. debet eſſe perpetuum, non in eo ſenſu, quo omne beneficium, etiam manuale, dicitur perpetuum, nimirum ſpectatum ſecundum jus illud (in quo ratio beneficii conſiſtit) percipiendi fructus, quatenus ſemel conſtitutum authoritate Prælati eccleſiaſtici maneat ſemper, ita ut ſublatum ab uno, ſive per voluntatem Superioris, ſive per mortem poſſeſſoris, non extinguatur, ſed vacet, maneatque alteri conferendum. Sed in eo ſenſu, quod etiam reſpectu poſſeſſoris ſit perpetuum, quatenus in eo, quantum eſt in ſe, perpetuatur, dum eo non conceditur ad tempus, ſed in titulum perpetuum; eo quod ſi in hoc ſenſu perpetuum non eſſet; ſed beneficiatus ab eo amoveri poſſet, & ſic ordinato auferri titulus hic unicus ſuſtentationis, is cogeretur mendicare Barboſ. *loc. cit. num.* 25. Pirh. *hoc tit. numer.* 69. Caſtropal. *loc. cit. num.* 4. cum communi. Hinc

2. Primo nemo ordinari poteſt ad commendam, ſive dum beneficium datum non eſt in titulum ſeu jure proprietatis, ſed commendatum ſolum alicui. Pirh. *loc. cit.* quod intelligendum de commenda temporali, ſive quæ datur ad certum tempus, quo elapſo, ceſſat ſeu auffertur a commendatario etiam ſuperſtite, & quam ſolam facere poſſunt Epiſcopi, interdicta illis commendatione perpetua beneficiorum per Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 18. Secus eſt de commenda proprie tali, quæ datur ad vitam commendatarii; qualiter Cardinales aliique Abbatias, Præpoſituras & ſimilia habent a Papa in commendas, talis enim commendatio venit nomine collationis. Quin & commendæ tales veniunt nomine beneficii in Ordine ad effectum regulæ de triennali, ut Chok. *ad banc reg. num.* 43. & 90. Quidquid ſit de eo, an abſolute veniant nomine beneficii, quæ quæſtio non parum continet de nomine.

3. Secundo. Vicariæ vel etiam Capellaniæ temporales, non collativæ & ad nutum amovibiles, & in genere beneficia manualia, ſic dicta, quia ad nutum conferentis a poſſeſſore auferri poſſunt. Pirh. *l. c.* Caſtrop. *l. c. n.* 4. Garc. *p.* 1. *c.* 2. *num.* 83. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. §. 3. *num.* 42. Campan. *ubi ante n.* 8. Pariſ. *de reſign. l.* 2. *q.* 6. *n.* 2. & plurimi alii apud Barboſ. *l. c. num.* 25. ſive de cetero beneficium manuale dicatur datum in titulum ſive non; quod tamen addit Barboſ. citando pro hoc Præceſ. *in pr. Ep. p.* 1. *c.* 1. *num.* 45. *in fine*. Pariſ. &c. nimirum de facto ordinatum ſuper Vicaria amovibili non poſſe dein ab ea amoveri, niſi habita alia proviſione, hoc non ſubſiſtit, ut bene Caſtrop. *loc. cit. num.* 4. *in fine*, quia talis obligatio talem non amovendi immerito imponitur patrono vel collatori talis beneficii manualis. Unde etiam Epiſcopus presbytero ordinato non poterit aſſignare tale beneficium temporale & removibile in perpetuum, & hac ratione facere illud perpetuum, etſi per hoc, quod faciat id Epiſcopus pro iſta una vice, dicatur non mutari natura & qualitas talis beneficii, utpote quæ, etiam accedente patroni conſenſu ab Epiſcopo mutari nequit: ageret enim adhuc contra mentem fundatoris, qui voluit illud nunquam conferri in perpetuum; quin &, ſi faceret hoc invito moderno illius collatore vel patrono, faceret illis injuriam.

QUÆSTIO DXXXIX.

Qualiter, ut beneficium ſit titulus legitimus ordinationis, debeat ab ordinando actu fructuoſe & pacifice poſſideri.

1. RESP. primo. Debet actu ei eſſe collatum, & ordinandus habere jus in re nempe beneficio, ita ut non ſufficiat certa ſpes illius obtinendi, pro ut manifeſte colligitur ex Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 2. requirentis titulum de præſente. Pirh. *num.* 69. Caſtrop. *cit. p.* 10. *nu.* 7. Barboſ. *num.* 28. citans Azor. *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 4. *quæſt.* 9. Sanch. *opuſc. mor. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 24. *num.* 5. Garc. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 130. & plures alios.

Unde jam ad ordines promoveri non poteſt quis titulo beneficii quærendi, ut volunt Majol. *de irreg. l.* 4. *c.* 15. *num.* 3. Sayr. *de cenſ. l.* 4. *c.* 14. *num.* 19. Campan. *rub.* 8. *cap.* 4. *num.* 10. quæ ſententia, Caſtrop. *cit. num.* 7. ait, ſe non videre, quomodo ſuſtineri poſſit ſtante deciſione Trident. Intelligendo etiam hoc ipſum, dum beneficium acquirendum per ipſum ordinem, dum nimirum Ordo certus habitus actu requiritur ad collationem beneficii, quo Ordine obtento infallibiliter eo ipſo habebit illud beneficium; quia cum hac ratione Ordo ſit natura prior, tanquam conditio, ſine qua non poteſt haberi beneficium, adhuc confertur ſine titulo actu habito. Et ſic in ſpecie initiari non poteſt Ordinibus ſacris, non tantum poſtulatus ad Prælaturam (poſtulatione proprie tali, ante admiſſionem illius jus nullum poſtulato tribuente. Laym. *in cap. nihil de elect. n.* 8. Card. de Luca, *de regul. diſc.* 13. *n.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 17. *q.* 2.) ſed etiam præſentatus & electus, tametſi præſentatio & electio tribuant ei jus verum ad rem. Pirh. *l. c. num.* 71. Caſtrop. *n.* 7. Barboſ. Azor. Garc. *LL. cit.* cum pluribus aliis apud Barboſ. Item neque Coadjutoria cum futura ſucceſſione (etſi per eam acquiratur jus ad rem, cum ſit quaſi mandatum de providendo ad certum beneficium. Caſtrop. *tr.* 13. *de benef. diſp.* 2. *pag.* 1. *num.* 16. Garc. *p.* 4. *cap.* 3. *nu.* 58.) Pirh. *l. c. num.* 69. Caſtrop. *tr.* 27. *de Ordin. d. unic. pag.* 10. *num.* 5. eo quod etiam res hæc ſit incerta, dum coadjutus poteſt ſupervivere ſuum Coadjutorem. Limitatur tamen hoc ipſum ab iiſdem AA. uti &, quod titulo talis coadjutoriæ promoveri quis poſſit ad Ordines, intelligendum dicitur a Barboſ. *cit. num.* 23. Garc. *num.* 132. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 4. *num.* 6. Monet. *de option. c.* 4. *quæſt.* 8. *num.* 169. ubi coadjutori ad vitam ſuam ratione coadjutoriæ aſſignata congrua ſuſtentatio, tunc enim, non titulo coadjutoriæ, ſed illius percipiendi dictam congruam poterit ordinari.

2. Reſp. ſecundo. Quamvis jure antiquo ſufficiebat ſolus titulus per legitimam collationem acquiſitus etiam ſine poſſeſſione, adeoque ſolum jus in re acquiſitum in beneficio abſque poſſeſſione. Pirh. *num.* 71. citans Sanch. *ubi ſupra num.* 5. hodiedum tamen jure novo requiritur poſſeſſio beneficii, dum Trident. *loc. cit. c.* 2. requirit, ut titulus pacifice poſſideatur. Pirh. *loc. cit.* Tametſi enim ex ſola canonica inſtitutione ſeu collatione abſque traditione aut apprehenſione poſſeſſionis jus in beneficio acquiratur proviſo, *c. ult. de conceſſ. præb. in* 6. & *ibi* DD. Pariſ. *de reſign. l.* 10. *q.* 6. *nu.* 2. &c. jus tamen illud efficax non eſt, antequam proviſus capiat poſſeſſionem. Pariſ. *loc. cit. num.* 3. citans Rebuff. *conſil.* 186. *num.* 19. quo fit, ut ante apprehenſam poſſeſſionem proviſus adminiſtrare nequeat in beneficio Pariſ. *num.* 7. citans Abb. *in c. tranſmiſſa*, *de elect.* Rebuff. *de pacif. poſſeſſor. num.* 234. & 251. de quo tamen vide Laym. *in c. nihil*, *de elect. nu.* 11. ubi admittit, quod Prælatus electus ſit in quaſi poſſeſſione intra tempus, quo exſpectatur confirmatio, habeatque interea vi *cit. c. nihil* plenam adminiſtrationem &c. nec fructus percipere. Pariſ. *loc. cit. num.* 8. citans Card. Pariſ. *conſ.* 5. *num.* 21. & 22. & *conſil.* 39. *num.* 7. *vol.* 4. Addit nihilominus Pirh. idipſum in praxi, uti deberet non ſervari, ita ut ordinari quis poſſit poſt acquiſitum jus in re, in beneficio nempe, cujus mox poſſeſſionem accepturus eſt, citat pro hoc Rodriq. *pag.* 2. *c.* 5. *q.* 10. Laym. *in c. Epiſcopus*, *de præb.*

3. Reſp. tertio. Debet beneficium pacifice poſſideri, ut ait Trid. *loc. cit.* alias enim non habetur titulus certus. Sic itaque ordinari quis nequit lite durante, ſive lis mota ſit de jure, ſive de facto, ſive ſuper beneficio, ſive ſuper omnibus ejus fructibus. Barboſ. *cit. alleg.* 10. *num.* 15. Caſtrop. *num.* 8. citans Gl. *in c. commiſſa*, *de elect. in* 6. *v. pacifica*, & Gl. *in Clem. gratia*, *de reſcript. v. pacifice*; cum ille dicatur pacificus poſſeſſor, qui nullam patitur Juris vel facti controverſiam in judicio vel extra. Barboſ. cum Felin. *in c. Joannes*, *de fide inſtrum. n.* 33. Zabarel. *in cit. Clem. gratia*, *q.* 13. *n.* 8. &c. Quod ſi tamen lis mota ſolum ſuper aliqua parte fructuum, puta, ſuper aliquo prædio, domo, cenſu aut redditu beneficii, ita ut pars reliqua ſufficiens ſit ad ſuſtentationem congruam ordinandi, beneficium dici non poterit litigioſum, adeoque poterit hac lite pendente promoveri ad ordines. Caſtrop. *l. c.* Barboſ. *num.* 21. juxta cit. Gl. *in Clem. gratia*, & Gl. *in c. commiſſa*, & Decium *in c.* 1. *de poſſeſſ. utili*, *n.* 21. Quod ſi etiam lis mota non ſuper proprietate beneficii; ſed ſuper ejus poſſeſſione, Rebuff. *l. c. n.* 166. Menoch. *de arb. caſu*, 202. *n.* 18. Pariſ. *de reſign. l.* 2. *q.* 3. *num.* 52. & alii apud Barboſ. *num.* 19. putant, beneficium non cenſendum litigioſum, ſed pacifice poſſeſſum; cum dum lis movetur ſuper poſſeſſione, non facit rem ipſam litigioſam, ſed ejus poſſeſſionem, adeoque poſſe adhuc aliquem titulo talis beneficii ordinari. Verum rectius Barboſ. ipſe & cum eo Caſtrop. *cit. num.* 8. credit, ad talem titulum aliquem ordinari non poſſe; eo quod deciſionem judicii poſſeſſorii judicium petitorium ſemper imitetur juxta

e significaverunt, *de testibus*, & quia, ut addit Castrop. dum Trident. exigit beneficium pacifice possideri, id non de proprietate beneficii, sed de ipsa possessione videatur intelligendum, *pacifice* cadente super possideri.

4. Resp. quarto. Debet beneficium possideri fructuose, id est esse tale, ut possidens illud possit inde percipere fructus congruæ sustentationi sufficientes. Quale non erit beneficium, quod amisit dotem suam, & factum jam est, ut loquitur Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 31. *num.* 25. beneficium de pertica, cujus titulo nemo ordinari potest. Item, dum beneficium quidem habet dotem suam sufficientem, possessor tamen beneficii aliunde impeditur percipere ea eo fructus; ita ut durante & duraturo hoc impedimento, saltem ad tempus longum & incertum, ejus titulo quis ordinari nequeat. Unde etiam, dum Pirh. *cit. num.* 71. Barbos. *num.* 29. Castrop. *num.* 6. Garc. *num.* 120. Leo, *thesaur. for. eccles. c.* 39. *num.* 22. referentes sic decisum a Sac. Congreg. tradunt, posse aliquem promoveri ad Diaconatum & Subdiaconatum titulo beneficii, cujus fructus percipere nequit ante susceptum sacerdotium, id limitandum recte monet Tiber. *in instruct. ordinand. q.* 64. hac ratione, si habeat, unde interea vivat, intellige, etiamsi id non dicatur servire loco tituli temporalis, & paulatim cessaturi. V. gr. quia est pecunia parata non multa, dum titulus exigitur ex se perpetuus.

QUÆSTIO DXL.

An quis ordinari possit titulo pensionis impositæ beneficio alterius.

1. RESp. primo. Promoveri quis potest titulo pensionis perpetuæ impositæ fructibus beneficii. Nam tali titulo nihil deficit quo ad certitudinem & stabilitatem; cum ut docent Paris. *de resignat. l.* 3. *qu.* 8. *num.* 30. & 31. Gigas *de pension. q.* 43. & *consil.* 124. *num.* 1. Card. Paris. *cons.* 82. *num.* ... *vol.* 4. pensio talis constituta super fructus sit onus reale, sicut sunt decimæ; adeoque transit cum ipsa re in singularem successorem in beneficio seu possessorem illius, qui pro pensione venit conveniendus. Unde etiam de stylo communi, dum in literis Apostolicis imponitur pensio aliqua, apponuntur hæc verba; *per dictum modernum vel ejus in eadem Ecclesia successorem*: teste Busatto, *cons.* 361. *num.* 52. *vol.* 1. apud Paris. *loc. cit. num.* 32. & sic semper sequitur percipientem fructus beneficii. Lotter. *l.* 1. *q.* 29. *n.* 75. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 34. *num.* 42. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 7. *num.* 9. Atque hæc de pensione durante etiam post vitam pensionarii, sive quæ dari solet in titulum perpetuum beneficii, & reipsa est beneficium. Gigas, *de pensione*, *q.* 49.

2. Resp. secundo. Etiam pensio proprie talis sive temporalis sic dicta, quod non duret ultra vitam pensionarii, seu illius, cui reservata est, potest esse titulus ad ordines. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *num.* 7. *juncto nu.* 10. Corrad. *loc. cit. c.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 5. *q.* 3. Nam & alia perpetuitas, quam quæ est ad vitam ordinati, non requiritur in hoc titulo. Verumtamen limitatur hoc ipsum a Trid. *sess.* 21. *c.* 2. dum ait; *pensionem obtinentes post hac ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum*: proinde hoc jure novo nemo titulo pensionis ad ordines admittendus, nisi id suadeat necessitas vel utilitas Ecclesiæ, pro ut judicaverit Episcopus. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 5. *num.* 4. Barbos. *jur. eccles. l.* 3. *c.* 21. *num.* 10. Hæcque intelligenda (præscindendo tamen ab emolumento, quod inde Ecclesia sperare habet) etiamsi pensionarius esset idoneis moribus, scientia, ætate sufficienter instructus, ut colligitur ex antecedentibus Concilii verbis. Secus quo ad hoc est de pensionariu, de quo *resp. praeced.* nimirum cui obvenit pensio in titulum perpetuum beneficii ecclesiastici conferri solita; ita ut titulo illius etiam citra illam Ecclesiæ necessitatem aut utilitatem desuper ordinari possit. Gigas *cit. q.* 94. Ventrigl. *annot.* 11. §. 2. *num.* 82.

QUÆSTIO DXLI.

An & qualiter resignari possit beneficium, cujus titulo quis ordinatus, aut saltem fructus illius obligari alteri.

1. RESp. primo. Resignari non potest tale beneficium, ne quidem simpliciter, nisi resignans aliunde habeat, unde congrue sustentari possit, & nisi hæc ipsa qualitas beneficii, nimirum quod sit titulare, & dicta sufficientia aliunde vivendi narrata & expressa fuerint; ita ut eo ipso irrita sit & prorsus invalida resignatio. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 6. *n.* 6. Paris. *l.* 2. *q.* 6. *n.* 35. *juncto nu.* 36. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 10. *n.* 35. Garc. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 192. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 43. Card. de Luc. *de benef. d.* 37. *n.* 14. Lotter. *l.* 2. *q.* 14. *a num.* 75. Sic enim expresse statuit Trid. *cit. c.* 2. ne talis mendicare cogatur. Proceditque hoc ipsum, etiamsi resignatio in manibus Papæ facta; cum Concilium loquatur absolute, & Papa præsumendus non sit velle decreto Concilii tam prudenti derogare. Castrop. *l. c.* Garc. *num.* 193. Porro facta resignatione coram Papa, non expressa illa qualitate, jus nullum abdicatur a resignante juxta Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 11. *num.* 47. ex Garc. *loc. cit. n.* 224. & 228. Castrop. *de ordine*, *cit. p.* 10. *n.* 12. ita ut, si resignans moreretur in mense ordinarii, ordinarius posset de eo tanquam vacante per obitum disponere in vim Concordatorum Germaniæ. Nicolart. *ad Concord. Germ. tit.* 1. *du.* 10. §. 2. citans ac fuse recitans *decision. Rotæ in Leodiens. Canonicat. d.* 28. *Jun.* 1621. Sed neque tale beneficium manet affectum Sedi Apostolicæ per appositionem manus Papæ, utpote quæ locum non habet, quando resignatio est nulla. Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.* 38. citans Achill. *decis.* 24. *de rest. spoliat.* Rotam *decis.* 24. *n.* 1. *ut lite pendente*, *in noviss.* & 419. *p.* 1. *divers.* Neque locus est affectioni Papali; dum nullitas resignationis factæ coram eo provenit ea culpa resignantis, nisi quando resignans est in culpa, ne resignatio sortiatur effectum ob non implementum conditionis; tunc enim dicta conditio habetur pro impleta in præjudicium resignantis, & consequenter jus abdicatur a resignante, & beneficium vacat in Curia; adeoque manet affectum & reservatum Papæ; secus est, quando resignatio est nulla per se ex alia causa, quam ob non implementum conditionis, uti in præsente casu fuit nulla ob non servatam in ea formam Tridentini. Barbos. *cit. n.* 38. juxta *decis. Rotæ* 570. *p.* 1. *recent.* Facta vero taliter resignatione coram ordinario, quamvis stando præcise in terminis Trident. idem dicendum, nempe non vacare beneficium. Garc. *loc. cit. num.* 226 ex constitut. tamen Pii V. 58. vacat, & jus abdicatur a resignante; ita ut is ad illud redire nequeat; neque etiam illud transferatur ad resignatarium, sed de eo alteri libere provideri potest, non quidem per ordinarium, qui talem resignationem admisit, sed per Papam aliosve superiores illius ordinarii, aut per patronos, si est jurispatronatus juxta aliam constitutionem Pii V. 42. Ordinarius vero admittens talem resignationem, præterquam quod incurrat pœnam suspensionis a collatione beneficiorum, tenetur resignantem alere. Castrop. *loc. cit.* Tondut. *cit. n.* 47. dicens certum esse. Paris. *l. c. n.* 42. referens sic decisum a S. Cong. Nicolart. *l. c.* §. 4. dicens, sic statutum a Pio V. *in constit. quanta Ecclesiæ*, & citans Garc. *p.* 3. *c.* 28. *num.* 7. Garc. quoque *p.* 2. *c.* 5. *nu.* 227. recitans plures pro his declar. S. Congr. qui tamen addit. *num.* 229. Quod, si resignatio sic facta coram ordinario ab habente, unde aliunde vivat, non facta dicta mentione beneficii titularis, non vacare beneficium; eo quod Pius V. non loquatur de hoc casu. Sed & utriusque expressionem, nimirum, quod beneficium sit titulare, & quod aliunde habeat resignans, unde vivat, est de forma & substantia resignationis, sive factæ coram ordinario, sive coram Papa; ita ut per nullum æquivalens suppleri possit; adeoque non sufficiat exprimere tantum, quod resignans habeat unde vivat, quia utrumque requirit Trident. Castrop. *loc. cit.* uti & *de ordin. tr.* 27. *p.* 10. *nu.* 9. (qui etiam ait, etsi satisfactum per hoc intentioni Concilii, quæ erat, ne talis cogeretur mendicare; non esse tamen satisfactum dispositioni Concilii, quin nec intentioni illius, dum mentionem illius qualitatis fieri voluit non solum eo fine, ut ordinatus haberet, unde vivat, sed etiam ita firmiter haberet, ut non posset se ea commoditate pro libitu privare) Lotter. *loc. cit. num.* 77. Paris. *cit. q.* 6. *num.* 39. Garc. *n.* 193. & 194. sic resolutum referentes a S. Congr. anno 1588. & a Rota, *in Aretina plebis* 4. *Decemb. in Hispal.* 17. *Jun.* 1588. Neque ex eo, quod Pius V. in Bulla sua præscripserit formam in omnibus resignationibus factis coram ordinario seu extra Curiam, nimirum ut exprimatur, quod resignans

gnans habeat aliunde ad vivendum, recte infertur, sufficere, quod hoc solum exprimatur, adeoque hoc expresso, opus non esse exprimere, quod sit beneficium titulare; cum hoc posterius sit de forma præscripta a Trident. cui Pius V. in illa Bulla per nullam clausulam derogavit; cum tamen derogari illi debuisset, ut desineret operari. Sed neque Pius V. dicit, quod exprimere, quod habeatur unde vivat, sufficiat in omni resignatione; sed tantum ait, id exprimere esse necessarium in omnibus resignationibus; præter quod & alterum, nempe exprimere, quod sit titulare beneficium, requirit Trident. Chok. *ad reg. 45. cancell. a num.* 64. qui etiam addit, neque contrarium ulla decisione decretum, vel ab ullo Authore confirmatum, præterquam a Nav. *l. 3. conf.* 2. ubi dicit, valere talem resignationem nulla facta mentione tituli in foro conscientiæ, & credere se, ita judicaturos Præsides supremi Prætorii Papæ, si eorum tribunali subjiciatur. Quod quidem, ut ait Chok. *num.* 64. non credidisset, quin & mutasset sententiam, si multas Rotæ decisiones & Cardinalium declarat. Navarro posteriores, quæ exstant apud Garciam, Parisium & alios, legisset. Nihilominus tamen ipse Chok. *num.* 65. inquit: adversus hanc Doctorum scholam sunt, qui dicant contrarium, nimirum ex Stylo Curiæ Romanæ sufficere, resignantem constitutum in Sacris exprimere, se habere unde vivat, omisso, quod fuerit ordinatus titulo illius beneficii, & de hoc stylo centum pragmaticos in Curia Romana exercitatissimos testari, quo stylo supposito, ait Chok. Rotæ decisiones & S. Congr. declarationes cessare videntur; tum quia Stylus Cancellariæ facit jus, & attendendus est, *c. ex literis, de rescrip.* Mandos. *ad reg.* 10. *Cancell. q.* 5. *num.* 6. tum quia mentem Principis aperit & declarat; tum quia quæcunque fiunt in Camera vel Cancellaria, dicuntur fieri in consistorio, imo in conspectu Papæ. Paris. *l.* 9. *q.* 26. *num.* 3. Gomes. *ad reg. de tribunal. q.* 7. *§. præterea*. Ideoque Stylus Curiæ Romanæ tollit omnem dubitationem facti, non solum in curia, sed & in partibus, hoc proinde stylo stante, ait Chok. *num.* 68. de non exprimenda qualitate promotionis ad Sacros ordines ex titulo illius beneficii, non videtur posse dici de nullitate resignationis. Vide plura de hoc apud me *in for. benefic. par.* 3. *q.* 305. *num.* 5. *in fine*. De cetero decretum illud prohibens resignationem beneficii titularis, nisi aliunde habeat ad vivendum non procedit in resignationibus & privationibus inductis a Jure. V. g. per assecutionem alterius incompatibilis. Barbos. *loc. cit. num.* 45. Garc. *nu.* 219. eo quod Concilium solum tollat resignationes voluntarias, ut Sac. Congr. Garc. *loc. cit. num.* 220.

2. Resp. secundo. Stante veritate communioris sententiæ jam etiam resignari non poterit tale beneficium sub pensione sufficiente ad congruam sustentationem non facta mentione, quod quis ad titulum illius beneficii ordinatus; quia, ut dictum, expressio illius est de forma, & Concilium indistincte annullat resignationem aliter factam. Barbos. *loc. cit. num.* 42. Chok. *loc. cit. num.* 61. Garc. *num.* 214. citans pro hoc expressam S. Congr. declarationem, addensque, *num.* 217. ex Ledesm. Quod talis resignatio etiam in foro conscientiæ sit nulla Castrop. *de ordin. part.* 11. *num.* 10. Contra Nav. *conf.* 4. *de renunc.* Paris. *l.* 2. *q.* 6. *num.* 41. Rodriq. *Tom.* 2. *c.* 15. *num.* 12.

3. Resp. tertio. Neque etiam fructus talis beneficii hypothecari aut obligari possunt; cum prohibitus alienare prohibeatur quoque hypothecare & obligare, quia id ipsum est virtualis quædam alienatio. Argum. *L. ult. Cod. de reb. alien.* Castrop. *cit. part.* 10. *num.* 13. Barbos. *loc. cit. num.* 48.

QUÆSTIO DXLII.

An & qualiter tale beneficium titulare possit permutari.

RESp. Permutari quoque nequit, nisi servata præcise illa forma a Trident. præscripta. Card. de Luc. *de benef. d.* 42. *num.* 5. Castrop. *num.* 11. Chok. *loc. cit. num.* 62. Gonz. *gl.* 5. *§.* 10. *a num.* 43. Lotter. *de re benefic. loc. cit. num.* 78. ubi ait: licet S. Congr. videatur in resignatione ex causa permutationis sentire contrarium, tamen veritas est, quod eadem Congr. semel de anno 1602. 18. Jul. censuit, decretum Concilii locum etiam habere in permutationibus non absolute, sed ex suppositione, quod dari posset casus, ut ita permutans non posset consequi beneficium cessum. Limitant responsionem Garc. *loc. cit. n.* 218. Gonz. *loc. cit. §.* 10. *a num.* 43. Gratian. *disceptat. forens. c.* 150. *num.* 3. Ricc. *in decis. Cur. Neapolitan. part.* 1. *decis.* 17. *num.* 7. Barbos. *loc. cit. num.* 44. ex testimonio Gratiani referens pro hoc declarationem S. Congr. nimirum quod permutans sine expressione, quod sit beneficium titulare, tutus esse possit in conscientia, si illud, quod de novo acquirit sit æquivalens omnino beneficio permutato. Quod tamen merito displicet Castrop. eo quod nomine resignationis comprehendatur & resignatio facta permutationis gratia, & Concilium loquatur universaliter & indistincte; adeoque de quacunque resignatione beneficii titularis. Unde jam etiam Castrop. ait, se maxime dubitare de decis. Sac. Congr. relata a Barbos. *in remiss. Concil.* in qua affirmatur, permutantem beneficium nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuerit, tutum esse in conscientia, si beneficium obtentum fuerit omnino æquivalens.

QUÆSTIO DXLIII.

An igitur resignari quoque nequeat beneficium subrogatum illi, ad cujus titulum quis ordinatus.

1. RESp. affirmative. Cum subrogatum sapiat naturam, intelligaturque cum qualitatibus illius, in cujus locum subrogatur, juxta *l. si cum §. injuriarum, ff. si quis cautionibus*. Chok. *loc. cit. num.* 60. Garc. *num.* 210. qui tamen *num.* 211. subdit, beneficium, per cujus assecutionem vacat illud, ad cujus titulum quis ordinatus, non videri subrogatum loco illius; cum vacatio inducatur a Jure propter incompatibilitatem.

2. Porro ex dictis hucusque sequitur, quod nullum quoque aliud beneficium, etsi titulare non sit aut ei subrogatum, resignari quoque possit, dum resignans non habet aliunde unde congrue vivat, juxta quod disposuit Pius V. in const. sua 56. incipiente: *quanto Ecclesia, de* 1. *April.* 1568. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 19. *num.* 40. Chok. *loc. cit. num.* 59. citans Azor. *part.* 2. *l.* 7. *cap.* 25. *q.* 7. Paris. *l.* 3. *q.* 14. *num.* 3. Garc. *ubi ante num.* 198. Et licet dicti Pii V. constitutio loquatur de resignationibus factis coram ordinario, servari tamen etiam & habere locum in Curia, quia militat eadem ratio. Et in Curia non admitti resignationem alicujus in Sacris constituti, nisi cum clausula; quod resignans aliunde habeat, unde commode vivere queat, quæ clausula respiciat substantiam gratiæ, utpote quæ attento stylo aliis non solet concedi, & cujus clausulæ verificatio committatur ordinario, si provisio est in forma *dignum*, tradit Garc. *a num.* 199. Barbos. *loc. cit. num.* 41. Paris. *cit. qu.* 14. *num.* 3. Hujus tamen postremi contrarium innuit Card. de Luc. *de benef. d.* 37. *num.* 14. ubi: aut beneficiatus ordinatus non est ad titulum illius beneficii, sed alterius, aut ad titulum patrimonii, & tunc non intrat dictum decretum conciliare, neque congrua sustentatio adjici solet per viam conditionis: dummodo resignans habeat unde vivat: sed officiales Datariæ se regulando ex constit. Pii V. injungente locorum ordinariis, ne admittant beneficiorum resignationes, nisi iis constet, resignantes habere aliunde vivere, ea quodam stylo id adjiciunt per viam assertivæ, nempe: *tibi asserenti aliunde habere commode vivere &c.* non quod importet formalem conditionem intrinsecam, cujus præcedens justificatio præcise ac pro forma fieri debeat, minusque id importet irritationem provisionis.

QUÆSTIO DXLIV.

An privari quis possit per sententiam beneficio, ad cujus titulum quis ordinatus, aut etiam ab eo suspendi, & unde interea alendus, si aliunde nihil habeat.

1. RESp. Ad primum affirmative, relinquendum tamen illi aliquid, unde se alat. Barbos. *num* 45. cum Riccio *loc. cit. decis.* 18. *p.* 1. Unde etiam ait Barbos. S. Congregationem, 5. *Feb.* 1604. censuisse, patrimonium clerici, ad cujus titulum ordinatus, non posse capi in executionem ob vulnera alicui illata ad reficiendas expensas curationis a Judice condemnati, etiamsi nihil aliud præterea habeat.

2. Resp. ad secundum, etiam affirmative, pro ut constat ex praxi quotidiana. Quo ad præstanda vero alimenta, respondendum sub distinctione: si suspensus ob delictum persistat in contumacia, noo petendo absolutionem vel dispensationem, non debent ei dari alimenta, oe non curet absolutionem. Eogels. *ad tit. de atat. & qual. num.* 20. si desistat a contumacia suspensus vel privatus, debent ei relinqui alimenta, si non integra, saltem in supplementum, in quantum ea ex lectione Missarum vel alio honesto labore habere non potest. Engels. *loc. cit.* citans Abb. *in c. pastoralis, de appellat. num.* 6. Quod si vero suspensus ab officio vel depositus non habuerit beneficium præter titulum mensæ, non desistens a contumacia, putat Engels. *loc. cit.* nihilominus alendum illum ab Ecclesia; eo quod clericus ob delictum non debeat fieri mendicus, quemadmodum & is alendus ab Ecclesia, dum bona, super quibus fundatus titulus; periere per bella, Eogels. *loc. cit. num.* 16.

QUÆSTIO DXLV.

An ordinari quis possit titulo servitii seminarii alicujus vel Ecclesiæ.

RESp. Potest quis deputatus stabiliter & inamovibiliter, assignatis illi certis fructibus, ut inde ali debeat, osque dum aliam sustentationem congruam consequatur, titulo illius promoveri ad sacros ordines. Pirh. *loc. cit. num.* 71. Castrop. *cit. p.* 10. *num.* 5. Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.* 26. citans plures alios. Secus tamen est, ubi deputatio illa oon esset perpetua, ant fructus noo essent certi, quales v. g. non esseot eleemosynæ, stipendia Missarum & anniversariorum ibi quotidie occurrentium, absque eo, quod stabiliter & in perpetuum sint fundatæ Missæ illæ aut anniversaria. Barbos. *loc. cit.* quamvis tamen is cum Marc. Ant. Genuens. *in pr. Curia Neapol.* quem citat, dicat, ordinari aliquem posse ad titulum beneficii habentis redditus incertos & casuales anoiversatiorum, dum hi communiter ad certam summam pro victu sufficientem redigantur. Idem est de servitio alicujus seminarii nimirum si servitium stabile, & redditus inde percipiendi certi. V. g. si deputatus ad serviendum in beneficio, quod seminario unitum est. Pirh. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 104. Leo, *thes. for. eccles.* testantibus sic declarasse S. Congr. Concil.

QUÆST. IO DXLVI.

Quis dicatur titulus mensæ, & an & qualiter quis ad eum ordinari possit.

1. RESp. ad primum. Tituli mensæ, etsi specialis mentio apud AA. sit infrequens, frequens tamen est usus in Germania; dum clerici absque alio beoeficio aut etiam patrimonio proprio, ad statutam illis vel potius promissam ab alio, sive laico, sive ecclesiastico sustentationem congrueotem promoveri ad ordioes consueveruot. Comprehendi videtur hic titulus sub numine patrimonii, dum, ut Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.* 58. sub eo venit, non tantum quidquid ex patris bonis filio obvenit; verum etiam omne id, quod aliunde, scilicet vel donatione vel quavis causa delatum est.

2. Resp. ad secundum. Quamvis hoc titulo passim, vel etiam cessante necessitate vel penuria sacerdotum clerici ordinari oon debeant aut possint; cum hac ratione non acquirant jus in re, sed ad rem; adeoque in rigore a Trid. requisito non possint dici possidere patrimonium. Barbos. *loc. cit. n.* 73. citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 4. *q.* 7. Ugol. *de off. Ep. c.* 26. §. 14. *num.* 2. Molfes. *in sum. tr.* 2. *c.* 15. *num.* 4. Nav. *cons.* 34. *de temp. ordin.* Tiber. *de instruct. ordinand. qu.* 71. citans insuper Garc. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 3. 94. & 97. & referens sic decis. a S. Congr. posse tamen huoc usum tolerari, necessitate sic exigente, ait Engels. *ad t. de atat. & qual. num.* 14. nisi inde abusus subintraret, ut non tantum Clerici, penes quos spes bona est promotionis, sed sine delectu quicunque absque beneficio & spe beneficii ordinarentur, qui dein, eum ante defectum virium ad titulum non recipiantur, miseram plerumque & scandalosam, vitam ajunt. Sic quoque Barbos. *cit. num.* 73. citans pro hoc Paris. *de resign. L.* 2. *q.* 7. *num.* 11. Lotter. *L.* 1. *q.* 2. *num.* 10. & alios, qui referant sic decisum a S. Congr. ait: ille, qui beneficium non retinet, nec patrimonium aut donationem, potest, cum penoria sacerdotum existit, ad sacros ordines promoveri, dummodo adsit, qui ei spondeat necessaria subministraturum.

3. Resp. tertio. Ut Episcopus promoturus Clericum ad Ordines sacros contentus esse possit, justa causa v. gr. dicta penuria sacerdotum id exigente, tali sola promissione absque alia dotatione alendi ordinatum, promissio hæc firmata esse debet publico instrumento in forma valida cum obligatione omnium buoorum, vel etiam certorum (quod aliqui judicant melius) & non alienandi tot, quin remaneat debita ordinato sustentatio. Ex tali enim promissione tantam jam habet ordinatus certitudinem suæ sustentationis, quantam haberet, si haberet census & pensiones in aliorum beneficiis vel bonis, & ideo non exponitur periculo mendicandi Tiber. *loc. cit.* ciratis iis AA. Barbos. Paris. &c. Sic quoque ait Engels titulum hunc constitui non posse sub sola obligatione personali; quia mortua persona concedentis, & forte hæreditate nulla aut tenui relicta, Clerico deperiret titulus, sed debere assignari cum obligatione reali & hypotheca bonorum tot & tantorum, ut ex eorum redditibus ordinato possit esse provisum, quod ex prudente arbitrio Episcopi dependet, qui & illud diligenter advertere debet, ne hujusmodi bona sint prius ære alieno gravata vel etiam hypothecata. Atque ita hic titulus super bonis hoc modo fundatus erit onus reale traosiens ad quemconque possessorem borum bonorum jure ordinario. Quod si tamen concedatur hic titulus a Monasteriis vel Ecclesiis collegiatis, non requiri hypothecam, quia bona ecclesiarum non possunt regulariter alienari, ait Engels. *num.* 18. Idem de viris Principibus & communitatibus dicit Pirh. *loc. cit. num.* 73. quod oon exigatur prædicta cautio realis seu hypotheca, & sufficiat simplex cautio instrumentaria; eo quod cum illis nunquam deesse possit facultas sustentandi ordinatum, fides haberi soleat, si io instrumentis authenticis promissionem illam suppeditandi alimenta faciant. Notat quoque Pirh. in suis partibus (uti & in nostris) quod ista promissio & obligatio personalis (idem est de assignatione bonorum sine extraditione ut inde fructus percipiantur) plerumque sub conditione tantum concipiatur, nimirum si ordinatum egere contingat; eo quod licet Trident. plus exigat, necessitas tamen, quæ non habet legem, in his casibus excuset, si sacerdotum sit penuria, & absoluta provisio impetrari nequeat.

4. Resp. quarto. Ut concedatur hic titulus a Monasteriis vel Ecclesiis collegiatis, requiritur consensus Capituli; cum alias successor in dignitate Prælati concedentis talem titulum non teneatur stare obligationi sui antecessoris sine utilitate vel necessitate suæ ecclesiæ contractæ juxta *c. penult. de fidejussor*, & *c.* 1. *de solut.* Engels. *cit. nu.* 18. qui etiam *num.* 16. addit, non satis secure acceptari talem titulum subscriptum a solo Magistratu & Senatu civico civitatis alicujus vel oppidi, nisi vel is, in cujus dominio est locus, vel major pars civitatis convocata consenserit, vel coosuetudo aut statutum sit io tali loco, ut solus Magistratus possit civitatem vel oppidum obligare, aut certe Magistratus se suosque hæredes & bona in subsidium obligarit. Atque ex his jam deducitur, non posse Episcopum super fructibus suæ mensæ episcopalis (aliud est de booisejus patrimonialibus) ordinare aliquem; eo quod morte Episcopi concedentis titulus hic extinguatur; cum onus hujusmodi imponi nequeat dictis fructibus in præjudicium successuris sine licentia Pontificis. Pirh. *loc. cit. num.* 69. citans Garc. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 93. qui referat sic decisum a S. Congr. Quamvis tamen non omnino reprobanda videri posset consuetudo aliquarum Diæcesium ob ingens bonum iis exinde resultans, dum Episcopi hoc modo ad ordioes promovent raros, & non nisi per examen rigidum per modum concursus institutum repertos prudentia, vitæ integritate, ac doctrina præcellenti instructos, adeoque selectissimos, præsertim dum in potestate sua habent, quam primum taliter ordinatos submittere aliis parochis copiosiores parochias habentibus tanquam cooperatores vel Sacellanos, inde non nisi Episcopali potestate amovibiles, ac post paucorum annorum probatum tale servitium ad parochias ipsas seu beneficia corata instituto concurso transferre.

QUÆ-

QUÆSTIO DXLVII.

An patrimonii titulo quis ordinari possit, & quæ veniant nomine patrimonii.

1. RESp. ad primum. Hodiedum jure novo Trident. *sess.21. c.2.* non possunt ad titulum patrimonii ordinari, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel utilitate ecclesiarum suarum. Proinde, cum verba hæc Concilii requirentia judicium Episcopi denotent arbitrium boni viri, hoc est voluntatem rationi submissam, adeoque si Episcopus legitime non interponat arbitrium, Deum solummodo judicem habebit, non dabitur ab Episcopo nolente ordinare aliquem ad titulum patrimonii appellatio; quia superior non potest animum & conscientiam inferioris immutare. Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.*53. Tradit nihilominus Pirh. necessitatem illam & commoditatem (quarum utraque si desit, Concilium adimit Episcopo potestatem ordinandi ad illum titulum Barbos. *loc. cit.*) ordinarie adesse præsertim in viris doctis & probæ vitæ; ideo hodiedum regulariter posse aliquem ordinari ad titulum patrimonii. Porro patrimonium non nisi improprie & per æquiparationem titulum dici posse, colligitur ex *c. Episcopus, de præben.* ubi statuitur, quod clericus ad sacros ordines promoveri non debeat sine titulo videlicet beneficii, postea vero ponitur exceptio; nisi bona patrimonialia habeat; adeoque bona æquiparantur titulo in eum finem, ut quis ordinari valeat. Pirh. *loc. cit.*

2. Resp. ad secundum. Præter ea, quæ de hoc dicta *quæst. præced. resp. 1.* nomine patrimonii intelliguntur bona propria ordinandi, sive illa a patre profecta sint, sive ex propria industria, vel ex donatione alterius, vel ex alio quovis legitimo titulo sint acquisita, modo sufficiant ad ordinandi honestam sustentationem juxta Episcopi ordinantis arbitrium, ad hoc enim requiritur titulus, ut habeat sustentationem honestam, undecunque illam habeat.

QUÆSTIO DXLVIII.

Qualia esse debeant bona, in quibus titulus patrimonii constituitur.

1. RESp. primo. Debent esse certa, ut nimirum sciatur, an sufficiant ad sustentationem ordinati. Secundo debent esse immobilia, quia res mobiles facile consumuntur usu & lapsu temporis. Hinc, si mobilia sint, convertenda sint in immobilia. Azor. *p.2. L.3. c.4. q.7.* Barbos. *nu.* 55. Pirh. *cit. num.* 72. Castrop. *loc. cit. p.* 11. *num.*8. Unde jam dubitatur, an titulus patrimonii consistere possit in censu, non quidem vitalitio, cum is duret ad vitam ordinati titulo illius, sed redimibili; eo quod is redemptione facta consumi possit interim, dum non offert se occasio applicandi denuo illam pecuniam, seu constituendi de novo censum. Partem negativam tenent Ugol. *de offic. Ep. cap.* 26. §. 10. *num.*2. & §. 12. *num.*3. Bonacin. *de Sacram. ordin. dub.* 8. *qu. unic. p.* 5. *num.* 32. apud Castrop. *cit. p.* 21. *num.* 8. affirmativam tenent Pirh. *loc. cit. num.* 73. Castrop. *loc. cit.* Barbos. *num.* 55. citans Garc. *ubi ante num.* 45. Alzed. *p.2. q.5. n.* 55. &c. hoc nixi fundamento, quod licet census talis perpetuo redimi & extingui possit, possit tamen in ipsa tituli erectione hæc adhiberi cautio, ut in casu redemptionis pecunia ex Episcopi decreto mox iterum in beneficium ejusdem promoti applicetur, & is reinvestiatur, vel etiam coemendo inde alia bona frugifera, testans, sic declarasse Sac. Congr. Concil. *sub die 2. Jun.* 1619. &c, ut addit Castrop. licet illo tempore, quo pecunia deposita est, nec se offert occasio censum de novo constituendi, non possit ordinatus ex ea alimenta percipere, non obinde tamen censendum sit, eosum esse titulum insufficientem; quia illud tempus moraliter breve esse solet (in quo tamen falli videtur Castrop. cum sæpe diu expectanda sit occasio sine damno & æque fructuose applicandi rursum illam pecuniam) ac proinde in considerationem non venit; ideoque reputetur census perpetuus, ac si redemptio non contigisset. De cetero censum annuum reputari inter immobilia, satis constat ex *Clem. exivi, de verb. signif.* Pirh. *loc. cit.* 2. Tertio debent esse libera, sive alteri non obligata seu hypothecata pro censu, ære alieno vel dote &c. cum alias fieri possit, ut a creditoribus aufferrentur. Pirh. *loc. cit.* citans Garc. *num.* 105. Barbos. *loc. cit.* imposito enim illo onere hypothecæ ordinatus non potest ali ex illis bonis, si creditor velit sibi fieri sollicitudinem. Neque Concilium prohibens alienationem patrimonii; ad cujus titulum quis ordinatus tollit obligationem ante contractam, aut juri alterius derogat. Barbos. *loc. cit.* citans Nav. *cons.* 18. *de tempor. ordin.* subdit quoque Barbos. quod si bona non sint hypothecata, quamvis dominus ita sit ære alieno gravatus, ut soluto debito, non maneat patrimonium sufficiens ad sustentationem ordinati, adhuc se deputare posse in talibus bonis constitui titulum; eo quod dominus illorum habeat illorum dominium; possitque ea valide alienare, multoque magis in eis constituere (intellige sibi aut alteri) titulum ordinationis, etsi forte peccet per hoc, si non possit aliunde creditoribus satisfacere, citat pro hoc Suar. *de cens. d.* 4. *c.* 3. *num.* 14. Garc. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 139. & *seqq.* 3. Quarto debent esse frugifera, & annuum redditum præstent ordinato: Pirh. Barbos. *LL. cit.* Quia idem est, rem non habere, & habere, sed inutilem. *L. quoties, ff. qui satisdare cog.* nisi res infrugifera alienari possit, & ex pretio frugiferum quid comparari. Pirh. citans Ugol. Unde ordinari quis nequit ad bona patrimonialia, in quibus habet solum dominium directum, & alter utile.

QUÆSTIO DXLIX.

An filius parentis divitis possit ordinari eo solo titulo, quod amplam a patre hæreditatem vel legitimam expectare habeat absque eo, quod actu nihil ei pro victu assignatum.

1. RESp. negative Pirh. *l. c. n.* 74. Engels *l. c. p.* 23. Castrop. *cit. p.* 21. *n.*2. Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.* 91. citatique ab eis Garc. *l. c. n.* 91. Paris. *L.* 2. *q.* 6. *n.*28. Ugol. *de pot. Ep. c.*26. §. 9. *n.*3. Sanch. *de mat. L.* 8. *d.*19. *n.*21. &c. contra Surdum *de alim. tit.* 7. *q.* 37. *n.*2. quam tamen immerito pro hac sententia citari affirmat Tiber. *in instruct. ordinand. q.* 70. cum tantum intendat probare, Episcopum non teneri alere a se ordinatum, dum is patrem divitem habet; cum onus alendi filium pertineat ad patrem. Tametsi enim filius sit hæres necessarius, & vivente patre habeatur quasi dominus paternorum bonorum, habeatque jus ex paternis bonis, sustentationem percipiendi &c. Adhuc per hoc non impletur mens & voluntas Concilii, quod vult patrimonium ab ordinando actu vere & proprie & non ficte (qualiter tantum per fictionem juris filius est dominus hæreditatis & bonorum paternorum, estque dives ex eo, quod pater dives sit) obtineri. Ad hæc bona paterna incerta sunt; cum pater in vita sua possit ea dilapidare totus obæratus decedere, filium ex causa supervenienta exhæreditare. Et licet filio debeantur alimenta a patre, quamdiu hic vivit, facile tamen contingere potest, ut præmoriente patre, ob æs alienum a patre contractum vel justam exhæreditationem filius sit sine alimentis; adeoque initiatus sacris cogatur mendicare. Poterit nihilominus filius volens suscipere ordines adigere patrem divitem, ut sibi assignet sufficiens patrimonium, non secus, ac filius intendens celebrare matrimonium (vel etiam ingredi statum religiosum, ut Engels *loc. cit.*) cogere potest patrem juxta *L. fin. Cod. de dotis promiss.* ut si constituat & faciat donationem propter nuptias in dotis recompensationem (vel etiam pro ingressu in religionem) cum susceptio ordinum sit quoddam spirituale matrimonium, & a carnali matrimonio ad spirituale liceat in hac parte argumentari juncta *c. inter corporalia, de translat. Prælat.* & *L. sancimus, Cod. de SS. ecclesiis.* Engels *l. c. n.* 24. Castrop. *n.* 3. Barbos. *n.* 63. citantes Guttier. *L.* 3. *qq. pract. q.* 65. *n.* 8. Sanch. *de mat. L.* 1. *d.* 26. *num.* 7. Camp. *Rub.* 8. *c.* 5. *n.* 14. &c.

2. Limitatur tamen hoc ipsum, ita ut opus non sit, patrem actu extradere patrimonium hoc seu dominium, sed satis sit, rem frugiferam designare, eamque vel ipsam donare & extradere, vel saltem sub speciali hypotheca realiter obligare, ut non possit alienari, nisi cum onere pensionis filio ordinato inde solvendæ. Pir. *loc. cit.* Molin. *tr.* 2. *de instit. d.*238. §. *omnino idem*, qui & hoc ipsum sublimitat; ut si pater sit persona illustris, aut unus ex Magistratibus in iis diæcesibus, in quibus promissio talium personarum literis authenticis expressa pro sufficiente titulo mensæ reputatur, non soleat exigi talis designatio bonorum vel rei certæ, pro quo citat Laym. eo quod si promissio extraneo facta acceptatur loco patrimonii vel pensionis, multo magis acceptari debeat jus & obligatio naturalis, quam habet pater ad alendum filium proprium. Neque qui certus est, certiorari ulterius debeat. *Reg. Jur.* 31. *in* 6.

3. Porro licet alias donatio inter patrem & filium censeatur invalida juxta jura vulgata. Ut Barbos. *num.* 62. valebit

tamen ea facta filio in patrimonium pro suscipiendis Ordinibus. Barbos. cit. n. 61. Paris. l. c. n. 9. &c. sed neque pater talem donationem factam poterit revocare; eo quod illa revocatio cederet in præjudicium, tum status ecclesiastici, tum in injuriam Episcopi, qui non aliter, quam sub conditione illius donationis firmæ ac perpetuæ Ordines contulit. Barbos. loc. cit. Castrop. num. 4. citantes Guttier. ubi ante num. 9. Garc. nu. 156. Covar. in c. Raynald. de testam. §. 2. num. 7. Quin &, ut iidem AA. si pater ex causa suscipiendi ordines filium meliorasset, non possit meliorationem revocare. An vero valeret assignatio bonorum in præjudicium legitimæ aliis filiis debitæ, si pater totum patrimonium ad ordines suscipiendos filio donasset donatione irrevocabili, id inquam indecisum relinquit Barbos. & ad Cæval. communium contra commun. qu. 527. & 682. remittit.

QUÆSTIO DL.

An donatio facta filio pro Ordinibus suscipiendis computanda sit in legitimam?

1. RESp. acriter inter se hac in quæstione dissidere AA. Negativam tenent Barbos. cit. alleg. 19. a nu. 64. citatique ab eo magno numero AA. Rojas, de successionib. cap. 7. a num. 46. Spino in specul. testam. gl. 18. a num. 66. Cæval. loc. cit. q. 682. Gratian. discept. for. c. 159. a num. 32. Campan. rub. 8. cap. 6. num 12. &c. Rationes pro hac sententia sunt, quod bona illa non sint necessario assignata, ut de iis ad libitum possit disponere, pro ut ad legitimam requiritur, ut Cravett. cons. 136. incipiente de anno. Item quod bona collata in titulum Ordinis efficiantur quasi castrensia, & gaudeant privilegio bonorum ecclesiasticorum ut Azevedo. Item quod fructus filio dati loco alimentorum & ad supportanda onera matrimonii, quia pauper, & non habet aliunde, unde se alat, non fiot computandi in legitimam, ut Molin. de Just. tract. 2. d. 208. Surdus de alim. tit. 8. q. 57. num. 2. & tit. 9. qu. 34. in princ. & alii apud Barbos. num. 65. Uti nec impensæ factæ in Doctoratum filii. Rebuff. in privileg. Schol. privileg. 55. num. 3. Bonac. de contract. disp. 3. q. 6. part. 6. §. unic. num. 17. &c. apud Barbos. num. 66. Neque data filio pro ingredienda militia Velasc. de partit. c. 13. num. 179. Barbos. num. 67. Neque expensæ factæ, ut filius assequatur aliquod beneficium ecclesiasticum. Guttier. qq. pract. l. 2. q. 65. num 10. Neque factæ ad assequendam a filio dignitatem Rebuff. loc. cit. privil. 58. num. 1. Barbos. num. 68. Adeoque a fortiore tenendum videtur, neque bona data filio in titulum ordinationis esse computanda in legitimam. E contra Affirmativam sententiam tenent Castrop. de ordin. tr. 27. p. 11. num. 5. Bonac. in Bulla Cœnæ disp. 1. q. 19. Velasc. alleg. Juris. Tom. 1. alleg. 35. num. 6. Ugol. de potest. Ep. c. 26. §. 9. in fine. Garc. loc. cit. num. 159. Guttier. l. c. Molin. l. c. num. 238. Covar. l. c. §. 2. num. 7. Fundamentum hujus sententiæ est, quod patrimonium constitutum pro Ordinibus suscipiendis in consecutione Ordinum non consumatur, sed permanet pro congrua ordinandi sustentatione, cum aptitudine, ut ad hæredes transmittatur; imo ut vendatur & alienetur, habita aliunde competente sustentatione, bona autem concessa a patre filio, quæ transmissibilia sunt ad hæredes, quæque per se alienabilia, computantur in Legitimam, uti deciditur L. omni modo §. imputari. C. de inoffic. testam. Rationes quoque oppositæ sententiæ satis plausibiliter diluunt hi AA. Negando primo, quod cogi nequeat ad præstandum filio patrimonium pro Ordinibus suscipiendis juxta dicta supra; adeoque non minus computanda in legitimam, quam bona designata in dotem matrimonii carnalis & pro ingressu in religionem: de quibus, quod computentur in legitimam, testatur Bartol. & Bald. in L. quoniam novella. Cod. de inoffic. testam. Ad hæc dicunt, dato, designationem bonorum pro Ordinibus suscipiendis fuisse patri liberam, & non necessariam, factam tamen semel, cum fiat ad causam necessariam, scilicet ad suppeditanda alimenta, ad quæ legitima designatur, necessario in legitimam computandam. Ad secundum negant, ut expresse Covar. l. 1. var. cap. 4. num. 4. patrimonium effici ecclesiasticum, & gaudere dictis privilegiis: & esto, gaudeat illis, adhuc computandum in legitimam; quia nonnisi per accidens & ad tempus gaudet illis. Ad tertium: sufficere, quod successione seu transmissione ad hæredes alienari possit; eo ipso enim venit in legitimam computandum juxta cit. L. omni modo. Ad hæc patrimonium pro Ordinibus statutum possit per se & absolute alienari, licet per accidens & ad tempus, scilicet quousque ordinandus habeat aliunde, ex quo sustentetur, sit alienabile. Ad quartum dicunt, tametsi bona concessa pro causa necessaria alimentorum non sint computanda in legitimam, si actu consumantur, secus tamen esse, seu bona ipsa computanda in legitimam, si concedantur, ut firma persistant, & ex eorum redditibus & fructibus alimenta proveniant, etsi fructus ipsi & redditus in legitimam computentur. Ad reliqua dicunt, non mirum, quod non computentur ea in legitimam, quia non conceduntur in causam necessariam, nec remanent, beneficio, dignitate, Doctoratu &c. obtento; patrimonium vero ad Ordines concedatur in causam necessariam, nempe alimentorum, & consecutione Ordinum non extinguatur. Atque ex his hæc sententia affirmativa videtur probabilior.

QUÆSTIO DLI.

An donatio patrimonii facta ab extraneo sufficiat pro titulo Ordinum suscipiendorum, etiam facta sub hac expressa conditione, ut quamprimum ordinatus aliunde acquirat, unde sustentetur, restituantur bona donata donanti.

RESp. sive bona illa donata, ut fieri debere, constat ex illis Trid. verbis loc. cit. patrimonium illud vel pensionem vere ab iis obtineri actu extradantur. (Quamvis id multis in locis non observetur, sed sufficiat cautio illa hypothecaria aut promissio authentica) sive dicto modo promittantur, tam extraditio illa quam promissio fieri potest sub dicta conditione. Siquidem eo casu nulla ordinandu imponitur obligatio juri contraria; cum beneficio sufficiente obtento, vel congrua sustentatione aliunde habita patrimonium illud alienari possit. Castrop. cit. part. 11. num. 16. Barbos. loc. cit. alleg. 20. num. 31. Garç. cit. c. 5. num. 169.

QUÆSTIO DLII.

An quoque fieri possit donatio illa sub conditione, ut bona restituantur absoluto post ordinationem, sive ordinatus habeat aliunde vivere sive non; vel etiam, quod uti non velit illis bonis, aut petere alimenta.

RESp. præterquam, quod graviter per hoc peccet, (quin & simoniam committat juxta Suar. de relig. tr. 3. l. 4. c. 38. n. 4. & 5. & alios apud Barbos. cit. alleg. 20. n. 29.) recipiens sub talibus conditionibus a Concilio reprobatis patrimonium, ejus titulo ordinari nequit. Dum enim donatur patrimonium sub hac conditione; ne donatum petas, neve illo utaris, nulla est donatio; cum tale pactum animum donandi excludat; & sic redonatio locum non habet, cum jam sit de subjecto non supponente, ut Castrop. p. 11. num. 15. Adeoque titulus nullus & fictitius. Dum vero donatur vero animo donandi, ut revera in tui dominium & potestatem transeat, sub ista tamen obligatione & onere, ut susceptis Ordinibus restituas donanti, etiamsi aliunde necdum habeas, unde sustentaris, & jam ordinato mox ab ordinatione nullus est titulus, cogeturque mendicare, aut sordidum quæstum facere, si talis in conscientia teneatur facere redonationem, ut tenent plures; cum ea, etsi in pœnam actionis sit irritanda a Judice per sententiam, ante hanc tamen sit valida. Si vero non teneris restituere seu redonare, ut tenent alii, adhuc titulus talis propter sententiæ appositæ probabilitatem est dubius; adeoque illegitimus, invalidus & illicitus. Jam vero, quid in hoc puncto statuendum, num stante tali facto sit facienda retro donatio, eaque facta valeat, an non, controvertunt AA. Nullam esse in conscientia obligationem retrodonandi, sed absque omni scrupulo ordinatum posse donatione sibi facta, uti tenet Cast. l. c. eo quod ista conditio, utpote turpis & contra legem invalida sit, excludaturque a donatione, ac si apposita non fuisset. Siquidem decreto Trid. impeditus est ordinatus sine licentia Episcopi alienare patrimonium, cujus titulo promotus est, donec aliunde habeat honeste vivere; retrodonatio autem illa sit vera alienatio, adeoque ad illam obligari non potest. Adhæc cedit in præjudicium tertii juxta c. M. Ferrar. de const. nempe in præjudicium Episcopi ordinantis & Ordinis Ecclesiastici, unde, ut Castrop. teste Garc. de benef. p. 2. c. 5. n. 151. etiam AA. sententiæ oppositæ concedere, in foro exteriore rescindendam fore illam retrodonationem in pœnam donatoris intendentis decipere Ecclesiam & Episcopum.

QUÆ-

QUÆSTIO DLIII.

An, qualiter & quando alienari possit patrimonium, cujus titulo quis ordinatus.

1. RESp. primo. Tale patrimonium redonari, resignari aut quocunque alio modo alienari, antequam habeat ordinatus aliunde vivere, non potest sine gravi peccato; cum id fiat contra gravissimam prohibitionem Trident. Unde jam vendi non potest, tametsi rem ipsam habere videatur, dum habetur pretium. Negari enim nequit venditione rem alienari; & quia pretium, utpote res mobilis, facile consumitur, loco patrimonii surrogari nequit. Barbos. *alleg.* 19. *n.* 78. Castrop. *cit. p.* 12. *n.* 16. Neque potest permutari; cum permutatio sit quædam alienatio, onde, qui prohibetur rem alienare, prohibetur hoc ipso rem permutare. Castrop. *l. c.* Barb. *nu.* 83. & apud illos Gonz. *ad regul.* 8. *gl.* 5. §. 10. 35. Gratian. *discep. for. c.* 159. *n.* 3. Garc. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 216. Neque hypothecari aut obligari; cum hypothecatio sit etiam quædam alienationis species. Castrop. *loc. cit.* Barbos. *num.* 85. citantes Riccium *in decis. Cur. Neapol. part.* 2. *decis.* 212. Neque dividi; quia qui vendere nequit, etiam rem dividere nequit, ut Tiraquel. *ad l. commub. gloss.* 5. *cap.* 216. Barbos. *num.* 81. & 82. Neque etiam tempore ordinario præscribi. Barbos. *nu.* 87. ubi etiam habet, Episcopos, antequam bona talia admittant in titulum ordinationis, debere proponere edicta, ut qui jus aliquod in ea habet, compareat, & dicat de jure suo, quo tempore elapso omni jure in bona illa spoliatus sit. Limitanda tamen videtur responsio, ut decretum hoc prohibens alienationem patrimonii, dum aliunde non habetur vivere procedat in alienatione voluntaria, non autem in necessaria v. g. quæ fieret causa solvendorum debitorum, nisi ea fuissent in fraudem contracta, ut bene Garc. *l. c. num.* 222. quanquam *num.* 223. & *num.* 239. hoc exemplum de debitis non admittat ipse, maxime dum debita contracta sunt post ordinationem; eo quod clericus non teneatur ultra quam facere possit, & ista alienatio haberet principium voluntarium.

2. Resp. secundo. Est etiam talis alienatio (idem est de hypothecatione, obligatione, permutatione) ipso jure nulla, ut colligitur ex ipsis Tridentini verbis: *atque illa deinceps sine Episcopi licentia alienari aut extingui, vel remitti nullatenus possunt*: utpote quæ inducunt nullitatem ipso jure; cum tollant potentiam alienandi. Castrop. *p.* 12. *nu.* 11. Sanch. *de matr. l.* 6. *d.* 38. *n.* 20. & alii plures citati a Garc. *p.* 2. *cap.* 5. *nu.* 176. Contrarium tamen etiam probabile videtur, nimirum Trid. irritasse solum alienationem beneficii, alienationem vero patrimonii prohibuisse solum, non irritasse; eo quod licet verbum *nullatenus* sit alias irritativum actus, ut Gl. communiter recepta *in Auther. si qua mulier. vers. nullatenus* &c. maxime junctum verbo *possit*; non habeat tamen vim illam, quando actus alias fieri potest ab eo, cui prohibetur, Tiber. *quæst.* 74. citatis aliis; hæc tamen parvi momenti esse, ait Castrop. *num.* 12. ut a communi sententia recedamus.

3. Resp. tertio. Ubi ordinatus habet aliunde honeste vivere, potest patrimonium alienare; requirendam autem ad illam alienationem licentiam Episcopi, docent Barbos. *cit. alleg.* 19. *num.* 90. Ugol. *de potest. Episcop. cap.* 26. §. 13. *num.* 4. Campan. *in divers. Jur. rub. rub.* 8. *cap. ult. num.* 9. Fundamentum hujus sententiæ est, quod alias verba illa: *sine Episcopi licentia*: a Concilio apposita essent superflua, si non comprehenderent alienationem factam, dum ordinatus acquisivit, unde vivat; cum ad alienationem faciendam, dum ordinatus non habet, unde vivat, facultatem dare non possit Episcopus. Contrariam sententiam; nimirum in illo casu opus non esse licentia Episcopi tanquam communiorem & veriorem tenent Castrop. *loc. cit. num.* 13. Paris. *l.* 2. *quæst.* 6. *nu.* 16. Garc. *loc. cit. num.* 186. Azor. *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 4. *quæst.* 3. &c. eo quod Concilium solum prohibeat alienationem, donec habeatur beneficium sufficiens ad congruam sustentationem; adeoque eo obtento, cessat simpliciter prohibitio. Neque tamen propterea superflua sunt dicta verba: *sine licentia Episcopi*; cum alienari in certis casibus possit & expediat patrimonium, etiam dum ordinatus non habet aliunde vivere v. g. dum ordinatus ejusve parentes captivi ad redemptionem sui egerent illo, vel dum pater vel frater illius mulctandi erant pœna capitis (idem videtur de alia pœna graviter infamante) nisi data pecunia obtineatur remissio, vel etiam, ut accusator desistat ab accusatione. Item, ut addit Tiber. si sororis pudicitia periclitaretur; ut igitur in his casibus alienatio prudenter fiat, cautum est, sub decreto irritante alienationem, si ea fiat sine licentia Episcopi, qua licentia data, Episcopus non obligatur ad sustentandum ordinatum; Secus si sine sufficiente causa dedisset illam licentiam; tunc enim obligaretur talem sustentare, non secus, ac si illum ordinasset absque titulo. Castrop. *l. c.* Addens, Episcopum potentem concedere hanc facultatem, esse Episcopum originis, vel domicilii, vel loci, in quo situm patrimonium; & talem facultatem dare non posse Vicarium Episcopi sine speciali mandato, & si sine hoc mandato id fecisset, Vicarium hunc teneri sustentare ordinatum, ait Garc. *l. c. n.* 190.

QUÆSTIO DLIV.

Num bona absolute & illimitate donata in titulum ordinationis, ordinato mortuo, revertantur ad donantem, an vero transeant ad hæredes ordinati.

RESp. transire illa ad dictos hæredes. Barbos. *c. allegat.* 19. *num.* 90. citato Galet. *in margar. casuum conscient. v. conditio vers.* 2.

QUÆSTIO DLV.

An bona illa fruantur privilegiis concessis a jure bonis Ecclesiasticis, ita ut a Principe sæculari collectari nequeant.

RESp. affirmari hoc ipsum, saltem pro illo tempore, quo aliunde ordinatus non habet unde vivat, a Barbos. *l. cit. num.* 91. citatis Gratian. *discept. for. c.* 159. *num.* 27. Marta *de Jurisd. p.* 4. *cas.* 11. *n.* 45. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 2. *n.* 27. & 36. Sanch. *opusc. mor. l.* 1. *c.* 1. *dub.* 36. Ciarlin. *controv. for. c.* 21. *n.* 48. & pluribus aliis.

QUÆSTIO DLVI.

Quam obligationem & quas penas incurrat ordinans aliquem sine titulo.

1. RESp. ad primum. Promovens aliquem ad Ordines Sacros sine titulo, dum ipse in culpa est, quia nimirum scivit aut scire debuisset, talem carere vero titulo, contrahit hoc ipso obligationem providendi ordinato de sufficiente beneficio, illique interea subministrare vitæ necessaria *c. cum secundum de preb.* Pirh. *h. t. n.* 110. Barbos. *l. c. alleg.* 20. *num.* 3. Castrop. *l. c. p.* 12. *n.* 1. Sanch. *opusc. mor. l.* 8. *c.* 1. *du.* 34. *num.* 6. qui etiam *num.* 9. intelligit hanc obligationem habere locum, quando nullo præsentante ordinavit. Eam etiam habere locum ubi ordinatus habet patrem divitem, nihil tamen assignare volentem filio ordinando vel ordinato pro victu, tenet Parisius *de resign. l.* 2. *qu.* 6. *num.* 28. quam sententiam in juris rigore veriorem, contrariam tamen æquiorem dicit & sequitur Barbos. *l. c.* ejque inhæret Castrop. *l. c.* Rationem dant, quod talis filius absolute non egeat, neque cum dedecore ordinis clericalis cogatur tam patre vivo quam mortuo mendicare (quæ fuit ratio qua moti Pontifices sanxerunt, Episcopum compellendum esse ad sustentandum ordinatum sine titulo) cum pater vivens jure naturali teneatur alere filium *L. cum oportet Cod. de bonis, quæ liberis. L. si quis a liberis ff. de liber. agnosc.* Molin. *de Justit. tr.* 2. *d.* 229. *vers. autem.* Quin & filius potest patrem juris remedio compellere ad præstandum sibi sumptus & expensas in studio. Barbos. *loc. cit. n.* 6. citans Rebuff. *de privileg. scholar. privileg.* 53. etiamsi filius invito patre literis operam daret. Barbos. *l. c.* citato Rebell. *de obligat. Justit. p.* 2. *l.* 1. *qu.* 8. *s.* 3. *num.* 33. maxime, si de licentia patris cœpit musis politioribus operam dare, tenetur expensas usque ad gradus susceptionem subministrare Barbos. *num.* 7. Menoch. *de præsump. l.* 3. *quæst.* 29. *num.* 86. & alii, eo quod expensæ factæ causa studiorum veniant nomine alimentorum. Barbos. *num.* 8. juxta *L. si quis a liberis* unde jam tali filio diviti non debent per Episcopum subministrari, quæ solum in subsidium pauperum conceduntur, prout D. Hieron. *in c. clericos q.* 2. & *c. ult.* 16. *q.* 1. Nihilominus limitat Barbos. *nu.* 10. suam sententiam hoc modo; ut si filius, etiam adhibitis juris remediis a patre obtinere nequiret alimenta, eo quod parens omnia bona consumpsisset, vel filio denegat alimenta juste ob delictum in patrem commissum, Episcopus debeat quamprimum illi conferre beneficium, & interim alimenta elargiri.

2. De cetero varie ampliatur obligatio illa Episcopi alimentandi ordinatum sine titulo. Primo, ut teneatur adhuc

ad

ad dictam alimentationem, si contulit ordinem ei superiorem, qui jam hoc titulo promotus ad Ordines sacros inferiores; quia jura simpliciter prohibent sub dicta obligatione promovere aliquem ad Ordines sacros sine titulo. Barbos. *nu.* 22. citatis Bonac. *de Sacram. d.* 8. *q. unic. p.* 5. *n.* 30. Henriq. Ugol. &c. item Pirh. *cit. num.* 110. etiam citatis iisdem AA. quod si uterque ordinans in culpa fuit uterque ad alimenta præstanda teneatur. Secundo, ut teneatur supplere, quod deest, si ordinavit habentem quidem titulum, sed non sufficientem. Barbos. *n.* 20. citans Henriq. *in sum. l.* 10. *c.* 17. §. 3. *lit. Q.* Pirh. *l. c.* Tertio, ut locum quoque habeat dicta obligatio in Episcopo ex commissione generali nullis personis expressis ordinante subditum alienum, ita ut is, si in culpa fuit non investigando, an ordinandus haberet titulum, ad hoc teneatur, & non Episcopus committens. Barbos. *n.* 21. Pirh. *n.* 111. secus si Episcopus proprius specialiter certas personas ordinandas commisit; tunc enim ipse Episcopus proprius providere ipsis debet. Pirh. *l. c.* Quarto, ut teneatur etiam ad hoc, mortuo Episcopo ordinante, ejus successor. Barb. *n.* 23. citatis Henriq. *ubi ante* §. 4. *in comment. lit.* F. Campan. *l. c. c.* 5. *n.* 31. Pir. *l. c.* &c. juxta *cit. cap. secundum* & Gl. *ibi v. successores*; quia est onus reale quo gravatur ipsa mensa Episcopalis. Unde etiam transit ad Capitulum Sede vacante. Pirh. Barbos. Henriqu. Campan. *LL. cit.* qui posteriores addunt: si Capitulum tali promotioni non restitit. Sic etiam transire ad Vicarium Capituli Sede vacante, si is dimissorias dedit ad Sacros Ordines non habenti unde vivat; eo quod non minus culpabilis sit, qui tali concedit literas dimissorias, quam qui talem ordinat, asserit Pirh. *l. c.* citatis Quat. *in sum. Bullar. n. ordo fol.* 489. Ugol. Barb. &c. quod si tamen Episcopus ordinans transiisset ad regimen alterius Ecclesiæ vel dignitati Episcopali renunciasset, non astringeretur ad dictam alimentationem ejus successor, sed Episcopus ordinator. Barb. *cit. num.* 23. citatique ab eo Campan. *ubi ante* Henriq. Ugol. &c.

3. Transit quoque obligatio dicta ad Episcopum ordinantem aliquem cum titulo in sequentibus casibus. Primo, si titulus, ad quem promotus periit v. g. alluvione, ut Gl. *in cap. tuis quæstionibus de præb. v. de patrimonialibus.* Sanch. *de mat. l.* 6. *d.* 32, *n.* 8. Ugol. *de potest. Ep. c.* 26. §. 15. apud Barbosam *n.* 11. ad instar patris obligati denuo filiæ constituere aliam dotem post amissionem dotis prius illi constitutæ, ut Rebell. *l. c. l.* 5. *q.* 4. *nu.* 21. & 22. Quod ipsum tamen Barbos. recte limitat *num.* 13. ita ut Episcopus supplere debeat, si parens non sit solvendo, & etiam ordinatus aliunde bona non habeat. Secundo. Si beneficium ei contulit, & ad illius titulum eum ordinavit, dum illud postmodum fuit evictum, maxime si contulit ei fraudulenter, quod dare nequibat. Gloss. *in cap. cum secundum de præb.* Nav. *cons.* 14. *de temp. ordin.* Alterius *de cens. Tom.* 2. *dist.* 10. & alii apud Barbos. *num.* 14. cui licet idipsum placere non videatur *num.* 15. & 16. eo quod obstet textus *L. ad res donatas ff. de ædilitio edicto*: ubi, quod in re donata, licet appareat vitium, non habet locum; ne liberalitas donatori sit nociva, qualiter ei nociva foret, si de evictione contra eum agi possit, & sic nullam competere actionem (intellige donatario) contra donatorem, habetur *L. Arist. ff. de donationib.* Quin & ostendunt hoc ipsum AA. apud Barbos. *numer.* 16 etiamsi donator scienter rem alienam donaverit, quod adhuc *ea evicta*, nec de evictione, nec ad illius æstimationem tenebitur. Videtur tamen obtinere extensio in beneficio collato promovendo ab Episcopo ordinante, maxime, si contulit illud fraudulenter, quod dare non poterat; sub qua modificatione id astruunt. Navar. Alter & alii ante citati. Cum etiam, si titulus ordinationis absque culpa Episcopi alio modo periisset, nec ordinatus aliunde haberet, Episcopus supplere deberet. Aliud tamen dicendum videtur de donatione patrimonii facta ab alio, ita ut, si postmodum bona illa donata evicta fuerint, donator teneatur de evictione vel ad illius æstimationem; eo quod bona donata, ut quis ad ordines Sacros promoveatur, dicantur quasi quædam merx & præmium pro servitiis Ecclesiæ exigendis ut Gl. *in c. Episcopus de præb.* Nav. *cons.* 12. *nu.* 1. *de cons.* Paris. *de resign. lib.* 2. *qu.* 6. *num.* 20. adeoque bona hæc non dicantur donata liberaliter, sed ad causam & conditionaliter, in qua non habeat locum *citat. L.* ad res donatas. Item talis donatio videatur similis donationi propter nuptias; cum sicut ista sit ob causam matrimonii, ita hæc ob causam matrimonii spiritualis. In sententiam hanc propendet Barbos. *num.* 17. & 16. *in fine*: ubi nostram ampliationem non extenderem ad bona donata, & ideo consulerem, ut in omnibus donationibus, quæ ad patrimonia fiunt, donator expresse promittat, se teneri velle de evictione, quo casu, sive donatio incipiat a traditione, sive a promissione, indistincte de evictione tenebitur, ut Molin. *l. c. tr.* 2. *disp.* 252. *vers.* 2. Campanil. *rub.* 8. *c.* 4. *num.* 4.

4. Limitatur e contra dicta obligatio Episcopi ordinantis alimentandi a se ordinatum sine titulo in sequentibus casibus. primo. Si Episcopus subdito suo (intellige, sciens illum non habere titulum) dimissorias generales dedit, ut a quocunque voluerit Episcopo ordines accipere possit, Episcopus ille dans hanc licentiam, & non Episcopus ordinans, debet præstare ordinato alimentationem, quia is in culpa fuit Pirh. *hoc tit. nu.* 111. citans *cap. si Episcopus de præb.* recte enim præsumit (& sic extra culpam est in hoc casu) Episcopus ordinans, Episcopum proprium seu dimittentem satisfecisse suo officio, adeoque non dimisisse talem nisi prius examinato & approbato ejus titulo. Secundo. Si Archidiaconus vel Vicarius, seu is, cujus officium est ordinandos examinare & admittere, per negligentiam aliquem admisit sine titulo, & Episcopo ordinandum obtulit, ei primo loco incumbet obligatio illa alimentandi ordinatum, Pirh. *cit. num.* 111. in ejus tamen defectum tenebitur ad hoc Episcopus, quia is juxta Gl. *in cap. ad hæc de offic. Archid. v. examinetur* attendere debet & curam gerere, ut non nisi habiles & digni ad ordines promoveantur ab Archidiacono vel Vicario suo. Pirh. *loc. citat.* qui etiam addit: quod si quis non ex officio sed speciali mandato Episcopi examinet, teneri examinatorem, & non Episcopum mandantem providere de alimentis juxta Innoc. *in cap. cum sis de ætat. & qualitate* quamvis aliter talis examinator ab Episcopo puniri possit. Tertio. Patronus ad alimentationem præstandam tenebitur si præsentavit carentem titulo. Argument. *cap. per tuas de Simon & cap. cum secundum.* Pirh. *loc. cit.* in ejus tamen defectu tenebitur ad hoc Episcopus, modo is in aliqua culpa fuerit (qua raro carere posse videtur, cum per se vel Vicarium suum teneatur ordinandorum, etiam præsentatorum a Patronis, examinare titulos) Pirh. *l. c.* citans Innoc. *in c. accepimus de ætat. & qualitate v. contra illos* & Laym. *ibid. n.* 4.

5. Resp. a secundum. Si Episcopus ordinavit aliquem sine titulo cum pacto, ut ordinatus nihil ab eo petat, suspenditur per triennium a collatione ordinum; Uti & præsentans cum tali pacto, si est ecclesiasticus constitutus in ordinibus suspenditur per triennium ab executione ordinum, uti hæc expresse statuuntur in *cap. si quis ordinaverit de Simon.* Barbos. *citat. allegat.* 20. *num.* 3. Castropal. *citat. part.* 12. *num.* 2.

QUÆSTIO DLVII.

Quas pœnas incurrat ordinatus sine titulo sufficiente.

1. Resp. primo. Si sic ordinatus pactus fuerit cum ordinatore de non petenda ab eo congrua sustentatione, suspenditur ab exercitio ordinis suscepti *c. per tuas & c. penult. de Simon.* Castrop. *l. c. n.* 3.

2. Resp. secundo. Promotus sine titulo, absque tamen tali pactione, ab Episcopo; cui constitit, carere ordinandum omni titulo, vel saltem qui ignoravit illum vere ac pacifice beneficium vel patrimonium possidere, probabilius adhuc incurrit pœnam suspensionis ab ordine suscepto, statutam taliter promotis per *cap. neminem & cap. sanctorum dist.* 70. ubi dicitur, irritam (intellige quo ad exercitium) talem ordinationem. Tametsi enim pœna illa abrogata per subsequentes Pontifices, nimirum *cap. secundum cap. si quis Episcopus.* Concilium tamen Trident. occasione plurium variis artibus ac fallaciis fingentium, se habere beneficium sufficiens, aut patrimonium idoneum, denuo innovando antiquorum Canonum (quo nomine, ut Vasq. *de ordin. disp.* 246. *cap.* 6. *circa finem* non tam veniunt Canones contenti libris decretalium, quam qui habentur in decreto Gratiani, & ob antiquitatem egent innovatione) pœnas (utendo plurali numero) omnes; adeoque non solum eam, quæ statuta est *in cap. secundum & c. si Episcopus* solumque ordinatorem concernit, sed & eas, quæ constitutæ *in cap. neminem & cap. sanctorum* nempe suspensionem ab ordinibus susceptis, ita ut in hoc casu, ubi tam ordinans quam ordinatus delinquunt, tenent Barbos. *num.* 25. Castropal. *num.* 4. citatique ab iis Suar. *de cens. disp.* 31. *s.* 1. *post num.* 35. Campan. *Rub.* 8. *cap.* 5. *num.* 2. Sanch. Nav. &c.

3. Resp. tertio Quod si tamen ordinatus tantum in culpa fuit, male informando ordinatorem, & mentiendo illi, se habere titulum sufficientem, & ordinator juste (hoc est citra culpam) illi credens, aut credere debens eum ordinavit, Episcopum eximi ab obligatione illum alendi, & promotum tantum incurrere pœnam suspensionis, docent Suar. *loc. cit. num.* 33. & *seq.* Sanch. *de matrim. l.* 6. *d.* 32. *num.* 8. Bonac. *de Sacram. d.* 8. *qu. unic. part.* 5. *num.* 24. Laym. *l.* 5. *tr.* 9.

tr. 9. *cap.* 10. *num.* 7. apud Castrop. quam sententiam in jure veriorem dicit Castrop. *citat. alleg.* 20. *num.* 27. eo quod ex una parte *cap. cum secundum & cap. Episcopus* obligatio dicta alendi promotum sine titulo imponitur Episcopo conscio carentiæ tituli ; non vero , quando is falsis approbationibus ab ordinato intra suam culpam inductus , credidit adesse titulum , qui revera non fuit , ex altera parte pœnæ statutæ contra ordinatum sine titulo *in cap. neminem* , *& cap. sanctorum* remaneant innovatæ per Trid. Contrarium tamen , nimirum ordinatum talem præter , quod peccet gravissime , nullam suspensionem incurrere , tenent Castrop. *loc. cit. nu.* 6. Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 10. *num.* 22. & 25. Garc. *de benef. part.* 2. *c.* 5. *a num.* 22. Guttier. *qq. pract. l.* 2. *q.* 65. *num.* 11. Sayr. *de cens. l.* 8. *c.* 14. *num.* 16. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 6. *num.* 18. & alii plures , quos citat , & testantes sic decisum a S. Cong. sequitur , Barbos. *nu.* 27. eo quod tali casu nulla ordinato inveniatur imposita suspensio aliave pœna . Siquidem *cap. neminem* imposita suspensio ordinato tantum pro casu , quo is sine titulo promotus ab Episcopo conscio carentiæ tituli , & de hoc quoque casu explicandum veniat *cap. sanctorum* , etsi in eo absolute dicatur , ordinationem sine titulo esse irritam & nullam . Concilium vero Trident. *loc. cit.* innovet solum pœnas latas adversus eos , qui promoventur , quin legitime constet & perspectum sit , beneficium vel patrimonium sufficiens habere ; dum autem a testibus , etsi falsis , probatum est , ordinandum habere patrimonium sufficiens , jam legitime constet , vere a tali obtineri sufficiens . Ita fere & fusius Castrop. *num.* 6. *& seq.* Quam tamen interpretationem patet , satis tortam & coactam esse , dum etiam ordinatori citra omnem ab eo commissam culpam imponitur dicta obligatio , & ordinatus solus & maxime cupabilis ab omni pœna absolvitur , & insuper ei alimenta apud Episcopum assignantur , ac proinde sententiam priorem videri probabiliorem .

4. Illud hic advertendum cum Castrop. *l. cit. num.* 11. quod dicta hucusque de pœnis promotorum sine titulo procedat spectato jure communi & Tridentino ; spectata vero constitutione Urban. VIII. quæ incipit : *Secretis æterna providentia*. Hispani , Lusitani , Galli , Germani , aliique ultramontani in Italia sub falso patrimonio promoti incurrant suspensionem Sedis Apostolicæ reservatam aliasque pœnas arbitrarias , ut constat ex dicta Bulla ubi : *promoti absque literis dimissoriis recognitis a Nuncio vel Collectore , vel Vicario summi Pontificis in Urbe , perpetuæ suspensionis pœnam absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ incurrant eo ipso ; insuper promotos hujusmodi , aut etiam eos , qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad hujusmodi ordines promoveri fecerint , non solum prædictis , verum etiam majoribus arbitrio nostro , & pro tempore existentis Romani Pontificis afficiendos pœnis &c.*

CAPUT TERTIUM.

De Ministro Ordinis.

§. 1.

De Ministro Ordinum in genere.

QUÆSTIO DLVIII.

Quis sit Minister ordinarius sacramenti ordinis.

1. RESP. primo . Ordinarius Minister Ordinum est solus Episcopus consecratus . Sic definivit Eugenius IV. in Concilio Florent. *post sess. ult.* §. *sextum sacramentum* Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. *& can.* 7. Et conveniunt in hoc Catholici omnes , esseque id de fide , asserit Tiber. *in instruct. ordinandor. quæst.* 35 Barbos. *de potest. Episc. part.* ... *alleg.* 3. *num.* 1. citatis D. Thom. 3. *part. quæst.* 56. *art.* 3. *arg.* 2. Bellarm. *Tom.* 2. *l.* 9. *cap.* 11. Vasq. *in* 3. *p. Tom* 3. *dist.* 243. & plurimi alii . Procedunt hæc etiam de ordinibus minoribus ; ita ut potestas illos conferendi regulariter soli Episcopo competat , & penes eum jure directo & proprio resideat . Castropal. *de sacram. ordin. tr.* 27. *d. unica p.* 14. *nu.* 2. Quin & de prima tonsura ; ita ut eam , præscindendo a speciali commissione Papæ conferre non possint Parochi suis subditis , ut docuerunt Archid. *in cap. nullus Episcopus h. t.* Abb. *in cap. quanto de consuetud. num.* 9. apud Barbos. *l. c. num.* 16. aut etiam quicunque simplex Sacerdos , ut docuerunt ibidem apud Barbos. Gl. *in cap. quoniam dist.* 69. *v. litterie* . Archid. *in cap. psalmista dist.* 23. *num.* 2. Innoc. *in cap. contingat de ætat. & qualitate num.* 1. quorum sententiam approbat , ubi est consuetudo . Molfes. *Theol. Mor. tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 19. Vel etiam Guardiani & Priores , quos suis subditis de jure conferre posse primam tonsuram clericalem , docet Franc. de March. *dec.* 1081. *n.* 2. de quo ait Barbos. se cum nunquam audierit id factum ab aliquo , mirari , cur contra Conc. Trid. ita pronunciet .

2. Resp. secundo . Ordinationis validæ minister ordinarius est Episcopus , etiam simoniacus , hæreticus , schismaticus , excommunicatus , suspensus , interdictus , degradatus , sive proprius sive alienus . Non enim propterea charactere episcopali iis semel indelebiliter impresso , & potestate illa conferendi ordines ex institutione Christi vi consecrationis iis collata , adeoque ab Ecclesia illis non auferibili sunt destituti . Barbos. *loc. cit. num.* 1. Castrop. *loc. cit. num.* 1. citatique ab iis Valent. *Tom.* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *par.* 2. Vasq. *de ord. dist.* 243. *cap.* 1. Con. *de sacram. Tom.* 2. *dist.* 20. *dub.* 9. Extenditur hoc ipsum ad ordines minores , etiamsi hi sacramenta non essent . Etsi enim tunc Ecclesia potuisset Episcopum excommunicatum suspensum &c. privare potestate hos ordines conferendi , id tamen noluit ad imitationem Christi , qui ordinem a se institutum indelebilem esse voluit . Castropal. *loc. cit. num.* 2. Unde jam ordinati ab iis ordine suscepto valide uti possunt , sed non licite , dum ab usu ordinum sunt suspensi in perpetuum , donec cum iis fuerit dispensatum *cap.* 1. & 2. *de schismatico & ordin. ab eo suscepto* Pirh. *hoc tit. num.* 22. Castropal. Barbos. *LL. citat.* Proinde dum in *cap. in Ecclesia* 1. *quæst.* 1. & 9. *quæst.* 1. aliisque canonibus dicitur ; videri ordinationem factam ab hæretico seu excommunicato non esse ratam & legitimam reputandam , intelligi debet , quo ad usum seu exercitium illius , non quo ad substantiam ordinis & characteris . Porro illud , quod ordinati a talibus non possint licite exercere ordines , intelligendum tantum de Episcopis , qui nominatim denunciati sunt excommunicati , suspensi &c. tanquam vitandi , vel qui sunt notorii percussores clerici ; non vero , qui tolerati sunt , & non vitandi ; ab iis enim suscepti ordines licite exerceri possunt vi *Extravag. ad evitanda* . Pirh. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. n.* 17. citatis Covar. *in cap. alma mater part.* 1. §. 6. *num.* 7. & plures alii . Nec obstat textus *cap.* 2. *de ordinatis ab Episcopis qui renunc. Episcopat.* ubi ; quod necessaria sit dispensatio , ut ordinatus , etiam ignoranter , ab Episcopo excommunicato possit in ordinibus sic susceptis ministrare . Nam hic textus intelligendus non est de ordinatore Episcopo excommunicato occulto , communiter ignorato & tolerato , sed de eo , qui licet privatim ignoretur esse talis a suscipiente ordines , publice tamen alias denunciatus est , & habetur pro excommunicato ; ita ut in hoc casu ignorantia , etiam probabilis suscipientis ordines , (licet plurimum conducat ad faciliorem dispensationem) non liberet eum a suspensione ab ordine suscepto : eo quod jura irritent illam ordinationem quo ad usum licitum , non ob culpam suscipientis , sed in pœnam ordinantis . Barbos. *num.* 18. & 29. ex Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 21. *num.* 35. Quis vero dispensare possit cum ordinatis a tali Episcopo quo ad usum ordinum susceptorum vide apud Barbos. *alleg.* 48.

QUÆSTIO DLIX.

An quibus & quorum ordinum collatio committi possit a Pontifice aliis non Episcopis.

1. RESp. primo. Primæ tonsuræ & ordinum minorum collatio potest a Papa committi ex speciali privilegio etiam simplici Sacerdoti. Castrop. *l. c. nu.* 3. Barbos. *cit. alleg.* 3. *num.* 4. apud hunc Bellarm. *l.* 3. *de cler. cap.* 27. Piliuc. *tract.* 9. *num.* 93. *& seq.* Covar. *l.* 1. *var. c.* 10. *num.* 10. *&c.* Nequit tamen id committi ab Episcopo alteri non Episcopo. AA. iidem.

2. Resp. secundo. Probabile est collationem Subdiaconatus & Diaconatus posse committi a Pápa simplici sacerdoti: Castrop. *l. c. num.* 10. Tanner. *Tom.* 4. *d.* 7. *qu.* 3. *du.* 2. *num.* 29. Pirh. *loc. cit. num.* 48. & sic absolute docet Rodriq. *qq. regular. Tom.* 1. *quæst.* 18. *a.* 3. Et posse id sustineri in casu necessitatis. V. gr. in transmarinis regionibus, putat Barbos. *loc. cit. num.* 4. Unde jam etiam licebit arguere; si potest Papa id committere in causa necessitatis, poterit id quoque valide committere extra illum. Quin & plures, ut Major. *in* 4. *dist.* 7. *q. unic.* §. 2. Vivald. *in candelab. aur. p.* 1. *tit. de sacram. ordin. num.* 17. Vasq. *l. c. c.* 4. *&c.* testantur id concessum a Papa Abbatibus Cisterciensibus. Etsi de hoc quo ad Diaconatum dubitet Con. *tract.* 2. *de sacram. dist.* 29. *du.* 9. Dici autem non potest, Pontificem concedendo, quod non poterat concedere, graviter errasse. Ubi tamen illud notandum cum Castropal. Pirh. Vasq. *loc. cit. cit.* Laym. *l.* 5. *tract.* 9. *cap.* 7. *num.* 4. Nav. *l.* 5. *cons.* 14. *de regul.* certum esse, non posse hodiedum amplius uti ea potestate Cistercienses, utpote usu & consuetudine abrogata, idque etiam Argum. desumpto ex Trid. nullam illius potestatis mentionem faciente, sed solum potestatem conferendi minores suis regularibus permittente, seu relinquente Abbatibus eam habentibus. Aliam insuper rationem adducit Castrop. nimirum ex eo, quod Florent. dicat, ministrum ordinarium sacramenti ordinis esse Episcopum, optime infertur: ergo agnovit alium non Episcopum posse esse ministrum illius extraordinarium, ne alias verbum illud *ordinarium* superflueret, si absolute nullus præter Episcopum possit esse minister hujus sacramenti. Concilium autem dicendo non simpliciter *Ordinis sed Sacramenti Ordinis* ministrum ordinarium esse Episcopum, indicavit, ministrum extraordinarium, non ordinis simpliciter, sed ordinis, qui vere & extra dubium est sacramentum, qualis non est, nisi Diaconatus & Presbyterium, esse posse non Episcopum, adeoque saltem de Diaconatu est decisio.

3. Resp. tertio potestatem ordinandi sacerdotes committi a Papa non posse non Episcopo. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Pirh. *l. c.* cum D. Thom. 3. *p. in supplem. ar.* 1. *ad* 3. & communi Theologorum & Canonistarum. Contra Abb. *in cap. quanto de consuet. num.* 9. Glos. *in cap. manus de consecrat. dist.* 5. Angel. *in sum. v. ordo* 2. *num.* 2. Ratio potissima hujus sententiæ communis est, quod ea nunquam alteri non Episcopo concessa inveniatur, &, ut addit Castrop. non deceat alteri, quam ad hoc consecrato committi hanc potestatem ordinandi sacerdotes; cum potestas consecrandi corpus Christi & absolvendi fideles a peccatis (in ordine ad quam ordinantur sacerdotes,) sit omnium supernaturalium perfectissima. Neque his contrarium colligitur ex Concilio Antiocheno c. 10. ubi Chorepiscopis & Coepiscopis (qui non erant Episcopi, sed tantum Episcoporum adjutores) inhibetur, ne Diaconum aut Presbyterum ordinent sine consensu Episcopi, cui subjecti. Nam tales Coepiscopi erant vere Episcopi ad modum nostrorum Episcoporum titularium & suffraganeorum, uti id ipsum ostendit Laym. *l. c. n.* 2. etsi contra Canones consecrati; dicuntur enim ibi consecrati per manus Episcoporum, qui est modus consecrandi veros Episcopos. Castrop. Pirh. *LL. cit.*

QUÆSTIO DLX.

Quis sit minister ordinis episcopalis.

RESp. In hoc non convenire AA. Nam D. Thom. *d.* 24. *qu.* 3. *ar.* 2. Bellarm. *l.* 4. *de notis Ecclesiæ c.* 8. *ante medium.* Vasq. *de ord. d.* 243. *c.* 6. *num.* 63. & alii apud Tiber. *in instruct. ordinandor. q.* 34. *in fine* censent ordinarium ordinationis ministrum esse ad minus tres Episcopos; sed ex delegatione Pontificis ejusque absoluta commissione duos vel etiam unum esse posse. E contra tres Episcopos esse de necessitate, hujus ordinationis, & propterea Papam non posse in hoc dispensare, uni Episcopo committendo illam, seu statuendo, ut impositio manuum unius episcopi sit sufficiens hujus sacramenti materia, quia Papa in materia vel forma sacramentorum dispensare nequit, docent Castrop. *c. p.* 14. *nu.* 13. & quos citat Henriq. *l.* 10. *c.* 24. §. 1. Comitol. *respons. mor. l.* 1. *q.* 48. *n.* 13. Marc. Ant. Genuens. *in pr. Curia Archiep. Neap. cap.* 70. *num.* 26. Et quæ testimonia afferunt AA. primæ sententiæ pro stabilienda prima ejus parte, nimirum ordinarium ministrum esse tres Episcopos, eadem afferunt AA. secundæ sententiæ pro stabiliendo, tres Episcopos esse ministrum necessarium hujus ordinis episcopalis. Sunt autem ea primo, quod Anaclet. *Ep.* 2. *decretali c.* 1. ubi describens modum, qualiter Episcopus consecrandus esset, inquit, se id tradere, pro ut Dominus tribuit, & ut a Petro est instructus, & statim subjungit: *Jerosolymitanus primus Archiepiscopus, B. Jacobus a Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus, Successoribus videlicet dantibus formam eorum, ut non minus, quam a tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus ullatenus Episcopus ordinetur*: ubi expendenda verba: *pro ut Dominus tribuit*: quæ Christi institutionem indicant, ut aperte explicuit Anicetus. *Ep. unic. ad Galliæ Episcopos cap.* 2. referens memoratum Anacleti testimonium: ubi inquit: *si autem non minus, quam a tribus Apostolis tantus vir fuit Ordinatus Episcopus*, patet profecto, eos formam, statuente Domino, tradidisse, non minus quam a tribus Episcopis Episcopum ordinari debere. Item Joannes III. *in Epist. ad Episcopos German. & Galliæ*, quæ refertur. *Tom.* 2. *Concillior.* dicit: *omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse Episcopum qui minus quam a tribus Episcopus, authoritate etiam Metropolitani, fuerit factus.* Ad præcipuum, quod in oppositum assertur, est factum Gregorii M. qui, pro ut refertur *in responsionibus ad August. Episcopum Angliæ cap.* 8. & habetur *Tom.* 2. *Concilior.* concessit Augustino, ut ipse solus Episcopos consecraret; cum vero plures essent Episcopi, tres adhiberet juxta Canones receptos. Ad hoc inquam, respondet Castrop. *loc. cit. num.* 14. ex Coninck. locum illum mendosum esse, pro ut colligitur ex pluribus, quæ in responsione illa referuntur, quæque sensum imperfectum præstant; tum etiam ex tenore, quo eadem responsio refertur in operibus D. Gregorii *in fine l.* 12. *Epistol. registri* dum ibi dicitur: *& quidem etiam in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi cum Episcopis potes; nam quando de Galliis Episcopi veniunt, illi in ordinationem Episcopi tibi testes assistant &c.* Unde certe colligi nequit. D. Gregorium dispensasse. Cetera levia dicit Castrop. *num.* 14. quæ ab eo soluta vide *ibidem*. De cetero illud pro certo habendum, quod nulli præterquam Episcopo committi possit a Papa consecratio Episcopi; eo quod cum consecratio Episcopi jure divino instituta sit ad Sacerdotium perficiendum & complendum, ob quam causam Episcopus est omnibus Sacerdotibus superior, & supremus Ecclesiæ ordo, nequit ab alio conferri, qui in eo ordine non fuerit constitutus. Castropal. *l. c. n.* 12. citatis Vasq. *cit. dist.* 243. *c.* 4. *num.* 42. contra Paludan. *in* 4. *dist.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *in* 2. *opinione*, etsi in dubio, id asserentem

QUÆSTIO DLXI.

An & qualiter de facto potestatem illam extraordinariam seu delegatam conferendi Ordines minores habeant Cardinales non Episcopi.

RESp. S. R. E. Presbyteri Cardinales ex recepta consuetudine habent hanc potestatem conferendi primam tonsuram & ordines minores suis familiaribus tantum. Castr. *c. p.* 14. *num.* 3. Barbos. *cit. allegat.* 3. *num.* 15. citans Martin. Laudensem *tract. de Cardin. quæst.* 20. Paris. *de resign. l.* 4. *quæst.* 2. *num.* 88. Sanch. *opusc. mor. l.* 7. *cap.* 1. *du.* 19. *num.* 4. & plures alios. Contra Azor. *part.* 2. *l.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 2. & Germon. *de indulto Cardinal.* de hac Cardinalium potestate dubitantes. An vero etiam sic Ordinibus insignire possit sibi subditos clericos in suis titulis, in quibus habent jurisdictionem quasi Episcopalem, de hoc nihil AA. Porro quis censeatur familiaris Cardinalium in ordine ad suscipiendum ab iis hos ordines, non eodem modo explicant AA. Nam Barbos. *l. cit.* ait, ex sententia Rotæ *decis.* 584. *num.* 3. *part.* 1. *recentior.* ut quis dicatur familiaris ad hunc vel similem effectum, duo requiri; primum ut habeat victum (intellige a Cardinali:) secundum, ut fuerit destinatus ad certum aliquod illius officium. Ita eorum familiares & commensales sunt, qui ad honestum eorum servitium deputati, tanquam famuli seu servitores illis deserviunt, & ob eam causam eorum expensis aluntur. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *par.* 19. *nu.* 9. Pari modo applicari possunt huc, quæ habet Lotter.

de re

de re beneficiaria l. 2. qu. 35. num. 6. in genere loquens, dum ait familiaritatem dici, quæ ex officio (sumendo officium late pro certo obsequio domestico erga personam ipsius Domini, etiamsi versetur in officio coquendi cibos) & in ipsius officii retributionem reciproce præstita commensalitate consurgit. Ita ut ad hunc effectum requiratur certa deputatio ipsius Domini, factaque ab eo electio personæ ad tale ministerium, cui reciproca sic commensalitas; ita ut non attendatur commensalitas alio respectu habita, quam certi hujus ministerii seu servitii erga personam Domini, etsi ex alia causa quam obsequii & ministerii hujusmodi suppeditarentur alicui alimenta, nequaquam concluderetur ad familiaritatem, quantumcunque in casu aforet officium aliquod separatum a ministerio extra cultum personæ ipsius Domini. adeoque tales non erunt Cardinalium nepotes, consanguinei, amici, aliique ex eleemosyna aliave de causa expensas victus, aut etiam mensam ipsam a Cardinali in ejus etiam domo habentes. Castrop. l. c. citans Mascard. de probat. concl. 755. num. 3. Garc. p. 5. c. 1. nu. 314. vide plura dicenda de hac familiaritate inferius, ubi de familiaribus Episcoporum item apud me in foro benef. p. 2. q. 546. a num. 12.

QUÆSTIO DLXII.

An & qualiter ex concessione Papæ competat potestas conferendi primam tonsuram & Ordines minores Abbatibus.

1. RESP. primo. Olim vi juris communis accepta hac potestate commissaria conferre poterunt primam tonsuram & minores Ordines Abbates similesque Prælati regulares non tantum regularibus suis subditis cap. 1. dist. 69. juncta Gloss. v. lectoris c. cum contingat de ætat. & qualitat. & ibi Gl. v. Abbati. Sed & laicis, si in eos jurisdictionem ordinariam & quasi episcopalem habeant. Pirh. h. t. num. 41. Barbos. cit. alleg. 3. num. 5. citatis pluribus. Argum. cap. Abbates de privileg. in 6. modo tamen essent Presbyteri, & ab Episcopo benedicti. Pirh. loc. cit. Barbos. num. 6. Castropal. tract. 27. dist. unic. p. 14. num. 4. Vel etiam non benedicti, dum Episcopus ter requisitus sine causa renuit impertiri benedictionem, jure supplente hac ratione negligentiam Episcopi. Pirh. Castrop. LL. cit. Laym. tract. 9. de ord. c. 9. num. 2. juxta c. 1. de supplen. neglig. Prælat. Vel etiamsi ex Privilegio Papæ possint exercere pontificalia sine benedictione ut Barbos. cit. num. 6. Licet autem in præcitatis textibus fiat tantum mentio primæ tonsuræ & Lectoratus, ac nullibi in jure communi expressum reperiatur potuisse etiam eos ordinare Exorcistas & Acolythos; id tamen illos potuisse primo quoad Ostiariatum colligitur ex eo, quod is præcedat & supponat Lectoratum; qui autem potest majus, possit & minus, maxime quando sunt subordinata sibi, uti sunt hi ordines. Dein potuisse illos indifferenter conferre omnes quatuor minores ordines, saltem vi diuturnæ consuetudinis, colligitur ex cap. 1. de ordinat. ab Episcop. qui renunc. juncta Gloss. & ita tenent apud Pirh. loc. cit. Abb. in cit. cap. cum contingat num. 1. Sanch. opusc. mor. l. 3. cap. 1. du. 19. num. 12. Laym. in cap. 1. de suppl. negl. prælator, num. 13.

2. Resp. secundo. Jure novo Trident. dictis Prælatis ista potestas restricta est, dum sess. 23. c. 10. de reform. juncta declaratione S. Cong. permisit Abbatibus & Prælatis regularibus, Sacerdotibus, benedictis, jus mitræ & baculi seu pedi pastoralia deferendi habentibus, vel a Papa privilegiatis, ut possint exercere pontificalia, ac si benedicti essent, conferre primam tonsuram & quatuor minores suis subditis irregularibus, non item aliis. Unde deduco &

3. Resp. tertio. Potestatem illam non competere Abbatibus, qui non sunt vere Abbates regulares, habentes Abbatiam non in titulum, sed solum in commendam. Pirh. l. cit. cum & tales Abbates commendatarii non benedicantur, nec pontificalia exercere possunt. Neque privilegia concessa Abbatibus regularibus extendantur ad commendatarios. Zerol. in pr. Episcop. v. Abbas limit. 2. Tambur. de jure Abb. To. 2. d. 2. q. 1. num. 5. Neque Abbatibus regularibus necdum Sacerdotibus; cum potestas conferendi Ordines supponat potestatem in Corpus Christi verum. Pirh. l. c. Tamb. cit. d. 2. q. 3. n. 1. & seq. Argum. c. ex literis de excess. Prælator. Poterunt tamen Abbates similesque Prælati regulares temporales seu triennales, quibus non impenditur benedictio (quippe quæ est quoque quasi perpetua & indelebilis) conferre dictos ordines, & alia exercere, quæ possunt Abbates benedicti ex privilegio Eugenii IV. concesso Cisterciensibus, uti referuntur Tambur. cit. q. 3. nu. 2. & seq. Suar. Tom. 4. de relig. l. 2. c. 29. num. 17. apud Pirh.

4. Resp. quarto. Non posse prædictos regulares regularibus sibi non subditis, etsi habeant dimissorias speciales a suo superiore, conferre hos ordines; eo quod, etsi tales ordinandi sint regulares, non sint tamen subditi Prælati ordinatotoris, prout expresse requirit Trid. multoque minus dictos ordines conferre poterunt Abbates initiati & benedicti sæcularibus sibi non subditis etsi instructis dimissorialibus propriorum suorum Episcoporum, & licentia etiam speciali Episcopi loci, in quo fit ordinatio. Ita tenet Castrop. l. c. num. 4. & expresse in terminis Barbos. alleg. 3. num. 10. citans Campanil. in divers. Jur. Rub. Rub. 6. cap. 2. ante num. 7. Scipion. de Rubris in Aphor. Episc. v. Abbas num. 13. Mirand. in man. prælator. Tom. 1. q. 38. ar. 9. Concl. 2. Seraph. decis. 981. p. 1. qui refert, sic voto Rotæ de mandato Clem. VIII. decisum. Quin & testatur Barbos. sic rescripsisse Congregat. præposit. negot. Episcop. & regul. Episcopo Eugubino 3. Nov. 1593. Nihilominus contrarium, nimirum posse tales Prælatos sibi non subditis & regularibus & sæcularibus, modo instructi sint dimissorialibus suorum superiorum & Episcoporum, & habeant licentiam Episcopi loci, in quo facienda ordinatio, conferre dictos ordines minores, probabile censet Pirh. citans pro hoc Gloss. in cap. 1. dist. 69. v. monasterio. Suar. cit. cap. 29. num. 21. Zerol. ubi ante limit. 3. Ugol. de off. Episcop. c. 26. §. 19. nu. 2. Barbos. alleg. 3. num. 13. ubi is tamen de hoc nihil, licet ibidem num. 10. pro hac sententia citet Dian. part. 2. tract. 2. res. 147. Sanch. in opusc. mor. l. 7. c. 1. du. 21. num. 5. Tambur. loc. cit. Tom. 2. d. 2. q. 7. ex num. 3. Bonac. de Sacram. d. 8. q. unic. p. 4. num. 3. Azor. p. 1. l. 12. cap. 10. q. 7. Laym. Th. Mor. l. 5. tr. 9. cap. 9. num. 2. & alios innixos potissimum declarationi, qua id sic declaratum referunt a Sacr. Congr. Concil. apud Gallemart. ad cit. L. Trid. cui tamen declarationi ait Castrop. loc. cit. merito non acquiescere Mirandam, cum sit contra expressa verba Trid. Unde jam etiam non poterunt dicti Abbates invitati etiam a regularibus alterius Monasterii, etiam exempti, iis non subjecti ibidem conferre ordines minores, etiam de licentia Episcopi, in cujus diœcesi situm Monasterium. Quin etiam, ut inquit Barbos. loc. c. num. 21. ordinatio Abbatis privilegiati ordines minores conferentis non subditis sine dimissoriis, vel cum illis (adverte hæc verba) seu subditis suis non regularibus est irrita & invalida, ac proinde repetenda, defectu potestatis in ordinante ex illis verbis Concilii: *non liceat Abbatibus*: quæ irritant actum quoad valorem ordinationis; quia potestas ordinandi concessa Abbatibus privilegiatis non est ad modum potestatis episcopalis. Nam illa procedit vi qui privilegii; hæc autem derivatur ratione Ordinis. Ita sentire videntur Suar. Tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 19. num. 8. & 2. Peirin. de prælat. regular. Tom. 2. quæst. 3. cap. 7. num. 23. & colligitur ex quadam decis. Sac. Cong. Epis. & regul. negot. præposit. referente Cardinale Gyptio sub die 27. Jun. 1631. in qua resolutum. Thom. Narducium promotum ab Abbate de Carropoli Ordinis Cælestinor. cum literis dimissoriis Vicarii generalis Complensis eidem Abbatia directis esse male promotum, & indigere nova promotione. Quidquid teneant Sanch. Molles. Tambur. Præposit. & alii, quos refert & sequitur Dian. res. mor. p. 5. tract. 13. resol. 93. hucusque verba Barbosæ citat. num. 11. Extenduntque hæc se etiam ad Prælatos tam sæculares quam regulares qui nullius sunt diœcesis, sed plenissime exempti; quia proprium territorium seu districtum habent, in quo ecclesiasticam & quasi episcopalem jurisdictionem exercent, etiam in populum seu subditos sæculares privative ad Episcopos, ut nimirum suis subditis conferre nequeant primam tonsuram & minores, sive eorum territorium sit intra, sive extra fines diœcesis. Suar. cit. cap. 29. num. 19. dicens, sic decisum a Sacr. Congreg. Card. Fagn. in cap. nulli de rescript. a num. 24. & in c. significasti de off. Archid. num. 24. contra Sanch. opusc. mor, Tom. 2. l. 7. cap. 1. du 19. num. 20. Laym. in cap. 1. de suppl. negl. præl. & de elect. prælator. q. 218. Non obstante constitutione Innoc. III. in cap. cum contingat. de ætat. & qualit. allegante Decretum 7. Synod. cum loquatur solum de laicis, qui ad Monasteria convolantes a suis Abbatibus tonsurantur, id est, ut Gloss. in c. Abbates de privileg. in 6. v. convolaverint, qui transeunt ad Monasteria, ut ibi convertantur & monachi fiant, adeoque solum de Novitiis de quibus paulo post. Neque etiam de Constitutione Alexand. IV. in cit. c. Abbates ubi dicitur, tales Prælatos non posse illos Ordines conferre nisi monasteriorum suorum conversis, & qui ad illa convolarunt, nisi privilegium pontificium habeant aliis etiam sæcularibus non subjectis conferendi illos. Nam isti Privilegio per Concil. Trident. sess. 23. cap. 10. derogatum; cum etiam privilegium speciale contentum etiam in corpore juris tollatur per generalem privilegiorum revocationem absque eo, quod fiat illius specialis mentio, non secus, ac jus ipsum tollitur per legem posteriorem cap. 1. de constitut. in 6. Quin & facilius

lius privilegiis insertis corpori juris quam non insertis illi; cum in his, non vero in iis allegari posset defectus intentionis Papæ propter horum ignorantiam. Quamvis alias privilegiis Canonum difficilius consueverit derogari. Fagn. *loc. cit. num.* 38. Unde concludit Pirh. *cit. num.* 46. *in fine* non satis, ut videtur, sibi constans, hisce formalibus: *quare prædicta facultas conferendi primam tonsuram & minores ordines sæcularibus etiam subditis, per decretum Trident. loc. cit. est Abbatibus adempta, non obstantibus quibuscunque privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus immemorialibus, ut ibidem additur. Idque hodie servandum est, saltem ubi Tridentinum est receptum &c.* Unde jam optime infertur, si id non possunt respectu suorum subditorum sæcularium, qui non egent dimissoriis, multo minus id poterunt respectu sæcularium sibi non subditorum instructorum dimissoriis & speciali licentia suorum superiorum.

QUÆSTIO DLXIII.

An igitur neque Novitiis suis tales Abbates conferre possunt primam tonsuram & minores.

RESp. Non conveniunt in hoc AA. affirmant Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *cap.* 9. *num.* 2. Suar. *Tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 29. *num.* 12. apud Barbos. eo quod jure antiquo, nempe *cit. cap. Abbates* id illis concessum juxta dicta paulo ante. Quam concessionem non revocaverit Trident. cum solum restrinxerit facultatem eorum ordinandi sæculares & regulares non subditos. Novitii autem, præcipuè in decreto favorabili veniant nomine regularium, sintque subditi Abbati suo ordinanti. Negant e contra Castropal. *loc. cit. num.* 6. Navar. *cap.* 27. *num.* 158. Rodiq. *qq. Regul. quæst.* 23. *art.* 2. Mirand. *Tom.* 1. *quæst.* 38. *art.* 9. *concl.* 2. Henriqu. *l.* 10. *cap.* 23. *num.* 3. *in Comment. Lit.* G. Qui etiam meminerint cujusdam hac de re constitut. Pii V. Barbos. *loc. cit. num.* 8. citans Tusch. *lit. A. conclus.* 9. & plurimos alios. Ratio hujus sententiæ est. Quod esto novitius censendus sit regularis, ut gaudeat privilegiis regularium, non tamen subjicitur Prælato pleno jure, sed solum, quatenus ad probationem religionis fuerit necessarium, ut Sanch. *in sum. l.* 6. *cap.* 10. *in fine*; ad hanc autem probationem religionis necessaria non sit subjectio pro Ordinibus suscipiendis, ut patet. Trident. vero solum concedat Abbatibus, ut regularibus sibi subditis ordines conferre possint.

§. 2.

De Ministro Ordinum respectu subditorum propriorum.

QUÆSTIO. DLXIV.

An & in quibus casibus Episcopus ordinare possit sibi non subditos sine licentia proprii eorum Episcopi.

1. RESp. ad primum. Nullus Episcopus ordinare licite potest subditum non suum sine Episcopi, cujus ille subditus est aut alterius, qui eam concedere potest licentia; cum id graviter interdictum tam jure antiquo *cap.* 1. *& seq. caus.* 9. *quæst.* 2. ubi talis ordinatio decernitur irrita, non quidem in se, sed quo ad exercitium Ordinis suscepti item *cap.* 2. *h. t. in* 6. quam novo Tridentini *sess.* 23. *cap.* 8. ubi Episcopo talem ordinanti statuitur pœna suspensionis ab Ordinibus conferendis per annum. Tali vero ordinato suspensio ab Ordinibus susceptis exercendis tamdiu durans, quamdiu illius Ordinario proprio videbitur.

2. Extenditur hoc ipsum primo ad Episcopos, qui titulares vocantur; ita ut nemo eorum, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis Ordinis residerent aut moram traxerint vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ absque sui proprii prælati expressu consensu aut literis dimissoriis ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum; taliter vero promotus ab executione Ordinum susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. Ita verbotenus Trid. *sess.* 23. *c.* 2. *de reform.* Vide de hoc puncto suse agentem Barbos. *de potest. Episc. p.* 2. *allegat.* 6. *tota*.

3. Extenditur secundo, ut ne quidem primam tonsuram clericalem Episcopus homini diœcesis alienæ sive non suæ absque licentia superioris seu proprii Episcopi conferre possit, prout habetur *cap. ult. h. t. in* 6. *cap. promotus dist.* 71. & *ibi* Gloss. *v. obtineat*. Unde jam tonsura insignitus ab alieno Episcopo sine licentia proprii non gaudet privilegiu clericali, nec ad ullum Ordinem ulteriorem sine proprii Episcopi dispensatione promoveri potest. Estque inhabilis ad beneficia ecclesiastica ac si tonsuratus non esset; quia inutilem habere tonsuram perinde est, ac nullam habere. Pirh. *hoc tit. num* 24. citans Rebuff. *in pr. benef. tit. de lit. dimiss. num.* 22. Sanch. &c.

4. Extenditur tertio, ut neque Archiepiscopus subditum sui suffraganei sine hujus speciali licentia ordinare possit; quia non est de diœcesi Metropolitani, ut requiritur in *c. cum nullus hoc tit. in* 6. nec ipsius subditus, nisi in casibus jure expressis. Pirh. *loc. cit. num.* 24. Piacen. *in pr. Episcop. part.* 1. *cap.* 1. *art.* 2. *num.* 6. Sanchez *opusc. moral. l.* 7. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 70.

5. Extenditur quarto. Ut Episcopus quoque ordinare nequeat subditum alienum sub spe ratihabitionis de futuro proprii Episcopi. Pirh. *n.* 27. citans Rebuff. *ubi ante num.* 11. Salzed. *in pract. can. cap.* 26. *lit.* C. Avila *de censur. part.* 3. *disp.* 5. *du.* 7. §. *dico* 5. *in* 2. *casu*. Sanch. *opusc. moral. lib.* 7. *cap.* 1. *du.* 20. *num.* 13. contra Tiber. *in instruct. Ordinandor. quæst.* 47. citantem pro se Azor. *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 48. *quæst.* 3. Suar. Majol. Rodriq. &c. cum non possit Episcopus proprius ex post facto ratam habere ordinationem subditorum factam ab alieno Episcopo, ita ut valeat ad legitimum usum ordinis suscepti, sed ad hunc usum requiritur consensus illius de præterito, nempe existens tempore ordinationis, vel de præsente datus & signo aliquo exteriore expressus, qui tamen non habet rationem ratihabitionis; cum ratum quis habere non potest, quod suo nomine gestum non est *cap. ratum de regul. Jur. in* 6. Sed potius veniæ de novo datæ, ut talis solutus a sua suspensione ordines licite exercere valeat. Argum. *cap. fin. caus.* 9. *quæst.* 2. ubi: non tam per ratihabitionem Episcopi proprii confirmatur ordinatio facta ab alieno, quam relaxatur ab ordinato taliter illata ei injuria. Pirh. Rebuff. Salzed. *LL. citat.* Et si sub ista spe, etiam prudenter concepta de ratihabitione subsecutura liceret Episcopis ordinare subditos alienos, daretur sane illis ansa frequenter ordinandi alienos contra præceptum Trid.

6. Resp. ad secundum. Licebit tamen Episcopo sine licentia Episcopi proprii ordinare subditum alienum in duobus casibus. Primo. Dum Episcopi proprii publice suspensi ab Ordinum collatione, eo quod ordinaverint subditos non suos sine licentia proprii Episcopi. Tunc enim eorum subditi sine eorum licentia, durante hac suspensione, a vicinis Episcopis (quia his facilius & magis perspecti esse possunt mores & vita ordinandorum, quam Episcopis remotioribus) ordinari, prævio tamen examine possunt. Modo tamen eorum suspensio sit manifesta, sive per evidentiam facti, quia publice ordinarunt subditum alienum, sive notorietate juris; quia de hoc confessi vel convicti in judicio. Ita statuitur *cap.* 2. *h. t. in* 6. §. *clericos quoque* & *ibi* Gloss. *v. manifesta*. Secus tamen est, sive subditi Episcopi suspensi non possunt sine hujus licentia ordinari a vicinis Episcopis, dum Episcopus proprius suspensus non est ob dictam, sed ob aliam causam a collatione Ordinum; quia pro aliis casibus id non est expressum in jure. Pirh. *num.* 28. juxta Gl. *in cit. c.* 2. *v. taliter*. Quin etiam, Episcopo suspenso ob collatos Ordines subdito alieno, non possunt ejus subditi a Vicario Episcopo accipere primam tonsuram. Pirh. *loc. cit.* citans Gl. *fin. in c. ult. h. t. in* 6. eo quod *cit. c.* 2. fiat solum mentio de clericis & non est tanta necessitas promovendi laicos ad ordines, quanta, ut jam facti clerici promoveantur ad ordines altiores. Pirh. *loc. cit.* ex Sanch. *cit. dub.* 20. *num.* 19. Poterit tamen in hoc casu suspensus ille Episcopus subdito suo laico dare licentiam seu dimissorias ad accipiendam a Vicario Episcopo primam tonsuram; cum id sit jurisdictionis, a qua suspensus non est. Pirh. *loc. cit.* cum Jo. And. *in cit. c. ult. in* 6. Qua licentia Episcopi proprii suspensi non egent facti jam clerici; cum id ipsis ipso jure concessum sit. Gl. *in cit. cap. ult. vers. licentia*. Secundo potest Episcopus ad omnes ordines promovere non subditum suum, dum is est familiaris illius per triennium moraliter continuum apud eum moratus. In quo autem consistat familiaritas ista, dictum est supra, ubi de familiaribus Cardinalium. Hic autem præcipue requiritur,

ut

ut præsens Episcopo deserviat, & sit in ejus obsequio (sive de cetero, ut Pirh. intra sive extra domum illius, intellige, habitet) ita ut nequaquam sufficiat, si absens serviat Episcopo. V. g. ejus negotia gerendo, etsi propterea sumptibus Episcopi vivat; eo quod tunc Episcopus non possit satis cognoscere ejus mores, ob quem finem præfixum illud triennium. Pirh. *num.* 29. Barbos. *alleg.* 5. *num.* 6. citans Suar. *de cens. Tom.* 5. *disp.* 31. *s.* 1. *num.* 15. Ricc. *in pr. for. ecclesiar. resol.* 267. *&c.* Unde non placet, quod addebat Pirh. *sive intra sive extra domum Episcopi intelligendo habitet*: quia habitando die nocteque in alia domo extra conspectum Episcopi non censetur illi tatis præsens in ordine ad prædictum finem. Quare melius Barbos. *loc. cit. num.* 7. requirit, ut cum Episcopo intra eandem domum commoretur. Nequaquam vero extenditur hæc potestas ordinandi familiarem suum de cetero non subditum ad Episcopos titulares; ita ut hi talem sine licentia proprii Episcopi nequidem prima tonsura insignire valeant, tametsi in loco nullius diœcesis, vel etiam exempto, resederint juxta dicta paulo supra.

7. Porro Episcopus tali familiari suo ordinato debet continuo reipsa providere de beneficio. Pirh. *cit. num.* 29. Barbos. *cit. alleg.* 5. *num.* 11. citatis Paris. *de resign. l.* 4. *quæst.* 2. *numer.* 92. *&c.* juxta decretum Trident. non quidem ante ordinationem; cum hac ratione jam ordinaret illum sibi subditum ratione illius beneficii; adeoque non ex privilegio sibi concesso ordinandi non subditum. Barbos. Diana *LL. cit.* Sed mox a collatis Ordinibus sine intervallo. Unde non satisfactum menti Concilii, si Episcopus post undecim menses prius conferat illi beneficium, ait Paris. *loc. citat.* apud Barbos. imo si post sex menses, ut apud eundem Molfes. vel saltem quam primum vacaverit beneficium aliquod ad ejus collationem spectans, ut Pirh. *l. c.* & Vasq. *p.* 3. *d.* 243. *num.* 49. Nisi forte ordinaverit illum ob necessitatem vel utilitatem ecclesiæ ad titulum patrimonii vel pensionis, adscribendo illum certæ ecclesiæ, pro cujus necessitate ordinatus, quod potest Episcopus. Pirh. *loc. cit.* Barbos. *num.* 12. citans Garc. *ubi ante num.* 81. & 82. reprobans cum Narbona illud, quod habet Vasqu. *cit. d.* 243. *nu.* 49. posse nimirum familiarem ordinari ab Episcopo, etsi patrimonium non habeat, nec ullius ecclesiæ necessitas urgeat; eo quod solum Episcopo concedatur licentia eum ordinandi, quatenus melius ejus servitio uti possit; & hoc melius servitium censeri sufficientem ecclesiæ utilitatem extenditque se hæc de procurando mox beneficio ordinato obligatio ad ordines etiam minores & primam tonsuram. Pir. *l. c.* Barbos. *num.* 11. & apud hunc Rota *decis.* 731. *p.* 1. *divers.* Nav. *cons.* 11. *de temp. ordinat.* Zerol. *in pr. p.* 2. *v. ordo vers.* 5. *dubitatur.* Bonac. *d. unic. p.* 21. *num.* 9. Rodriq. Sayr. &c. Illud hic observandum cum Barbos. *num.* 16. & Bonac. *de suspens. in particular. disp.* 3. *quæst.* 1. *part.* 11. *num.* 12. Quod familiaris bona fide cum spe beneficii mox obtinendi ordinatus ab Episcopo, cujus est familiaris non maneat suspensus ab Ordinis executione, si Episcopus beneficium ei statim non conferat, aut etiam moriatur, non collato beneficio. Quod dictum hic de Episcopis, locum quoque habet in Cardinalibus, ut & hi, dum sunt Episcopi, ordinare possint suos familiares sed non sub alio modo & conditione, quam alii Episcopi. Barbos. *alleg.* 5. *num.* 19.

QUÆSTIO DLXV.

A quo Episcopo ordinandi religiosi, & qui nullius sunt diœcesis, item expositi & Liberti.

1. RESpond. ad primum. Religiosi non exempti ordinandi sunt ab Episcopo proprio sive Ordinario loci, in quo situm monasterium, cui a superiore regulari deputati sunt, licet non sint de ejus diœcesi oriundi. Barbos. *alleg.* 4. *num.* 60. citatis Mirand. *in man. prælator. quæst.* 38. *art.* 2. *Tom.* 1. Sanch. *opusc. moral. l.* 7. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 44. & 45. Pirh. *num.* 25. juxta *cap. cum nullus hoc tit. in* 6. Hinc priores etiam temporales eorumque socii non exempti possunt & debent recipere Ordines ab Episcopo illius loci, in quo situs est prioratus non exemptus, etiamsi subsit monasterio alterius diœcesis. Pirh. *loc. cit.* citans Anchar. *in cit. capit. cum nullus notab.* 4. Franc. *ibidem num.* 2. Idem est de religiosis exemptis. Barbos. *loc. cit.* Sic decisum a Sac. Congreg. & statutum a Leone X. in Concil. Lateran. testans ex Piacel. *in pr. Episc. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 50. Pirh. *l. c.* citans Gl. *in c. cum nullus v. religiosi* & *ibid.* Anchar. & Francus *num.* 5. Nisi forte habeant privilegium (quale habet Societas JESU a Gregor. XIII. in Bulla incipiente: *Pium & utile*) recipiendi Ordines a quocunque Episcopo Catholico. Barbos. Pirh. *LL. cit.* Extenditur hoc ipsum ad novitios, qui & ipsi intra annum probationis ordines accipere possunt ac debent ab Episcopo, in cujus diœcesi sunt in probatione. Barbos. *num.* 63. Pirh. *num.* 5. citans Sanch. *l.* 4. *mor. c.* 39. *num.* 20. Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *c.* 4. *num.* 5. eo quod per ingressum monasterii & habitus religiosi susceptione censentur ibi domicilium acquisivisse; cum sint ingressi cum animo perpetuo ibi manendi, quantum est ex parte sua, & nisi mutatio aliqua superveniat. Quemadmodum domicilium etiam contrahitur ab aliquo conferente se ad locum aliquem animo ibi perpetuo habitandi, nisi casus incidat, qui mutare habitationem cogat vel occasio melior offeratur. Sentit tamen Henriq. apud Sanch. *l. c.* Novitios ordinandos ab Episcopo, a quo ordinandi, si extra novitiatum mansissent, nempe a proprio Episcopo loci, in quo novitius habuit domicilium ante ingressum in novitiatum, utpote quod non videtur mutatum per novitiatum, cum nondum habeat animum perpetuum manendi in loco religionis.

2. Resp. ad secundum primo. Regulares in monasteriis, sitis in locis nullius diœcesis debent ordinari ab Episcopo viciniore. Barbos. *alleg.* 4. *nu.* 62. citans Naldum *in sum. v. ordo num.* 26. Lezan. *in sum. qq. regul. cap.* 14. *num.* 22. *in fine* ac citans ex Lezan. *n.* 11. & Mirand. *ubi ante art.* 3. Quod tametsi Pius V. constit. sua incipiente. *Mendicantium ordo*: decreverit, Fratres hujusmodi etiam Sacros Ordines a quolibet Antistite gratiam & communionem Apost. Sedis habente, Ordinarii loci licentia non requisita in domibus Fratrum hujusmodi aut alibi recipere posse. Hæc tamen constitutio revocata sit per Gregor. XIII. in const. sua incipiente: *In tantum rerum*: ubi dicta Constitutio Pii V. reducitur ad terminos juris communis & Tridentini, quo attento, hodie regulares non possunt ab Episcopis ordinari, etiam in domibus suis sine licentia Diæcesanorum, in quorum districtu sunt eorum monasteria.

3. Resp. ad secundum secundo. Idem est de sæcularibus, ut dum sunt nullius diæcesis, ordinari debeant ab Episcopo viciniore, vel de ejus licentia ab alio. Tiber. *in instruct. Ordinand. q.* 46. Pirh. *l. c. num.* 31. juxta Responsum Sac. Cong. Concil. apud Piacel. *in pr. Ep. p.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *num.* 5. Dum vero nullius Diœcesis sunt, non exinde, quod locus, in quo domicilium habent, nullius sit diœcesis, sed quia ipsi vagi sunt, nullibi habentes domicilium ordinandi sunt ab Episcopo originis. Et si pater etiam vagus erat, cum natus filius, ab Episcopo originis patris. Et si & avus vagus fuit tempore nativitatis patris, ordinandus videtur ab Episcopo loci, in quo invenitur tempore ordinationis. Dum enim caret domicilio, origine, beneficio non est magis subditus uni quam alteri; adeoque poterit se ei, cui maluerit, subjicere, sicut quoad pœnitentiæ & matrimonii Sacramenta potest se subjicere parocho civitatis, cui maluerit. Tiber. Pirh. *LL. cit.* ex Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 25. *n.* 5. & 11.

4. Resp. ad tertium. Expositi, cujus parentes ignorantur, ordinari possunt ab Episcopo loci, in quo expositi. Pirh. *l. c.* Barbos. *alleg.* 4. *num.* 36 cum Campanil. quia indubitate illius loci effecti sunt juxta Bartol. *in l.* 1. *ff. ad municipal. n.* 21. Mandos. *tr. de minore ætat. c.* 1. *n.* 34. Item ab Episcopo loci, in quo nati (subintellige, si is sciatur) quia & illius loci municipes sunt & cives. Pir *l. c.* Barb. *n.* 17. Gratian. *discept. for. c.* 75. *n.* 12. Mand. *l. c. n.* 22.

5. Resp. ad quartum. Libertus ordinandus ab Episcopo loci, unde patronus illius trahit originem; quia illius loci, & non loci, in quo patronus habet domicilium, ipse municeps & civis est. Barbos. *nu.* 36. cum Campanil. Posse tamen etiam libertos ordinari ab Episcopo suæ originis. Idem habet citans Ugol.

QUÆSTIO DLXVI.

Quotupliciter, sive quot titulis dicatur quis & sit proprius Episcopus ordinandi; sive, quot modis quoad Ordines licite suscipiendos efficiatur subditus alicujus Episcopi.

RESp. Tripliciter. Seu tribus titulis, nimirum ratione originis, domicilii & beneficii *cap. cum nullus h. t. in* 6. Ita, ut qui in una diœcesi est natus, in alia habitat, in tertia habet beneficium, vel in diversis diœcesibus habet plura domicilia vel beneficia, a pluribus possit ordinari Episcopis. Et ita quoque ab eorum singulis accipere dimissorias ad alium Episcopum, qui nec est Episcopus originis, nec domicilii, nec beneficii, Circa quod illud notandum dicit Barbos. *alleg.* 4. *num.* 1. cum Archid. *in cap. captanda de concess. præbend.* Achill. de Grass. *decis.* 13. *de pension.* Molfes. *in summ. Th. Mor. tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. quod si subditus alique ex prædictis modis semel elegisset unum Episcopum, a quo Ordinem susce-

suscepisset, non posse dein variare, & assumere alios Ordines ab alio ex dictis Episcopis, nisi Episcopus, qui prius illum ordinaverit, indicasset causam ordinationis, & remitteret ordinandum ad alium ex dictis Episcopis. Quod num ita illimitate dicendum absque ullo citato textu juris, merito dubitari potest. Saltem ratio, quam subjicit ex Mulsesio id parum efficacites probat, utpote fundata in præjudicio Episcopi Ordinatoris. Quale non video, quomodo ei creetur per hoc, quod talis ordinatus utatur sua libertate adeundo alium, sicut poterat prius. Certe per hoc, quod ordinatus est ab eorum uno v. gr. Episcopo beneficii, non subducitur a subjectione, quam habuit respectu Episcopi originis & domicilii.

QUÆSTIO DLXVII.

Quis dicatur & sit Episcopus originis.

1. RESp. Is, in cujus Diæcesi ordinandus natus est, non quidem per accideos, id est, fortuito, pareotibus fortassis illa traoseuntibus, aut negotiationis, aut amicos invisendi gratia ibi commorantibus, & alibi domicilium habentibus; sed per se; parentibus ibi stabiliter habitantibus; ibi enim natus per fictionem juris censetur filius, etsi reipsa alibi natus, Abb. *in c. Rodulphus de rescript. num.* 9. Barbos. *de potest. Episcop. par.* 2. *alleg.* 4. *num.* 3. Castrop. *tract.* 27. *d. unic. p.* 15. *num.* 2. Pirh. *h. t. n.* 31. Less. *de Just. l.* 3. *c.* 34. *n.* 92. Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 23. *n.* 3. juxta *l. qui ex vico ff. ad municip. l.* 4. *C. de incolis*. Addit etiam Barbos. quod ubi quis baptizatus est, inde originem trahere dicatur, & ex libro Baptismi probari posse originem. Citat pro hoc Rebuff. *de pacif. possess. nu.* 207. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 9. §. 1. *a num.* 205. Gratian. *discept. forens. Tom.* 1. *cap.* 75. *a num.* 16. *&c.* Quod credo intelligendum de Baptismo sicut de nativitate, nimirum ubi per se baptizatus est ratione domicilii parcatum, & non fortuito & ex iocidente.

2. Item is, io cujus diœcesi natus est pater ordinandi. Castrop. Pirh. *LL. cit.* (qui tamen posterior adhibet aliquid limitationis; oimirum, ut quis accipere possit ordines ab Episcopo loci, in quo natus est pater ejus, saltem, ubi de filii nativitate constare nequit) Barbos. *n.* 4. citans Zerol. *in pr. Episc. v. dimissoria*. Comitol. *Resp. mor. L.* 6. *q.* 45. Gl. *in cit. c. cum nullus v. alienigenas*. Dian. *Resol. mor. p.* 4. *tract.* 4. *Res.* 148. & plures alios. Et sic, etsi tempore nativitatis filii pater domicilium alio transtulisset. Tiber. *l. c. q.* 43. Jus enim civile judicat locum originis eum esse in quo pater ejus natus est *L. assumptio* §. 1. *ff. ad municipal. L. sicut proponis C. de incolis* Alciat. *in l.* 147. *ff. de verb. signific. num.* 4. & alii apud Barbos. *loc. cit.* & oriondus dicitur a nativitate propria vel paterna. Barbos. *num.* 6. citatos Jasoo. *in L. hujusmodi ff. de legatis* Mandos. *ad Reg.* 16. *Cancell. num.* 40. Lexicon juris *v. oriundus*. Hinc jam non sunt subreptitiæ literæ dispensationis vel beneficii, in quibus quis revera & per se natus Romæ, diceret se oriuodum Neapoli, si ejus pater natus Neapoli. Barbos. *alleg.* 4. *num.* 8. citans Marc. Ant. Genuens. *Var. Resol. l.* 1. *Resol. ult. casu* 33. *& seq.* Item, in quibus quis diceret se esse de tali loco, cum io eo natus non fuisset ipse; sed pater ejus; cum etiam dictio *de* naturalitatem seu origioem importet. Argum. *l.* 1. *ff. ad municipal.* Barbos. *n.* 9. citans Surdum *decis.* 29. *nu.* 15. addicens, se idem dicturum de dictione *ex*. Notat vero Barbos. *n.* 10. quod etsi hæ dictiunes *de* & *ex* verificentur, data in illu loco origine paterna, non tameo ad earum verificationem sufficiat habere ibi beneficium aut domicilium etiam ad plures annos; cum habitatio faciat incolam, seu domiciliarium, non ortum seu oriondum.

3. Tametsi autem filius dicatur oriuodus vel originarius talis loci, in quo pater natus est, ut possit ab Episcopo illius loci, io ordine ad recipiendos ordines, non tamen dicitur originarius illius loci in ordine ad ordines recipiendos, in quu natus est ejus avus aliique ascendentes. Pirh. *n.* 31. Barb. *n.* 13. citatis Ugol. Riccio & aliis, sed oeque in ordine ad ordioes recipiendos attenditur origo matris, ita ut ab Episcopo loci, in quo oata est mater, nequeat filius accipere Ordines; quia filius originem patris, non matris sequitur *l.* 2. *C. de municipal. & originar.* Castrop. *l. c. n.* 2. Pirh. *l. c.* Barbos. *n.* 14. & 15. Nisi tamen filius esset naturalis & illegitimus, tunc enim noo patris, sed matris origo attenditor. *L.* 1. *ff. ad municip. & l. ejus qui ff. eod.* Pirh. Barbos. *LL. cit.* Legitimatus tamen per Principem patris originem sequitur, sicut & filius adoptivus. Pirh. citans Gl. *in cit. L.* 1. *v. parentibus*. Idem est, dum ooo constat de origine Patris (iotellige etiam legitimi) quia dum deest patris domicilium, matris est sequendum. Castrop. *l. c.* Pirh. *l. c.* Barbos. *num.* 16. citaotes Gonz. *ubi supra* §. 1. *a num.* 14. & Piaces. *in pr. Episc. cit. c.* 1. *nu.* 19. Dum etiam ignoratur urigo patris & matris, ut in filio expositio locus expositionis origini paternæ subrogatur. Castrop. *l. c.* juxta dicta *quæst. præced.*

QUÆSTIO DLXVIII.

Quis sit & dicatur Episcopus domicilii.

1. RESp. is, in cujus diœcesi ordinandus habet domicilium, id est, locum electum ad habitandum ibi perpetuo nisi alia commodior se offerret occasio. *L. cives C. de incolis*. Gastrop. *loc. c. num.* 3. Barbos. *num.* 15. *& seq.* Unde jam ordinari quis poteri: ab Episcopo illius loci, quam primum isto animo perpetuo ibi habitandi fixerit ibidem domicilium. Castrop. citato Ricc. *in pr. for. Eccles. Resol.* 263. Navar. *cons.* 10. *de tempor. ordin.* Laym. *l.* 5. *tract.* 9. *cap.* 9. *in fine*. Unde deficiente isto animo ibidem perpetuo remanendi, etiamsi per plures etiam centum annos ibi perseverares, haberes quidem ibi habitationem, sed non contraheres ibi domicilium. Pirh. *h. t. n.* 32. Barb. *n.* 25. Castrop. *n.* 4. adeoque non poteris etiam post habitationem decennalem ibi factam ab Episcopo illius loci ordinari. Unde jam etiam, sicut non nisi animo & facto contrahitur domicilium *l. domicilium juncta gloss. ff. ad municipal.* ita domicilium hujusmodi animo manendi ibi perpetuo & facto habitationis ibidem semel acquisitum non potest deseri solo animo isthinc abeuodi, sed animo & facto. Barbos. *n.* 26. ex Fagund. *in præcept. decal. l.* 1. *cap.* 8. *num.* 12. Hinc iofertur, illum, qui etiam modico tempore degit in aliquo loco cum animo perpetuo ibi manendi tametsi hunc animum statim mutet, quamdiu adhuc habitationem noo mutat, posse ab Episcopo illius loci ordinari. Barbos. *cit. num.* 26. citans Ricc. *ubi ante*. Bonac. *de Sacram. d.* 8. *q. unic. p.* 4. *nu.* 4. *& seq.* Nav. *cons.* 10. *in antiq. in novis cons.* 2. *de temp. ordin.* Majol. *de irreg. l.* 4. *cap.* 2. & alios plures. Porro animus ille potest declarari tam verbis quam factis. Dum verbis declaratus, omnis dubitatio & suspicio de inde recedendo tollitur. Castrop. *l. c. num.* 3. cum in his, quæ pendent ab animo tuo simplici tuo dicto standum sit. Menoch. *de arbitr. cas.* 84. *a nu.* 6. ita etiam, ut si causa studiorum quis accesserit ad locum aliquem, etiam non delata illuc majore parte bonorum suorum, unde alias oriri potest suspicio recedendi, hæc suspicio tollatur per illam animi declarationem factam verbis. Castrop. *l. c.* citato Menoch. *de arbit. cas.* 86. *nu.* 2. Factis declaratur primo ex assidua & diuturna habitatione *l.* 2. *C. ubi Senatores & clarissimi*. Bartolus *in l. hæres absens* §. 1. *de Judiciis*. Castr. *l. c.* decennii habitatiooem sufficientem esse, habet communis. Castrop. *loc. c.* citata Gloss. *in l.* 2. & 3. *C. de incolis* & Menoch. *cit. cas.* 86. *num.* 15. qui etiam *n.* 17. Judicis arbitrio relinquit, an ex breviore tempore, quam deceonio assidua habitatio ceoseatur. Secundo, si simul com habitatione transferatur illuc major pars bonorum, præsertim cum familia. Castrop. *l. c.* citatis Bartol. *in L. de jure ff. ad municipal. n.* 2. Bald. *cons.* 393. *col.* 1. Menoch. *cit. cas.* 86. *num.* 18. Tiraq. &c. Barbos. *nu.* 27. Ugol. *de potest. Ep. p.* 2. *c.* 26. §. 2. *nu.* 2. juxta *cit. l.* 2. *C. ubi Senatores & l. cives C. de incolis* ita ut alias non sufficiat sola emptio domus in illo loco & aliquorum bonorum, Barbos. *nu.* 27. citatis *cap. dilectus de rescript. c. cum nullus h. t. in* 6. Riccio *Resol.* 263. *num.* 2. Sicut e contra animus alio migrandi & non redeundi præsumitur ex eo, quod quis recedit ab aliquo loco cum suppellectili & familia sua. Barbos. *nu.* 39. citato Farinac. *fragm. crim. part.* 1. *Lit. D. num.* 214. Ut vero ex his & similibus conjecturis præsumatur animus ille maoendi, non debent alia juris præsumptione infirmari. Ut si quis studiorum, vel oegotii sui officii alicujus temporalis gerendi gratia illuc accessisset, ita ut, durante illo tempore studiorum vel officii peragendi, etiamsi illud excedat decennium, quin & etiam major pars bonorum illuc translata, non censeatur quis adhuc habere animum illum permanendi; adeoque nec acquisivisse ibi domicilium. Castrop. *l. c. num.* 4. citato Bartol. *in l. Cornelia* §. *domum ff. de injuriis*. Menoch. *cit. cas.* 86. *num.* 22. secus, si finito officio vel studiorum cursu, habitatio continuetur. Castrop. *l. c.* Barbos. *n.* 29. citato Gratian. *discept. for. c.* 181. *n.* 6. & 7. Narbona &c. uti etiam secus est, dum quis accessit ad locum, ibique degit officii perpetui v. g. Senatoris, Gubernatoris, gerendi gratia. Satis enim per hoc declaratur animus manendi; adeoque acquisitum ibi domicilium, & consequenter ordinari illum posse ab Episcopo illius loci. Castr. *nu.* 4. Barbos. *nu.* 34. extendens hoc ipsum cum Camp. ad istiusmodi officialium filios.

2. Ex his jam inferuotur sequeotia. Primo, studiosos qui in universitatibus per annos plures morantur, non tamen cum animo, absolutis studiis ibi permanendi, non posse ordinari

ab

ab Episcopo illius loci. Pirh. *l. r.* Barbos. *n.* 29. citans plares alios contra Menoch. *cit. cas.* 86. *n.* 22. Jo. And. *in c. quod clericis de foro compet.* Aretin. *ibid. n.* 7. credentes, Scholarem decennio aut longiore tempore habentem civitatem studii gratia acquisivisse domicilium propter temporis spatium. Sed pro arbitrio suo vel ab Episcopo originis vel ab Episcopo paterni domicilii, dum nati in una diœcesi postmodum cum patre mutante domicilium migrarunt alio) ordines suscipere, vel dimissorias petere possunt ac debent. Pirh. *cit. n.* 32. cum Abb. *in c. fin. de parochis n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 9. *n.* 10. 21. filius enim sortitur domicilium patris, quamdiu sub cura patris manet cum patre, alibi non constituens sibi domicilium (quod facere potest, si pubes est *l. placet ff. ad municipal.*) sortitur domicilium patris. Castrop. *cit. n.* 4. Pirh. *LL. cit.* Nec discedendo a patre domicilium patris amittit, si animum ad eundem redeundi retineat. Pirh. *l. c.* cum Nav. *l.* 1. *cons.* 3. *de temp. ordinat.* Neque etiam quis constituto sibi domicilio habitationis alibi amittit domicilium originis; cum hoc sit immutabile, nec illi renunciari possit *l. assumptio ff. ad municip.* & *l. origine C. de municip.* Quia est naturale; naturalia autem sunt immutabilia. *Inst. de Iur. Nat. Gent. &c. §. sed naturalia* ergo talis jam ordinari poterit ab Episcopo originis, vel ab Episcopo domicilii habitationis sibi constituto, non autem ab Episcopo domicilii paterni, utpote quod reliquit animo non redeundi, eo ipso, quod alibi sibi constituerit habitationem animo ibi manendi, sive domicilium. Idem est de servis seu famulis servientibus longo tempore, nunquam tamen animo semper ibi perdurandi, sed ad suos remeandi. Barb. *n.* 29.

3. Secundo. Dum *l. filii liberorum §. relegatus ad municip.* dicitur: *Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim domicilium necessarium habet* & expresse contrarium dicit Ulpianus *in l. ejus qui manumissus §. fin. ad municip.* nempe relegatum domicilium habere seu retinere in loco, unde arcetur sive a quo habet originem, vel etiam in quo habebat domicilium &c. conciliari hæc posse videntur. Si *l. filii* intelligatur de relegato perpetuo; cum is animum redeundi, unde arcetur, saltem efficacem, habere non possit. Ulpianus vero de relegato non perpetuo. Vide Barb. *cit. alleg.* 4. *n.* 35. Et quamvis in ordine ad ordines recipiendos frustraneum videatur altercari de domicilio relegati; cum is tanquam pœnæ subjectus ordinari non possit, ut *ibidem* Barbos. servire tamen potest id scire ratione filiorum ejus, utpote qui ab ordinibus non arcentur, ubi ii, cum sequantur patris domicilium, nanciscantur domicilium habitationis.

4. Tertio filium natum a parentibus in loco, ubi hi quidem diu commorati, non tamen animo ibi remanendi, non posse ordinari ab Episcopo istius loci; cum neque sit locus domicilii paterni, quod sequitur filius, neque locus originis filii; cum locus originis respectu illius esse non possit, in quo habitabant solum parentes absque eo, quod ibi haberent fixum domicilium tempore nativitatis filii. Siquidem, ut Barbos. *n.* 33. citatis Rota *decis.* 327. *n.* 3. *p.* 1. *divers.* Marc. Ant. *var. resol. l.* 1. *resol. fin. cas.* 33. *in fine*. Originarius ut quis dicatur, non solum requiritur, ut sit natus in loco, sed etiam, ut parentes ibidem tempore nativitatis filii contraxerit domicilium. Ex his tamen saltem non sequitur, quod adstruit Barbos. *n.* 32. & 33. ex Campan. posse Barones ordinari ab Episcopo loci, in quo habent feudum, etiamsi in loco feudi non habitent, sed alibi retineant domicilium. Item filius horum Baronum adipisci domicilium in eo loco, ubi genitor propter feudum contraxit. Nam cum in loco feudi dominus feudi non habitet, quomodo ibi contrahere potest is aut ejus filius domicilium, & quomodo igitur Episcopus loci, in quo feudum, ordinare talem poterit, si de cetero non sit originis, beneficii aut domicilii Episcopus.

5. Notanda quoque hic ratione domicilii veniunt duo. Primo, habere posse aliquem in duobus locis diversis Episcopis subjectis domicilium, ac ideo ab utriusque loci Episcopo ordinari posse. Barb. *n.* 37. *juncto n.* 39. citatis Ugol. & Turreblanc. dummodo utrumque sit æque principale. Barbos. *n.* 38. cum Menoch. *cons.* 398. *n.* 23. & æque seu æquali tempore, si non mathematice, saltem prope æqualitatem habitet. Barbos. *n.* 39. citans Molfes. *in sum. tr.* 2. *c.* 2. *n.* 6. Marchin. *de Sacram. Ord. tr.* 2. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 13. Alterum, non requiri scientiam Episcopi domicilii ad mutandum domicilium *c. fin. de paroch.* & Abb. *ibid. n.* 2. Pirh. *cit. num.* 32. Barbos. *num.* 41. cum Campan. *Rub.* 9. *c.* 8. *n.* 11. Ugol. *de pot. Epis. p.* 2. *c.* 26. *§.* 2. *n.* 1. Debet tamen habere testimonium de vita, moribus, natalibus &c. ab Episcopo loci, unde digreditur (si is fuerit locus originis filii ordinandi in quo nimirum parentes tempore nativitatis filii habebant domicilium) nisi forte, ut Barbos. & Pirh. *LL. cit.* a teneris annis ordinandi fuerit facta translatio domicilii alio, & ibi continuata habitatio usque ad tempus ordinationis.

6. Hic iterum non video, cur (quod hic affirmat & consideratione dignum existimat Barbos. citans pro hoc Quarant. *in sum. Bullar. v. Ordo*. Pialec. *in pr. Episc. p.* 1. *c.* 1. *n.* 9. Marchin. &c. quos sequitur Pirh. *h. t. n.* 35.) promotus ab Episcopo originis ad titulum beneficii requirentis residentiam, vel ad titulum patrimonii pro utilitate vel necessitate Ecclesiæ suæ, non possit dein insigniri aliis ordinibus ab Episcopo domicilii, ad cujus diœcesim transtulit jam ordinatus domicilium; cum per hoc non subducatur a residentia etiam habenda vel etiam ministerio & servitio exhibendo in ecclesia ipsa Episcopi originis. Atque ita respsa contrarium, nempe licere variare & accepto Subdiaconatu ab uno Episcopo, v. g. originis, accipere reliquos ordines ab alio Episcopo, v. g. domicilii tenent Engels *h. t. n.* 31. & ab eo citat. Zoes. *ad eund. tit. n.* 26. Zypeus *in consul. can. tit. de atat. & qual. ordin. consult.* 9. hac insuper ducti ratione; quod simus in materia favorabili, ubi agitur de extentione potestatis Episcopalis & excusatione a censuris ob malam ordinationem, & quod in jure talis variatio circa ordines prohibita non inveniatur, & a jure concedatur ordinatio ad libitum vel ab Episcopo originis, vel domicilii vel beneficii. Quod autem a summo Pontifice ordinatus dein sine hujus licentia a nullo alio possit suscipere alios ordines juxta *c. in dispensandis h. t.* hoc inquam, speciale est ob reverentiam Ordinantis. Unde & tali ordinato, etsi a jurisdictione Episcopi exemptus non sit, debetur inter cæteros clericos major honor. Engels *l. r.* juxta *c. per inas, de major. & obed.* Pir. *l. r.* ubi etiam, quod hoc ipsum extendatur ad ordines minores & primam tonsuram, ita ut si quis hanc a Papa receperit, nullum alium ordinem ab alio recipere possit.

QUÆSTIO DLXIX.

Quisnam sit Episcopus beneficii.

1. **R**Esp. Est ille, in cujus diœcesi ordinandus beneficium habet, qui proinde ab eo, seu de ejus licentia ab alio ordinari potest, absque eo, quod ei alio modo subjectus sit. Barbos. *cit. alleg.* 4. *nu.* 42. & apud hunc Campan. *in var. Jur. Rub. Rub.* 9. *c.* 8. *n.* 11. Garc. *de ben. p.* 2. *c.* 4. *n.* 1. Ugol. *de pot. Episc. c.* 26. *§.* 3. Ricc. *pr. for. Eccles. Resol.* 258. Sanchez *in opusc. mor. l.* 7. *r.* 1. *du.* 23. *n.* 15. (ubi is etiam, quod domicilium comparatum ex beneficio finiatur dimisso beneficio) Castropalao *cit. part.* 15. *num.* 5. Pirh. *num.* 37. & alii passim juxta *cap. cum nullus. h. t. in* 6. Clericus enim habet domicilium & est civis illius diœcesis, in qua situm beneficium illius, dum illud possidet. Barbos. *l. c.* citans Bartol. *in l. hæres, absens, §. proinde n.* 5. *ff. de Judiciis.* & in *L.* 1. *nu.* 25. *ff ad municipal.* Boerius *decis.* 260. *n.* 20. *&c.*

2. Porro requiritur primo beneficium actu collatum & possessum; ita ut neque proximè conferendum. neque collatum sine possessione sufficiat, Pirh. *h. t. n.* 33. Barbos. *n.* 55. Garc. *l. r. num.* 16. Sanchez *du.* 23. *n.* 13. a contra secundum hos AA. videtur sufficere possessio sola beneficii sine justo titulo, eo quod. Pirh. per eam videatur quis effici de foro istius Episcopi. Requiritur secundo, ut sit verum beneficium ecclesiasticum. Proinde non sufficit primo obtinere aliquem in ea diœcesi præbendam temporalem. V. g. ratione Lecturæ vel professuræ, nec capellaniam collativam; quia non habent rationem beneficii ecclesiastici. Pirh. *l. c.* Barbos. *n.* 59. Ricc. *in pr. aurea resol.* 49. *n.* 3. Neque secundo etiam pensionem ecclesiasticam; cum ratione illius quis nulli subjiciatur Episcopo propter eandem rationem. Pirh. *l. c.* Barbos. *n.* 57. Ugol. *l. r.* Camp. *l. c. n.* 17. nisi forte pensio clericalis constituatur alicui in titulum beneficii vel vicariæ perpetuæ; quia tunc censetur verum beneficium. Pirh. *l. c.* Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *n.* 1. Neque tertio obtinere beneficium in commendam temporalem; quia hæc non est titulus canonicus, nec habet rationem illius. Secus est, si habeat in commendam perpetuam; quia hæc habet rationem tituli. Pirh. *l. r.* Barb. *n.* 50.

3. De cetero extenditur responsio primo, ut Episcopus ordinare possit eum, qui præstimonium (hoc est, portionem detractam ex redditibus ecclesiasticis, ut Pirh. *l. c.*) situm in ejus diœcesi possidet absolute & in perpetuum Pirh. *l. c.* Barb. *n.* 48. & apud hunc Campan. *l. c. n.* 19. Henriq. *in sum. l.* 10. *c.* 22. *in commen. lit. H.* quia præstimonia taliter concessa numerantur inter vera beneficia. Pirh. *l. c.* Barbos. *n.* 49. Garc. *p.* 1. *r.* 2. *n.* 117. Secundo tametsi beneficium sit manuale seu ad nutum concedentis amovibile, quia est verum beneficium. Et licet non possit quis ordinari ad titulum talis beneficii, potest tamen ratione illius ad alium titulum ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi situm. Pirh. *l. c. n.* 34. citatis

Rebuff. *in pr. benef. tit. de cleric. & n quibus n.* 21. Garc. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Tertio, ut tametsi sit beneficium tenue, ut ejus titulo ordinari quis nequeat, possit tamen quis ordinari ab Episcopo loci illius ad alium titulum. Pirh. *l. c.* Barb. *n.* 44. & apud Garc. *cit. c.* 4. *n.* 9. Henriq. *l. c. n.* 22. *§.* 1. *in comment. lit. C.* Camp. *n.* 52. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 51. contra Ugol. *l. c. §.* 3. Ricc. *in pr. for. eccl. resol.* 260. Squillante *de privileg. cleric. c.* 4. *du.* 18. *n.* 228. Piasec. &c. quorum opinionem non receptum se ait Barbos. ubi beneficium esset tenuissimum v. g. 4 ducatorum, vel 7. cit. Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. beneficium* ob rationem præsumptæ fraudis. De cetero ratio extensionis est, quod ratione beneficii, quamvis exigui, si non sit exemptum, Episcopus acquirit jurisdictionem in beneficiatum, & hic illi subjicitur. Pirh. *l. c.* Garc. *n.* 8. Barbos. *cit. n.* 44. & quod, cum *c. cum nullus* non explicet valorem & qualitatem beneficii, ratione cujus quis subjicitur Episcopo, sed simpliciter & generaliter loquitur, uti & multi alii Canones loquentes de beneficio locum habent in beneficio tenui. v. gr. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* concedens tonsurato vel possidenti beneficium gaudere privilegio clericali, intelligitur etiam de possidente quodcunque beneficium exiguum ut Barbos. *n.* 45. cum Nav. *in tr. de benef. can. c.* 21. *n.* 21. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 3. *vers. secunda opinio.* Garc. *p.* 1. *c.* 6. *num.* 37. & *p.* 2. *n.* 3. Quarto etiamsi beneficium illud sit simplex & non requirat residentiam, nec ordinandus resideat in illo, aut in diœcesi, ubi illud situm est. Pirh. *cit. n.* 34. Barbos. *n.* 46. & 47. citans Ugol. Camp. *ubi ante* & plures alios contra Marc. Anton. Genuens. *in pr. curiæ Neapol. c.* 48. *n.* 3. Lessium &c. etsi enim ob beneficium requirens residentiam beneficiatus censeatur acquirere domicilium in loco beneficii, ut Barbos. *n.* 46. citatis Tusch. *v. domicilium concl.* 596. *a n.* 1. Ugol. *l. c.* Mascard. *concl.* 534. *n.* 5. Rebuff. *in pr. tit. de dispens. de non resid. n.* 74. adeoque contrarium sit, sive non acquiratur domicilium per beneficium non requirens residentiam, ut Pirh. (quamvis & per illud contrahi domicilium asserat Barbos. *n.* 42. citatis Henriq. Ugol. Camp. *LL. cit.* Sanch. & aliis) fit tamen subditus Episcopi illius loci. Pirh *l. c.* citatis Jo. Andr. & Franc. *in c.* 3. *h. t. in* 6. Et certe, si *cit. c. cum nullus*, comprehenderetur beneficium requirens residentiam, non erat opus dicere, aliquem etiam ratione beneficii subjici Episcopo; sed sufficeisset dicere, solum ratione domicilii & originis; quia sub domicilio comprehenditur & beneficium requirens residentiam; cum, ut dictum, ratione illius quis censetur in loco illius contrahere domicilium. Quinto, ut si quis habeat plura beneficia in diversis diœcesibus, possit ordinari ab unoquoque Episcopo illarum diœcesium. Barbos. *n.* 51. citans Sanch. *Opusc. l.* 7. *c.* 1. *du.* 13. *n.* 17. Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 4. *n.* 2. Camp. *cit. c.* 8. *n.* 14. &c. Sexto ut Episcopus in cujus diœcesi situm beneficium, possit adhuc ordinare beneficiatum, etiamsi illud spectaret ad provisionem, hoc est, ad præsentationem vel collationem, vel institutionem Episcopi alterius diœcesis. Pirh. *l. c.* Barb. *n.* 52. citans Sanch. *du.* 23. *n.* 12. Garc. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 15. Campan. *cit. c.* 8. *n.* 15. Secus est, si etiam quoad jura episcopalia isti alteri Episcopo subjectum esset; tunc enim esset de illius diœcesi isque solus ratione talis beneficii ordinare posset beneficiatum. AA. iidem *LL. cit.* Quod si etiam beneficium unius diœcesis unitum sit beneficio alterius diœcesis, non nisi illi Episcopo subesset (adeoque non nisi ab eo solo ratione illius suscipere posset Ordines beneficiatus) in cujus diœcesi exstat illud beneficium, cui unitum. Barbos. *n.* 53. cum Campan. *n.* 15. Quod tamen intelligendum, dum ei unitum accessorie seu per viam subjectionis & accessionis ad alterum beneficium tanquam principalius, utpote vi cujus unionis, amisso suo nomine, natura, qualitatibus, prærogativis, fit quasi prædium beneficii principalis cui unitur. Card. de Luca *de benef. d.* 44. *n.* 5. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 28. *n.* 96. ita etiam, ut amplius conferri nequeat Lotter. *l. c. num.* 104. Card. de Luca *de parochis d.* 12. *n.* 13. de quibus vide me *in Foro benef. p.* 3. *q.* 883. Secus est, si uniatur illi æque principaliter, ita ut quodlibet eorum sua conservet privilegia, jura, redditus, statum impermixta, de quo vide me *l. c. n.* 884. in eo enim casu videtur beneficiatus seu possessor & Rector utriusque beneficii posse ordinari pro libitu suo, tam ab Episcopo loci, in quo est beneficium, cui unitur, quam ab Episcopo loci, in quo est beneficium, quod taliter unitur. Septimo ita ut, si beneficium requirat primam tonsuram, Episcopus loci, in quo exstat, non tantum possit conferre primam tonsuram ratione illius, sed & minores & majores ordines. Idem est, dum anneaum habet certum ordinem v. g. subdiaconatum, dictus Episcopus, non tantum illum, sed & Diaconatum & Presbyteratum conferre possit. Pirh. *cit. n.* 34. Barbos. *n.* 56. citatis Riccio *in pr. aurea resol.* 94. *n.* 3. Franc. *in c. cum nullus n.* 3.

§. 2.

De Ministro Ordinum respectu subditorum alienorum in vim dimissoriarum.

QUÆSTIO DLXX.

An & qualiter Clericus latinus ab Episcopo Græco, & vice versa Græcus ad Episcopo Latino possit ordinari.

RESP. Probibitum non est, latinos ordinari ab Episcopis græcis, & vice versa, modo id fiat cum licentia suorum Episcoporum, quibus subjecti, & secundum ritum singulis proprium, hoc est, latini non secundum ritum græcorum, & græci non secundum ritum latinorum, ne rituum fiat commixtio. Pirh. *l. c. n.* 39. Non enim *c.* 2. *h. t.* damnatur ritus ordinandi græcorum; neque etiam prohibetur, ne latini a græcis Episcopis ordinentur, sed solum, ne latini a græcis ordinentur secundum ritum græcorum. Pirh. *l. c.* cum Abb. *in cit. c.* 2. *n.* 1. *not.* 2. Unde licet Episcopus latinus dare possit clerico latino subdito suo, ut ordinetur ab Episcopo græco, nempe ritu nonnisi latino, & nonnisi statutis ab Ecclesia Romana temporibus. Pirh. *l. c.* citans Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 48. *q.* 14. Expedit tamen, & debet, si possit & necesse sit constituere Vicarium aliquem Episcopum græcum, qui clericis græcis ordines conferat, dum in diœcesi sua habet latinos & græcos sibi subditos. Pirh. Azor. *LL. cit.* Vivian. *in ration. Jur. pontif. in c. quod translationem h. t.* Argum. *c. quoniam de off. Archid.*

QUÆSTIO DLXXI.

An & quando Episcopus ordinare valeat subditos alienos, de licentia proprii Episcopi.

RESP. Tametsi Episcopus per seipsum ordinare teneatur suos clericos, ut monet Trid. *sess.* 23. *c.* 3. *de reform.* ubi tamen is impeditus fuerit legitime, de ejus consensu subditos illius ordinare poterit Episcopus alienus *c. Episcopus* 9. *q.* 5. *c.* 1. *juncto c. cum nullus h. t. in* 6. Quin & dum Episcopus proprius impeditus non est, poterit adhuc alienus cum ejus consensu ejus subditos ordinare. Hunc consensum etsi in scriptis seu per literas dari non sit necesse. Pirh. *h. t. n.* 52. Sanch. *Opusc. mor. Tom.* 2. *l.* 7. *c.* 1. *du.* 20. *n.* 4. juxta quod constat ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de reform.* ubi dicitur, non posse ordinari alienum subditum sine sui proprii Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis, excepto unico casu contento *in c.* 1. *h. t. in* 6. ubi, quod pænitentiarii Papæ per literas dispensare debeant, post obtentam licentiam Papæ, ut ultramontanus ordinari possit ab Episcopo Italiæ. Ordinarie tamen hic consensus per literas præstari solet & debet. Barb. *de pot. Ep. p.* 2. *alleg.* 7. *n.* 2. Rebuff. *in pr. benef. rubric. forma dimiss. liter. n.* 34. Et quamvis in iis literis exprimenda quoque causa rationabilis, cur Episcopus proprius nollet aut nequeat dimissum ordinare. Barbos. *l. c.* Sanch. *l. c. n.* 15. juxta *c.* 1. *h. t. in* 6. & juxta quod exigere videtur Trid. *sess.* 7. *c.* 11. *de reform.* ubi: *facultates de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam ob quam a propriis Episcopis ordinari non possunt, & tunc non ordinentur, nisi Episcopo a sua diœcesi recedente &c.* In pluribus tamen provinciis receptum consuetudine, ut nulla causa assignetur. Barb. *l. c.* ex Rebuff. *ubi ante n.* 28. Quamvis Barbos. *n.* 3. dicat, sapientiores Episcopos adhuc hodiedum in suis dimissoriis apponere dictam causam. Porro hæ literæ, quibus datur ille consensus ad ordines suscipiendos ab Antistite alieno, dimissoriæ vocantur, uti & *reverendæ* in Trid. *sess.* 7. *c.* 10. item *formatæ* a Concilio Niceno relato *dist.* 73. *c.* 1. & 2. Nequaquam tamen confundendæ cum illis literis, quæ & ipsæ dimissoriæ & formatæ dicuntur *c.* 1. & 2. *de cler. peregrin.* quibus nimirum conceditur clerico licentia peregrinandi, & is quasi dimittitur & absolvitur a potestate Episcopi, perhibeturque hunc in finem clerico peregrinaturo testimonium de moribus & ordinibus illius; quas minor Episcopo concedere nequit; cum sit quædam species alienationis. Fagn. *in c. significasti de off. Archid. n.* 2. & 3. Fuisse vero harum dimissoriarum literarum usum antiquissimum, etiam tempore S. Augustini, testatur Barb. *num.* 3. ex Baron. *ad annum* 142. *n.* 6. & *ad annum* 345. *n.* 162.

QUÆSTIO DLXXII.

Dimissorias an & qualiter dare possint Papa, ejus Legatus, & Metropolitanus.

1. RESp. ad primum. Papa eas dare potest omnibus Christi fidelibus. Quin & privilegium dare potest, ut quis sine literis dimissoriis (quod ipsum tamen privilegium videtur habere rationem dimissoriarum papalium) ordinari possit a quocunque Episcopo; cum sit Episcopus seu Ordinarius omnium fidelium. Pith. *b.* 1. *n.* 53. cum gl. *in c.* 3. *b. t. in* 6. *v. in eadem.* Circa quod tamen illud diligenter observandum, quod etsi, qui tale privilegium a Papa obtinuit, suscipiendi ordines a quolibet Episcopo, non egeat aliis dimissoriis, egeat tamen adhuc testimonialibus proprii Episcopi de vita & moribus. Barb. *l. c. n.* 3. cum Bonac. *de Sacram. d.* 8. *q. unic. p.* 4. *n.* 27. Ciarlin. *controvers. for. L.* 1. *c.* 46. *n.* 23. & qui sine hujusmodi testimonialibus ordinantur, manent suspensi ab exercitio ordinum simpliciter, & ordinans a collatione ordinum per annum. Barb. *l. c.* citans Henriq. *l.* 14. *c.* 28. *n.* 2. Tolet *l.* 1. *c.* 49. *n.* 4. prout statuit Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *de reform.*

2. Resp. ad secondum. Potest etiam eas dare Legatus Sedis Apostolicæ de latere ex mandato ipsi a Papa concedi solito. Pirh. *l. c. n.* 54. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 7. *n. ult.* Tiber. *in instruct. ordinand. q.* 51. Eas tamen dare non posse intra annum Sedis Episcopalis vacantia, nempe subdito talis Episcopatus vacantis, nisi in casibus exceptis a Trid. contra quod Concilium generale utique agere non potest, habet Pirh. citans Nav. *cons.* 27. *b.* 1. *n.* 2.

3. Resp. ad tertium. Metropolitanus tametsi dimissorias dare queat subditis suæ Archidiæcesis, non tamen subditis suorum suffraganeorum; quia nec hos ordinare potest, Pirh. *cit. n.* 54.

QUÆSTIO DLXXIII.

Qui Episcopi dimissorias dare possint.

1. RESp. primo. Eas dare potest quilibet Episcopus proprius suis subditis, sive sit Episcopus originis, sive domicilii, sive beneficii *c. cum nullus b. t. in* 6. Nam qui ordinare potest, potest etiam dare dimissorias; cum quod quis potest per se, facere etiam possit per alium, seu alteri committere. *Reg. Jur.* 68. *in* 6. Quod tamen principium generale intelligendum censeo de Episcopo, qui authoritative seu propria authoritate, non vero tantum potestate delegata ordinare potest, ita ut Episcopus alienus ad se specialiter dimisso dare nequeat dimissorias ad alium Episcopum, subdelegando alteri hac ratione sibi delegatam potestatem ordinandi subditum alienum; cum non omnia, quæ quis potest per se potestate delegata, subdelegare possit alteri. Secus tamen videtur de eo Episcopo, qui Ordines aliquibus ex privilegio vel consuetudine dare potest, ut & is iisdem dare possit dimissorias. Barb. *l. c. n.* 4. Pirh. *n.* 55. juxta gl. *fin. in c. nullus* quia tunc potestate non pure sibi delegata, sed facta sibi propria dicitur conferre ordines. Competitque hæc potestas dandi dimissorias Episcopo proprio electo confirmato etsi nondum consecratus sit; cum dare dimissorias sit actus jurisdictionis, quam consequitur Episcopus electus per confirmationem gl. *in c. transm. de elect. v. talibus.* Unde jam etiam infertur, posse idem Episcopos ultramontanos ante confirmationem, utpote quibus in concordia electus conceditur interea, dum petitur confirmatio, administratio, adeoque usus jurisdictionis.

2. Resp. secundo. Dimissorias tamen concedere nequit Episcopus proprius excommunicatus suspensus ab officio nominatim denonciatus. Barb. *l. c. n.* 5. Piasec. *in pr. p.* 1. *c.* 1. *n.* 2. *n.* 9. Pirh. *n.* 55. juxta *c.* 2. *b. t. in* 6. Idque non tantum quasi indirecte ex eo capite, quod conferre nequeat ordines, & consequenter neque dare dimissorias: sed & directe, quatenus illi vi excommunicationis & suspensionis talis interdicitur usus jurisdictionis. Unde jam subditi illius possunt (intellige absque dimissoriis) ordinari ab Episcopo viciniore. Barb. *cit. n.* 5. incumbente tamen illis onere probandi, Episcopum suum fuisse excommunicatum. Barb. *ibid.* cum Piac. *ubi ante n.* 23. videntur tamen adhuc tales egere testimonio de vita & moribus Episcopi sui excommunicati, dum is est originis; cum illud dare non sit actus jurisdictionis, aut etiam Ordinis Episcopalis, quamvis forte actus alius officii episcopalis, sed omnino necessarius, seu necessario hic & nunc exhibendus, & sine illo illius testimonio ordinari non possunt, cum nullius alterius Episcopi, quam originis testimonio contentetur Trid. & Innoc. XII. id omnino exigat.

QUÆSTIO DLXXIV.

An & qualiter aliis Prælatis Episcopo inferioribus competat dare dimissorias.

1. RESp. primo. Nullus Prælatus inferior Episcopo, sive sæcularis sive regularis sit, etiam subdito suo sæculari clerico vel laico concedere potest dimissorias, aut eum mittere ordinandum, ad quem voluerit Episcopum, nisi id ei specialiter a Sede Apostolica concessum. Barb. *cit. alleg.* 7. *n.* 6. Pirh. *n.* 56. juxta *c. cum nullus §. inferiores & ibi* gl. *v. Prælati & v. Episcopi* vel nisi peculiari quodam jure sibi acquisiverit potestatem eas dandi etiam ad Episcopum alterius diæcesis. Barbos. Pith. *LL. cit.* cum Abb. *in c. accedentibus de excess. præl. num.* 2. præsertim consuetudine ligitime præscripta. Gl. *l. c. v. inductum.* Pirh. *l. c.* Barb. citans Gregor. *Syntagm. Juris l.* 40. *c.* 2. *n.* 19. Campan. &c.

2. Resp. secundo. Extenditur hoc ipsum jure novo Trid. *sess.* 23. *c.* 10. ad Prælatos quoscunque exemptos (qui alias eas olim dare poterant *c. cum nullus & ibid.* Jo. And. *n.* 2. Anchar. *n.* 3. Franc. *n.* 5. apud Barbos. *n.* 7.) ad collegia etiam vel capitula quæcunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, ita ut, sicut ordinare, ita & dimissorias dare spectet hodie privative ad Episcopum diæcesis, intra cujus fines Prælatus exemptus habitat. Barb. *n* 7. Nisi tamen talis Prælatus exemptus haberet jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem, contentiosam & voluntariam; ita ut populus etiam sit exemptus, jurisdictionemque habeat privative ad diæcesanum istius loci, vi cujus possit visitare, congregare synodum, approbare confessarios. Contra talem enim non intraret dispositio illa Trid. cum talia parem omnino haberet jurisdictionem sicut Episcopus. Castr. *tr.* 27. *d. unic. p.* 15. *n.* 8. Pirh. *n.* 56. Barb. *n.* 8. citans Ciarlin. *controvers. for. l.* 1. *c.* 46. *n.* 19. Tam. *de jure Abb. Tom.* 2. *d.* 11. *q.* 20. In caso autem, quo talis Prælatus inferior Episcopo concedere nequiret subdito suo, tenetur is ordines vel dimissorias accipere a viciniore Episcopo. Barbos. *cit. n.* 8. recitans pro hoc declationem S. Cong. Concil. *d.* 22. *Febr.* 1631. quem vide.

QUÆSTIO DLXXV.

Prælati regulares an & qualiter suis subditis dare possint dimissorias.

1. RESp. primo. Possunt illas dare Prælati regulares quicunque tam non exempti ab Episcopo quam exempti subditis suis Regularibus præditis qualitatibus, quas Ordo requirit; quia habent generalem & ordinariam jurisdictionem quasi episcopalem in illos; adeoque sunt eorum ordinarii *c. quanto de off. ordinar.* juncta gl. *v. si Prælati* Barbos. *cit. alleg.* 7. *n.* 31. Piasec. *in pr. p.* 1. *c.* 1. *a.* 2. *n.* 11. Pirh. *n.* 61. prout patet ex Trid. *sess.* 23. *c.* 10. a sensu contrario. Dum enim ibi Prælati, etiam exempti, prohibentur dare dimissorias subditis suis sæcularibus, virtualiter permittitur hoc ipso iis, dare illa subditis suis regularibus. De cetero non tantum suis regularibus possunt dare dimissorias; sed neque hi ordinandi sunt sine his dimissoriis, cum superiores ex causa sibi nota v. gr. ob defectum vel crimen occultum prohibere possint, ne ordines suscipiant, aut ad altiores ascendant *c. ad aures b.* 1. vide de hoc dicta supra, ubi num criminosi promoveri possint ad ordines.

2. Resp. secundo. Præscindendo a speciali Papæ privilegio dare eas non possunt nisi ad Episcopum diæcesanum, in cujus nimirum diæcesi situm est monasterium, in quo a suis superioribus positus est regularis ordinandus. Qui tamen diæcesanus, si abesset, vel ordinationem non haberet, potest dimitti regularis a suo superiore ad quemcunque alium Episcopum, a quo examinandus quo ad doctrinam. Modo hic fraus nulla intercurreret, uti fieret, si de industria superior regularis concessionem dimissoriarum differret in tempus, quo Episcopus diæcesanus absuturus vel nullas habiturus ordinationes, vel etiam ob Sedis vacantiam nulla ibi esset ordinatio, ut Pirh. *l. c.* in quo casu etiam dimissorialibus inserenda hujusmodi dimissionis causa, ipsa nimirum absentia Episcopi proprii, vel ordinatio non habenda, prout hæc expresse statuuntur & præcipiuntur sub pœna privationis officii, dignitatis, administrationis, ac vocis activæ & passivæ, aliisque arbitrariis S. D. N. Papæ reservatis pœnis in Constit. Clem. VIII. *edita* 13. *Martii An.* 1596. quam verbotenus recita-

recitatam vide apud Barbos. *cit. alleg. 7. n.* 18. & Quarant. *in sum. Bull. v. ordo prope finem*. Porro, cum dicta Constit. loquatur generaliter, dicendo: mandatur omnibus & singulis quorumcunque regularium superioribus &c. adeoque non distinguendo hoc in puncto inter regulares, non exemptos & exemptos, neque hi aliter dimissorias suis regularibus concedere poterunt. Excipiuntur nihilominus ii Prælati exempti de quibus dictum *q. praced. resp.* 2. qui territorium distinctum exemptum habent excluso Episcopo; cum enim hi eas dare possint suis subditis sæcularibus ad quoscunque Episcopos catholicos, multo magis id poterunt respectu suorum regularium. Neque enim constat illa Clem. cum sit exorbitans a jure communi, non tantum restrictiva juris communis, sed & Trident. vi cujus Prælati exempti prohibentur tantum dare dimissorias suis subditis sæcularibus, non vero regularibus, quo minus hi dimitti possent ad quoscunque Episcopos, ut Pirh. *cit. num.* 61. cum Tolet. *in sum. l.* 1. *c.* 49. *n.* 6. hinc inquam extendi non potest nec debet ad casum in ea specifice non expressum, nempe ad Prælatos eos, exemptos, qui habent proprium territorium &c. cum Constitutiones derogatoriæ juris antiqui restringendæ potius quam ampliandæ juxta Doctrinam communem. Argum. *reg. Iur.* 15. *in* 6. Quin & hoc ipsum bene dicit Pirh. colligi ex ipsis verbis dictæ constitutionis Clem. VIII. *ad Episcopum diacesanum, nempe illius monasterii, in quo is regularis positus fuerit*. Episcopus autem non est diæcesanus istius monasterii; cum ipsum non tantum ratione personarum, sed etiam loci sit omnino exemptum a tali jurisdictione diæcesani, adeoque extra ipsius diæcesin situm. Item excipiuntur Prælati Ordinum habentium privilegium a Sede Apostolica, quod a quocunque Episcopo Catholico cum suorum Prælatorum licentia seu dimissoriis ordinari possint. Quod privilegium per Trid. *Sess.* 23. *c.* 10. neque alibi, aut etiam per dictam Constit. Clem. sublatum est, Pirh. *n.* 61. Barbos. *alleg.* 4. *n.* 60. Tiber. *q.* 49.

QUÆSTIO DLXXVI.

An & qualiter Prælati regulares dimissorias concedere possint novitiis suis.

1. RESp. primo. Dum ordo habet privilegium dandi dimissorias ad quemcunque Episcopum, poterit Prælatus regularis dare quoque Novitiis dimissorias ad quemcunque Episcopum pro Ordinibus suscipiendis, non minus quam professis suis; eo quod Novitii gaudeant privilegiis suæ religionis & Professorum, & in favorabilibus veniant quoque nomine subditorum. Pirh. *h. t. n.* 62. Barbos. *alleg.* 7. *n.* 32. & apud hunc Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 17. Tamb. *de jure Abb. tom.* 2. *d.* 2. *quæst.* 27. *n.* 2. Dian. *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 7. & *tract.* 4. *resol.* 4. §. 4. Sanch. *in pracep. decal. tom.* 2. *l.* 9. *c.* 10. *n.* 22.

2. Resp. secundo. De jure communi non posse id Prælatos regulares, eo quod Novitius non est simpliciter seu quo ad omnia subjectus Prælato suo regulari, sed tantum, quatenus necessarium ad finem probationis, ut Prælatus regularis dare possit licentiam seu dimissorias Novitio ad Ordines suscipiendos a quocunque Episcopo, quare hæ petendæ ab Episcopo, a quo Novitii Ordines suscipere possunt, si religionem ingressi non fuissent, vel potius ab Episcopo diæcesis, in quo situm monasterium. Pirh. citans Sanch. *lib.* 4. *mor. cap.* 39. *n.* 20. de quo vide Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *quæst.* 10. Rodriq. *qq. regul. tom.* 5. *q.* 21. *art.* 11. Quamvis, ut Novitius ordinetur ab Episcopo, qui alias erat ejus proprius, non magis videatur egere illis dimissoriis, quam alius ejus subditus & Trident. statuens, regulares non promovendos ad Ordines sine suorum Prælatorum licentia seu dimissoriis intelligendum videatur de iis, qui religionem vere ingressi per professionem aut vota religiosa. Notat etiam Barbos. *cit. alleg.* 7. *num.* 32. non posse esse sermonem de dimissoriis ad Ordines Sacros suscipiendos; cum hos ante professionem suscipere Novitiis interdicitur sub variis pænis a Pio V. *in Constit. Romanus Pontifex de anno* 1568.

QUÆSTIO DLXXVII.

An & qualiter dimissorias dare competat Vicario generali Episcopi.

1. RESp. id eum non posse sine speciali commissioni Episcopi. Laym. *in c. cum nullus h. t. n.* 2. & *cap. ult. de off. Vicar. in* 6. *n.* 1. Fagn. *in c. significasti de off. Archid. in* 6. Barbos. *Iur. eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 21. citans Ugol. *de potest. Episc. cap.* 4. §. 7. *vers.* 5. Guttier. *qq. Can. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 20. &c. Sborz. *de Vicar. lib.* 2. *quæst.* 41. *n.* 3. Posse tamen Vicarium has dimissorias dare (etsi id spectet ad dignitatem Episcopalem, ut Sborz. *l. c. n.* 1.) etiam ad Ordines Sacros de speciali commissione Episcopi, supponunt AA. citati & expresse tradit Sbroz. *l. c. num.* 8. Rebuff. *in pr. forma Vicar. num.* 47. Roland. *cons.* 4. *num.* 19. *m.* 5. Quin etiam Vicarius habens ad hoc speciale mandatum, potest etiam præsente Episcopo, dimissorias concedere, non requisita alia Episcopi licentia Sbroz. *n.* 55. *in fine* & apud illum Roland. & Jo. And.

2. De cetero limitatur responsio, ut Vicarius dictas dimissorias concedere possit sine speciali commissione, ubi Episcopus degit in remotis, ita juxta *c. cum nullus §. inferiores*. Fagn. Laym. Barbos. Sborz. *LL. cit.* Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 32. qui etiam addit, posse in hoc casu Vicarium, dum is est Episcopus per seipsum conferre Ordines; monet tamen etiam Sbroz. *n.* 13. ut & Piasec. apud Laym. *cit. num.* 2. non esse satis tutum, quod Vicarius absente Episcopo sine speciali mandato dimissorias concedat. Probatque hoc ipsum exemplo Archidiaconi, qui absente Episcopo, est ejus Vicarius ipso jure, & tamen absente Episcopo dimissorias concedere nequeat juxta Gl. *in c. significasti de off. Archid. v. literas & ibidem* Hostiens. & Abb. *num.* 2. valere autem argumentum a potestate Archidiaconi ad Vicarium Episcopi dicit *num.* 14. ex Marian. Sucino *in cap. sicut unire de excess. Prælator. num.* 45. Innoc. & Jo. And. *in cap. ad hac de off. Archid.* Verum in hoc spectandam consuetudinem esse, & quæ sit mens Episcopi absentis, ait Laym. remittens ad declarat. super Trid. *Sess.* 23. *cap.* 10. Porro quandonam in ordine ad hunc effectum Episcopus censeatur versari in remotis, non pariter definiunt AA. Nam primo censet Riccius *in pr. p.* 2. *resol.* 18. ad quem remittit Barbos. Episcopum tunc censeri degere in remotis, quando est ultra montes; secus, si intra montes, innixus dispositiuni *c. nihil. de elect.* ubi quis dicitur valde remotus, quando moratur extra Italiam. Verum Riccium merito reprehendit Genuens. *in pr. Curia Neapolit. cap.* 83. *num.* 12. & cum eo Ventrigl. *loc. cit.* eo quod in præsente casu non requiratur, ut Episcopus sit valde remotus, sed tantum, ut sit remotus, sine dictione *valde*, ut dicitur, *in c. cum nullus*. Eandem Riccii doctrinam reprobant alii ex eo quod, præterquam id non deserviat generaliter pro ceteris Christiani orbis Episcopis, dum potest quis existens intra Italiam esse magis remotus a sua Ecclesia, quam si existeret extra Italiam, ut patet. Genuens. vero & Ventrigl. volunt tunc dicendum, Episcopum agere in remotis, quando moratur extra Provinciam ad duas diætas. Paxtor. denique censet, quandonam Episcopus agat in remotis, id relinquendum arbitrio boni viri: citat pro hoc Hostiens. *in c. relatum de sent. excom.* Illud tamen etiam hic notandum ex Sbrozio *n.* 9. & Fagn. *l. c.* juxta principia generalia: Quod si Vicario in generali commissione Vicariatus aut extra commissi essent casus quidam speciales seu speciale mandatum requirentes cum clausula: *super præmissis & in omnibus aliis ad nos spectantibus*: possit concedere etiam dimissorias in vim dictæ clausulæ; nisi forte dicti casus speciales expressi essent minus ardui quam concessio dimissoriarum.

QUÆSTIO DLXXVIII.

Num Archidiaconus dare possit has dimissorias.

1. RESp. primo sine speciali Episcopi consensu id eum non posse *c. significasti de off. Archid.* Azor. *inst. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 2. *in fine*. Fagn. *in c. signific. n.* 2. Et licet dictum cap. utatur termino *commendatitias*, is tamen de his dimissoriis accipiendus est, ut fuse ostendit Fagn. *cit. n.* 2. sic etiam Laym. *ad cit. c. significasti in paraphrasi* ait: Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest. Sed neque clerici facti talibus literis absque licentia Episcopi datis Ordines

recipe-

accipere possunt; alioquin de executione Ordinum prohiberi possunt &c. rationem etiam addit hisce expressis: quia per literas dimissorias derogatur juri Episcopali, quod habet ad ordinandum Clericos subjectos: & dein *in notand. unic.* addit idem Laym. si dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario generali datæ sint, pro non datis haberi debent, ita ut pœnæ & inhabilitates incurrantur.

2. Resp. secundo. Nil tamen obstat, quo minus Archidiacono alterive concedi possit ab Episcopo facultas dandi dimissorias ad Ordines. Fagn. *l. c. n.* 5. Quin & absque tali concessione Episcopi, Episcopo absente a sua diœcesi, & imminente necessitate aut utilitate ordinandorum, posse Archidiaconum præsentare aliis Episcopis ordinandos, per quos ordinentur, si tamen id habeat consuetudo, tenet Gl. *ad cit. c. significasti*, quam sequuntur Butrio & Abb. *ibid.* apud Fagn. *n.* 11. uti & eam sequi videtur Laym. *l. c. notand. unic.* quamvis hanc glossam reprobet Hostiens. *ibidem n.* 4. cui inhæret Sbroz. *de Vicar. Ep. l.* 2. *c.* 41. *n.* 13. eo quod litera hujus *cap.* ei contradicat; cum Papa in eo casum nullum excipiat, item contradicat illi alia litera *c.* 2. *§. si Episcopus defuerit: de off. Archipresb.* Fagn. *cit. c. n.* 11.

QUÆSTIO DLXXIX.

An Capitulum Sede vacante concedere possit dimissorias ad Ordines suscipiendos.

1. RESp. primo. Poterat id Capitulum seu ejus Vicarius spectato jure communi seu antiquo absque omni limitatione temporis; adeoque & intra primum annum vacantiæ subditis suis, sive hi arctati, sive non arctati essent *c. cum nullus, h. t. in* 6. Pirh. *h. t. n.* 58. Barbos. *Juris Eccles. l.* 1. *c.* 32. *n.* 114. Azor. *l.* 3. *c.* 37. *q.* 17. cum communi. Unde idem adhuc poterit Capitulum in locis, in quibus Trid. non est receptum; quia sic disposuit jus commune non immutatur per Trident. ob non receptionem illius. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 34. *§.* 1. *n.* 45. citans Sanch. *opusc. l.* 7. *c.* 1. *du.* 20. *n.* 37. P. Thesaurum *in pr. eccles. p.* 2. *c.* 19. *vers. amplia.*

2. Resp. secundo, hodiedum tamen intra primum annum Sedis vacantis eas dare nequit, sub nullius etiam privilegii aut consuetudinis prætextu, nisi solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi; ita enim expresse disponit Trid. *Sess.* 7. *c.* 10. & *Sess.* 23. *c.* 10. Pagn. *in c. hic quæ de major. & obed. n.* 60. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 91. Barbos. *l. c.* citans quamplures varias hujus responsionis extensiones fuse deductas, uti & alia huc spectantia vide apud me *in Vicario Episc. q.* 512.

QUÆSTIO DLXXX.

Quam pœnam incurrat Capitulum vel ejus loco Vicarius concedens has dimissorias non arctatis intra primum annum vacantiæ.

RESp. Remittendo ad me *in Vicar. Episc. quæst.* 514.

QUÆSTIO.

Per quem Capitulum has dimissorias concedere possit.

RESp. Videndum me *l. c. q.* 601.

QUÆSTIO DLXXXI.

Quid possit circa dandas dimissorias Vicarium Capituli Sede vacante.

RESp. Videndum me *l. c. q.* 601.

QUÆSTIO DLXXXII.

Qualiter & ubi danda dimissoria Clericis sæcularibus.

1. RESp. ad primum. Quatuor potissimum servanda esse in datione dimissoriarum. Primum, quod dimittendus prius examinandus sit, & legitime approbatus ut dignus ab Episcopo dimittente, ita ut hic tutus non sit in conscientia, si subditum non examinatum dimiserit, si ille postea reperiretur inhabilis & male promotus, etiamsi in literis dimissoriis adjecisset clausulam, qua ordinatoris conscientiam onerasset. Pirh. *h. t. num.* 66. Barbos. *de pot. Ep. p.* 2. *alleg.* 7. *num.* 21. cum Vivald. *in candelab. p.* 3. *cap.* 8. *num.* 12. Majol. *de irregul. lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 4. juxta Trid. *Sess.* 14. *c.* 3. & *Sess.* 23. *cap.* 3. ubi præcipitur Episcopis, ut per se ipsos ordinent; quod si ægritudine fuerint impediti suos non aliter, quam jam probatos & approbatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant. Dum alias olim Episcopi illos, quibus dimissorias dabant, non examinatos a se, examinandos ab Episcopo ordinaturo dimittebant. Argum. *c. sanctissimo dist.* 37. Barbos. *l. c. n.* 19. Potest nihilominus Episcopus proprius, ubi diœcesani petentes dimissorias sunt absentes, ita ut sine notabili incommodo ad ipsum accedere nequeant, sine prævio examine concedere illis dimissorias, & examen Episcopo loci, in quo degunt, vel etiam ubi ordinandi, demandare. Barbos. *l. c. n.* 19. Pirh. *l. c.* allegans declarat. Card. ad Trid. *Sess.* 7. *c.* 11. & *Sess.* 23. *c.* 8. apud Gallemart. *n.* 5. De cetero etiam extra hunc in quibusdam diœcesibus videtur obtinere consuetudo, ut subditi dimittantur absque prævio examine, quæ consuetudo, an dissimulari queat in locis, ubi Trid. est receptum, in medio relinquo. Quod si autem Episcopus dimissorias concedens subditum examinavit, idque in dimissoriis affirmavit, Episcopum, ad quem ordinandus dimittitur, non teneri eum denuo examinare, seu de idoneitate & literatura inquirere, refert Moltes. *in sum. th. mor. tr.* 2. *c.* 2. *n.* 21. Barb. *l. c. n.* 22. declaratum esse a Sixto V. audita desuper sententia S. Cong. Quamvis ipse Barb. citatis Piasec. *in pr. Episc. p.* 1. *n.* 12. Campan. *rub.* 9. *c.* 8. Bonac. &c. judicet, debere dimissum ab utroque Episcopo, nempe & a dimittente, & ab eo, ad quem dimittitur, examinari, eo quod Trid. *Sess.* 7. *c.* 11. statuat, ne ab extraneo quis ordinetur sine prævio examine, & *Sess.* 23. *c.* 3. statuat, ut nemini sine prævio examine dentur dimissoriæ. Id certum, posse ad minimum Episcopum, ad quem dimittitur dimissum rursus examinare. Secundum, ut in dimissoriis exprimatur causa dimissionis, sive cur Episcopus proprius nolit aut nequeat Ordines conferre subdito suo. Barb. *cit. n.* 21. Pirh. *l. c.* juxta *c.* 1. *h. t. in* 6. & *ibi* Gl. *v. literas* & Trid. *Sess.* 7. *c.* 11. Et licet a Trid. *Sess.* 23. *cap.* 3. pro causa, ob quam liceat ab Episcopo dari dimissorias, allegetur ægritudo, licebit tamen hoc ipsum illi etiam, ubi alia causa legitima impeditus fuerit. Barb. *n.* 20. citato Ugol. &c. Pirh. *n.* 66. allegans declarat. S. Cong. super dicto loco Concil. apud Gallemart. *ibidem n.* 1. quin & juxta dicta a nobis supra, consuetudine receptum in pluribus Provinciis, ut nulla exprimatur causa. Pirh. *l. c.* dicens, hanc consuetudinem approbari a Rebuff. *in pr. benef. tit. de lit. dimissor. n.* 28. Tertium, ut iis exprimatur, ad quos Ordines suscipiendos concedantur dimissoriæ. Barbos. *n.* 21. Pirh. *l. c.* data enim facultate ad Ordines minores, vel ad Ordines simpliciter, non comprehenduntur Ordines majores; cum talis facultas sit stricte interpretanda. Argum. *c.* 1. *h. t.* Pirh. citans Salzed. *in pr. Can. cap.* 26. *lit.* C. Quartum, ut exprimatur, an Episcopus dimittens intendat concedere facultatem generalem recipiendi Ordines a quocunque Episcopo: an vero a tali nominatim Episcopo; quod secundum, ubi est expressum, Ordines suscipi nequeunt ab alio, quam nominato in dimissoriis Episcopo, quia expressio unius est exclusio alterius. Argum. *c. nonne de præsumpt.* Barbos. *n.* 21. Pirh. *n.* 65. Unde jam etiamsi Episcopus ille in dimissoriis denominatus ob impedimentum ordinare nequiens, curet per alium in sua diœcesi conferri Ordines, hic ordinare nequiret nisi subditos illius Episcopi, in cujus diœcesi & de cujus licentia confert Ordines. Pirh. *n.* 65. juxta Trid. *Sess.* 6. *c.* 5. nisi tamen ordinandi non subditi a suis propriis Episcopis haberent dimissorias generales, ut a quocunque Episcopo ordinari possent. Sic enim interpretandum & limitandum cit. locum Trid. juxta declat. S. Cong. *ibidem* apud Gallemart. *n.* 3. ait Pirh. ex quo jam sequi videtur, habentem istiusmodi dimissorias restrictas ad Episcopum illum, qui quia impeditus, substituit sibi alium, ab hoc alio ordinari non posse. His quintum requisitum addit Pirh. *cit. num.* 66. nimirum, ut dimissoriæ contineant

quoque commendationem seu testimonium de natalibus, ætate, moribus, vita, & scientia ordinandi juxta Trid. *Sess.* 23. *c.* 8. Quod tamen testimonium sufficienter includi videtur attestatione illa Episcopi dimittentis inserta dimissoriis de examinato & adprobato dimisso. Licet de cetero post Bullam Innoc. XII. opus sit speciali testimonio de vita & moribus habito ab Episcopo Originis, dum dimittens esset Episcopus non Originis, sed domicilii vel beneficii. Adjiciendum quoque illud; quod ex decreto Trid. *Sess.* 21. *c.* 1. pro literis dimissoriis aut testimonialibus pro sigillo aut alia de causa nihil accipi debent ab Episcopo ejusque ministris. Notarius vero pro singulis dimissoriis seu testimonialibus decimam partem unius aurei accipere possit, nisi habeat sibi constitutum salarium, aut sit consuetudo nihil accipiendi. Barbos. *n.* 26. & 27. citans Suar. *de relig. l.* 4. *de Simon. c.* 35. *num.* 9. & *seq.* Less. *de Just. l.* 2. *c.* 35. *du.* 10. Ugol. *de Simon. tab.* 1. *c.* 41. *§.* 1. &c. An vero Notarius post confecta instrumenta & tradita partibus possit recipere, quod ab ordinatis sponte offertur, ait Barbos. *n.* 28. a Cenedo *ad decret. collectan.* 177. *num.* 1. resolvi affirmative, & remittit ad Sanch. *de mor. l.* 2. *d.* 35. *num.* 14.

2. Resp. ad secundum. Concessio dimissoriarum; cum sit jurisdictionis voluntariæ, possunt extra diœcesin in alieno territorio concedi. Barbos. *loc. c. num.* 29.

QUÆSTIO DLXXXIII.

Qualiter expediri debeant dimissoriæ concessæ regularibus a suis Superioribus regularibus.

RESP. præter ea, quæ supra dicta sunt, debere observari in iis ex Constit. Clem. VIII. sequentia. Primo ne vetustiores sint duobus tribusve mensibus computandis a die ordinationis suscipiendæ, nisi ob absentiam Superioris aliamve causam longiore tempore datas renovatasque accipi probarive debere censeatur. Barbos. *cit. alleg.* 7. *n.* 32. Secundo, ut una cum iis (nisi id ipsum insertum dimissoriis) regularis ordinandus afferat testimonium, quo Superior testetur, eum esse istiusmodi vitæ ac morum, ut dignus sit eo ordine, ad quem suscipiendum mittitur, quod ipsum testimonium non debet esse antiquius duobus mensibus; unde si diutius abfuerit a monasterio suo, testimonium hoc afferendum a Superiore monasterii, in quo proxime commoratus fuit. Item testimonium de Ordine, qui Ordinem suscipiendum proxime præcedit, jam suscepto. Item loco tituli testimonium de legitime ab eo emissa professione & exercitatione frequenti istius Ordinis, quem jam proxime susceperat. Et quod, si tempus præscriptum a Trid. quod interjectum esse debet inter susceptionem unius & alterius Ordinis, necdum completum sit, scriptum a suo Superiore illi afferendum, quo is testatur, utile ac necessarium Ecclesiæ suæ monasteriove esse, dispensari secum super eo interstitio. Ita Barbos. *n.* 32. ex Laurent. de Franchis *in controv. inter Episcopos & Regular. n.* 83.

QUÆSTIO DLXXXIV.

Quamdiu durent dimissoriæ seu quando exspirent.

1. RESP. dimissoriæ semel legitime concessæ, etiam re adhuc integra, non exspirant morte vel alio modo finita potestate concedentis, nisi expresse per successorem, antequam sortitæ sint effectum, ex causa justa revocentur. Pirh. *n.* 67. Barbos. *cit. alleg.* 7. *n.* 23. citatique ab eo plures alii. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancel. gl.* 12. *n.* 36. Fagund. *in præcep. Eccl. p.* 2. *l.* 7. *c.* 8. *num.* 16. Rebuff. *in pr. benef. in form. literar. dimissor. n.* 43. Sunt enim gratia & beneficium; gratia autem, non ad beneplacitum & voluntatem concedentis, quæ non durat post mortem concedentis (c. si gratiose de rescript. in 6.) Sed absolute concessa, non exspirat morte conceccedentis, etsi nondum ad ejus executionem sit processum *c. si super de off. deleg. in* 6. *cap. si cui de præb. in* 6. Sed neque per ipsum concedentem censentur revocatæ, dum is post eas concessas diceret subdito, ne ab alio ordinetur; quia ipse in proximis temporibus ordinationis vult ipsum ordinare; cum gratia concessa non censeatur revocata, nisi de hoc expresse constet; dicta autem verba potius ostendunt voluntatem conferendi ordines, quam revocandi dimissorias Tiber. *in instruct. ordinand. q.* 54. citatis Nav. *l.* 2. *de temp. ordin. cons.* 34. *alias* 29. Genuens. *in pr. c.* 59. *n.* 4. Unde jam etiam in specie dimissoriæ concessæ a Vicario Episcopi, eo amoto a Vicariatu non cessant. Engels *h. t. n.* 38. Item concessæ a Capitulo sede vacante non expirant cessante hac vacantia per ingressum novi Episcopi. Barbos. *LL. cit.* & apud illos Molin. *de Just. tr.* 5. *d.* 12. *n.* 4. Gonz. *l. c. a.* 37. Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 10. *n.* 179. &c. cum commun. gesta enim per Capitulum tenent, etiam finita ejus potestate *c. his quæ de major. & obed.* Pirh. *cit. n.* 67. Nisi tamen successor Episcopus eas revocet. Unde Guttier. *qq. can. l.* 2. *c.* 17. *n.* 12. apud Barbos. consulit ordinatoribus, ut si tempore præsentationis dictarum dimissoriarum sciverint, novum Episcopum possessionem Episcopatus accepisse, vel in Episcopatu adesse, illas non admittant, nisi revalidatæ vel noviter a successore concessæ productæ fuerint, vel ab ejus officiali speciale ad hoc mandatum habente. Quod tamen Consilium videtur supervacaneum, si dictæ dimissoriæ per ingressum novi Episcopi non exspirent, sed in robore suo permaneant. Illud verum videtur, quod *ibidem* ex Rebuff. *in pr. benef. tit. de form dimissor. n.* 44. & Campan. *rubr.* 6. *c.* 8. *n.* 36. tradit Barbos. posse a novo Antistite revocari per edictum omnes & quascunque dimissorias a prædecessoribus Episcopis & capitulo sede vacante concessas. Secus tamen est de concessis a Papa vel Nuncio Apostolico.

2. Jam vero aliud est quærere, an dum Episcopus aliquis concessit Episcopo titulari agenti in sua diœcesi suffraganei vices potestate ordinandi subditos suos; & hi jam examinati & approbati relati in matriculam, ante diem ordinationis moriatur iste Episcopus concedens dictam licentiam, ac ita jam incipiente sedem vacare, possint dicti subditi a dicto suffraganeo in vim istius licentiæ ordinari. Quem casum sibi a Cardinal de Lugo in examine propositum ait Barbos. *cit. n.* 35. Siquidem alia est licentia, quæ conceditur ei, qui ordines suscepturus est; de hac enim dictum, quod non exspiret morte concedentis; quia est gratia. Alia est licentia, vel potius delegatio facta Episcopo extraneo a Diœcesano ad conferendos in sua diœcesi ordines suis subditis, quam exspirare morte istius Episcopi concedentis, bene respondit Barbos. non tantum, ut Pirh. *l. c.* quia mandatum morte mandantis re adhuc integra, exspirat *l.* & & *quia ff. de jurisd. omn. Indic.* Sed etiam quia licentia illa respectu ordinandorum fuit imperfecta ex eo, non solum, quia non fuit expedita cum subscriptione Episcopi, sed etiam, quia tametsi fuisset expedita cum illa subscriptione, tamen illis post mortem Episcopi concedentis seu subscribentis suffragari non poterat; quia dirigebatur nominatim personæ, nempe isti suffraganeo suo prohibitæ sede vacante ibidem exercere pontificalia: quia & dirigebatur in locum, in quo prohibentur exerceri pontificalia sine licentia capituli sede vacante. An hæc dirigebantur ad suffraganeum suum, qua talem, seu qua vices suas gerentem in administrando loco sui pontificalia, quæ facultas ei mortuo concedente suffragari non poterat, ut colligi ait Barbos. *cit. n.* 35. ex quadam S. Cong. *declarat. in una Vilnensi* 22. *Febr.* 1632. in qua decisum, suffraganeum datum Episcopo Vilnensi cum facultate exercendi pontificalia in civitate Vilnensi de expresso consensu & licentia moderni & pro tempore existentis Episcopi non posse eadem pontificalia exercere, ut exercuit vivente Episcopo, post illius mortem, etiam capitulo non contradicente. Alias responsionis suæ rationes a se datas subjicit Barbos. *num.* 36. & *seqq.*

CAPUT QUARTUM.

De Circumstantiis faciendæ Ordinationis & Pœnis non legitime conferentium Ordines & male promotorum.

§. I.

De Loco & Tempore faciendæ Ordinationis.

QUÆSTIO DLXXXV.

An & qualiter Episcopus possit conferre Ordines constitutus extra suam Diæcesin.

1. RESp primo. Episcopus extra propriam diæcesin, seu in diæcesi aliena conferre nequit ordines tam minores quam majores, etiam propriis subditis sine expressa licentia Diæcesani seu Ordinarii illius Diæcesis. Pirh. *h. t. n.* 77. Castrop. *tr.* 27. *d. unic. p.* 15. *n.* 9. juxta quod disponit Trid. *sess.* 6. *c.* 5. generale enim est principium, ad licitam ordinationem ex parte loci requiri, ut in eum locum ordinans habeat jurisdictionem, vel ex se vel ex delegatione seu licentia proprii Prælati istius loci. Posse tamen etiam non obstante hoc loco Trident. ibi ordinare alios illuc accedentes instructos literis dimissoriis, ut a quocunque Episcopo ordinari valeant, colligitur ex Tridentino *sess.* 6. *c.* 11. ubi dicitur, quod tales possint ordinari ab Episcopo alieno in sua Diæcesi residente, vel ab alio pro eo ibidem pontificalia exercente, & ita tenent Pirh. *l. c.* citans Sanch. *opusc. tr.* 2. *cap.* 1. *du.* 20. *num.* 35. Barbos. *de potest. Ep. p.* 2. *alleg.* 4. *n.* 64. citatis Rodriq. *in sum. p.* 2. *c.* 14. *n.* 7. Mirand. *in man. Prælator Tom.* 2. *q.* 38. *a.* 3. *concl. unic.* Posse quoque habita illa licentia Diæcesani loci ordinare ibidem Episcopum alienum suos proprios subditos, declaratum esse a S. Congr. ait Tiber. *in instruct. ordin. q.* 55. Si enim ibi potest ordinare alienos subditos instructos dimissoriis, cur non etiam suos non egentes dimissoriis. Ac demum idem poterit de licentia Capituli sede vacante, ejusve Vicarii generalis.

2. De cetero extenditur responsio, in quantum negativa est; Primo, ut ne quidem Archiepiscopi aut Patriarchæ in diæcesibus suorum suffraganeorum absque eorum licentia conferre possint ordines. Pirh. *l. c.* cum Ugolin. sed neque Patriarcha aut Archiepiscopus in diæcesin sui suffraganei inducere potest sine ejus licentia Episcopum alienum ad exercenda ibidem pontificalia. Barbos. *alleg.* 6. *n.* 14. Secundo, ut nequidem extra propriam diæcesin absque illa licentia, etiam suis subditis conferre possit primam tonsuram. Pirh. *l. c.* Laym. *in c.* 2. *h. t. in* 6. *n.* 8. Campan. *rub.* 6. *c.* 1. *n.* 2. Sanch. *l. c. d.* 50. *&c.* Tiber. *l. c.* Barbos. *alleg.* 6. *n.* 15. citatis Garc. *de benef. p.* 1. *c.* 3. *n.* 142. Sanch. *opusc. tom.* 2. *l.* 7. *c.* 1. *du.* 5. *n.* 2. contra Rebuff. *in pr. p.* 1. *tit. de cleric. & a quibus n.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 48. *q.* 5. Barbat. *in c. novit. de off. leg. n.* 58. Henriq. *in sum. l.* 1. *c.* 49. *n.* 4. Bonac. *de sacram. d.* 3. *q. unic. p.* 2. *n.* 13. & alios apud Barbos. *l. c.* quorum fundamentum videtur, quod collatio primæ tonsuræ non videatur esse exercitium pontificalium, quod falsum ait Pirh. citato Nav. *l.* 5. *cons.* 12. *de cler. excom.* cum dicta collatio, spectato jure communi, & ex prima institutione sua solis Episcopis competat, etsi quandoque fiat sine insignibus pontificalibus; cum hæc sint accidentalia, ut patet in benedictionibus corporalium. Tertio, num extendenda quoque sit ista, ut ordines conferre aliaque pontificalia exercere nequeat in loco exempto intra diæcesin, etiam de licentia Prælati illius loci, dum is Episcopus non est, sed v. g. Abbas, Præpositus, sed insuper requiri licentiam ordinarii, intra cujus fines locus exemptus situs est, in hoc, inquam, non conveniunt AA. Negant aliqui cum Vasq. *d.* 243. *c.* 5. *n.* 5. apud Castrop. *l. c.* quibus favent verba Tridentini, dum licentiam ordinarii requirit, non utendo verbo *Episcopi*. Contrarium tenent Pirh. *l. c.* Castrop. *cit. n.* 9. & apud hunc Riccius *in pr. for. eccles. post resol.* 495. *in notab. de matrim. Episcopor.* Barbos. *cit. alleg.* 6. *n.* 13. ubi etiam in fine ex Galeto ait ita decisum attestante, verba illa Concilii: *ordinarii loci*: intelligenda de Episcopo, in cujus diæcesi situs est locus exemptus, & non de Prælato loci exempti. Secus tamen est, dum locus exemptus ad nullam spectat diæcesin; tunc enim sufficiet licentia & vocatio Prælati illius loci exempti. Pirh. Castrop. Barbos. *LL. cit.* citatique ab illis juxta declarat S. Cong. *ad Trid. sess.* 6. *c.* 5. apud Gallemart.

QUÆSTIO DLXXXVI.

An & qualiter conferri possint ordines in loco interdicto.

1. RESp. In loco interdicto ordines conferri nequeunt; tum quia interdictum prohibet usu omnium sacramentorum, exceptis specialiter a Jure concessis, in quo nullibi reperitur concessum, ut in loco interdicto conferri queant ordines: tum quia hoc sacramentum non est de necessariis ad salutem ita Barb. *alleg.* 11. *n.* 25. citans præter alios Henr. *in sum. l.* 13. *c.* 45. §. 4. Ugol. *de cens. l.* 5. *c.* 7. §. 2. Suar. *tr. eod.* 33. *s.* 1. *a n.* 44. Sayr. *tr. eod. l.* 5. *c.* 7. *n n.* 34. Bonac. *tr. eod. d.* 5. §. 3. *n.* 3.

2. Extenditur hoc ipsum ad ordines etiam minores & primam tonsuram, etiam respectu regularium. Barbos. *l. c.* ex Benzono *de Iust. pontificii interd. c.* 6. *vers. nec Episcopo*. Neque in hoc facienda est distinctio inter generale & speciale interdictum. Pirh. *cit. n.* 77. Barbos. *cit. n.* 25. Neque etiam excipienda est dies Sabbati Sancti, quasi, ut quidam, liceret tunc in loco interdicto conferre ordines; eo quod a Missa illius diei videatur inchoari festivitas paschalis, in festivitatibus autem non sint prohibita divina in loco interdicto juxta *c. alma mater. de sent. excom. in* 6. nam, cum *ibidem §. festivitatibus* conceditur tantum Sacrificium Missæ & officia divina, videtur eo ipso excludi usus Sacramentorum juxta *Reg. nonne de præsumpt.* & ita tenent Barbos. *l. c. n.* 27. citato Covar. *in dictum c.* §. 3. *n.* 4. & Paludan. Nihilominus ut ex Sayr. *l. c. a n.* 36. & Abb. & Alex. de Nævo observat Barbos. *n.* 26. Quod si generaliter interdictus sit populus, clericos etiam primæ tonsuræ sicut & laicos alterius populi in eodem vel alio loco ordines suscipere non prohibentur; sicut etiam interdicto generaliter loco laici & clerici ejus loci alibi ordines suscipere possunt; quia omnes isti eo interdicto non ligantur. Dum vere personæ personaliter & specialiter interdictæ sunt, certum est, eis, & ab eis ordines conferri non posse, sicut nec in loco interdicto specialiter. Quod si etiam immineret necessitas ordinandi ministros. V. g. Si tempore pestis non adsit copia ministrorum, qui administrent sacramenta ea, quæ tempore interdicti permittuntur, nec existat locus præter interdictum illum, in quo possint ordines conferri, conferuntur adhuc licite in isto loco interdicto (intellige etiam specialiter) Barb. *n.* 28. citans Rodriq. *qq. reg. Tom.* 2. *q.* 109. *a.* 1. Henriq. *l. c.* Sayr. *n.* 38. Avil. Abb. &c. contra Sylv. *v. interdictum* 5. *q.* 7. Ugol. *l. c.* qui tamen id intelligit, ubi est abundantia clericorum.

QUÆSTIO DLXXXVII.

In quo alicujus diæcesis loco possint & debeant conferri ordines.

1. RESp. primo. Prima tonsura & minores non sunt necessario conferendi in Ecclesia, sed possunt in domo episcopali vel alio quovis loco honesto conferri. Argum. *c. quando & ubi dist.* 75. Pirh. *l. c.* citans Campan. *Rub.* 6. *c.* 2. *n.* 17. Barbos. *alleg.* 11. *num.* 20. ubi tamen is de hoc nihil, sed solum quod tonsura & minores eodem die conferri possint.

2. Resp. secundo. Ordines majores conferendi sunt in Ecclesia Cathedrali præsentibus Canonicis; vel, si alio loco diæcesis fiat ordinatio, in loco ejus digniore, quantum fieri potest, præsente clero, Trid. *sess.* 23. *n.* 8. Pirh. *l. c.* quæ tamen sub culpa gravi non obligare; quia nullum est ibi verbum, quod præceptum indicet, ait Castr. *tr.* 27. *d. unic.* *p.* 13.

p. 13. *n* 9. unde etiam ait absolute Barbos. *cit. alleg.* 11. *n.* 24. locus, ubi ordinatio fieri debet, est Ecclesia, tametsi non sit Cathedralis, citat pro hoc Sylv. *v. ordo* 2. *n.* 8. Reginald. *in pr. fori poenit. l.* 10. *tr.* 1. *n.* 26. Licere tamen etiam Episcopo eos dare, ubi liber erit, juxta Gl. *fin. in c. ordinationes ib.* 2. *dist.* 75. etiam in domo, modo ea sit episcopalis, pro quo citat Henriq. *l.* 10. *c.* 11. §. 8. Ricc. *in pr. aurea resol.* 274. imo etiam de consuetudine in domo non episcopali, pro quo citat Sanch. *opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *du.* 50. *num.* 5. Campan. *rub.* 6. *c.* 2. *num.* 17.

QUÆSTIO DLXXXVIII.

An & qualiter ordines conferendi sub sacrificio Missæ.

1. RESP. primo. Necesse non est, ut prima tonsura & minores conferantur sub Missa, aut etiam a jejuno. Barbos. *alleg.* 11. *num.* 14. (ubi tamen ait, decere id ipsum) Armill. *v. ordo n.* 9. Angel. *v. ordo* 4. *n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 78. Conferri tamen debent tempore matutino, nisi consuetudo haberet aliud. Pirh. *l. c.*

2. Resp. secundo. Ordines majores tamen non nisi in Missa conferuntur, non quidem, ut ait Barbos. *alleg. n.* 15. cum Campan. *rub.* 6. *c.* 2. *n.* 19. de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti, & sic quoque ait Barbos. *alleg.* 14. *n.* 16. ut ordines Sacri conferantur sub Missa esse de honestate & usu ut Sanch. *opusc. l.* 7. *c.* 1. *du.* 4.

QUÆSTIO DLXXXIX.

Quo tempore conferendi ordines.

1. RESP. primo. Prima tonsura quolibet die & hora conferri potest, cum pro ejus collatione tempus nullum certum in jure statutum sit, ut patet ex Pontifical. Rom. Pirh. *n.* 78. Barbos. *l. c. n.* 23. & consuetudine generali firmatur, Fagn. *in c.* 3. *h. t. n.* 2.

2. Resp. secundo. Ordines minores conferri possunt quolibet die dominico *c.* 1. *h.* 1. ubi conceditur potestas, diebus Dominicis Virgines Deo sacratas consecrandi, & ordines minores conferendi. Quin & quolibet die festo Pirh. *l. c.* Engels *h. t. n.* 14. juxta *c.* 3. *h. t.* ubi Papa concedit Episcopis illis diebus unum aut plures ad ordines minores promovere. Ad quem locum tametsi Gl. communiter recepta *v. aut duos* dicat, quod etiam pluribus quam duobus liceat ordines minores conferre istis diebus, dummodo non fiant tam multi, ut videatur esse generalis ordinatio. Contrarium tamen tenet Hostiensis *in cit. c. v. eodem* eo quod interrogatus in eo *cap.* Papa de aliquibus, responderit de uno aut duobus; adeoque inhærendum verbis edicti; quia nulla est necessitas extendendi illud ad plures; cum plures dies festi & dominici per annum recurrant. Qua in re etsi de rigore Juris probabiliorem adeoque sequendam sententiam Hostiens. dicat Pirh. standum tamen consuetudini, ait idem cum Fagn. *l. c. n.* 7. Extenditur hoc ipsum quoque ab Hostiens. *in c. cum contingat de aetat. & qualit. §. sed quo tempore.* Ad Abbates similesque Prælatos, qui habent potestatem conferendi minores, ut hos suis regularibus dictis diebus conferre possint. Qua in re spectandam quoque consuetudinem, ait Pirh. *cit. c.* 3. neque alibi in jure quicquam hac de re sit expressum in jure. Porro per diem festum illum, quem Clerus officio duplici vel semiduplici celebrat, hic intelligit Villalob. *tr. de sacram. ord. diff.* 13. *n.* 6. Alii vero, ut Castrop. *tr.* 27. *disp. unic. p.* 13. *num.* 2. & apud illum Azor. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 27. *q.* 19. Vivald. *in Candelab. aur. p.* 1. *de sacram. n.* 35. nonnisi illum, quem Clerus & populus sub præcepto celebrat, sive qui est festus in choro & foro; eo quod communi acceptione dies festus dies feriatus appelletur. Opus tamen non est, ut dies festus universalis sit, sed sufficit, si in ea diœcesi ut talis habeatur; quia absoluta est dies festius. Castrop. *l. c.* Possunt tamen etiam ordines minores, non tantum diebus sabbati 4. temporum & sabbato ante Dominicam Passionis sicut majores conferri; sed etiam ex consuetudine feria sexta præcedente dictos dies sabbati sub vesperam; Quia illa censetur inchoatio generalis ordinationis in sabbato peragendæ, & conveniens dispositio, ut majore cum solennitate ordines majores Sabbato celebrentur. Castrop. *loc. cit.* & apud hunc Henriq. *l.* 10. *c.* 12. §. 2. Laym. *tr.* 9. *de ordin. c.* 8. 1. Qui etiam testantur, ex communi consuetudine posse Episcopum conferre illos feria 4. quatuor temporum.

3. Resp. tertio. Ordines Sacri seu majores a nullo Episcopo, excepto summo Pontifice (qui propter plenitudinem potestatis quovis loco & tempore quosvis ordines conferre potest; cum tempus non spectet ad substantiam ordinis) conferri possunt extra dies sabbatinos 4. temporum & præcedentes Dominicam Passionis & resurrectionis Domini *c. ex eo h. t.* Adeoque id fieri nequit in Vigilia Pentecostes *c.* 1. *h. t. c. fin. dist.* 75. Trid. *sess.* 23. *c.* 5. Sed neque, ut Sacri ordines extra dictos dies conferantur *c. sane h. t.* ubi Papa Alex. III. consuetudinem, qua in aliquibus Scotiæ & Valliæ Ecclesiis conferebantur ordines Sacri in dedicationibus Ecclesiæ vel altarium penitus esse improbandam ait, utpote quæ constitutioni ecclesiasticæ repugnet. Unde etiam colligi ait Pirh. *n.* 80. citans Laym. *in c.* 2. *h. t. n.* 1. & 2. consuetudinem peculiarem introductam contra universalis Ecclesiæ Canones & institutionem improbari debere, &, si fieri potest, abrogari; quamvis, dum toleratur, seu non damnatur, a pœna & culpa excusentur, qui illi se conformant; cum talis consuetudo juri naturali non repugnet, neque Ecclesiæ damnosa sit. Ratio vero, cur potius his diebus, quam quolibet alio die festo ab Ecclesia instituta ordinatio, hæc communiter reddi solet, quod solennibus illis jejuniis, quæ illis temporibus instituta sunt, adjuvantibus etiam fidelium precibus major a Deo gratia ordinandis impetretur, & exemplum Apostolorum, qui cum Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad prædicandum gentibus mitterent, prius jejunantes & orantes imposuerunt eis manus *c. quo die dist.* 75. Engels *h. t. n.* 14.

4. His tamen non obstantibus, permittitur Episcopo, ut ordinationes Sabbato faciendas transferat in sequentem Dominicam, dum adest causa rationabilis; qualis esset, si ob infirmitatem vel multitudinem ordinandorum Sabbato non poterat ordines peragere. Ita tamen, ut tam ordinans quam ordinandus jejunium præcedentis Sabbati debeat continuare; cum ob hanc jejunii continuationem ordinationes habitæ die Dominico retrotrahantur ad Sabbatum & quasi factæ in Sabbato reputentur. Castrop. *l. c. n.* 3. citans Gl. *in c. quod a Patribus dist.* 75. Suar. *de cens. d.* 31. *s.* 1. *num.* 41. Laym. *tr.* 9. *de ord. c.* 8. *n.* 5. Engels *h.* 1. *n.* 14. Sed & Papa concedere potest privilegium, ut extra tempora a jure statuta quis ordinari valeat; cum prohibitio, ne quis extra illa ordinetur, sit mere juris humani. Tale privilegium habet Societas JESU concessum a Gregor. XIII. Anno 1582. 22. Sept. in Bulla, *Pium & utile* non tamen communicabile cum aliis religiosis, etsi alias participantibus Societatis privilegia. Sed neque in virtute aliorum privilegiorum a summis Pontificibus ante Concilium Trid. concessorum posse hodiedum ordinari alios religiosos extra tempora a jure constituta, ait Pirh. *n.* 80. resolvi a Mirand. *in man. prælator. Tom.* 1. *q.* 38. *a.* 4. eo quod Trid. postquam *sess.* 23. *c.* 8. jussisset Ordines conferri statutis temporibus. Dein *sess.* 25. *c.* 2. generaliter revocet omnia & singula regularium privilegia sub quibuscunque verborum formulis concepta & desuper concessa. Porro vi talis privilegii, ut quis extra tempora a jure statuta, tribusque Dominicis vel aliis festis iisque continuis ad sacros Ordines promoveri possit, per festos dies intelligi quoque quælibet festa duplicia, etsi festa fori seu in foro non sint, tenent apud Pirh. *n.* 81. Rodriq. *Tom.* 3. *qq. regular. q.* 23. *a.* 5. Fagund. *in præcept. Ecclesiæ l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. & plures alii citati a Barbos. *alleg.* 11. *n.* 22. eo quod in jure dies festi appellentur etiam ii, in quibus fit officium duplex, etsi a laboribus feriati non sint. Argum. *Clem. unic. de relig. & venerat SS.* ac ita in multis locis in praxi servatur, pro ut de hac praxi testatur Fagund. & hanc sententiam in praxi tutam dicit Dian. *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 97. Ordines quoque minores vi talis privilegii conferri posse in diebus seu festis semiduplicibus, ait idem ex declaratione quadam Clem. VIII. apud Rodriq. *l. c.* Contrarium, nimirum per festum etiam in tali privilegio intelligi solum festum de præcepto; eo quod nomen festi accipi debeat secundum vulgarem acceptionem & communem loquendi modum, quo festus Dies accipitur pro die, quem Clerus & populus pro feriato habet abstinendo ex præcepto a labore civili, hoc, inquam, tenent apud eundem Pirh. Azor. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 27. *q. ult.* Barbos. *alleg.* 11. *n.* 18. qui tamen posterior *ibid.* nihil de hoc. Et quibus favet, quod Card. de Lugo *l.* 51. *respons. mor. du.* 43. monet, contrariam sententiam esse prohibitam in decreto Urbani VIII.

QUÆ-

QUÆSTIO DXC.

An qui Ordines uno eodemque die conferri possint.

1. RESP. Primo. Ordines minores omnes, sicut olim & jure antiquo. Argumen. *c. 2. de eo, qui furtive ordin. suscepit.* juncta Glos. ita & modo una die conferre possunt, Castrop. *cit. p. 13. num. 5.* Barbosa *alleg. 11. num. 17.* Sanchez *opusc. mor. l. 7. c. 5. du. 53. n. 12.* Guttier. *qq. Can. l. 5. c. 26. n. 31. & 32.* & alii passim. Cum quo ad minores Ordines nulla certa sint definita interstitia; sed id totum relinquatur arbitrio Episcopi, qui ut Vulpe *in pr. judic. c. 7. n. 7.* ex levi causa poterit in hoc dispensare, quamvis in hoc nulla videatur opus dispensatione; cum ita hodiedum passim habeat recepta Ecclesiarum consuetudo; quidquid dicat Barbosa *nu. 18.* ex Azorio Mirand. & aliis ob verba Trid. *sess. 23. n. 12.* Laudabilius esse ab hoc abstinere, nisi sit necessitas vel alia urgens & bene visa Episcopo causa.

2. Resp. secundo. Licitum quoque est una cum prima tonsura conferre minores eodem die, ubi ea est consuetudo; uti est in Germania. Pirh. *num. 83.* Barbosa *n. 19.* Sylv. *v. ordo 2. nu. 7.* Castrop. *cit. n. 5.* Rebuff. *super Reg. 13. Cancell. vers. item cupiens.* Quin & non stante hac consuetudine, si quis uno die omnes minores cum prima tonsura receperit, nullam incurrere irregularitatem, asserunt, apud Barbosa *n. 20.* Bonac. *de cens. d. 7. q. 3. p. 5. n. 35.* Sayr. *eod. tr. l. 7. c. 10. n. 21.* Valent. *tom. 4. d. 7. qu. 19. p. 3. &c.*

3. Resp. tertio. Licitum quoque esse cum minoribus eodem die Sabbati justa de causa v. gr. necessitate vel utilitate Ecclesiæ, etiam seclusa consuetudine, conferre Subdiaconatum absolute tenent Castrop. *cit. n. 5.* citatique ab eo & a Barbosa Vasquez *d. 246. de ord. c. 5. a n. 47.* Layman *l. 5. sum. tr. 9. n. 4.* Dian. *tom. 1. tr. 16. resol. 28.* Henriq. *l. 10. c. 11. nu. 4.* Sa *v. ordo n. 17.* Pirh. &c. Licere id Episcopis ex causa justissima, & ubi sic habet consuetudo, tenent Barbosa citatis Guttier. *qq. can. l. 5. c. 16. nu. 34.* Suar. *de cens. d. 31. sec. 1. nu. 42.* Sanch. *opusc. l. 7. c. 2. du. 1. c. 53. nu. 7.* Mirand. &c. Et talem consuetudinem non esse contrariam Trid. utpote quod loquitur tantum de duobus Ordinibus sacris testatur Engels *b. 1. n. 19.* Non licere id, & nequidem suffragari consuetudinem, eo quod hanc sublatam dicant a Trid. *sess. 23. c. 11.* tenent apud Barbos. Sylv. *v. ordo 2. qu. 7.* Majol. *de irregul. l. 4. c. 11. n. 2.* Tolet. *l. 5. c. 71. nu. 1.* Menoch. *de arb. centur. 6. cas. 564. nu. 8.* Verum nullum esse in jure textum, qui prohibeat dari Ordinem sacrum cum minoribus, bene astruit Castrop. testans se sæpe vidisse sic fieri in Hispania.

4. Resp. quarto. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, nemini duo sacri Ordines conferri possunt eodem Die. *c. literas, c. dilectus b. tit.* Trid. *sess. 23. c. 13.* Castrop. *loc. cit. n. 8.* com communi. Extendendum hoc ipsum ita, ut si Episcopus id fecerit ex mandato sui Metropolitani, adhuc non excusaretur a pœna & culpa. Pirh. *n. 86.* prout habetur, *c. dilectus b. tit.* Proinde jam nullus Episcopus absque speciali & particulari privilegio & indulto de novo concesso conferre potest alicui, etiam regulari duos Ordines sacros eodem die, quantumcunque ordinandus rationabilem, nimis urgentem & legitimam causam prætendat & habeat necessitatem. Barbos. *alleg. 18. num. 1.* ubi etiam advertit, citatis pro hoc Suar. *tom. 5. d. 31. sec. 1. n. 40.* Sayr. *de cens. l. 7. c. 10. num. 22. &c.* Eandem diem dici non tantum illam, quando eadem die Sabbati v. gr. duo Ordines sacri conferuntur, sed etiam secundum fictionem canonicam, dum quis die Sabbati recepit Subdiaconatum, & mane Dominicæ insequentis accipit Diaconatum; eo quod præsumatur una eademque dies, si continuato jejunio id fiat. Sic quoque ait Engels *cit. num. 14.* Vesperam Sabbati & matutinum Dominicæ, extenso dicto jejunio reputari in statu ecclesiastico pro una die. Argum. *c. literas* 1. *& ibi* Glos. Idem tenet Pirh. *n. 85.*

5. Resp. quinto. Potest nihilominus ordinatus in Sabbato Presbyter insequente die Dominico ordinari Episcopus sive continuato sive non continuato jejunio; tum quia id nullibi prohibitum, & absque eo Episcopatus die Dominico (vel Apostolorum natalitio, vel de speciali Papæ indulto alio festo, ut Tiber. *q. 58. n. 1.*) conferri potest. Et per Canones requiruntur solum interstitia inter ordines sacros eos, qui in generalibus & ordinariis ordinationibus conferri solent. Pirh *n. 85.* Laym. *l. 5. tr. 9. c. 8. num. 6.* Quin & qui die Dominico ordinatus est Presbyter, potest eodem die Dominico consecrari Episcopus; quia nec id prohibitum, dum adest causa justa. Pirhing. Layman *leg. cit.* Suar. *de cens. d. 31. sec. 1. num. 40.*

QUÆSTIO DXCI.

Quænam de cetero servanda interstitia in susceptione Ordinum.

1. RESP. Primo, in genere, interstitia, hoc est, intervalla temporum, servanda sunt in Ordinum susceptione, ut nimirum ordinandi commodius edoceri possint, quantum sit Ordinis, quem susceperunt, pondus & dignitas, & cum ætate meritum vitæ & doctrina major accrescere poterit, prout loquitur Trid. *sess. 23. c. 11.*

2. Resp. secundo. Inter susceptionem minorum & ascensum ad Subdiaconatum intercedere debet annus, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat, vel etiam adsit in contrarium consuetudo una cum justa causa juxta dicta *quæst. præced.* Proinde, etsi in hoc interstitio annali (idem est de interstitiis inter Subdiaconatum & Diaconatum, & inter hunc & Presbyterium) dispensare possit Episcopus, non tamen id potest ad suum libitum & arbitrium non regulatum aliqua justa causa, qualis assignatur Trid. *l. c. & c. 13. & 14.* necessitas aut utilitas Ecclesiæ. Barbos. *alleg. 18. num. 4.* Porro tunc adesse censetur necessitas (intellige, etiam respectu interstitiorum inter Ordines Sacros) si deficerent idonei ministri, etiam particularis alicujus ecclesiæ, cui adscribendus vel deserviturus est ordinatus, qui ejusdem onera non tantum in celebratione Missarum, sed etiam in ministeriis aliis obeant. Barbosa *l. c.* Castrop. *n. 5.* Item, ut idem, dum ordinandus haberet beneficium vel capellam, cui debeat inservire: cum obsequium per aliam personam supplentem exhibitum non sit æque idoneum ac decens. Idem est, dum Ordinatus arctatur ratione beneficii requirentis certum Ordinem recepti vel recipiendi. Barbosa *alleg. 18. n. 5.* Neque enim requiri necessitatem vel utilitatem extraordinariam aut publicam; cum Trid. negotium illud relinquat arbitrio & prudentiæ Episcopi, ait *ibidem.* Barbosa citatis Rodriquez *qq. Regul. tom. 3. qu. 24. art. 6. & 7.* Menoch. *de arb. cas. 427. nu. 30.* Mirand. &c. Ac ita præter causas designatas a Trid. adesse alias, v. gr. favorem studii in aliqua universitate, ut Menochio *l. c. n. 31.* Item ætas ordinandi provecta juncta cum ejusdem integritate. Barbosa *ibidem.* Sic quoque eminentem doctrinam, vel morum probitatem & alia ordinandi merita esse causam sufficientem; cum spectet ad ipsam Ecclesiæ utilitatem & necessitatem, ut eorum ratio habeatur. Tiber. *q. 58.* Pirhing *n. 91.* Utilitas vero Ecclesiæ censetur, dum per eam ordinationem præsumitur obsequium Ecclesiæ aptius præstandum. Castrop. *l. cit.* Annus autem hic non spectatur mathematice pro 365. diebus aut 12. mensibus completis, sed moraliter & more ecclesiastico, hoc est, ab uno jejunio 4. temporum hujus anni ad jejunium eorundem 4. temporum sequentis anni, ab una quadragesima ad aliam, ab uno Pentecoste ad Pentecosten sequentis anni. Qui proinde annus aliquando brevior aliquando longior est. Castrop. *cit. num. 5.* Barbos. *nu. 2.* Bonacina *de Sacram. d. 8. q. unic. p. 5. num. 51.* & plures alii referentes sic decisum a S. Congreg.

3. Resp. Similiter a Subdiaconatu ad Diaconatum nemini inquit Trid. *sess. 23. cap. 13.* permittitur ascendere, nisi per annum saltem in Subdiaconatu versatus fuerit, nisi aliud Episcopo videatur. Circa quod aliud notandum non est, quam quod ad relaxandum hoc annale interstitium non jam præcise requiratur necessitas aut utilitas Ecclesiæ, sed quælibet rationabilis causa arbitrio Episcopi sit sufficiens, ut Castropal. *n. 6.* citato Villalob. *diff. 12. n. 3.* Rodriq. *qq Regul. tom. 3. qu. 24. art. 24.* Unde patet ad dispensandum in interstitio inter ordines minores & Subdiaconatum majorem requiri causam, quam ad dispensandum in interstitio inter Subdiaconatum & Diaconatum. Cujus rationem vel potius congruentiam hanc ex Mirand. dat Pirhing *nu. 91.* quod in ascensu a minoribus ad Subdiaconatum mutetur status, qui jam mutatus supponitur in ascensu a Subdiaconatu ad Diaconatum.

4. Resp. quarto. A Diaconatu ad Presbyterium non datur ascensus nisi post annum ministrationis in Diaconatu nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo visum fuerit. Trid. *sess. 23. c. 14.* Unde adhuc major causa, nimirum jam non necessitas vel utilitas disjunctive, prout sufficiebat ad dispensandum in interstitio inter minores & Subdiaconatum, sed utilitas & necessitas copulative, ita ut non sufficiat sola utilitas, requiritur ad relaxandum hoc interstitium. Pirh. *cit. n. 92.* Castrop. *l. c. n. 7.* quamvis Tiber. *q. 58.* valde probabile existimet, particulam illam ac sumendam esse disjunctive, eo quod, cum in aliis dispensationibus, etiam majoris momenti sæpe sufficiat Ecclesiæ utilitas, non appa-

appareat, cur hic non sufficiat. Aut certe verbum *necessitas* late sumendum, pro ut importat magnam utilitatem. Ac ita videri velle Vasquez *p. 3. d. 246. n. 30.* & Filiuc. *tr. 9. num. 3. vers. 5.*

QUÆSTIO DXCII.

Quis dispensare possit in his annalibus interstitiis.

1. RESp. Primo. Id posse Episcopum proprium cum suis subditis, sive ab ipsomet ordinentur, sive cum ejus licentia ab alieno. Nequaquam tamen in eis dispensare potest Episcopus ordinans respectu subditorum non suorum, nisi id ei ab Episcopo proprio ordinandi fuerit concessum seu delegatum, ut patet ex Trid. *sess. 23. c. 11. 13. 16.* Ubi hoc in puncto, non de Episcopo ordinante, sed de Episcopo ordinati loquitur. Ratio hujus est, quod Episcopus proprius ordinandi præsumatur melius novisse necessitatem & utilitatem Ecclesiæ, in qua ordinandus residere debet. Pirhing *l. c. nu. 89.* cum Mirand. *in man. prælat. tom. 1. quæst. 38. art. 7. concl. 2.* Unde etiam ordinandus ab Episcopo alieno cupiens secum dispensari in his interstitiis curare debet hanc facultatem dispensandi a suo pruprio Episcopo concessam Episcopo ordinaturo inseri dimissoriis, bene monet Pirhing *loc. cit.* Alioquin in ecclesiis, in quibus diligenter observatur Trident. rejicitur ab Ordinibus, si statuta interstitiorum tempora necdum elapsa. Porro Episcopus proprius ordinans intra annum, quem nondum elapsum scit, censetur cum illo tacite dispensare super his interstitiis. Barbos. *alleg. 18. nu. 7.* Pirhing *nu. 91.* Extenditur responsio ita, ut Episcopus etiam cum regularibus, tametsi exempti sint, dispensare in hoc possit. De quo paulo post.

2. Resp. secundo. Idem posse Capitulum sede vacante. Pirhing *n. 89.* Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 32. nu. 138.* citans Piasec. *pr. Episc. p. 1. c. 1. n. 50.* Marta *de jurisd. p. 2. c. 9. num. 14.* Suarez *tom. 4. d. 28. l. 5.* Sanchez *de matr. l. 3. d. 29. nu. 14.* eo quod Capitulum succedat in omnibus, quæ ad jurisdictionem ordinariam Episcupi spectant; ad hanc autem spectat dicta putestas dispensandi, si non jure communi generali, saltem tum communi speciali ex Concilii dispositione. Verum tamen id potest Capitulum in iis solum casibus, in quibus Ordines suscipiendi licentiam & dimissorias dare potest subditis suis, nempe post annum prius vacantiæ, & cum arctatis etiam intra illum annum, & hoc eo modo, quo poterat Episcopus, ex causis nimirum a Tridentino expressis. Zypæus, *de jure Pontif. l. 3. tit. 9. nu. 2.* Solorzan. *de jure Indiar. tom. 2. l. 3. c. 13. nu. 14.* apud Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 5.* eo quod cui prohibita est datio licentiæ ad Ordines suscipiendos, prohibita quoque sit concessio eorum, quæ ad Ordines præparant. Vicarium vero Capitularem in dictis interstitiis dispensare non posse sine habito ad hoc speciali mandato a Capitulo, eo quod in generali mandato non veniat potestas dispensandi, volunt aliqui, ut Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 1. nu. 40.* citans pro hoc Aldan. *in compend. resol. can tit. 3. n. 6.* (qui etiam testatur sic resolutum a S. Congreg. 17. *Maii* 1600.) Vulpe *in pr. judic. cap. 44. nu. 27.* Barbos. *sum. Apostolic. decision. v. Capitulum Sede Vac. nu 14.* Verum de hoc in Vicar. Episcopal. ubi qualiter jurisdictio Capituli in ejus Vicarium transfundatur. Dispensare quoque in interstitiis posse Vicarium generalem Episcopi, dum potest dare dimissorias, habet Tiber. *quæst. 58.*

3. Resp. tertio. Prælati quoque regulares iis, qui subditis suis Ordines minores dare possunt, dispensare etiam possunt quo ad eosdem Ordines in interstitiis. Barbos. *alleg. 18. n. 12.* citans Campan. *rub. 12. num. 22.* Mirand. *in man. Prælator. Tom. 1. quæst. 38. a. 7. concl. 3.* &c. Pirh. *num. 90.* Idque etiam, dum regulares suos dimittunt ad alios pro illis Ordinibus suscipiendis; cum regulariter ad eum spectet dispensatin in interstitiis, ad quem spectat ordinatio. Pirh. *l. c.* cum Tib. *in instruct. ordinandor. cap. 8. §. 8.* Quin etiam valde probabile est, Prælatos regulares exemptos habentes jurisdictinnem quasi Episcopalem, ita ut dimissorias dare possint, dispensare quoque posse cum suis regularibus in interstitiis quoque majorum Ordinum. Pirh. *l. c.* remittens ad Suar. *tom. 4. de relig. l. 2. c. 12. n. 21. & seq.* Sanch. *opusc. mor. l. 7. c. 54.* De cetero hæc potestas dispensandi non spectat ad Superiores regularium, etiam exemptorum, sed ad Episcopum; cum Trid. *LL. cit.* omnem dispensationem in interstitiis reservet Episcopis, & religiosi exempti cum Prælatorum licentia subjicere se possint quo ad gratias dispensationum vel absolutionum recipiendas, ut Laym. *l. 1. tr. 4. c. 23. n. 3.* Debent tamen Episcopo quo ad causam dispensationis formare judicium ex attestatione Superiorum regularium. Pirhing *nu. 90.* Piasec. *p. 1. c. 1. art. 8. n. 5.* Barbos. *n. 10.* citato Laur. de Franchis *in controv. inter Ep. & regular. cap. 75. in fine*, qui id a S. Congreg. decisum referat. Quin etiam, si Superiures regulares attestentur subesse causam dispensandi in interstitiis, & dispensationem ab Episcopo petant, debet is absque alia inquisitione eam concedere Tiber. *l. c.* & ex eo Pirh. *n. 90.*

QUÆSTIO DXCIII.

An & qui regulares habeant privilegium, ut ordinari possint non servatis interstitiis, imo tribus diebus festivis, ubi hi sic occurrerent, consequenter.

1. RESp. Primo. Habent id religiosi Societatis Jesu vi Bullæ Gregorii XIII. quæ incipit: *Pium & Utile*: cujus meminit Barbosa *pars. 2. alleg. 18. num. 11.* & alii AA. passim, in qua dictus Pontifex intendens, ne Episcopi ob decreta Tridentini a nostris observationem interstitiorum & aliurum, quæ pro suscipiendis Ordinibus requiruntur, exigerent, sic inquit: *Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes, omnibus Episcopis & aliis Antistitibus præsentibus & futuris in perpetuum præcipimus ac interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam a Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente vel ab eo delegatis habuerint, quicquam prædictorum requirant vel exigant: sed ipsos, etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis & cæremoniis Ecclesiasticis & idoneitate, proprii ordinarii licentia & aliis in aliis requisitis ad minores, aut etiam extra tempora a jure statuta tribusque Dominicis vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis præditi essent. Nos enim illis Ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Præsentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum Societate copiose participant, participareque poterant, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus &c.*

2. Resp. secundo circa hoc privilegium notanda sunt sequentia. Primo, obligatum esse quemlibet Episcopum requisitum pro Ordinibus conferendis huic dispositioni acquiescere, neminemque illorum, cui hoc privilegium juncto alio concesso a Paulo V. quo illud confirmatur, quodque paulo post subjungemus, manifestatur, posse absque gravi culpa nostros a collatione Ordinum ob non servata interstitia repellere, pro ut satis colligitur ex illis verbis; *præcipimus ac interdicimus:* Castropalao *l. cit. num. 11.* Secundo declarationem S. Congregat. decernentis in Ordine regularium dispensationem super interstitiis pertinere ad Episcopum ordinantem cujus meminit Barb. *in remission. ad Conc. Sess. 23. c. 11.* Mirand. *Direct. Prælat. to. 1. q. 38. a. 7.* Farin. *to. 4. dec. 184.* Bonac. *du. 8. de Sacram. q. unic. p. 5.* & plures alii apud Castrop. *loc. cit.* & vi cujus revocata esse privilegia concessa regularibus pro dispensatione interstitinrum, volunt iidem AA. Hanc inquam declarationem non obstare dicto Societatis privilegio; eo quod præterquam loquatur generaliter de omnibus regularibus, præcessit nuvem annis dictam Gregorii XIII. constitutionem teste Paracellso *Compend. privileg. mendicant. fol. 225.* & Mirand. *l. c. n. 7.* apud Castrop. *l. c.* adeoque eam limitare non potuit. Ad hæc dicta declaratio nititur dispositioni Trid. qua non obstante Gregorius dictum privilegium concessit Societati. Neque etiam eidem privilegio obstare Motum Sixti V. præterquam enim, quod is vim non habeat amplius utpote revocatus per Gregor. XIV. & Clem. VIII. reductus ad terminos juris communis, teste Suar. *l. c. n. 42.* & Zerol. *in pr. p. 1. v. ordo du. 8.* apud Castrop. processit dictus Motus contra eos, qui nimia simplicitate & imperitia, malitia aut fraude, sive alias minus recte vel etiam temere se ingerunt ad ordinandum extra tempora, aut non servatis interstitiis; non vero contra eos, qui ex privilegio Sedis Apostolicæ sic ordinantur. Rodriq. *tom. 3. regul. qq. q. 23. n. 5.* Sed quidquid sit de hoc, omne dubium sufficienter tollitur per hoc, quod Paulus V. *Anno* 1606. 4. *Sept.* omnia privilegia & gratias concessas Societati a prædecessoribus suis, ac nominatim a Gregor. XIII. Motu proprio & ex certa scientia approbavit & confirmavit, cujus verba leges apud Castrop. *l. c. n. 12.* Tertio, quod tametsi probibitum in dicta Const. Greg. XIII. ne alii religiosi communicarent in isto privilegio, adeoque eos illo uti & ordinari non servatis interstitiis & statutis temporibus non

posse

posse via communicationis; id tamen non impedit, quo minus communicationem illam iis concedere potuerint subsequentes Pontifices, uti reipsa factum probat Rodriquez *to. 1. regu. qq. qu. 55 art. 17,* per Gregor. XIV. quinimo quo minus idipsum iis directe concedere potuerint Pontifices subsequentes, uti reipsa concessum idem esse a Clem. VIII. Anno 1596. 23. Novemb Congregationi S. Joannis Evang. in Portugallia refert Barbos. *alleg. 18. n. 11,* teste Portel. *in dub. regul. v. Ordines S. n. 4.* Unde jam esto, per Trid. revocata sint privilegia, quo ad hoc punctum data regularibus ab Alexandr. IV. & Eugen. IV. de quibus vide Castrop. *nu. 13.* ut volunt AA. gravissimi citati supra, uti & a Castrop. *l. c.* (tametsi in contrarium tanquam probabile ibidem fuse & plausibiliter defendat) eadem tamen per Clem. VIII. speciali concessione innovata censebuntur, ut Rodriq. *tom. 3. qq. reg. qu. 25. art. 5. in fine.* Villalob *tr. 11. de Ordin. diff. 12. in fine* quod ipsum approbat Barbos. *in remiss. Concil. Sess. 23. c. 8.*

§. 2.

De Pœnis promoventium illegitime ad Ordines.

QUÆSTIO DXCIV.

Quæ sit pœna Episcopi ordinantis aliquem ante legitimam ætatem.

1. RESP. Primo. Est suspendendus a collatione Ordinum, *cap. vel non est. hoc tit.* ubi Papa Honor. III. mandat Episcopo & Archidiacono Legionensi, ut Episcopum Conventrensem, si verum, quod ordinaverit puerum 13. annorum Diaconum, a collatione Ordinum suspendat. Unde patet, talem Episcopum, non ipso jure suspensum esse, sed per sententiam suspendendum. Barbos. *de potest Episc. alleg. 26. n. 8.* Majol. *de irregul. l. 3. c. 30. nu. 9.* Tabien. *vers. Ordo 3.* Pirhing *h. t. n. 93.* Et quidem a collatione omnium Ordinum, tametsi, non nisi in collatione unius peccarit; tum quia textus loquitur generaliter & indistincte de suspensione a collatione Ordinum; suspensus autem ab Ordine simpliciter, ut Pirh. *l. c. nu. 93.* ex Sylv. *v. suspensio n. 5.* est suspensus a quolibet Ordine; tum etiam ob excessus gravitatem. Fagnan. *ad cit. c. vel non est nu. 6.* Hostiens. *ibidem v. suspendentes.* Econtra suspensus a collatione certi Ordinis v. gr. Diaconatus, non est suspensus a collatione Ordinis inferioris, nempe Subdiaconatus; est tamen suspensus a collatione Ordinis Superioris, nempe Presbyteratus; cum, cui interdicitur, quod minus est, etiam, quod majus est interdictum censetur. Hostiens. *l. c. §. nunquid ergo.* Abbas *ibid. n. 5.* Si tamen Episcopus ministret in Ordinibus, a quorum collatione est suspensus, v. gr. in Presbyteratu, dicendo Missam, non fit irregularis. Barbos. Pirh. *leg. cit.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de cler. male promot. gl. 2. nu. 7.* quia, qui est suspensus a Ministerio Ordinis certi, non est suspensus a Ministerio Ordinis inferioris: ergo Episcopus suspensus a collatione Ordinum, quæ collatio est Ministerium seu exercitium Ordinis Episcopalis, non est suspensus ab exercitio Presbyteratus Fagn. *in cit. c. vel non est n. 45.* Econtra fit irregularis conferendo Ordines, seu exercendo Ordinem, a cujus usu est suspensus. Barbos. *loc. cit. nu. 9.* Idque etiam conferendo Ordines minores, et quod licet probabile sit, suspensum ab exercitio Ordinum minorum non fieri irregularem, saltem si non ministret in iis solenniter; cum hujusmodi Ordines communiter exerceri soleant etiam a laicis; aliud tamen sit in collatione Ordinum minorum, quia ex jure ordinario spectat ad solum Episcopum; tanquam proprium ejus ministrum, & Canones loquantur indistincte. Fagn. *in c. 14. h. t. nu. 33. & 34.* & ex eo Pirh. *loc. cit.* Quin probabile est, Episcopum suspensum a collatione Ordinum fieri irregularem, si primam tonsuram conferat; quia etsi ea non sit Ordo, est tamen dispositio ad Ordines, & sic includitur in suspensione a collatione Ordinum; cum, prohibito aliquo, prohiberi quoque censeatur omne id, per quod ad illud pervenitur. Argumen. *l. oratio ff. de sponsal.* Ad hæc collatio primæ tonsuræ est etiam actus Ordinis Episcopalis, & Minister illius ordinarius & proprius est Episcopus. Pirhing *l. c.* Fagnan. *l. c. nu. 35. & seq.* & alii apud illum.

2. Resp. secundo Episcopus, qui infanti (vel etiam illiterato aut conjugato) contulit primam tonsuram, suspensus est (ut habet Pirh. *h. t. n. 104.* ipso jure) per annum integrum & continuum, a collatione tonsuræ clericalis. Pirh. *l. c.* Barbos. *l. c. nu. 7.* Cur autem hæc suspensio, utpote a lege definita incurratur ipso jure, & ea non statuta a lege conferenti minores ante legitimam ætatem, adeoque, utpote lex pœnalis, ad eum non extendenda, tametsi is videri posset gravius deliquisse. Hujus inquam rationem ex Suarez *de cens. d. 31. s. 5. n. 3.* reddit Pirh. *l. c.* quod tonsura hæc sit veluti janua ad statum clericalem, ad quem per illam laici transferuntur, ac ideo ex hac assumptione laicorum ad statum clericalem Papa specialiter cavere intendit, ne inhabiles admittantur, quæ ratio locum non habet in ordinationibus, per quas illi, qui jam ad statum clericalem transierunt, promoventur ad Superiores Ordines.

QUÆSTIO DXCV.

Quæ sit pœna ordinantis subditum alienum.

1. RESP. Primo. Qui id fecit scienter vel per ignorantiam affectatam, dum nimirum scire potuit, sed noluit, ac dissimulavit esse suum subditum, vel etiam sub quocunque alio prætextu, per annum a collatione Ordinum est suspensus, *c. eos qui h. t. in 6.* Trid. *Sess. 23. c. 8.* Et quidem non tantum a collatione istius Ordinis, quem alieno subdito contulit, ut putat Jo. Monach. *in cit. c. eos qui.* Sed a collatione omnium Ordinum, cum textus *cit. cap.* loquatur absolute & indistincte Suarez *l. c. n. 4.* Pirh. *n. 98.* Barbos *alleg. 8. n. 2.* citans Navar. *cons. 31. h. tit.* Cum tamen in *cit. cap.* ad hanc pœnam incurrendam requiratur præsumptio seu temeritas, quæ dolum vel crassam ignorantiam & latam culpam, quæ scientiæ æquiparatur, supponit, eam non incurrit Episcopus, qui ex probabili ignorantia ordinavit clericum alterius diœcesis sine licentia Episcopi ejus proprii; quia v. gr. parentes illius dixerunt, eum esse de diœcesi ordinantis, vel quia communiter pro subdito habebatur. Glos. *in cit. cap. v. affectata.* Nav. *l. c. cons. 42.* Barbos. *l. c. n. 3.* citans Sayr. *in flor. decis. h. t. decis. 62.* & alios plures, qui a S. Congr. decisum referant. Idem est, ut Barbos. *l. c.* ex Laurent. de Franchis *in controv. inter Ep. & regular. p. 83. resp. ad 35.* dum dicta ignorantia probabilis fundatur in facto ordinati, dum is furtive vel ex simplicitate se in multitudinem ordinandorum ingessit; vel si is detulisset literas furtive impetratas a Cancellario Episcopi. Pari modo dictam pœnam suspensionis non incurrit Episcopus, dum bona fide ob causam ipsi visam rationabilem ordinavit alienum clericum, existimans, proprium illius Episcopum id ratum habiturum. Suar. *de cens. d. 31. s. 1. nu. 17.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 48. q. 3.* Barbos. *alleg. 8. nu. 4.* citans Dian. *tom. 2. tr. 3. resol. 191.* Majol. *de irreg. l. 4. c. 2. n. 3.* Reginald. &c. juxta *c. ult. caus. 9. qu. 2.* ubi refertur factum Episcopi Epiphanii id practicantis, quem tamen Barbosa excusat in foro conscientiæ & ratione inadvertentiæ cum præmissa prudente admonitione ex Mandos. Rebuff. & aliis apud Quarant. *in sum. Bullar. vers. Ordo vers. amplia hanc Extrav.* nimirum tale factum debere Episcopos maxime effugere; tum, quia in iis, quæ sunt jurisdictionis alterius, non facile præsumenda est ratihabitio; tum etiam, quia datur ansa Episcopo promovendi extraneos ad Ordines hoc colore quæsito. Quod si autem Episcopus id temere & sine rationabili causa fecit, incurrit adhuc dictam suspensionem, sive postmodum proprius Episcopus id ratum habuerit, sive non, cum per illam supervenientem ratihabitionem non tollatur illa temeritas, ob quam censura inflicta, sicut econtra illam censuram non incurrit, si sine temeritate ordinavit alienum, etiamsi factum proprius Episcopus non ratificet Pirh. *n. 99.* cum Layman *in cit. c. nu. 4.* Neque dicas, frustra palliari tale factum præsumpta ratihabitione secutura; cum nemo ratihabere possit, quod suo nomine gestum non est, *Reg. 9. jur. in 6.* Etsi enim in eo sensu ratihaberi nequeat tale factum, ut ex eo ratihabenti obligatio acquiratur; isque fictione juris quasi principalis mandans talem actum censeatur, potest tamen aliquis actum etiam non gestum suo nomine per superadditum ei consensum suum approbare seu confirmare. Pirh. Layman *leg. cit.* Porro extenditur responsio & dicta suspensio ad Prælatos alios non Episcopos, dum sibi non subdito in spiritualibus absque licentia contulerunt Ordines minores. Item ad Prælatos regulares conferentes minores religioso alterius Monasterii sine speciali consensu Prælati proprii regularis & Episcopi loci, in quo situm Monasterium. Pirhing *l. c. n. 109.* referens sic decisum a S. Congregr. apud Gallemart. ad Trident. *Sess. 23. cap. 10.* Quamvis cum Layın. *l. c. n. 5.* probabile dicat, ad illam suspensionem evitandam sufficere alterutrius, nempe vel Episcopi loci, vel Prælati regularis consensum.

2. Resp. secundo. Episcopus Italus conferens ultramontano

tano non habenti a suo proprio Episcopo licentiam Ordines, gravius punitur, quam si Episcopus Italus Italum sine licentia sui Episcopi ordinet. Barbos. *alleg.* 8. *n.* 5. citans Campan. *rub.* 7. *c.* 1. *n.* 46. esseque eum per annum ipso jure suspensum ab exercitio Pontificalium, expresse statuit Urban. VIII. *Const. sua incipiente Secretis data* 11. *Decemb.* 1624. esseque in specie suspensum a collatione Ordinum; imo & arbitraria pæna puniendum, tradit Ugolin. *de off. Ep. p.* 2. *c.* 35. §. 22. *n.* 3. apud Barbos. *l. c.* Promoti vero ultramontani ab Episcopo Italo sinn licentia sui proprii sont ipso jure sospensi, dispensatione reservata Papæ, ex decreto Clem. VIII. apud Barbos. *l. c. n.* 6. quin imo *cit. Constit.* Urban. VIII. (quam citatam vide apud Barbos.) de iis sic statutit: *perpetua suspensionis pænam absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ incurrant eo ipso.* Extenduntur que hæ pænæ etiam ad suscipientes Ordines minores & primam tonsuram Barbos. *l. c.* etsi contrarium teneri dicat a Nav. & Ugol. Statuta vero pæna promoventibus Italis *in Const.* Urban. VIII. expresse *ibidem* extenditur ad conferentes tonsuram. Porro non comprehendi illos hac pæna, qui proprie non appellantur ultramontani vel citramontani, sed veloti medii, habitantes in ipsis montibus, tradit ex Franchis Barbos. *num.* 6. adeoque ei noo aliter puniuntur quam alii promoti ab alieno Episcopo sine licentia proprii.

3. Resp. tertio Episcopus titularis conferens Ordinem vel etiam primam tonsuram subdito alterius Prælati sine expresso ejus consensu, etiamsi io loco exempto, vel nullius diæcesis, vel in aliquo Monasterio cujuscunque Ordinis ubi residet, per annum suspensus est ab exercitio Pontificalium. Barbos. *num.* 7. juxta quod statuit Trid. *Sess.* 24. *c.* 7. Unde, ut advertit Vasq. *disp.* 243. *cap.* 5. *num.* 47. & cum eo Castrop. *loc. cit. n.* 9. Gravius punitur istiusmodi Episcopus titularis, quam Episcopus alius habens suam propriam diæcesin cum is propterea noo suspendatur ab omni usu Pontificalium, sed solum a collatione Ordinum *c. eos qui h. t. in* 6.

4. Resp. quarto. Præscindendo ab Episcopis illis titularibus & ab Italis respectu transmontanorum, Episcopus, qui subdito alieno contulit primam tonsuram, suspenditur a solius tonsuræ collatione per annum. Pirh. *nu.* 98. Barbosa *alleg.* 8. *n.* 8. Less. *de just. l.* 2. *c.* 44. *du.* 9. *n.* 19. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 49. *q.* 4. Bonac. &c. juxta *c. ult. h. t. in* 6.

QUÆSTIO DXCVI.

Quænam sit pæna Capituli concedentis dimissorias ad Ordines subditis diæcesis vacantis in casibus sibi non permissis; vel etiam alterius concedentis dimissorias subdito non suo, vel contra formam a Trid. præscriptam Sess. 7. cap. 10.

1. RESp. Primo. Subjicitur interdicto ecclesiastico juxta decretum Trident. *loc. citat.* Pirhing *cit. num.* 100. promoti vero in vim talium dimissoriarum sibi a Capitulo concessarum in casibus ei non permissis, si io minoribus constituti fuerint, privantur privilegio clericali, præsertim io criminalibus. Si vero in majoribus, ab executione Ordinum ad beneplacitum sui Prælati sunt ipso jure suspensi. Trident. *loc. citat.* ubi ait Gallemart, Congregationem censuisse, textum *citat. cap.* sub verbis illis: *licentiam ordinandi*: non comprehendere primam tonsuram. Extenditurque dicta pœna etiam ad eos, qui dimissorias non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante succedentibus obtinent. Tridentin. *Sess.* 23. *cap.* 10.

2. Resp. secundo io genere. Concedentes dimissorias contra formam decreti *Sess.* 7. *c.* 10. ab officio & beneficio per aonum ipso jure sunt suspeosi. Pirhing *num.* 104. juxta *cit. cap.* 10. *Trident.* Ex quo loco etiam colligitur, quod qui ab Abbate, cujus subditus non est, quia non est regularis nec professus, dimissorias obtinuit, & in vi illarum accepit Ordines, ab exercitio suscepti Ordinis suspensus est ad placitum sui Ordinarii. Pirhing *l. c.*

QUÆSTIO DXCVII.

Quæ sit pœna ordinantis & ordinati extra tempora.

1. RESp. jure antiquo privandus veniebat potestate conferendi illos Ordines, quos illicite contulerat *c.* 2. *h. t. & c. cum quidam tit. eod.* in quo postremo texto statuitur, ut Episcopus, qui die, quo non debuit Ordines contulit, Canooica disciplina corrigatur seu puniatur, id est, ut Glos. *ibidem*, *v. Canonica*, privetur potestate conferendi Ordines, quos illicite contolit, qui alias, si certa pœna statuta non esset, arbitrio superioris puniretur. Et quamvis Sixtus V. constit. sua *Sanctum & salubre*: ipsos quoque promoventes extra statuta tempora ad ordines Sacros ipso jure suspensos esse statuit. Clem. VIII. tamen *Constit. sua Romanum Pontificem. Data pridie Cal. Martii* 1595. illam Sixti Const. restrinxit ad terminos SS. Canonum & Concilii Trident. ac Sanctionis Pii II. quam recitatam vide apud Barbos. *alleg.* 17. *num.* 11. quæ sanctio, cum ordinatorem præterierit, ac soli ordinato pœnam dictaverit, ordinantis pœna videtur regulanda juxta citata jora antiqua. Ordinati vero extra tempora legitima jure antiquo, jure ipso suspensi non erant, sed veniebant suspendendi per sententiam, donec gratiam a Papa coosequerentur, *cap.* 2. *hoc tit.* obi dicitur, quod tales oon debeant permitti mioistrare in ordinibus susceptis, sed debeant deponi, id est, suspendi ab ordinum executione, ut Glos. *fin. ibidem*. Item *c. cum quidam*, ubi dicitur, ut tales tamdiu suspensi maneant, donec apud Papam restitutionis seu absolutionis gratiam consequantur. Jure vero novo ipso jure sunt suspensi ab executione ordinum extra tempora legitima susceptorum, & si in illis durante hac suspensione ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrunt, ac præterea ultra alias pœnas in tales generaliter statutas a jure beneficiis ecclesiasticis possunt jure privari. Unde etiam Barbosa *nu.* 12. censet, stante illa suspensione non posse clerico constituto in Sacris (de his enim loquitur) conferri beneficium; constitutis tamen in minoribus posse valide conferri, citat pro hoc Mirand. *in man. Prælator. tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 7. *concl.* 1. Sic enim expresse statuit Pius II. in citata const. sua. Quam semper observari in hac materia, confirmatamque postmodum per Jul. III. Clem. VIII. & Paul. V. ait Barbosa *loc. cit. num.* 13. Quod tamen ipsum intelligendum, tantum de iis, qui per dolum vel culpam latam sive ignorantiam mortaliter culpabilem sic ordinati sunt; non vero de iis, qui bona fide sic ordinati; quia crediderunt, se ordines suscipiendi, & Episcopum eos conferendi extra tempora habuisse facultatem. Pirhing *nu.* 106. *in fine*, cum Suarez *de censur. disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 31. Porro posse Episcopum (intellige proprium, qui talem non ordinavit) extra tempora, absolvere talem, vel dispensare in hac suspensione vel irregularitate, probabile censet Pirh. *num.* 107. eo quod, dum in Canone generatim fertur suspensio vel alia censura indefinite propter delictum, vel præcipitur ferri a Judice, nullo certo tempore, quo censura valere debeat, neque ea Papæ reservetur, censeatur Episcopis, & aliis quasi episcopalem jurisdictionem habentibus, collata potestas solvendi seu relaxandi, si reus deposita contumacia Ecclesiæ mandatis parere velit. Argum. *c. ex literis de constit. cap. nuper de sentent. excom.* & docet Suarez *de cens. d.* 29. *sec.* 1. *num.* 18. & 19. Pius II. autem sibi non reservavit absolutionem a dicta suspensione, ut Armill. *v. suspensio num.* 14. Sylv. *v. eod. nu.* 8. Glos. *in Clem.* 1. *de haret. v. excommunicationis* apud Barbosa *num.* 14. & concessum dicatur, quidquid expresse prohibitum non reperitur, *leg. nec non §. quod ejus ff. ex quibus causis*. Sed neque his obstet, quod in *cit. c. cum quidam*. Papa de taliter ordinatis rescribat ad Metropolitanum: *Ordinatos a susceptis ordinibus tamdiu reddere debet expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur*: Adeoque videri possit, etiam jure antiquo fuisse talem suspensionem Papæ reservatam. Nam ibi Papa specialiter & ex certa scientia reservat sibi talem absolutionem & dispensationem; quia ipse Episcopus ordinans deliquerat conferendo ordines extra tempora, nec ipse imposuit pœnam, sed Papa præcepit Metropolitano, ut eam imponeret; & cum is non erat Judex ordinarius (neque enim subditi suffraganei subjecti sunt Metropolitano) sed a Papa delegatus eique commissa punitio, non autem relaxatio suspensionis, ad delictum sic ordinatorum magis puniendum, & in pœnam etiam sic ordinantis, merito dictam relaxationem in hoc casu specialiter Papam sibi reservasse, dicendum. Pirhing *cit. num.* 107. Sed neque Pius II. sibi reservavit dispensatiooem illam

ab

ab ista suspensione; cum id ex nullo verbo dictæ constitutionis illius colligatur. Pirh. *ibidem*.

2. Nihilominus contrarium sentit Barbosa *alleg. 57. nu. 15.* imo ait, esse communem DD. sententiam ab irregularitate contracta in ordinibus male susceptis, & insuper a suspensione per dictam constitutionem Pii II. incursa, non nisi summum Pontificem dispensare posse, citatis etiam pro hoc Navar. *in manu. cap. 25. num. 70.* Majol. *de irregul. l. 1. cap. 30. nu. 9. in fine*. Rebuff. *in pr. benef. tit. de cler. male promotis gl. 4. num. 3.* Gott. *qq. can. lib. 1. c. 26. num. 21. &c.* eo quod in constit. illa Piana, suspensionis censura infligatur irregularitatemque incurri decernatur, non ad tempus, unde censeatur perpetuo inflicta; cum lex absque temporis præfinitione pœnam imponens censeatur illam perpetuo infligere, *l. servus C. de pœnis*. Glos. *in c. ex literis de consti. v. in perpetuum*. Felinus *in C. cum literis de testibus num. 1. &c.* Rota etiam *in Melitens. Abbatiæ 24. Jan.* 1590. generice loquens firmant, contravenientes dictæ constitutionis decretis perpetuo esse per eam suspensos. Unde jam sequitur, neminem posse illius Bullæ dispositionem infringere, Pontificisque factum revocare. Illud tamen admittit Barbos. *nu. 17.* posse Episcopum in ista irregularitate dispensare vi Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6.* ubi ea fuerit occulta, pro quo citat Bonacinam *de cens. dist. 3. quæst. 6. part. 5. nu. 5.* Quin etiam ex lapsu 20. annorum præsumi hanc dispensationem, censuisse Rotam apud Farinacium *dec. 200. num. 3. p. 2. recent.* ait *ibidem* Barbosa.

QUÆSTIO DXCVIII.

Quam pœnam incurrat Episcopus ordinans subditum vel etiam ordinatus non servatis interstitiis.

RESP. Imprimis Episcopus propterea nullam incurrit pœnam, quia nulla est a Concilio expressa. Sed neque ordinatus (intellige ab Episcopo alieno in vim dimissoriarum) absque expressa vel tacita dispensatione aliquam incurrit censuram vel irregularitatem. Castropalao *cit. p. 13. num. 14.* citatis Riccio *in collect. p. 3. collect. 576.* Zerol. *in pr. p. 2. vers. ordo §. 8.* Suarez *de cens. disp. 31. sec. 1. num. 42.* Quamvis puniri possit a suo ordinario pœna arbitraria. Pirhing *cit. num. 91.* citatis Navar. *lib. 1. cons. 4. de temp. ordinat.* Ugul. &c. & in specie etiam pœna suspensionis, ut Barbos. *allegat. 18. num. 14.* quia, ut idem citatis plurimis contra Henriquez *lib. 6. cap. 10. num. 3. lit. C.* ubi talem a peccato liberat, peccavit graviter transgrediendo SS. Canones in materia ordinum, quæ est gravissima. Et licet Sixtus V. suspensionem talem decreverit, ea tamen per Greg. XIV. sublata, & res ad terminos juris communis, in quo nihil tale statuitur, reducta, ut referunt Zerul. *loc. cit.* Suarez *loc. cit. num. 43.* apud Pirhing. Quod si tamen non solum non servata interstitia, sed & duo ordines Sacri suscepti eodem die incursa est suspensio, ut habet communis *c. literas h. tit.* Pirh. *h. t. num. 108.* Engels *h. tit. num. 19.* qui duo etiam, quod suspensio hæc sit reservata Papæ per *cit. cap. per literas & c. dilectus eod. tit.* Addit tamen, quod ex commissione juris absolutio ab hac suspensione competat Archiepiscopo ut Glos. *in cap. dilectus & c. consultationi h. tit.* eo quod, cum Episcopus sit Author delicti, non conveniat, ut in eodem delicto Judex constituatur. Nihilominus quo ad incursionem suspensionis hujus verissimum id esse ait Castropalao *loc. citat.* Si id factum in suo ordinante; eo quod jam, quia hac ratione ordo furtive susceptus incurratur etiam suspensio lata *in cap. innotuit. de eo qui ord. furtive suscep.* si vero sciente Episcopo ordinante id factum, de illa suspensione incursa ait, merito dubitare Suarez eo quod textus in *cap. literas* non videatur legem ferre, sed solum specialem casum decidere & punire. Non tamen esse suspensum ab utroque ordine, sed solum a posteriore; eo quod is solus illegitime susceptus, tradit Pirhing *nu. 108.* citato Suarez *sec. 1. nu. 40.* Idem de suscipiente Subdiaconatum cum minoribus, ubi consuetudo non excusat, nempe incurrere suspensionem a Subdiaconatu tantum addit Pirhing decisum a S. Congr. apud Gallemart. super Trident. *sess. 23. cap. 13.* talem non incurrere suspensionem, ubi sic habet consuetudo; adeoque a contrario ex dicta decisione inferendum, incurri illam suspensionem, ubi non est consuetudo, & quidem ipso jure, ut Navar. *c. 25. num. 71.* & DD. communiter apud Layman. Quod vero attinet conferentem scienter duos ordines eodem die vel duobus diebus continuato jejunio, illum suspensum esse, vel potius suspendendum a collatione utriusque ordinis, tradit *ibidem*. Pirhing.

QUÆSTIO DXCIX.

Quid sit promoveri ad ordines per saltum, & sub qua pœna id prohibitum.

1. RESP. Primo. Per saltum promoveri est non gradatim, seu non eo ordine, quo se invicem sequuntur ordines, ascendere, sed prætermisso inferiore & intermedio v. gr. a prima tonsura statim ad Subdiaconatum, non susceptis minoribus, vel a Subdiaconatu immediate ad Presbyterium promoveri.

2. Resp. secundo. Quamvis talis ordinem superiorem, omisso intermedio, valide suscipiat, ita ut ob omissionem illam non debeat ordo ille superior de novo conferri, vel etiam, ordine illo superiore suscepto, ordo intermissus conferri; cum ordo superior illum inferiorem eminenter contineat. Unde & sic ordinatus, v. gr. omisso Subdiaconatu & Diaconatu factus Sacerdos, & dein Episcopus, illos duos ordines Subdiaconatum & Diaconatum, etsi non susceperit, conferre potest aliis, ut Layman *Theol. Mor. l. 5. tr. 9. cap. 9. nu. 8.* Licet, inquam, ita sit quo ad valorem, graviter tamen id ipsum prohibitum est *cap. si officia dist. 79. cap. unic. de cler. per saltum promot.* incurri etiam ideo suspensionem verius est, ex *cit. cap. unic. & c. sollicitudo, dist. 52.* & Trident. *sess. 23. c. 14.* Castropalao *cit. p. 13. nu. 14.* citatis Suarez *cit. sec. 1. n. 43.* Nav. *in man. c. 25. n. 71. & c. 27. n. 242.* Avil. *p. 7. d. 9. dub. 2.*

QUÆSTIO DC.

Quas pœnas incurrat ordinans aliquem sine titulo; item ordinatus sine titulo vel etiam titulo sufficiente.

RESP. Ad hoc responsum supra binis quæstionibus ultimis *cap. præcedente*.

TITULUS DUODECIMUS.

DE SCRUTINIO IN ORDINE SERVANDO.

QUÆSTIO DCI.

Quid & quotuplex sit hoc scrutinium.

1. RESP. Primo. Scrutinium a scrutando sic dictum, est inquisitio seu examen ordinandorum ab eo, ad quem spectat, factum.

2. Resp. secundo scrutinium hoc duplex est, vel ut alii triplex. Primum & secundum præmittitur ordinationi, tertium peragitur in ipsa ordinatione. Primum præcipitur a Trid. *Sess. 23. c. 5.* ubi: *Qui ad singulos majores ordines sunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui* (ut quæ subsint occulta impedimenta, detegantur facilius) *Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum publice in Ecclesia propositis de ipsorum ordinandorum natalibus, moribus, ætate ac vita a fide dignis diligenter inquirat, & testimonium inquisitionis ad Episcopum transmittat*. Verum, ut Campan. *in divers. Jur. Rub. 3. n. 3.* apud Pirh. *h. t. nu. 2.* hoc non ubique & in specie & in Germania receptum non est teste Engels *h. t. nu. 2.* Alterum Episcopo faciendum incumbit juxta statuta antiquorum Canonum, *c. quando dist. 24.* & Decretum Trid. *ead. sess. c. 7.* ubi: *feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem convocentur* (nimirum ordinari cupientes) *Episcopus autem sacerdotibus alisque peritis viris sibi adjunctis ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget & examinet*. Tertium scrutinium, quod fit in ipsa ordinationis die & actu, præscribitur ab Innocent. III.

cap.

cap. unic. h. tit. & consistit in hoc, quod prior Diaconorum seu Archidiaconus (ad hunc enim jure communi spectat examinare & præsentare ordinandos, *c. ad hæc, c. ut nostrum de off. archid.* & clara voce monere, ut si quis ex assistentibus contra quempiam ex ordinandis aliquid sciat, quod ordinum susceptionem impediat, libere proponat) vel alius, nempe Cappellanus vel Ceremoniarius Episcopo ordinanti assistens, prout hodiedum usus obtinuit, nomine totius Ecclesiæ præsentet & postulet, & hunc vel hos Subdiaconos ad ordinem Diaconatus, vel hos Diaconos ad ordinem Presbyteratus promovere velit, ac dum Episcopo interroganti, utrum eum vel eos, qui præsentantur, dignos esse cognoverit, respondeat, scire se & testificari dignos esse, quantum humana fragilitas nosse seu scire sinit. Atque hæc est forma hujus tertii scrutinii consistens in illa summaria & extrajudiciali inquisitione Episcopi de qualitate ordinandi, & dicta responsione illius, qui loco Archidiaconi assistit.

QUÆSTIO DCII.

Quid in secundo illo scrutinio veniat nomine singulorum punctorum, super quibus examinandi ab Episcopo aut aliis deputatis viris prudentibus.

1. RESP. primo. Examinando genus inquiritur, num ordinandus sit ex genere maculato, sive utrum descendat ex parentibus Catholicis, hoc est, non hæreticis (Trident. enim per hoc intendit arcere ab ordinibus filios & nepotes hæreticorum, eorumque fautorum & receptatorum) quamvis in Germania accurata illa indago ita non sit in usu, modo non descendant a Judæis, cum eorum filii ab ordinibus Sacris non prohibeantur. Barbosa *de potest Episc. allegat.* 10. *nu.* 5. Item an ex parentibus proditionis & criminis læsæ majestatis damnatis nati, dum hi sunt infames. Item an ex matre serva; cum tales quoque sint servi, partu ventrem sequente. Barbos. *loc. cit. num.* 4. citatis Majol. *de irreg. l.* 4. *c.* 2. Sanchez *in præcept. decal. Tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 28. *n.* 15. *&c.*

2. Secundo. Examinando natalitia inquiritur, an sint legitimi. Barbos. *l. c. n.* 9. Pirh. *h. t. num.* 3.

3. Examinando personam ordinandi inquiritur, an sit corpore vitiatus, bigamus, ratiociniis obnoxius, servus, & si natus parentibus liberis, habeat legitimam ætatem, infamis &c.

4. Sub nomine institutionis venit examinandus titulus Pirhing *l. c.* Engels *n.* 5. Barbos. *nu.* 13. juxta Glos. *in c. quando, dist.* 24.

5. Inquiritur in patriam ordinandi, ut videat Episcopus, an is sibi subjectus. Pirh. *l. cit.* quin & ut inde dignoscentur ejus mores; cum etiam propter nativitatem & patriam præsumatur quis bonus. Barbos. *n.* 9.

6. In vitam & mores an sint probi ac integri; an ordinandus castus & sobrius non litigiosus, non maledicus & calumniator, non scurrilis aut joculator &c. Barbos. *nu.* 14. qui etiam addit, inquirendum, an sit nimium simplex juxta *c. Episcopum* & Glos. & DD. *ibi.* eos vero, qui testimonium bonum & famam bonam habent, non egere ulteriore circa hoc punctum examinatione. Probantur autem mores integri testimonio Parochi & Magistri scholæ. Engels *loc. cit.* staturque simplici assertioni Parochianorum de fama bona. Atque ita testimonia morum, ut constat ex praxi solent exhiberi tempore hujus scrutinii; & sine illis illicite suscipiuntur ordines. Barbos. *nu.* 16. *in fine*. Bonac. *de sacram. d.* 8. *qu. unic. p.* 5. *n.* 17.

7. In doctrinam, an sit competens, & in hoc puncto excutiendo potissima hujus scrutinii pars insumenda. Cum enim doctrina sit quid accidentale homini, nec sine labore acquiratur, eidem inesse non præsumitur. Unde neque per testes, neque per famam, sed per actuale examen probatur. Barbos. *nu.* 18. Proinde diligente examine exploranda ordinandorum scientia qualitatis ordinum suscipiendorum & requisitorum ad illos; Item officii spectantis ad illos. Barbos. *cit. n.* 18. Unde gravissime peccant ii, quibus Episcopus examen ordinandorum commisit, & per quos Episcopi judicare debent de ordinandorum scientia, dum ipsi examini non interfuerunt, si admittant debita scientia carentes; quia in re gravissima negligunt præceptum Trid. Tiber. *in instruct. ordinand. qu.* 58. citans Sylv. *v. Episcopus nu.* 16. Henriq. *l.* 10. *c.* 16. *num.* 10. Tolet. &c.

8. Inquirendo in fidem resciri, num ordinandus sit sinceræ fidei Catholicæ, & in ea firmus. Pirhing *loc. citat.* Unde laudabiliter hodiedum inquirere solent Episcopi plures accurate num ordinandus infectus erroribus Jansenisticis.

9. Sunt & plura alia præter jam dicta inquirenda ab ordinando. Primo, an habeat intentionem ascendendi ad altiores ordines, si aptus fuerit. Pirh. *n.* 3. Barbos. *n.* 19. qui etiam *n.* 20. ex Henriq. *l.* 10. *c.* 57. *nu.* 2. ait, illum, qui dicta intentione caret, non debere promoveri ad ordines. Quod tamen non video, quomodo subsistat, dum quis licite potest velle promoveri ad ordinem Subdiaconatus, ut ferre possit in Capitulo suffragium, & in isto gradu subsistere. An sit confirmatus. An in susceptis ordinibus ministrarit & se exercuerit. An legitima interstitia servaverit. An censura aliqua ecclesiastica ligatus. Pirh. *l. c.*

QUÆSTIO DCIII.

Unde testimonium dictarum qualitatum, dum de iis non constat, petendum.

1. RESP. Primo. Natalium, libertatis (idem est de genere) testimonium publicum dare potest Magistratus loci, unde oriundus ordinandus. Item Parochus. Ætatis similiter dare potest Parochus; per talia enim testimonia hæ qualitates probantur. Pirh. *l. c. n.* 4. Literas testimoniales vitæ ac morum, dum ordinandus est regularis, dant eorum superiorum regulares, testantes & affirmantes, eum nullo ad ordines requisito carere; standumque ordinatori hoc testimonio, excepta doctrina. Barbos. *cit. alleg.* 10. *num.* 22. Dum est sæcularis versans in Ecclesia Cathedrali vel collegiata, Decanus. Si in Accademia vel Gymnasio degat, Rector magnificus, præfectus scholarum. Pirhing *loc. cit.* Et hæc de literis testimonialibus, Episcopo proprio ordinante.

2. Resp. secundo. Dum ordinandus quis est ab alieno Episcopo, requiruntur testimoniales proprii Episcopi, juxta quod expresse statuit Trident. *Sess.* 23. *c.* 8. his verbis: *quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti aut privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas & mores ordinarii sui testimonio commendentur.* Porro has literas in ordine ad ordines suscipiendos potest etiam capitulum sede vacante intra primum annum concedere subdito suo, etiam non arctato, dum is a Papa ejusve Nuncio habet facultatem seu dimissorias, ut a quocunque Episcopo externo ordinari possit, Fermosin. *tr. de capit. sede vac. qu.* 20. *n.* 12. Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 42. Molin. *de just. tom.* 6. *tr.* 5. *d.* 11. *n.* 14. *&c.* Contra Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 7. *n.* 115. Reflectendum autem est, esse has literas longe quid diversum a literis dimissoriis, ut videre est apud Fagnan. *in c. significasti de off. Archid. n.* 2.

QUÆSTIO DCIV.

An & qui eximantur ab hoc examine Episcopali.

1. RESP. Primo, posse quandoque ab Episcopo alicui ordinando remitti hoc examen, etiam quo ad doctrinam, dum constat Episcopo de sufficientia illius. Tiber. *loc. c. qu.* 58. citatis Henriq. *l.* 10. *c.* 16. *nu.* 1. Rodriq. *p.* 5. *c.* 161. *n.* 1. Rebuff. *de cler. male promot. gl.* 4. *nu.* 11. Barbosa *p.* 3. *alleg.* 72. *nu.* 119. ubi tamen is agit de examine præsentati non ad ordines, sed ad beneficium. Quod vero addit Tiber. sua citatione eorundem AA. Idem esse de iis qui prudenter præsumuntur habere sufficientem doctrinam, ad summum intelligendum, ubi præsumptio talis nititur conjecturis & argumentis moraliter certis; dum doctrina alias, ut dictum non præsumitur, & præsumptiones tales, etiam nixæ doctorali gradu, ad quem quis in publica universitate promotus, sæpe fallantur. De cetero ratio responsionis est, quod examen illud, etsi a Tridentino severe præcipiatur, non tamen sit de forma, sicut est examen præmittendum institutioni ad parochiam. De quo vide Barbos. *de off. Ep. p.* 3. 10.

2. Resp. secundo. Regulares non eximuntur, quo minus super doctrina examen subire cogantur. Barbos. *de offic. Episc. p.* 2. *alleg.* 10. *n.* 18. & 22. citatis Rodriq. *qq. Reg. to.* 3. *q.* 24. *a.* 1. Campan. *rubr.* 12. *c.* 13. *nu.* 35. Sanchez &c. Pro ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 12. ubi signanter addit de regular. non sine diligente examine ordinandos esse, quod non addit de aliis, etsi alias desuper privilegia habuerint, per quæ exempti ab hoc examine Episcoporum permittebantur soli examini regularium suorum superiorum, qui desuper testabantur Episcopo in literis, quibus dimittebantur ad illum ordinandi, his tamen derogatum post Trident. *l. c.* Tiber. *l. c.*

Pirh.

Pirh *l. c. nu.* 5. & apud illum Mirand. *in man. prælator. tom.* 1. *q.* 39. *art.* 4. Extenditurque hoc ipsum ad regulares exemptos a jurisdictione episcopali. Quod si tamen talium exemptorum superiores haberent quoque potestatem suis subditis conferendi minores, spectabit quoque ad illos examen illorum; regulariter enim ejus est examinare, cujus ordinare. Unde & poterunt eos a se examinatos dimittere ad Episcopum ab eo Ordinandos minoribus. Tiber. *qu.* 58. Nihilominus Religiosi Societatis per speciale privilegium cum aliis Ordinibus non communicabile a Gregor. XIII. concessum in Bulla, quæ incipit; *Pium & utile edita anno* 1582. 22. *Sept.* ordinandi sunt ab Episcopis sine inquisitione seu examine de idoneitate aliisque requisitis, prout habetur *in compend. privilegior. Societat. v. Ordines* §. 3. de quo etiam testantur Vasquez *p.* 3. *d.* 246. *n.* 52. *&c.* Quod quidem privilegium revocatum esse per Sixtum V. in Bulla quæ incipit: *Sanctum & Salubre* edita contra Clericos *male promotos. Anno* 1588. *nonis Jan.* & exstat apud Quarant. *in sum. Bullar. v. Ordo*, asserunt Barbos. Mirand &c. Verum, ut Tiber. *l. c.* hujusmodi revocatio ex verbis dictæ constitution. colligi nequit. Et dato, revocatum esse, fuisset tamen innovatum, ac de novo concessum a Paulo V. *in const.* quæ incipit; *quantum Religio Societatis: edita anno* 1606. *pridie nonas Sept.* in qua omnia & singula privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ & indulta a prædecessoribus Pontificibus Societati principaliter & per communicationem concessa perpetuo confirmantur; & de novo conceduntur Tiber. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 5.

3. Resp. tertio. Tametsi Episcopus Ordinator dimissum ad sea suo proprio Episcopo vel Prælato ordinandam examinatum & approbatum non tenetur iterum examini subjicere. Tiber. *l. c.* contra Barb. *p.* 2. *alleg.* 7. *nu.* 22. neque enim Trid. *sess.* 13. *c.* 7. id mandat, dum vult, ut dimissi examinentur ab Episcopo a quo ordinantur; non enim ibi loqui videtur de iis, qui examinati jam sunt ab Episcopo dimittente, sed de iis, qui facultatem habent a Sede Apostolica, ut ordinari possint a quolibet, aut certe qui dimissi sunt sine examine. Quin, & attento jure communi, *c. Episcopus* 9. *qu.* 2. juncta Glos. talis dimissus examinatus & approbatus a suo Ordinario non tenebatur de novo subire examen Episcopi ordinantis. Barbos. *l. cit.* citatis præposit. *in cit. c. Episcopus n.* 3. & Gemin. *n.* 2. Negari tamen non potest, Episcopo ordinaturo facultas, si velit, taliter prævio examine dimissos examinandi denuo. Barbos. *l. c.* ubi etiam, quod Episcopus ordinans id faciendo agat tutius Tiber. *l. cit.* citans Piasec. *pr. Ep. p.* 1. *c.* 1. *nu.* 12. Bonacina qui testetur, sic practicari Mediolani & Quarantam testantem sic practicari Neapoli.

QUÆSTIO DCV.

Quæ sit pœna Ordinatorum sine examine.

1. RESP. Primo. Si sint ignoti, quamvis digni, debent deponi. Barbos. *p.* 2. *alleg.* 10. *nu.* 22. Sylv. *v. Ordo* 2. *n.* 2. Pirh. *l. c. nu.* 8. juxta *c. ult. dist.* 24. Idem est de cognitis quidem, inhabilibus tamen, etiamsi ordinans noverit impedimentum, & tamen in eo non dispensavit. AA. iidem LL. *cit.* juxta *cap. si sine examinatione dist.* 81. Cogniti tamen & digni sine scrutinio seu præcedente examine ordinati, neque peccarunt, neque pœnam illam depositionis incurrunt AA. iidem, juxta *c. nullus dist.* 24. juncta Glos.

2. Resp. secundo. Ordinati vero non examinati nec approbati, vel sine dimissoriis aliisque requisitis contra prohibitionem Episcopi solitam præmitti ordinationi sub pœna excommunicationis, ne talis ad ordinationem accedat, incurrunt suspensionem a solo Papa relaxandam, *c.* 1. & 2. *de eo, qui Ord. furtive suscep.* Quo ad excommunicationem vero illam, quod ea quoque afficiat regulares, utpote qui in eo actu subduntur Episcopo, ait Barbos. *l. c. nu.* 23. citatis Nav. *in man. c.* 25. *n.* 72. Peyrinis *de privileg. minor. tom.* 1. *Const.* 1. *Julii* 2. §. 26. *n.* 39. Lezan. *in sum. qq. regul. c.* 14. *nu.* 22. Hostiens. *ad h. t. n.* 6. Qui tamen moneat, ut Episcopi ab hujusmodi excommunicationibus abstineant, ne laqueos parent, sed potius alias pœnas comminentur.

3. Resp. tertio. Quod si etiam Episcopus eo tempore, quo Ordines confert, utatur his verbis: *non intendimus ordinare non examinatos & approbatos*: revera ordinatus non erit, qui se sine examine ingessit; adeoque debet de novo ordinari, injuncta tamen illi prius condigna pœnitentia, quia graviter delinquit, se hac ratione ingerendo. Barbosa *cit. num.* 23. Si vero dicat Episcopus: *non intendo ordinare excommunicatos, irregulares &c.* intelligendum hoc ipsum, si talem aliquem esse cognoscat, non vero, si talis excommunicatus ignotus vel occultus ait Barbos. *ibid. in fine*, citatis de Lugo *de Sacram. d.* 8. *s.* 7. *n.* 119. Dian. *resol. mor. p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 66.

QUÆSTIO DCVI.

Circa tertium illud examen. An & qualiter Archidiaconus aut ejus vices supplens, ubi non interfuit examini episcopali ordinandorum, neque inquisivit in idoneitatem eorum sive de sibi ignotis testari publice possit Episcopo, illos dignos, qui promoveantur ad Ordines.

RESP. Videndum meum Vicarium Episcopalem *q.* 660. & 661. ubi hoc punctum ex professo & fuse tractavi.

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO QUI RENUNCIAVIT EPISCOPATUI.

QUÆSTIO DCVII.

An & qualiter ordinari quis possit ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui.

1. RESP. Primo. Episcopus, qui renunciavit loco tantum, hoc est, qui renunciavit curæ seu officio & potestati administrandi, quæ habetur ex confirmatione, retenta tamen dignitate episcopali, quæ habetur ex consecratione, adeoque retentis omnibus, quæ sunt Ordinis episcopalis, una cum nomine Episcopi talis loci, non quidem quo ad exercitiam; eo ipso enim, quod renunciavit potestate administrandi, jam caret subditis; sed quo ad habitum, ut Pirhing *h. t. nu.* 1. Paris. *de resign. l.* 1. *qu.* 17. *nu.* 5. 8. 9. (qualiter ordinarie solet fieri resignatio Episcoporum) talis inquam Episcopus potest non tantum valide & licite conferre ordines etiam majores, uti & alia pontificalia dependentia ab Ordine & Charactere episcopali exercere, cum licentia tamen Episcopi proprii Ordinandorum & Ordinarii loci, in quo exercenda pontificalia; & non sine illa; eo quod nullam jam amplius Diœcesin aut subditos habeat. Unde & ordinati a tali Episcopo sine licentia veluti ab Episcopo alieno privati sunt exercitio Ordinis suscepti, si scienter vel etiam cum crassa ignorantia dictæ renunciationis susceperint ab eo Ordines. Uti hæc habentur *c. requisivit h. tit.* Layman *ibidem n.* 1. Pirhing *ibid. n.* 1. & 2. Suar. *de cens. d.* 31. *s.* . . . *nu.* 3.

2. Resp. secundo. Episcopus, qui non tantum renunciavit loco & regimini, sed & Ordini sive executioni Ordinis & dignitatis Episcopalis, adhuc conferre potest licite primam tonsuram & Ordines minores, non secus, ac calices & paramenta sacra benedicere similiaque præstare; cum etiam non Episcopi v. gr. Abbates hoc & illam conferre possint, ac benedictiones hujusmodi facere concedi etiam soleat simplicibus Sacerdotibus. Ac ideo non censetur Episcopus renunciasse iis actibus episcopalibus, qui etiam a non episcopis exerceri solent, præsertim, cum renunciatio sit strictæ interpretationis, cum licentia tamen Episcopi proprii Ordinandorum. Ordines vero majores, ne quidem de licentia Episcopi proprii conferre potest. Cum collatio Ordinum ita sit actus proprius Ordini & dignitati Episcopali, ut a non Episcopis exerceri non valeat, aut saltem sine papali dispensatione. Unde & ordinati a tali Episcopo, sive cum, sive

sine

fine licentia Episcopi proprii, etsi Characterem suscipiant, non tamen Ordinis suscepti executionem consequuntur. Cum, ut Layman *l. c. num.* 2. cum communi, dum Episcopus habilis non est ad Ordines legitime conferendos, etiam eos, quos ordinat, non efficit habiles ad usum seu exercitium legitimum ordinum ita susceptorum. Siquidem nemo plus dare potest, quam in potentia habet. Episcopus autem, qui renunciavit dignitati Episcopali (idem est de excommunicato, suspenso &c.) Characterem quidem episcopalem habet, non tamen potestatem legitime conferendi ordines; ergo etiam potestatem iis legitime utendi non confert, etsi conferat Characterem. Habentur hæc omnia *cap. requisivit hoc tit.*

3. Porro, dum quis simpliciter renunciavit Episcopatui, in dubio præsumitur renunciasse tantum loco; cum qui renunciavit dignitati episcopali, præsumitur ac videtur depositus ob crimen. Argum. *c. post translationem h. t.* Nemo autem præsumitur criminosus, *cap. unic. de scrutat. in ord. faciend.* juncta Glos. hac excepto tamen, dum Episcopus ingreditur religionem. Tunc enim, nisi specialiter a Papa obtineat facultatem exercendi pontificalia, censetur renunciasse & loco & dignitati episcopali. Laym. *in cit. c. post translationem.* Pirh. *ad h. t. nu.* 3.

QUÆSTIO DCVIII.

A quo dispensari possit cum promotis a tali Episcopo quo ad exercitium Ordinum susceptorum.

1. RESP. primo. Cum eo, qui sine licentia proprii Episcopi ordinatus est Sacris Ordinibus, sive scienter sive inscienter ab Episcopo, qui renunciavit tantum loco & regimini, dispensare potest quo ad usum Ordinis Episcopus proprius seu Ordinarius illius. Layman *ad c. requisivit nu.* 4. Pirhing *l. c. nu.* 4. juxta quod statuitur a Trident. *sess.* 23. *c.* 8. *de reform.*

2. Resp. secundo. Cum eo, qui Ordines minores etiam scienter, vel majores per ignorantiam probabilem, saltem non crassam seu mortalem recepit ab Episcopo qui renunciavit etiam dignitati episcopali, dispensare potest proprius illius Episcopus quo ad usum. Pirhing *cit. nu.* 4. ut dicitur *c. requisivit h. t.* Unde etiam patet hanc inhabilitatem ad Ordinum sic susceptorum executionem, non tam esse suspensionem proprie dictam; cum incurri etiam possit sine culpa cum ignorantia probabili, quam esse quandam irregularitatem, adeoque tollibilem, non per absolutionem, sed per dispensationem. Laym. *l. c. n.* 3. Pirh. *l. c.*

3. Resp. tertio. Cum eo, qui recepit scienter vel etiam per crassam & mortaliter malam ignorantiam Ordines Sacros a tali Episcopo, qui resignavit Ordini episcopali, ut susceptos exercere valeat, solus Papa dispensare potest, si delictum est notorium. Pirh. *c. n.* 4. Argum. *c. requisivit.*

TITULUS XIV.

DE ÆTATE ET QUALITATE ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

QUÆSTIO DCIX.

Quæ ætas requiratur ad dignitates, beneficia, officia, ministeria ecclesiastica.

RESP. De hoc fuse & accurate actum a me *in foro benefic. p.* 1. *a q.* 212. *ad q.* 229. & specialiter quæ ætas requiratur in Vicario Generali Episcopi dictum a me *in Vicario Episcopi qu.* 43. Quæ in Vicario Capituli Sede Vacante *ibidem qu.* 559. quæ vide. Porro quæ ætas requiratur in promovendis ad ordines. Dictum est supra *ad tit.* 11.

QUÆSTIO DCX.

Quæ hic veniant nomine qualitatis requisita in præficiendis.

RESP. Veniunt sequentia. Primo sanitas & integritas mentis & corporis. De hac actum a me *in Foro benef. p.* 1. *a qu.* 229. *ad q.* 241. de integritate vero promovendorum ad Ordines dicitur infra *ad titul.* 20. Secundo scientia. De qua actum *ibidem a qu.* 241. *ad quæst.* 258. ubi etiam de gradu Magisterii & Doctoratus requisito quandoque in præficiendo. Tertio legitimitas natalium. De qua actum *in Foro benef. a qu.* 258. *ad qu.* 289. De hac legitimitate, quatenus requiritur ad ordines suscipiendos, dicetur infra *ad titul.* 17. Quarto fides. De qua actum *in foro benef. a q.* 289. *ad qu.* 302. Quinto carentia censurarum. De qua actum *ibidem a quæst.* 325. *ad qu.* 337. Sexto morum honestas & carentia infamiæ. De qua actum *ibidem a qu.* 337. *ad qu.* 351. Septimo carentia bigamiæ. De qua actum *ibidem a q.* 351. *ad qu.* 359. Quatenus vero ea requiratur ad ordines dicetur infra *ad tit.* 21. Octavo carentia servitutis seu libertas. De qua actum *ibidem a qu.* 359. *ad qu.* 363. Et quatenus ea requiratur ad ordines dicetur *ad tit.* 18. De cetero de his & aliis qualitatibus requisitis specialiter in Vicario Generali Episcopi actum a me *in Vicario Episcopal. a qu.* 36. *ad q.* 56. De qualitatibus vero Vicarii Capitularis Sede vacante *ibid. a q.* 557. *ad q.* 562. De qualitatibus Archidiaconi *ibid. a q.* 670. *a q.* 672.

QUÆSTIO DCXI.

Quis Ordo in præficiendis requiratur.

RESP. De hoc actum a me *in foro benef. p.* 1. *a q.* 302. *ad qu.* 325. ubi etiam de professione requisita in quibusdam præficiendis. De ordine autem requisito in Vicario Episcopali actum *in Vicar. Episc. a q.* 40. *ad* 43. De requisito in Vicario Capitulari *ibidem quæst.* 560. De requisito in Coadjutore, *ibidem quæst.* 378. de requisito in Archidiacono *ibidem quæst.* 671.

TITU-

TITULUS XV.

DE SACRA UNCTIONE.

QUÆSTIO DCXII.

Quid hic intelligatur per sacram unctionem & quotuplex ea sit.

1. Resp. ad primum. Intelligi hic per unctionem sacram materialem olei puri vel etiam balsamo mixti delibutionem, factam secundum ritus Ecclesiæ. Hostiens. *in summ. hoc tit. num.* 1. Agitur autem de ea hic, quia ea in variis Ordinationibus intervenit.

2. Resp. ad secundum. Unctio hæc duplex est, una interior & invisibilis seu spiritualis quæ fit in corde seu anima per Spiritum S. altera exterior visibilis & materialis, quæ fit in corpore & est signum interioris & invisibilis unctionis, prout dicitur *cap. unic. hoc tit. §. scire*. Complectitur hæc unctiones septem, nempe eam, quæ contingit in consecratione Episcopi. Quæ fit in Ordinatione Sacerdotum. Quæ adhibetur in Baptismo & Confirmatione; & eam, quæ peragitur in Sacramento Extremæ Unctionis. Quæ intervenit in consecratione altaris, templi, calicum &c. Quibus accedit inunctio Regum. Quæ unctiones omnes una cum suis mysticis significationibus referuntur *capit. unic. hoc tit.* Unde etiam hæ septem unctiones ad tres classes revocari possunt. Dum earum aliqua, nempe illa Regum nec Sacramentum nec Sacramentale est; utpote nec per se gratiam causans, neque ad Sacramentum aliquod perficiendum vel suscipiendum ordinatur. Aliquæ vero, etsi Sacramentum non sint, ordinantur tamen ad Sacramentum suscipiendum, vel conficiendum, vel perficiendum. V. gr. quæ fit in vertice baptizandi & in manibus ordinandi in Presbyterum. Aliæ denique sunt seu constituunt Sacramentum. Qualis est, quæ fit in fronte baptizati in collatione Confirmationis. Quæque adhibetur infirmis. Ac denique juxta aliquos, quę fit in consecratione Episcoporum. Nunc breviter de eorum singulis.

QUÆSTIO DCXIII.

Num unctio, quæ fit in consecratione Episcopi, sit de ejus substantia, qualiter fiat & quæ ejus materia.

1. Resp. ad primum. Probabilius longe est, & tantum non certum, non spectare illam ad substantiam consecrationis in Episcopum, sed hujus materiam essentialem esse solam manuum Episcopalium impositionem, & formam: *Accipe Spiritum S. &c.* Gl. *in cap.* 1. *dist.* 75. *v. tertio* Gonz. *in cap. unic. hoc tit. num.* 5. Sylv. *v. Ordo* 2. *num.* 4. Sa *v. eodem num.* 7. Vasq. 3. *part. dist.* 240. *cap.* 5. Laym. *l.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 1. Diana *part.* 12. *tract.* 1. *resol.* 17. & 18. Castrop. *tr.* 27. *d. unic. part.* 2. *num.* 1. *&c.* contra Isambert. *part.* 3. *de Sacram. Ord. dist.* 3. *a.* 4. Sylvium *p.* 3. *qu.* 40. *a.* 5. Medin. *de continent. clerical. l.* 1. *c.* 17. &c. quod autem Chrismatica illa unctio sit ritus solummodo accidentalis, ex eo videtur patere, quod in Orientali Ecclesia in consecratione Episcoporum ea omnino omittatur, eaque peragatur sola impositione manuum ac pallii super caput consecrandi, quæ & ipsa impositio pallii est ritus accidentalis; quia & hæc in Ecclesia Latina omittitur. Item ex verbis Apost. 1. *ad Timoth. cap.* 4. *v.* 14. *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam* (hoc est, per verba: accipe Spiritum S. tanquam formam) *cum impositione manuum Presbyterii.* Item 2. *ad Timoth.* 1. *v.* 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* In quibus textibus collatio gratiæ tanquam effectus Sacramenti per consecrationem collati adscribitur soli impositioni manuum. Sic quoque, nulla facta mentione unctionis in Concilio Antiocheno *Canon.* 10. & 17. dicitur quis accepisse Episcopatum per impositionem manuum; habenturque pro eodem, esse Episcopum consecratum, & percepisse manuum impositionem. Item in Concil. Carthag. 4. ubi agit de ordinatione Episcopi, nulla fit mentio dictæ unctionis. Probatur denique ex *cit. c. unic. h. t.* ubi Innoc. III. omissam in consecratione Episcopi alicujus dictam unctionem jussit solummodo ex post suppleri, & non propterea reiterari omnibus substantialibus denuo adhibitis consecrationem; quæ reiteratio absolute fieri debuisset, si dicta unctio fuisset de substantia consecrationis adeoque absque ea invalida. Argum. *c. solennitatis* 16. *dist.* 1. *de consecrat.* & *cap.* 1. & *fin. de Presbyter. non baptiz.* ita Hostiens. *in cap. unic. h. t. n.* 5. Sylv. *v. Ordo* 2. *num.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *a.* 4. *§. hinc fit.* Fagn. *in cap. fin. de sacram. non iterand. n.* 11. dicitur autem *loc. cit.* adhibenda dicta unctio ex præcepto divino & exemplo Apostolorum, non quod a Deo seu Christo immediate præcepta adhiberi; sed quia traxit originem ex præcepto divino veteris legis, ubi Deus *Exod.* 29. *v.* 7. præcepit Moysi ungere Aaron & filios ejus in sacerdotes; quod præceptum veteris legis cæremoniale etsi exspirarit morte Christi, nil tamen vetat, quo minus talia unctio exemplo illius veteris (quæ hujus typus erat) denuo ab Ecclesia ejusque Rectoribus Apostolis tanquam cæremonia sacramentalis induci ac præcipi potuerit. Gonz. *in citat. cap. unic. num.* 6. Wiestner. *hoc tit. num.* 39. Neque obstat in contrarium, quod in Pontificali Romano non ante, sed prius postquam inunctus vocetur Episcopus consecratus. Nam ex eo, quod non nisi undequaque etiam accidentaliter completa consecratione episcopali, noluerit tribui Episcopo nomen illud *consecrati*, non sequitur, ritus illos omnes in ea consecratione adhiberi solitos esse de ejus substantia, potuitque per hoc intendi, ut bene Wiestner. *loco citat.* ne alias alterutri diffidentium circa substantialia ordinationis Episcopalis DD. opinioni præjudicium crearetur; ut dum demum appellatio *consecrati* ei tribueretur, quando omnium calculo censeretur talis.

2. Resp. ad secundum. Fit hæc inunctio in capite & manibus, ut constat ex *c. unic. h. t. §. ad exhibendum.* In capite, quia personam Christi, quem unxit Deus Spiritu S. *Actor.* 10. quique caput est Ecclesiæ invisibile, in pontificali officio repræsentat Episcopus, ac ita etiam hac ratione Episcoporum tanquam Ecclesiæ capitum ac Principum potestas vicaria declaretur. In manibus, ut ejus dignitatem non otiosam, sed negotiosam, & ad operandum bonum ad omnes maxime domesticos fidei, institutam esse denotetur. Barbos. *de off. Ep. p.* & *tit.* 1. *c.* 5. *num.* 10. & 12. Estque hæc inunctio ita necessaria, ut si forte per errorem vel ignorantiam omissa, ex præcepto suppleri debeat, juxta quod habetur *cit. cap. unic. h. t.* & dicetur amplius *ad t. seq.*

3. Resp. ad tertium. Hujus unctionis materia est Chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo; ita ut licet sufficiat quodcunque verum balsamum, quale non minus est Indicum quam Syriacum seu Palæstinum, utpote eandem habens boni odoris fragrantiam & effectus, etsi colore differat: non tamen sufficiat oleum quodcunque. V. g. lino vel nucibus expressum, sed olivarum; eo quod hoc solum proprie & simpliciter olei nomine ab universa Ecclesia intelligatur. Suar. *p.* 3. *d.* 33. *s.* 1. *concl.* 3. Castrop. *tr.* 20. *d. unic. p.* 2. *n.* 3.

QUÆSTIO DCXIV.

Qualis sit illa inunctio adhiberi solita in ordinatione Sacerdotum.

Resp. Fit illa in manibus, ut constat ex Pontificali Romano *tit. de ordin. presbyt.* non tamen Chrismate, sed simplici oleo olivarum benedicto, seu oleo catechumenorum. Gloss. *in cap. præterea dist.* 23. *v. Chrismatis.* Hostiens. *in sum. h. t. n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 2. Licet autem hæc inunctio sit antiquissima Ecclesiæ cæremonia, non tamen pertinet ad sacramenti substantiam. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 12. *n.* 4. Gobat. *Th. experim. tr.* 8. *n.* 128. Wiestn. *h. t. n.* 30.

QUÆSTIO DCXV.

Qualis sit illa inunctio, quæ adhibetur in Baptismo.

1. RESp. primo, illam esse triplicem. Prima fit, antequam conferatur Baptismus seu fiat affusio aquæ, in pectore baptizandi oleo catechumenorum seu oleo simplice benedicto, de qua unctione est textus *Can. deinde 70. d. 4. de consecr. ut Sacrum Baptisma cum fide accepta custodiatur, inungitur illius* (baptizandi) *pectus de oleo sanctificato cum invocatione SS. Trinitatis, ut nulla reliquiæ latentis inimici in eo resideant, sed in fide SS. Trinitatis mens ejus confortetur.* Secunda fit quoque ante Baptismum de eodem oleo inter scapulas, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur, prout dicitur *eod. Can.* Tertia post Baptismum, in vertice baptizati Sacro Chrismate, ut significetur, baptizatum jam effectum Christianum, & tanquam membrum conjunctum capiti Christo, sic appellato a Chrismate seu inunctione.

2. Resp. secundo. Tametsi hæ unctiones baptizandi & baptizati sint ritus antiquissimus sacer ab Ecclesia præceptus, non tamen pertinent ad sacramenti substantiam, ut habet communis TT. uti hoc ipsum patet ex eo, quod urgente necessitate sine Chrismatica illa & aliis unctionibus etiam a laicis valide conferatur. Sed neque contrarium evincitur ex eo, quod *can. si quis in alio* 122. *d. 4. de consecr.* de illa Chrismatica inunctione facta in vertice baptizati dicatur, temeritatem omittentis illam vergere in damnationem, & a Gl. *fin. in c. quoniam de sent. excom. in* 6. obnoxia esse pœnæ dispositionis; quin & ab eadem Gl. conferatur cum unctione Chrismatica adhibenda in confirmatione, quæ utique est de illius sacramenti substantia; nam non confertur cum ea quoad ipsius sacramenti, sed duntaxat ad præcepti ecclesiastici eam sub gravi culpa exposcentis necessitatem.

3. Resp. tertio. De præcepto Ecclesiæ est, in his unctionibus non vetus oleum vel Chrisma, hoc est, jam ab anno benedictum, sed olea de novo benedicta & chrisma de novo confectum adhibere, *Can. litteris* 18. *d. 3. de consecr.* & *c. Can. si quis alii* &c. ubi adhiberi vetus Chrisma extra mortis periculum taxatur tanquam temeritas. Patetque hoc ipsum ex antiquo Ecclesiæ usu & praxi, dum singulis annis in Cœna Domini nova olea sanctificantur & Chrisma novum conficiatur, veteribus oleis & Chrismate novo igne Sabbato Sancto, vel etiam igne alio comburuntur. His tamen non obstantibus in Germania in locis diœcesium ampliorum a Cathedralibus longius remotis consuevisse uno alterove, vel etiam tertio die post Cœnam Domini olea vetera & Chrisma vetus adhiberi notat nec improbat. Gobat. *Th. exper. tr. 2. nu.* 511. quamvis, dum mora vacat periculo, malit Baptismum differi eumque etiam unctionibus istis omissis, vel potius, donec nova afferantur ministrari consulat Marchan. *pastoral. ref. to. 2. de Sacr. c. 2. nu.* 3. apud Wiestner. *h. t. n.* 3.

QUÆSTIO DCXVI.

Qualis sit unctio, quæ adhibetur in Sacramento Confirmationis.

1. RESp. primo. Fit illa manu Episcopi confirmantis, & quidem pollice manus dextræ in fronte Baptizati in crucis figuram sub hac verborum forma: signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.

2. Resp. secundo. Est dicta inunctio de essentia & substantia Sacramenti Confirmationis, tanquam materia ejus proxima. D. Th. 3. *p. q.* 72. *a.* 9. Suar. *c. d.* 33. *s.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 5. Castr. *tr.* 20. *d. unic. p.* 4. *n.* 3. cum communi. Quamvis, quod fiat pollice, sit solum ex præcepto Ecclesiæ. Filiuc. *tr.* 3. *a.* 57. Gobat. *l. c. n.* 747. Wiestner. *h. t. n.* 15.

3. Resp. tertio. De necessitate & essentia Sacramenti est, ut fiat ab Episcopo tanquam ministro illius ordinario, ita ut sine privilegio vel delegatione validè fieri nequeat a non Episcopo consecrato, Concilio Trident. *Sess. 7. Can.* 3. dicente anathema ei, qui dixerit Sacramenti confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed etiam simplicem quemvis Sacerdotem; & Can. 7. subjiciente anathemati asserentes, confirmandi potestatem esse Episcopis & Presbyteris communem. Neque etiam ex delegatione seu commissione Episcopi propter generalem decisionem *c. aqua de consecr. Eccl.* Posse tamen fieri valide a simplice Sacerdote ex privilegio vel commissione Papæ, non secus, ac ab eodem aliæ facultates ordini Episcopali jure solum ecclesiastico reservatæ Sacerdoti simplici concedi possunt, habet communior & probabilior, quam contra Durand. & paucos alios cum D. Th. *l. c. a.* 11. tenent Nav. *in man. c.* 22. *n.* 8. Cov. *l.* 1. *var. c.* 10. *a n.* 7. Suar. *l. c. d.* 36. *s.* 4. Pignat. *to.* 6. *cons.* 32. *n.* 3. & 5. Fagn. *in c. unic. h. t. §. per frontis n.* 3. Barb. *de pot. Ep. alleg.* 30. *n.* 4. citans quamplurimos juxta *can. pervenit* 1. *d.* 95. ubi Greg. M. concedit, ut ubi Episcopi deessent, etiam Presbyter in fronte Baptizatos tangant Chrismate & Florent. *in decreto fidei §. secundum*; testificans, per Sedis Apostolicæ dispensationem est rationabili & urgente causa sim, licem Sacerdotem administrasse Sacramentum confirmationis. Item juxta praxin & usum Ecclesiæ, quo de facto tale privilegium concessum FF. Minoribus & Presbyteris Societatis JESU, commorantibus apud Indos testantur Henriq. *l.* 9. *c.* 27. *§.* 6. *lit. H.* & alii plures apud Pignat. *l. c. n.* 8. & Barb. *n.* 5. Neque urget in contrarium, quod Episcoporum & Presbyterorum gradus ex institutione divina sint distincti. Non enim hinc sequitur, quod ex eadem institutione omnia earũ ministeria ita sint distincta, quin quædam specialiter ex determinatione Ecclesiæ attributa Episcopis, justa de causa communicari queant Presbyteris. Barb. *in c. pervenit n.* 3. Neque etiam ex eo deducitur contrarium, quod ne quidem ex commissione Papæ simplici Sacerdoti committi possit confectio Chrismatis. Nam præterquam quod id negent plures graves DD. ratio illius est, quod confectio Chrismatis sit ex institutione divina, & non ex sola Ecclesiæ determinatione attributa solis Episcopis, ut dicetur paulo post. Neque denique ex eo, quod potestas ministrandi hoc Sacramentum nulla consuetudine competere possit simplici Sacerdoti, ut constat ex *c. quanto de consuet.* adeoque nec privilegio; cum quæcunque privilegia, etiam consuetudine, saltem immemoriali acquiri possunt Arg. *c. super de V. S.* & *l. hoc jure d. de aqua quotidian. & æstiv.* Nam præterquam istà æquiparatio privilegii & consuetudinis simpliciter non subsistat, ut patet ex eo, quod docui *in foro benef.* Laicus ex privilegio papali conferre potest beneficia ecclesiastica, nullatenus tamen id ei ex ulla præscriptione aut consuetudine, quamvis immemoriali, competere potest; subsistit ad summum, ubi talis consuetudo & præscriptio non est ipso jure reprobata (uti in præsente consuetudo consecrandi Chrismatis a simplice Sacerdote reprobatur *c. c. quanto*) & non est de re, quæ non nisi de supremi Principis vel summi Pontificis commissione & indulto concedi potest.

4. Resp. quarto. Unctionis hujus materia est oleum olivarum mixtum balsamo, & quidem hanc admixtionem balsami esse de necessitate præcepti traditione & usu ab ipsorum Apostolorum tempore recepto confirmati extra dubium est apud omnes, esse etiam de necessitate Sacramenti tanquam illius partialem materiam non secus ac oleum, docent Bonac. *d.* 3. *de Sacram. q. unic. p.* 3. Laym. *l. c. c.* 2. *nu.* 1. Suar. *d.* 33. *s.* 1. Pirh. *h. t. n.* 3. Reiff. *ad tit. de non iterandis Sacram. n.* 21. dicens esse communiorem & probabiliorem TT. nixi verbis Conc. Flor. *in decret. fidei §. secundum* ubi Eugen. Papa inquit: *secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ & balsamo, quod odorem significat famæ, per Episcopum benedicto* &c. Verisimilius vero esse admixtionem balsami non esse de necessitate Sacramenti astruunt Cajet. 3. *p. q.* 72. *a.* 2. Nav. *in man. c.* 22. *n.* 8. Sotus *in* 4. *d.* 7. *q.* 1. *a.* 2. Valent. *to.* 4. *d.* 5. *q.* 1. *p.* 2. *§. quæstio est.* Barb. *alleg.* 31. *n.* 5. & *Juris Eccl. l.* 3. *c.* 3. *n.* 29. Cov. *l.* 1. *Var. c.* 10. *n.* 4. Vivian. *in ration. Jur. Can. c.* . . . . *§. quia oleum ad t. de Sacram. non iter.* Engels *ibid. n.* 4. Wiestn. *ibid. n.* 9. nixi tum authoritate SS. PP. quorundam, puta S. Cypr. *Ep.* 70. Basil. *de Spiritu S. Ep.* 27. August. *l.* 5. *de Baptism. cap.* 20. aliorumque Chrisma vocantium simpliciter oleum benedictum, nulla facta mentione admixtionis balsami; tum maxime decisione Innoc. III. *c.* 1. *de Sacram. non iterand.* rescribentis, confirmationem in eo, qui non Chrismate sed oleo tantum inunctus, non iterandam, sed quod incaute omissum, caute supplendum; si enim admixtio balsami esset de substantia, adeoque ob omissionem hanc invalidum Sacramentum, absque dubio de novo una cum verborum forma repetenda inunctio, & sic Sacramentum validum conferendum, quamvis proprie, quod prius nulliter collatum, non dicatur iterari. Porro hi posteriores AA. ad verba illa Concil. Florent. respondent; ibi assignando confirmationis materiam non recenseri id solum, quod ex institutione divina est de necessitate Sacramenti, sed etiam ea, quæ necessaria sunt ex præcepto Ecclesiæ; uti patet ex eo, quod *ibid. §. tertium* dicatur in Eucharistia adhibendum vinum de vite cum modicissimæ aquæ admixtione.

5. Resp. quinto. Item hujus unctionis materia in Ecclesia occidentali seu latina est oleum solo balsamo mixtum; in Ecclesia vero orientali seu græca præter balsamum admiscentur plurimæ aliæ species aromatum, & una cum oleo in massam quandam mollem decoquuntur, & ea frons confirmandi inungitur. De cujus materiæ valore etsi plures dubi-

dubitent propter citata verba Concil. Florent. pro materia confirmationis remota statuentis oleum balsamo mixtum, a quo dicta massa Græcorum videtur differre specie. Communius tamen sustinetur, esse adhuc materiam validam (saltem, dum in massa illa olei qualitas & balsami odor prævaleat & perseverent, & ante ejus usum in oriente non invaluit schisma, ut Gobat. *Theol. experim. tract. 2. nu. 745.*) tum ob dictum Dionysii *in l. de Hierarch. Eccles.* ubi loquens de Chrismate ait, hujus Sacramenti confectionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat. Tum ob quandam tolerantiam & approbationem Ecclesiæ latinæ. Dum neque Concilii Florent. PP. neque Pontifices, maxime Innoc. IV. *in constitutione sua de ritibus Græcorum observandis* Gregor. XIII. in responsis ad consulta Patriarchæ Maronitarum relata a Pignat. *Tom. 6. consult. 41. a num. 55.* Clem. VIII. in instructione pro Græcis Catholicis apud Card. de Lugo *l. 1. resp. moral. du. 8. n. 3.* nec quicquam contra hanc Græcorum usu receptam confirmationis materiam obmoverint; dum tamen multa circa sacramentorum & ipsius confirmationis ritus ab iis observatos decreverint & corrigenda censuerint, tum denique quia ad effectus spirituales, ad quos specialis gratia in confirmatione confertur, nimirum conscientiæ nitorem & famæ bonæ odorem juxta *c. unic. h. t.* significandos non minus dictæ species aromaticæ, quam solum balsamum admixtum oleo conducunt.

6. Resp. sexto. An unctionis hujus materia, & quidem absolute necessaria necessitate sacramenti sit dictum Chrisma ea oleo & balsamo confectum non nisi ab Episcopo ita ut confectum a simplice sacerdote nequaquam & in nullo casu sufficiat, in eo inquam non conveniunt AA. posse enim hanc confectionem Chrismatis sufficientis ad validam confirmationem justa ex causa committi simplici sacerdoti a Papa, tenent Cajet. *3. p. q. 72. a. 2.* Victoria *in sum. de confirm. §. 43.* Gobat. *c. n. 745. &c.* hac nixi potissimum ratione; quod si ipsa Chrismatio seu administratio Sacramenti confirmationis committi possit a Papa simplici sacerdoti, etiam ei committi possit confectio Chrismatis ad validam ejus administrationem necessaria; cum concessa aliqua potestate, concessa etiam videantur ea, quæ ipsius exercitium requirit. Argum *c. præterea de off. delegat.* & *l. ad rem ff. de procurat.* quodque nihil in contrarium jure decisum reperiatur, dum in Concilio Flor. ubi pro materia asseritur Chrisma ab Episcopo benedictum, multa ut dictum enumerentur, quæ non sunt de substantia hujus sacramenti. Unde hanc sententiam non carere probabilitate censent Suar. Barbos. apud Wiestner. *h. t. nu. 14.* qui etsi idem se sentire dicat, addit tamen, se in re hac non minus ardua quam ambigua malle suum judicium suspendere & expectare Apostolicum cum Reginald. *in pr. fori pænit. l. 28. c. 2. n. 8.* Nihilominus longe plures, quos citatos vide apud Barbos. *alleg. 30. n. 6.* tenent contrarium nimirum ad materiam remotam sacramenti confirmationis spectare ipsam benedictionem episcopalem Chrismatis; materiam autem sacramenti, quo ad substantiam mutari non posse a Papa; adeoque non benedictioni episcopali subrogare sacerdotalem. Præterquam, quod hi AA. pro se adducant verba citata Florent. Concil. roboratur multum eorum sententia ex eo, quod teste Fabiano Papa *Epist. 2.* Christus docuerit Apostolos modum conficiendi Chrisma, quem Ecclesia semper servaverit, & Chrismatis confectionem seu benedictionem simplici sacerdoti commisisse nesciatur, licet huic quandoque ipsam Chrismationem commiserit, ut etiam advertunt PP. Florent. Concil. Quod facit, quod Gregor. XIII. Sacerdotibus Societatis JESU in Indiis potestatem administrandi sacramentum confirmationis Chrismate ab Episcopo benedicto concessisse perhibeatur a Suar. *l. c. f. 2. in fine* apud Wiestner *l. c.*

QUÆSTIO DCXVII.

Quod hujus unctionis initium & usum, quæ necessitas, quod subjectum, quis effectus.

1. Respond. Ad primum designatam esse hanc inunctionem veluti sacramenti confirmationis materiam proximam, non secus ac aliorum sacramentorum materias in institutione eorundem a Christo, indubitatum ex juxta Trident. *sess. 7. cap. 1. de sacramentis*, ubi sacramenta legis novæ omnia a Christo instituta definitur. Quod ipsum factum esse in cæna ultima, recepta est TT. sententia. Sumpta ex cit. Fabiani Papæ *Epist. 2. ad orientales cap. 1.* Usus tamen & administratio hujus inunctionis seu confirmationis nullus fuit ante Ascensionem Domini. Cujus etiam rationem dat D. Th. *3. part. quæst. 72. ar. 1.* Quod in hoc sacramento detur plenitudo Spiritus S. quæ non erat ante resurrectionem & ascensionem, dicente Evangelista *Joan. 7. v. 39. nondum erat Spiritus S. datus, quia JESUS nondum erat glorificatus.* Porro antiquo Ecclesiæ usu fuit confirmatio statim cum Baptismo indiscriminatim omnibus collata teste Tertull. *L. d. Baptism. cap. 7. & 8.* Baron. *ad annum* 371. Ab eo dein usu plerarumque ecclesiarum consuetudine recessum, & dilata confirmationis collatio ad usum usque rationis, qui septennio adesse solet; adeoque eo usque differendam eam esse, nisi forte usus rationis manifeste anteverterit, vel mortis periculum aliave causa rationabilis aut consuetudo aliud exposcat, censent cum Sylv. *v. confirmatio* Suar. *d. 35. f. 2.* Laym. *l. c. n. 1.* Castrop. *l. c. p. 7. num. 4.* tum ut decentius & fructuosius suscipiatur; tum ut reiterationis periculum removeatur; dum, si infantibus ministretur, hi susceptionis non recordentur: neque etiam confirmatorum nomina tam accurate annotentur, ad hæc confirmatio ex cohabitatione inter fideles non præsumatur, sicut præsumitur Baptismus, ita fere Wiestner.

2. Resp. Ad secundum, tametsi aliqui cum Sylv. *v. confirmatio, n. 2.* censeant, esse fidelibus impositam obligationem confirmationis recipiendæ juxta quod *Can. Spiritus S. 2. dist. 5. de consecrat.* dicitur: *continuo transituris regenerationis* (seu Baptismi) *beneficia sufficiant; victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt &c.* & quia suscepris regenerationis & confirmationis Sacramentis prius pleni seu perfecti Christiani inveniri dicantur. *Can. 1. dist. ead.* Communior tamen & verior, quam cum D. Th. *loc. cit. a. 8. ad 4.* & Abb. *in c. quanto* tenent Suar. *d. 38. f. 2. §. quo circa* Laym. *l. 5. tr. 3. c. 2. num. 4. &c.* negat, per se dari hanc obligationem; cum neque divino neque ecclesiastico præcepto imposita alicubi constet, neque etiam confirmatio faciat Christianum plenum & perfectum quo ad substantiam, utpote quod jam factum in Baptismo, sed quo ad abundantiam & perfectionem gratiæ. Unde neque necessaria absolute & simpliciter, sed secundum quid, id est, valde conveniens ad gratiæ incrementum & perfectionem consequendam ut AA. iidem. Dixi *per se*. Nam culpa non caret omissio hujus Sacramenti ex contemptu vel vilipendio, uti etiam facta ab eo, qui ea non recepta fidei aut charitatis amittendæ periculum sibi imminere credit, ut cum Castrop. *tr. 20. dist. unic. p. 8. n. 6.* Wiestner. *h. t. num. 26. in fine.* Incumbere vero necessitatem & obligationem ad ministrandum hoc sacramentum per se vel per alium Episcopo, & quidem peccaturum mortaliter, si longo tempore omittat conferre in sua Diæcesi; eo quod hac omissione & diuturna dilatione curæ suæ pastorali commissas oves magno fructu spirituali & ad fidem conservandam aptissimo remedio privet, censent Suar. *l. c.* Laym. *nu. 4.* Castropal. *num. 13.* Barbos. *allegat. 30. num. 19.* apud Wiestner. *num. 27.*

3. Resp. ad tertium. Subjectum hujus inunctionis capax est omnis homo viator baptizatus nondum confirmatus *c. 1. dist. 5. de consecrat.* Etiam perpetuo amentes; unde num horum confirmationem omittendam, tradit D. Thom. *l. c. a. 8.* & cum eo Suar. *loc. cit. f. 2.* Laym. *cap. 5. num. 3.* Barbos. *num. 21. & 7.* eo quod capaces sint augmenti gratiæ in Baptismo receptæ, qui est præcipuus hujus sacramenti effectus, & ab accidentaria illa incapacitate specialis auxilii ad fidem palam confitendam non impeditur. Unde etiam iidem AA. cum D. Thom. *l. c. ar. 8. ad 4.* docent, non negandam moribundis petentibus si commode ministrari potest, non obstante *Can. Spiritus S. d. 5. de consecrat.* etsi enim, ut ibi dicitur, confirmationis auxilia continuo transituris necessaria non sint; sunt tamen & ipsis valde convenientia, & si usum rationis habeant, multum profutura ad faciliorem beatitudinis consecutionem; quin & contra tentationes adversus fidem. Quamvis autem damnatis ad mortem in Hispania quandoque ministratum hoc sacramentum, in Germania tamen id nullatenus receptum. Gobat. *l. c. num. 756.*

4. Resp. ad quartum. Effectus hujus inunctionis seu confirmationis præter characterem, quem animæ imprimit indelebilem. Conc. Florent. in Decret. fidei. §. secundum & Trident. *sess. 7. can. 9. de Sacrament.* est augmentum gratiæ acceptæ in Baptismo cum speciali auxilio ad bene operandum, & Christi fidem, si opus fuerit, libere, fortiter, constanter palamque profitendam *c. 1.* & *Can. Spiritus S. dist. de consecrat.* D. Thom. *p. 3. q. 72. a. 5. & 8.* Suar. *part. 3. d. 34. f. 2. in princ.* Castrop. *l. c. p. 4. a n. 5.*

QUÆSTIO DGXVIII.

Quæ sit Unctionis extremæ institutio, materia & forma & recipiendæ necessitas, quis minister.

1. RESp. ad primum. Extrema unctio sic dicta, quia infirmis tantum in extremo vitæ periculo constitutis confertur. Institutam eam a Christo, uti & alia sacramenta, indubitatum est, & constat ex Concilio Florent. *in decreto fidei §. quintum* & Trident. *seff. 14. cap. 1. & 2.* de extrema unctione. Institutam eam aliqui censent, dum Apostoli ad prædicandum Evangelium missi sunt; dum Marci *cap. 6. v. 13.* dicitur: *ungebant oleo multos & sanabant.* Alii verosimilius ibi solum adumbratum hoc sacramentum, institutum autem post resurrectionem Domini Joan. 20. *v.* 22. quo tempore perfecte institutum est pœnitentiæ sacramentum, cujus extrema unctio est consummativa, ita sentiunt cum D. Chrysost. *l. 3. de sacerd. post princ.* & Orig. *Homil.* 2. Suar. 3. *p. d.* 39. *f.* 2. *num.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 2.

2. Resp. ad secundum. Unctionis extremæ materia remota est oleum olivarum benedictum ab Episcopo eodem anno, ut constat ea Concil. Florent. *cit.* Trid. *l. c.* Dicitur primo benedictum, ita ut oleum non benedictum sit materia invalida; non tamen, ubi oleo benedicto miscetur non benedictum in minore quantitate. V. g. duabus unciis olei benedicti una uncia non benedicti; eo quod tunc totum oleum benedictum censeatur *c. quod in dubiis v. consecratum* his non obstante, quod aqua, etiam modica, admista vino consecrato non transeat in sanguinem Christi. Consecratio siquidem, per quam immutatur substantia vini in substantiam sanguinis tunc solum hunc suum effectum producit, cum physice præsens est materiæ consecrandæ, & ex institutione divina nullatenus se extendit ad materiam huic materiæ consecrandæ aliquando admiscendam. D. Thom. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 8. Suar. 3. *part. disp.* 54. *f.* 2. Lugo *de Euch. d.* 10. *c.* 3. *n.* 41. cujus contrarium contingit in benedictione olei vel aquæ per preces Ecclesiæ, immutata substantia olei; quarum precum vis ex dispositione Ecclesiæ porrigitur quoque ad oleum vel aquam puram admixtam in minore quantitate oleo vel aquæ benedictis *cit. c. quod in dubiis.* Sicut e contra dum major quantitas olei non benedicti minori parti olei benedicti affunditur, hoc etiam benedictionem admittit, majore parte trahente minorem ad formam majoris. His non obstante, quod minor quantitas sit dignior; cum in his solum casibus minus dignum trahatur ad formam magis digni, in quibus digniuris vis naturalis est major, ut Sylv. *v. aqua n.* 3. ne alias guttam olei benedicti infusam dolio olei non benedicti communicare huic benedictionem dicendum sit, quod est absurdum. Quod si tamen major pars olej non benedicti minori parti olei benedicti, non una vice, sed successive admisceretur, ita ut semper eodem tempore, quo oleum non benedictum affunditur benedicto, hujus major existat quantitas, minus digni major quantitas traheretur a magis digno existente in minore quantitate. Uti id patet in simili, dum destructis successive Ecclesię partibus minoribus, remanente semper majore parte, partes minores reædificantur, tota Ecclesia censetur consecrata, nec nova eget consecratione, licet partes illæ de novo successive reædificatæ simul sumptæ, etiam duplo majorem partem respectu partis, quæ semper remansit, constituerent. Et ita sentiunt, Azor. *part.* 2. *l.* 9. *cap.* 15. *quæst.* 6. Diana *part.* 11. *tract.* 3. *resol.* 15. Barbos. *in cit. c. quod in dubiis num.* 5. Gonz. *ibid. num.* 1. Gobat. *Th. experim. tract.* 8. *num.* 786. Pirh. *ad tit. de consecrat. eccles. num.* 9. apud Wiestner. *h.* 1. *num.* 45. quamvis Marchant. *pastoral. resol. tract.* 6. *de Sacram. cap.* 4. *in fine* de admiatione illa successiva, saltem sæpius iterata, non parum ambigens, optet, ut Episcopi in majore quantitate oleum sacrum, maxime infirmorum distribuant, ne incauta miatione materia Sacramenti evadat dubia. Dicitur secundo *benedictum ab Episcopo*: ita ut seclusa commissione Apostolica aut privilegio, oleum benedictum a simplice Sacerdote, sit materia invalida, uti *q. praced.* dictum de Chrismate. Quod autem benedictio illa simplici Sacerdoti a Papa committi possit, tenent cum Cajet. 2. 2. *q.* 72. *a.* 3. Bonac. *de Sacram. d.* 7. *q. unic. p.* 2. *num.* 3. Barbos. *de offic. paroch. cap.* 22. *num.* 24. *&c.* Quin & de facto hanc benedictionem valide peragi a simplice Sacerdote in ecclesia Orientali, hunc morem approbante Clem. VIII. *in instruct. de ritibus græcor.* relata ejus *constitut.* quę incipit: *Sanctissimus edita 31. Aug.* 1595. testatur Illsung *Th. pract. tract.* 6. *d.* 7. *num* 2. apud Wiestner. *hoc t. num.* 43. Dicitur tertio: *benedicto eodem anno*: ita juxta traditionem apostolicam præcipiente Fabiano Papa *canon. literis* 18. *dist.* 3. *de consecrat.* Nibilominus urgente necessitate oleum vetus adhiberi posse, donec novum ab Episcopo petitum transmittatur, tenent Laym. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 4. Barbos. *num.* 25. Wiestner. *num.* 46. cum communi.

3. Resp. ad tertium. Materia proxima hujus Sacramenti est ipsa inunctio, ut constat ex Concil. Florent. & Trident. *LL. cit.* facta sub forma crucis. *Can. nunquid dist.* 5. *de consecrat.* juncta Gloss. *v. nisi cruce* in quinque sensibus. Imo secundum Florent. *§. quintum* in septem corporis partibus: oculis, auribus, naribus, ore, pedibus, renibus. Omissa tamen semper in fœminis & fere etiam semper in religiosis unctione in renibus ob decentiam & honestatem. Quin insuper alicubi in pectore. Licet autem quinaria illa inunctio sensuum, ubi fieri potest absque gravi salutis periculo, sit necessaria necessitate præcepti, quin & ut volunt quidam, necessitate Sacramenti. Probabilius tamen est, ad valorem Sacramenti sufficere unctionem unam alicujus sensus, etiam citra necessitatem adhibiram sub hac forma: *per illam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & incessum.* Eo quod quinarum illarum unctionum particularium necessitas absoluta aut etiam præceptum grave neque ex verbis *Epist. Jacob. cap.* 5. *v.* 14. & 15. neque ea Conciliis, neque ex ulla ratione colligatur. Quin etiam praxis habet in pluribus Germaniæ Diœcesibus teste Gobat. *loc. cit.* ut grassantibus morbis valde contagiosis. V. gr. peste, unus tantummodo sensus maxime expositus injungatur sub dicta forma,

4. Respond. ad quartum. Primo, per se loquendo non est necessitas seu obligario hoc Sacramentum recipiendi. Ita cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 23. *art.* 1. *quæst.* 3. Navar. *in man. c.* 22. *num.* 16. Covar. *in cap. alma mater part.* 2. *§.* 2. *num.* 6. Suar. 3. *part. d.* 44. *f.* 1. *num.* 1. Laym. *l. c. cap.* 7. *num.* 1. habet communis TT. uno aut altero forte dissentiente. Eo quod licet valde conducens ad salutem sit medium, non tamen sit necessarium, deque ejus receptione nullum exstet præceptum divinum aut ecclesiasticum, dum verba Jacob. Apostol. intelligi optime possint de solo consilio. Et sane alias, si præcepti esset, ejus administratio fidelibus petentibus tempore interdicti non esset interdicta *c. quod in te de pænit. & remiss. c. fin. §. ceteris de sent. excomm. in* 6. Diai *per se*: nam præterquam quod videatur non carere culpa veniali, ut Suar. *l. c. num.* 4. Laym. *num.* 1. Castrop. *p.* 8. *num* 2. Gobat. *n.* 818. Saluberrimum hoc salutis subsidium a Christo institutum specialiter ad hoc & ab Ecclesia usitatum in periculosissimo agone, dum commode fieri potest, sine rationabili causa non suscipere; per accidens tamen videtur vix evadere culpam lethalem, ut Wiestn. *h. t. n.* 54. qui illud omitteret cum aliorum scandalo, aut etiam qui mortalis peccati sibi conscius aliud Sacramentum recipere non valeret, vel Dœmonis tentationes eo articulo a se non superandas certo sibi persuaderet.

5. Resp. ad quartum secundo. Illud administrandi obligatio justitiæ incumbit Parochis similibusque curatis ex officio ita ut si illud sine gravi causa denegarent, vel diutius, dum adest periculum sine eo decedendi differendo peccent graviter. Eo quod tales non tantum ad remedia salutis necessaria, sed quoque valde utilia a Christo pro illo articulo periculosissimo specialiter instituta & usu Ecclesiæ recepta ministranda subditis ex justitia obligentur. Suar. *loc. cit. num.* 1. Laym. *nu.* 3. Castrop. *num.* 4. Wiestner. *nu.* 57. Teneri quoque ad id Sacerdotes alios parocho deficiente vel ministrare illud recusante ea charitate graviter, dum infirmus aliud nullum Sacramentum recipere posset; quia tunc eo graviter egere præsumatur, dependente forsan tunc ex ejus perceptione æterna ejus salute, tenent Laym. Castrop. Wiestn. *LL. cit.* A qua tamen obligatione gravi fere unicus casus excusans est, dum moraliter certo ea ejus ministratione immineret Parochi infectio, & eo sublato, non esset, qui vices ejus in administratione Sacramentorum supplere posset. Suar. *l. c. f.* 3. *num.* 20. Castrop. *num.* 5. Wiestn. *n.* 58.

6. Resp. ad quintum. Minister illius est Sacerdos quilibet, licite tamen extra casum necessitatis non nisi habens jurisdictionem ordinariam in infirmum. V. g. Proprius Episcopus Parochus similisve curatus vel ab eorum aliquo habens (intellige reipsa, aut saltem ex futura ratihabitione rationabiliter præsumpta) licentiam seu facultatem delegatam nulla censura impeditam; ita ut citra talem facultatem extra necessitatem administrans extremam unctionem Sacerdos non proprius peccet mortaliter. Regularis vero Sacerdos sæcularibus clericis vel etiam laicis eam administrans incurrat insuper ipso facto excommunicationem reservatam Sedi Apostolicæ. *Clem.* 1. *de privileg.* Nihilominus regularibus ea privilegio Apostolico permittitur eam ministrare religiosis tam clericis quam laicis,

imo

imo & sæcularibus monasterio intra ejus septa servientibus; uti & pauperibus in hospitalibus suo receptis uti de Societate JESU de ejus *privil. v. commend. v. familiares §. 1. & v. extrema unctio* habetur. Uti & ostendit Suar. *Tom. 4. de relig. tract.* 10. *l. 9. capit. 4. num.* 9. de aliis quoque religiosis tradunt Tamb. *de Jure Abb. Tom. 2. disp. 7. quæst.* 3. Gobat. *Th. exper. tract.* 8. *a nu.* 867.

QUÆSTIO DCXIX.

Qualis sit inunctio illa rerum quarundam ecclesiasticarum.

RESp. Inungi quoque solent juxta morem Ecclesiæ acceptum a Sancto Sylvestro altaria, cum consecrantur Ecclesiæ, aut templa dedicantur. Item calices, dum benedicuntur. Absque eo, quod exinde Ecclesia dici possit judaizare *c. unic. h. t. §. inungitur præterea* cum unctiones illæ veteris testamenti fuerint umbræ seu figuræ significantes futuram gratiam; novi vero testamenti unctiones sint veritas & significent gratiam præsentem. Laym. *in c. §. c. un. h. t.* De hac unctione vide pontificalia & ritualia. Dicentur etiam plura ad *t.* 40. *l.* 3.

QUÆSTIO DCXX.

Qualis sit illa inunctio Regum.

RESp. Imperator, Rex Romanorum, aliique Reges in inauguratione sua & coronatione more Regum Veteris testamenti inunguntur, non quidem in capite ut illi, sed in brachio dextro seu humero inunguntur fere Catechumenorum oleo (quamvis olim aliquando id factum sacro Chrismate teste Wiestner. *hoc tit. num.* 61.). ad significandam inunctorum dignitatem & principatum temporalem supremum juxta illud Isaiæ dictum alias de Messia: factus est principatus ejus super humerum ejus. Qua inunctione facta fere ab Archiepiscopo Primate Regni licet Imperatori aut Regi gratia nulla Sacramentalis aut etiam potestas spiritualis conferatur, ab ea tamen suo modo sacrantur, ut specialiter eis pateat ad altare aditus præ cæteris laicis: dicatur Imperator ab ea & post eam *Sacratissimus*, *Sacratissima Majestas*: uti & Reges alii *Sacri*, Sacrati, *Sacra Majestas*. Azor. *Institut. Moral. part. 2. lib. 10. capit. 5. quæstion. 2. in fine*.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

QUÆSTIO DCXXI.

Quæ Sacramenta, & cur non iteranda.

REspond. Tria Sacramenta, Baptismum, Confirmationem, Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse, de fide est, & definitum in Concilio Florent. *in decreto fidei §. quintum* in Trident. *sess. 7. can.* 9. Et sic de Confirmatione, eam non secus ac Baptismum reiterari non posse habet D. August. *l. 2. contra Ep. Petiliani cap.* 104. De ordine vero *l. de bono conjug. cap.* 24. ait: *manet in ordinatis*, & si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur Sacramento Ordinis imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. Tametsi autem adultus cum obice recipiens Sacramentum Baptismi Christo non renascatur, adhuc tamen reiteratione opus non est; cum valor Baptismi & Characteris impressio non pendeat a suscipientis dispositione bona vel mala gratiam per illam obtinendam impediente. Quin & hac in dispositione per actus fidei & pœnitentiæ sublatam in vi Baptismi prius suscepti perfecte renascitur Christo, plenamque omnium peccatorum etiam originalis remissionem consequitur non secus, ac si illum rite dispositus accepisset, ut cum D. Th. *in 3. par. quæst. 69. ar.* 10. Vasq. 3. *part. disp.* 161. *cap.* 2. TT. communiter. Tametsi autem præsens Titulus procedat tantum de dictis tribus Sacramentis, quæ iterari nequeunt absolute; in tantum tamen etiam in ceteris hæc reiteratio locum non habet, in quantum in eorum collatione nihil quoque iterandum: cum, ut ait August. *l. 1. contra Donatistas cap.* 5. prout refertur *in can. ostenditur dist. 4. de consec.* nulli Sacramento facienda sit injuria, qualis ei irrogaretur, si sacrilege reiteraretur v. g. si eadem hostia bis consecraretur, idem pænitens peracta confessione unica bis absolveretur. Dum vero dubium emergit, dum hic & nunc Sacramentum valide collatum non illico absolute reiterandum, sed denuo sub conditione, casu quo ante non valuisset, conferendum, ut de Baptismo dicitur *cap. de quibus de baptismo*, adeoque casu, quo a parte rei non valuisse, non iteratur per collationem secundam conditionalem; quia in ea habetur intentio nihil operandi, si prius valuit, adeoque nunc est intentio ponendi denuo Sacramentum. De cetero ratio hujus absolutæ non reiterabilitatis dictorum trium Sacramentorum est; tum quod indelebilem ac immutabilem animæ imprimant Characterem Spiritualem. Cujus hæc ulterior ratio solet afferri ex D. Thom. 3. *part. quæst. 63. art.* 10. *in corp.* quod ea non tantum sint remedium peccati, sed etiam immediate & directe ordinentur ad cultum divinum, cui per ea homo anthoratur & consignatur. Per Baptismum quidem tanquam ab infidelibus segregatus servus Christi & domesticus Dei. Per Confirmationem tanquam miles Christi ad contendam tuendamque ejus fidem deputatus. Per Ordinem tanquam constitutus minister Dei & mysteriorum Dei dispensator. Accedit quoque specialis quoad Baptismum hujus non reiterabilitatis congruentia. Tum quod sit quædam regeneratio & nativitas spiritualis, adeoque sicut uterum maternum repetere nequit homo, & corporaliter renasci, ut cum D. August. *tract.* 12. in verba illa Nicodemi *Joan. 3. v. 4. numquid potest homo in ventrem matris suæ iterato introire & renasci*. Tum, quod Baptismus principaliter institutus ad abolendum peccatum originale, quod unicum est, semelque ablatum iterato contrahi nequit, adeoque remedio iterabili respectu illius opus non sit, & pro relapsis in peccata actualia Sacramentum Pœnitentiæ iterabile sit institutum. Ita Laym. *l. 5. tractat.* 2 *cap. 5. nu.* 2.

QUÆSTIO DCXXII.

Si quæ in administratione horum Sacramentorum omissa actio seu solennitas, qualiter supplendum.

1. REsp. primo. Si omissum est aliquid substantiale pertinens ad substantiam & valorem eorum. V. gr. affusio aquæ in Baptismo, unctio in confirmatione, in Ordinatione Sacerdotum, traditio calicis cum vino &c. Non tantum hoc ipsum solum supplendum, sed omnibus substantialibus adhibitis denuo conferendum *cum solennitatibus dist. 1. de consecrat.* idque absque eo, quod per hoc reiteretur Sacramentum; non enim intelligitur reiteratum quod nunquam valide factum fuit juxta *capit. 1. & fin. de presbyter. non baptizat.*

2. Resp. secundo. Si vero omissum aliquid accidentale, quod ipsum tamen ex præcepto ecclesiastico & communi stabilique Ecclesiæ praxi & usu inductum & adhibendum, quales sunt v. g. in Baptismo exorcismi, insufflationes, inunctiones &c. Caute supplendum est juxta *cap. 1. hoc tit.* Gonz. *in cap. fin. hoc tit. num.* 8. Sylv. *v. ordo 2. num.* 10. Sanch. *l. 7. consil. du.* 13. *num.* 3. Diana *p. 12. tr. 1. Resol.* 50. Castrop. *tract.* 27. *disp. unic. p. 4. num.* 10. Hinc jam deducenda & resolvenda sequentia.

3. Primo. Dum dicitur *c. fin. h. t.* supplendam manuum impositionem omissam in ordinatione Sacerdotis; si id, ut placet Innoc. & Abb. *in cit. c. fin. num* 2. Barbos. *ibid. num.* 1. intelligendum de ea manuum impositione, quæ fit ante traditionem calicis cum patena, estque non consecratoria, sed tantum benedictoria & ritus quidam accidentalis, ut habet communior contra Richard. *in 4. disp. 24. a. 4. q.* 3. Vasq. *in 3. p. d.* 238. *n.* 33. Valent. Sot. &c. Solummodo ea supplenda. Si vero intelligendum de impositione illa manuum, quæ subsequitur traditionem calicis, & vere est consecratoria, utpote per quam & conjuncta ei verba: *accipe Spiritum S.* confertur potestas in corpus Christi mysticum, sive solvendi & ligandi, ut volunt Gonz. *in cit. cap. fin. num.* 10. Castrop. *tract. 27. disp. unic. part. 4. num.* 8. Engels *h. t. n.* 6. Wiestn. *h. t. n.* 9. cum

hæc quoque manuum impositio ad substantiam prioris ordinationis partialis, qua nimirum per traditionem calicis &c. confertur potestas io corpus Christi verum, quæque sine hac eam sequente manuum impositione subsistere potest & valida est, oon pertineat, etsi ipsa eam essentialiter præsupponat, unaque cum ea tanquam altera partialis ordinatio integram perfectamque Sacerdotis ordinationem constituat. Hinc inquam, ea omissa sola supplenda est, & nequaquam quoque traditio illa calicis etsi e contra si adhibita illa eam subsequente alias impositione manuum, omissa fuisset traditio calicis hæc non tantum supplenda, sed & repetenda denuo illa manuum impositio; quia cum hæc ex institutione divina essentialiter supponat traditionem calicis, sine ea facta fuit invalida.

4. Secondo. Dum dicitur *c. fin. h. t.* manus impositionem quæ fit io ordinatione Diaconi ab Episcopo sub hac verborum forma: *Accipe Spiritum S. & robur. &c.* casu quo omissa, caute supplendam. De ea suppletione pari modo loquendum, quo de suppletione impositionis manuum in ordinatione Sacerdotis omissa. Si enim est de substantia dictæ ordinationis tanquam partialis ejus materia, ut sustinent plures, quorum sententiæ inhæret Reiffenst. *h. t. nu.* 12. & 13. supplenda est sub dicta verborum forma, etiam post ceteras solennitates jam adhibitas. Quia sine illa Diaconatus ob defectum partialis materiæ partialiter est nullus, & solum valide collatus partialiter adhibita traditione libri Evangeliorum, adeoque imperfectus. Nequaquam tamen repetenda traditio libri Evangeliorum, aut etiam ceteræ cæremoniæ & solennitates. Non obstante, quod, si in ordinatione Sacerdotis, ut dictum, omissa est traditio calicis, non sufficiat eam suppleri, sed & iterato fieri debeat impositio manuum, per quam traditur potestas in corpus Christi mysticum. Nam traditio illa libri Evangeliorum non supponit essentialiter illam impositionem manuum, uti in ordinatione sacerdotis impositio manuum essentialiter supponit traditionem calicis; cum talis necessaria præsuppositio unius potestatis ad aliam orta ex Christi institutione respectu Diaconatus nullibi legatur. Si vero dicatur impositio illa manus dextræ Episcopi in Diaconatu esse solum solennitas accidentalis, ut diximus *ad tit. de temp. ordin.* ea omissa nihilominus caute supplenda. Nam io collatione Sacramentorum noo solum caute supplenda sunt, quæ spectant ad eorum substantiam, sed etiam quæ ex præcepto Ecclesiæ præsertim si tanquam ritus ab Apostolis introductus (qualis est & dicitur *cit. cap. fin.* dicta manus impositio in Diaconatu) ad solennitatem eorum pertineant, ne alioquin ex contemptu omitti videantur, ipsumque Ecclesiæ præceptum negligi. Vivian. *in Rational. c.* 1. & 3. *h. t.* citans alios. Reiffenstuel. *hoc t. num.* 12. uti id ipsum patet in Baptismo valide collato sine solennitatibus ex præcepto Ecclesiæ adhiberi solitis; dum hæ solennitates suppleri debent juxta *can. Spiritus S. §. ecce* 1. *qu.* 1. quamvis eas in multis locis io baptizatis urgente necessitate ab obstetricibus non suppleantur teste Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *cap.* 8. *num.* 10. Quin & loquendo in genere, solennitates hujusmodi etiam in collatione aliorum Sacramentorum omissæ supplendæ non sint, causa justa urgente earum omissionem. Juxta Quintanad. *tractat.* 6. *singular.* 2. *num.* 5. apud Wiestner. *hoc tit. num.* 16. qualis v. gr. necessitas est, dum sine gravi scandala fidelium, aut Catholicæ Religionis apud hæreticos ludibrio, aliisque incommodis publicis suppleri nequeunt. Et sane esset impossibilitas eas suppleri ab Episcopis in tot ab eis ordinatis & confirmatis per varias civitates & provincias dispersis. Porro dum suppletio illa omissorum in ordinationibus fieri debet, facienda statutis alias temporibus ad hos ordines conferendos. Reiffenst. *cit. num.* 12. juxta quod dicitur *in cit. cap. fin. hoc tit.*

5. Tertio. Dum dicitur *cap.* 1. *hoc tit.* impositionem manuum omissam in Subdiaconatu caute esse supplendam. Barbos. *in cit. c. n.* 1. Engels *hoc tit. num.* 7. & plures alii cum Innoc. *ibid. num.* 1. volunt textum hunc incuria librariorum esse corruptum, & pro Subdiaconatu legendum esse Diaconatu. Attestante etiam Glos. margin. *ibidem*, in duobus vetustioribus codicibus legi *Diaconatus*. Censent alii cum Gloss. *in citat. c. v. impositiom* Abb. *ibidem §. opponitur.* Laym. *ibidem num.* 1. inhærendo literæ textus per tot sæcula a summis Pontificibus tolerati, per hanc manuum impositionem intelligi non consecratoriam (qualis in subdiaconatu non datur) sed solum benedictoriam seu deprecatoriam. Verum, cum nulla omnino, ne deprecatoria quidem impositio manuum adhibeatur io collatione Subdiaconatus, ot constat ex Pontificali Romano, censent denique alii per impositionem manuum, quæ *citat. cap.* 1. dicitur caute supplenda, donec assumptus ad ordinem Subdiaconatus permittatur ministrare, intelligi primam tonsuram, vel susceptionem ordioum minorum, utpote quæ alibi in jure, puta *in canon. quoniam dist.* 69. *cap. cum contingat de ætat. & qualitat. præficiendor.* per manus impositionem intelliguntur. Ita ut hac ratione jura concordentur, mutuoque declarentur ad vitandam eorum correctionem; dum certum est, ordinatum in Subdiaconum omissa prima tonsura, vel aliquo minorum ordinum, non debeat in suscepto subdiaconatus ordine permitti ministrare, donec ea caute suppleta fuerint, prout habetur *c. unic. de cler. per saltum promoto.*

QUÆSTIO DCXXIII.

An quid iterandum vel supplendum, dum loco olei in Baptismo, ordinatione Sacerdotum & in extrema unctione adhibitum est Chrisma.

RESpond. negat. Tametsi enim ipsæ unctiones in Baptismo & ordinatione Sacerdotum ex præcepto adhibendæ caute suppleri debeant, casu quo omissæ, noo obstante, quod non sint de substantia & valore horum Sacramentorum, juxta dicta *ad tit. præced.* Licet etiam unctio ipsa in extrema unctione sit de illius substantia, quin & de præcepto extra casum necessitatis in eis adhibendum oleum purum sine admixtione balsami alteriusve materiæ; ubi tamen contra præceptum hoc voluntarie, vel etiam casu admixtum balsamum, nihil de harum unctionum substantia decedit, sed ipsæ revera & substantialiter positæ sont. Quin etiam, cum admixtio modica balsami (uti contingit io confectione chrismatis) olei naturam non destruat, sed ea maneat verum oleum ab Episcopo benedictum, in æstimatione omnium absolute & simpliciter dicitur adhibita inunctio olei. His non obstantibus, quod oleum catechumenorum adhiberi solitum in solenni Baptismo, & oleum infirmorum, quod adhibetur in extrema unctione, & chrisma quasi extrinsecus ob varios Ecclesiæ ritus, quibus benedicuntur & sacrantur hæc olea, differant. Adeoque non secus ac dum vino consecrato admiscetur modica aqua aliusve liquor ejus substantiam non corrumpens, est sufficiens & valida Eucharistiæ, ita & oleum, cui parum balsami admixtum est materia extremæ unctionis, itemque valida materia binarum aliarum illarum unctionum, ac consequenter nihil propterea iterandum aut supplendum, ut de extrema unctione expresse Suar. *in p.* 3. *Tom.* 4. *dist.* 40. *s.* 1. Reiff. *h. t. nu.* 28. & plures alii. Porro hæc eadem a potiore locum habere videntur, dum in consecratione altarium, Ecclesiarum, aquæ baptismalis, iounctione Regum loco olei adhibitum Chrisma ex oleo & balsamo confectum.

QUÆSTIO DCXXIV.

An quid iterandum aut supplendum, dum loco chrismatis, potissimum in consecratione Episcopi & Sacramento Confirmationis adhibitum fuit purum oleum ab Episcopo benedictum.

RESp. Si adhibitum oleum purum, vel etiam mixtum, non balsamo non naturali seu palestino aut Indico, artificiali, confecto ex variorum aromatum suaviter olentium mixtione, non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute prætermissum, ut respondet Innoc. III. *in cap.* 1. *h. t.* idque sive Chrisma dicatur esse solum de præcepto (quam sententiam tenui *ad tit. praced.*) sive dicatur esse de necessitate Sacramenti. Et quidem, si dicatur primum, suppletio illa fieri debet privatim seu caute nova inunctione, noo quidem solo balsamo (hoc enim noo est Chrisma) sed adhibendum oleum mixtum balsamo (hoc enim compositum adhiberi præceptum erat omissum adhibito solo oleo) ita tamen, ut non proferantur verba, vel saltem noo cum intentione iterandi Sacramentum, sed solum animo supplendi defectum, ut Eng. *loc. cit. num.* 5. Quamvis, dum adhibitum oleum balsamo artificiali mixtum, nihil omnino iterandum aut supplendum dicat Wiest. *h. t. num.* 15. sic responsum a Sede Apostolica desuper consulta testans, adducensque etiam binas rationes. Prima, quod balsamum artificiale, adhibitum sufficere videatur; partim quia præter aromatica verum balsamum admisceri soleat in Ecclesia Orientali; tum quia Chrisma ex oleo & balsamo artificiali confectum non secus, ac confectum ex oleo & balsamo vero æque conducat ad significandum nitorem conscientiæ & bonæ famæ odorem, ad quos effectus spirituales specialis gratia Sacramentalis datur, & per chrismaticam unctionem significatur, pro quo citat Cardin. de Lugo *respons. mor. L.* 1. *dub.* 8. *num.* 4.

Secun-

Secunda ratio, quod veri balsami suppletio in proposito casu sine gravi scandalo fidelium aliisque incommodis publicis moraliter sit impossibilis propter multitudinem personarum Episcoporum, Sacerdotum, confirmatorum longe lateque dispersarum: ad evitanda autem Scandala fidelium aliaque incommoda receditur a Jure, ut, quod alias non permittitur concedatur *can. 1. dist. 95. c. Dom devit. & honest. cler.* & e contra omitti possit & soleat, quod alias de jure humano fieri oporteret *can. 1. dist. 51. cap. cum teneamur de praeb. & dignit.* eaque in re maxime deferri soleat multitudini. *Can. ut constitueretur dist. 50. cap. sane de temp. ordin. c. quod dilecto de consang. & affinit.* Si vero dicatur secundum, supplendus calide defectus hic, faciendaque alia inunctio, cum Chrismate confecto ex oleo & balsamo vero cum debita verborum forma & intentione nimirum conferendi Sacramentum confirmationis, utpote quod nullum prius collatum fuit, ita tamen, ut aliae caeremoniae accidentales, puta, nova adhibitio patrini, alapae &c. ita Reiff. *h. t. nu. 21.* Pari modo loquendum de inunctione adhibenda in consecratione Episcopi & Presbyterorum, dum ea facta in oleo benedicto sine admixtione balsami, reflectendo tamen ad dicta a nobis ad *praec. tit.* ubi cum longe probabiliore, quod nequidem inunctio sit de essentia consecrationis Episcopi, aut etiam ordinationis in Presbyterum, multoque minus inunctio chrismatica. Porro, quod contra haec obmoveri posset: in dubio de valore sacramentorum, potissimum eorum, a quibus ea suscipientium aliorumque salus dependet, ut sunt Baptismus, consecratio episcopalis, ordinatio sacerdotum, utpote a quibus dependet valor absolutionum & ordinationis sacerdotalis factae ab Episcopo &c. pars tutior sit sequenda, adeoque ea iteranda (intellige sub conditione) in casu talis dubii, quale est in praesente casu ob sententiam contrariam gravium DD. consentientium de consecrationis Episcopalis essentia esse verum balsamum. Ad hoc inquam respondet Wiestner. *h. t. n. 14.* Dum *c. 1. h. t. & c. unic. de sacra unctione* non exigitur iteratio confirmationis ob defectum balsami in ea non adhibiti, & consecrationis Episcopalis ob defectum Chrismaticae unctionis in ea commissum, sed solum jubentur suppleri hi defectus, luculento argumento valoris talium sacramentorum iterationem non admittentis; cum Sacramenti characterem imprimentis iterationi locus tunc tantum sit, ubi ejus administratio ob alicujus substantialis defectum certo est invalida, aut ejus valor dubius est, qualis non est consecrationis episcopalis factae sine unctione chrismatica, & confirmationis factae sine balsamo, cum pro certis habeantur, *c. 1. & c. fin. h. t.*

QUÆSTIO DCXXV.

An vestes sacerdotales iterum benedici & altaria consecrari debeant, in quibus degradati sacerdotes sacrificarunt.

RESp. negative. Ita expresse *in c. 2. h. t.* estque ratio, quod per hujusmodi celebrationem vestimenta Sacerdotalia & altaria non polluantur neque execrentur; cum nullo jure id cautum reperiatur.

QUÆSTIO DCXXVI.

An calix consecratus de novo inauratus sit reconsecrandus.

RESp. affirmative, nimirum, quod calix argenteus consecratus per deaurationem amittat consecrationem, adeoque de novo sit consecrandus. Idem est, dum detrita priore inauratione, de novo inauratur. Sic habet probabilior & communior nixa praxi & consuetudine recepta Ecclesiae. Et ita tenent Suar. *Tom. 3. d. 81. s. 3.* Sa *v. calix nu. 2.* ubi quod quidem calici non pereat consecratio, si deauratio per usum decidat, si tamen de novo inauretur soleat iterum consecrari. Barbos. *de pot. Episc. p. 2. alleg. 27. num. 38.* citans Sylv. Azor. &c.

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

QUÆSTIO DCXXVII.

Quinam Filii Presbyterorum arceantur ab ordinibus.

RESp. Nequaquam arcentur ab ordinibus filii geniti ex justis nuptiis a patre, antequam is sacrum ordinem suscepisset, (idem est de genitis a matre, antequam ea religiosam professionem emitteret) sunt enim omni jure legitimi. Quin etiam tales ad summum Pontificatum assumpti leguntur. Sed neque procreati a Presbyteris aut Diaconis orientalis Ecclesiae post susceptum a parentibus sacrum Ordinem, arcentur ab Ordinibus, etiam inter latinos *c. cum olim de clericis conjugat.* Sunt enim & hi legitimi, utpote nati ex legitimo matrimonio usuque ejus honesto & non prohibito. Siquidem cum in Ecclesia orientali sacris ordinibus non sit annexum votum continentiae, ii, qui ante susceptionem sacrorum ordinum conjugati fuerunt, etiam postmodum ordinibus sacris initiati licite utantur matrimonio *c. fin. d. 31. & c. quaesitum de paen. & remiss.* Secus est de iis, qui in Ecclesia latina, etiam ex propria & legitima uxore procreati sunt a patre post susceptum ab eo de consensu uxoris sacrum ordinem de quibus ex professo *q.* post hanc altera. Porro licet praesens rubrica de solis filiis presbyterorum faciat mentionem, procedit tamen etiam de aliis illegitime natis. Unde etiam idem *titulus in 6. decretalium* inscribitur *de filiis presbyterorum & aliis illegitimis*. Et quamvis hic ab AA. tractari quoque soleat illegitimorum incapacitate ad beneficia & officia ecclesiastica, nos tamen ea solum perstringemus, quae concernunt eorum incapacitatem praecise respectu Ordinum. Cetera enim fuse & accurate tractata a me *in foro benef. par. 1. a q. 259. ad q. 286.* ubi etiam de incapacitate filiorum alias legitimorum ad obtinenda beneficia paterna.

QUÆSTIO DCXXVIII.

An igitur illegitimi omnes sint incapaces ordinum.

1. RESp. Illegitimi non tantum spurii, sive ex nefario & damnato concubitu, puta, raptu, incestu, stupro, sacrilegio vel etiam adulterio (quamvis natos ex conjugato & soluta nothos vocent aliqui) sed etiam ex simplice fornicatione (qui etiam naturales in Jure canonico, & si mulier sit publica meretrix manseres vocari solent) procreati sunt irregulares & ad ordines promoveri nequeunt sine dispensatione *cap. 1. de filiis presbyterorum ordinand.* Arcentur autem ab ordinibus tum ob dignitatem & excellentiam ordinum & status clericalis, ne is a talibus personis vilibus & infamibus (qui etiam apud gentiles honoribus & muneribus publicis censebantur indigni, ut Tiraq. *de nobilitate cap. 15.*) deturpetur. Tum in detestationem paterni criminis, quod jura saepe puniunt in filiis, & cujus memoriam continuo per liberos in Ecclesia repraesentari turpe est, dum illegitimus dicitur: Argumentum paternae incontinentiae ambulans super terram. Ac denique ob justum timorem, ne tales paternae illius incontinentiae imitatores existant, ut haec colliguntur ex *capit. 1. de filiis presbyter. & c. final. tit. eod. in 6. & c. per venerabilem qui filii sint legitimi* ubi etiam id ipsum extenditur ita, ut ne quidem ad ordines minores promoveri possint, Pirh. *h. t. n. 2.*

2. Extenditur hoc ipsum quoque ad illegitimos occultos, qui publice habeantur pro legitimis. Eo quod jura simpliciter excludant illegitimum, nulla facta distinctione inter occultum & notorium. Azor. *Instit. mor. pat. 2. l. 6. capit. 3. quaest. 23.* Guttier. *l. 1. qq. can. cap. 13. num. 20.* Covar. *in Clem. si furiosus 2. part. §. 3. num. 4.* Bonac. *Tom. 1. d. 7. quaest. 2. part. 3. num. 3.* Laym. *Theol. Mor. l. 1. tract. 5. part. 5. cap. 5. num. 1.* Castrop. *de cens. dist. 6. p. 9.* citans alios plures contra Alphons. de Castro *l. 2. de leg. panal. c. quis concl. 3.* Unde tamen non sequitur, illegitimum reputatum communiter pro legitimo petendo dispensationem incursurum

magnam infamiam apud Papam saltem vel Episcopum. Nam non cogitur ad suscipiendos Ordines, adeoque ab iis suscipiendis abstinere potest. Quin &, si in casu aliquo grave damnum vitare non posset, nisi suscipiendo ordines, cessaret obligatio irregularitatis non suscipiendi ordines, alia graviore obligatione superveniente. Castrop. *l. c.* sub eadem citatione memoratorum AA. & sic docet Laym. *l. c.* & ex eo Pirh. *l. c. n.* 11. posse illegitimum occultum ordines suscipere (intellige sine dispensatione) si gravis urgeret causa ad ordines suscipiendos ex una parte, & ex altera parte, si dispensationem peteret, graviter se vel etiam parentes infamaret, saltem apud Papam vel Episcopum; pro exemplo uterque adducit primogenitus Regis occulte scientem se illegitimum, qui aliter non posset fratri suo legitime nato cedere Regno, nisi fiat Cardinalis Presbyter vel Diaconus.

3. Non tamen extenditur responsio ad illegitimos factos religiosos. Hi enim citra ullam aliam dispensationem promoveri possunt ad Ordines etiam sacros. Barbos. *in c. tanta qui filii sint legitimi n.* 2. Azor. *l. c. q.* 1. Peyr. *in Prælato q.* 2. *c.* 5. *n.* 133. Pirh. *h. t. n.* 6. juxta *c.* 1. *eod. tit.* Ita tamen, ut non per solum ingressum in religionem, educationis vel probationis gratia, vel etiam per habitus susceptionem tollatur hæc irregularitas & inhabilitas, ut voluit Rod*e.* sed per solam professionem aut vota, per quæ alias citra professionem constituitur verus religiosus (qualia sunt vota emissa post biennium novitiatus in societate JESU) Castr. *l. c. n.* 12. Pirh. Azor. *LL. cit.* Suar. *de cons. d.* 50. *s.* 5. *n.* 12. & 14. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 5. *n.* 13. & 13. juxta *c.* 1. *h. t.* ubi verba illa: *nisi Monachi fiant*: itemque illa: *vel in congregatione canonica regulariter viventes*: (per quæ veniunt canonici & clerici regulares:) accipienda sunt proprie & cum effectu; nemo autem cum effectu & proprie fit religiosus, nisi per professionem vel vota religionis editam. Aliam quoque rationem addit Pirh. ex Suar. *l. c. nu.* 12. nimirum, quod cum habilitatio illa ad ordines fiat ad rem stabilem & perpetuam, non expediebat aliquem talem illegitimum habilitari ad Ordines, donec statum perpetuum religionis assumpsit, ne alioqui fraus contra legem fieri posset, si novitius illegitimus Ordines susciperet, & dein egrederetur, prout libere potest. De cetero tamen, si talis post professionem ejiciatur, vel post emissa vota religionis dimittatur, etiam in perpetuum ab ordine, potest absque ulla dispensatione in susceptis ordinibus ministrare (etiam dum illegitime ordines ante professionem suscepisset. Barbos. *l. c.* Passerin. *de elect. c.* 25. *num.* 149. citans Sancharel. *var. ref. q.* 39. *n.* 8. quin & Ordines necdum susceptos suscipere. Barbos. *l. c.* Suar. *l. c. s.* 5. Neque his obstat motus proprius Sixti V. quo illegitimus redditur inhabilis ad ingrediendam Religionem, & vel sic indirecte inhabilis ad suscipiendos ordines per professionem. Nam reduxit hæc iterum ad terminos juris communis & antiqui Gregorius XIV. *in constit. sua circumspectio de anno* 1591. statuendo, ut qualescunque illegitimi ad habitum & professionem admitti possint. Nequaquam tamen per professionem habilitantur tales sine ulteriore dispensatione ad prælaturas, dignitates regulares, aut etiam alia beneficia tam sæcularia quam regularia; sed ad talia persistat dicta irregularitas. Castropal. *loc. cit.* citans gl. Abb. & alios *in cap.* 1. *hoc tit.* Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 201. Suar. *loc. cit. num.* 12. & 15. Quamvis, ut notat Castrupal. ex Sayro *l.* 6. *thesaur. cap.* 11. *num.* 14. Ratione privilegiorum fere omnibus Religionibus concessorum prælaturas istiusmodi obtinere valeant. Quin & citra ullum aliud privilegium (seclusis tamen hac de re specialibus quorundam Ordinum statutis, de quo videndus Passerin. *loco cit. num* 160. & 161.) promoveri possunt ad officia alia, puta, Vicarii localium superiorum ordinariorum, Magistri novitiorum, œconomi, Prædicatoris, Magistri in Theologia, de quo vide me *in foro benefic. p.* 1. *qu.* 264.

4. Resp. secundo. Si illegitimus sine dispensatione fuerit ordinatus, suspenditur ab exercitio ordinum. Siquidem ob indecentiam, quæ in isto ministerio relucet, inducta est hæc irregularitas. Castropal. *loc. cit. num.* 13. citat. Navar. *consil.* 3. *de ætat. & qualitat. nd* 2. & 3. Argum. Sotus *in* 4. *dist.* 25. *quæstion.* 1. *art.* 3. *&c.* Quod si hanc prohibitionem violaverit ministrando in ordinibus susceptis, etsi gravissime peccet, non incurrit tamen de novo irregularitatem. Castrop. *ibidem.*

QUÆSTIO DCXXIX.

An ii quoque, de quorum legitimitate dubitatur, inhabiles sint ad ordines recipiendos.

1. RESp. primo in genere negative. Jure enim statutum est, nullam irregularitatem contrahi nisi in casibus a jure expressis *c. is qui de sentent. excom. in* 6. in jure autem expressum non est, ob illegitimitatem dubiam contrahi irregularitatem. Castrop. *l. c. num.* 3. Quin & in specie jus positive innuit contrarium, dum onus probandi, aliquem esse illegitimum, rejicit in opponentem *c. lator & c. pervenit qui filii sint legitimi*. Item in dubio sumenda est conjectura, quæ delictum excludit; tales autem, de quorum legitimitate dubitatur haberi nequeunt pro illegitimis, nisi supponatur delictum parentum. Unde jam

2. Resp. secundo in specie habendos pro legitimis, nullamque irregularitatem incurrere, adeoque sine ulla dispensatione ad ordines promoveri posse, de quorum legitimitate dubitatur ex eo, quod nesciatur eorum pater & mater. Quales in primis & communiter sunt secreto expositi. Barb. *de off. Episcop. alleg.* 3. *n.* 152. Menoch. *de præsumpt. l.* 6. *c.* 54. *nu.* 10. Mascard. *de probat. concl.* 799. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 58. Passer. *de elect. c.* 25. *nu.* 168. Pont. *de matrim. l.* 11. *c.* 9. Castrop. *l. cit.* Neque in contrarium facit *l. vulgo ff. de statu hominum* habens pro spuriis, qui patrem certum demonstrare nequeunt; cum lex illa loquatur de casu, in quo certa est mater, & incertus pater. Neque in specie contra istiusmodi expositio facit, quod parentes talium ex eo, quod exponant filios, censeantur infames; cum ex eo innocens non fit infamis, quod parentes illius eum exponendo redditi sint infames. Neque etiam quod non tam videatur dubium quam moraliter certum, expositos illos esse illegitimos; cum raro legitimi exponantur. Nam in præjudicium innocentis non licet in dubio conjecturam sumere ab eo, quod est verisimilius & plerumque inest. Et certe negari non potest, aliquando legitimos exponi; horum autem legitimorum, qui inter expositos esse possunt, favore omnes reputantur legitimi. Castrop. *l. c.* unde etiam *c.* 1. *de infantibus & languid.* istiusmodi infantes, etiamsi servi fuerint, efficiuntur liberi, & liberti fiunt ingenui. Quia Jus civile & canonicum intendit iis, quo ad fieri potest, favere, utpote omni subsidio humano destitutis. Tametsi autem tales absolute loquendo, ut dictum, dispensatione non egeant, non solere tamen nec facile debere illos sine dispensatione admitti ad Ordines ex eo, quod negari non possit, adhærere illis exinde aliquid maculæ, ait Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 5. *num.* 4. hanc sententiam dici communem apud Covar. *in clem si furios. p.* 1. *n* 9. posse autem Episcopum in hoc casu dispensare, ut tales ad ordines sacros, quin & ad beneficia curata promoveantur, certum censet Castrop. & tenet Laym. *l. c.* & apud illum Suar. *de irregular. disp.* 50. *s.* 4. *num.* 4. Henriq. *l.* 11. *c.* 20. *num.* 2. Covar. *l. c.* & alii, etiam sentientes, tales esse vere irregulares; eo quod hic defectus & irregularitas ob sententiæ contrariæ probabilitatem sit dubia; in casu autem dubio posse Episcopum dispensare, etsi alias in defectu natalium certo, & in irregularitate notoria dispensare nequeat. Castrop. Laym. *LL. c.* Quod si autem expositus sine ulla dispensatione promotus est ad Ordines, posse eum secure in susceptis ordinibus ministrare, eo quod initiatus Ordinibus habeat jus quæsitum; melior autem in dubio sit conditio possidentis: habet Laym. *loc. citat.* & apud illum Avill. *de cens. p.* 8. *disp.* 3. *du.* 9. Idem quod dictum de expositiis, dicendum de eo, de cujus legitimitate dubitatur, quia mulier asserit, eum non ex se genitum, sed suppositititum esse, dum is alias ab ea secundum famam publicam habitus ut verus naturalis filius, & ipse habuit eam ut veram matrem; non enim is tunc tenetur ei credere, se esse illegitimum, Neque sufficit ad exturbandum aliquem ex possessione filiationis habitæ per annos unius mulieris dictum, ita Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 176. contrarium sentiente Suar. *l. c. s.* 5. *nu.* 8. Eo quod mater non præsumatur negare filium verum, quamdiu aliunde non constat de odio illius erga illum, vel amore nimio erga alium. Et hæc de iis, quorum pater & mater nescitur, & hinc legitimitas dubia. Nunc quoque

3. Resp. tertio etiam negative de iis, quorum mater certa, ejusque verum conjugium certum, & tamen legitimitas dubia ex eo, quod mater dicat filium suum, a se conceptum ex adulterio. Neque enim filius in hoc casu tenetur credere se illegitimum, tametsi id mater etiam in mortis articulo juret. Passer. *loc. cit. num.* 170. eo quod sit testis unicus patiens exceptionem muliebris conditionis & infamiæ; nemo autem ex tali uno teste possit judicari illegitimus,

ut

ut Rota *coram Pateo decis. 77. nu. 8. l. 2.* Imo, etsi constet de adulterio matris, eamque etiam peperisse extra domum mariti in loco suspecto, modo ea tempore conceptionis cohabitaverit marito, tunc non inepto ad generandum. Nescit enim illa, ex cujus commixtione conceperit; & quamdiu filius generari potuit a marito, ab eo generatus præsumitur. *L. miles, ff. de adult.* Less. *de Just. l. 2. c. 10. dub. 7. n. 51.* Menoch. *de arb. centur. 1. c. 89. n. 28.* Mantic. *de conject. ult. vol. l. 3. tit. 14. n. 87.* & alii citati a Passer. Veraque adhuc sunt hæc, etiamsi insuper maritus ipse testetur, se tempore conceptionis abstinuisse ab uxore, nisi id probet absentia, infirmitate, vel aliquo simili. Passer. *l. c. n. 175.* citans *l. filium ff. de his; qui sunt sui vel alien. Jur.* Abb. *in c. per tuas, de prob. n. 3.* Cum semper præsumatur filius, qui de alicujus uxore est genitus. Nav. *cons. 1. a. 5. de filiis presbyr.* Et ita quidem, ut probet uxorem extra illud tempus non potuisse ex se concipere, quod probare est difficile, eo quod signa prægnantiæ ab initio valde sint incerta, & de iis marito constare nequeat, nisi ex relatione uxoris; & tempus gestationis prolis in utero valde diversum, aliquando septem mensium, quandoque 12. vel 14. Neque dictis hucusque obstat *c. transmissa, qui filii sint legitimi.* Dum enim ibi dicitur, standum esse dictis patris & matris, nisi aliunde constet contrarium, controversia non erat de filio, quem natum esse ex tali muliere certum est, sed de cujus ipsa nativitate incertum erat. Passer. *n. 176.* Quod si tamen testimonium patris & matris talibus fulciretur circumstantiis & adminiculis ipsi filio notis, etsi ea coram Judice probari nequirent, ut cogerent filium ad credendum in conscientia, se esse illegitimum, teneretur is habere se ut illegitimum. Suar. *de cens. d. 50. s. 4.* Covar. *l. 2. p. 4. c. 8. §. 3. n. 2.*

4. Resp. quarto quoque negative quo ad eos, quorum pater & mater certi sunt, incertum tamen est, an tempore conceptionis fuerint veri conjuges, ex eo, quod postmodum, detecto impedimento, dubitetur de eorum bona fide habita tempore conceptionis. Nam ad habendum aliquem pro illegitimo, non sufficit matrimonium fuisse nullum, sed requiritur insuper fuisse contractum mala fide, ea autem non præsumitur Argum. *c. pervenit, qui filii sint legit. & ibi* Abb. *p. 1.* Neque ad hoc, ut filius teneatur se in conscientia habere pro illegitimo, sufficit confessio etiam ultronea utriusque parentis; cum delinquentium confessio valeat contra illos, non contra innocentem, nisi adminiculata sit externis judiciis. Passer. *n. 179.* Item dum incertum est, utrum de facto sint veri conjuges ex eo, quod sint ignoti & peregrini. Exinde enim non debet in iis præsumi fraus & delictum; adeoque, etsi non essent veri conjuges, modo vivant & habeant se instar talium, filii habendi sunt, & habere se possunt in conscientia, si veritatis conscii non sint, pro legitimis. Passer. *n. 181.* Ubi tamen illud notandum, quod tales filii, nisi testimonium ferant Baptismi, & quod sint ex legitimo matrimonio, quo ad Ordines suscipiendos tractandi sint juxta ea, quæ statuuntur *tit. de cler. pereg. maxime c. 2. & 3.* & in Trid. *sess. 14. c. 2. & 3. de reform. & sess. 2. c. 8.* Denique, dum incertum est, an sint de facto vere conjuges, ex eo, quod parentes (sive sint, sive non sint veri conjuges,) dicant, se non esse conjuges modo se antea dixissent & habuissent aliquandiu ut veri conjuges, filii non tenentur iis credere, & sunt in possessione legitimitatis. Secus tamen est, si tales, licet vere conjuges, dixissent & habuissent se semper ut solutos, non erubescentes de fornicatione; tunc enim filii haberentur & habere se deberent ut illegitimos (intellige, nisi conscii essent illius mendacii) donec constaret & probaretur, esse illos ex legitimo matrimonio. Passer. *n. 182.* De cetero illud hic notandum pro coronide hujus *quæst.* Quod si tamen filius ex levitate (qui non tenebatur credere) credat matri dicenti, se non esse suum, vel etiam esse quidem suum, sed non mariti sui filium, vel conceptum se ex parentibus non, vel illegitime copulatis, poterit quidem talis speculative in animo sic sentire, & magis judicare, se esse illegitimum; quia tamen sic libere credidit, & non tenebatur sic credere, potest practice non credere, se esse talem; eo quod practice nolit uti judicio, quod libere habet, sed opposito, quod non prohibetur habere. Ita Passer. *l. c. n. 177.* cum Nav. *cons. 11. n. 5. de filiis presbyt.* Peyrin. *in Prælato, q. 2. c. 5. n. 159.* Sanchez. Suar. &c. Secus est, & peccat non gerendo se pro illegitimo, quo ad ea, quæ talis prohibetur agere vel suscipere, si præcise tantum credat, etsi ex levitate, esse se illegitimum.

QUÆSTIO DCXXX.

An & qualiter ex legitimo conjugio nati ad instar illegitimorum habeantur respectu ordinum suscipiendorum.

RESp. Id contingere illis, qui suscepti sunt ex propria uxore, viro jam facto (saltem accedente uxoris licentia) Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono post ratum vel etiam consummatum matrimonium vel etiam viro vel uxore post consummatum matrimonium jam professis in Religione. Hi enim sunt æque irregulares & promoveri nequeunt ad Ordines aut etiam beneficia ecclesiastica ac vere & simpliciter illegitimi. Laym. *l. 1. tr. 5. part. 5. cap. 5. num. 3.* citans Henriq. *l. 11. cap. 20. num. 1.* Suar. *de cens. d. 50. s. 2.* Ac dicens tales ad sacros ordines sine Papali dispensatione admitti non debere ex communi, quamvis contrarium visum sit Sanch. *de matrim. l. 9. disp. 38. nu. 7.* Sive jam propterea sint & dicantur simpliciter legitimi ex eo, quod nullibi in Jure vocentur illegitimi, aut dicantur inhabiles ad succedendum hæreditario jure in bonis parentum, aut ad alios honores, & tantum illegitimi ad instar & secundum quid propter dictam irregularitatem, quam contrahunt, etsi sint legitimi, pro ut sentiunt & loquuntur Sanch. *loc. cit.* Passer. *de elect. cap. 25. num. 186.* Jo. Andr. & Abb. & alii *ad cap. literas, de filiis presbyt.* Sive sint & dicantur simpliciter illegitimi, pro ut volunt, cum quibus locutus sui *in Foro benef. p. 1. num. 158.* Sylv. *v. illegit.* Hostiens. *in sum. h. t. num. 5.* Castrop. *num. 13. de benef. d. 4. p. 2. §. 1. n. 4.* & alii apud Passer. *num. 167.*

QUÆSTIO DCXXXI.

An & qualiter illegitimi in Ordine ad suscipiendos Ordines, beneficia & dignitates ecclesiasticas liberentur dicta irregularitate contracta ex defectu natalium, seu legitimentur per subsequens matrimonium.

1. RESp. primo. Irregularitas ista aufertur per subsequens matrimonium. Illud siquidem quasi retrotrahitur usque ad tempus conceptionis & benignitate juris Can. & prolem antea susceptam legitimam reddit, ac si ex vero & legitimo matrimonio nata fuisset. Castrop. *de censur. d. 6. p. 9. num. 4.* Pirh. *h. t. num. 3.* pro ut deciditur *cap. tanta, qui filii sint legit.* Idque non tantum in ordine ad Ordines sacros suscipiendos sine alia dispensatione, item ad beneficia & dignitates ecclesiasticas, ut Sixtus V. *in Bulla, quæ incipit, ad Romanum*; uti & hoc ipsum juxta jus antiquum indubitatum fuit, ut Gl. *in cit. c. tanta.* Barbos. *ibid. num. 4.* Suar. *cit. d. 50. s. 1.* Pontius Fendus *de alim.* & alii. Sed ad ipsum quoque Episcopatum. Suar. *loc. cit. s. 3. num. 10.* Azor. *p. 3. l. 2. cap. 24. q. 114.* Barbos. *loc. cit. num. 18.* Non tamen ad Cardinalatum Passer. *l. c. num. 131.* Barbos. *num. 45.* Sayr. *de cens. l. 6. c. 20. num. 14.* pro ut Sixtus V. *in cit. Bulla.*

2. Resp. secundo. Ut vero subsequens matrimonium habeat dictum effectum, necessario requiritur, ut tempore conceptionis seu fornicariæ copulæ, vel, ut volunt quidam tempore nativitatis filii, non adfuerit inter parentes impedimentum dirimens, adeoque tunc esse potuisset verum matrimonium, *cit. c. tanta.* Barbos. *ibid. num. 2.* Passer. *loc. cit. num. 126.* Garc. *de benef. p. 7. cap. 2. num. 28.* Suar. *cit. s. 2. num. 2.* Piasec. *pr. Episc. p. 1. c. 2. nu. 21.* Pirh. *loc. cit. num. 3.* Unde non obstat primo, quod illo tempore fuerint impedimenta Impedientia tantum. Pont. *de mat. l. 11. c. 2. num. 6.* Barbos. *loc. cit. num. 31.* Less. *de Just. l. 2. c. 19.* Castrop. *tr. 13. de benef. d. 4. p. 1. §. 3. num. 2.* Neque secundo, quod vir tunc habuerit beneficium ecclesiasticum sine Ordinibus sacris. Barbos. *n. 33.* Castrop. Pont. LL. *cit.* aut fuerit novitius vel mulier novitia. Majol. *de irregular. l. 2. c. 4. num. 9.* Barbos. *l. c.* Neque tertio, quod inter copulam illam & subsequens matrimonium fuerint alia matrimonia. Barbos. *num. 5.* Garc. *l. c. num. 28.* Suar. *cit. s. 3. a. 10.* Azor. *loc. cit. c. 8. num. 21.* Neque quarto quod mulier fuerit concubina domi detenta, etsi de cetero jura magis detestentur concubinatum. Barbos. *loc. cit.* Abb. *in cit. c. tanta, n. 14.* Neque quinto, quod subsequens matrimonium fuerit clandestinum in loco, ubi Tridentinum receptum, adeoque invalidum, modo postea ab Ecclesia approbatum, vel denuo in facie Ecclesiæ

clesiæ contractum, *c. qui nobis qui filii sint legit.* Tenentque multi, de quo vide Passer. *loc. cit. num.* 114. Nec improbat Suar. *cit. §.* 1. *num.* 9. Filios, tam ante quam post tale matrimonium clandestinum ab Ecclesia approbatum, genitos hoc ipso esse legitimos, ubi clandestine contrahentes habuerunt occultum impedimentum dirimens probabiliter seu juste ignoratum, saltem ab eorum uno, manensque occultum Ecclesiæ, adeoque indispensatum. Neque sexto, quod subsequens matrimonium sit tantum ratum. Pont. *cit. cap.* 1. *num.* 6. Barbos. *num.* 12. Neque septimo, quod parentes habuerint impedimentum dirimens tempore nativitatis, modo eo caruerint tempore copulæ. Passer. *loc. cit. num.* 136. Suar. *cit. §.* 1. *num.* 4. Neque octavo (quod hic incidenter notandum, cum non concernat Ordines) obstat in ordine ad hoc, ut filius legitimus alicujus illegitimi sit de legitima stirpe natus, & in ascendentium hæreditate succedere possit, quod prius post eum genitum pater ejus legitimatus sit per subsequens matrimonium avi & aviæ. Barbos. *ad cit. cap. tanta*, *num.* 32. Molin. *de primogenit. l.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. idque etiamsi ante subsecutum matrimonium avi & aviæ pater illius sit mortuus, quia adhuc iste filius dicitur natus ex patre, cujus pater & mater fuerunt veri conjuges. Ita Passer. *num.* 139. Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 8. *§.* 2. & alii contra Paxford.

3. Resp. tertio. E contra, qui concepti ex adulterio, incestu, vel alio concubitu a lege damnato, sive stante alio impedimento dirimente, ad Ordines, beneficia, dignitates ecclesiasticas promoveri nequeunt sine dispensatione. Pirh. *loc. cit.* Garc. *a num.* 33. Suar. *cit. §.* 5. *num.* 5. cum communi DD. juxta *cap. tanta*, *qui filii sint legit.* Nec obstat primo, quod habentes copulam eo tempore juste ignoraverint impedimentum, posteaque cum eadem ignorantia contraxerint matrimonium, illudque habitum verum. Garc. *loc. cit.* Suar. *loc. cit. num.* 11. Peyrin. *in Prælato*, *q.* 2. *c.* 5. *num.* 117. Etsi is cum Castrop. *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 2. *num.* 9. censeat, contrarium esse quoque probabile. Neque secundo, quod eo impedimento caruerint tempore nativitatis filii Suar. *L. cap. num.* 3. Filiuc. *tr.* 9. *num.* 131. Menoch. *consil.* 60. *num.* 12. Abb. *ad c. tanta* (ubi etiam, quod id verum, etsi impedimentum fuisset tale, quod tollere erat in potestate habentium copulam. V.g. dum non baptizatus cognovisset baptizatam) Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 2. *nu.* 36. Passer. *de elect. cap.* 25. *num.* 134. contra Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 7. *num.* 19. Pont. *de mat. l.* 11. *cap.* 3. Castrop. *loc. cit. num.* 5. (qui etiam putat, filium conceptum & natum tempore, quo parentes erant inhabiles, posse legitimari per subsequens matrimonium, si parentes tempore intermedio inter conceptionem & nativitatem fuerint habiles) Peyrin. *loc. cit. num.* 128. Barbos. *ad cit. cap. tanta*, *num.* 31. habentes pro se jus civile *L. nuper ff. de nat. lib. & authent. quibus modis nati efficiantur sui.* Secundum quod indubitatum est, in legitimatione per subsequens matrimonium debere attendi tempus conceptionis vel nativitatis, pro ut filio magis expedit, adeoque, cum huic juri leges canonicæ non sint contrariæ, volunt idem dicendum, quo ad Ordines, beneficia ecclesiastica &c. talibus concedenda. His tamen non obstantibus, legitimatur adhuc filius susceptus ex copula habita cum impedimento dirimente per subsequens matrimonium verum, Papa nimirum in eo jam contracto cum tali impedimento dispensante, seu illud antea contractum ratihabendo cum clausula: *ex tunc* seu ab initio. Garc. *loc. cit. num.* 40. Abb. & Barbos. *ad c. tanta*. Peyrin. *loc. cit. num.* 125. & plures alii apud Passer, *nu.* 142. censeturque Pontifex eo ipso, quod dispenset hac ratione, ut nimirum parentes in isto matrimonio remanere valeant legitimare prolem jam antea susceptam, etsi prolis nullam mentionem faciat. Garc. *loc. cit. num.* 42. vide me *in Foro benef. part.* 1. *quæst.* 260. *num.* 3. Secus vero est, si Papa non dispenset dicto modo in radice matrimonii, sed solum super eo de novo contrahendo; tunc enim proles ante nata non erit legitima. Paxfordao. *Lucubrat. l.* 10. *tit.* 18. *num.* 39. & alii communiter apud Passer. *num.* 144.

QUÆSTIO DCXXXII.

An & qualiter & a quo præterea per legitimationem tolli possit ista irregularitas ex defectu natalium; & in quo differat legitimatio a dispensatione.

1. Resp. primo. Per legitimationem absolutam, hoc est, in quocunque defectu natalium cum quocunque in ordine ad omnes effectus Jure Canonico inductos Pontifex solus potest tollere dictam irregularitatem. Suar. *loc. cit. d.* 50. *§.* 3. *num.* 8. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Siquidem legitimatio civilis facta a Principe laico non valet in ordine ad functiones ecclesiasticas. Suar. *ibid.* Contra quod postremum non dicas: Dominum per manumissionem servi tollere posse impedimentum, quod is habet ad ordines, ut dicetur inferius: ergo etiam, saltem Imperator, legitimando illegitimum. Nam irregularitas servi non est absoluta, sed tantum respectu Domini ob præjudicium & interesse illius; irregularitas vero illegitimitatis tenet se absolute ex parte personæ illegitimæ, & provenit ex aliis causis supra memoratis, quas dijudicare, an obstent ordinibus, an non, an hic & nunc in tali persona attendenda, non est in potestate Imperatoris, sed Superioris ecclesiastici. Engels *ad h.* 1. *in fine*. Commissarius vero Cruciatæ, de quo Castrop. *loc. cit.* habens potestatem dispensandi in matrimonio irrito ob occultum impedimentum affinitatis ex illicita copula, quando in uno contrahentium adfuit bona fides, legitimare quidem potest spurium ex tali irrito matrimonio in foro conscientiæ ad ordines & beneficia, ut Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 13. *num.* 5. *in fine*. Sanch. *de mat. l.* 8. *dist.* 6. *a num.* 25. apud Castrop. nullatenus tamen concedere legitimationem separatim a revalidatione talis matrimonii; cum ea illi potestas concedatur solum in favorem matrimonii.

2. Resp. secundo. Differt legitimatio a dispensatione, quod habilitet illegitimum universaliter ad omnes effectus & jura competentia legitimo, quibus alias Jure Canonico vel civili repellebatur illegitimus. Azor. *Instit. mor. part.* 2. *l.* 2. *cap.* 14. *quæst.* 1. estque quædam habilitas reddita personæ, illiusque velut ad primævam naturam restitutio. Dispensatio respicit effectus, radicali personæ inhabilitate remanente, ut Castrop. *loc. cit. num.* 6. & apud hunc Abb. *in cap. per venerabil. qui filii sint legitimi*. Suar. *loc. cit. l.* 5. *num* 8. Covar. &c. Ac proinde legitimatio late interpretanda, dispensatio stricte. Castrop. *loc. cit.* Passer. *num.* 306. Atque ita, cum dispensatio sit communis juris relaxatio, semper spectanda sunt verba dispensationis, & stricte interpretanda, *c. quod dilectio*, *de consang. & affinit. c. fin. h. t.* Quo circa dispensatus in genere seu simpliciter ad Ordines intelligatur solum dispensatus ad minimam speciem. V. gr. ad Ordines minores Castrop. *cit. num.* 6. Gl. *in c. literat*, *h. t. v. ordinari*. Suar. *de censur. d.* 41. *§.* 3. *num.* 3. Sanch. *de mat. l.* 8. *dist.* 1. *nu.* 26. Azor. *part.* 2. *l.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 6. Dispensatus simpliciter super illegitimitate, nulla facta ejus specificatione, non intelligitur dispensatus, nisi super minima irregularitate, qualis est nati ex soluto & soluta. Passer. *loc. cit. num.* 297. juxta *cap.* 1. *h.* 1. Dispensatus ad beneficia paterna, non est dispensatus ad beneficia paterna curata. Passer. *num.* 292. Dispensatus ad Ordines non est dispensatus ad beneficia, quia sunt separabilia. Castrop. *cit. nu.* 6. & quos citat Abb. *in c. an literas*, *num.* 6. Azor. *loc. cit. q.* 5. Sanch. *num.* 27. Dispensatus ad beneficium, de unico & simplice intelligitur. Castrop. *loc. cit.* citans Barbos. ubi etiam, an dispensatus ad beneficium possit vi ejusdem dispensationis obtinere aliud, primo relicto. Item dispensatio ad majus non valet ad minus (nisi forte minus a majore sit inseparabile, illudque necessario supponat. V. g. Dispensatus ad Diaconatum, censetur etiam dispensatus ad minores. Felin *in cap. fin. de Simon. num.* 5. Passer. *num.* 294.) cum in dispensationibus non arguatur a paritate vel majoritate rationis. Sanch. *loc. cit. dist.* 5. *num.* 32. Surdus *decis.* 268. *num.* 20. *&c.* Sic dispensatus ad Provincialatum non est dispensatus ad Prioratum. Vide de hoc plura apud me in *For. benef. part.* 1. *qu.* 286. *num.* 3. *& quæst.* 269.

QUÆ-

QUÆSTIO DCXXXIII.

Quales præterea conditiones requirat dispensatio super defectu natalium.

1. RESp. primo. Dum data est ab inferiore Papa, requiritur, ut sit data ea rationabili causa; cum talis non nisi ex concessione Papæ dispenset; Papa autem non concedat, ut ii, quibus id concedit dispenset sine causa. Garc. *cit.* 2. *n.* 49. Castrop. *Tom.* 1. *tr.* 5. *d.* 6. *p.* 8. *n.* 2. etiamsi dispensans sit Legatus a latere. Castrop. *l. c.* Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 87. *n.* 5. Secus tamen est, si inferior dispensans bona fide & prudenter credit, esse justam causam dispensandi recta Ecclesiæ gubernatione sic exigente ad excludendos scrupulos, & ne passim acta infringere sit necesse. Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 289. Sanch. *l. c. n.* 8. contra Castrop. *l. c. n.* 5. Valebit quoque dispensatio a tali facta sine cognitione causæ, ubi de cetero est justa causa dispensandi. Sanch. Passer. *LL. c.* Armil. *v. dispensatio, n.* 14. Porro quæ justæ sint causæ dispensandi in illegitimitate, certa regula definiri nequit. Earum plures es *c. requisitis* 1. *q.* 7. & *c. sciendum dist.* 29. referunt Sylv. *v. dispensatio*. Rebuff. *tit. de dispens. super defect. natal. n.* 48. Castrop. *l. c. n.* 7. Neque eadem causa sufficit respectu cujuscunque illegitimitatis; cum tanto difficilius dispensandum quanto turpius procreati. Passer. *n.* 288. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 11. *n.* 8. Hinc

2. Resp. secundo. Requiritur præterea, ut expressa sint ad minimum in supplicatione, quæ de jure vel stylo sunt exprimenda; quales sunt circumstantiæ per se spectantes ad negotium, sive per se factum reddentes turpius, adeoque difficilius dispensabile. V. gr. Num illegitimus sit ex adulterio unius vel utriusque conjugati; an ex incestu in primo vel secundo gradu vel alio remotiore, etiam affinitatis, an ex sacrilegio. Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 9. *n.* 11. Passer. *l. c. n.* 290. citans Sanch. *ubi ante d.* 21. *n.* 21. Mirand. *Tom.* 2. *q.* 1. *a.* 13. Felin. *in c. postulasti*, *n.* 1. Ita ut non juvet, bona fide ex ignorantia aliquid, horum fuisse tacitum. Quod enim de jure exprimendum, ejus expressio est de forma & substantia. Passer. Sanch. *LL. cit.* contra Rodriq. *qq. regular. p.* 1. *ar.* 13. *n.* 12. Sigism. a Bononia *de elect. dub.* 75. *num.* 4.

3. Resp. tertio. Requiritur, ut dum non scripto aut verbo, sed facto fit dispensatio, voluntas dispensandi sufficienter demonstretur, uti fit, dum habens potestatem causamque legitimam promovet illegitimum ad Ordines, beneficium, Prælaturam. Passer. *n.* 301. citans Sanch. *de matr. l.* 7. *c.* 14. *n.* 12. Suar. &c. Verumque id est in utroque foro tam interno quam externo, ut Sayr. modo in hoc dispensaturo constet de illegitimitate & causa rationabili per probationes in eo foro legitimas & sufficientes. Passer. *num.* 303. Quin etiam id verum, etiamsi promovens sit ipse Pontifex; eo quod, cum licet is valide dispenset etiam sine causa; non tamen sic dispenset licite, præsumi non debeat, dispensandu peccare adeoque non dispensare sine justa causa. Passer. *num.* 304.

QUÆSTIO DCXXXIV.

Quis præter Papam dispensare possit in defectu natalium in ordine ad suscipiendos Ordines.

1. RESp. primo. Potest Episcopus cum quocunque illegitimo (intellige tamen, subdito suo) adeoque etiam notorio, etiam nato ex adulterio, incestu, Sacrilegio (etsi ad dispensandum cum his reddere se debeat difficiliorem) etiam filio suo spurio (etsi forte, ut id per se ipsum faciat, minime deceat. Suar. *l. c. s.* 6.) dispensare ad Ordines minores & beneficia non curata, pro ut hæc habentur, *c.* 1. *h. t. in* 6. Quin & ad beneficium simplex, cui annexum est curatum; cum accessorium sequatur naturam illius, cui annexum. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. §. 7. *n.* 18. Barbos. *de potest. Ep. alleg.* 45. *nu.* 24. Vasq. *de benef. c.* 3. §. 1. *dub.* 3. *n.* 7. apud Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 9. *n.* 7. contra Sayr. *l.* 6. *Thes. c.* 12. *n.* 11. Quid autem veniat hic nomine beneficii simplicis, vide apud Castr. *l. c. n.* 8. & 9. Quamvis hic non agamus de dispensatione in ordine ad beneficia, nisi quandoque obiter & incidenter, sed solum ad Ordines. Excipit tamen etiam Castrop. *cit. n.* 7. familiarem triennalem Episcopi illegitimum, ut cum eo dispensare nequeat etiam ad Ordines minores & beneficium non curatum, pro quo citat Nav. *cons.* 27. *de temp. ordin.* Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 3. *conclus.* 2. pro ut etiam decisum referunt Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 5. *n.* 86. Riccius. Barbos. &c. apud eundem Castrop. *tr.* 27. *de Ordin. d. unic. p.* 15. *n.* 6. Ubi etiam hujus rationem reddit, nimirum, ne nimium multiplicentur derogationes Canonum absque fundamento; dum alias specialiter conceditur Episcopo ordinare illum suum familiarem de cetero non subditum, ut constat ex Trid. *sess.* 23. *c.* 9.

2. Resp. secundo. Dispensare tamen non potest cum illegitimis ad Ordines majores aut beneficia curata, dignitates, personatus. Garc. *l. c. n.* 53. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 34. *du.* 18. *n.* 86. Castrop. *l. c. n.* 9. pro ut expresse deciditur, *c. fin. h. t.* Extenditur hoc ipsum primo, ita ut ne quidem id possit Episcopus in casu necessitatis, quemadmodum in eo dispensare nequit in ætate ad Ordines necessaria. Passer. *n.* 206. Garc. *l. c. n.* 52. Secundo, ut nequidem cum illegitimis, postquam bona fide ordinati sunt, dispensare queat, ut ordinem susceptum exercere possint. Suar. *cit. s.* 5. *n.* 5. Passer. *n.* 109. contra Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 5. ex Coninck putantem, posse id Episcopum, dum talia post deprehensum a se defectum natalium manet adhuc respectu aliorum occulte illegitimus. Quin & putantem, idem dicendum, si talis mala fide suscepisset Ordines. Extenditur tertio utrumque ad illegitimos ad instar, hoc est susceptos ex Sacerdote vel professo ex propria uxore; eo quod per verba illa *c. ad literas* (quod loquitur de illis) *permittimus ordinari & promoveri*: non intelligatur concedi Episcopo facultas dispensandi a Papa. Passer. *n.* 188. citans Suar. Quarto etiam ad illegitimos occultos; eo quod Trid. *sess.* 24. *c.* 6. permittens Episcopis dispensare in omni irregularitate, ex delicto occulto, loquatur tantum de irregularitate, quæ est ex delicto illius, qui irregularis est. Passer. *n.* 191. citans Suar. *d.* 50. *s.* 5. *n.* 5. idemque tenet Castrop. *de cens. l. c. n.* 10. citans insuper Ugolin. *de irregul. c.* 44. §. 2. *punct.* 3. *in fine*. Bonac. *Tom.* 1. *d.* 7. *q.* 2. *p.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 2. Coninck *d.* 18. *dub. ult. in fine*, qui tamen duo oppositam sententiam reputant probabilem, ex eo nimirum, quod Concilium non distinguat ibi inter irregularitatem contractam ex delicto proprio & contractam ex alieno. Item quod facultas ista concessa Episcopis sit beneficium Principis Juri communi insertum, adeoque late interpretanda contra Avil. *de cens.* 7. *d.* 3. *dub.* 7. Henriq. *l.* 14. *c.* 8. *n.* 10. in idem inclinantem. Ratio additur a Castrop. quod hæc irregularitas non proveniat ex delicto parentum immediate; potest enim fieri, ut filius concipiatur a parentibus non conjunctis matrimonio sine omni eorum culpa, quia v. g. uterque destitutus usu rationis, adeoque libertate ad peccandum requisita; & tamen talis filius erit æque illegitimus: sed proveniat ex indecentia, quam filius contrahit, eo quod genitus sit a parentibus non junctis matrimonio. Ad irregularitates autem provenientes ex Indecentia, etsi fundamentum habeant in aliquo crimine, non datur a Trid. facultas Episcopis dispensandi. Et sic in praxi observatum esse, ait Castrop. & subdit, probabilius sustineri, posse Episcopum cum tali occulto illegitimo dispensare, ut in Ordinibus bona fide (quin etiam, prout probabile censet Laym. *l. c. n.* 2. mala fide) susceptis ministret, & sic docere Nav. *cons.* 4. *ad tit. de filiis presbyt. n.* 2. Henriq. *l.* 12. *de mat. c.* 20. *n.* 2. Avil. *l. c. dub.* 6. Laym. *l. c.*

3. Resp. tertio. Numine Episcoporum potentium dispensare in defectu natalium venire primo Episcopos electos & confirmatos, etsi nondum consecratos; cum potestas dispensandi non sit Ordinis episcopalis, sed jurisdictionis. Castrop. *l. c. n.* 11. adeoque etiam probabiliter electi in concordia in Episcopos ultra montes, etsi necdum confirmati; quia illis specialiter interea, quo exspectatur Roma confirmatio, competit administrare seu exercere jurisdictionem juxta *c. nihil, de elect.* Laym *ibid. n.* 4. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 295. Secundo Capitulum Cathedrale Sede vacante; cum in illud transeant, quæ sunt potestatis & jurisdictionis ordinariæ, non tantum contentiosæ, sed & voluntariæ, præterquam in casibus in jure exceptis, inter quos non est dispensatio in irregularitate ex defectu natalium. Barbos. *de potest. Ep. alleg.* 45. *n.* 25. Suar. *cit. d.* 50. *s.* 5. *n.* 6. Nav. *l.* 1. *cons.* 7. *h. t.* Castrop. *cit. p.* 9. *n.* 11. Tertio Prælatos habentes jurisdictionem quasi episcopalem. Suar. Castrop. LL. *cit.* Passer. *c.* 25. *de elect. n.* 2. Ita ut, sicut id competit Episcopo confirmato nondum consecrato, ita & illis confirmatis necdum benedictis, dum sunt Abbates. Suar. Passer. LL. *cit.* Qualem jurisdictionem quasi episcopalem in suos regulares habent Prælati regulares; quin & quidam illorum etiam in externos, ubi habent territorium & quasi diæcesim; adeoque etiam cum externis illis subditis suis in hac irregularitate dispensare poterunt.

TITULUS XVIII.

De Servis non Ordinandis & eorum Manumissione.

QUÆSTIO DCXXXV.

An & qualiter servi prohibeantur ab Ordinibus.

1. RESp. Servi (quales lo Jure noo dicuntur famuli, qui pro annua mercede serviunt, & in sensu ac usu juris vere suot liberi; sed quia jure gentium contra naturalem libertatem dominio alicujus subjiciuntur, cujusmodi erant olim in bello capti, aut ex matre serva nati. *Inst. de jure personarum*) ex hoc defectu libertatis irregulares sunt, ut constat ex pluribus *cap. dist.* 54. Et nequeunt promoveri ad Ordines etiam minores & primam tonsuram, ut constat ex toto *hoc tit. praecipue c.* 1. *& c. consuluit*. Idque tum ob præjudicium & injuriam, quæ per hoc fit Domino; tom ob dignitatem clericalem & vilitatem servilem, *c. generalis, & c. admittuntur, dist.* 54. Tum etiam, quia cum per ordinum susceptionem quis divinis mancipatur officiis debet esse sui juris, ut libere possit Ecclesiæ ministerio vacare. Porro intelligenda hæc de servis & mancipiis maneotibus talibus. Nam de cetero, ut quis ad ordines promoveri possit, sufficit esse Libertum, hoc est, ex justa servitute manumissum, & non requiritur, ut sit ingeouus, hoc est, liber natus. Pirh. *h. t. n.* 1. cum communi.

2. De cetero exteoditur responsio primo ad libertos, nisi fuerint directe & sine retentione obsequii personalis manumissi, ne quando illorum domini voluerint (quod tamen facere non possunt, nisi probata causa ingratitudiois *c. ult.* 15. *q.* 7. Gl. *in c. quicunque d.* 54.) ex clericis fiant denuo servi; cum promovendi ad ordines ab omni jugo dominico debeaot esse liberi, *c. si quis dist.* 54. Extenditur secundo ad eos, quos adscriptitios vocant, qui alicui fuodo colendo in perpetoum adscripti sunt, & Originatios, qui ex talibus adscriptitiis nati sunt, de quibus Codic. *de agricolis, censitis & colonis*, & vel maxime ad illud geous servorom, qui io quibusdam Germaniæ partibus homines proprii vel mancipia *Leibeigene* vocantur. Dum personaliter ratiooe personalium obsequiorum domino obligati sunt, ita ut ab eo oisi gratis vel persoluto pretio discedere nequeant. Engels. *ad h. t. num.* 6. Laym. *Theol. Moral. l.* 2. *tr.* 5. *c.* 8. *num.* 2. citans *c. admittuntur, d.* 54. Unde etiam, ut Engels. *l. c.* praxis est, ut tales homines, dum ordinari cupiunt, consensum suorum dominorum vel aliquam manumissionem seu liberationem in scripto exhibere debeant Episcopo.

QUÆSTIO DCXXXVI.

Quid si ergo servus seu mancipium non donatus libertate promoveatur aut promotus sit ad Ordines.

1. RESp. primo. Si sciente, & non contradicente Domino ordinatus quis fuerit, etiam in clericum primæ tonsuræ taotum, eo ipso evadit & manet liber, ut expresse habetur, *c. si servus, d.* 54. Gl. & Abb. *in c.* 2. *h. t.* Suar. *de cens. c. alt. s.* 3. *num.* 5. Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 13. *num.* 2. cum communi. Ubi etiam addit, quod tametsi talis non tenecatur amplius ex justitia deservire Domino; quia supponitur absolute maoumissus juxta *c. quicunque d.* 54. possit tamen dominus manumissionem concedere non absolute, sed ea conditione, ut postquam fuerit ordinatus serviat sibi in mioisterio, Ordioibus & clericatui non repugnante; secus est de ministerio repugnante clericatui.

2. Resp. secundo. Si ignorante domino, multoque magis, si eo scieote & contradicente servus ordinatus fuerit tantum minoribus, peccat non solum talis servus graviter; quia Domino injuriam irrogat, & grave damnum attentat inferre. Castrop *l. c. num.* 3. Sed & manet servus, & Dominus eum vindicare potest, ut patet, ex *c. de servorum h. t.* & ex *c. frequens, d.* 54. non obstante *regula Juris* 51. *in* 6. *quod semel Deo dicatum est, non est ad usus humanos ulterius transferendum*; quia Jotelligendum id de re inanimata tantum, utpote cujus consecratio est mere materialis & in superficie, & ideo a manu profana tractari non debet, quæque alias facile compensari potest, & in qua dolus locum non habet; servi vero consecratio per Ordines minores est valde imperfecta, & ei fraus, dum sine consensu Domini permittit se ordinari, patrocinari non debet. Gl. *in c.* 2. *d.* 54. Host. *in sum. n.* 7. *h. t.*

3. Resp. tertio. Si ignorante aut contradicente domino ordinatus est Diaconus aut Subdiaconus ab Episcopo sciente, illum servum esse, servus efficitur liber; Episcopus autem ordinans (vel si is servum esse ignoravit, is, qui testimonium dedit & supplicavit, ut ordinaretur) tenetur satisfacere domioo in duplum, hoc est, vel reddere duos servos æque bonos, vel solvere duplum pretium, *c. si servus h. t.* Quam obligationem satisfaciendi in duplum adesse ante Judicis sententiam censet Suar. *l. c. d.* 31. *s.* 3. Contrarium rectius, ut ait Castrop. *l. c. num.* 4. sentiente Booac. *d.* 7. *q.* 3. *p.* 4. *num.* 3. eo quod, cum satis erat, ut ad integram satisfactionem jure naturæ debitam præstandam obligarentur, duplicatio illa satisfactionis io pœnam commissi delicti statuta requirat Judicis sententiam, saltem declaratoriam delicti. Quod si hæc duplex satisfactio non fuerit exhibita, oon liberabitur servus, nec dominus tenebitur eum dimittere, *c. si servus absente domino d.* 54. & *ibi* Gl. & Abb. *in c.* 2. *h. t.* apud Castrop. Si vero tam Episcopus quam præsentans juste ignorariot, illum esse servum, isque a nullo inductus ordinatus sit, tenetur loco sui reddere domino alium servum æqualem, vel ex proprio peculio se redimere oblato pretio (etiam duplo, ut Castrop.) ut constat ex *c. ex antiquis, d.* 54. Quod si neutrum præstare potest, reddendus est domioo, & is eum in servitutem repetere potest, ut ei serviat. An vero subsistat limitatio addita a Castrop. citante pro hoc Suar. *loc. cit. num.* 7. & 10. Booac. *num.* 3. Gasp. Hurtad. *de irregular. difficult.* 17. nimitum in omnibus ministeriis, quæ ordinem susceptum non dedecent, de hoc inquam dubitari potest; cum hac ratione adhuc damnum patiatur domious, subtracto servo a ministeriis a mancipio præstari debitis. Debet tamen dominus iotra annum a die scientiæ ordinationis servum repetere; ioterdicto ioterim servo omni ordinum exercitio. Castrop. *l. c.* Pirh. *l. c. num.* 4. Argom. *c. si servus*. Reductus autem intra annum a Domino in pristinam servitutem, non tantum manet privatus ordinum exercitio, sed & omni privilegio clericali fori. AA. iidem juxta *c. cum ex antiquis, d.* 54. & Gl. *ibi*. nec licet ei habitum aut tonsuram clericalem deferre. Pirh. *num.* 7. ex Toleto, *in sum. cas. l.* 1. *c.* 59. *n.* 10. Non tameo privilegio canonis, ita ut sine sacrilegio, etiam a Domino (quod tamen oegat Turrecrem. *in c. nulli, d.* 59.) verberari non possit. Pirh. *l. c.* citans Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 14. *n.* 5. & Gl. *in c. nulli*.

4. Resp. quarto. Quod si ignorante vel contradicente Domioo ordinatus est in sacerdotem, non potest iterum in servitutem reduci, etiamsi Domino integre satisfacere nequeat, sed peculium amittit, & illud Domino redit, *c. ex antiquis*. Castrop. *l. c. num.* 5. Pirh. *num.* 6. Et si peculium nullum habet obligatur Domino servire in ministeriis spiritualibus, *c. frequent & c. ex antiquis, d.* 54. Quod, ut Suar. *loc. cit.* apud Castrop. statutum, tum in reverentiam ordinis sacerdotalis, tum quia illud ministerium est altius & utilius Domino, adeoque oon graviter læditur, quamvis de cetero id non fiat per modum compensationis; cum res temporalis nequeat venire in compensationem rei spiritualis, aut per eam redimi vel commutari. Castrop. *cit. num.* 5. Laym. *loc. cit. num.* 5. Sayr. Bonac. Hurtado *LL. cit.*

TITU-

TITULUS XIX.

De Obligatis ad Ratiocinia Ordinandis vel non.

QUÆSTIO DCXXXVII.

An & qualiter obligati ad ratiocinia ab ordinibus arceantur.

1. RESP. Obligati ad ratiocinia (quales sunt, qui obligati sunt reddere rationem administrationis a republica acceptæ. V. g. Thesaurarii, Quæstores, Depositarii, Magistratus, Judices, rerum temporalium actores &c. vel etiam administrationis privatorum. V. g. curatores, tutores, procuratores papillorum, quæstores (Castrop. *loc. cit. num.* 6. & 7. Engels. *h. t. num.* 1.) hi, inquam, quamdiu illa munia exercent, ex defectu libertatis irregulares sunt. Castrop. *cit. num.* 6. & ab ordinibus repelluntur, *c. unico h.* t. tum quia hujusmodi officiales in reddendis rationibus doli convinci, multisque & magnis litibus, uti id frequentissimum, vexari possuot; idque cederet in grave damnum & infamiam Ecclesiæ *cit. c. unic.* tum quia præsumuntur ordines suscipere, non tam amore divini obsequii, quam fugiendi ratiocinia & forum sæcularе declinandi in præjudicium creditorum, & eorum, quorum res administrarunt, suscipiendo enim ordines forum mutant, dum ordinarie in tribunali ecclesiastico conveniendi sunt, quia actor forum rei sequi debet. *c. cum sit, de foro compet.* ac denique quia hujusmodi ratiociniis & negotijs implicati ecclesiasticis ministeriis libere vacare non possunt. Pirh. *ad h. t. num.* 1. citans Diaz. *in pr. can. cap.* 20. *num.* 1. Unde jam etiam dominus, vel quilibet alius, cujus interest, opponere potest, ne tales Sacris ordinibus initientur. Pirh. *l. c.* citans Diaz. *ubi ante*, & Abb. *in c. unic. h. t.*

2. Extendantur hæc primo a Diaz. apud Pirh. *loc. cit.* ad quemlibet de collegio, ita ut, si integrum collegium reddere rationes teneatur, nullus ex tali collegio pendente administratione promoveri possit ad ordines. Extenduntur secundo in genere ad omnes personas istiusmodi rationibus reddendis obnoxios ob rationis paritatem, etsi in *cit. c. unic.* denominati non sint; quippe qui ibi denominantur, exempli gratia tantum notati sunt Pirh. *loc. cit. num.* 2. Suar. *de cens. d.* 51. *s.* 3. *num.* 15. cujusmodi sunt obligati militiæ. Pirh. *loc. cit.* Feudatarii obligati ad obsequium personale repugnans ordini clericali. Castrop. *cit. num.* 7. Pirh. *loc. cit.* citans Sylv. *v. feudum q.* 8. conductores vectigalium, agrorum colendorum, aliasque negotiationes clericis prohibitas exercentes. Pirh. citans *c.* 2. & 3. *caus.* 21. *q.* 3. *cap.* 1. & 2. *ne clerici vel monach. negot. secular.* &c. Extenditur tertio, ita ut, etsi administrationem deposuerint, si tamen necdum rationes illius reddiderint, ab ordinibus arceantur; eo quod *citatum cap. unic.* utrumque requirat, & ut a tali administratione abstineant, & quod illius rationem reddiderint. Castrop. *loc. cit. num.* 8. Laym. *Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 3. Suar. *loc. cit. d.* 51. *s.* 3. *num.* 11. dicens esse communem. Bonac. *d.* 7. *part.* 4. *num.* 4. & alii apud Castrop. contra Gl. & Abb. *in cit. c. unic.* Tolet. *l.* 1. *cap.* 60. &c. Neque hic facienda distinctio inter administratores publicos bonorum reip. & inter administratores privatarum personarum, ita ut tales administratores publici post positum officium, necdum datis rationibus promoveri nequeant ad ordines; secus sit de administratoribus privatorum, ut censent quidam, sub hac tamen limitatione: nisi periculum esset infamationis vel vexationis, quam pati posset Ecclesia, cui administrator talis privatus esset adscriptus, ejusve clerici, ut si de dolo seu perfidia in administratione commissa lis mota esset, aut brevi movenda timeretur; cum hac super re condemnatus fieret infamis, vel nisi obligatus ad rationes privatas reddendas non sit solvendo, ideoque creditores se opponant ordinationi talis; idque ne forum mutetur, & lites a seculari Judice ad ecclesiasticum trahantur cum damno creditorum. Illa, inquam, differentia facienda non est; cum nullo jure probetur, & contrarium satis aperte colligatur ex *cit. c. unic. h. t.* ubi non solum de officialibus obligatis ad publica ratiocinia, sed etiam ad privata (quales sunt tutores pupillorum, qui ibidem numerantur) dicitur non esse admittendos ad ordines, nisi post deposita munia & redditas rationes. Pirh. *l. c. num.* 4. citans Suar. *ubi ante num.* 19. & 20.

3. E contrario tamen excipiuntur primo administratores Rerum Ecclesiæ (vel etiam personæ ecclesiasticæ qua tales ut Castrop.) item administratores causæ piæ publicæ vel privatæ; quales sunt tutores & defensores personarum miserabilium sive indefensarum, ut orphanorum, pupillorum agentium pauperum. Cum enim tales administrationes & munia suscipere liceat causa pietatis, *cap.* 1. *caus.* 21. *qu.* 3. durante tali administratione ante redditas rationes promoveri possunt ad ordines. Pirh. *loc. cit. num.* 3. Castrop. *cit. p.* 13. *num.* 14. Laym. *loc. cit. num.* 3. Hurtad. *loc. cit. difficult.* 18. Suar. *cit. sect. num.* 9. Bonac. Sayr. & plurimi alii apud Castrop. cum communi. Argum. *cap.* 1. *ne clerici vel monach. c. monachi*, 16. *q.* 1. *c. pervenit*, *d.* 76. His omnibus Pirh. adjungit eos, qui legitimam tutelam proximorum agnatorum susceperunt. Excipiuntur secundo ex tacita concessione vel privilegio Papæ aut longa consuetudine Consiliarii, Cancellarii, Judices in rebus civilibus Regum & Principum etiam sæcularium Pirh. *num.* 13. Laym. *loc. cit. num.* 5. Suar. *de cens. d.* 51. *s.* 3. *nu.* 14. eo quod istiusmodi officia ordinem clericalem non dedeceant juxta *c. non est de voto.* Abb. *in c. clericis, ne clerici vel monach. n.* 10. Excipiuntur tertio obligati ex mutuo, conducto, deposito, promissione, emptione, venditione aliove contractu nullam administrationem continente Reip. vel privatæ personæ ad reddendam rationem; eo quod tantum ii, qui ratione administrationis alicujus obligati sunt ad ratiocinia istam incurrant irregularitatem & arceantur ab ordinibus, &, cum hæc dispositio sit pænalis, ad alios casus extendi non debeat. Barb. *ad c. unic. h. t. nu.* 4. citans Abb. *in idem c. q. penult.*. Castrop. *loc. cit. num.* 12. citans Suar. *ubi ante*, *num.* 15. Bonac. *d.* 7. *q.* 2. *p.* 4. *num.* 3. &c. qui tamen tres posteriores idipsum limitant hoc modo: nisi mota fuerit lis de dolo, quo casu abstinere debeat ab ordinibus, donec lis finiatur, vel actor dolum non probaverit intra tempus a Judice designatum. Excipiuntur quarto ii, qui posita administratione, &, rationibus necdum redditis, fidejussorem idoneum constituerunt, qui promittat se redditurum rationes & debita soluturum in sui defectum. Pirh. *num.* 3. Castrop. *num.* 10. Barbos. *loc. cit. nu.* 6. citantes Abb. *in c. unic. h. t. num.* 12. Majol. *de irregul. c.* 11. *num.* 14. Bonac. *loc. cit. nu.* 4. &c. Modo tamen fidejussor constituat se debitorem principalem, ita ut ante principalem debitorem conveniri valeat. Pirh. Barbos. Majol. *LL. cit.* citantes præterea Campanil. *in var. Jur. Rub. Rub.* 11. *cap.* 9. *num.* 11. Excipiuntur quinto, qui post redditas rationes administrationis debito pecuniario obstricti manent, cui solvendo non sint, dum bona sua creditoribus cedunt, reservata sibi congrua sustentatione, donec ad meliorem fortunam perveniant. Pirh. *num.* 5. citans Suar. *nu.* 22. & 23. Laym. *in c. unic. h. t. nu.* 4. idque, ut Suar. *numer.* 22. sive debitum sit contractum ex publica sive ex privata administratione, contrarium tamen tenentibus aliis apud Suar. *num.* 21. de debitore ex administratione publica (secus tamen de debitore Reip. aliunde, puta exemptione, mutuo &c.) eo quod tales juxta. *L. rescripto*, *§. debitores*, *ff. de muner. & honor.* arceantur ab honoribus, donec solvant. Quod tamen exemplum a Jure Civili petitum de arcendis talibus ab honoribus & dignitatibus sæcularibus male extendi ad ordines & dignitates ecclesiasticas; cum jus civile inducere nequeat irregularitatem, ait ex Suar. Pirh. *l. c.* Porro per accidens & independenter ab irregularitate fieri potest, ut ære alieno gravatus ordinari nequeat, quia nimirum non habet congruam sustentationem, certum est juxta Trident. *sess.* 21. *c.* 2. *de reform.* Limitari solet denique hæc ratione responsio, ut quivis ratiociniis obnoxius ante redditas rationes aut depositionem administrationis jam factus Clericus, licet tantum constitutus in minoribus, non prohibeatur ascendere ad ordines majores, ut Abb. *in c. unic. h. t. num.* 9. Barbos. *l. c. n.* 7. citans Campan. *ubi ante n.* 11. eo quod istiusmodi administrationes habentes prohibeantur ex laicis fieri clerici, ne hi, quorum negotia geruntur, ex tali mutatione fori graventur, quæ ratio cessat, in iis, qui jam sunt clerici, & ad altiores ordines promoveri cupiunt. Verum hanc exceptionem, seclusa authoritate, non carere dubio, ait Pirh. *n.* 4. eo quod allegata ratio non sit adæquata, an ad ratiocinia obligati ordinari non possint.

QUÆ-

QUÆSTIO DCXXXVIII.

Num obligati ratiociniis arceantur quoque ab ordine religioso.

RESp. affirmative Ita enim expresse statuit Sixtus V. *in constit. sua, quæ incipit : cum de omnibus, data Romæ. Calend. Decembr.* 1586. cujus quoque verba recitat Barbos. *loc. cit. num.* 8. ut reddendis ratiociniis ita obnoxii, ut ex eorum ingressu in religionem quælibet lis, injuria, molestia, timeri possit, nequeant eam ingredi, & si in ea profiteantur, professio sit nulla. Quæque constit. cum nullum faciat discrimen inter publica & privata ratiocinia, de omnibus generaliter intelligendam, ait Barbos. citatis Rodriq. *qq. regular. Tom.* 3. *q.* 10. *a.* 11. Suar. *de Relig. l.* 5. *c.* 6. *n.* 20. Sanch. *in decalog. Tom.* 3. *l.* 4. *c.* 19. *num.* 29. Quod si tamen patrimonium volentis profiteri superaret ex administratione debita, nec rationes adeo involutæ; ut molestia aliqua desuper quovis quæsito colore inferri posset, non impediendum talem ab ingressu religionis, ait Barbos. ex Salced. *in pract. c.* 20. *in fine*, oti nec, dum sufficiens cautio præstaretur, qua fidejussores se ad reddendas rationes obligarent sicut principalis debitor. Porro citatam constit. idem constituentem de ære alieno aliunde supra vires facultatum suarum gravato, locum noo babere io debitis incertis & indeterminatis, quorum dominus sciri vel inveniri nequit; neque in eo, qui bonis suis cedit, ait Barbos. *loc. cit. num.* 6. remittens ad Sanceb. *loc. cit. num.* 19. *& seq.* Mirand. *in man. Prælator. Tom.* 2. *q.* 17. *a.* 6. *&* 7. Azor. *inst. mor. p.* 1. *l.* 12. *c.* 3. *quæst.* 5. De cetero quo ad nullitatem professionis constitutionem illam Sixti V. ad terminos juris communis reductam per constitut. Clem. VIII. quæ incipit : *in suprema*, testatur Fagnan. *in c. unic. b. t. num.* 15. in fine; adeoque tales adhuc valide profiteri.

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

QUÆSTIO DCXXXIX.

An & qui ob vitium corporis incapaces fiat suscipiendi Ordines.

1. RESp. primo loco prænotabilis, vitiatos corpore esse io triplici differentia, alii enim sunt debiles, alii deformes, alii murilati. Pirh. *ad b. t. num.* 1. ex Hostiens. Debiles dicuntur, qui membrum habent ad Sacrum ministerium ioutile. V. g. manum aridam, oculum cæcum, vel qoi continuo gravi aliquo murbo laborant. V. g. paralysi continua. Deformes, qui enorme habeot vitium, defectum, maculam in exterioribus membris, unde sine notabili horrore, irrisione vel scandalo conspici nequeunt. Mutilati denique dicuntur, qui carent aliquo membro, quale dicitur ea pars corporis, quæ ad certum officium a natura deputata, distinctam in corpore operationem habet, hoc prænotato

2. Resp. secundo in genere vitiatos corpore repelli ab ordioibus suscipiendis, constat ea toto *titulo de vitiatis corpore*, item *ex dist.* 55. Requiritur autem ad hoc, ut defectus vel vitium sit tale, per quod vel absolute, vel saltem congruus & decens usus ordinis, præsertim celebratio Missæ impediatur. Sive defectus ille seu vitium ex propria culpa, sive facto alieno, sive incuria, sive casu acciderit, vel etiam a nativitate sit congenitum, Nav. *in man. c.* 27. *n.* 200. Covar. *in clem. de homicid. p.* 3. *in initio*, aliique apud Pirh. *ad b. t. num.* 2. cum communi.

3. Resp. tertio in specie. Ordinari nequeunt ratione debilitaris, imprimis cæci (intellige vi visiva carentes, etsi utrumque oculum, & quidem absque omni deformitate, habeant, non tamen idem dicendum de lippis & luscis, aut qui oculos distortos & exinde difficultatem legendi habent, nisi simul adsit notabilis deformitas, vel etiam, ut addit Engels. *b. t. n.*6. nisi ad legendum immodicam corporis inclinationem requirerent. Neque de iis, qui oculum sinistrum (qui de stylo vocatur oculus Canonicus, quod per eum Canon. Missæ legi debeat) bonum & videntem babent, dextrum vero integrum quidem & absque deformitate, destitutum tamen virture visiva; cum talis ex communi DD. nun ceoseatur irregularis, ut Engels. *l. c. n.* 5. qui etiam ait, procedere non improbabiliter, si destitotus vi visiva in oculo sinistro (intellige iterum absque deformitate) solo oculo dextro videns sine indecora faciei ad populum conversione Canonem Missæ legere possit, citat, pro hoc Barbos. *Jur. Eccles. l.* 1. *c.* 33. *n.* 140. Nav. *in man. c.* 27. *n.* 199. Idem tenent Pirh. *l. c. n.* 6. citatique ab eo Avila *de cens. d.* 3. *du.* 1. *coroll.* 1. Suar. *de cens. d.* 51. *s.* 2. *n.* 15. Secundo surdi & muti, etsi aures & linguam habeant. Pirh. *b. t. n.* 5. juxta *Canonem* 77. *Apostol.* addit etiam Pirh. eum, qui surdus omnino factus post ordinationem, posse privatim sine ministro respondente celebrare, ad quod quidem absolute necessaria non sit dispensatio, eam tameo utiliter peti a Papa, ut docet Nav. *l.* 1. *cons.* 6. *&* 7. Sed neque extendendum hoc ad Surdastros tantum & balbutientes (nisi forte ita balbutientes, ut verba, præserrim consecrationis in Missa inrelligibiliter pronunciare nequirent.) Sayr. *de Cens. l.* 6. *c.* 8. *n.* 3. Tertio, qui standi aut ambulandi facultate destituti; hos enim irregulares esse affirmat Pirh. *l. c.* ex Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 1. his Pirh. *l. c.* addit nanum (intellige qui de cetero non deformis) ita parvus est, ut brachia attollere nequeat, quatenus id requiritur ad altaris ministerium : unde jam Paralysi continua vel quasi contioua (idem est de podagra) laborantes incapaces sunt ordinum. Vide plures pro hoc citatos AA. apud me *in foro benef. p.* 1. *q.* 230. *n.* 2. *&* 3. Huc spectant leprosi, lunatici, epileptici, seu morbo caduco laborantes, qui etsi liberati sior, vel potius videantur, nunquam tamen sani creduntur, irregulares sunt & promoveri nequeunt ad ordines sine dispensatione Papæ. Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Pirh. *n.* 14. juxta *c. maritum & plura seq. dist.* 55. vide de bis Suar. *l. c. s.* 1. Passer. *de elect. c.* 25. *n.* 13. His etiam annumerandi dæmoniaci ita a dæmone possessi & arrepti, ut non sit iis liberum a motibus incongruis abstinere, & ita sæpe privati usu rationis, ut nesciant quid faciant, quin &, qui semel a dæmone possessus est perpetuo irregularis in ordine ad suscipiendos ordines, quin etiam clericatum, nisi a Papa dispensetur *cit. c. maritum, dist* 33. & *c. communiter, d.* 33. Suar. *de cens. l.* 6. *d.* 51. *c.* 13. *n.* 3. Similes tamen iofirmi antecedenter ordinati in susceptis ordinibus ministrare possunt, si integre liberati videantur Episcopo. Pirb. *cit. n.* 14. citans Suar. *de cens. d. ult. s.* 1. *n.* 5. Laym. *ubi ante n.* 3. Sylv. *v. de corp. vitiatis*, juxta *c.* 1. *caus.* 7. *q.* 2. Excipitor hic iterum dæmooiacus, qui nunquam debet celebrare sioe dispensarione. Pirh. *l. c.* citans *c. communiter dist.* 33. quamvis subjungat, quod Episcopus, si talis plene liberatus videatur, possit cum eo dispensare, ut celebret, vel etiam in inferiore ordine constitutus promoveri possit ad altiorem, pro quo citat Sylv. & Laym. *ubi ante*. De cetero liberatiu ab istiusmodi infirmitatibus non præsumitur, sed debet ea liberatio probari; cum in morbis diu durabilibus, & qui a natura solent esse habituales, qui semel est morbosus, præsumitur semper laborare eodem morbo. Abb. *in c. cum inter, n.* 7. apud Passer. *l. c.* quamvis Engels. *l. c. n.* 16. & Pirh. *cit. n.* 14. dicant, tempus ad explorandum, an quis convaluerit ab istiusmodi morbis esse aonum, pro quo citat, *c. communiter*, & Pirh. subdat, id tamen potius relinquendum judicio Episcopi spectatis circumstantiis. Notandum etiam est, quod habet *ibidem*, citatis *c. illud & c. seq. caus.* 7. *q.* 1. Nav. *cit. c.* 27. *n.* 203. Laym. *ubi ante &c.* oimirum furiosum vel epilepticum, etsi non omnino liberum, si raro in furorem incidat, aut cadat in terram, nec spumas evumat, posse privatim celebrare adjuncto socio sacerdote, qui Missam perficiat, casu quo corripiarur denuo morbo illo. Sic quoque ait Laym. sacerdotem, qui incidit in lepram, ubi sine scandalo potest privatim celebrare, non esse prohibendum, citans pro hoc Sylv. & Sa.

4. Resp. quarto ratione notabilis deformitatis inhabiles ad ordines sunt, quibus erurus unus oculus, cum id accidere nequeat sine relicta notabili deformirate, *c. ult. d.* 55. De eo autem, qui loco eruti oculi oculum haberet fictitium (intellige sine deformitate notabili) dubirari possit, sed ait Engels *loc. cit. num.* 6. putare se, non facile ordinandom sine dispensatione; eo quod revera oculus naturalis desit, & in Canonibos non ponatur bæc exceptio ob rationem oculi ficti; præterea oculus iste artificialis facile possit adverti, excidere aut perire, & deficere occasio eum reparandi, ac ita apparere deformitas.

Sic

Sic quoque ex hoc capite deformitatis irregulares sunt & Ordinum incapaces, qui naribus vel auribus truncati; tametsi enim cartilago illa aurium non sit membrum, ejus tamen carentia in parte corporis valde patente inducit notabilem deformitatem, adeoque irregularitatem. Pith. *l. c. num.* 6. Nav. *ubi ante*, *n.* 222. Laym. *l. c. n.* 1. cum communi contra Henriq. nisi tamen deformitas aurium tegeretur capillis. Pirh. *l.c.* cum Avil. *l. c. coroll.* 2. De cetero deformes, de quibus dubitari possit, num irregulares & repellendi ab ordinibus, sunt sequentes: habentes maculam in oculo, oculos lacrymantes & lippos, unum oculum altero majorem, aut valde prominentem, faciem ustulatam, macularam, cicatricibus plenam, manus tremulas, claudicantes, gibbosi, nimis parvi, habentes nasum deformem &c. de quibus in genere statui potest, quod sit magna ex inde deformitas, ordinari nequeunt sine dispensatione Papæ, secus si parva Pirh. *l. c. num.* 8. citans Laym. *in c.* 2. *h. t. num.* 2. cujusnam autem sit de ejusmodi deformitate arbitrari, dicetur paulo post.

5. Resp. quinto inter mutilatos facienda est distinctio, nimirum qui propria culpa & voluntate seipsos mutilarunt, aut mutilationem sui sine causa fieri procurarunt, etiam ex parte solum membri alicujus, v. g. per abscissionem partis cujuslibet digiti, etiam dum ea mutilatio non impedit Ordinem, neque infert gravem deformitatem, aut etiam ullam; quia v. g. membrum abscissum est occultum. Suar. *l. c. s.* 2. *n.* 6. Nav. *in man. c.* 27. *num.* 198. Pirh. *l. c. num.* 11. cum communi juxta *c. qui partem*, *c. ex parte*, *c. significavit*, *h. t.* Ratio autem, cur tales sint irregulares & Ordinum incapaces, non refunditur in defectum aut deformitatem, sed in sævitiam, quam quis in seipsum exercet, & in injuriam, quæ per hoc infertur Creatori.

6. Extenduntur hæc primo, ut, tametsi culpa mutilantis se non sit notoria, incurratur hæc irregularitas & incapacitas ad Ordines, dum Canones citati non fundantur in notorietate facti, sed in dicta sævitia & injuria. Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 12. *n.* 2. citans Molin. *de jure & Just. d.* 70. *n.* 16. Pirh. *l. c. n.* 12. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 12. *num.* 5. Secundo tametsi quis sine proposito directo mutilandi se, aut faciendi se mutilari, per culpam tamen mutilet seipsum, aut causa sit, cur ab alio mutiletur, v. g. dum in rixa, in duello sponte oblato vel suscepto, vel deprehensus in adulterio per maritum adulteræ, vel etiam juste in pœnam criminis amittit membrum aliquod, v. g. nasum, manum &c. incurrit irregularitatem non secus, ac si talis mutilationis in alio causa culpabilis exstitisset. Pirh. *cit. n.* 12. ex Suar. *ubi ante n.* 8. In quo tamen casu indirecte sibi illatæ mutilationis juxta eosdem AA. requiritur, ut membrum integrum ablatum sit (cujus contrarium est in iis juxta jam dicta, qui ex directa voluntate mutilationem sui procurarunt, etiam in parte membri alicujus; cum major sit crudelitas, adeoque majus delictum severiusque puniendum, sævire hac ratione in seipsum, quam alteri inferre aut procurare directe talem mutilationem. Suar. Diaz. Avil. citati a Pirh. *n.* 12.) Secus namque est & irregularitatem dictamque incapacitatem non incurrit, qui partem solum membri v. g. digiti, etiam alias ad frangendam elevandamque hostiam necessarii, puta pollicis aut indicis amisit ex culpa propria absque directa voluntate. Pirh. *l. c. n.* 4. prout constat ex *c.* 1. *h. t.* ubi, ut Sacerdos, qui in duello sponte oblato & suscepto amiserat partem digiti, ita tamen, ut posset adhuc sine scandalo publice & solenniter celebrare, permittatur post peractam pœnitentiam in suo Ordine ministrare seu celebrare, Papa Alex. III. mandat Episcopo, absque eo, quod permissio dicta habuerit rationem dispensationis super defectu hoc amissæ partis digiti, dum ea amissio non impediebat celebrationem. Pith. *cit. n.* 4. citatis Suar. *d.* 51. *de cens. s.* 2. *n.* 7. Nav. *in man. c.* 27. *num.* 198. Tertio extenditur, etiamsi directe voluntaria illa mutilatio suîpsius fiat ex bona intentione, v. g. castratio libidinis sedandæ gratia. Pirh. *n.* 12. juxta *c. hi qui* 5. *d.* 55. ita tamen; ut si jam tum fuerit clericus vel Sacerdos, excepto altaris mysterio, seu celebratione Missæ, alia officia sacerdotalia, v. g. solenniter baptizare, inungere moribundos &c. possit, ut constat ex *c. significavit*, *h. t.* juncta Gloss. *v. officium*, ubi Papa rescribit Episcopo Ravennati, ut tali Sacerdoti, pro ut expedire videbitur, authoritate Apostolica, quin & propria (hoc, est ei a Papa commissa, ita ut alteri id subdelegare nequeat) officia illa exercere concedat, adeoque ex gratia & dispensative, ut Pirh. intuitu piæ intentionis. Unde jam illud sequitur, quod si tali sine bono ac supernaturali voluntarie procurans castrationem sui sit irregularis, multo magis ille, qui eam procuravit propter utilitatem humanam finemque minus excellentem v. g. amore musices ob conservationem vocis. Engels. *h. t. n.* 13. cum longe communiore DD. ut D. Th. 2. 2. *q.* 65. *a.* 1. Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 38. Bonac. *de cens. d.* 7. *q.* 2. *n.* 34. & plures alii apud Caramuel. *Theol. fundamental. fundam.* 45. *§.* 19. In contrarium tamen inclinare videtur Castrop. dum *d.* 6. *de cens. p.* 12. *n.* 4. ait: *non videtur improbabile, te irregularem non fore, tametsi testiculos abscindi feceris causa vocis retinendæ; eo quod, ut ait, nullus textus hanc irregularitatem inducat, cum loquatur, non de eo, qui sibi testiculos abscidit, sed qui sibi fecit abscindi virilia, quod diversum est.* Argumenta pro opposita sententia vide proposita & soluta apud Engels *loc. cit. a. num.* 31. qui etiam *num.* 33. subjungit, se diffiteri non posse de eo, quod hujusmodi castrati de facto ordinati probabiliter tolerari possint ob rationes contrariæ sententiæ; cum nonnunquam Episcopus in dubio jure dispensare possit.

7. Resp. sexto. Qui ex justa causa vel alieno facto non affectato seu nullatenus volito mutilati sunt in tali membro, quod ad exercitium Ordinum necessario requiritur, vel cujus defectus notabilem deformitatem inducit, ordinari non possunt *c. exposuisti h.t.* hinc irregulares sunt & ordinari nequeunt, qui sive per injuriam sive casu & per infortunium, aut ex necessitate ob infirmitatem ex consilio medicorum ad salvandam vitam truncati sunt naso, amiserunt manum vel etiam digitum necessarium ad frangendam elevandamque hostiam, v. g. pollicem vel indicem. Item qui amisso pede uno facti sunt unipedes, quod tamen videtur intelligendum, si non nisi cum baculo, aut pede ligneo, aut alias valde deformiter ingredi valeant; quamvis etiam de utente pede ligneo videatur dicendum contrarium, dum alias sine baculo decenter ambulare possit, defectumque tegere, puta talari veste, alba, ocrea &c. Neque enim tunc defectus ille notabilis est, aut causat deformitatem, neque pes alter ad Ministerium altaris necessarius. E contra, si tale membrum, etsi totum, vel ex parte amissum, neque tamen notabilem deformitatem infert, neque necessarium ad Ministerium Ordinis, irregularitas non inducitur, possuntque tales citra dispensationem ordinari. Argum. *c. Thomas*, *h. t.* ubi deciditur, non esse impedimentum Canonicum ad Ordines, dum casu ferrum candens incidens in pollicem dextrum avulserat ungulam superiorem articulum. Sic eunuchus natus promoveri potest ad Ordines, etiam Episcopatum: Pirh. *n.* 13. cum communi. Item dic de eo qui per incuriam castratus, ut constat ex *Canone* 12. *Apostolor. relato in c. Eunuchus* 8. *dist.* 55. Item de infante seu puero in cunis ante usum rationis castrato, de quo est, *c. ex parte h. t.* Item de eo, qui sibi de consilio Medicorum ob periculum vitæ alias incurrendum curavit partes illas tolli, pro quo idem *c. ex parte* citat Pirh.

QUÆSTIO DCXL.

An, qui inhabilis est ob vitium corporis ad Ordinem aliquem superiorem v. g. Sacerdotium, possit nihilominus promoveri ad Ordinem inferiorem, v. g. Clericatum.

RESp. affirmari hoc ipsum ab Engels *ad h. t. num.* 17. adducente exemplum abstemii, de quo ait, quod licet promoveri nequeat ad Sacerdotium, ex probabili tamen sententia ad Subdiaconatum & Diaconatum non sit inhabilis, eo quod inferiores dentur quidem in ordine ad Ministerium Sacerdotii, non tamen ad necessarium ascensum ad Sacerdotium, citat pro hoc Zipæum *in analys. juris Pontific. de ordinand. num.* 11. Nav. *in man. c.* 27. *num.* 204. Verum contrarium videtur esse probabilius, nimirum, quod qui inhabilis est ex vitio corporis ad recipiendos Ordines majores & Presbyterium, etiam inhabilis sit ad recipiendos minores, quin & ad primam tonsuram. Ita tenent Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 4. *p.* 4. *num.* 3. & quos citat Ugolin. *de irregul. c.* 52. *§.* 5. *nu.* 4. & *c.* 64. *n.* 4. Tolet. *in sum. l.* 1. *c.* 57. *nu.* 1. & 2. *regul.* Garc. *de benefic. p.* 7. *c.* 17. *num.* 78. contra Valent. *Tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *p.* 3. fundatur hæc sententia potissimum *in c. non confidas*, *dist.* 50. ubi corpore vitiati probibentur divinis applicari Ministeriis. Præterea prima tonsura & Ordinibus minoribus disponitur quis ad Ministerium altaris seu Sacerdotium, quod omnes Ordines tanquam sui complementum respiciunt: ergo inhabilis ad illud inhabilis quoq; censeri debet ad Ordines minores. Unde jam etiam talis nequidem simplex obtinere poterit beneficium, utpote necessario supponens primam tonsuram, ut Castr. *l.c.* Simile quid habet Pirh. *h.t.* citans Jo. And. *in c. significavit h.t. n.* 3. Laym. *ibid. num.* 2. nimirum eum, qui ob corporis vitium contraxit irregularitatem partialem, v. g. Sacerdotem, qui per errorem culpabilem mutilavit seipsum, ut perpetuo inhabilis sit ad altaris Ministerium, non autem ad alia Sacerdotalia munia, de quo *quæst. præced. resp.* 5. *in extensione* 3. non posse nequidem ut Subdiaconum vel Diaconum in

Missa

Missa canendo Epistolam vel Evangelium ministrare; eo quod sub altaris Ministerio indefinite & indistincte posito comprehendatur etiam Ministerium Diaconi & Subdiaconi; adeoque concesso ex gratia & dispensative Sacerdotali officio, præter altaris Ministerium censeri debeat etiam exclusum Ministerium Diaconi & Subdiaconi. Quod ipsum tamen alii negant, ut vidimus supra de suspenso a Sacerdotio.

QUÆSTIO DCXLI.

An & a quo cum hujusmodi vitiatis corpore dispensari possit, ut ad Ordines promoveantur.

1. RESp. primo. Episcopo conferenti Ordines, sive jure ordinario, sive ex delegatione ei facta, arbitrari & determinare competit, an defectus corporis, vel deformitas sit tanta & notabilis; Item an qualitas morbi sit talis, ut sine dispensatione quis ad Ordines promoveri nequeat; cum id alias certa regula definiri non possit. Abb. *in c.* 2. *h. t. num.* 1. Barbos. *ibid. n.*4. Nav. *l.* 1. *consil.* 1. *n.*3. *h. t.* Pirh. *l. c. n.* 7. cum communi. De cetero arbitrium hoc non pertinet ad confessarium. Neque etiam quo ad regulares ad Prælatum Ordinis, eo quod Prælati regulares sicut non habent potestatem conferendi Ordines, ita nec judicandi, an ordinandi incurrerint nec ne irregularitatem ob vitium corporis nisi forte idipsum illis concessum expresse & specialiter a Papa. Pirh. *l. c.* citans Nav. *in man. c.*27. *n.*200. *dicto* 6. Sylv. *v. de corp. vitiatis q* 1. Rodriq. *qq. regular. tom.* 1. *q.*24. *a.* 4. contra Avil. *de cens. d.* 3. *dub.* 2. tenentem contrarium quo ad regulares exemptos. Qua in re illud certum esse, ex Suar. *l. c. num.* 16. notant Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *c.* 7. *n.*6. Pirh. &c. Episcopum non teneri admittere tale arbitrium Prælati regularis, nisi forte esset Prælatus, qui literas dimissorias (intellige, quales alias dare potest Episcopus proprius, dum subditum suum dimittit ad alienum Episcopum, ut ab eodem ordinari valeat) eo quod talis Prælatus supponatur habere jurisdictionem Episcopalem, ad quam potius quam ad characterem Episcopalem spectat ejusmodi arbitrium. Pirh. *loc. cit.* de cetero Prælati mendicantium ex privilegiis suis magnam habent potestatem dispensandi super omnibus irregularitatibus cum suis, excepta ea, quæ provenit ex voluntario homicidio, bigamia vera & interpretativa. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 9. *n.*6. & 7. de qua vide dicenda *qu. seq.* Porro dum quandoque in dubio potest Episcopus non tam proprie dispensare, quam benigne interpretari, non esse gravem deformitatem, quæ irregularitatem inducat, eam declarationem facilius locum habere in religioso vel religionem ingressuro ob favorem religionis, vel etiam in jam ordinato, ut is in Ordine suscepto ministret (dum ad repellendum ab usu Ordinum jam susceptorum major requiritur deformitas) ac denique in Ordine ad suscipiendos minores, ait Pirh. *l. c. n.*15. citans Piaces. *in pr. Ep. p.* 1. *c.*3. *a.* 10. *n.* 17. Laym. *in c.* 2. *h. t. n.*2. & *Th. Mor. l.* 1. *tr.*5. *p.* 5. *c. ult. n.* 2. & 3. Quod vero Episcopus subinde possit deformato, qui in publico honeste apparere nequit, dare licentiam celebrandi in privata capella, ut Innoc. *in c.* 1. *h. t.* id recte ait Engels. *h. t. nu.* 19. intelligendum, si post Sacerdotium susceptum fuerit deformatus.

2. Resp. secundo. Etsi Episcopus dispensare nequeat in hac irregularitate, ortaque inde inhabilitate ad Ordines, authoritate propria, posse id tamen authoritate Apostolica sibi delegata, adeoque propria tantum ea commissione juxta *c. significavit h. t.* & Abb. *ibid. n.*2. tradit Pirh. *l. c. nu.* 15. Verum merito dubitatur, num id ita generaliter teneat; cum nullibi reperiatur ista generalis potestas delegata generaliter Episcopis eorumque dignitati annexa, cum *c. illud significavit* solum loquatur do Sacerdote castrante seipsum ex bona intentione, in quo casu rescribit Papa Alex. III. Episcopo Ravennati, ut illi authoritate Apostolica, quin & propria authoritate fretus, concedat officium Sacerdotale, excepto ministerio altaris. Vide Laym. *ad cit. c. in paraphrasi*, de cetero posse dispensare Episcopum in hac irregularitate proveniente ex abscissione membri facta propria culpa, quando membrum est occultum, vel ipsum delictum, tenent apud Pirh. *l. c.* Sylv. *v. de corp. vitiatis, q. ult.* Rodriq. *tom.* 1. *qq. regular. q.* 24. *c.* 3. Mirand. *in man. Prælator. tr.* 2. *q.*8. *nu.* 3. Idque ex virtute Concilii Trident. *Sess.* 24. *c.*6. *de reform.* ubi conceditur Episcopis dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, tenet Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 12. hisce expressis: *circa irregularitatem procedentem ex mutilatione voluntaria sui ipsius dicendum est, si facta sit abscissio integri membri, & sit occulta, poterit Episcopus dispensare in virtute Concilii Tridentini*, citat pro hoc Angel. *v. vitiati corpore, num.* 1. Sylv. *v. eod. quæst.* 10. Henriq. *l.* 1. *c.* 8. *num.* 4. Avil. *p.* 7. *d.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2. Idem tenet Engels *h. t. in fine*. Idem apud Castrop. tenet Avil. si abscissio contingat ex propria culpa, dummodo hæc sit occulta, tametsi abscissio sit notoria. Sic ait Laym. *cit. c.* 7. *n.*3. ex Majol. *de irreg. d.*70. *nu.* 12. posse Episcopum cum lunaticis aut dæmoniacis in aliquo Sacro Ordine constitutis, si plene convaluisse videantur, dispensare, ut ad altiorem Ordinem ascendere possint, additque de suo, idem dicendum de religiosis, etsi nullos adhuc Ordines susceperint; cum quibus dispensari quoque poterit ab Episcopo virtute privilegii dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio. Quod vero addit Pirh. ex mente Rodriq. Mirandæ, posse dispensare Episcopum, dum membrum patens sine propria culpa abscissum, modo non impediat celebrationem Missæ, aut deformitatem inducat, id, inquam, gratis additur; quia, ut dictum, tales non incurrunt irregularitatem, & ordinari possunt sine dispensatione juxta dicta supra, & Laym. *cit. c.* 7. *n.*6. dicens, hanc esse generalem regulam. Tradit. vero Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 7. *n.* 7. nomine Episcoporum in Ordine ad dispensandum vi Concilii Trid. non venire Vicarium generalem Episcopi, nisi specialiter ei ab Episcopo committatur; eo quod dispensatio reputetur quasi restitutio in integrum, quæ non venit in generali mandato. Neque Prælatos regulares respectu religiosorum illis subditorum, eo quod non habeant diæcesim, quod necessario videtur requirere Trident. ut gaudeant hoc privilegio; cum dicat: *liceat Episcopis in diœcesi sua* &c. quamvis de cetero Pius V. in motu quodam proprio, quem refert Rodriq. *qq. regul. tom.* 1. *q.* 6. *a.* 9. facultatem illam dispensandi concessam Episcopis a Trident. extendat ad Prælatos regulares etiam locales religionum exemptarum erga religiosos eis subjectos, ita ut hi vi hujus privilegii cum suis possint, quidquid possunt Episcopi virtute Trident. ut Sanch. *l.* 2. *in decal. c.* 11. *n.* 9. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 30. *s.* 2. *n.* 71. Veniant tamen Prælati regulares habentes propriam diæcesim & jurisdictionem Episcopalem, ut Sanch. *l. c. num.* 4. Sayr. *in clav. reg. l.* 6. *c.* 11. *num.* 83. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 10. *dub.* 8. Barbos. *in remiss. Concil.* eo quod hæc potestas dispensandi concessa a Trid. sit late interpretanda; quia est beneficium Principis juri communi insertum. Item venit Capitulum Sede vacante; eo quod hæc potestas concessa Episcopis sit annexa eorum dignitati, & non jure speciali iis delegata, adeoque ordinaria; quæ autem jure ordinario competunt Episcopis, in iis succedat Capitulum. Quinam autem veniant nomine subditorum in Ordine ad dictam dispensationem, vide apud Castrop. *l. c. n.* 8. Sed neque hæc potestas dispensandi collata vi Trid. est pro solo foro conscientiæ, sed est absoluta, & pro foro quoque externo, eo quod, dum Concilium *l. c.* adhibet illa verba: *in foro conscientiæ*: ea non respiciant dispensationem, sed absolutionem a casibus reservatis, ut Sanch. *l. c. nu.* 12. apud Castrop. *l. c. n.*12. Laym. *l.* 1. *tr.*5. *p.* 5. *c.*9. *n.*7.

3. Resp. tertio. De cetero dispensare in irregularitate ex notabili corporis vitio regulariter, sive seclusis privilegiis, est solius Papæ. Laym. *cit. c.* 7. *n.*3. *in fine*. Suar. *l. c. s.* 2. *nu. ult.* cum communi. Quamvis & ipse Papa non soleat facile dispensare; quin & nunquam, ubi deformitas est magna; eo quod sit contra reverentiam Sacramenti, si gravi vitio corporis seu notabili deformitate laborantes ad altare ministrent, & grave scandalum generaretur in populo, ita observat Pirh. *h. t. n.*15. Sic in specie, si cui pollex factus inutilis ad hostiam frangendam & elevandam, Pontificem non facile neque congruenter dispensaturum; cum non soleat dispensare circa excellentissimi Sacrificii Ministerium contra traditionem Ecclesiasticam, secundum quam pollicis usus necessarius ad tractandam hostiam, tradunt Dominic. Sot. *in* 4. *d.* 25. *q.* 3. *a.* 3. Sayr. *in thesaur. l.*6. *c.*8. *n.*18. & 19. Henriq. *l.*14. *c.* 8. *n.* 4. apud Laym. *Th. Mor. l.* 1. *tr.*5. *c.* 7. *n.*6. Porro in genere hic observandum primo, dispensatum ad ordines censeri dispensatum ad solos minores; cum dispensatio sit strictæ interpretationis, & sufficienter censeatur sortita effectum concessa pro minoribus. Castrop. *de cens. d.*6. *p.*7. *n.* 20. ex Sanch. *de mat. l.*8. *d.* 1. *n.*26. Secundo, Episcopum concedentem dimissorias (intellige, ubi is habet potestatem dispensandi) eo ipso concedere facultatem, ut ab ordinante dispenseris in irregularitate impediente susceptionem ordinum, utpote cui susceptioni hæc dispensatio necessario præmittenda. Angel. *v. irregularitas, n.*34. Sylv. *ibid. q.*9. *n.*11. Henriq. *l.*14. *c.*17. *n.*4. apud Castrop. *l. c.* ex Sanch. *l. c. n.*25. qui tamen id ipsum limitat hac ratione: modo Episcopus dimittens sit conscius istius irregularitatis. Pari modo Episcopum aliumve Prælatum conscium irregularitatis, in qua dispensare potest, admittendo talem ad Ordines, censeri dispensasse cum illo, eo quod non debeat Episcopus præsumi peccasse, contra Nav. *in sum. c.*25. *n.*27. docent cum communi Henriq. *l. c.* Suar. *de cens. d.*42. *s.* 3. *n.*4. Bonac. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 1. *in fin.* & alii apud Castrop. *de cens. d.*6. *p.* 7. *n.* 18. qui tamen ait, in foro externo nullatenus hanc dispensationem tacitam factam

a Præ-

a Prælato Papa inferiore non admitti; eo quod inferior Papa in juru communi dispensare nequeat sine præmissa cognitione causæ. Tertio, Episcopum ordinantem solum ex delegatione Episcopi proprii subditum alienum cum eo dispensare nequire, nisi ei ab Episcopo propriu dimittente una cum potestate ordinandi concessum sit explicite vel implicite, cum certum sit Episcopum non posse exercere dispensatione respectu eorum, qui ei subjecti non sunt, cum dispensatio sit jurisdictionis usus necessario exercendus in subditos. Castrup. *l. c. n.* 6. Unde secundum illum, Episcopo propriu dimittente ignaro irregularitatis, Episcopum ordinantem ex delegatione seu ad quem ordinandus dimittitur subditus, cum eo in irregularitate dispensare non posse, sequitur.

TITULUS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

QUÆSTIO DCXLII.

Quid & quotuplex sit bigamia.

1. RESp. ad primum. Bigamia est reiteratio matrimonii consummati, seu divisio carnis in plures successive uxores (dum enim plures simul habentur, dicitur polygamia) inducens irregularitatem, non ob culpam (licita est enim & trigamia, sed neque, ut Zoesius *ad h. t. n.* 1. Christus septemviram damnavit) sed quia tale secundum matrimonium consummatum patitur defectum in significatione sacramentali (unde & irregularitas vocatur defectus sacramenti, vel ex defectu sacramenti) matrimonio alias propria, qua nimirum juxta Apost. *ad Eph.* 3. significat arctissimam Christi per incarnationem conjunctionem cum Ecclesia tanquam unica sponsa eaque virgine ab alio non assumpta. Hanc enim conjunctionem matrimonium secundum consummatum, vel etiam matrimonium primum cum vidua aut etiam corrupta ab alio (cum vel sic caro dividatur in plures) aptum non est significare, prout D. August. *L. de bono conjug. c.* 18. Unde jam

2. Resp. ad secundum. Bigamia passim dividitur trifariam ab AA. nimirum in propriam seu veram, interpretativam & similitudinariam. Bigamia vera seu proprie dicta est, dum quis successive cum duabus valide contraxit & consummavit matrimonium *c. fin. d.* 26. *c. debitum h. t.* sive utramque ante, sive unam ante & alteram post, sive etiam utramque post Baptismum duxerit. Sanch. *de mat. l.* 7. *c.* 8. *n.* 9. Suar. *de cens. d.* 49. *s.* 6. *n.* 10. *& seq.* Pirh. *h. t. n.* 2. juxta *c.* 2. *& c.* 4. *dist.* 26. cum ex una parte irregularitas hæc non sit inducta in pænam alicujus delicti; ex altera vero parte matrimonium, etiam contractum ante Baptismum, licet non sit sacramentum, aptum sit ex institutione sua significare (etsi minus perfecte, ac dum est Sacramentum) conjunctionem illam Christi, adeoque iteratum patiatur defectum hujus significationis. Pirh. *l. c. n.* 6. *&* 7. Unde jam ad hanc, uti & ad omnes alias Bigamiæ species requiritur primo copula carnalis cum pluribus, utpote sine qua matrimonium nullum est aptum significare illam Christi cum Ecclesia conjunctionem, adeoque nec pati defectum dictæ significationis, & consequenter neque inducere irregularitatem. Pirh. *l. c. n.* 1. Sanch. *l. c. n.* 4. Et quidem perfecta utpote per quam solam consummatur matrimonium, diciturque vir & mulier una caro. Sanch. *l. c. n.* 6. ita ut sine illa perfectione copulæ in foro conscientiæ non inducatur bigamia aut irregularitas secus ac in foro externo propter præsumptionem copulæ perfectæ. Zoes. *l. c. nu.* 3. citans Sanch. *ubi ante* Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 8. *du.* 1. Requiritur secundo ut plures cognoverit uxores; ex eo enim, quod plures habuerit & cognoverit concubinas, sive ante, sive in matrimonio, sive post illud, non contrahitur bigamia ejusque irregularitas *c. quia circa h. t.* cum tale matrimonium adhuc sit maritalis conjunctio unius viri cum unica ab alio non assumpta, & divisio quidem carnis in plures, sed non affectu maritali. Per fornicariam vero conjunctionem significari nequeat illa Christi conjunctio, adeoque in ea locum habere non possit defectus ille significationis. His non obstante, quod concubinatus sit signum majoris incontinentiæ; cum adæquata & primaria ratio, cur bigamus sit irregularis, non sit incontinentia, sed defectus ille, quem patitur matrimonium secundum in significatione sacramentali. Sanch. *l. c. num.* 3. Pirh. *n.* 4.

3. Bigamia interpretativa est & dicitur ea, quæ per juris interpretationem & fictionem censetur talis, etsi reipsa non sit iteratio matrimonii. Contrahitur primo, dum quis ducit in uxorem & cognoscit viduam a priore viro cognitam (secus si ab eo incognitam) aut etiam non viduam, ab alio tamen prius corruptam *c. maritum dist.* 33. *c. curandum, c. si quis viduam c. præcipimus dist.* 34. censetur enim talis divisisse carnem suam in plures ex eo, quod per copulam maritalem fiat una caro cum ea, quæ carnem suam divisit in plures. Tenetque id ipsum etiamsi vir ignoraverit esse viduam vel ab alio corruptam, aut etiam mulier per vim fuerit corrupta; quia, ut sæpe dictum, non ex culpa, sed ex defectu memoratæ significationis inducitur hæc irregularitas. Sanch. *n.* 15. Pirh. *n.* 10. Secus vero est, si ducat a se tantum extra matrimonium cognitam. Sanch. *n.* 14. cum mulier talis non diviserit carnem in plures; quin & matrimonium retrotrahatur, & fingatur initum tempore, quo deflorata fuit, adeoque talis per juris fictionem censeatur virgo. Sanch. *l. c.* Unde textus *c. unic. de cler. conjug. in* 6. requirens ad evitandam Bigamiam, ut ducta in uxorem sit virgo, non nisi in hoc sensu id requirat, nimirum ut non sit corrupta ab alio. Pirh. *n.* 11. Porro cur potius incurratur hæc bigamia interpretativa ab eo, qui ducit corruptam, quam ab eo, qui corruptus cum pluribus sine maritali affectu ducit virginem, vide apud Suar. *de cens. d.* 49. *s.* 3. *n.* 9. Sanch. *l. c.* Pirh. *n.* 15. Secundo contrahitur, dum quis, quam duxit virginem, cognoscit carnaliter, postquam adulterata est *c. si cujus dist.* 34. idque etiamsi ignorarit fuisse adulteratam, aut vi oppressam ab aliu. Sanch. *n.* 17. Pirh. *n.* 14. cum communi. Tertio, dum clericus post primam uxorem, quam duxit virginem, sacros Ordines suscepit, & dein aliam duxit invalide, & affectu maritali cognovit. Etsi enim talis bigamus non sit reipsa (dum enim in matrimonium illud secundum nullum est adeoque nec sacramentum, non potuit pati defectum significationis sacramenti) habendus tamen est quasi bigamus & irregularis propter affectum intentionis cum opere subsecuto; quia nimirum, quantum in ipso fuit, voluntarie secundum matrimonium contraxit & consummavit, *c. nuper. h. t.* Licet autem in hoc casu expressum solum de clericis in sacris constitutis sit sermo, extenditur tamen idem etiam ad clericos in minoribus tantum constitutos, quin & ad laicos, ita ut hi interpretative sint bigami, & hinc irregulares, dum duo contraxerunt matrimonia, unum de jure seu valide; alterum de facto seu attentatum, hoc est, invalide (sive primum fuerit invalidum & secundum validum, sive primum validum & secundum invalidum, ut Pirh. *n.* 16. Avil. *d.* 8. *du.* 1. *not.* 2.) Sanch. *l. c. n.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 6. *n.* 5. cum communi. Licet enim alias non incurratur irregularitas, nisi in casibus in jure expressis; hic tamen casus satis intelligitur expressus *cit. c. nuper.* utpote generali ratione ibi expressa cadente quoque in laicos. Fagn. *in cap. ult. h. t. n.* 44. Pirh. *l. c.* contra Laym. *l. c. cap.* 6. *n.* 5. *& in c. nuper. n.* 4. sentientem contrarium; eo quod constitutio illa *c. nuper.* facta sit in odium talium clericorum constitutorum in sacris, idcoque strictæ interpretationis. Qui tamen etiam fatetur, in praxi tales etiam laicos habendos esse pro bigamis & irregularibus; eo quod licet irregularitates aliquæ & censuræ jure scripto expressæ non sint, per diuturnam tamen universalis Ecclesiæ consuetudinem, præsertim accedente authoritate & consensu DD. ruboratam, introduci possunt. Quarto contrahitur, dum quis duu contraxit matrimonia de facto, hoc est, ambo invalida, propter eandem rationem. Sanch. *l. c.* Suar. *l. c. s.* 2. *nu.* 11. Nav. *in man. cap.* 27. *num* 295. Quantum enim est ex parte & intentione talis, utrumque matrimonium contraxit, adeoque quantum est ex parte talis, significatio sacramenti deficit in secundo. Pirh. *num.* 17.

4. Præter hos modos incurri bigamiam interpretativam vult Suarez *l. c. s.* 3. *n.* 3. dum quis semel tantum contraxit invalide cum vidua vel corrupta ab alio. Idem sentire videtur Fagn. *ad c. ult. h. t. n.* 40. *& seq.* Dum tenet clericum constitutum in sacris (idem extendit ad laicum impeditum impedimento dirimente) adeoque invalide contrahentem cum vidua, vel alias ab alio corrupta, potius incurrere Bigamiam interpretativam, quam similitudinariam ex eo, quod non ob defectum significationis Sacramenti, adeoque non propterea, quod ad similitudinem veri bigami celebraverit duplex matri-

monium unum cum Christo per votum continentiæ, alterum carnale, ut cum Navarro volunt alii: sed propter affectum intentionis, qua, quantum est de se, contraxit cum vidua vel corrupta matrimonium subsequente copula, incurrit irregularitatem. Contrarium sentientibus Sanch. *l. c.* Avil. *l. c. du.* 1. *§. Sequitur secundo*; eo quod id nullo jure expressum sit, uti & propterea plures aliæ bigamiæ interpretativæ species, quas alii afferunt, saltem in praxi tenendæ & observandæ non sunt. Pirh. *n.* 18. vide Laym. *ad c. nuper. n.* 4. De cetero tamen modo tertio & quarto non contrahi bigamiam interpretativam, dum utrumque matrimonium, vel in priore casu unum invalidum contrahitur bona fide, seu cum justa ignorantia impedimenti dirimentis; eo quod hæ species bigamiæ non ob defectum sacramentalis significationis, sed ob delictum contrahantur, docent Sanch. & Pirh. *LL. cit.* contrarium satis probabiliter tenent Suar. *l. c. n.* 8. eo quod velit incurri in his casibus bigamiam, non quidem ob culpam, sed propter publicum signum incontinentiæ, vel ob similitudinem defectus significationis Sacramenti. Sic non incurri has species bigamiæ, dum alterum matrimonium contrahitur ficte seu absque consensu interno; eo quod hoc consensu deficiente, copula dein (quod tamen requiritur ad bigamiam Argum. *c. nuper.*) non habeatur affectu maritali, docet Avil. *cit. dub.* 1. *§.* 2. contra Suar. qui putat sufficere exteriorem illum consensum, qui nunquam deficit.

5. Bigamia similitudinaria est, dum clericus in sacris constitutus vel etiam religionem professus cum unica virgine contrahit matrimonium secuta copula *c.* 1. *&* 2. *qui clerici vel vovent. mat. celeb. poss. c. sane de cler. conjug.* ratione similitudinaria in hoc consistente, quod astrictus voto solenni castitatis, emisso in professione vel susceptione ordinis censeatur similitudinario seu spirituali quodam matrimonio cum Christo & Ecclesia conjunctus, adeoque si postea invalide ducat aliam, licet virginem propter affectum ad alias nuptias cum secuto opere carnali, & vel hinc propter similitudinem quandam cum vero bigamo habeatur irregularis. Quidquid sit de nomine, utrum hæc irregularitas in SS. Canonibus expressa vocanda sit bigamia similitudinaria ob dictam similitudinem cum vera, ut vult Sanch. *cit. d.* 85. *n.* 5. sive non, eo quod, dum ea irregularitas exprimitur in jure; nulla fiat mentio bigamiæ, ut vult Laym. *l. c. n.* 6.

QUÆSTIO DCXLIII.

An & quomodo bigami repellantur ab ordinibus suscipiendis.

RESP. Bigami omnes, hoc est tam interpretative & similitudinarie tales, quam veri, sunt irregulares, & prohibentur suscipere ordines & in susceptis ministrare *c.* 2. *& seq. d.* 26. *c. præcipimus & seq. dist.* 34. *c. unic. h. t. in* 6. Suar. *de cens. d.* 49. *f.* 5. *n.* 3. Neque possunt exercere ministeria Ordinum minorum, prout cavetur a Trid. *sess.* 23. *c.* 17. *in fine.* Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 9. *n.* 13. citans Avil. Intelligendum id ipsum etiam de clericatu, ita ut nequidem clerici fieri possint *c. si quis viduam d.* 50. Laym. *ad c.* 1. *h. t. n.* 2. Et quidem irregularitatem contractam ex bigamia vera in ordine ad ordines sacros suscipiendos emanasse ex traditione Apostolica, satis constat ex verbis Apostoli 1. *ad Timot.* 3. *oportet Episcopum unius uxoris virum esse* & paulo infra: *Diaconi sint unius uxoris viri* quibus verbis vetuisse Apostolum, ne is, qui plures, quam unam habuit uxores, Episcopus, Presbyter, Diaconus ordinetur, SS. PP. unanimiter, & universa semper tenuit Ecclesia, prout videre est ex *can. Apostolor.* 16. & apud Tertull. *l.* 2. *ad uxorem* D. Ambros. *Epist.* 82. *ad Ecclesiam Vercellens.* ubi addit, PP. Conc. Nic. statuisse, neque clericum quenquam esse debere, qui secunda conjugia sortitus sit. Ad hæc bigami hoc ipso seu ipso facto, nulla consuetudine contraria obstante, carent omni privilegio clericali, etiam canonis, ita ut eos percutiens non incurrat excommunicationem *c. unic. h. t. in* 6. Quin & tonsuram & habitum clericalem deferre prohibentur sub excommunicatione (intellige, non latæ sententiæ, sed ferendæ. Pirh. *n.* 23.) sintque subjecti jurisdictiori & coercitioni fori sæcularis. Quod tamen locum habere tantum in clericis positis in minoribus tantum, cum clerici constituti in sacris, donec degradentur, non priventur privilegio fori & canonis, idque ob reverentiam SS. Ordinum, cum communi tradunt Zoes. *l. c. num.* 15. Suar. *l. c. num.* 7. Hanc privationem habere quoque locum in bigamis interpretative talibus (& quidem citra extensionem textus, cum & iis agatur *c. quisquis* Zoes. *l. c.* Pirh. *num* 23. Suar. *l. c. n.* 5.) teneot iidem, & cum illis Castrop. *l. c.* citans insuper Sayr. *l.* 6. *c.* 5. *num.* 2. & 3. contrarium tamen tenet Fagn. *in c. ult. h. t. num.* 22. *& seq.* Sic quoque Suar. ait, in materia odiosa, hanc contrariam sententiam, quæ favorabilior est, practice servari posse, maxime quo ad pœnam privationis omnis privilegii clericalis, quæ extendi non debeat ad bigamos late & improprie tales. Sed neque per bigamiam similitudinariam amittuntur privilegia clericalia, etiam respectu clericorum constitutorum in minoribus tantum. Suar. *l. c. num.* 7. Pirh. *num.* 24. Castrop. *l. c.* citans Sayr. & Avil. *ubi ante.*

QUÆSTIO DCXLIV.

An & quis dispensare possit cum bigamis.

1. RESP. primo posse Papam dispensare cum illis, tam quo ad ordines suscipiendos, quam ad usum susceptorum; eo quod irregularitas hæc & inhabilitas sit tantum jure humano introducta. Castrop. *l. c. num.* 14. Sylv. *v. irregularitas bigamia.* Henriq. *l.* 12. *c.* 6. *n.* 11. Engels *ad h. t. n.* 12. cum communi. Neque enim est juris naturalis, neque etiam divini positivi; cum Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. non promulgarit id tanquam legem a Christo latam, sed ipse ex communi Apostolorum consensu hanc legem Ecclesiasticam statuit, ut non ordinentur Episcopi (quo nomine ibi quoque venire Presbyteros, communis est sensus SS. PP. & Ecclesiæ) non omnia autem, quæ Apostoli constituerunt (uti poterant tanquam Antistites, Primates & Rectores Ecclesiæ multa separatim a præceptis divinis constituere pro fidelium directione) juris divini sunt, nisi aut subjecta materia, aut verba Apostoli insinuent, quod ex Deo acceperint; uti expresse insinuat Apost. 1. *ad Cor.* 7. his verbis: *ceteris ego dico, non Dominus* &c. Neque obstat *cap.* 2. *h. t.* ubi dicitur: *non liceat contra Apostolum cum bigamis dispensare, ut promoveri possint ad Ordines*; dum juxta mentem DD. respectu Papæ subintelligatur: *de facili*: & sine justa causa non licere dispensare contra hanc Apostolicam traditionem receptam in tota Ecclesia. Engels. Pirh. Castrop. *LL. cit.* Neque etiam obstat, Papam supplere non posse defectum significationis Sacramentalis; ea enim suppletio, vel etiam significatio necessaria non est, sufficit, irregularitatem & incapacitatem ex hoc defectu ortam, & jure humano inductam tolli a Papa per dispensationem. Zoes. *h. t. n.* 16.

2. Resp. secundo. Episcopus nullatenus dispensare potest cum bigamis veris & interpretativis ad Ordines Sacros *c. cap. h. t.* Gl. *ibid. v. dispensare.* Castrop. *l. c. n.* 15. dicens esse sententiam fere omnium (intellige, saltem de vere bigamis) addit tamen idem, a gravissimis DD. puta D. Th. *in addit ad* 3. *p. q.* 66. *a.* 5. *& alibi* & Alberto M. (cui sententiæ etiam faveat Henriq. *l.* 14. *c.* 20. *n.* 2. & Suar. *d.* 49. *s.* 6. *n.* 8. reputet non improbabiliter) non reprobari, posse Episcopum in hoc dispensare cum bigamo religioso facto, ne detur occasio vagandi; quamvis Paludan. Gabr. Sotus affirment, hanc potestatem neque usu receptam esse, neque jure probari posse, maxime in bigamia propria. Nihilominus quo ad bigamiam interpretativam, dum hæc ortum habet ex delicto sive proprio, ut dum contrahit duplex matrimonium invalidum, sive alieno, ut dum contrahis cum corrupta, aut cognoscit uxorem adulteram, Episcopum dispensare posse ad Ordines Sacros, etiamsi bigamus talis religionem non ingrediatur, tenent Palud. Turrecrem. Tabien. apud Castrop. *l. c. n.* 16. qui licet cum Sayr. Sanch. &c. dicat ita absolute pronunciatum sustinendum non esse, utpote nullum in jure fundamentum habens. Subjungit tamen, satis probabile esse, Episcopum, dum delictum proprium, ex quo provenit hæc bigamia, occultum est, dispensare posse cum tali virtute Trident. *Sess.* 24. *c.* 6. pro quo citat Sanch. *de matr. dist.* 76. *num.* 13. quin & cum Trident. non distinguat inter delictum proprium & alienum, docere Barbos. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 49. *num.* 25. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 9. Henriq. *loc. cit.* posse Episcopum dispensare, etiamsi bigamia sit ex delicto alieno, ut dum ducit corruptam, vel cognoscit uxorem suam adulteram.

3. Resp. tertio. Sed neque dispensare potest Episcopus cum bigamis (saltem propriis) ad Ordines minores, vel etiam primam tonsuram, aut beneficium simplex. Nav. *in man. cap.* 27. *num* 197. Garc. *de benef. p.* 7. *cap.* 6. *num.* 5. Piaces. *in pr. Ep. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Passer. *de elect. cap.* 27. *num.* 66. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 62. Bonac. *Tom.* 1. *dist.* 7. *quæst.* 2. *p.* 5. *num.* 15. Leo *in thes. for. Eccl. p.* 2. *cap.* 8. *num.* 36. Barbos. *l. c. num.* 25. *juncto num.* 22. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 6. & alii apud Castrop. *l. c. num.* 18. contra D. Th. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *art.* 3. Sanch. *de mat. dist.* 86. *num.* 11. Azor.

18. Azor. *p. 2. lib. 5. cap. 20. quæst. 2.* Avil. *de censf. dist. 8. du. 4. concl.* 3. Mirand. *in man. Prælator. Tom. 2. quæst. 8. a. 2. concl.* 2. & plures alios apud Castrop. qui horum sententiam ut probabilem sustinendam ob DD. authoritatem ait, etsi nostram veriorem & probabiliorem reputet. Suar. *l. c. num.* 5. dicit in praxi servari posse, ubi usu recepta. Passer. testatur, eo tempore, quo scripsit S. Thomas, fuisse communem, veram & certam, etiam quo ad Subdiaconatum, eo quod is tunc necdum numeraretur inter Ordines. Probatur responsio nostra ex *c. confidat. dist.* 50. ubi prohibetur, ne quisquam Pontificum seu Episcoporum bigamos applicet divinis Ministeriis servituros. Item ex Trid. *Sess. 23. cap.* 17. ubi expresse prohibetur usus & exercitium Ordinum minorum. Sic in Concilio Nicæno, ut refertur *c. cognoscamus dist.* 34. bigamos excludendos esse ab omnibus Ordinibus, etiam minoribus & clericatu. Ad quæ non satis congruenter videtur respondere Sayrus apud Castrop. hæc & similia intelligenda esse per se, scilicet quod bigami excludantur ab his Ordinibus per se & nulla interveniente rationabili causa, & dispensatione Episcopali. Nam etiam hac interveniente causa, Episcopus in decreto Concilii generalis aut juris communis Pontificii dispensare non potest, nisi in casibus in jure expressis, qualiter nullibi in jure concessum Episcopis, ut cum bigamis ad Ordines minores aut clericatum dispensare possint. Et licet detur, ut volunt adversarii concessum id Episcopis *c. Lector.* 34. (quod etsi Gratianus inscribat esse Martini V. Suarez tamen ostendit, non esse Pontificis, sed Martini Braccarensis Archiepisc.) dum ibi datur facultas bigamo in lectoratu permanere ex dispensatione, item ut, si necessitas sit, ad Subdiaconatum promoveatur: licet etiam detur, fuisse consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, ut clericus ducens viduam, postulante necessitate, permitteretur promoveri ad Subdiaconatum, tum temporis necdum Sacrum Ordinem; isti tamen concessioni & consuetudini satis derogatum per posteriores Canones *cap. 2. & c. nuper. h. t. in* 6. ut Fagn. *in cit. cap. 2. num.* 33. item per Trid. *l. c.* Item S. Congregatione habita 10. Jun. 1589. declarante & Sixto V. approbante, ut referunt Garc. Barbos. Dian. *LL. cit.* Episcopum, non tantum non posse dispensare cum bigamo, ut possit accipere primam tonsuram & beneficium simplex, sed in pœnam suspendendum a collatione Ordinum, & promotum ab exercitio eorundem; imo hunc non fecisse fructus suos. Et hæc quidem, ut expresse tenet Fagn. *l. c. n.* 40. & 41. etiam dum de cetero adest justa causa dispensandi v. g. Ecclesiæ utilitas vel necessitas ob penuriam Ministrorum. Contrarium tamen tenent quo ad hoc postremum Sanch. *cit. d. 86. num.* 14. Barbos. *alleg. 49. nu.* 25. apud Pirh. *num.* 31. illis consentientem, ubi est gravis valde causa, & Papa adiri nequit. Quin & tenent hæc juxta Zoes. *h. t. n.* 14. Passer. *l. c. num.* 68. Dian. *l. c.* Turrecrem. *in cit. c. lector.* Suar. *l. c. n.* 9. in bigamia interpretativa contingente & delicto. V. g. matrimonio utroque vel uno eorum invalide contracto; eo quod, ut Passer. *l. c.* licet Trid. *sess. 24. c.* 6. concesserit Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio, intelligi tamen possit Tridentinum de iis irregularitatibus, quæ ex genere suo sunt ex delicto, non vero ex bigamia, quæ per se est ex defectu significationis, & quatenus ex delicto est, per jura æquiparatur ei, quæ est ex delicto, contrarium tamen quo ad hoc sentientibus Barbos. *l. c. n.* 12. Præposit. &c. apud Passer.

4. Resp. quarto. Potest tamen Episcopus, etiam quo ad ordines majores suscipiendos dispensare cum bigamo similitudinario, etiam religioso, ut Suar. *n.* 7. Sanch. *n.* 22. Laym. *cit. c. 6. num.* 6. Pirh. *n.* 31. modo pœnitentiam egerit, & laudabilem vitam duxerit. Sumitur ex *c. 1. & c. sane de cler. conjug.* Gl. *ibid.* præsertim si religionem ingredi voluerit *c. 2. tit. eod.* juxta Gl. *v. castitatem*, dum alias hæc irregularitas non tollitur per ingressum vel professionem religionis. Suar. *l. c. n.* 16. Neque obstat *c. nuper. h. t.* ubi prohibetur concedi dispensatio clericis in Sacris constitutis habentibus nuptias; eo quod intelligendum de talibus clericis, qui duplex celebrarunt matrimonium, unum ante ordinationem valide, alterum post invalide. Castrop. *l. c. num.* 19 citans Sanch. *de mat. l. 7. d. 86. n.* 20. Avil. *p. 7. d. 8. dub. 4. concl.* 4. Neque textus *c. ex literis il 2. qui cler. & vovent.* ubi Papa inquit: *Subdiacono nuptias contrahenti non est permittendum in Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores ordines ascendere, nisi religionem fuerit ingressus.* Nam loqui ibi Papam, non de præcepto, sed de consilio, ait Castrop. *l. c.* citans Gl. *in cit. cap.* Abb. *ibidem* Alex. de Nevo &c. forte etiam loquitur de ducente viduam &c. unde

5. Resp. quinto. Dispensare tamen non poterit cum clerico sæculari post susceptos ordines Sacros, vel cum religioso ducente invalide & cognoscente viduam, sive dicatur hæc bigamia interpretativa, sive ad similitudinariam revocetur; quia talis dicitur contrahere irregularitatem indispensabilem (intellige ab Episcopo) *c. fin. h. t.* Sanch. *l. c. n.* 20. Suar. *cit. c. 6. n.* 7. Quamvis tamen Sanch. *l. c. n.* 20. & 21. apud Castrop. *l. c. n.* 19. advertat, posse cum tali dispensare Episcopum ad simplex beneficium vi *c. Presbyt. d.* 28. ubi dicitur: Presbyterum non legalibus nuptiis detentum cathedram quidem habere, sed ab officio abstinere præcipimus. Quem tamen textum ait Castrop. loqui potius de beneficio habito ante irregularitatem, non de postmodum obtinendo.

6. Resp. sexto Prælati religiosi cum suis religiosis ne quidem ad ordines minores dispensare possunt, etiamsi exempti sint aut alias privilegiati in bigamia propria & interpretativa; quia nullibi in jure concessa legitur illis ea potestas: quin & in privilegiis mendicantium excipitur bigamia. Barb. *l. c. n.* 28. Tamb. *de Iur. Abb. Tom. 2. d. 27. q. 3. n.* 2. Dian. *l. c. resol.* 63. Passer. *l. c. n.* 77. Mirand. *Tom. 2. q. 8. c.* 14. Sigism. a Bunonia *de elect. du. 68. p.* 2. Monet etiam hic postremus cum Passer. Quod licet non foret improbabile, posse id Prælatos ad ordines, improbabile tamen esse, posse id eos quo ad dignitates. Nihilominus ex particulari privilegio Prælatis mendicantibus concesso a Sixto IV. relato in *Compendio Minor. v. absolutio extraordinaria quo ad Fratres §. 4.* dispensandi in omni irregularitate cum suis, excepta orta ex homicidio & mutilatione, posse eos dispensare in bigamia in ordine ad ordines Sacros; cum sub clausula generali: *in omnibus irregularitatibus:* comprehensa censenda sit & hæc irregularitas, eo ipso, quod expresse non excludatur; quia potestas dispensandi late interpretanda, astruit Castrop. *cit. n.* 21. Et sic quoque in nostris privilegiis, *v. dispensatio §. 5. & 6.* dari facultatem Præposito generali, & quibus ipse hoc delegaverit dispensandi cum suis in omni irregularitate. De cetero (intellige, etiam citra omne aliud privilegium) ii Prælati regulares, qui quasi episcopalem jurisdictionem habent in suos Regulares, ut Generales, Provinciales, Abbates, Priores exempti, dispensare cum suis possunt in hac bigamia; quia tantum possunt cum suis subditis in hoc puncto, quantum Episcopus cum suis. Castrop. *l. c. n.* 21. Mirand. *l. c. a.* 2. Barbos. *l. c.* Passer. *num.* 71. ubi etiam monet, non posse regularem exemptum, etiam de licentia superiorum se subjicere Episcopo pro petenda hac dispensatione, maleque acturum superiorem, si eam licentiam ei concederet, nisi esset forte gravis necessitas & superior adiri nequiret. Tametsi autem istiusmodi Prælatis regularibus concessa non sit facultas illa dispensandi cum sæcularibus. Castrop. *cit. n.* 21. si tamen haberent territorium seu diœcesin cum jurisdictione quasi episcopali. etiam in externos, videtur dicendum, idem illos posse quo ad dispensandum hac in parte cum suis subditis sæcularibus, quod Episcopus cum suis. Denique facultatem dispensandi in bigamia concessam non esse Commissariis cruciatæ, ait Castrop. *l. c. n.* 22. cum Henriq. & Avila.

7. Ad calcem hujus materiæ de bigamia observandum, quod in petenda dispensatione super ea necessario exprimenda sit species bigamiæ; quia difficilius in bigamia propria quam in interpretativa, & in hac quam in similitudinaria dispensetur. Castrop. *num.* 23. cum communi, ubi etiam, quod si quis duplici bigamia ligatus fuerit, utriusque mentionem faciendam esse. Unde jam satis erit, meminisse duorum matrimoniorum contractorum, etiamsi sis trigamus, vel etiam cum quatuor contraxeris; cum nullus textus de trigamia inveniatur, sitque eadem irregularitas. Nav. *cons. 2. h. t.* Sanch. *l. c. n. ult.* Castrop. *l. c.*

TITULUS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

QUÆSTIO DCXLV.

Quinam hic veniant nomine clericorum peregrinorum.

RESP. Tametsi in genere extranei omnes, sive qui non sunt de Episcopatu vel diœcesi, ad quam veniunt, & in qua morantur, peregrini vocentur; veniunt tamen hic potissimum hoc nomine clerici ignoti, vagi, venientes ex locis remotis, utpote qui suspecti esse solent, & frequenter criminosi, infames, pulsi in exilium, aliterve irregulares. Quibus tametsi id commune sit cum aliis clericis etiam notis, & ex vicinis diœcesibus advenientibus, quod ad suscipiendos ordines egeant licentia & dimissoriis suorum ordinariorum, specialiter tamen pluribus aliis illos instructos esse oportet, ut in susceptis ordinibus extra patriam constituti ministrare, vel etiam ad ulteriores ordines promoveri valeant. Unde sit

QUÆSTIO DCXLVI.

Quæ requirantur, ut clerici peregrini admitti possint ad exercendos suos ordines, potissimum ad celebrandas Missas, aliaque sacramenta administranda.

1. RESP. Debent esse instructi literis commendatitiis propriorum suorum Episcoporum, eæque exhibendæ. Sic enim loquitur Trident. *sess.* 23. *c.* 16. *de reform. nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii literis ab ullo Episcopo ad divina celebranda & sacramenta administranda admittatur*. Idem habetur *c.* 3. *h. t. & c. Fraternitati de cler. non resident.* Unde etiam tenentur Episcopi in suis diœcesibus interdicere, ne cui vago aut ignoto sacerdoti liceat dicere missas nisi prius visis & examinatis ejus literis commendatitiis. Trid. *sess.* 22. in decreto de observandis in celebrat. Missarum. Quod etiam procedere de celebratione in Ecclesiis regularium, ait Barbos. *loc. paulo post citand.* Quin etiam Episcopus Prælatis suæ diœcesis, etiam regularibus sub excommunicatione prohibere potest, ne sacerdotes sæculares, aut etiam alterius (non tamen sui) ordinis regulares peregrinos ad Missas in ecclesiis suis celebrandas admittant, nisi prius ipse inspectis eorum literis commendatitiis id permiserint; etiamsi Prælati illi eorumque ecclesiæ essent exemptæ; cum id agat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ne quisquam non Sacerdos aut jure impeditus temere se ingerat divinorum celebrationi. Barbos. *de off. Ep. p.* 2. *alleg.* 21. *n.* 8. Castrop. *tr.* 27. *d. unic. p.* 16. *n.* 2. Laym. *in c. tua h. t. num.* 3. Wiestner. *ad h. t. num.* 4.

2. Hæ literæ commendatitiæ continere debent tria. Primo testimonium de moribus & vita clerici talis, dein testimonium de ordinibus ab eo legitime susceptis, ac denique de carentia impedimenti obstantis celebrationi juxta *c. extraneo dist.* 71. *& cit. c. tua h. t.* dicuntur quoque hæ literæ *formatæ* earumque formulam exprimit Nicænum, prout refertur *c.* 3. *dist.* 71. quamvis formatarum nomine olim venirent generaliter quæcunque literæ ecclesiasticæ secundum certam formam conscriptæ, ut Laym. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. Quin & dicuntur *dimissoriæ*, quippe quibus conceditur clerico licentia peregrinandi, & is quasi dimittitur a potestate Episcopi sui, perhibeturque ei hunc in finem testimonium de vita & ordinibus illius. Unde licet hæ commendatitiæ & dimissoriæ sumantur quandoque pro eodem, & inter se confundantur, ut fit *in c. significasti de off. Archid.* distinguuntur tamen ab iis dimissoriis, quibus præterquam, quod commendetur subditus, datur illi & facultas suscipiendi ordines ab Episcopo alieno, de quibus Trid. *sess.* 23. *c.* 10. & nos supra *ad tit. de tempor. ordinat.* quæ & ipsæ *formatæ* dicuntur a Concil. Nicæn. relatn *dist.* 73. *c.* 1. & 2. & a Trident. *reverenda*.

QUÆSTIO DCXLVII.

Quinam has literas concedere possint.

1. RESP. primo. Tametsi literas testimoniales, quibus simpliciter perhibetur testimonium de vita & moribus clerici, concedere possint Parochi, Magistri scholarum &c. Fagn. *in cit. c. significasti n.* 2. Quin etiam eas, quibus promovendi ad ordines de moribus & vita simpliciter commendantur ordinatoribus (quæ etiam dicuntur commendatitiæ pacificæ a Jo. And. *in c. fraternitati de cler. non resid.*) concedere possint Prælati etiam inferiores, modo habeant jurisdictionem quasi episcopalem. Fagn. *l. c. & n.* 26. juxta *cit. c. fraternitati* (tametsi hodiedum iis contenti esse non debeant ordinatores, dum Innoc. XII. requirit pro suscipiendis ordinibus ab Episcopo domicilii vel beneficii testimoniales datas ab Episcopo originis) dictas tamen dimissorias seu literas illas commendatitias clericis peregrinaturis concedere non potest Episcopo inferior, cum continere videantur speciem quandam alienationis. Jo. And. *l. c. num.* 1. Fagn. *loc. cit. num.* 2. & 3. & in specie Archidiaconus, ut dixi in *Vicario Episcopal. quæst.* 656. *num.* 2. Nihilominus

2. Resp. secundo. Concedere quoque eas potest Capitulum sede vacante, ut tenui *in Vicar. Episcop. q.* 507. contra Fagn. *in c. significasti de off. Archid. n.* 3. Tametsi enim literæ istæ contineant dimissionem clerici è potestate Episcopi sui; non tamen dimissio hæc concessa peregrinandi gratia magis est alienatio, quam dimissio & absolutio beneficiati e potestate Episcopi sui in ordine, ut in alia diœcesi ad prælaturam aut beneficium assumatur, jam vero capitulum Sede vacante dare potest licentiam clericis beneficiatis transeundi ad aliam diœcesin. V. g. dum in ea assumendi ad dignitatem vel beneficium, tanquam probabilius tenent cum Abb. *in c. cum olim de major. & obed. num.* 2. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 3. *cap.* 37. *q.* 12. Molin. *de Iust. tom.* 6. *tr.* 5. *d.* 11. *n.* 14. Pirh. *ad tit. de major. & obed.* Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 53. citans insuper Jo. And. & Jo. Monach. *in c. si Abbatem de elect. in* 6. Pavin. *de pot. Cap. p.* 1. *q.* 8. Borgass. *de irreg. p.* 3. *tit. utrum aliquo temp. capit. possit dispens.* contra Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. num.* 59. citantem Hostiens. *in cit. c. cum olim num.* 1. Butr. *num.* 16. &c. item contra Archid. *in c. si is cui de elect. in* 6. & Cuchum *Inst. major. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 75. &c. datio enim hujus licentiæ est actus jurisdictionis, ut Azor. *l. c.* citans *c. religiosus de elect. in* 6. & hæc potestas dandi hanc licentiam spectat ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, ut Pirh. Neque hæc translatio seu transitio Ecclesiastici (etiam perpetua, adeoque multo minus temporanea, facta peregrinationis causa & animo redeundi) ad alienam diœcesin est proprie alienatio rerum Episcopatus (quod est unicum fundamentum oppositæ sententiæ) quæ sola prohibetur Capitulo Sede vacante; cum non ita in alienatione illa clerici præjudicetur Episcopo, sicut ei præjudicatur in alienatione bonorum Episcopatus, ut patet. Dian. Pith. Molin. *LL. cit.*

QUÆSTIO DCXLVIII.

Num præter proprii Episcopi testimoniales egeat quoque clericus peregrinaturus aliorum Episcoporum Chirographis?

RESP. Licet olim, ut constat *ex c.* 1. *h. t.* ad hoc, ut peregrinus tanquam legitime ordinatus admitti posset ad celebrandum, quinque Episcoporum requirerentur testimonia; seu quinque Episcoporum Chirographis fides facienda (quod ipsum tamen ita specialiter statutum de peregrinis ultramontanis ac præcipue Africanis & similibus ex valde remotis venientibus ad cavendas fraudes in hoc genere ab eis admissas, & merito timendas propter errores varios, quibus gens illa obnoxia eo tempore erat, ut constat *ex c.* 1. *& seq. dist.* 98.) hodiedum tamen rigor ille juris antiqui, jure posteriore derogante priori, temperatus est, ut constat ex Trid. *cit. cap.* 16. ita ut sufficiant literæ commendatitiæ solius Episco-

Episcopi proprii non suspectæ, ut iis exhibitis admitti possit ad sacrificandum, & beneficia Ecclesiastica obtinenda. Quin & (intellige, si expresse quoque licentiam illam contineant) ad Ordines ulteriores suscipiendos. Laym. *l. c. n.* 3. Quin imo antiquitus quoque sufficisse literas commendatitias proprii Episcopi, si notum erat ejus sigillum, constat ex *Can.* 13. *Concil. Calcedon. relato in c. extraneo dist.* 71. & notat Abb. *in cap.* 2. *h. t. n.* 3.

QUÆSTIO DCXLIX.

Num Episcopus suæ diœcesis Sacerdotibus aliisque clericis volentibus peregrinari, vel etiam omnino discedere, & hunc in finem petentibus dictas commendatitias, teneatur eas concedere?

Resp. petentibus istiusmodi literas clericis obtinentibus beneficium requirens residentiam, ultra tempus a jure indultum abituris peregre, nisi causa justa subsit, & Vicarius idoneus substituatur, negare illas potest Episcopus. Barbos. *l. c. num.* 5. Cbstrop. *num.* 3. Wiestner. *h. t. num.* 5. Secus est de clericis aliis, etsi de cetero suo modo adjectis seu adscriptis certis Ecclesiis absque eo, quod in iis beneficium stabile seu verum obtineant. Siquidem hodie non ita arcte ut olim ob eorum paucitatem adstricti sunt Ecclesiis suis, ut observat Laym. *in cit. cap.* 1. *num.* 4. quin, dum spe promotionis alibi obtinendæ vel etiam domicilii alio ex fine mutandi gratia discedere volunt, & hunc in finem istiusmodi literas petunt, dimitti debeant ac istiusmodi literis instrui; ita AA. iidem. His non obstantibus textibus *Can. si quis vero* 7. *quæst.* 1. & *Can. non oportet.* 36. *de consecrat. d.* 5. utpote quibus solum vetantur recipi in aliis Ecclesiis, & jubentur ad suas Ecclesias revocari clerici, qui leviter & Episcopo eiusque literis non requisitis recedunt. Recte tamen monet Laym. & ex eo Wiestner. *num.* 6. quod clericis ob criminis conscientiam vel suspicionem, aliamve similem causam discedere cupientibus dandæ non sint literæ commendatitiæ, sed solummodo testimoniales, fidem quidem facientes Ordinum susceptorum, & immunitatis impedimenti a divinorum celebratione eos removentis, probitatem tamen vitæ morumque integritatem, similesque qualitates non exprimentes, ne indigni a deceptis tali commendatione beneficiorum collatoribus & patronis promoveantur cum fidelium scandalo & animarum periculo, dum beneficia sunt curata.

QUÆSTIO DCL.

Quid agendum, ut, qui istiusmodi literas amiserunt, aut repentina hostium incursione profugi eas obtinere non potuerunt, admittantur nihilominus ad divina celebranda?

1. Resp. primo. Debent per testes idoneos, qui dictas literas perlegerunt, tam earum amissionem, quam tenorem, & quod sine vitio fuerint probare juxta *c. olim de privileg. c. inter h. t.* & *ibi* Gl. *v. per argumenta* & Abb. *num.* 3. & DD. communiter aut etiam ipsam ordinationem sui *cap. sua h. t.* Quod si vero nec testes hujus amissionis, tenoris, aut ordinationis habere possunt, hæc ipsa probanda erunt per idonea alia argumenta & indicia, puta, per famam, communem opinionem & reputationem, concurrente bona conversatione, scientia alias in ordinato requisita & similibus *cit. c. inter h. t.* Abb. *l. c. n.* 3. & 4. Mascard. *de probat. concl.* 1146. Barbos. *in cit. c. inter n.* 2. Garc. *de benef.* 7. *cap.* 1. *num.* 145. Engels *h. t. num.* 2. Reiffenst. *num.* 7. Quinimo per istiusmodi argumenta seu verisimilia indicia & præsumptiones probari posse susceptos Ordines æque ac per testes, ita etiam, ut ad Ordines Superiores promoveri quis possit, ait Pirh. *h. t. num.* 4. citans Gl. *in cap.* 2. *h. t. v. per argumenta* quamvis Laym. *ibidem num.* 2. dicat tutius esse, talem clericum hoc casu interim ab exercitio Ordinum & susceptione aliorum Ordinum suspendere, donec alias literas ab Ordinatore suo, si fieri potest, impetret.

2. Resp. secundo. Deficientibus vero etiam similibus argumentis, hæc non probantur legitime in Ordine ad hoc, ut admitti possit ad celebranda divina, per solum juramentum, ad quod se talis sponte offert, *c. inter h. t.* ubi ait Innoc. III. quod tales non sint admittendi ad Ecclesiam, ut in assertis Ordinibus ministrent, neque ad altiores Ordines promovendi si sine suorum Ordinariorum literis peregre adveniant, etiamsi jurare parati sint, se hos vel illos Ordines suscepisse, nisi per alia argumenta seu probabilia indicia de ipsorum Canonica ordinatione constiterit, præsertim, si nondum eorum probitas sit probata &c. multoque minus, si homines vagi & ignoti sunt; cum sponte se offerenti ad juramentum non adhibeatur plena fides *c. ex literis de in integrum restitut.* offerensque se ultroneè ad juramentum se reddat suspectum *l. ait Prætor.* §. 2 *ff. de jurejur.* & *l. si legatarius ff. de dolo malo.* Sed & juramentum communiter deferri solet in supplementum probationis, vel quando præsumptio stat pro aliquo, deficientibus autem etiam dictis argumentis, non præsumuntur ordines suscepti; cum suscepisse aliquem Ordines sit aliquid extrinsecum egens probatione, adeoque ad illud probandum per se solum juramentum non sufficit. Pirh. *h. t. n.* 4.

3. Resp. tertio. Nihilominus Sacerdoti carenti dictis literis, nec potenti facere justam fidem de sua ordinatione; vel etiam habenti quidem dictas literas, sed suspectas v. g. ob fractum sigillum (nisi tamen exinde aut aliunde probabilis suspicio fraudis adesset) permitti potest, ut secreto celebret. Nav. *cons. unic. h. t. n.* 4. Barbos. *de pot. Ep. p.* 2. *alleg* 20. *n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 5. Crimer. ad *s. decretal. n.* 2281. citans Innoc. *in c.* 1. *h. t. n.* 1. ubi ait: si tales ut viatores seu hospites petant recipi, permittendi sunt secreto celebrare. Atque ita rescribit Innoc. III. *in c. sua: h. t.* Episcopo Jerosolymitano, cujus etiam permissionis rationem addit Gl. *fin. hic.* nimirum, quod tales, si publice celebrent, periculum esset, ut si Sacerdotes non essent, populum deciperent, si autem occulte, nullum alium quam seipsos decipiant, quod non præsumitur.

4. Resp. quarto. De cetero, cum Trident. vetans admitti peregrinos sine habitis & ostensis dictis literis, utatur conjunctim terminis illis *vagi & ignoti*, ii, qui ex vicinis diœcesibus adveniunt, ad celebrandas Missas admitti passim solent absque eo, quod istiusmodi probationes aut commendatitiæ vel testimoniales literæ ab ipsis exhibeantur aut exigantur, ut observat Wiestner. ad *h. t. n.* 10. cum Zypæo *in analys. Iuris Pontif. ad hanc rub.* & sic habet praxis quotidiana.

TITULUS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Hunc titulum accurate & fuse a me tractatum vide in *Vicario Episcopali a quæst. 621. ad quæst. 672.*

TITULUS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

QUÆSTIO DCLI.

Archipresbyter unde & quis dicatur?

RESp. Archipresbyteri nomen (quo utuntur Latini, Græcis loco illius Proto-Presbyteri nomen usurpantibus, etsi utrumque ex vocibus græcis conflatum. Thomasin. *de veteri & nova Eccles. disciplina p. 1. l. 2. c. 3. n. 9.*) sonat Principem Presbyterorum, seu primum Seniorum, hoc est, Sacerdotum, utpote qui ceteris veluti quidam Princeps in iis, quæ sunt officii Sacerdotalis cum Imperio præest. Dictos quoque Archipresbyteros a Græcis *Proto-Papas*, habet Thomasin. *l. c. cap. 5. n. 13.* & sic Proto-Papas Palatii, cujus frequens est mentio apud Zonaram, Cedrenum & in notitiis Imperii, erat primus Palatini Cleri Presbyter, cujus erat Sacris operari & Ecclesiasticis præesse officiis in Capella Palatii Imperatorii. Porro nomen Archipresbyteri & Decani quandoque pro eodem supponunt *c. ad hac de off. Archid.* ubi: *Archipresbyteri, qui a pluribus Decani nuncupantur* &c. patebitque ex paulo post dicendis Archipresbyteros rurales cum Decanis ruralibus omnino confundi.

QUÆSTIO DCLII.

Quod & quotuplices sint Archipresbyteri?

1. RESp. ad primum. Suum & unicum singulas Ecclesias Cathedrales Latinas habuisse Archipresbyterum, insinuat S. Hieronymus *in Epist. ad Rusticum* ubi: *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi*. Veluti collegii Presbyteralis caput & Principem. Quamvis dein crescente Ecclesiæ multitudine, atque ingravescente sarcina, ut inquit Thomasin. *cit. c. 3. n. 6.* necesse fuerit constitui plures Ministros, Archidiaconos & Archipresbyteros. Sic quoque singulæ plebes (qua voce veniunt certi Parochiarum tractus) suum & unum Archipresbyterum seu Decanum habent, ut constat ex hoc titulo. Unde

2. Resp. ad secundum. Archipresbyter alius est urbanus alius ruralis seu foraneus *c. officium c. singulæ h. t.* Hostiens. *in sum. h. t. n. 1.* Urbanus seu civitatensis est, qui in civitate Episcopali ceteris præest Presbyteris & clericis, estque ordinarie Decanus Ecclesiæ Cathedralis. Quamvis etiam dentur Archipresbyteri urbani, qui residentes in civitate etiam non Episcopali præsunt aliis Presbyteris & clericis in Ecclesiis collegiatis, aut etiam ceteris per urbem sparsis. Barbos. *Iur. Eccles. l. 1. c. 25. n. 6.* Archipresbyter forensis, qui etiam Decanus ruralis appellatur, est, qui extra civitatem Presbyteris ceteris, Parochis & clericis per titulos seu Ecclesias minoribus in certo districtu habitantibus præest, eorumque inspectionem gerit & de hoc loquitur *c. ult. h. t.* ut Gl *ibid. v. ut singulæ*, quemadmodum, ut eadem Gl. *praecedat c. officium* loquitur de Archipresbytero civitatensi. Fuisse autem jam tum circa Sæculum 5. & 6. istiusmodi Archipresbyteros constitutos ruri seu in agris, ostendit Thomasin. *l. c. cap. 4. n. 3.* ex Gregor. Turonensi. Quin etiam, prout ostendit idem *c. 5. n. 5.* tempore Caroli M. quamlibet diœcesin in plures istiusmodi Decanatus rurales seu Archipresbyteratus fuisse divisam, & jussu Episcopi Parochos omnes unius Decanatus mense quolibet in unum locum consuevisse convenire, ut de Ministerii sui legibus, & extricandis, quæ quandoque oriebantur, difficultatibus mutuo conferrent, utique coram vel etiam præside Decano seu Archipresbytero. Item, quod illi Decani alii non essent, quam Archipresbyteri, ostendit *ibid. n. 4.*

QUÆSTIO DCLIII.

An, qualiter, & a quo constituantur Archipresbyteri.

RESp. quamvis antiquitus fere ille ex Presbyteris evadebat & erat Archipresbyter, qui anteiret alios ordinationis tempore, ut Thomasin. *cit. c. 3. n. 2.* ut idem *n. 7.* ad Archipresbyteratum perveniret nemo, nisi ævo Ordinis & ætatis contemplatione, ac ita usitatum, ut ætati daretur illa præeminentia, datam tamen & meritis ab Episcopo nonnunquam ostendit idem *n. 5.* ex Concil. Calcedonensi. Hodiedum quod attinet Archipresbyterum civitatensem, ubi is unus idemque est cum Diacono Cathedralis Ecclesiæ, vel etiam alterius Ecclesiæ collegiatæ, & hæc dignitas electiva est indubitatum est, Archipresbyterum per suffragia Canonicorum via electionis constitui; dum autem Archipresbyteratus dignitas vel officium est decanatui alterive dignitati electivæ non annexum, ejus institutio pendere videtur a solo Episcopo, non secus ac ejusdem Vicarii. Quod vero concernit institutionem & destitutionem Archipresbyterorum seu Decanorum Ruralium, eam debere fieri ab Episcopo simul ac Archidiacono, cum utriusque potestati & vigilantiæ obnoxii sint, declarat Innoc. III. *in c. ad hæc de offic. Archid.* ubi: *quæsivisti utrum Decani rurales, qui pro tempore statuuntur, ad mandatum tuum solum vel Archidiaconi, vel etiam utriusque institui debeant vel destitui, si fuerint amovendi; ad hoc breviter respondemus, quod cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat, & commune eorum Decanus officium exerceat, communiter est eligendus.* Quin & Arnulphus Lexoviensis Episcopus *in Epist. sua 27.* apud Thomasin. *l. c. cap. 6. n. 1.* ait, Archidiaconi esse, ut Archipresbyterum Episcopo præsentet, qui rejicere illum potest, si indignum judicet, sic invito Archidiacono Episcopum alium Archipresbyterum instituere non posse ne adversarium ei Archidiaconum alias excitare videatur. Verum quidquid fuerit de hac Ruralium Archipresbyterorum institutione olim, modo ubi Decanatus Ruralis, non est annexus certæ alicujus Ecclesiæ Parochialis rectoratui, confertur hoc officium alicui Parochorum certi talis districtus pro arbitrio solius Episcopi, & quanto tempore ei visum fuerit esse e re Ecclesiæ. Thomasin. *cit. cap. 6. num. 3.* sic in Conciliis Mechliniensibus Anni 1570. & 1607. statutum, ut hi Archipresbyteri Rurales constituerentur arbitrio Episcopi, isque eos vel revocare vel alio transferre posset, cum visum esset. Quamvis etiam consuetudo in quibusdam loci habeat ut Decanus Ruralis a Parochis talis districtus quasi capitulariter convenientibus eligatur, confirmandus dein ab Episcopo.

QUÆSTIO DCLIV.

Num Archipresbyteratus sit Prælatura & dignitas.

1. RESp. Archipresbyterum civitatensem obtinere dignitatem & præeminentiam inter Canonicos & Presbyteros, ita ut a Sede Apostolica ejusque Legato delegari ei possint causæ, ait Wiestner. *ad h. t. num. 2.* citans *c. statutum de rescrip. in 6.* & Azor. *instit. mor. lib. 3. cap. 15. quæst. 7.* Sic Archipresbyteros niti certo & perpetuo officii & dignitatis titulo, nec ab illis revocari posse ait Fagnanus

Thoma-

Thomasin. *loc. cit. cap.* 6. *num.* 8. loquitur autem Fagn. de Archipresbyteris Cathedralibus. Sic quoque Archipresbyteratum etiam in Ecclesia collegiata dignitatem esse astruit Barbos. *Iur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. citans pro hoc Tusch. *Tom.* 1. *lit. A. concl.* 685. *num.* 6 &c. idque non solum in sensu aliquo laxiore, in quo dignitas & personatus confunduntur, seu pro eodem sumuntur, & is quoque dignitatem habere dicitur, qui sine jurisdictione & administratione præeminentiam habet in Ecclesia, ut dum quis in choro, capitulo, processione, consessu, ferendis suffragiis Sedem & locum digniorem habet. Sed & in rigore, accipiendo nomen dignitatis pro prærogativa & præeminentia cum jurisdictione, ubi eam habet Archipresbyter. Pirh. *l. c. num.* 4. Unde etiam Lotter. *de reb. benef. lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 106. Archipresbyterum eatenus inter Prælatos referri ait, quatenus jure aliquo singulari jurisdictionem aliquam habet: esseque vere, ut subdit *num.* 109. ex Arcbid. *in cap.* 1. *de consuetud. in* 6. *num.* 1. & 2. & appellari improprie dignitatem, referendum inter personatus cum sola sonantia in dignitatem ubi est cum nuda & simplice præeminentia. Quin etiam hodiernos Archipresbyteros non secus ac Archidiaconos retinere solum quandam antiquæ dignitatis imaginem seu reliquias, ait Card. de Luca *de Canonicis disc.* 30. *num.* 7. citans Sanch. *de mat. lib.* 3. *disp.* 27. *in fin.* Boss. *eod. tr. cap.* 4. *§.* 28. *num.* 75. Et hæc de Archipresbytero qua tali; de cetero namque ubi Archipresbyter Decanus est Ecclesiæ Cathedralis, aut etiam Collegiatæ, saltem insignis, gerere illum vere dignitatem certum videtur.

2. E contra Archipresbyterum seu Decanum ruralem dignitatem proprie talem, aut etiam personatum obtinere, ac proinde Sedis Apostolicæ delegatum, aut Judicem vel conservatorem esse posse recte cum communi negant Tusch. *v. Archipresbyter. Concl.* 485. *num.* 19. Fagn. *in cap.* 1. *de ætat. & qualit. num.* 23. Laym. *in c. fin. h. t. n.* 3. Wiestner. *h. t. num.* 5. eo quod nulli clericorum collegio (utpote quale non constituit Parochorum certi districtus collectio, etsi forte abusive vocetur Capitulum) præsit, nec præeminentiam aliquam obtineat in Ecclesia aliqua principali, sed solum in minoribus & plebaniis juxta *cap. fin. h. t.* ubi: *per minores titulos.*

QUÆSTIO DCLV.

Quæ sit distinctio inter Archipresbyterum & Archidiaconum; item quæ fuerit antiquitus a Vicario Episcopi.

1. Resp. ad primum; hanc a Card. de Luca *de præeminent. disc.* 20. *num.* 13. dari inter eos distinctionem, quod Archipresbyter sit quasi Minister in spiritualibus (nimirum in pertinentibus ad officia Sacerdotalia) Archidiaconus in temporalibus, adeoque unus sit Vicarius Episcopi natus in spiritualibus, alter in temporalibus. Idem fere ex Fagn. dicit Thomasin. *cit. cap.* 6. *num.* 9. ubi: *Archidiaconus Vicarius quodammodo est Episcopalis jurisdictionis, & Archipresbyter Episcopi Vicarius est ad Sacramentorum celebrationem, ad officia Ecclesiastica, ad cæremonias sacras, ad benedictiones populo infundendas.*

2. Resp. ad secundum. Tametsi Archipresbyteri antiquitus adhiberentur ab Episcopo tanquam Vicarii ad opus quodlibet, essetque Archipresbyter quasi Vicarius generalis Episcopi, & quasi proprius ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Parochus; hoc tamen inter illum & modernos Episcopi Vicarios generales est discrimen, quod Archipresbyteri nihil nisi absente aut aliter impedito Episcopo agerent & hoc solum, quod juberentur: moderni vero Vicarii etiam præsente & non impedito Episcopo impleant omnia munia, iis exceptis, quæ propria sibi voluit Episcopus. Thomasin. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 13.

QUÆSTIO DCLVI.

Utrum Archipresbyter subsit jurisdictioni Archidiaconi.

Resp. affirmative. Pirh. *ad tit. de off. Archid. num.* 4. Laym. *ad c. ad hæc tit. eod.* Fagn. *ibid. num.* 10. Barbos. *Iur. eccl. l.* 1. *c.* 24. *num.* 38. ubi: *Archidiaconus de jure communi major est omnibus post Episcopum & Archipresbyter ejus subjacet jurisdictioni* citat pro hoc Barbat. *l.* 2. *cons.* 5.

Tusch. *lit. A. concl.* 482. *num.* 51. Gratian. *discept. for. c.* 111. *num.* 80. Vulpe *in pr. c.* 34. *num.* 13. &c. juxta text. *c.* 1. *h. t.* ubi: *Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & ejus præceptis sicut sui Episcopi debere obedire.* Et sic in specie ex Fagn. ait Thomasin. *l. c. c.* 6. *num.* 8 *Et si aliás mirifice supra illum* (intellige Archidiaconum) *emineat* (intellige Archipresbyter) *non tamen id prohibet, quin Archidiaconus jure possit uti, & visitationis & correptionis in Archipresbyterum, & in ipsas ejus Archipresbyterales functiones.* Hæc tamen & similia de jurisdictione Archidiaconi in Archipresbyterum intelligenda ait Fagn. quo ad ea tantum, quæ Archidiacono competunt de jure & consuetudine. Sæpe enim contrarium habet in quibusdam Ecclesiis consuetudo, eaque prævalet. De quo vide me *in Vicar. Episcop. q.* 631.

QUÆSTIO DCLVII.

Num Archipresbyter præcedat Vicarium generalem Episcopi.

Resp. negative. Vide me *in Vicar. Ep. q.* 61. *n.* 1. Quod ipsum tamen, nimirum quod Vicarius præcedat Archipresbyterum, intelligendum, si ambo sint subditi ejusdem Episcopi, adeoque Archipresbyter subditus Vicario: secus, si subditi sint diversis Episcopis. V. gr. Si Vicarius sit Vicarius Episcopi Papiensis & Archipresbyter sit Archipresbyter in Ecclesia Cremonensi, ait Sbroz. *de Vicar. Ep. lib.* 2. *quæst.* 25. *num.* 32. Vide me *loc. cit. q.* 63. *num.* 1.

QUÆSTIO DCLVIII.

An & quando Archipresbyter præcedat Archidiaconum.

Resp. Hanc quæstionem ex professo tractatam a me *in Vicar. Ep. a q.* 630. *ad q.* 634. inclusive, quæ vide.

QUÆSTIO DCLIX.

An Archipresbyter habeat jurisdictionem.

1. Resp. Archipresbyter Civitatensis tametsi de jure jurisdictionem fori externi non habeat. Argum. *c.* 1. *h. t.* Wiestner. *h. t. n.* 4. In multis tamen Ecclesiis, dum cum Decano confunditur, & per viam electionis & Canonicorum suffragia, ut ferme in Germania accidit, constituitur, jurisdictionem aliquam obtinet in Canonicos & officiales Capituli. Imo in quibusdam Ecclesiis, in quibus Archidiaconus non est, etiam in clerum extra Ecclesiam Cathedralem. Wiestner *l. c.* citans Host. *in sum. h. t. n.* 5. & Laym. *in c. fin. h. t. n.* 1.

2. Archipresbyter vero seu Decanus ruralis præter jurisdictionem fori interni seu conscientiæ; quæ non minus illi quam aliis parochis & curatis ei subjectis competit jurisdictionem hodiedum nullam fori externi de se habet, ut contra Gl. *in c. fin. h. t. v. referant.* Laym. *tr. de jurisdict. n.* 145. Pirh. *h. t. n.* 11. & alius hoc nixos fundamento; quod sit Vicarius Episcopi ad clerum ac populum gubernandum foris constitutus, ac propterea *Clem.* 2. juncta Glos. *v. foraneos de rescrip.* appelletur Vicarius Foraneus; Vicario autem foraneo competat jurisdictio; tenent probabilius Card. *in Clem.* 1. *de præb. q.* 2. & 7. Barbos. *de Canonic. & dignit. cap.* 6. *num.* 33. & 36. Engels *h. t. num.* 2. Wiestner. *h. t. num.* 6. Reiffenstuel *num.* 11. & ex Fagn. Thomasin. *l. c. cap.* 6. *num.* 8. ubi, quod Archipresbyteri & Decani rurales hodiedum omni sua jurisdictione exclusi sint. Patetque hoc ex eo, quod licet minora quædam & leviora sine forma judicii determinare, & Decanatus sui clericos officii sui commonere valeant, nequeant tamen censuram ullam ferre aut promulgare, aut etiam de causis matrimonialibus aliisque ad forum ecclesiasticum pertinentibus cognoscere. Quin nec minores etiam lites & controversias inter Decanatus sui clericos aut alios exortas definire, aut pœnis inobedientes vel aliter delinquentes coercere: sed juxta *cap. fin. h. tit.* Debeant omnia ad Episcopum deferre, & ab eo ordinata exequi. Abbas *in cit. c. fin. nu.* 1. *in fine.* Barbos. *l. c. a nu.* 32. sic decisum referens a Rota.

3. Dixi primo *de se*: nam non tantum ex delegatione & privilegio, sed etiam ex consuetudine competere potest Archipresbytero seu Decano rurali jurisdictio in foro externo.

Argum. *c. cum in Ecclesiarum de off. Ordinar.* & ibi Barb. *n.* 3. Dixi secundo *hodiedum*. Nam olim etiam jam tum circa sæculum sextum fuisse magnam in Clericos & Parochos sui Decanatus seu Christianitatis horum Archipresbyterorum ruralium potestatem, dum etiam ipsi debita pœna plectere poterant Presbyteros, Diaconos, aliosque clericos criminosos, ostendit Thomasin. *l.* 1. *c.* 4. *nu.* 5. & 2. Item dum iis etiam a Concilio ad Pontem Audomari habitum anno 1279. concessa potestas suspendendi & excommunicandi, ut videre est apud Thomasin *l. cit. c.* 6. *n.* 7. Et licet ut Idem ibidem verum aut verisimile sit amplissimam hanc illis primum aliquandiu ab Episcopis delegatam potestatem, temporis tamen diuturnitate & consuetudine ea delegatio ita roborata fuit, ut in jus commune & ordinarium convalesceret & ex arbitrario Vicariatu officium certum & perpetuum crearetur, donec tandem propter abusus tales Archipresbyteri seu Decani rurales tam vasta jurisdictione contentiosa abutebantur (quos abusus refert idem *l. c. a nu.* 6.) justissime ab Episcopis cohiberetur, & gliscente corruptela fieret, ut illa potestatis amplificatio, justius, quam concessa fuerat, tantum non omnino revocaretur.

QUÆSTIO DCLX.

Quodnam sit officium Archipresbyteri.

1. RESp. primo. Officium Archipresbyteri urbani de jure communi, & generatim loquendo, est Episcopo solenniter celebranti & divinis operanti assistere, ejusque præsentis munus sublevare & absentis aut impediti vices supplere in iis, quæ sunt officii Sacerdotalis, puta, Missarum solennia celebrare, collectas & orationes dicere, fontes benedicere, aliaque hujusmodi munia Sacerdotalia peragere, aut aliis peragenda committere. Insuper invigilare Sacerdotibus reliquis, ut Missas aliaque officia divina rite ac decenter celebrent & obeant, Sacramenta administrent, & qualiter hæc fiant, Episcopo fideliter referre. Uti hæc omnia habentur *c.* 1. 2. & 3. *h. t.* Dixi *de jure communi*; quia circa hanc Archipresbyteri curam & potestatem quamplurima passim per particulares contrarias Ecclesiarum consuetudines fuere immutata, & in alios translata. Unde ad dignoscendum hic & nunc in hac vel illa Ecclesia Archipresbyteri munus, earum statuta & consuetudines inspicienda.

2. Resp. secundo. Officium Archipresbyterorum seu Decanorum ruralium præter curam animarum, quam habent respectu suorum Parochianorum, est sedulo circumspicere mores ac vitam aliorum Parochorum, Presbyterorum & Clericorum sui Archipresbyteratus, & attendere, qualiter per eos exerceatur cura animarum, & celebrentur divina, administrentur Sacramenta, & desuper Episcopum informare, *c. fin. h. t.* Insuper minores dictorum clericorum lites & leviora jurgia amicabiliter componere, defectus salutari admonitione, sine tamen judiciali cognitione, aut pœnali correctione emendare, leviora quædam determinare. Ac denique, dum ipsi discolos inobedientes & in officio suo negligentes coercere nequeunt, aut pœnam injungere absque authoritate Episcopi, eosdem ad Episcopum deferre, ut is remedium afferat efficacius, contraque illos per pœnas procedat. Porro plura & specialiora adhuc munia eorundem ex variis Conciliis, maxime Mediolanensibus, habitis sub S. Carolo Borromæo. Vide apud Thomasin. *cit. c.* 6. *n.* 2. & 3.

QUÆSTIO DCLXI.

An & qualiter Missarum solennium celebratio spectet ad Archipresbyterum præ Archidiacono.

RESp. De hoc videndum me *in Vicar. Ep. qu.* 666. ubi ex professo hanc controversiam examinavi, & pro Archipresbytero cum Fagnano respondi.

QUÆSTIO DCLXII.

An, quoties, & de quibus ab Archipresbyteris ruralibus habendæ Parochorum conventiones.

RESp. Viguisse jam tum sub Carolo M. hanc consuetudinem quot mensibus habendi istiusmodi Parochorum cujuslibet Decanatus conventum dictum est supra *ad quæst.* 3. *h. t.* Sic quoque temporibus factitatum & usitatum ex statutis variarum Ecclesiarum, sicque hodiedum salubriter in Diœcesibus pluribus. Ita S. Carolus Borromæus in primo suo Concilio provinciali instituisse Vicarios forenses, iisque omnem illam demanasse provinciam, quæ olim Archipresbyteris & Decanis ruralibus assignabatur, nempe ut Capitula sua quolibet mense cogerent, ut ibi cum Parochis suis in commune consulerent de officiis suis impigre explendis, nec non de causis implicatioribus, ait Thomasin, *p.* 1. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 3. Sic a Synodo Augustana habita anno 1548. jubentur hi Decani in Capitulo (hoc est menstruis Parochorum suorum Conventibus bis quot annis legere statuta Synodalia. Sic Concilium 2. Trevirense anni 1549. statuit, ut quo primum anno Parochi possessionem suæ Ecclesiæ inirent, Sacramentum Decano rurali præstarent; & si in ejus fraternitatem admitterentur, tenerenturque deinceps in Capitulis generalibus annalibus, & similiter, quando necessitate occurrente Decanus Capitulum indicit sub pœnis consuetis comparere. In Concilio vero Rhemensi habito anno 1583. jussi sunt Decani rurales Capitula sua seu congregationes Parochorum (quæ, ut Thomasin, *cit. c.* 6. *n.* 4. vernaculè *Calendæ* dicuntur) non sæpius quam bis quolibet anno celebrare, ne clerus expensis gravetur. Unde jam patet, quod etsi istiusmodi conventiones a Decanis habendæ, & fructuose in pluribus Ecclesiis habeantur, non tamen pariformi numero in omnibus observentur, aut observandæ præcipiantur. Porro de quibus in illis Capitulis tractandum, indicatum satis supra, *cit. qu.* 3. Quibus adde, quod dicitur in cit. Concilio Rhemensi: ut lites & dissentiunculæ inter clericos ortæ ibi componantur.

QUÆSTIO DCLXIII.

Quæ ætas requiratur in Archipresbytero.

RESp. Tametsi olim provectæ ætatis oportebat esse Archipresbyterum, utpote qui Seniorum primus erat juxta dicta *quæst.* 1. *h. t.* Tametsi etiam hodiedum rurales Archipresbyteri, utpote qui plerumque & ipsi sunt Parochi & quibus animarum cura incumbit, attigisse debeant annum ætatis 25. loquendo tamen de Archipresbyteris aliis, quos plerumque curam animarum non habere neque etiam post Trident. necessario Sacerdotes esse aut ordinari debere, ait Thomasin *cit. c.* 6. *n.* 8. ex Fagn. sufficit quod annum 22. ætatis compleverint, utpote quam & non ulteriorem ætatem ad dignitates non habentes curam animarum, nec requirentes Sacerdotium requirit Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* His non obstante, quod *c.* 1. *de ætate & qualit. præficiendorum* inter dignitates quæ jure communi annexum Sacerdotium habent, nomeretur Decanatus & Archipresbyteratus, ita etiam, ut si nolint, vel etiam justa de causa (per quam intelligitur impedimentum ex culpa promoti non vero sine ejus culpa contractum, de quo vide me *in foro benef. p.* 5. *q.* 320. *nu.* 4.) impediantur suscipere Sacerdotium, has dignitates amittant, non quidem ipso jure illis privati, sed privandi, si moniti id non fecerint. Nam id intelligendum de iis, si collegium & curam animarum habeant, ut dixi *l. c. n.* 3. citatis Pirh. *ad tit. de ætat. & qual. præf. n.* 380. Fagn. *in c.* 5. *tit. eod. n.* 6. referente pro hoc Decis. S. Congr. Unde jam, si Decanatus Cathedralis annexam habeat curam animarum, aut etiam alias ex statuto Sacerdotium, estque idem cum eo Archipresbyter, requiritur in tali Archipresbytero, in primo quidem caso, ut annum 25. attigerit: in posteriore, ut habeat eam ætatem, ut intra annum promoveri possit Sacerdos.

TITU-

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

De Officio Primicerii, Sacristæ & Custodis.

QUÆSTIO DCLXIV.

Primicerius unde & quis dicatur.

1. RESp. Primo. Primicerius sic dictus ab ordine ceræ, quo nimirum primus descriptus est in Catalogo seu tabulis ceratis, in genere ille vocatur, qui in quibusvis officiis, quæ pluribus communicantur, primum locum tenet. Alciat. *in Rub. c. de Primicerio.* Thomasin. *de vet. & nova Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 103. n. 2.* Sic *l. C. de Fabricensib.* Primus fabricensium seu arma facientium dicitur primicerius. Sic *l. 2. in privil. Scholast. & l. 1. de Decanis* dicitur *Primicerius Scholarum & Decanorum.* Sic apud Gregor. M. *l. 2. Ep. 22.* dicitur *primicerius Notariorum.* Sic in Ecclesia Gallicana fuisse primicerium Lectorum ex facto S. Remigii Rhemensis Archiepiscopi, quo reprehendit Falconem Episcopum, quod extra Diœcesin suam constituerit primicerium Scholæ & militiæ Lectorum, testatur Thomasio *l. c. nu. 4.* Sic S. Stephanus a D. August. Serm. 21. de temp. vocatur *primicerius Martyrum.* Pari modo in ordine secundus dicitur *secundicerius*, uti Gregor. M. *l. 6. Ep. 29.* dicit: *hanc Epistolam Paterio Secundicerio Notario Ecclesiæ nostræ scribendam dictavimus*: Tertius Tertiocerius &c. habuisse quoque in Hispania suum Ecclesias Cathedrales primicerium, constat ex Concilio Emeritensi *can. 10.* ubi: *Sancimus ut omnes nos Episcopi in Cathedralibus nostris ecclesiis singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum & Primicerium habere debeamus.* Fuisse eundem in Hispania nominatum *primiclerum*, ostendit Thomasin. *l. c. n. 8.* ex *Ep. Isidor. Hispal. ad Braulionem Archid.* ubi is meminit primicleri. Item ex *Concl. Tolet. 8.* in cujus subscriptionibus bene dicit legi a Garc. *Primicl.rum* & non *Primicerium*, qui post Archipresbyterum Toletanum subscripsit item *n. 7.* ex citato ex Concil. Emeritens. *ubi Can. seq.* dicitur: *tertia* (nimirum pars redituum Ecclesiæ) *Subdiaconis & clericis tribuatur, ut a primiclero juxta quod in officio eos præsit esse intentos, ita singulis dispensetur.* Unde etiam idem Thomas. indubitanter colligit, primicerium inferioribus clericis omnibus præeminuisse certum dicens, primiclerum inferiori præfuisse clero ipsisque Subdiaconis, unde & ipsum Subdiaconum fuisse appareat, & consequenter hoc officio honestari potuisse Subdiaconum. Idem habet *n. 6. & 8.* ubi: *Ratum igitur illud fixum est primicerium illum Ecclesiæ Romanæ* (de quo *n. 6.* dixerat fuisse illum primicerium Notariorum, & tanti officium illud fuisse momenti, ut qui id gerent, in Conciliis etiam generalibus partes aliquas obtinent honorificas) *qui vel vacante sede vel absente Pontifice cum Archipresbytero, & Archidiacono Gubernacula regebat Ecclesiæ, verticem caputque fuisse inferioris cleri.*

2. Resp. secundo. Nomine Primicerii hoc titulo & hodiedum fere venit, qui Choro Psallentium & Scholæ Cantorum præest. *c. 1. §. ad primicerium dist. 25.* Soletque vocari *Cantor* seu *Præcentor* (dum, qui ejus absentis vices gerit, vocatur *Succentor*) vel etiam in aliquibus Ecclesiis *Scholasticus.* Host. *h. t. n. 1.* Pirh. *h. t. num. 1.* Quo etiam facit, quod paulo supra de facto S. Remigii retulimus.

QUÆSTIO DCLXV.

Quod sit officium Primicerii, & num jurisdictionem habeat.

RESp. Officium illius est, pro ut describitur *Can. perlectis §. ad primicerium dist. 25. & c. unic. h. tit.* Diaconos & ceteros clericos ad chorum deputatos docere modum & ordinem Psallendi in Choro pro varietate & solennitate temporum, lectiones, responsoria, aliaque hujusmodi assignare & distribuere, ac ita Choro præesse. Quamvis hæc in plerisque Ecclesiis Cathedralibus præcipue Germaniæ, Succentori relinquantur; quin etiam pro diversitate Ecclesiarum & de jure speciali ejus potestas & authoritas sit longe diversa, major aut minor. De cetero licet ut Isidor. *l. cit.* apud Thomasin *l. c. nu. 8.* pertineant ad eum Acolythi, Psalmistæ & Lectores &c. incumbatque ei cura, ut quoad Chorum potissimum inter clericos suæ curæ commissos observetur disciplina, cum tamen idipsum non nisi directione, monitione & correctione omnino extrajudiciali efficiat, ita ut excessus in his commissos, quos ita emendare nequit, ad Episcopum, aut etiam ad Archidiaconum deferre debeat, *cap. unic. h. t.* Barbos. *de Can. & Dignit. c. 9. nu. 6.* jurisdictionem proprie, aut etiam curam animarum, quantum est de se seu jure communi non habeat.

QUÆSTIO DCLXVI.

Num Primiceriatus seu Cantoria sit dignitas.

RESp. Dum Primicerius ratione hujus officii in Choro, Capitulo, processionibus (incedendo in pluviali, ut solent in dignitate constituti) ferendis suffragiis &c. inter ceteros Canonicos præeminentiam, præcedentiam aliquam seu locum honorificum habet, uti eum habere observant Azor. *inst. mor. p. 2. l. 3. c. 16. qu. 3.* Barbos. *l. c. num. 8.* Sic S. Congregationem censuisse asserens Wiestner *h. t. nu. 3.* utique est dignitas. Argum. *c. cum accessissent. de constit. cap. cum olim de consuetud.* cum ex altera parte administrationem quoque habeat. Si vero dicta præeminentia careat, nequaquam dignitas sed nudum officium seu administratio censetur. Azor. *l. c. q. 6.* Pirh. *h. t. n. 3.* Laym. *Th. Mor. l. 4. tr. 2. cap. 4. nu. 4.* De cetero, an & qualiter in celebratione missarum solennium aliarumque functionum pontificalium sit præferendus aut postponendus Archidiacono, vide tractatum a me ex professo *in Vicar. Ep. q. 634.*

QUÆSTIO DCLXVII.

Quis hic veniat nomine Sacristæ, & quod munus illius.

1. RESp. ad primum. Venit is, ad quem proxime sacrorum vasorum & thesauri ecclesiastici cura spectat. Quemadmodum enim locus, in quo vasa & vestes sacræ ceteraque suppellex ad ministerium Ecclesiarum deputata reponitur & asservatur, dicitur *Sacrar. l. Sacra §. 2. ff. de rer. divis.* ita qui harum rerum & custodiam habet, *Sacrista* appellatur. Tholos. *Syntag. l. 15. c. 39. n. 3.* Gonz. *in c. unic. h. t. n. 1.* Dicitur quoque in aliquibus ecclesiis *Thesaurarius c. cum olim. de off. deleg. c. cum nostris de concess. preb.* uti & Justiniano *l. & §. fin. C. de bonis auth. possid.* *Cimeliarcha* & apud Thomasin. *de vet. & nova Eccl. disciplina p. 1. lib. 2. cap. 103. num. 11.* *Sceuophylax*, id est, Sacrorum vasorum custos appellatur.

2. Resp. secundo. Munus illius est Calices, patenas, thuribula, Candelabra, aliaque hujusmodi instrumenta, ornamenta & vestimenta ecclesiastica, totumque Ecclesiæ thesaurum custodire *c. unic. h. t.* Insuper, ut habetur *c. perlectis §. fin. dist. 25.* ad ejus officium spectat Basilicarum & Ostiarii ordinatio, incensi præparatio, cura Chrismatis conficiendi, Baptisterii ordinandi, præparatio luminarium in Sacrario & Sacrificiis. His non obstante, quod custodia Ecclesiæ & omnium vasorum ad Archidiaconum spectare dicatur, *cap. ad hæc de offic. Archidiac.* Nam bene respondet Reiffenstuel *h. t. nu. 5.* quod juxta *c. unic. h. t.* Sacrista sit subjectus Archidiacono, adeoque quæ proxime ad Sacristæ custodiam spectant, eo mediante pertineant primario & principaliter ad ipsius Archidiaconi curam, pro ut innuere ait Glossam *in cit. c. unic. v. vasorum.*

QUÆ-

QUÆSTIO DCLXVIII.

Num Sacrista obtineat dignitatem.

RESp. Quamvis Thomasin *loc. cit.* referat S. Euthymium vaticinatum Anastasio presbytero Chorepiscopo & Sacristæ Ecclesiæ Patriarchalis Hierosolymitanæ, fore ut ipse quandoque hujus Ecclesiæ culmen conscenderet; & hinc liquere dicat quanti ponderis esset illa Scevophylacis dignitas, utque Presbyteris semper commendaretur. Indubitatum tamen videri, Sacristam olim passim non obtinuisse dignitatem; quin & ejus administrationem vi institutionis suæ perpetuam non fuisse, adeoque ne quidem beneficium proprie tale. Tholos. Gonzal. *LL. cit.* Wiestner *num.* 7. Postmodum tamen consuetudine & statuto multarum Ecclesiarum Cathedralium introductum, ut inter beneficia & dignitates ecclesiasticas numeretur. Abbas *in c. de multa de præb. n.* 23. Azor. *l. c. nu* 6. Barbos. *l. c. cap.* 8. *num.* 6. citatis alii A A. quin & Rotæ decisionibus. Ita etiam, ut causarum ecclesiasticarum cognitio & definitio a Sede Apostolica Sacristæ delegari possit. Uti ea jam olim ab Innoc. III. delegata ei fuit, *cit. c. cum olim, & c. ex tenore de foro compet.*

QUÆSTIO DCLXIX.

Quis hic veniat nomine Custodis; *& quod ejus officium.*

RESp. Custos ex institutione sui officii est quasi minister Sacristæ. Glos. *ad rub. de off. custod.* Tholos. *Syntag. lib.* 15. *c.* 39. *n.* 7. Non quidem, ut Wiestner *hic num.* 8. ex Hostiensi in custodiendis vasis aureis & argenteis, vestimentis pretiosis, & Ecclesiæ thesauro asservando, utpote quæ custodia & asservatio propria est Sacristæ ipsi seu Thesaurario, sed in custodiendis ceteris minus pretiosis Ecclesiæ utensilibus & rei divinæ instrumentis. Insuper ad ejus officium spectat, signa dare divinorum officiorum, pallia & linteamina altarium curare, panem & vinum reliquaque ad Altaris ministerium procurare, lampades & luminaria debito tempore accendere & extinguere, oblationes & eleemosynas (de consensu tamen Archidiaconi fideliter custodire, & inter fratres distribuere, prout hæc habentur *cap.* 1. *&* 2. *de off. custodis.* Et hæc quidem de jure communi; pro consuetudine siquidem variarum ecclesiarum officium illius diversum est, ita ut in aliquibus ecclesiis illud gerens dicatur Thesaurarius minor. Barbos. *de Canon. & dign. c.* 8. *n.* 11. in aliis Sacrista, Thesaurarius, Custos sit unus, idemque utriusque munus. In aliis retento a Canonicis titulo ac præbenda talium officiorum, administratio & executio eorundem potiore parte translata in æditum. Quin & in pluribus totaliter (sub inspectione tamen & directione adhuc aliqua Canonici, qui hunc titulum gerit) sit penes Vicarios, etiam laicos Ecclesiæ ministros. Hostiens. *in sum. de off. Sacristæ.* Azor. *l. c. quæst.* 8. Layman *in c.* 1. *h. t.* Ac denique, licet spectato jure communi, officium custodis multo minus quam Sacristæ, quo est inferior, sit dignitas aut beneficium, sed purum ministerium, ut Barbos. *l. cit. nu.* 8. in pluribus tamen ecclesiis Cathedralibus etiam Custodia officium est dignitas.

TITULUS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

Materia hæc a me ex professo integre explanata speciali tractatu, nempe in meo Vicario Episcopali. Ubi in specie de Vicario generali Episcopi, ejusdem Coadjutore, Capitulo Sede Vacante & Archidiacono, qui omnes in Jure veniunt nomine Vicarii Episcopalis. Specialiter quoque *ibid. a quæst.* 540. *ad qu.* 620. inclusive egi de Vicario Capituli Sede Vacante. De Vicariis etiam aliorum beneficiorum, uti & de ipsis beneficiis, quæ Vicariæ vocantur, fuse satis tractavi in meo *Foro benef. p.* 1. *a qu.* 108. *ad qu.* 141. quo proinde Lectorem remitto.

TITULUS XXIX.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

CAPUT PRIMUM.

De Jurisdictione in genere & Judicis delegati Definitione & variis Divisionibus.

QUÆSTIO DCLXX.

Quid sit jurisdictio.

RESp. Jurisdictio accepta, non pro actu & exercitio jurisdictionis, sed pro facultate & potentia eam exercendi, tametsi juxta etymon nominis Argum. *l.* 1. *§. damus ff. de suspect. Tutorib.* ubi vocatur officium juris dicundi, breviter sic definiri soleat: quod sit potestas publica jurisdicundi; quia tamen jus dicere non ita proprie omnes actus, ad quos se hæc potestas extendet, comprehendit, sed solum actum ejus præcipuum, qui est cognita causa decernere seu sententiam ferre ac definire, quid jus & æquitas contineat; generalius, ac ita rectius definiri videtur ex Molin. *tr.* 5. *de just. d.* 2. *n.* 1. quem sequuntur Laym. *in concl. con. de jurisd. ordinar. concl.* 1. Pirh. *ad tit. de off. judic. Ordinar. nu.* 1. Reiffenst. *h. t. nu.* 3. *&c.* Quod sit potestas publica seu habentis authoritatem publicam circa aliorum regimen & gubernationem versans; nimirum causas cognoscendo & sententiam ferendo, & discernendo, quid jus & æquitas contineat, præcipiendo, prohibendo, leges ferendo, & in iis dispensando, puniendo &c. Hæc enim omnia regimen & gubernationem aliorum spectant. Dicitur autem potius simpliciter *potestas publica*, quam de publico seu authoritate Reip. introducta, ut comprehendatur jurisdictio etiam ecclesiastica, quæ non authoritate Reip. sed a Christo introducta, ut comprehendatur jurisdictio etiam ecclesiastica,

quæ

quæ non authoritate Reip. sed a Christo introducta & Ecclesiæ concessa, *c. solita de major. & obed.* AA. iidem. Dicitur etiam *publica*, ut contra distinguatur a potestate, quam habet maritus in uxorem, pater in filios & domesticos, Dominus in servos, Magister in discipulos, Tutor in pupillum. Utpote quæ, licèt sit species quædam regiminis & gubernationis, etiam accepta a Magistratu, seu Rep. qualis est quandoque illa Tutoris in pupillum. Non tamen tam ad publicam quam æconomicam, domesticam & privatam gubernationem spectat, ut cum D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 7. *ad.* 2. & 3. Laym. *l. c.*

QUÆSTIO DCLXXI.

Qualiter dividatur jurisdictio.

1. RESP. Dividitur primo in ecclesiasticam & civilem. Illa est, quæ versatur circa res & causas spectantes Dei cultum, animarum spiritualem gubernationem & salutem. Estque ea major jurisdictione sæculari *c. solita*, ubi Canonistæ, pro ut notat Gl. *in c. licet. de except. in* 6. Lancellot. *de attent. p.* 2. *c.* 20. *n.* 78. Subdividitur in eam, quæ in foro interno seu conscientiæ, & eam, quæ in foro externo exercetur. Civilis & politica est, quæ versatur circa causas sæculares & prufanas, respicitque proximè gubernationem Reip. temporalem.

2. Dividitur secundo in voluntariam & contentiosam *lib.* 2. *de offic. procons.* juncta Glossa *ibidem ver. contentiosam*. Voluntaria dicitur, non tam ex parte Magistratus illam exercentis, quasi in ejus arbitrio sit eam exercere, vel non; cum is imploranti officium illud impertire teneatur, juxta quod etiam alias jurisdictio in genere cum Glossa *in leg.* 1. *ff. de jurisdiction. omn. judic. ver. potest*, definiri solet, quod sit potestas de publico introducta cum necessitate juris dicundi. Sed ex parte illius, cui impenditur, utpote quæ nisi in petentes aut volentes exerceri potest. Ad eam spectant dispensare in votis & juramentis, absolvere a censuris & peccatis, administrare Sacramenta, conferre beneficia, & in iis instituere, legitimare, adoptare, manumittere, quæ posteriora etiam in jurisdictione civili locum habent. Contentiosa dicitur a contentione partium inter se contendentium, & strepitu forensi, quo exercetur a Judice pro tribunali sedente, quod forum contentiosum dicitur. Pirhing *l. c. n.* 2. citans Hiltrop. *in processu judiciar. p.* 1. *tit.* 1. *n.* 15. & 16. Layman *Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 5. *num.* 4. Ac proinde extra territorium proprium sine expresso vel tacito Judicis proprii illius, vel etiam ipsarum partium contendentium consensu exerceri nequit. Quo spectat illud *c.* 2. *de constit. in* 6. *extra territorium jus dicenti impune non paretur*. Sanchez *de matr. l.* 3. *d.* 19. *n.* 9. Laym. *l. c.* Qualis econtra strepitus forensis & processus judicialis, & Sessio Judicis pro tribunali, quia non requiritur ad jurisdictionem voluntariam exercendam, quamvis ad eam quandoque cognitio extrajudicialis requiratur, ea (etiam dum est delegata & concessa ab inferiore Principe. Ego *in foro benef. p.* 1. *q.* 1. 435. *nu.* 4.) exerceri potest in territorio alieno absque dicta licentia. Hiltrop. Pirhing *leg. c.* Quamvis, ut monet Layman, Sanchez, Pirhing jurisdictionis voluntariæ actus plerumque non publice, sed privatim exercendi in tali territorio, ne videatur violari jurisdictio proprii illius Judicis. Porro ad jurisdictionem contentiosam spectant Leges ferre, causas civiles & criminales definire, punire, unde hæc jurisdictio dicitur in invitum exerceri.

3. Tertio. Dividitur jurisdictio in ordinariam & delegatam. Ordinaria est, quæ competit alicui jure propriu, seu ratione Officii aut dignitatis ex lege, canone, vel consuetudine. Argum. *l. majorum*, & *l. & quia ff. de jurisd. omn. judic.* ubi is censetur habere jurisdictionem ordinariam, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet. Delegata est, quam quis solum ex commissione aut speciali alterius mandato habet. Quamvis autem jurisdictionem delegatam & jurisdictionem mandatam loquendo rigorose cum Glos. *l.* 1. *ff. de off. ejus, cui mandata, u. qui mandatam*. Covar. *l. var. resol. c.* 20. *n.* 11. Facbineo *controversiar. jur. l.* 2. *c.* 69. *per tot*. Engel *ad tit. de off. judic. Ordin.* Distinguant plures, dum jurisdictionem mandatam volunt esse eam, quæ datur ad universitatem causarum. Argument. *l.* 1. §. *damus ff. de suspect. Tutor.* ubi, quod in eum, cui mandata est jurisdictio, transit omne officium jus dicentis. Jurisdictio delegata, quæ datur solum ad causas particulares. Negari tamen non potest, quod hæc vocabula: *jurisdictio mandata & jurisdictio delegata*, si non simpliciter idem significent, ut volunt Decius, Riminald. Cagnol. *in rub. de off. ejus, cui mandata*. Sæpe tamen confundantur, & largius loquendo unum pro alio ponatur, ut notat cum *cit.* Glos. Covar. *loc. cit.* & uti accidit in *l.* 1. §. *qui mandatam ff. de offic. ejus, cui*. Porro jurisdictio ordinaria est favorabilis, delegata vero odiosa, quia derogat ordinariæ. Glos. *in cap.* 1. *de rescript. in* 6. *u. processus*. Maranta *in specul. aureo p.* 4. *dist.* 5. *n.* 30. Sanchez *de matr. l.* 3. *d.* 35. *n.* 9. Adeoque stricte interpretanda non extendendo illam de casu ad casum non expressum, a persona expressa ad non expressam, etiam de consensu partium juxta *c. P. & G. h. t.*

4. Quarto dividitur in jurisdictionem simplicem & Imperium. Bartol. *in l.* 3. *ff. de jurisd. nu.* 1. Abbas *in c. Sedem h. t. a n.* 5. Molin. *de just. tr.* 5. *d.* 2. *a n.* 1. Jurisdictio simplex consistit in sola potestate causas cognoscendi & decidendi absque jure seu potestate exequendi. Qualem jurisdictionem simplicem habere solet Judex delegatus, cui concessa quidem potestas ferendi sententiam, ejus tamen executio deleganti reservatur, *l. a Divo Pio* §. 1. *ff. de re judicat.* Si quoque adsit potestas exequendi sententiam, & utendi debita coercitione, dicitur Imperium, ita ut potestas illa secundum actum illum cognoscendi & pronunciandi dicatur jurisdictio: secundum actum vero coercendi dicatur imperium. Engels *l. c. n.* 20. Reiffenstuel *h. t. nu.* 19. citans Mathiam Stephani *de off. Jud. l.* 1. *c.* 7. *num.* 3.

5. Quinto. Subdividitur imperium in merum & mixtum. Merum, quod & jurisdictio alta seu criminalis vocatur, describiturque in ordine ad actum ejus principalem in *l. imperium ff. de jurisd. omn. judic.* quod sit jus gladii ad animadvertendum in facinorosos. Vel est jurisdictio, quæ nobili officio Judicis publicam utilitatem spectante exercetur, ut Gl. *in tit. ff. de jurisd. omn. Jud.* Bartol. *in l. imperium ff. eod.* Pirh. *ad tit. de off. jud. ordin. num.* 3. v. gr. ferendo leges, puniendo reos. Vel etiam secundum Dur. *in specul. tit. de jurisd. omn. jud. nu.* 10. Est summa quædam potestas, per quam ea, quæ sunt maximæ jurisdictionis expediuntur. Mixtum, quod & jurisdictio bassa seu inferior dicitur, est jurisdictio, quæ exercetur nobili Judicis officio privatam utilitatem respiciente, v. gr. dando tutores, mittendo in possessionem, restituendo in integrum, causas civiles cognoscendo & exequendo, modicam coercitionem imponendo. AA. iidem cum cit. Glos. vel ut Durand. Est potestas quædam media, per quam ea, quæ sunt mediæ jurisdictionis, expediuntur. Utrumque imperium varios gradus habet, qui non ab omnibus pari modo enumerantur. Et quidem imperii meri juxta jus civile tres statuuntur ab aliquibus. Primus seu supremus, qui se extendit ad pœnas mortis naturalis irrogandas. Secundus ad pœnas mortis civilis. Tertius ad pœnas non capitales tum corporis afflictivas, tum alias famosas, puta amputationis manus, fustigationis, sistentiæ ad numellas. &c. Ab aliis minutatim magis distribuuntur & multiplicantur hi gradus, ita ut primus dicatur imperium maximum, ut est potestas condendi leges universales & in iis dispensandi, congregandi comitia universalia, indicendi bellum, cognoscendi causas remoto appellationis remedio, imponendi tributa & exigendi vectigalia, cudendi monetam, similiaque faciendi, quæ regalia vocantur, & Principibus summis in signum supremæ potestatis reservantur; quamvis quandoque etiam inferioribus ab Imperatore concedantur. Molin. *de Just.* 5. *d.* 6. *num.* 1. Laym. *Th. mor. tr.* 4. *c.* 5. *num.* 9. Pirh. *ad tit. de off. Jud. ord. num.* 3. Non tamen (uti nec ea, quæ spectant ad gradum primum imperii mixti) in generali concessione totius jurisdictionis civilis & criminalis, etiam cum mero & mixto imperio alicui a Principe facta, censentur comprehensa; quia, ut dictum, supremæ potestati Principis reservantur; nisi specialiter in concessione exprimantur. Molin. *l. c. num.* 3. Pirh. *cit. num.* 3. Secundus dicatur imperium majus, quod complectitur potestatem puniendi pœna mortis, mutilationis, carceris perpetui (qui etiam, quia jus gladii complectitur vulgo absolute vocatur imperium merum juxta *cit. l. imperium ff. de jurisd.*) aut etiam inferendi mortem civilem per maximam capitis diminutionem, qua olim jus civitatis Romanæ unacum libertate amittebatur. Tertius, qui dicitur imperium merum magnum continet potestatem inferendi mediam capitis diminutionem, per quam jus civitatis amittitur retenta libertate; qualis olim erat potestas deportandi in Insulam. Molin. *l. cit.* cui hodie juxta aliquos æquivalet damnatio ad triremes. Quartus, qui dicitur imperium merum parvum, quo spectat potestas relegandi, subjiciendi torturæ & fustigationi citra tamen mortem vel mutilationem. Quintus, qui dicitur imperium merum minus, ut est potestas coercendi leniter in corpore. Sextus imperium merum minimum, ut est potestas imponendi modicam pœnam pecuniariam. Molin. Pirh. *leg. cit.* qui etiam posterior citato Layman ubi ante *nu.* 9. ait, hos duos ultimos gradus, cum competant jure Magistratus, id est, cuivis Judici

dici

dici ordinario, seu ordinariam jurisdictionem habenti *l. 1. ff. de off. ejus, cui mandat. est jurisd.* ne alias jurisdictio omni potestate coercitiva esset inefficax, delegari posse. Sic quoque imperium mixtum suos gradus habet, quorum primus imperii mixti maximi est, qui soli Principi reservatur, ut est potestas legitimandi illegitimum, jure infamem restituendo famæ & pristino statui, condonandi ætate minoribus, revocandi sententiam, quæ transiit in rem judicatam, & alia similia. Reliqui gradus hujus imperii mixti competunt etiam Magistratibus inferioribus, ut est restituere in integrum, constituere tutores & curatores aliaque similia. Pirhing *l. c.* remittens ad Bartol. & Abbat.

6. Porro non minus Ecclesiæ quam Magistratui civili competere tam imperium merum & mixtum secundum omnes gradus, si forte primum seu maximum imperium, quo ad potestatem inferendi mortem naturalem excipias (ex cujus tamen potestatis seu juris gladii carentia male Zoesius *h. tit. nu.* 18. pronuntiat, simpliciter non dari de jure canonico imperium merum; cum plures sint actus, ad quos imperium merum, etiam maximum, se extendit) passim tenent AA. cum Glos. & Abbate *in cap. Sedem de off. ord. n.* 5. Sic namque Ecclesia potest convocare comitia seu concilia generalia, leges universales ferre, cognoscere causas remota appellatione &c. quæ spectare diximus ad gradum maximum imperii meri. Sic potest clericum degradare & tradere potestati seculari, quod æquiparatur supplicio ultimo, ut Innoc. *in c. qualiter & quando el 2. de accusationib.* excommunicare motu proprio, condemnare ad carceres perpetuos, quæ spectant saltem ad gradum Imperii meri majoris, curare publice castigari verberibus, deportari in exilium. Argum. *cap. 1. de calumniatorib.*

QUÆSTIO DCLXXII.

Judex delegatus quis seu qualiter definiendus.

RESp. Judex delegatus (qui & Judex extraordinarius dicitur *c. de cetero de transact.* juncta Glos. *v. ordinarium*, item commissarius ob vices sibi ab alio commissas; & non venit nomine *Magistratus*. Maran. *in specul. p. 4. dist. 5. num.* 40. Paul. a Castro Alexandr. *in l. eum qui ff. de jurisdict. omn. judic.*) describi seu definiri potest, quod sit is, qui jurisdictionem habet non de jure seu officio proprio, sed ex commissione, vel ipsius juris, vel alterius hominis propriam & ordinariam jurisdictionem habentis, immediate, vel mediate facta, adeoque alterius vice & authoritate jurisdictionem exercet. Molin. *tr. 5. de just. d. 14. nu.* 1. & ex eo Pirh. *hoc tit. num.* 1. Dicitur primo: qui habet jurisdictionem non de jure seu officio proprio: per quod distinguitur a Judice ordinario, qui, quia de jure suo proprio eam habet, nomine proprio eam exercet, *l. more ff. de jurisd. omn. judic.* juncta Glos. *v. suo jure*, ubi illud advertendum, quod si aliquando ipsi ordinario Judici seu habenti jurisdictionem committatur causa, quæ illius potestatem ordinariam excedit, illum in ea cognoscenda & definienda fungi partibus delegati, non ordinarii. Dicitur secundo *ex commissione vel ipsius juris*, ut comprehendantur delegati ab ipso jure, de quibus plura *quæst. seq.* Dicitur tertio *vel alterius hominis*: agimus enim hic potissimum de jurisdictione humana. Dicitur quarto *hominis habentis jurisdictionem*: per quam Judex delegatus differt ab arbitro, quippe qui jurisdictionem suam (quamvis ne quidem jurisdictionem proprie talem habeant arbitri, de quo intra *ad tit. de arbitris*) habet a partibus in illum compromittentibus, jure seu lege approbante. Dicitur quinto *mediate vel immediate*, ut etiam comprehendatur Judex subdelegatus, de quo hoc titulo quoque agitur. Hic enim mediate, mediante nimirum delegato, habet jurisdictionem suam ab eo, qui nomine proprio eam exercet. Dicitur sexto: jurisdictionem exercet, ut distinguatur ab eo, cui nudum tantum ministerium sine causæ cognitione committitur, qui potius Auditor seu executor appellatur, ut Barbos. *in collect. ad h. tit. num.* 12. His a quibusdam addi solet; *ita ut tamen distinctam jurisdictionem habeat*: ut per hoc jurisdictio delegati distinguatur a Jurisdictione Vicarii generalis Episcopi; quippe qui non diversam, sed eandem & ordinariam jurisdictionem cum Episcopo habet. De quo vide me *in Vicario Episc. q. 69. & 72. & 73.* Adeoque ad hunc a Vicario appellari nequit. Vide me *ibid. qu.* 74. Delegatus vero distinctam inferiorem & subjectam jurisdictioni delegantis, adeoque & ab eo ad delegantem appellari potest. Pari modo per dictas particulas differt delegatus a substituto a Vicario generali, cui is ex causa necessitatis vices suas in totum commisit ad tempus. De quo vide me *in Vicario Episc. qu. 189. n. 3. & qu. 201. per totam.*

QUÆSTIO DCLXXIII.

Quotuplex sit Judex delegatus.

1. RESp. primo, alios esse immediate delegatos ab homine, puta vel a supremo Principe ecclesiastico; qualis est Papa; vel a sæculari, qualis est Imperator, Rex, aliusque Princeps vel Magistratus superiorem in temporalibus non recognoscens: aut etiam ab inferioribus, puta Episcopo vel Principe Imperatori aut Regi subjectis. Alios delegatos a jure seu canone, quibus jus ipsum commune jurisdictionem, quam ratione dignitatis aut jure ordinario seu proprio non habent, committit. Quo etiam spectant, quibus competit jurisdictio vi receptæ & approbatæ consuetudinis, quippe quæ vim legis habet, concediturque eo ipso jurisdictio a jure tacite & indirecte. Sic quilibet Sacerdos potestate sibi a jure communi delegata absolvere potest quemlibet in articulo mortis, in defectu sacerdotis alterius habentis alias in eum jurisdictionem. Sic Episcopi in pluribus casibus alias Sedi Apostolicæ reservatis, aut etiam contra personas & loca exempta procedunt jurisdictione delegata, seu tanquam Sedis Apostolicæ delegati a jure communi constituti, v. gr. in *c. ad abolendam de hæret. §. fin.* ubi Episcopi constituuntur Sedis Apostolicæ delegati, seu datur illis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis facultas procedendi contra exemptos in causa hæresis, *c. irrefragabili §. caterum de off. ordinar.* ubi statuitur, ut Metropolitanus in causa canonicorum cessantium a divinis ad querelam Episcopi tanquam a Sede Apostolica procedat contra eos per censuras, *c. unico §. fin. de statu regular. in 6.* ubi Episcopis præcipitur, ut in Monasteriis sibi subjectis, sua, id est, ordinaria, in exemptis vero Sedis Apostolicæ authoritate procurent clausuram. *Clem. unica de supp. neglig. prælator.* ubi regularium in collatione beneficiorum negligentiam, si ii exempti non sint, sua, si exempti, authoritate Apostolica, jubentur supplere. Dum autem hac ratione ita signanter in virtute istiusmodi clausularum per modum specialis commissionis, sine habita ratione officii illorum, jurisque illis competentis a jure communi defertur, dici non potest jurisdictio ordinaria, sive quod Episcopi respectu hujusmodi casuum jurisdictionem habeant ordinariam ex eo, quod hæc eis ex Juris communis dispositione obveniat, ut contra Berojum *in hanc Rub. num.* 57. Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 25. num.* 92. & alios quosdam cum communiore tenent Abbas *in cit. cap. ad abolendam num.* 15. Decius *ad hanc Rub. num.* 6. Pavin. *de potest Capitul. Sede vac. part. 1. quæst. 10. nu.* 3. Aug. Barbos. *de offic. & potest Episc. quæst. 3. allegat. 92. num.* 8. Pet. Barbos. *in l. cum prætor §. 1. ff. de judic. num.* 32. Reiffenstuel *h. tit. num.* 35. Wiestner *n.* 9. His non obstante, quod dicta jurisdictio a Lege procedens sit perpetua. Ex perpetuitate siquidem illa, cum proveniat ex eo, quod lex illa seu canon delegans duret & non moriatur, inferri nullatenus potest, quod sit ordinaria. Uti nec ex eo, quod cum ejusmodi casus, antequam per exemptionis privilegia reservarentur Sedi Apostolicæ, ad jurisdictionem ordinariam Episcoporum, sublata hac reservatione per illam a jure factam delegationem revertantur ad jurisdictionem eandem ordinariam. Nam suppositum hoc fundatum in eo, quod Episcopi seclusa reservatione speciali possint omnia (nimirum potestate sua ordinaria) in sua diœcesi, quæ potest Papa in toto orbe, ut volunt aliqui. Argum. *c. nuper §. in secundo de sent. excom. & c. Episcopus de offic. ordinar. in 6.* verum non est, ut solet ostendi *ad tit. de off. jud. ordinar.* De cetero in eo, quod distinguit Wiestner *h. t. n.* 10. nimirum illos casus sublata reservatione reverti ad jurisdictionem ordinariam, qui antequam reservarentur, subjiciebantur eidem ratione officii & simpliciter; non vero illos, qui per modum commissionis sive cum clausula specialem delegationem significante subjiciuntur, videtur dari pro responsione seu distinctione, quod controversum est, & ab adversariis negatur; nimirum casus illos, quorum reservatio tollitur per illam ipsam delegationem, ante reservationem spectasse ad Episcopos simpliciter & ratione officii. Porro (quod hic incidenter notandum) effectus dictæ clausulæ: *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*: sive dum Episcopus præcise in vi dictæ delegationis sibi factæ (intellige, sive a jure communi sive etiam specialiter a Papa extra jus commune) procedit, est, quod non detur appellatio ab eo ad Metropolitanum, sed solummodo ad Papam tanquam delegantem. Glos. *in cap. licet in corrigendis de offic. ordinar. v. tanquam delegatus*. Cum delegatus Apostolicus qua talis sit major Archi-Episcopo.

Ab-

Abbas *in cap. ad abolendam num* 26. uti etiam jurisdictio illa competens Episcopo præcise vi ejusmodi commissionis non devolvitur ad Capitulum Sede vacante. Barbos. *cit. alleg.* 92. *num.* 17. *de benef. part.* 3. *capit.* 7. *num.* 52. cum illud non succedat Episcopo incompetentibus illi jure speciali. Argum. *cap. verum de foro compet.* & *ibi* Abbas *num.* 9. Dum vero quandoque prædictæ clausulæ additur *vi etiam*, v. gr. ut procedere valeat etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, duplici gaudet jurisdictione: nimirum ordinaria, quam jam habebat, & delegata, quæ jurisdictioni ordinariæ vi talis delegationis accumulatur. Barbos. *l. cit. num.* 11. Fagnanus *in cap. ad audientiam de ecclesiast. ædif. num.* 54. potestque in eo casu uti ordinaria vel delegata, prout maluerit. Quamvis in dubio censeatur voluisse uti delegata. Barbos. *l. cit. num.* 54. Sanchez *in decalog. c.* 29. *num.* 182. Engels *h. t. num.* 5. quos citat & sequitur Reiffenstuel *h. t. num.* 38. tum quia potestas Papæ sit magis honorifica. Argument. *c. sane quia nos h. tit.* tum quia propter appellationem ad Papam, quæ quia in eo casu solum conceditur, rarius contingit appellari. AA. iidem. Quamvis, dum proceditur tum ordinaria quam delegata jurisdictione cumulative, appellari posse ad Metropolitanum, dicat Wiestner citando pro hoc Abbat. *in cap. ad abolendam n.* 13. Bar. *ubi ante n.* 17. Et licet Capitulum Sede vacante non succedat in ea jurisdictione, quæ vel quatenus delegata est, succedit tamen in ea, vel quatenus ordinaria est.

2. Resp. secundo, delegatos alios esse tales ratione personæ, & non ratione dignitatis quam gerunt, ut si expresso nomine proprio Titio delegetur jurisdictio, hæcque delegatio personalis exspirat morte delegati, *c. quoniam h. t.* alios esse delegatos ratione dignitatis quam gerunt, ut si non expresso nomine proprio delegetur jurisdictio v. gr. Episcopo Leodicensi, Abbati Monasterii S. Martini, & hæc, cum sit realis transit ad successorem, *cit. c. quoniam*.

Resp. tertio, delegatos alios esse ad unam vel certas aliquas causas particulares, quibus nimirum una vel altera causa aliqua particularis hic & nunc emergens aut etiam emersura, vel etiam decem, ut Wiestner. *h. t. num.* 6. committuntur dijudicandæ & terminandæ. Bald. *in L. solet. ff. de jurisd. num.* 1. *qu.* 2. Socin. *in l. more ff. eodem num.* 42. Alios delegatos ad universitatem causarum, quibus omnes universim causæ, vel saltem certum genus causarum, v. g. matrimonialium vel decimarum, beneficialium &c. sub uno nomine collectivo committuntur, etsi restrictim ad certum locum v. g. in tali diœcesi, territorio; urbe; vel ad certum tempus. V. g. intra annum deducendæ in judicium; aut ad certam quantitatem sese extendentes. V. gr. beneficiales vel pecuniariæ non excedentes mille aureos. Vel etiam licet ad certum & determinatum tempus duratura fiat delegatio. Bald. *cit. num.* 1. Socin. *num.* 38. Bartol. *in l. legatus ff. de off. procons. nu.* 4. Pirh. *h. t. num.* 2. Quamvis autem a delegatione, quæ est ad universitatem causarum excludatur, ut dictum, delegatio ad certas causas inter certas personas, inter monasterium & Ecclesiam parochialem, inter communitatem & talem familiam, potius, quam delegatio causarum indeterminatarum, etsi dicto modo restricta, quia hæc multo latius patet, pluresque causas comprehendit, quam restricta ad certas personas, ut Bald. *l. s. q.* 3. Socin. *num.* 41. Saliceto *in l. a Iudice C. de judiciis num.* 3. quos sequitur Sanchez *de matr. lib.* 3. *disp.* 31. *num.* 4. Dum tamen generatim causæ non tantum jam exortæ, sed & orituræ inter certas personas alicui committuntur, adhuc talem delegationem esse & dici posse delegationem ad universitatem causarum eo quod eæ indeterminatæ sint, & semper plures suscitari possint, adeoque quandoque tali commissione plures comprehenduntur causæ, quam delegatione certi generis causarum ad certum tempus, locum, quantitatem restricta, censet Wiestner *h. tit. num.* 6. citans pro hoc Oroscium *in cit. l. legatus a num.* 10. Porro differentia inter utrumque delegatum est, quod delegatus ad universitatem causarum reputetur quasi ordinariam habens jurisdictionem. Sbroz. *de Vicar. lib.* 2. *qu.* 61. *num.* 4. & 5. Marant. *de judic. Ordin. part.* 4. *dist.* 5. *num.* 42. Vantius *de nullitat. ex defectu jurisd. num.* 178. Layman *in cap. causa de restit. in integrum*, *nu.* 2. Pirhing *ad tit. eund. num.* 62. dicaturque in rigore habere jurisdictionem mandatam; & hinc subdelegare possit, non quidem totam jurisdictionem, sed unam vel alteram causam. Delegatus vero particularis seu ad causam particularem vel determinatas particulares dicatur habere proprie jurisdictionem delegatam, nequeatque sine speciali commissione sibi a delegante concessa subdelegare, nisi forte sit delegatus Principis supremi juxta *c. cum causam de appellat.* juncta Glos. *ibid. v. delegat.* Verum de his plenius in sequentibus.

4. Resp. quarto, alios esse delegatos, quibus primum seu immediate ab habente jurisdictionem ordinariam demandata est jurisdictio. Alios subdelegatos, quibus a delegato rursus fit delegatio. Pirh. *h. t. n.* 2. *in fine*.

CAPUT SECUNDUM.

De Personis a quibus & quibus fieri potest Delegatio & Subdelegatio.

QUÆSTIO DCLXXIV.

An & qualiter Judex ordinarius delegare possit.

1. RESp. ad primum. Non solum supremus Princeps, sed quilibet Judex seu Magistratus ordinarius causas ad se jure ordinario spectantes alteri cognoscendas & definiendas delegare potest, *l. more Majorum & l. solet ff. de jurisdict. omn. jud.* ubi is suam jurisdictionem delegare censetur, qui eam suo, non alieno beneficio habet, *cap. cum Episcopus de off. ordinar. in* 6. ubi dicitur, quod per se vel per alium, id est a se delegatum possit in quolibet loco diœcesis suæ non exempto pro tribunali sedere Episcopus. Ac ita in his locum habet *Reg. jur.* 68. *in* 6. *quod quis potest facere per seipsum, potest etiam per alium.* Permittitque id ipsum jus commune bono communi subditorum sic exigente, tum quia istiusmodi Judices ordinarii, præcipue Principes supremi ob causarum multitudinem, locorum distantiam, aliaque impedimenta per se ipsos causas omnes expedire nequeunt.

2. Resp. ad secundum. Non potest tamen Judex ordinarius inferior supremo Principe, eo inconsulto, seu absque ejus consensu totam suam jurisdictionem delegare alteri. Felinus *in c. super quæstionum §. si vero h. tit. num.* 17. Marant. *speculi p.* 4. *dist.* 5. *num.* 55. Sanchez *de matr. lib.* 3. *disp.* 31. *num.* 52. Pirhing *h. t. num.* 3. Tum quia hac ratione censeretur non tam delegare quam se abdicare officio. Pirh. *loc. c.* & ex eo Reiffenstuel *hoc. tit. num.* 56. Quod sine consensu Principis non potest, *l. penultim. ff. de offic. Præsid.* juncta Glos. *v. abdicando*, tum etiam, quia transferendo totam jurisdictionem suam in alium constitueret eum Judicem ordinarium, ut iidem; Judex autem seu Magistratus inferior propria authoritate Judices ordinarios constituere nequit; cum id sit privilegium singulare competens supremæ Principis potestati ut constat ex *l.* 2. *feud. tit.* 56. *quæ sint regalia c. unico* ubi inter regalia Principi reservata numeratur potestas constituendorum Magistratuum ad justitiam expediendam. Cujus tamen probationis pars prior parum efficax esse videtur; cum Judex ordinarius delegando jurisdictionem suam alteri eandem non amittat; quin & non tantum habitu & radicaliter, sed & actu eam retinere & in solidum possidere possit cum eo, cui eam communicavit, & in ejus exercitio cum eo concurrere, ut patet in Episcopo conferente totam suam jurisdictionem Vicario suo generali, absque eo, quod per hoc amittat eam, adeoque absque eo, quod abdicet se officio suo. De quo vide me *in Vicario Episc. q.* 69. Neque tamen etiam hoc ipsum exemplum obstat responsioni nostræ, qua dictum, inferiorem Principe sine hujus permissu non posse omnem suam jurisdictionem delegare alteri seu transferre in alium. Nam, præterquam, quod Episcopi sint vere Principes ecclesiastici, & non Vicarii Papæ, ut recte Bellarm. *l.* 5. *de Rom. Pontif. c.* 3. *in fine* habeantque potestatem talem, qualem habet supremus Princeps, ut Felicianus a Vega *in c.* 3. *de Iudiciis n* 63. citans Riccium *in pr. fori ecclesiast. decis.* 305. apud Dianam *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 19. communicant seu conferunt jurisdictionem suam totam Vicario suo, non nisi lege id eis concedente; adeoque non sine consensu supremi Principis Papæ. Aut etiam secundum alios (de quo vide me *in Vicar. Episc. qu.* 72. ex professo agentem) Jus seu lex ipsa dat directe jurisdictionem eandem Episcopi Vicario ejus, interveniente tamen

no-

nominatione & institutione Vicarii facta ab Episcopo. His tamen ipsis non obstantibus; posse ipsum Vicarium generalem Episcopi ex causa necessitatis, vel propter absentiam vel infirmitatem ad breve tempus sibi substituere alium, committendo illi in totum vices suas, ita ut interim Vicarii munere cum simili (vel etiam ut resolvi citatis plurimis *in Vicar. Episcop. quæst.* 201. eadem ex eodem tribunali) jurisdictione fungatur. Etiam sine speciali ad hoc facultate seu mandato Episcopi, tenent Pax Jord. *lib.* 12. *tit.* 1. *n.* 204. Barbos. *de potest. Episcop. allegat.* 54. *num.* 100. Garcias *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *nu.* 152. citans Felinum *in cap. perpetuus de fide instrum. num.* 3. Marant. *in specul. advocator. part.* 4. *dist.* 5. *num.* 22. Cuchum *lib.* 12. *tit.* 8. *num.* 10. Puteum. Pavin. Genuens. &c. contra Ventrigl. *tom.* 2. *annotat.* 14. §. 1. *num.* 36. Sbrozius *de off. Vicar. l.* 2. *q.* 66. *nu.* 17. Host. Franc. Zerol. &c. apud Garciam *l. cit.* tenentes requiri & in hoc casu speciale Episcopi mandatum. De cetero hic notandum esse magnum discrimen inter delegatum ad universitatem causarum & substitutum a Vicario sibi Vicarium, seu vices gerentem Vicarii generalis. De quo vide me *in Vicar. Episc. tit. quæst.* 201.

QUÆSTIO DCLXXV.

An delegatus supremi Principis subdelegare possit.

1. RESp. Potest talis delegatus subdelegare causam sibi delegatam, *cap. fin. h. tit. cap. cum causam de appell. l. a judice, C. de judiciis, l. unic. C. qui pro sua jurisd.* Idque in speciali privilegio ab ipso jure concessu tali delegato propter eminentiam supremæ potestatis Principis, quem repræsentat Pirhing *h. tit. num.* 5. Reiffenstuel *n.* 59. juxta *cap. cum causam, cap. super super quæstionum, cap. ultim. cap. pastoralis hoc. tit.* Tum etiam, ne propter varia istiusmodi relegaturum impedimenta magno litigantium incommodo causæ & negotia juste longius protrahantur, permittit supremus Princeps, præsertim Sedes Apostolica, a se delegata delegatis suis per subdelegationem in alias personas idoneas expedienda transferre. Vivian. *in cap. fin. h. tit.* ac denique, ut Jason. *in cit. l. a judice*, Bartol. *in l. legatum ff. de off. proconsul.* Delegatus talis Principis æquiparatur, imo major est Judice ordinario. Sbroz. *de off. Vicar. lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 24. citans Cassan. *in catal. glor. mund. p.* 7. *consid.* 20. ubi, quod delegatus Episcopi major sit Vicario Generali, juxta *cap. pastoralis de off. jud. ord. cap. sane & cap. studuisti h. tit.* ubi de causa specialiter commissa delegato per Papam Legatus se immiscere non potest; quia quo ad illam causam delegatus censetur major Legato. Jam vero cuilibet ordinario permittitur concedere alteri seu delegare jurisdictionem sibi competentem. Ad quod tamen facile responderi posset: permissum ei concedere alteri jurisdictionem sibi competentem jure proprio, non vero beneficio & ex commissione superioris.

2. Ampliatur responsio, ita ut delegati, quibus indistincte & generaliter facta delegatio a supremo tali Principe, habeant potestatem, saltem valide, subdelegandi, etiamsi infirmitate aut alia necessitate non impediantur, quo minus ipsi per se causam cognoscere & expedire possint. Jason. *l. cit. nu.* 11. Cujacius *in cap. si pro debilitate h. tit.* Gonzalez *ibidem num.* 12. Pont. *de matrim. lib.* 5. *cap.* 27. *num.* 3. quos citat & sequitur Wiestner *h. tit. num.* 36. item Pirhing *hoc. tit. nu.* 5. ubi, quod id fieri possit etiam partibus invitis, & nulla necessitate cogente; cum hæc subdelegandi potestas sit concessa a Lege, citat pro hoc Glos. *in cit. cap. si pro debilitate, vers. liberum* & Abb. *ibidem num.* 1. Et sic suadent rationes pro responsione adductæ. Non obstante textu *cap. si pro debilitate*. Siquidem cum aliis textibus talibus delegatis stabilitur indistincte potestas subdelegandi, dicto textu *cap. si pro debilitate* infirmitas alteriusve impedimenti causa non exigitur ad delegationis valorem, sed solum ad ejus honestatem & justitiam; cum injustum sit & indecens munus sibi injunctum transferre in alium, dum nihil impedit, quo minus quis illud per se exequi possit. Wiestner *num.* 37. cum Pont. *l. c. nu.* 5.

3. Limitatur econtra responsio primo, ita ut ea subdelegandi potestas concessa non sit Judicibus conservaturibus, qui & ipsi alias sunt delegati. Sed de hoc intra *cap. ultim. h. tit.* Secundo nisi causæ sint graves & arduæ, non quidem qualitercunque & quæcunque graves; sed ita graves eæque, quæ sine præsentia ac opera delegari ipsius expediri, saltem commode, non possunt, ut expresse dicitur *cit. cap. si pro debilitate*; eo quod tunc censeatur electa industria personæ delegatæ, *l. inter artifices, ff. de solution.* Abbas *in cit. cap. si pro debilitate num.* 3. Layman *ibid. num.* 3. Pirhing *hoc tit. num.* 9. Quænam autem sint graves & taliter arduæ, Judicis arbitrio decidendum relinquitur, cum jure definitum non sit. Felinus *in cit. cap. col.* 3. Decius *num.* 5. quos citat & sequitur Pirhing *loc. cit.* Tertio, nisi ex verbis rescripti delegationis appareat, industriam & fidem delegati specialiter electam, ut si diceretur; *confidimus de industria & discretione vel prudentia tua.* Abbas *in cit. c. ultim. hoc. tit.* §. *is autem num.* 6. Felinus *ibidem num.* 2. Molina *tr.* 5. *de just. disp.* 15. *num.* 3. Pirhing *h. t. num.* 10. Quod si tamen industria & fides personæ, cui fit commissio, non censeatur singulariter electa, tametsi Papa causam alicui commiserit, ut eam personaliter exequatur. V. gr. dicendo in rescripto: *per te ipsum vel personaliter exequaris*: adhuc poterit talis delegatus eam subdelegare, modo partes consentiant juxta expressum textum *cap. final. h. tit.* §. *is autem*, ubi: *is autem cui injungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest hoc aliis delegare, modo partes consentiant, præterquam si mandatum sit, ut inquisitio aliqua fiat vel Ecclesiis provideatur de prælatis vel aliis ministris; tunc enim censetur singulariter electa industria ac fides personæ, cui talia committuntur &c.* quia in illis majus periculum vertitur. Glos. *ibidem v. ut personaliter.* Quem tamen textum ita intelligendum censet Pirhing *loc. cit.* citans pro hoc Innocent. *in citat. cap. num.* 1. Abbas *ibidem* §. *is autem num.* 5. ut procedat, seu fieri possit subdelegatio consentientibus partibus, si dicta clausula seu conditio, ut delegatus per seipsum exequatur, commissioni adjecta sit in favorem partium de quarum causa seu negotio agitur, utpote cui favori ipsæ expresse vel tacite renunciare possunt. Secus, si dicta clausula adjecta ob utilitatem publicam; quia privati non possunt renunciare his, quæ pro utilitate publica sunt demandata. Porro exemplum electæ vel non electæ in commissione industriæ delegati habes in *cit. cap. is cui h. tit. in* 6. ubi: *is, cui ab Apostolica Sede committitur certæ personæ provisio de beneficio in certa Ecclesia, diœcesi, vel Provincia facienda, potest alii committere vices suas* (quia quando principalis committens seu delegans designat certam personam, cui providendum, tum plerumque parum interest, an delegatus per se vel per alium provideat) *sed si non expressa certa persona committatur eidem, ut alicui personæ idoneæ de certa ecclesia vel beneficio debeat providere* (*quia circa eligendam personam ejus industria tunc videtur electa*) *provisionem sibi commissam alteri demandare non potest, nisi forma commissionis habeat, ut per se vel per alium id valeat expedire &c.* Secundum hoc exemplum resolvenda sunt similia. V. gr. dum testator constituit executores, ut arbitratu suo distribuant legata inter pauperes, quos ipsi elegerint, censetur electa eorum industria & discretio, & hinc non possunt vices suas committere alteri. Secus, si testator certos pauperes in specie nominavit, quibus legata dari jussit; tunc enim executores id per alios expedire possunt. Ita Pirhing *num.* 11. cum Dominic. & Franc. *in citat. cap. is cui num.* 2.

4. Limitatur quarto, ita ut delegatus, etiam Principis, nequeat vices suas committere alteri, seu subdelegare, si non jurisdictio, sed nudum ei ministerium seu mera executio a Principe commissa. *c. ult. h. t.* §. *cæterum* ubi: *cæterum (salva legatorum Sedis Apostolicæ authoritate) nulli, cui commissum fuerat prædicare crucem* (pro recuperatione terræ sanctæ) *excommunicare vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pænitentias* (idem esse de aliis similibus, etsi in specie expressa non sint, ac proinde casus hic expressos solum exempli gratia allatos esse, ratio hujus dispositionis in fine illius apposita persuadet. Abb. *in cit.* §. *num.* 2. Pirh. h. t. num. 12. *liceat hæc de cætero aliis demandare; quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur hac parte &c.* His non obstante, quod nudum officium, cui annexa non est jurisdictio, ab eo, cui jure proprio competit illud, delegari possit. V. gr. officium eligendi seu electio. Aliud enim est, si officium seu nudum ministerium competat alicui jure alieno, exerceatque illud nomine & authoritate alterius. Porro dictæ hujus dispositionis hæc est ratio; quod in articulo jurisdictionali procedi debet secundum leges publicas, ideoque parum refert quinam Judex constituatur, modo legum peritus sit; in nudo vero ministerio seu executione plus valet, & operatur industria, experientia, peritia & authoritas personæ; adeoque Princeps committendo nudum ministerium, frequentius ad industriam personæ attendere solent, eamque elegisse censeatur. Pirhing *l. cit.* cum Abb. *in cit. c. ult.* §. *is autem num.* 6. Quod autem Legato Apostolico permittatur, ea etiam, quæ sunt nudi ministerii, expedire per alios, rationem dat Felinus *in cit. parag.* cæterum *num.* 9. & ex eo

Pirhing

Pirhing quod is ob multitudinem negotiorum omnia solus per se ipsum expedire nequeat. Unde etiam, si ex qualitate causæ vel commissionis appareat, aut præsumi possit, electam non esse industriam personæ, adeoque hoc ministerium æque expediri posse per alium, posse illud a delegato Principis subdelegari alteri juxta priorem partem *cit. c. is cui*, censet Abb. *in c. fin. §. is autem h. t. in 6. n. 5.*

5. De cætero in casibus, in quibus nudum ministerium delegari nequit (qualis v. gr. est excommunicare, dispensare &c.) quin simul per accidens delegetur & delegato competat aliqua jurisdictio seu coercitio, utpote sæpe necessaria ad mandatum implendum, & ne alias illusoria sit & sine effectu talis commissio, ad compescendos nimirum contradictores & impedientes, ut Glos. *in cit. §. cæterum v. commissum, & ibidem.* Jo. Andr. *num.* 33. & Imol. *nu.* 19. Idque etiamsi hæc clausula: *contradictores compescendo*: in commissione adjecta non sit; cum semper de jure insit & tacite subintelligatur, dum uno commisso, censeatur & alia commissa, sine quibus expediri nequit, *c. præterea cap. ex literis h. tit.* in his inquam casibus etiamsi ipsum nudum exercitium committere non possit alteri delegatus, posse tamen delegare dictam jurisdictionem extra Curiam Romanam (si enim in ea versetur, & impediatur, recurrendum ad Papam) tenent Innoc. *in c. ult. h. t. nu.* 4. Imol. *ibid. n.* 20. Pirhing *h. tit. nu.* 13. qui etiam *ibidem in fine*, cum Abbas *in cit. §. cæterum nu.* 7. Felin. *ibid. nu.* 8. *limit.* 1. Imol. *nu.* 36. notat, nudum ministerium commissum alicui sub nomine dignitatis transire ad successorem in ea dignitate; eo quod præsumatur, omnes constitutos in illa dignitate esse providos, discretus & idoneos ad executionem demandatam. Notat item *nu.* 15. *in fine*, posse datum executorem ad providendum certæ personæ de beneficio, addita conditione; si sit vitæ laudabilis & honestæ conversationis; committere vices suas alteri: cum per illam conditionem & clausulam non censeatur electa industria personæ, sed solum declaretur officium executoris, dictaque conditio, etsi non exprimatur, tacite tamen insit. Secus videtur, si unacum tali clausula committeret quoque inquisitionem judicialem in mores dictæ personæ, examen testium &c. cum hæc involvant jurisdictionem.

QUÆSTIO DCLXXVI.

An & qualiter delegatus Papæ alteriusve Principis supremi causam sibi commissam subdelegare possit non totaliter, vel etiam reservata sibi jure, ut subdelegatus teneatur in ferenda sententia requirere suum consilium.

1. RESp. ad primum affirmative. Sicut enim potest totam causam sibi commissum delegare, ita & partem v. gr. citationem partium, compulsionem & punitionem renitentium, receptionem testium &c. uti habetur in *cap. pastoralis §. item cum totum h. tit. & Clem. unic. h. tit.* Quod enim juris est in toto quoad totum, idem juris est in parte quo ad partem, *leg. qua de tota ff. de rei vindicat.* juncta Glossa *v. dicta.*

2. Resp. ad secundum quoque affirmative, ita ut teneatur tunc subdelegatus in sententia ferenda requirere ejus consilium, alioqui sententia sit invalida, quia forma subdelegationis non fuit servata. Pirh. *h. t. n.* 8. citans Innoc. *in c. si pro debilitate nu.* 1. Abb. *nu.* 3. & 8. Decium *nu.* 8. In quo tamen casu censetur solum velle subdelegans, ut suum consilium adhibeatur tanquam viri boni & prudentis, non tanquam Judicis; cum dare consilium non sit actus jurisdictionis, neque consiliarius sit Judex; ac proinde delegatus subdelegando censetur omnem jurisdictionem a se abdicasse, & contulisse in subdelegatum; ideoque in ea causa una cum delegato judicare non posse. Pirh. *l. c.* citans Abb. *ubi ante num.* 6. Decium *n.* 7. qui posterior dicat, hinc quoque in tali casu non ad delegatum subdelegantem, sed ad primum delegantem appellandum esse. Secus tamen est, si delegatus subdeleget causam cum reservatione expressa non tantum petendi suum consilium, sed & sequendi (ad quod alias non tenetur facta subdelegatione simpliciter petendi consilii; sufficit enim tunc petiisse consilium, & debitum responsum exspectasse, & necessario illud sequendum non est. Abb. *n.* 7. Decius *n.* 9. Pirh. *cit. nu.* 8. Argum. *c. cum in veteri de elect. c. cum olim de arbitr.*) eo quod tunc se fecerit participem officii Judicis, adeoque sententia subdelegati non valet, nisi eo consentiente.

QUÆSTIO DCLXXVII.

An & qualiter delegatus Papæ alteriusve Principis subdelegare possit, dum ei adjuncti ab eodem Principe alii Judices delegati.

1. RESp. primo. Si Papa præter duos Judices, quibus causam aliquam delegavit, deleget & superaddat tertium vel ex officio suo, vel de consensu partium poterit hic tertius valide subdelegare vices suas alteri; cum Papa delegans intendat providere ipsis negotiis & causis (ut cito expediantur) non autem personis, quibus fit delegatio. Prout hæc habentur expresse & fere verbotenus *c. ult. h. tit.* ob quam rationem bene dicit Pirhing *h. t. nu.* 16. non facile præsumendum in delegatione electam esse industriam personæ, & hinc delegatum posse subdelegare, etiam invitis partibus; cum alias Princeps non vellet providere negotiis sed personis, ut Glos. *in cit. c. ult. v. negotiis*, & Abb. *ibid. n.* 5. Idem quoque est, ut habetur *eod. cap.* cum mandatur Episcopo, ut cum altero suorum conjudicum mandatum Apostolicum exequatur. Potest enim tunc Episcopus subdelegare alteri; ita tamen, ut reliqui duo Judices tunc sine subdelegato Episcopi procedere non possint. Quamvis econtra mortuo uno ex illis duobus, Episcopus cum altero procedere possit, ut Glos. *in cit. c. ultim. §. idem quoque, v. cum mandatur.* Pirhing *h. t. n.* 16. *in fin.*

2. Resp. secundo, si a Papa causa commissa duobus simpliciter, non addita clausula; ut si unus cognoscere non possit, aut nolit, alter solus cognoscat. Potest tamen unus eorum alteri, sive conjudici suo, sive tertio alicui suas vices committere seu subdelegare, prout habetur *cap. quamvis h. t.* privilegium, siquidem illud a jure concessum ob honorem Principis, ut ejus delegatus subdelegare possit, late interpretandum est, ita ut subdelegatio etiam ipsi Judici seu collegæ fieri possit. Pirh. *h. t. nu.* 17. In quo tamen casu, dum subdelegatio fit collegæ, is non censetur judicare solus seu jure singulari, sed tam suo quam socii sui nomine, nempe ut delegatus & ut subdelegatus collegæ sui. Non tamen propterea diversam sententiam pronunciare poterit, unam qua delegatus seu jure delegationis, & alteram qua subdelegatus seu jure subdelegationis; cum qua conscientia judicat aliquid justum esse ut delegatus, eadem quoque ut subdelegatus justum censere debet. Abb. *in cit. c. quamvis num.* 2. & 3. Decius *ibid. post princ.* Hiltrop. *in processu judiciar. p.* 1. *tit.* 8. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 17. Argum. *c. pen. de elect. in* 6. juncta Glos. *v. nihil agit* ubi: *cum unus procurator simpliciter constitutus, si in unum suo & alium domini nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit; nisi de certa persona eligenda dominus dederit speciale mandatum; tunc enim in illam ejus, & in aliam suo nomine poterit consentire, &c.*

3. Resp. tertio. Si causa delegata duobus Judicibus cum clausula: *quod si ambo interesse non possint, alter solus procedat*: quilibet eorum, ubi impeditus fuerit per se cognoscere causam, potest quidem vices suas valide subdelegare alicui tertio; non tenetur tamen alter seu ejus collega talem subdelegatum admittere, sed potest per exceptionem eum repellere, & solus procedere. Sumitur *ex c. coram dilecto h. tit.* Impedit itaque dicta clausula, utpote adjecta in favorem collegæ seu condelegati, quo minus hic teneatur recipere subdelegatum a suo condelegato, quem alias non adjecta tali clausula tenebatur recipere, possitque se solo procedere. Glos. *in cit. c. coram, v. quod non intelligitur.* Innoc. *nu.* 2. Molina *de just. tr.* 5. *d.* 24. *nu.* 3. Laym. *in cit. c. coram nu.* 3. Barbos. *in collect. ad idem c. num.* 3. Devolvitur autem dicta potestas cognoscendi tota ad alterum, ut hic se solo procedere possit, si velit, quando alter nequit per se cognoscere, & non tunc tantum, quando alter neque per se neque per alium cognoscere eam potest. Satis enim purificatur dicta clausula per hoc, quod impediatur eam cognoscere per alium; debentque rescripta Principum intelligi secundum ea, quæ frequenter accidunt, & non secundum ea, quæ raro. Argum. *l. nam ad ea ff. de LL.* frequenter autem contingit, ut delegatus nequeat per se expedire causam, valde raro autem, ut neque per se neque per alium. Porro idem est, si plures quam duo sint delegati, & adjecta sit clausula; si omnes interesse non possint, reliqui, vel unus solus procedat: neque enim non impediti admittere tenentur subdelegatum a delegato impedito, vel subdelegatos a delegatis impeditis. Molin. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 19. *in fine.*

QUÆ-

QUÆSTIO DCLXXVIII.

An subdelegatus a delegato Principis possit iterum subdelegare.

RESp. negative. Nullus enim delegatus, etiam Principis, ita subdelegare potest, ut in subdelegatum transfundat potestatem iterum subdelegandi. Habetur *cap. super quæstionum h. tit.* Glos. *ibid. v. delegare*. Abb. *n.* 2. Pirh. *h. tit. nu.* 20. citato Sanchez: nullus enim delegatus potestatem habet ultra eam, quæ ei commissa est a delegante; sed etsi delegato Principis a Principe facta sit delegatio cum potestate subdelegandi; non tamen ei facta potestas dandi subdelegato facultatem denuo subdelegandi. Cum valde distincta sint potestas subdelegandi, & potestas dandi huic subdelegato potestatem subdelegandi; sitque potestas subdelegandi privilegium personale delegato Principis specialiter concessum adeoque non extendendum ad diversum casum vel personam. Neque contrarium ex eo evincitur, quod ut dictum paulo ante, constitutis a Principe duobus delegatis, unus ex illis possit vices suas committere seu subdelegare alteri suo collegæ, ita ut is tunc fungatur officio delegati & subdelegati; is autem tunc iterum possit subdelegare alicui tertio, quia minorem potestatem non habet quam suus collega, qui sibi fecit subdelegationem. Nam licet ad summum admitti possit, id eum posse qua delegatum a Principe, non autem qua subdelegatum a suo collega: omissa tamen hac distinctione posse delegatum a suo collega seu conjudice subdelegare, absolute negant Layman *in cit. cap. super quæstionum §. si vero num.* 12. Pirhing *citat. num.* 20. Tum quia, quando jurisdictio translata est in unam personam a diversis coalescat ea quodammodo in unam & fiat una jurisdictio, ita ut dein non possit pro parte sive uno respectu transferri, & pro parte seu respectu altero retineri. Tum quia Titius voluit jurisdictionem suam delegatam subdelegare Cajo conjudici suo, seu ab ipso eam exerceri secundum judicium illius, & non aliter eam subdelegationem acceptasse videtur Cajus. Jam vero, si Cajus quoque subdelegaret jurisdictionem alteri, hic a Cajo in ferenda sententia posset discordare, quod repugnaret subdelegationi factæ a Titio. Admittit nihilominus Laym. *l. c.* quod Cajus in hoc casu possit assumere assessorem, qui consilium det, non tamen conferendo illi potestatem judicandi.

QUÆSTIO DCLXXIX.

An & quando delegatus Principis subdelegandum a se cogere possit ad acceptandam subdelegationem, & eum renitentem punire.

1. RESp. ad primum & secundum, ubi justa aliqua causa vel necessitas apparet, aut præsumi potest, potest delegatus Principis subdelegandum ad hoc compellere. Nisi enim delegatus haberet hanc potestatem compellendi & renitentem coercendi jurisdictio ejus & potestas subdelegandi foret inutilis & inefficax. Modo tamen subdelegans non subdeleget malitiose (qualiter ageret, si subdelegando intenderet seipsum subtrahere & exunerare, ut evitet odium seu periculum partis offendendæ, derivando illud in subdelegatum; vel etiam, si subdeleget, v. gr. amico suo cum læsione partis alterius. Layman *in cap. pastoralis hoc. tit. num.* 2.) in hoc enim casu subdelegandus non tenetur acceptare subdelegationem, sed potest eam licite recusare, adeoque ad eam acceptandam cogi nequit, prout hæc omnia expresse habentur *in cit. cap. pastoralis*. Ubi tamen Glos. *v. exonerare* & alii DD. notant, non esse id facile de Judice delegato præsumendum; quia tamdiu de aliquo præsumendum est bonum, quamdiu non apparet contrarium, *cap. dudum de præsumption.* adeoque subdelegatio, maxime per delegatum Papæ facta, reverenter acceptanda, nisi de malitiosa exoneratione per probabiles saltem conjecturas appareat. Argum. *c. 2. de renunc. in 6. & l. dolum C. de dolo.*

2. Resp. ad tertium. Potest quoque talis subdelegans subdelegandum renitentem sine justa causa acceptare subdelegationem punire: quia subdelegare non secus ac delegare est mandare seu præcipere (unde etiam fieri non potest; nisi personæ jurisdictioni delegantis vel subdelegantis subjectæ Glos. *in citat. cap. pastoralis, v. si coercitionem & l. unic. Cod. qui pro sua jurisdiction. judic. dare*. Qualiter jurisdictioni delegati a Papa, utpote hujus vice fungentis, subjiciuntur omnes, quo ad causam delegatam. Pirhing *hoc. titul. num.* 6.) potestas autem hæc præcipiendi sæpe vana foret & illusoria sine potestate inferendi pœnam aliquam, saltem modicam, ut est mulcta pecuniaria vel similis. Pirhing *hoc. tit. num.* 6. citans Abbas *in cit. cap. pastoralis in princip. num.* 9. Porro, ut dicitur in *eodem cap. pastoralis*, cavere debet delegatus Principis, ut si personis superioribus (id est in dignitate constitutis) deleget, in coactione & pœnæ illatione rationem dignitatis habeat. Siquidem personæ nobiles aut in dignitate constitutæ mitius puniendæ sunt, saltem pœna corporali aut simili; cum hujusmodi pœna augeatur & censeatur major, quo persona, cui infertur est major & dignior, *cap. fin. de pœnis*, & Glos. *ibid. v. nobilitati*. Abbas *in c. pastoral. nu.* 5. Felinus *ibid. a n.* 1. Pirh. *h. t. num.* 5.

QUÆSTIO DCLXXX.

An, qualiter & quando delegatus ab ordinario Judice inferiore subdelegare possit.

1. RESpondetur ad primum. Regulariter loquendo talis delegatus ab alio quam Principe non cognoscente superiorem seu a Judice ordinario v. gr. ut habet Pirh. *h. tit. num.* 21. ab Episcopo, non potest causam sibi delegatam subdelegare, *cap. causam de appell. l. a judice, Cod. de judiciis l. more ff. de jurisdict.* plus enim potestatis non habet delegatus, quam quod ei a delegante vel a Jure conceditur. Jam vero a delegante ei concessa solum facultas exercendi jurisdictionem cognoscendo & expediendo talem causam, non autem committendi eam alteri, cum hæ facultates sint diversæ, & una alteram non inferat. Pirhing *h. tit. num.* 21. Sed neque ullibi in jure id expressum aut ei concessum, sed potius signanter negatum ei; dum enim *cap. causam de appellat.* dicitur: *cum non nisi delegatus a Principe alii valeat delegare:* satis manifeste delegatus ab inferiore exclusus dignoscitur. Dixi regulariter. Limitanda enim est responsio varie, quas limitationes continebunt responsiones sequentes. Hinc

2. Resp. ad secundum primo. Potest tamen id ipsum hic & nunc a tali ordinario delegante concedi expresse delegando ab illo; ut dum in delegatione adjungitur (ut frequenter solet) clausula: *ut per te vel alium:* vel etiam tacite (ut si delegatus sciente & patiente Judice ordinario inferiore subdeleget; hæc enim patientia habetur pro mandato seu præsente ratihabitione per quam jurisdictio confertur. Vel etiam si ex aliis indiciis sufficientibus constet de voluntate ordinarii. Sanchez *de matrim. l. 3. d. 31. num.* 7. Pirhing *hoc tit. num. 23. in fine*) ita cum Glos. *in cap. is cui h. t. in 6. ver. per alium*. Abb. *in c. super quæstionum h. t. §. porro num.* 2. Felin. *ibid. §. si vero num.* 18. Bartol. *in l. more ff. de jurisdictione num.* 12. Sylv. *v. delegatus quæst.* 8. Navar. *in cap. placuit dist. 6. de pœnit. num.* 70. Pirhing *h. t. nu.* 23. & passim tam Theologi quam Jurisconsulti. Quos magno numero citat & sequitur Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 31. num.* 8. Evinciturque hoc ipsum ex eo, quod longe diverso modo hæc facultas subdelegandi concedatur delegato inferioris ordinarii, quam delegato Principis. Huic enim ea conceditur a lege (in tantum tamen ministerio Principis, in quantum eum constituit suum delegatum) & hinc est ordinaria & non delegata, ut Abb. *in cap. pastoralis num.* 3. Pirhing *h. tit. num.* 6. talis enim est omnis jurisdictio, quæ datur a lege *l. & quia ff. de jurisdict.* Adeoque jam delegatus Principis non sui Principis, sed suo proprio subdelegat nomine, & subdelegatus ab eo, non Principis sed delegati sibi subdelegantis nomine exercet jurisdictionem; quæ & propterea non tam est subdelegata quam delegata: quia immediate accepta & habente ad eam dandam jurisdictionem ordinariam, nimirum a lege. Econtra delegato inferioris ordinarii facultas subdelegandi conceditur immediate a delegante, nimirum Ordinario Judice inferiore, & hinc in delegato est delegata, adeoque ab eo non proprio nomine, sed delegantis seu Judicis inferioris ordinarii fit subdelegatio, ita ut subdelegatus jurisdictionem accipiat, non a delegato subdelegante, sed a primo delegante; ad quem propterea etiam, & non ad delegatum est appellandum. Felinus *in cit. cap. pastoralis §. porro num.* 13. Pirhing *h. tit. num.* 23. quemadmodum simile habes in hærede jussu testatoris eligentis unum ex familia Titii ad capiendum fundum legatum. In quo casu non hæres, sed testator censetur legatario conferre beneficium juxta *leg. unum §. si falcidia ff. de legat.* Unde jam etiam facta subdelegatione, exercetur a subdelegato jurisdictio, seu cognoscitur & terminatur causa neque proprio ejus neque proprio delega-

ti,

ti, sed primi delegantis nomine. Hinc jam facile solvuntur, quæ in contrarium objiciuntur a Fachineo, *L. 5. controvers. c.* 45. & Pontio *l. c. c.* 26. *num.* 34. nimirum, quod *c. fin. c. causam, hoc tit. L. a Judice*, dicatur facultatem subdelegandi astrui delegato Principis contra rationem Juris alias non permittentis subdelegationem. Concessa autem contra juris rationem uni trahenda non sint in consequentiam seu ad alios juxta *regulam, quæ a jure de Reg. Jur. in* 6. & *Reg. quod contra ff. eod.* Item quod juxta *L.* 1. *ff. de off. ejus, cui mandata*, quæ a lege vel Senatusconsulto, vel constitutione Principis certis Magistratibus specialiter & in privilegium (uti Judicibus ordinariis conceditur illa potestas subdelegandi. *L. more, ff. de jurisdict.*) conceduntur, ex ab illis Magistratibus non possint transferri in alios. Nam aliud hæc non evincunt, quam quod Judex ordinarius inferior non possit in delegatum suum transferre potestatem subdelegandi, ita ut hic delegatus suo deinceps nomine & jure (uti potest delegatus Principis) possit facere subdelegationem; cum hic delegatus nullam jurisdictionem ordinariam seu propriam habeat, adeoque neque suo nomine transferre jurisdictionem in alium; sed solum id facere possit ex voluntate, jussione vel permissione jureque ipsius ordinarii delegantis. Ita Abb. *in c. cum Bertold. de sentent. & re judic. num.* 23. Sanch. *loc. cit. num* 8. Pirh. *h. t. num.* 24. Wiestner. *h. t. num.* 24. Argum. *L.* 1. *ff. de off. ejus, cui mandata.* Ad illud vero, quod ab iisdem obmovetur ex *c. adhæc de rescript.* nimirum quod Judex certus & non incertus delegari debeat, dicitur, quod eo ipso quo delegatus ordinarii ex ejus mandato vel permissione subdelegat, seu alteri committit causam, jam per illam subdelegationem seu designationem constituatur Judex certus ab ipso Ordinario, dicta subdelegatione habente se tanquam conditione, cum qua, & sine qua non a Judice ordinario Judex constitueretur. Textu vero illo *c. ad hæc*, aliud non prohibetur, quam delegatio Judicis eligendi arbitrio ejus, a quo impetratum rescriptum; cum is eligere posset sibi faventem & adversæ parti merito suspectum. Ita Felin. *in c. super, §. si vero, h. t. n.* 18. Pirh. *h. t. num* 24. *in fine*.

3. Ex his binis responsionibus infertur, & veluti exemplum dictorum statuitur, quod parochi tanquam ordinarii Judices possunt cooperatoribus suis, quos assumpserunt, generatim delegare potestatem audiendi confessiones suorum parochianorum, eosque absolvendi, per quam delegationem, quia non censentur habere jurisdictionem ordinariam & officium, non possunt subdelegare alteri hanc facultatem sine licentia parochi. Laym. *l.* 5. *Th. Mor. tract.* 6. *c.* 10. *num.* 14. *& de jurisdict. ordin. concl.* 61. Nil tamen vetat, quo minus hanc licentiam subdelegandi cooperatori suo concedere possit Parochus, utpote ordinarius Judex. In quo casu non ipse cooperator suo nomine concedit a se subdelegato hanc facultatem, sed nomine Parochi, sive ipse Parochus mediante illo nudo ministerio cooperatoris sui concedit ab eo designato hanc facultatem & vel sic jurisdictio jam non conceditur ab eo incerto, quia eo ipso, quo cooperator designat seu subdelegat certam illam personam, ei jam competit ea jurisdictio, in tantum improprie subdelegata, in quantum delegatur mediante illo nudo ministerio cooperatoris a Parocho.

4. Resp. ad secundum secundo. Tametsi delegatus ab ordinario inferiore ad unam causam absque hujus concessione hanc causam neque totam neque partem seu Articulum ejus jurisdictionalem (qualis dicitur, ad quem cognitio causæ requiritur, adeoque & personæ Judicis est. V. g. contestatio litis, testium receptio, dum hi nondum approbati, nec formata interrogatoria seu articuli, de quibus sunt examinandi & testaturi. Pirh. *h. t. num.* 27.) committere possit alteri seu subdelegare, potest tamen articulum aliquem non judicialem (qualis dicitur, qui non cognitionem causæ, sed nudum ministerium aliquod vel executionem continet, adeoque etiam ab alio quam Judice expediri potest, etiam die festo. Ut est v. g. investigatio super aliqua exceptione, testium auditio, postquam coram Judice jam recepti sunt & jurarunt, articulique super quibus producuntur, formati, ita ut nihil supersit, nisi ut eorum depositiones annotentur) committere alteri. Sumitur ex *c. super quæstionum h. t. §. nos autem.* Ac ita tenent cum Glos. *fin. in Clem. unic. hoc tit.* Sanch. *loc. cit. num.* 10. Laym. *de jurisdict. Ordin. loc. cit.* Pirh. *hoc tit. n.* 27. Reiffenst. *hoc tit. num.* 65. Wiestner. *num.* 25. Porro talis commissarius ad articulum etiam unum jurisdictionalem, utpote Judex delegatus, uti & in genere Judex differt ab executore seu auditore in eo, quod detur principaliter ad exequendum, etsi etiam quandoque accessorie cognoscere debeat, in quo casu est executor mixtus, & non merus, cui sola executio causæ jam plene cognitæ & decisæ committitur. Ita cum Gl. *in c. pastoralis, §. quia vero h. t.* Pirh. *cit. nu.* 27. *in fine*, qui etiam *num. seq.* utiliter pro praxi deducit sequentia. Primo, delegatum ab Episcopo, idem subdelegatum a delegato Papæ ad absolvendum aliquem a censura excommunicationis, ubi post cognitam causam excommunicationis sibi commissam pronunciavit, reum esse absolvendum, posse ipsum nudum ministerium absolutionis tam in foro interno quam externo committere cuivis alteri Sacerdoti. Citat pro hoc Laym. *de jurisdict. Ordin. conclus.* 62. Secundo commissione ab Episcopo ejusve Vicario generali facta alicui Sacerdoti, ut receptis testibus & informatione de habilitate duarum personarum cupientium inire matrimonium eas conjungat, non posse quidem hunc Sacerdotem delegatum alteri subdelegare receptionem testium, posse tamen ea facta & accepta informatione, alteri Sacerdoti, ut matrimonio illorum assistat illosque conjungat; quia non est actus jurisdictionis alicujus sed nudum ministerium. Citat pro hoc Sanch. *ubi ante, num.* 20. & subjungit citato Laym. *ubi ante.* Quod tamen ut valide fiat, requiri ut Ordinarius quicunque Sacerdoti illi delegato expresse commiserit, ut si ipsemet assistere nolit aut nequeat, alium quemcunque Sacerdotem substituat; eo quod tunc, & non alias Sacerdos ille substitutus seu subdelegatus assistat cum licentia Ordinarii, prout requiritur ad valorem matrimonii a Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. mat.* & quidem expressa, prout quoque requiri, ait ex Menoch. *de arb. cas.* 453. *num.* 14. Tertio confessarios regulares & privilegiatos non posse facultatem absolvendi a reservatis, & dispensandi in votis, vel ea commutandi, committere seu subdelegare alteri: probabiliter tamen posse eos ex justa causa, V. g. ob multitudinem confitentium commutare etiam votum in alia opera ab aliquo viro docto designanda. Citat pro hoc Laym. *ubi ante.* Qui tamen monet, hujusmodi facultates, quippe parum usitatas in Ecclesia, non nisi raro & ob aliquam necessitatem usurpandas.

5. Resp. ad tertium. Tunc posse delegatum ab Ordinario inferiore subdelegare (non quidem universitatem causarum, sive universam jurisdictionem sibi demandatam; quia universim nullus Judex, etiam ordinarius, potest totum officium sibi commissum alteri delegare seu committere sine Juris vel Principis licentia. Glos. *in c. cum causam, de appellat. vers. delegatus.* Molin. *de Justit. tract.* 5. *disp.* 15. *num.* 4. Sanch. *de mat. disp.* 31. *num.* 3. Pirh. *h. t. num.* 22. Wiestner. *nu.* 21.) Sed ad unam alteramve causam (intellige sine ulteriore seu alia delegantis licentia seu permissione) quando ipse a Judice Ordinario inferiore (de licentia nimirum Principis aut Juris, qualiter ex hujus dispositione ab Episcopo committi potest alteri tota ejus jurisdictio, ut Wiestner. *l. c.* & alii) ad universitatem causarum omnium omnino, vel saltem certi generis. V. g. matrimonialium, talem enim quoque posse vocari delegatum simpliciter ad universitatem causarum, diximus supra. Ita Gl. communiter recepta *in L. Legatus, vers. Legatus, ff. de off. procons.* & Gl. *in L. ult. ff. de off. ejus, cui mand. v. neminem posse*, & Gl. *in cit. c. cum causam, v. delegatus, in fine*, præter Molin. Sanch. Pirh. Host. *in cit. c. cum causam, n.* 3. Barbosa *ibid. n.* 5. & ut testatur Bartol. *in L. more, ff. de jurisdict. num.* 11. DD. communiter. Quorum consensu & universali consuetudine magis quam textibus Juris niti hanc responsionem cum Pet. Barbos. *in L. cum Prætor. §.* 1. *ff. de Judiciis, n.* 281. & Pont. *cit. c.* 26. *num.* 12. ait Wiestner. *h. t. num.* 20. Probari tamen ea solet ex eo, quod licet delegatus ad universitatem non sit vere ac proprie Ordinarius; quia jurisdictionem suam non habet proprie seu a lege vi proprii officii, sed beneficio alieno. Jason. *in L. more num.* 19. Quia tamen jurisdictionem universalem habet, & tanquam Judex ordinarie adiri potest, censetur seu videtur Ordinarius. Fagn. *in c. cum causam num.* 4. & alii passim cum Glos. *ibid. vers. delegatus*, & æquiparatur Ordinario, ut Gl. *in L. ult. C. de Judiciis, v. cum specialis.* Bartol. *in L. more, num.* 5. Alex. *l.* 6. *cons.* 12. *num.* 4. Marant. *part.* 4. *specul. dist.* 5. *num.* 55. Neque his obstat, quod cooperatores parochorum ab iis assumpti ad audiendas confessiones parochianorum, adeoque delegatorum ab iis ad universitatem, facultatem hanc suam, etiam ad facultatem unam subdelegare nequeant. Idem est, & quidem a potiore, quod Regulares mendicantes obtinentes facultatem absolvendi omnes fideles a peccatis, privilegiumque non tantum absolvendi a censuris, sed etiam dispensandi in votis, eaque commutandi, adeoque etiam ad universitatem delegati, & quidem a supremo principe, nempe Papa, ne quidem quo ad unam causam, seu in casu aliquo particulari subdelegare possint. Nam præterquam quod hujusmodi delegatis, etsi ad universitatem, pro foro interno illa subdelegandi facultas neque in Jure ejusve interpretatione, neque in communi consensu DD. neque in consuetudine, sicut delegatis ad universitatem pro foro externo sit fundata; non competit illis vi privilegiorum Apostolicorum aut dictæ assumptionis, seu non conceditur

illa delegatio ad universitatem causarum ratione officii ordinarii, vel quasi ordinarii, quod ratione delegatinnis habere videantur, ut propterea Ordinariis quodammodn æquipareotur; sed veluti simplex & merus jurisdictionis usus in ordine nd absolvendum &c. Delegatus autem ad universitatem causarum non potest subdelegare, nisi ratione factæ sibi delegatinnis censeatur veluti officium habere, cum æquiparetur Ordinario. Ita Pirh. *hoc tit. num.* 25. Laym. *Theol. Moral. tr.* 6. *c.* 10. *num.* 14. *& de jurisdict. Ord. concl.* 61. Wiestner. *h. t. n.* 22. citans iosuper Castrop. *tr.* 13. *d. unic. p.* 13. *num.* 16. Verum nec hoc ipsum videtur carere difficultate, dum hac ratione datur pro ratione disparitatis quo ad hoc punctum inter regulares, cooperatores Parochorum & similes delegatos ad universitatem causarum pro foro interno, & inter alios delegatos ad universitatem causarum prn forn externo & civili, quod est in quæstinne & controversia. Quæritur enim, cur non æque dictis illis delegatis io foro interno vi delegationis illis factæ ad illam universitatem concedatur quasi officium, & evadant seu constituantor quasi Ordinarii, iis æquiparentur, quam delegatis illis ratinne iis factæ delegationis ad uoiversitatem causarum pro foro externo. Neque enim hi antecedenter habent aliquid officii aut jurisdictinnis, sed qnidquid habent, acquirunt præcise & exercite vi dictæ iis factæ delegationis. Unde potius recurrendum videtur ad primam probationis partem, totaque ratio disparitatis refundenda in commonem cnnsensum DD. & consuetudinem potius his quam illis tribuentem potestatem subdelegandi pro casu aliquo particulari.

QUÆSTIO DCLXXXI.

An quid speciale in hoc puncto subdelegationis dicendum de delegatis ab Episcopo, ejus Vicario generali, aut etiam Legato seu Nuncio Apostolico.

1. RESP. ad primum & secundum; ne quidem delegatum ab Episcopo ad certam causam, præscindendo ab Episcopi concessione expressa vel tacita, eandem subdelegare posse alteri, dictum est ex Pirh. *resp.* 1. *ad quæst. prnced.* fundaturque in generali principio; quia est delegatus Ordinarii inferinris, qualis est Episcopus respectu Papæ. Posse tamen delegatom ab eodem ad uoiversitatem causarum (saltem prn foro externo) v. g. constitutum ab eo Vicarium foraneum seu Decanum ruralem in certa parte diœceseos subdelegare unam alteramve causam, sequitur ex dictis *respons.* 3. *ad quæst. præced.* & ita expresse de tali Decano Pirh. *h. t. num.* 22. Idem est de delegato Vicarii generalia Episcopi.

2. Resp. ad tertium. Pari modo de delegatis Legati etiam de latere Sedis Apostolicæ loquendum; oimirum eos delegatos ad causam unam eam subdelegare noo posse citra dictam Nuncii concessionem, tenent probabilius & passim cum communi, præsertim Recentiorum, Pet. Barbos. *in L. cum prætor.* §. 1. *de Judiciis*, *num.* 122. Gonz. *in c. si pro debilitate*, *h. t. num.* 17. Pirh. *h. t. num.* 22. *in fine*. Wiestner. *num.* 18. cootra Abb. *in c. cum Bertold. de sentent. & re judic. num.* 22. Pelio. *in c. super quæstionum*, *h. t. num.* 18. *&c.* Par enim cootra hos militat ratio assignata *respons.* 2. *ad quæst. præced.* Tametsi enim istiusmodi Legatus Papæ in prnvincia sua sit major nmnibus post Papam, est tameo Ordinarius inferior Principe; adeoque exinde, ut volunt, adversarii, non sequitur, delegatum Legati esse quasi delegatum Papæ; qualis si esset, utiqoe jam, etsi non nisi ad unam causam delegatus, hanc subdelegare posset secondom dicta supta. Sed neque obstant textus Juris ab adversariis pro se allegari soliti. Non primum *c. cum Bertold.* ubi delegati ab Archiepiscopo Rhemensi Legato Papæ de latere memorantur vices suas subdelegasse aliis. Nam, ut eum Barbos. Gonz. &c. passim AA. ibi inlum refertur illa delegatorum ab Archiepiscopo Rhemeosi facta sobdelegatio, non autem approbatur; cum de ejus valore aut etiam nullitate oulla ibi fiat mentio, & tota Papæ decisio respicit sententiam ab Ordinario latam. Non secundo *c. Legatis*, *de off. Legati in* 6. Ubi Legatus de latere æquiparatur proconsuli, proconsulis auteni Legato seu delegato competit dare Judicem, hoc est, facultas subdelegandi juxta *L. Legatos ff. de off. procons.* & *L. cum prætor.* §. 1. *ff. de judiciis*. Nam volunt alii, ut Alciat. *in rub. de off. ord. in* 6. Cujacius *l.* 7. *observat. c.* 21. talem proconsulis Legatom esse Judicem ordinarium. Alii, ut Donello *Comment. l.* 17. *c.* 23. Pont. *cit. c.* 26. *num.* 12. cum Gl. *in cit. c. legatos solut.* 3. esse Judicem delegatum, carere tamen potestate sobdelegandi. Cum quibus sentit Pirh. *h. t. num.* 22. ubi: olim delegatus Proconsulis subdelegare poterat unam vel alteram causam tanquam delegatur ad universitatem causarum. Quodsi una tantum ipsi commissa fuit causa a proconsule, oon poterat eam subdelegare; quia tunc non erat delegatus ad universitatem causarum. Alii ut Zoes. *h. t. num.* 6. volunt, illum quidem delegatum esse proconsulis, & habere potestatem subdelegandi, sed non recte argui a legato proconsulis ad Legatus Papæ, ùum *cit. c. legatos*. Legatus Papæ æquiparetur Legato proconsulis solum in hoc, quod sicut is io regeoda sua provincia ita & ille reputetur Ordinarius, non vero etiam quo ad cætera omnia.

QUÆSTIO DCLXXXII.

Qui possint esse Judices delegati, seu quibus fieri possit delegatio.

1. RESP. primo io genere. Omnes & soli possunt esse Judices delegati, qui vel natura, vel lege vel moribus non prohibentur. Ita communiter cum Hostiens. *in sum. hoc t. num.* 3. qoi etiam speciatim magis & positive illos exprimit his versiculis:

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama;
Ætas, qui subsit, committitur huic bene causa. Hine

2. Resp. secundn io specie. Prohibentur primo esse Judices delegati natura, seu ob defectum naturæ surdi, muti, & perpetuo amentes, infantes; quin & impuberes, quia hi judicio & discretione carent, aut carere censentur *c.* 1. §. *tria cauf.* 3. *quæst.* 7. *L. cum Prætor.* §. 2. *v. natura ff. de Judic.* Ita etiam, ut Princeps impuberem minorem 14. annis habilitare ad id non possit delegando illi causam dijudicandam; cum tollere nequeat inidoneitatem fundatam io natura rei (ut hic io immaturitate judicii) sive immutare jura naturalia *§. sed naturalia institut. de jure natur. gent. & civil.* Sive quæ omnium gentium sunt communia. Huc quoque spectaot ignari seu carentes penitus scientia ad muous Judicis delegati exequendum.

3. Secundo lege vel Canone. Quales sont primo minores 20. anois, seu qui 20. anoum needum compleverunt *cap. cum vicesimum hoc tit.* ubi: *cum vicesimum annum peregeric, dari potuisse in ætate hujusmodi delegatus. Cæterum infra eandem ætatem (nisi partes scienter consenserint in eum, qui annum 18. transcendisset) facta delegatio ab alio quam a Principe* (intellige ex certa scientia, sive non ignorante Principe, quod sit minor 20. annis; eo quod tunc Princeps in ea ætate ceoseatur dispeosare *l. quidam ff. de re Judic.* Gloss. communiter recept. *in l. cum Prætor. v. & impubes*) *non teneret.* Tametsi partibus consentientibus is, qui annum 18. excessit (etiam ab ioferiore seu noo Principe, ut Pirh. *h. t. num.* 30.) dari possit Judex delegatus, non potest tameo a partibus constitui compromissarius. *L. cum lege ff. de recept. qui arbitrium.* Cur autem major requiratur in compromissario seu arbitro ætas quam in delegato, hæc est ratio; quod ad declinandum judicium Judicis delegati sint plura remedia. V. g. recusatio illius tanquam suspecti, appellatio ab eodem. Cum e contra arbitrium compromissariorum, utpote in quod & quos spoote partes consenserunt, & ad ei standum se obligarunt, recusari, aut ab eo appellari nequeat. Gloss. *fin. cap. cum vicesimum.* Abb. *in cap. suspicionis hoc tit. num.* 7. Pirh. *hoc tit. num.* 31. Wiestner. *num.* 28. Porro minor annis 25. modo 20. annum compleverit, esse potest Judex delegatus, ita ut ratione solum ætatis a partibus recusari nequeat. Pirh. *l. cit.* Argum. *cit. cap. cum vicesimum.* Nno tameo, ut idem cum Abb. *in idem cap. num.* 5. tenetur minor 25. annis delegationem acceptare. Si tamen acceptavit, tenetur senteotiam, uti & arbitrium suum proferre, ita tamen, ut si ex imprudeoti acceptatione delegationis sit læsus, possit petere restitutionem in integrum. Secundo infames, utpote qui a legitimis actibus repelluntur. *cap. licet §. nec tamen de testib.* Et senatu moti juxta *l. cum prætor. & cit. can.* 2. Tertio excommunicatus; cum is de jure non sit capax jurisdictioois. Suot & alii, qui lege vel canone excluduotur, vel de quibus dubitari potest, oum excludantur, de quibus mox specialibus quæstionibus.

4. Tertin moribus seu consuetudine exeluduntur fœminæ & servi, non quia judicium & discretinoem non habeat, sed quia usu receptum est, ut officiis civilibus & publicis oon fungantur *cit. c.* 5. & *l. cum Prætor.*

QUÆ-

QUÆSTIO DCLXXXIII.

Num irregularis esse possit delegatus etiam in causis Ecclesiasticis.

RESp. Affirmative cum Garc. *de benef. part.* 5. *c.* 8. *n.* 7. Ugolin. *de irregul. c.* 65. *§.* 4. *num.* 2. & aliis. Et sic, ut Garcias, videmus, aliquando causas Ecclesiasticas committi clericis primæ tonsuræ, qui fuerunt Judices sæculares, & condemnarunt aliquos ad mortem, quæ executa fuit. Sic quoque, ut idem Garc. contra Ferret. *cons.* 8. *n.* 1. Felin. &c. irregularem, etiam ex homicidio, qui ante vel post irregularitatem factus fuit clericus, posse constitui & manere Vicarium Episcopi (de quo vide me ex professo agentem *in Vicar. Ep. quæst.* 46.) Eo quod per irregularitatem privilegia clericalia non amittat, excepta irregularitate bigamiæ defendit Garcias *loc. cit.* Cujus ulterior ratio est, quod irregularitas impediat actum Ordinis, non jurisdictionis, ut docui cum communi *in Foro benef. part.* 2. *quæst.* 278. quæ vide. Sic expresse Ugolin. *loc. cit.* ait: irregularis, si jurisdictionem aliquam Ecclesiasticam habeat, exercere eam potest, modo Ordinis functiones non exerceat. Quod ipsum procedere ait Garc. non tantum, quando commissio facta ante irregularitatem incursam, ex qua non amittitur vel ligatur jurisdictio ante commissa. Suar. *Tom.* 5. *disp.* 40. *s.* 2. *num.* 28. Sed etiam, quando commissio seu delegatio facta est post irregularitatem incursam, etiam facta clerico irregulari est valida. Suar. *loc. cit. n.* 4. excepto casu de clerico conjugato seu bigamo. Nam in illo non solum commissio seu delegatio facta post matrimonium seu bigamiam contractum non valet, sed etiam jurisdictio ante commissa amittitur ipso facto, *c.* 1. *de cler. conjug. & bigamis in* 6. ita fere Garc. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCLXXXIV.

An & qualiter laicus esse possit delegatus in causis Ecclesiasticis vel Ecclesiasticorum seu clericorum.

1. RESp. primo. De jure Laico causæ spirituales vel Ecclesiasticæ, quales sunt Decimarum (in quarum tamen causa qualiter laicus esse possit Judex competens, vide me *in Foro benef. part.* 1. *quæst.* 497.) Juris patronatus (de quo tamen qualiter cognoscere possit Judex laicus, vide apud me, *loc. cit. part.* 2. *qu.* 26.) matrimoniales, beneficiales & similes, in quibus de spirituali aut huic annexo controversia vel reus est clericus, conventus regularis, Ecclesiæ &c. delegari nequeunt, ut cum Host. *in sum. hoc tit. num.* 3. & communi Pirh. *h. t. num.* 34. nequidem a delegato Papæ, ut Idem. Argum. *c. cum in hoc tit.* juncta Gl. *vers. a personis Ecclesiasticis*. Laici siquidem negotia Ecclesiastica tractare non debent *c.* 2. *de Judic.* ubi: *Laici Ecclesiastica negotia tractare non præsumant, sed Episcopi Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis, maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum judicio* (id est, sententia: posse enim eos disponere de eorum consilio, dicetur paulo post) *non disponant*. Sed neque de jure jurisdictionis spiritualis, qualem istiusmodi causarum pertractatio requirit, capaces sunt. Quin ne quidem in laicos in rebus spiritualibus compromitti potest (intellige tamen cum limitatione paulo post subjungenda) quia non decet in talibus laicos arbitrari. Pirh. *l. c.* juxta *c. contingit, de arbitr.* Cum tamen longe majus sit judicare seu esse Judicem, quam arbitrari seu esse arbitrum, utpote quod fieri potest absque exercitio jurisdictionis. Sed neque obstat, quod laici esse possint consiliarii Ecclesiastici, & accedente Episcopi vel alterius Prælati Ecclesiastici consensu in eos simul cum Ecclesiasticis compromitti *c. per tuas de arbit.* quia non sunt illi actus jurisdictionis spiritualis vel Ecclesiasticæ, adeoque inde non sequitur, posse esse laicum una cum clericis Judicem delegatum in talibus causis. Molin. *tract.* 5. *de Just. disp.* 31. *num.* 10. Clar. *l.* 5. *sent. §. fin. q.* 41. *num.* 6. Pirh. *hoc tit. num.* 34. cum Gl. *in c. contingit vers. spiritualibus*, & Abb. *ibid. num.* 4. Dixi de jure, vel etiam ab Episcopo aliove Prælato Papa inferiore. De cætero namque posse Papam ex certa scientia & plenitudine potestatis suæ causas spirituales committere & delegare laico, cum communi tenent Host. *loc. cit.* Covar. *in c. alma mater. p.* 1. *§.* 11. *num.* 3. Nav. *in man. c.* 27. *num.* 6. Pirh. *hoc tit. n.* 34. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 1. *quæst.* 32. *num.* 14. citans Clarum, *in Lovren. Jus Can. Lib. I.* *pr. crim. §. fin. quæst.* 41. & Gloss. *in c. bene quidem, dist.* 98. *vers. præter Romanum*. Quin etiam pure laicum ex concessione Papæ posse esse Vicarium Episcopi generalem, dixi *in Vicar. Ep. quæst.* 37. *num.* 2. cum Sbroz. *loc. cit. num.* 13. Pax jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 101. Gemin. *in cap.* 2. *de præbend. in* 6. Bertach. *tract. de Ep. num.* 13. *&c.* testaturque Paul. a Castro. 220. se conjugatum ex decreto Martini V. Papæ tunc Florentiæ præsentis fuisse ibidem Vicarium in spiritualibus.

2. Resp. secundo. Possunt Prælati Ecclesiastici causas clericorum & Ecclesiarum mere civiles, ut pecuniarias & similes delegare laicis; cum etiam eæ subjici jurisdictioni sæculari ordinariæ non prohibeantur. Gl. *in c. decernimus, de Judic. vers. præsumant*. Abb. *ibidem num.* 5. Laym. *num.* 3. Barbos. *num.* 7. Pirh. *cit. num.* 34. Non tamen criminales Abb. *loc. cit.* cum communi apud Jul. Clar. *loc. cit.* Quin etiam pure laicum assumi posse ab Episcopo in Vicarium in temporalibus tantum; quia talis Vicarius gerit vices in jurisdictione seu administratione sæculari & temporali, cujus capax est laicus, dixi *in Vicar. Ep. quæst.* 41. citatis Pax jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 102. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 1. *quæst.* 31. *n.* 11. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num.* 31. *&c.* Posse etiam laicum ministerialiter tractare negotia Ecclesiastica, contra Abb. *in cit. c. decernimus*, tradit Paris. *de resign. l.* 9. *quæst.* 3. *n.* 20. Et sic in causis & negotiis Ecclesiasticis, dum ei nudum mandatur ministerium, alienoque nomine agit & defendit, nullumque in eo jus radicatur, constitui posse & esse procuratorem, tradunt præter Paris. *loc. cit.* Laym. *in c. non indiscrete, de procurator. in* 6. *num.* 1. Bartol. *in L. quod possessio, §. etsi possessio, ff. de acquirend. possess.* Quin & quoties, non quæstio juris, sed facti tantum controvertitur in causis spiritualibus seu Ecclesiasticis, laicum posse cognoscere, tradit idem Paris. *loc. cit. num.* 14. citatis pluribus. Idem esse posse executorem testamenti ad pias causas, tradit idem *ibid.* citato Baldo & Decio *in cit. c. decernimus*.

QUÆSTIO DCLXXXV.

An & qualiter Judex Ordinarius delegare possit non subdito suo.

RESp. Potest causam ad suam jurisdictionem spectantem delegare non subdito suo, seu illi, qui jurisdictioni suæ subjectus non est. L. *unic. Cod. qui pro sua jurisdict.* juncta Gl. *ibid. vers. resedissent*, & AA. communiter. Cogere tamen nequit non subditum ad acceptandam delegationem. Molin. *loc. cit. disp.* 16. *num.* 1. Pirh. *hoc tit. num.* 35. cum communi. Quia uti extra territorium jus dicenti, *c. fin. de constitut. in* 6. Ita & præcipienti non subdito impune non paretur. *L. eum qui, ff. de jurisdict.* juncta Gl. *vers. Magistratum*. Ubi tamen non subditus delegationem semel acceptavit, jam etiam a delegante cogi potest, ut in causa commissa procedat, eamque cognoscat ac finiat. Molin. Pirh. *LL. cit.* Argum. *c. pastoralis, de off. Jud. Ordinar.* Sic Metropolitanus potest causam ad se per appellationem devolutam committere subdito suffraganei sui, non tamen dictum subditum compellere ad delegationem suscipiendam; bene tamen suffraganeo suo mandare, ut is subditum suum ad id compellat. Pirh. *loc. cit.* cum Gloss. *in cit. c. pastoralis, vers. nullam habeant potestatem*. Potest tamen delegans regulariter loquendo compellere subditum suum ad delegationem acceptandam, ne alioqui inutilis esset jurisdictio & potestas delegandi competens Judici Ordinario. Atque ita delegatus Papæ omnes Christianos, utpote subjectos Papæ, cujus vices gerit; item delegatus alterius Principis superiorem non recognoscentis omnes eidem Principi subjectos ad id compellere potest, *c. pastoralis, h. t.* Quod si tamen etiam subditus sine gravi suo incommodo aut magno rerum suarum dispendio delegationem expedire nequiret, non posse eum ad illam suscipiendam jure cogi, aut etiam delegantem, etsi is esset ipse Princeps supremus, eum cogere velle, nisi id clare exprimat, habet communis cum Gl. *in c. prudentiam §. adjicimus, vers. cum possis, h. t.* Quin & superiores præsertim in dignitate constituti non ita facile compellendi extra casum necessitatis. Et si eos compelli exigat necessitas, dignitatis habenda ratio, & in adhibendis censuris moderate & gradatim procedendum, *cap. pastoralis*, & *ibi* Gl. *vers. superioribus*. Abb. *num.* 4. Laym. *num.* 4.

QUÆSTIO DCLXXXVI.

An & qualiter ad delegandum in delegato requiratur dignitas.

a. RESp. primo. Delegatus Sedis Apostolicæ & Legatorum ejus de jure constitutus esse debet in dignitate aliqua ecclesiastica, vel obtinere personatum, aut Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis; ita ut, si secus fiat, delegatio & processus inde secutus sit ipso jure nullus, etiam nulla interveniente exceptione partis, ut constat ex *c. statutum, de rescrip. in 6.* ubi etiam *§. in nullo*, juncta Gl. *v. designatis superius*. Idem habetur de ejusdem Sedis subdelegato, ita ut delegatus a Papa nulli subdelegare possit nisi habenti dictam qualitatem. Dixi *de jure*, absolute enim causæ ecclesiasticæ a Papa delegari possunt & censentur simplici clerico, non tantum, si dictæ constitutioni expresse deroget, sed etiam dum exercite causam simplici clerico, eum ita nominando, ex certa scientia committit. Argum. *c. cum olim, de privileg.* notantque cum Gl. *in cit. c. statutum, v. literarum*. Laym. *num. 8. in fine*. Barbos. *num.* 30. Sic quoque ab ipsia delegatis Papæ subdelegari possunt idoneæ personæ, etsi dignitatem aut Canonicatum Cathedralem non habeant causæ extrajudiciales, dum mera executio sine causæ cognitione annexaque jurisdictione committitur. V. g. Ut conferatur alicui beneficium, provisus mittatur in possessionem nemine se opponente. Vel articulus aliquis non jurisdictionalis, sed nudum ministerium. V. gr. receptio testium jam approbatorum, ita cum Gloss. *in c. statutum, v. causa*, & *ibid. in §. in nullo, v. vices suas*, Pirh. *h. t. num.* 33. Hanc hujus rationem subjiciens: quod a jure antiquo, quo ut constat ea *c. cum in veteri de elect.* (ubi causa faciendæ electionis, quæ est extrajudicialia, delegata fuit simplici religioso) non requirebantur in delegatis Sedis Apostolicæ dictæ qualitates ad tales causas extrajudiciales, quæ sine tali cognitione expediri possunt, non sit recedendum; cum de iis jure novo nihil immutatum reperiatur, & correctio juris antiqui vitanda sit, & non præsumenda juxta *c. cum expediat, de electione*. Sic itaque in specie delegati Sedis Apostolicæ, etiam quo ad causas judiciales, & non continentes nudum ministerium esse possunt Vicarius Episcopi generalis in spiritualibus; quia, ut fuse & ex professo ostendi *in Vicar. Ep. quæst.* 57. est in dignitate constitutus; multoque magis subdelegatus, ut dum Episcopus ei, quæ non ut Ordinarius, sed ut specialis delegatus Sedis Apostolicæ agere potest, ei specialiter committere potest. Laym. *in c. ult. de offic. Vicar. num.* 11. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 2. *quæst.* 34. *n.* 3. Fagn. *in c. quoniam hoc tit. num.* 9. Ego *in Vicar. Ep. qu.* 150. *num.* 4. Non tamen Vicarius non generalis, sed tantum expresse constitutus. V. g. pro civitate Episcopali. Garc. *de benef. par.* 5. *c.* 8. *num.* 36. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num.* 7. Ego, *loc. cit. quæst.* 8. *num.* 1. aut etiam Vicarius foraneus; quia nec hic, ut dixi *ibidem quæst.* 57. *num.* 2. citatis pluribus dignitatem habet. Seu deputatus pro certo districtu diœcesis, vel etiam qui Consistorio Episcopali præest in certis tantum causis v. g. matrimonialibus. Pirh. *loc. cit.* citans Laym. *de jurisd. ordinar. concl.* 92. Idem est de Decanis ruralibus; multoque minus Vicarius Episcopi in temporalibus tantum esse potest delegatus seu Judex Apostolicus. Pirh. *loc. cit.* Secundo Vicarius Capituli Sede vacante; cum non minus quam Vicarius Episcopi sit dignitas. Sbroz. *de offic. Vicar. l.* 3. *quæst.* 23. *num.* 3. citans Pavin. *part.* 2. *quæst.* 10. *num.* 6. Gl. *in Clem. etsi principalis, de rescrip. vers. Episcopi*, & *ibi* Abb. *num.* 1. Garc. *part.* 6. *c.* 2. *num.* 42. ubi etiam, quod in Hispania soleant Nuncii causas delegare officiali Capituli Sede vacante. Vide me *in Vicar. Ep. quæst.* 586. Tertio Coadjutor constituti in dignitate aut Canonici Cathedralis secundum Castrop. *tract.* 13. *disp.* 5. *p.* 10. *num.* 33. Acosta de Andrada *ad Bullam cruciat. quæst.* 75. Eu quod licet coadjutores non sint Canonici & dignitates proprie, habeant tamen omnes præeminentias, prærogativas & honores, qui Canonicis & dignitatibus conceduntur, & fictione juris sint Canonici & dignitates. Negant tamen, & forte probabilius. Barbos. *Jur. eccles. l.* 3. *c.* 10. *num.* 81. Garc. *in addit. ad num.* 88. *c.* 5. *part.* 4. Quia simpliciter non habent qualitates requisitas vi *c. statutum* ad talem delegationem. Quarto Canonicus seu professus Ecclesiæ Cathedralis regularis; cum status Religionis tali delegationi non repugnet (unde etiam Canonicus Cathedralis, coi facta delegatio a Papa ingressus religionem eam cum licentia sui Prælati cognoscere & expedire potest. Pirh. *hoc tit. num.* 32.) præsertim, cum hic agatur non de re odiosa sed favorabili, ut mandatum Papæ facilius detur executioni. Ita cum Abb. *in c. causam de Judic. num.* 9. Sanch. *l.* 6. *moral. c.* 53. *n.* 83. Pirh. *hoc tit. num.* 32. contra Jo. And. Franc. quibus adhærere videtur Wiestner. *hoc tit. num.* 32. Dum signanter ait, non posse delegari a Papa ejusque Legatis, nisi in dignitate ecclesiastica constituris, vel sint Canonici Ecclesiæ Cathedralis sæcularis. Quinto Canonicus Cathedralis, etsi præbendam non habeat; quia non præbenda, sed Canonia, seu jus spirituale officii facit Canonicum. Pirh. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. statutum, vers. canonicum*. Argum. *c. si is cui, de præb. in* 6. Sexto Prior conventualis. *Clem. etsi principalis, de rescrip.* quo nomine *ibidem* comprehenduntur Priores mendicantium, Guardiani Minorum; cum & hi prælaturam gerant, & sint in dignitate ecclesiastica. Gl. *in c. nullus, de elect. in* 6. *v. prælaturam*. Felin. *in c. cum olim, de major. & obed. num.* 5. Sperell. *in decis. fori eccles. dec.* 167. *num.* 14. Barb. *de off. Episc. p.* 3. *alleg.* 106. *num.* 15. Pignat. *Tom.* 3. *cons.* 24. quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. num.* 70. Non tamen prior claustralis, ut dicitur cit. Clem. etsi principalis.

2. Resp. secundo. Delegatus tamen Episcopi alteriusve Ordinarii inferioris potest esse simplex clericus. Gloss. *in c. statutum, vers. Sedes Apostol.* Cardin. *in cit. Clem. etsi principal. quæst.* 16. & 18. Anchar. *num.* 8. Pirh. *h. t. num.* 33. cum communi. Quin & simplex Religiosus cum licentia sui Prælati. Gl. cit. & AA. iidem. Sanch. *loc. cit. num.* 77. Ratio hujus diversitas a cit. Gloss. *vers. committuntur*, assignatur, tum reverentia Sedis Apostolicæ, ne hæc in ministro & delegato suo ejus vices gerente, dum is persona est non in dignitate constituta, vilipendatur. Tum quod Papa clericorum procul degentium qualitates seu idoneitatem ad talia negotia pertractanda non ita perspectas habens ac proprii eorum Episcopi aliique Prælati immediati, necesse habeat delegationes facere ex præsumptione, adeoque iis solum deleget, quibus dignitas, qua præ aliis conspicui sunt, præsumptionem quoque scientiæ & idoneitatis supra alios conciliat. Quæ tamen præsumptio, quia quandoque fallitur, dum obtinentes dignitatem, personatum, Canonicatum, Cathedralem sæpe scientia ac peritia ad causarum cognitionem necessaria destitutos esse compertum est. Pro majore cautela Trid. *sess.* 25. *c.* 10. *de reform.* Salubriter statuit & jubet, ut in Synodis provincialibus aut diæcesanis personæ aliquot (intellige in dignitate constitutæ) ad minimum quatuor pro singulis diæcesibus designentur, quibus præter Ordinarios locorum, utpote qualitatibus ad hoc requisitis notorie instructis, a Sede Apostolica ejusque Legatis istiusmodi causæ tuto committi seu delegari possint.

QUÆSTIO DCLXXXVII.

An pluribus eadem causa delegari possit, & quomodo tunc procedendum ab iis.

a. RESp. ad primum. Possunt plures simul Judices delegari ad eandem causam; ita ut singuli eorum habeant, vel non habeant jurisdictionem in solidum; ioque sub variis clausulis. Dum duo vel plures delegati, aut executores dati a Papa aliove potestatem delegandi habente sub his aut similibus formis: *ut omnes aut duo, vel unus eorum procedat aut mandatum exequatur: ut quilibet eorum in solidum & per se judicare & exequi possit: vel ut alter alterum non teneatur expectare vel requirere; adeoque ut omnes aut plures conjunctim vel singuli divisim seu separatim procedere possint*; tunc in solidum censentur constituti, & habere jurisdictionem in solidum. Prout habetur *in c. complures, hoc tit. in* 6. Si autem ex tenore rescripti delegationis similibusve clausulis aliud non constet, singulis seorsim concessam facultatem procedendi, censentur non dati in solidum, *c. causam & L. duo, ff. de Judiciis*. Qualiter etiam censentur dati sub hac forma: *si non omnes interesse vel cognoscere poteritis, tum duo vel reliqui nihilominus procedant & causam exequantur*. Pirh. *hoc tit. n.* 36. Neque his obstat, quod jurisdictio sit res incorporea, adeoque indivisibilis juxta Gl. *in c. prudentiam, vers. tenetur*, & Abb. *ibidem num.* 6. Et consequenter non possit competere pluribus partialiter, sed necesse sit competere illam semper in solidum seu totam indivisibiliter, etsi in rescripto seu forma commissionis non exprimatur. Nam jurisdictio in se indivisibilis, ita ut secundum diversas sui partes pluribus competere nequeat; potest tamen competere ita pluribus, ut penes omnes sit tota, etsi non totaliter, quia nullus eorum potest eam solus exercere; sicut etiam, etsi in se dividi nequeat, potest tamen dividi per accidens in Ordine ad exercitium quo ad diversa tempora & loca. Ubi etiam illud notandum, quod jurisdictio similisque potestas competere

tere possit pluribus ut Collegio seu Universitati, & tunc exercitium non sit penes singulos, sed penes totum collegium, adeoque requiritur, ut decretum feratur a majore parte collegii. Aliquando vero competat pluribus non collegialiter, sed ut singulis; & tunc interdum competit illis in solidum, ita ut singuli sine aliis procedere possint; ut si plures Judices ordinarii ad unum officium deputati, interdum tamen, etiamsi singulis competat in solidum, unus tamen non possit procedere sine alio. V. gr. plures hæredes ante divisionem bonorum singuli in solidum habent jurisdictionem in oppida & castra; unus tamen sine alio exercere nequit jurisdictionem statuendo vel immutando aliquid cum incommodo alterius. Abb. *in c. prudentiam*, *n.* 52 vide de hac re Pirh. *h. t. n.* 46.

5. Resp. ad secundum, si plures delegati constituti in solidum, locus est præventioni, ita ut si unus processum inchoavit, alii nec licite nec valide in ea causa procedere possint, sed processus illorum sit omnino invalidus ipso jure, etiam nulla opposita exceptione pro ut habetur, *cit. c. cum plures*; quia licet tunc cæteri delegati habeant & retineant jurisdictionem in habitu, non habent tamen illius exercitium, nisi is, qui alios prævenit procedere ulterius & exequi nequeat ob impedimentum, aut etiam executionem malitiose differat, ita *eod. c.* & *ibi* Jo. And. *num.* 2. Anchar. *not.* 3. Franc. *num.* 2. Pirh. *h. t. num.* 44. vel nisi is, qui negotium inchoavit longius abierit, & causa dilatiooom commode non ferat. Jo. And. *loc. cit. n.* 2. Franc. *num.* 6. Pirh. *loc. cit.* aut etiam mortuus fuerit; siquidem postquam semel exercitium jurisdictionis in persona unius delegati est inchoatum, censetur in cæteris delegatis radicata & perpetuata jurisdictio, ita ut per mortem collegæ aut etiam ipsius delegantis non exspiret, juxta *c. cum plures in fine*. Vivian. *in rational. Juris Pontif. h. t.* Laym. *in cit. c. cum plures*, *num.* 5. Pirh. *hoc tit. num* 45. Ita jam etiam ob eandem rationem, si plures, quibus in solidum delegata est causa simul incæperint eam cognoscere, non potest dein unus eam prosequi, cæteris non requisitis, nec impeditis. Gl. *in cit. c. cum plures*, *vers. uno eorum*. Lapus, *ibid. num.* 3. Abb. *in c. prudentiam*, *hoc tit. num.* 13. Pirh. *loc. cit.* Si vero plures constituti non in solidum, unus alterum prævenire, aut sine alio procedere non potest, estque processus talis ipso jure nullus, *cit. c. causam*, quia institutus contra formam mandati, adeoque absque omni jurisdictione Pirh. *hoc tit. num.* 36. Adeoque si pluribus delegatio facta sub hac clausula: *si omnes interesse nequeant, duo vel unus eam cognoscat & exequatur*: duo vel unus procedere nequit, ita ut acta per illum sint nulla, nisi illis per certum nuncium aut aliter constet, quod tertius ille interesse non possit aut nolit, ut habetur *c. prudentiam*, *hoc tit.* Idque, etiamsi postea tertius ille ratum habuerit. Gl. *in cit. c. prudentiam*, *vers. teneatur*. Abb. *ibid. num.* 19. Pirh. *hoc tit. num.* 41. cum, quod ab initio vitiosum est, non possit lapsu temporis convalescere. *Reg. Jur.* 29. *in ff.* aut etiam licet partes expresse consenserint; cum id statutum non fuerit in favorem privatum partium. Gl. *cit. vers. teneatur*. Abb. *ibid. num.* 20. Aliud dicendum, si plurium cognitio aut similis conditio requiritur præcipue ob favorem privatorum, eo quod, cum tunc ii expresse vel tacite consentiendo illi favori renunciare possunt; actus vel processus fit validus, si nihil contra illum ob defectum talis conditionis opponatur. Pirh. Argum. *c. ultim. §. is autem*, *hoc tit.* Abb. *in c. prudentiam*, *num.* 19. Ratio horum est, quod plures delegati repræsentent unius dolegantis personam, ideoque, cum sint loco unius, & una omnium jurisdictio, non possunt separatim procedere, nisi id illis expresse concedatur in rescripto delegationis. Unde jam si ex tribus Judicibus dicto modo delegatis duo tantum reum citent, is comparero non tenetur, cum illi duo sine tertio illum citandi jus non habuerint, *c. prudentiam*, & *c. cum causa*, *hoc tit.* Pirh. *hoc tit. num.* 38. citans Gl. magnam *ad c. prudentiam in fine*, nisi in citatione expresserint impedimentum aut excusationem tertii delegati; tunc enim citatus debet fidem habere & comparere. Pirh. *loc. c.* citans Abb. *in cit. c. prudentiam*, *num.* 17. vel nisi unus ex delegatis vices suas commiserit alteri, uti potest juxta *c. quamvis*, *hoc tit.* intellige, & de hoc constiterit citato. Quod si tamen citatus a duobus ex tribus delegatis absque eo, quod teneatur comparere, compareat coram omnibus tribus præsentibus, tenetur respondere, non vi prioris citationis, quæ nulla fuit, sed quia, cum partes præsentes sint, non est opus citatione. Pirh. *num.* 40. citans Innoc. *in c. cum causam*, *in princ.* & *ibid.* Abb. *num.* 3. Decium, *n.* 3. *not.* 3. Porro tametsi in dicto casu duo reliqui tertium delegatum non possint citare cum potestate & Imperio ad causam cognoscendam; cum ipse sit par, & par in parem juxta *c. innotuit de elect.* non habeat jurisdictionem; possunt tamen eum monere, ut veniat, constituto ei certo tempore competente, quo elapso, si non veniat, præsumitur non posse vel nolle interesse, adeoque reliqui possunt procedere. Pirh. cum Gl. *in c. cum causa*, *vers. ab illis* & Abb. *ibid. num.* 6. sufficit autem una monitio, ut potestas procedendi ad reliquos devolvatur; cum loquendo generatim (nisi jura expresse trinam citationem vel monitionem requirant, ut *in cap.* 1. *de suppl. negl. Prælator.*) in omni extrajudiciali citatione sufficiat una citatio seu vocatio, modo terminus ad comparendum sufficiens assignetur. Pirh. *loc. cit.* cum Abb. *in cit. c. cum causa*, *n.* 8. Felin. *num.* 9.

QUÆSTIO DCLXXXVIII.

An una causa delegata possit quoque subdelegari pluribus.

RESp. delegatus Papæ alteriusve Principis, quin & quicunque habens potestatem subdelegandi, potest causam sibi commissam subdelegare etiam pluribus, *c. cum te hoc tit.* Innoc. *ibid. vers. unic.* Abb. & Felin. *num.* 2. Sic quoque dum plures sunt delegati, omnes possunt uni tertio vel etiam pluribus subdelegare; vel etiam potest id unus eorum aliis suis collegis non delegantibus. Argum. *c. prudentiam*, *§. illa quippe hoc tit.* Pirh. *hoc tit. num.* 47. cum quod non prohibitum, intelligitur esse concessum Abb. *in cit. c. cum te*, *num.* 3. In hoc autem casu, si Subdelegati inter se dissentiant, standum est sententiæ majoris partis eorum; si autem duo sint Subdelegati, & hi inter se discordent, neutrius sententia valet & ad Subdelegantem recurrendum est si is sibi aliquid de jurisdictione reservavit (si vero is in totum vices suas commisit Subdelegatis, recurrendum ad primum seu Principalem delegantem, pro ut in causa appellationis definitum est, *c. super*, *hoc tit. §. porro*. Pirh. *hoc tit. num.* 48.) non secus, ac quando duo delegati dissentiunt, recurrendum est ad delegantem, *c. fin. de sent. & re Judic.* Sicut enim isti delegati non habent jurisdictionem in solidum; & regulariter quod statutum est de delegatis, idem dispositum intelligitur de Subdelegatis, nisi aliud jure expressum. Pirh. *loc. c.* citans Decium *in c. cum te*, *num.* 2. Si autem Subdelegati ab uno Delegatorum discordent ab altero delegato, tunc recurrendum ad Subdelegantem, si is non in totum delegavit, alias ad principalem Delegantem. Argum. *c. fin. de sentent. & re Judic.* Si vero ex duobus Subdelegatis unus consentiat cum altero Delegato, & alter ab eo discordet, neutrius Subdelegatorum sententia valebit (adeoque nec in tali casu major pars dici potest convenire in unam sententiam) quia, ut dictum, singuli Subdelegati non habent jurisdictionem seu potestatem cognoscendi & judicandi in solidum. Abb. *in c. cum te*, *n.* 3. Pirh. *loc. cit.*

CAPUT TERTIUM.

De Causis delegabilibus, Delegationis Forma, Interpretatione, Probatione.

QUÆSTIO DCLXXXIX.

Quæ causæ delegari possint.

REsp. Omnes illæ, quæ ad Delegantis jnrisdictionem ordinariam spectant. *L. unic. Cod. qui pro sua jurisdict.* nisi specialiter causa aliqua excepta sit. Qualis v. g. sunt causæ ita graves, ut sine ipsn ordinariam jurisdictionem habente commode terminari nequeant, *c. si pro debilitate, hoc tit.* aut specialem qualitatem vel industriam delegantis requirant, quales plures exprimuntur *c. ult. §. is autem, h. t.*

QUÆSTIO DCXC.

An causa appellationis seu per appellationem devoluta delegari possit nempe a Judice ad quem.

REsp. Jure Canonico potest delegari, ut constat ex *c. pastoralis in princ. de off. Jud. ordinar.* ubi, quod Archiepiscopus causam ad se per appellationem delatam possit jure ordinariæ potestatis alteri delegare. Idque etiam a nnn Principe seu supremo Judice *cap. ut litigantes, de offic. ordinar. in 6. c. super quæstionum h. t. §. intentionis*, juncta Gl. *vers. aliis delegare*. Abb. *in c. ex literis, de rest. in integ. num. 2. not. 3.* Pirh. *hoc tit. num. 49. in fine*. Jure vero civili Judex ordinarius appellationis nnn potest causam ad se devnlutam delegare, retenta sibi sententia, sed debet vel totam causam expedire, vel totam delegare. *Auth. ad hac. C. de judiciis*, & *ibi* Gl. *v. audint.* Abb. *in c. pastoralis, num. 4.* Pirh. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCXCI.

Num ea, quæ sunt Ordinis delegari possint.

REsp. affirmative, modo is, cui delegantur, habeat competentem Ordinem. Sic quæ sunt Ordinis Episcnpalis delegari possunt ab Episcopo, sed non nisi alteri Episcopo, *c. aqua, qu. de consecrat. Eccles.* Host. *in sum. hoc tit. num. 6.* Ratin posteriuria est, quod potestas exercendi ea, quæ sunt Ordinis, non pendet ex sola vnluntate delegantis sicut potestas exercendi ea, quæ sunt jurisdictionis, atpote quæ sola voluntate signo aliquo expressa committi potest alias non habenti jurisdictionem; sed ex institutione Christi; adeoque non per verbalem commissionem, sed per solam ordinatinnem confertur. His tamen non obstantibus, possunt quædam spectantia ad ordinariam Episcopi potestatem ex speciali juris dispositinne aut Pontificis permissione delegari non habenti characterem Episcopalem, v. gr. Abbati conferre Ordines minores. Argum. *capit. 1. de ordinat. ab Episcop. qui renunciat. Episcop.* & *ibi* Glus. *versic. non ab Episcopis*, simplici Sacerdoti administrare Sacramentum Confirmatinnis &c. eo quod hæc, etsi spectent ad ordinariam Episcopi potestatem, isque sit Minister eorum ordinarius, non tamen essentialiter requirant in Ministro characterem Episcopalem, hinc ex delegatione carens eo charactere possit esse eorum Minister extraordinarius.

QUÆSTIO DCXCII.

An & quæ causæ Ecclesiasticæ delegari possint laico.

REsp. de hoc satis dictum esse *cap. præced.*

QUÆSTIO DCXCIII.

Num ea, quæ sunt Imperii meri vel etiam mixti, possint delegari.

1. REsp. primo. De jure civili ea ordinarie delegari non possunt a Magistratibus seu Judicibus inferioribus ordinariam jurisdictionem & merum mixtumque Imperium habentibus. Ita juxta *l. 1. ff. de offic. ejus cui mandat. jurisd.* Jul. Clar. *in pract. crim. lib. 5. §. fin. qu. 41. n. 1.* cum communi DD. contra Fachin. *lib. 9. controu. Jur. c. 98.* ex pluribus Juris civilis textibus conantem probare, mixtum Imperium delegari posse. Dicitur enim *cit. l. 1. quæcunque specialiter a lege vel constitutione Principum* (intellige constituentium Judices ioferirires ordinarios cum mero & mixto Imperin) *tribuuntur, mandare jurisdictione, non transferuntur*: hoc est, ut Gl. *ibid. v.* quæcunque quæ ad merum & mixtum Imperinm spectaut, majoribus tantum Judicibus in speciale privilegium conceduntur, ideoque delegari non possunt: *sed ea duntaxat mandari seu delegari possunt, quæ jure Magistratus competunt*: nbi dicitur *cit. l. 1.* Sic quoque *l. 70. ff. de reg. Jur.* dicitur: *nemo potest gladii potestatem sibi datam vel cujuslibet alterius coercitionis* (magnæ scilicet ut Gl. ib. *in alium transferre*. Siquidem eo ipsn quo tales causæ in speciale privileginm conceduntur majoribus Magistratibus, censetur in iis electa industria persnoæ. Pirh. *h. t. n. 51.* ex Jul. Clar. *l. c.* quamvis is *ibid.* teste Reiffenst. *h. t. n. 79.* addat in hodie non servari, sed ex generali consuetudine omnes causæ meri & mixti Imperii, etiam quo ad ultimum supplicium delegentur. Dixi primo *ordinarie*, nam de jure civili, vi nimirum *cit. l. 1.* & juncta Gl. *ibid. v. proficiscantur*, & Gl. *in L. Imperium, ff. de jurisd. v. mixtum*, excipitur casus absentiæ ex causa negorii publici. Quamvis autem aliqui non admittant exceptiones præter hanc in dicta *l. 1.* nominatim expressam; alii tamen teste Pirh. *cit. n. 51.* communius hoc ipsum propter identitatem ratinnis, nimirum ne executinnes pœnarum cum Reip. damno diutius differantur, extendunt ad casum infirmitatis, multitudinis negotiorum, alteriusve similis impedimenti. Dixi secundn: a Magistratibus inferioribus. Nam de Summis Principibus, quod ab iisdem delegari possint, etiam quæ meri sunt Imperii, extra controversiam est, & constat *ex l. 1. ff. de officio ejus*. Idemque competere adhuc Regi similive Principi, tametsi tanquam vasallus recognoscat Papam, constat ex *c. in Archiepiscopatu, de raptorib.* ubi causas criminales, quæ ad merum Imperium pertinebant, delegavit Rex Siciliæ vasallus Papæ. *Clem. 2. de sent. & re judicat.* Tametsi enim vasallus, Rex tamen est & Princeps, habetque omnem potestatem, quæ Principi jure communi competit, aut privilegio speciali reservatur; adeoque sicut nobili v. g. merum Imperium sibi competens jure feudi perpetuo concedere potest, ita etiam in casu singulari reservare, ita cum Covar. *lib. 3. var. c. 20. n. 4.* Pirh. *h. t. n. 52.* Porro in generali concessione totius jurisdictionis civilis & criminalis, etiam cum mero & mixto Imperin facta alicui a Principe non censeri comprehensa quæ ad primum gradum meri vel mixti Imperii spectant, nisi specialiter exprimantur, ait Pirh. *n. 53.* citans Molin. *de Just. tr. 5. d. 6. n. 3.* Dixi tertio: *ordinariam jurisdictionem & Imperium merum mixtumque habentibus*. Nam delegato Principum Superiorem non recognoscentium tam jure civili quam Canonico posse causas quascunque etiam criminales tam meri quam mixti Imperii delegare, nisi appareat personæ industriam singulariter electam, communem sententiam esse dicit gl. *in l. un. C. qui pro sua jur.* & sumitur *ex ead. l.* etsi nonnulli contrariam sententiam teneant apud Clarum, *l. c. n. 3.* qui etiam dicit, contrariam hanc sententiam in praxi servari; eo

quod

quod causæ criminales eunquam delegentur a Principe, nisi electa specialiter delegantis industria & fide. Illud certius, delegatos Judicum inferiorum caesas criminales nullo modo subdelegare posse. Clar. *loc. cit.* Pirh. *hoc tit. num.* 53. De cætero responsinni non obstat textus *l.* 2. *ff de eo, cui mandat. est jurisdict. §. fin. Imperium, quod jurisdictioni cohaeret, mandata jurisdictione transire*: juncto textu L. 3. *ff. de jurisdict.* ubi dicitur: *Imperium, quod jurisdictioni cohaeret, mixtum est.* Id enim intelligendum de eo, quod qualiter jure Magistratus competit, quod illud mandari sen delegari, possit, non vero de eo Imperio mixto, quod specialiter lege conceditur; hoc enim delegari nequit. Pirh. *cit. num.* 51. neque etiam textus *L. ultim. ff. de offic. ejus, cui* &c. *mandata jurisdictione privato, etiam Imperium, quod non est merum, mandari videtur; quia jurisdictio sine modica coercitione nulla est.* Id enim accipiendum de modica coercitione & castigatione, ut Gloss. *ibid. v. etiam Imperium*; vel de Imperio misto, non quo ad primnm gradum, sed quo ad reliquos, qui delegari possunt. Pirh. *l. c.*

2. Resp. secundo. Num idem quoque sit spectato jure Canonico, non conveniunt AA. Omnes causas ab Archiepiscopis, Episcopis aliisque Prælatis ad eorum ordinariam jurisdictionem spectantes, etiamsi sint meri vel mixti Imperii, ab iis delegari posse, tenent cum Gloss. *in cap. quod Sedem v. committere de offic. ordinar.* Abb. *ibidem num.* 4. Marant. *de jurisdict. Ordia. part.* 4. *dist.* 5. *num.* 62. Alex. *consil* 106. *num.* 2. *l.* 2. Molin. *de Justit. tract.* 5. *dist.* 17. *num* 4. Vallens. *hoc tit. §.* 2. Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 80. quorum sententiam communiorem & communem dicit Pirh. *hoc tit. nu.* 52. citatque pre en *cap.* 2. *de offic. Vicar. in 6. cap. cum Episcopus de offic. ordinar. in* 6. ie quibus testibus permissum Episcopis per se vel per alios jurisdictienem civilem vel criminalem exercere item *Clem.* 1. *§.* 1. *de Haret. cap. ultim. de offic. ordin. cap. ult. ne clerici vel monachi* ubi, quod Episcopi delegare possint causam sanguinis, quæ procul dubio ad Imperium merum pertinet. Nihilominus contrarium, nimirum nullam quo ad hoc statuendam esse differentiam inter Jus Canonicum & civile, probabilius esse ait & sequitur Pirh. *loc. cit.* citatque pro hoc Covar *l.* 3. *resol. var. cap.* 20. *num.* 4. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 54. & *quæst.* 74. *num.* 45. Fachin. *lib.* 9. *controvers. Jur. cap* 99. eo quod Jus Canonicum a civili, præsertim in causis forensibus discrepare in dubio non præsumatur, neqoe inter utrumque statuenda differentia, nisi ea expresso textu probetur. Argument. *cap.* 1. *de novi operat. nunciat.* nullum autem textum Juris Canonici existere, qui astruat, aut etiam ex quo deducatur, quod passim & generaliter a quovis Judice ordinario habente Imperium merum & mixtum illud delegari possit. Siqeidem textus ab adversariis adducti loquuntur de casu particulari. Sic *in Clem.* 1. ob favorem fidei conceditur diæcesanis & Inquisitoribus, ut in causis hæresis vices suas aliis delegare possint quæ delegatie & commissio ad alia delicta & causas extendenda non est. Sic, quod *cap. ultim. ne clerici vel monach.* conceditur Episcopis, ut possint causa sanguinis, ac generaliter jurisdictionem criminalem delegare laicis a se ad hoc constitutis Vicariis, patet omnino speciale esse ob specialitatem rationis; quod nimirum ea ipsi per se sine irregularitate tractare nequeunt. Sic (in quo maximam vim ponunt adversarii) neque ex eo, quod *cap. licet de offic. Vicar. in* 6. dicatur, specialiter ab Episcopis committi posse efficialibus suis potestatem corrigendi, puniendi, amovendi beneficiatos a beneficiis suis &c. quæ sunt Imperii meri mixti. Item *cap. cum Episcopus de offic. Ordin. in* 6. quod possit Episcopus in quolibet loco suæ diœcesis noe exempto per se vel per alium clericos criminosos capere ac carceri deputare, nec non & cætera, *quæ ad ipsos spectant*, (inter quæ utique sunt plura meri ac mixti Imperii) *officium libere exercere.* Neque ex his inquam adhuc inferre licere, ait Pirh. cum Fachin. *loc. citat.* Jure Canonico generaliter permissum esse, causas Imperii mixti & meri a quocunque Ordinario delegari. Sed neque hæc omnia ita breviter diluuntur a Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 83. dicendo, non esse necesse, ut de omnibus casibus singulatim disponatur per Canones, sed ex iis, quæ disposita sunt, licitum esse procedere ad similia juxta *L. non possunt ff. de LL.* dum id ad summum verum est, ubi est omnino eadem ratio ita disponendi seu id permittendi. Verum quidquid sit de jure scripto, idem, quod dictum *respons. praced.* ex Julio Clar. simpliciter & universaliter, adeoque loquendo tam de Jure Canonico quam civili, hic subjungit Pirh. citando insuper pro hoc Wesenbecium *in paratit. ff. de offic. ejus cui mandat. &c. n.* 4. nimirum hodiedum ex generali consuetudine indistincte omnes causas Imperii meri & mixti, etiam capitales, solere delegari (intallige a Judicibus inferioribus habentibus illud cum jurisdictione ordinaria) eo quod merum imperium non amglius ex speciali privilegio, sed una cum jurisdictione detur & transeat, qua tamen in re spectandam cujuscunque loci consuetudinem, monet ex Molin. *loc. c. dist.* 17. *num.* 3.

QUÆSTIO DCXCIV.

An & qualiter potestas a Jure communi sive ex speciali privilegio concessa alicui ratione officii vel dignitatis, ita ut ei perpetuo annexa sit, delegari possit.

RESp. Potest talis potestas, etiamsi ad imperium merum vel mixtum pertineat, aut alias Papæ sit reservata. V. g. absolvendi a peccatis aut censuris Papæ reservatis, dispensandi in votis, juramentis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii ob difficultatem adeundi Papam, non tantum in casibus particularibus, sed & generaliter delegari seu alteri committi, nisi aliud in commissione expressum. Cl. *in cap. ult. de off. ord. versic. casibus*. Abb. *ibid. num.* 3. Covar *loc. cit. num.* 5. & 10. Molin. *loc. cit. d.* 18. *num.* 1. Sanch. *l.* 2. *de matrim. d.* 40. *num.* 14. Pirh. *loc. cit. num.* 54. Argum. *cit. c. ultim. de off. Jud. ord.* ubi quod dicitur de absolutione a censura Canonis ob percussionem clerici, id exempli gratia tantum positum esse, & generaliter intelligi debere de quacunque potestate absolvendi a peccatis & censuris, ait Gl. *ibid. vers. casibus*, & cum ea Pirh. *num.* 54. eo quod tunc talis potestas ordinaria potius quam delegata censenda sit, & competentia de jure ordinarie & proprio absolute & generaliter delegari possint. Adeoque jam etiam talis potestas tunc transit ad successores vel quasi successores (quales sunt legati Sedis Apostolicæ & Vicarii Episcoporum, utpote non habentes proprie successores) ie officio vel dignitate, & consequenter censeri tunc non potest electa industria personæ; cum etiam personis incognitis, nempe successuris in illa dignitate talis fiat delegatio. Sanch. *loc. cit. num.* 17. Pirh. *cit num.* 54. Nisi tamen in commissione seu concessione privilegii appareat specialiter eam factam ideo Prælato, quia es ipsa talis dignitatis functione præsumebatur major ejus discretio & idoneitas ad commissionem exequendam; tunc enim, etsi delegatio transeat ad successores, ab eorum tamen nullo delegari poterit. Laym. *in tit. ultim. num.* 3. Pirh. *loc. cit.* vel etiam nisi talis potestas commissa ex juris dispositione censeretur ita magni momenti, ut per aliam expediri nequeat. Qualis quia censeter potestas conferendi beneficia, ab Episcopo alteri quam Vicarie suo committi nequit. Pirh. *loc. cit.* citans Glos. *in cit. deliberatione, de offic. legat. in* 6. *vers. cuicunque* Covar. *ubi supra num.* 6. Sanch. *num.* 16. Porro extenditur responsio ad nedum ministerium, quod alicui commissum ratiooe ufficii, adeoque jure perpetuo & ordinario delegari ab eo potest. Molin. *cit. dist.* 18. *num* 1. Nav. *l.* 5. *cons.* 11. *de privileg.* Pirh. *hoc tit. num* 55. Dem alias is, cui id ex simplici delegatione personaliter delegatum, plerumque id non nisi per seipsum explere possit, ut constat ex *c. ult. h. t. §. cæterum*.

QUÆSTIO DCXCV.

Forma delegationis in quo consistat & qualiter observanda.

1. RESp. ad primum. Consistit illa in modo & ordine procedendi præscripto in literis commissionis, qui juxta causarum, clausularum iis adjectarum, & personarum conditionem & qualitatem varius præscribi potest. V. g. dum facta pluribus delegatione præscribitur, ut omnes simul procedant; vel si aliquis eorum interesse non possit, procedant reliqui. Item ut procedatur appellatione remota &c. Pirh. *hoc tit. num.* 56. Sic quoque ad modum seu formam commissionis spectat, dum alicui tantum committitur principiem causæ: quales sunt actus præparatorii. V. gr. oblatio libelli, contestatio litis &c. ut hæc coram illo institui possint. *c. pastoralis*, *§. item cum totum*, *hoc tit.* vel medium tantum, quo spectant audientia & causæ cognitio, inquisitie testium & examinatio, quæ frequenter committi selent, reservata sententia definitiva deleganti, tum quia Judices ordinarii gravioribus negotiis impediti causas per seipsos cognoscere nequeant,

queunt, cum ut laboribus & sumptibus partium parcatur, dum hæ longius distantes magnis expensis & viarum difficultatibus & periculis ad Judicem delegantem, vel etiam delegatum subdelegantem evocandæ essent *c. cum te h. t.* vel dum alicui delegatur finis causæ, id est, pronunciatio & latio sententiæ, talisque commissarius Judex est, vel etiam mera executio sententiæ per alium latæ & publicatæ; estque talis commissarius non Judex, sed nudus Auditor seu Executor. Unde jam, dum alicui delegatur initium, medium & finis litis seu causæ, tota causa delegari dicitur. Pirh. *l. c.*

2. Resp. ad secundum. Forma seu modus procedendi præscriptus diligenter & necessario servandus, ita ut si delegatus (idem est de subdelegato a delegato Argum. *cap. venerabilis h. t.*) plus vel minus, vel alio ordine, quam sibi commissum, ageret, totus processus ipsaque sententia ipso jure sit nulla, quippe factus & lata a non habente jurisdictionem; cum delegatus nullam habeat potestatem, quam quæ illi in delegatione seu mandato concessa, ut constat ex *cap. cum dilecta de rescript.* & *L. diligenter ff. mandati*. Verumtamen, quod forma præscripta a delegante accurate observanda sit, ita ut actus ea non servata sit nullus, id tunc locum tantum habet, ubi forma seu modus procedendi alias a jure communi non requisitus, a delegante de novo præscribitur; eo quod tunc censeatur esse substantialis. Sanch. *de matrimon. l. 3. disp. 33. num. 3.* Pirh. *h. tit. num. 60.* citatis insuper Innoc. *in cap. ultim. de præsumpt. in prime.* Imol. *in cap. penult. de instit.* ut si committatur a Papa, ut conferatur alicui beneficium, si is sit Doctor, aut si post diligens examen reperiatur idoneus, non valebit collatio, si is non sit Doctor, aut omissum illud examen; quia talis conditio Doctoratus, & examinis præmittendi de jure communi non requiritur, sed a delegante specialiter præscribitur. Secus est, dum forma præscripta etiam de jure communi requiritur. V. gr. committatur alicui, ut conferat Titio beneficium, si idoneus est, tunc enim ea expressa in commissione habet se tantum ad instar commonitionis illius, quod alias de jure inest, ut Gl. *in clem. unic. h. t. v. reppererint* & non est substantialis; adeoque ejus omissio actum non reddit irritum V. g. collationem beneficii factam Titio, si is est minus idoneus; nec literis aut moribus commendatus, modo non sit omnino illiteratus aut infamis; quia jure communi sufficit, quod instituendus non sit indignus. Pirh. *c. num. 60.* citans Innoc. Imol. Sanch. *ubi ante*.

QUÆSTIO DCXCVI.

An, dum super eadem causa ad Judices delegatos diversæ sunt impetratæ literæ, ad formam posterioris delegationis spectet facta mentio de priore, & quomodo tunc procedendum.

RESp. De forma posterioris delegationis seu literarum est, ut in ea fiat mentio prioris, itaut, si nulla facta prioris mentione impetretur secunda continens quid contrarium ad eosdem Judices delegatos, hi ab executione utrarumque literarum abstinere debeant, donec Papa delegans consulatur, ejusque voluntas plenius cognoscatur, utrum nimirum velit eos procedere secundum primas an secundum secundas literas. Ita habetur *cap. sane hoc. tit.* juncta Gloss. *v. priorum literarum*. Laym. *ibid. num. 1.* Pirh. *h. tit. nu. 62.* Tametsi in hoc casu posterius rescriptum non censeatur ipso jure subreptitium, uti contingeret, dum daretur secundum rescriptum ad diversos Judices; quia causa commissa manet apud eosdem Judices, nec iis per secundum rescriptum irrogatur injuria; neque prior impetrans privatur omni usu prioris rescripti. Barbos. *ad citat. capit. sane num. 3.* Neque denique in hoc casu præsumendum, posterius rescriptum contrarium derogare priori, si ejus in illo non fiat mentio. Laym. *loc. citat. num. 3.* Pirh. *loc. citat. in fine* hujus rationem refundentes in hoc, quod tam multa prodeant a Sede Apostolica rescripta, ut omnium meminisse nequeat Papa, unde aliud esse quo ad inferiores ordinarios fatentur. Si tamen in hoc casu non factæ mentionis in posterioribus literis de prioribus, eæ datæ sunt ad diversos Judices delegatos, ii, ad quos priores datæ, possunt procedere; cum literæ posteriores in hoc casu sint subreptitiæ secundum *cap. cæterum de rescrip.* & *ibi Gl. v. priores*.

QUÆSTIO DCXCVII.

Qualiter forma delegationis servanda, ne alteri inferatur præjudicium.

RESp. Rescriptum delegatorium Principis ita observandum, intelligendum & interpretandum, ut alteri non creetur præjudicium; cum Princeps non censeatur velle præjudicare juri alterius, constat ex *l. 2. §. si quis a Principe ff. ne quid in loco publico* sumitur ex *cap. super eo hoc tit.* Abb. *ibidem num. 2.* Pirh. *hoc tit. num. 64.* Extendendum hoc ipsum ita, ut potius verba illa: *Ecclesiam ordinet*: ita explicanda pronunciet: ordinandam Ecclesiam, sive faciat, ut ordinetur, per eum, scilicet qui jus ordinandi habet: ut Gl. *ibidem v. ordinet.* Quin & licet tale rescriptum emanavit motu proprio & ex certa scientia Principis, & licet, non agatur de jure in re, sed jure ad rem tertii. Pirh. *num. 65.* citans Decium *in cit. cap. super eo num. 2.* Quod si tamen ne quidem accipiendo verba in impropria significatione evitari potest præjudicium tertii, inhærendum est formæ mandati, etiam cum præjudicio alterius; utpote cujus juri tunc derogare voluisse Principem ex plenitudine potestatis (qua plenitudine alias in dubio censendus est Princeps non voluisse uti. Pirh. *loc. cit.*) censendum est, ne alias rescriptum omnino inutile & nihil operetur. Decius *loc. cit.* & *in cap. quoniam h. tit. num. 5.*

QUÆSTIO DCXCVIII.

An dum Judici delegato præscripta certa forma procedendi, is nihilominus rationabiles & legitimas exceptiones admittere, & in causa secundum æquitatem juris procedere debeat.

RESp. Affirmative, nisi forte in delegatione Apostolica (quod facere non solent Pontifices) exprimeretur, ut nullæ exceptiones admittantur, ita habetur *c. ex parte h. tit.* siquidem non censetur Princeps per verba generalia velle tollere juris ordinem, & graviter præjudicare juri partium, adeoque nec tollere exceptiones legitimas, quæ juri conformes sunt, spectantque ad naturalem defensionem. Gl. *in cit. c. v. venerabiles* Abb. *ibid. n. 5.* Secus est, dum exceptiones minus sunt rationabiles. Argum. ejusdem cap. a sensu contrario. Decius *ibid. num. 1.* Pirh. *h. t. num. 66.* Unde etiam, si in delegatione diceret Princeps: *nulla exceptione admissa*: id intelligendum de exceptione irrationabili & illegitima, aut quæ solum ad removendum & differendum judicium est facta. Gloss. *in cit. cap. v. nullo*. Abb. *ibid. num. 1.* Decius *num. 4.* Quod si tamen ea expresse additum: nulla, etiamsi rationabili, exceptione admissa; servanda erit forma mandati, non obstante tali exceptione, si quidem constet de voluntate Principis. Felin. *in cit. c. num. 6.* Pirh. *h. t. num. 67.* utpote qui ex plenitudine potestatis derogare potest juri communi vel partis ob gravem causam saltem in civilibus causis, præsertim, si aliud remedium se defendendi parti adhuc relinquatur, quale est appellatio vel imploratio officii Judicis, ut si v. g. causa Judici delegata sit cum clausula: ut recusari non possit ne quidem rationabiliter; quia tunc adhuc a parte appellari potest, vel implorari officium Judicis, ita fere cum Barbatia & Laym. *in cit. cap. ex parte num. 4.* Pirh. *h. t. num. 67.* ubi etiam ex Felin. *in c. c. num. 7.* ait, rejecta exceptione, nunquam rejectam censeri exceptionem notoriam.

QUÆSTIO DCXCIX.

An & qualiter delegatus teneatur probare delegationem sibi factam.

1. RESp. primo. In genere, ut ei parere teneatur v. g. Ordinarius, vel alius, cui delegatus, etiam Sedis Apostolicæ, aliquid mandat exequendum, debet ei certam fidem facere de commissione seu delegatione sibi facta *cap. cum contingat de rescription. cap. cum in jure hoc tit.* ubi quærenti, an si quis asserens, se Sedis Apostolicæ delegatum, mandet, Ordinario loci hoc modo: *authoritate, qua fungor, injungo tibi, ut v. gr. Titium excommunicatum esse denuncies*: Ordinarius vero dubitet de commissione ei facta; quia de mandato Apostolico nullam fidem fecit, teneatur hoc mandatum exequi, Papa respondit: quod nisi de mandato Apostolico certa ipsi

fides

fides fiat, non teneatur illud esequi. Estque ratio; quia factum non præsumitur, sed probari debet, præsertim, si vergat in præjudicium tertii. Et quamvis in dubio quilibet præsumatur bonus, adeoque non mentiri, si tamen agatur, de præjudicio tertii, non sufficit talis præsumptio, sed requiritur plena probatio. Felin. *in cit. c. cum in jure*, *num.* 1. Pirh. *num.* 68. Et nemo præsumitur Judex datus, etsi alias præsumatur bonus, nisi id probet. Pirh. *ibid.* ex Host. *in sum. hic v. sematis*. Et hæc quidem ita, ut gesta per delegatum, qui commissionem sibi factam legitime non probavit, sint ipso jure nulla, uti & sententia escommunicationis lata ab eo in ordinarium vel partem parere nolentem. Neque enim ex eo, quod ordinarius petat sibi fieri fidem de commissione, potest dici rebellis aut contumax; cum id ei a jure permissum. Innoc. *in cit. c. in fine*, *v. demandato*. Abb. & Felin. *num.* 3. Pirh. *h. t. num.* 69.

2. Resp. secundo. Asserens se delegatum Principis id aliter probare nequit, quam exhibendo literas authenticas delegationis. *L. unic. de mandat. Princip. Extrav.* 1. *de elect. inter commun.* ubi: *asserenti namque cum mandatis Principis se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit*: Proinde jam non sufficit exhiberi instrumentum publicum, in quo continetur sententia lata a Judice delegato, & a Notario fit mentio delegationis. Siquidem per hoc non probatur, quod delegatus habuerit mandatum, seu delegatam sibi jurisdictionem, sed tantum producti mandati, non vero tenor ejus seu contenta in eo. Adeoque necesse est, mandatum coram Judice præsente parte a Notario registrari & transcribi, vel probari delegationem per originale mandatum, vel per exemplum ex originali transumptum solenniter. Pirh. *num.* 69. citatis Gl. *in cit. c. cum in jure*, *v. super mandato*. Innoc. *ibid. num.* 4. Abb. *num.* 6. Felin. *num.* 8. Unde jam etiam potest ordinarius delegato exercenti jurisdictionem non ostensis literis commissionis suæ de facto resistere; cum tueri possit possessionem suam. Fagn. *in cit. c. cum in jure*, *num.* 32. & 33. Etsi autem ordinarius aut alius possit a delegato exigere literas delegationis, non tamen tenetur, sed potest, si velit, absque iis fidem dare asserenti se habere mandatum; quia præsumptio stat pro mandato. Abb. *in c. cum in jure num.* 4. Pirh. *num.* 70. Neque etiam solent hæ literæ exhiberi, si ipse delegans præsens est, facileque ab eo quæri potest, num delegaverit. Laym. *in cit. c. num.* 1. cum Barbatia. Pirh. *loc. cit.* Aut etiam ubi non ostensis literis lata a delegato sententia partibus præsentibus, & non appellantibus. Abb. *l. c. num.* 7. Sicut nec objici potest a parte litigante defectus jurisdictionis ob non exhibitas literas post litis contestationem; cum tales exceptiones dilatoriæ debeant ab initio opponi. Argum. *c. inter*, *de sent. & re judic.* Abbas. Pirh. *LL. cit.* nisi forte pars opponens suscipiat in se onus probandi defectum jurisdictionis in delegato. Imol. *in cit. c. nu.* 8. Pirh. *l. c.* De cætero secus est de delegatis Inferiorum, hi enim probare possunt suam commissionem etiam per testes; cum in iis locum habeat jus commune, secundum quod eandem vim probandi habet probatio per testes & per instrumentum. Fagn. *loc. cit. nu.* 7. & 35. Pirh. *h. t. num.* 69. juxta *L. in exercendis Cod. de fide instrumentor.*

QUÆSTIO DCC.

Quid si exhibitis literis delegationis ordinarius loci, vel pars citata prætextu falsitatis apparentis in literis alteriusve defectus negando jurisdictionem parere noluerit?

Resp. Potest tunc delegatus, ubi advertit oppositionem esse frivolam, vel malitiose confictam, compellere ad parendum. Abb. *loc. cit. num.* 5. Pirh. *cit. num.* 70. *in fine*, ubi etiam notat, hoc huc pertinens esse discrimen inter ordinariam & Judicem delegatum, quod priori in dubio parendum sit, cum jurisdictionem fundatam habeat, & in dubio inter superiorem & subditum præsumptio stet pro superiore. Argum. *c. quid culpatur*, *caus.* 23. *q.* 1. Quin & jurisdictio ordinarii censeatur notoria; ac ideo non sit opus facere de ea fidem, ut Felin. *in cit. c. num.* 10. Judex vero delegatus, cum jurisdictionem fundatam non habeat, cogere nequeat ad parendum, nisi authentice fidem faciat de sua delegatione, ut Host. *hic in fine*. Innoc. *num.* 4. Pirh. *loc. cit.*

CAPUT QUARTUM.

De Officio & Potestate Delegati.

QUÆSTIO DCCI.

In quo differant officium & potestas Judicis?

Resp. Habent se hæc duo ut termini magis & minus communes; cum potestas latius pateat quam officium Judicis. Siquidem illud omne, quod est officii Judicis, potestati illius subjicitur, sive illud potest. E contra non omne illud, quod Judicis potestati permittitur, id etiam spectat ad ejus officium seu officio ejus, jurisque necessitati seu obligationi subjectum intelligitur justa *L. non quidquid*, *ff. de Judiciis*, cum sæpe expediat omittere, quæ facere posset. Zoel. *h. t. num.* 20.

QUÆSTIO DCCII.

Quænam requirantur, ut exercere possit officium suum seu jurisdictionem delegatam?

1. Resp. primo. Requiritur præsentatio literarum delegationis ipsi factæ, ita ut ante eam inchoatus processus actaque omnia in causa illa commissa sint ipso jure nulla, etiamsi aliunde jam sciverit se esse Judicem delegatum constitutum. Argum. *c. super eo*, *de appell.* Barbos. *ibid. num.* 4. Felin. *in c. sciscitatus*, *de rescript. num.* 12. Garc. *de benefic. p.* 5. *c.* 1. *num.* 349. & *p.* 6. *c.* 2. *num.* 8. Tametsi enim (ut probabilius esse ait Reiffenst. *h. t. num.* 95.) detur transferri jurisdictionem quo ad habitum in delegatum a tempore datæ literarum delegationis; quo ad exercendam tamen valide jurisdictionem attendendum tempus præsentationis & receptionis literarum. AA. iidem. Ita etiam, ut si postea superveniant literæ delegatoriæ, non validetur seu convalescat processus antea factus; cum censeatur factus ab eo, cui non competebat exercitium jurisdictionis, adeoque tanquam a privato. Marant. *de ordin. Jud. p.* 4. *dist.* 16. *num.* 8. citans Bald. *in L. nec quicquam*, *§. ubi decretum*, *ff. de off. procons.* Quod tamen postremum ita limitandum: modo pars adversa opponat seu excipiat de literis necdum præsentatis delegato; alias enim, si non exceperit, valebit talis processus. Marant. *loc. cit.* Reiffenst. *num.* 96.

2. Secundo requiritur, ut prius literas delegationis (intellige, si est delegatus Principis justa dicta, *qu. ante hanc penul.* coram Ordinario exhibeat, earumque copiam faciat litigaturis. Fagn. *in c. cum in jure*, *num.* 7. aut si est delegatus alterius quam Principis, alio modo legitime probet delegationem suam juxta dicta *quæst. cit.*

QUÆSTIO DCCIII.

An & qualiter spectet ad officium illius in exercitio jurisdictionis custodire fines mandati.

Resp. Præter ea, quæ dicta sunt *quæst.* .... & supra *ad tit. de restrip.* ubi de eorum executione. Cum delegatio sit stricti juris, actaque contra ejus tenorem censeantur acta a non habente jurisdictionem, non est estendenda ultra personas aut causas in ea expressas *c. P. & G. h. t.* Neque a tempore ad tempus *c. causam*. His tamen non obstantibus extendenda est ad connexa & accessoria. V. g. ad constitutionem Nuncii, per quem citentur partes, aliorumque ministrorum pro exequenda causa necessariorum assumptionem ad coercitionem contumacium impedientium processum. De quo expressius, *q. seq.* cum connexorum idem sit judicium, *c. translato*, *de constit.* & accessorium principale, etiam quo ad cognitionem judicialem sequatur, *c. prudentiam*, *§. fin. h. t.* Adeoque connexa & accessoria, etiamsi nulla eorum in

dele-

delegatione fiat mentio, delegata censentur. Alberic. *in L. cum principalis, ff. de Reg. Jur.* Unde, cui causa principaliter delegata, omnia ad causæ expeditionem pertinentia, etsi expressa non sint, nisi forte specialem commissionem exigant, expedire potest, prout statuitur *c. præterea, h. t.* Item potest a rigorosa rescripti delegatorii observatione recedere, ubi recessum suadet æquitas & rationabilis exceptio partis, prout statuitur *c. ex parte h. t. v. g. concedenda.* Dilatio termini expressi in delegatione, si reus non valens ob justum impedimentum instruere causam suam id petat. Argum. *c. super eo, h. t.* Item mutatio loci in delegatione expressi & statuti causæ cognitioni de consensu partium, in quarum favorem plerumque fieri solet designatio illa loci. Argum. *c. statutum, §. in nullo, de rescrip. in 6.* Laym. *in c. statuimus in 6. num. 2.* Vel etiam sine consensu partium, si propter potentiam vel malitiam ejus, contra quem procedendum aliamve ob causam delegatus commode nequeat exequi mandatum, *cit. c. statuimus,* & *ibi* Gl. *v. Apostolica Sede.* Vivian. *in c. statutum §. in nullo.* De cætero forma a Principe præscripta, etiasi sit diversa a jure, modo non sit contra jus divinum aut naturale, servanda; quia istiusmodi delegans est supra jus. Alias, ubi alia forma præscripta non est, observanda est forma juris communis, & rescriptum juri communi non derogans expresse, secundum illud intelligendum, *c. causam, de rescrip.* & *ibi* Abb. & Felin. *n. 5. L. rescripta C. de precib. Imperator. offer.*

QUÆSTIO DCCIV.

An & qualiter delegatus possit procedere contra malitiose impedientes aut retardantes exercitium jurisdictionis suæ, aut aliter in causa delegata rebelles & contumaces.

RESp. Cum, uni delegata est jurisdictio exercenda, ea quoque omnia ei concessa sint, quæ ad hoc exercitium sunt necessaria, ne inutiliter & inefficaciter delegata videatur; inter illa autem sit coercitio & compulsio sese illi opponentium, potest illos coercere & ad parendum compellere intentatis pænis Juris (dum enim certa pæna istiusmodi contumacibus & turbatoribus statuta est jure, illam, & non aliam minorem aut majorem infligere debet delegatus, etiam Principis *cap. de causis §. illis etiam h. t.* Cum Judex, ut dicitur *Novell. 82. c. 10.* lege sive jure neque severior neque clementior esse debeat) licet tamen etiam Judex quoque delegatus ob circumstantias particulares minuentes vel aggravantes arbitrari possit severiorem vel mitiorem pœnam, quam ea, quæ jure statuta esse infligendam. *L. ex facto ff. de pœnis*, aut si hæ in jure constitutæ non sunt, pœnis arbitrariis. V. gr. dum delegatus est Principis ecclesiastici, præsertim Papæ, censuris, excommunicationis, suspensionis, interdicti, uti constat, ex *c. sane h. t.* Ubi tamen monetur delegatus, ut temperate & gradatim procedat in istiusmodi pænis infligendis habendo rationem non tantum qualitatis & circumstantiarum facti, sed & personarum coercendarum v. g mitius & reverentius contra Episcopum sese opponentem, quam contra clericum inferiorem, interdicendo ei ingressu Ecclesiæ, vel Sacerdotali officio, vel terram illius jurisdictioni specialiter subjectam subjiciendo interdicto (non autem facile eandem excommunicando ob dignitatis excellentiam, ut recte notat Pir. *h. t. num 73. in fine*) ubi cum *specialiter*, quo textus utitur sine violentia referri non possit ad interdictum, ut cum Pelin. *in cit. c. sane n. 2.* Decio *num. 5.* & Covar. *in c. alma mater p. 2. §. 1. num. 4.* vult Suar. *de cons. disp. 36. s. 3. num. 7.* ita ut sensus sit: ut tunc tantum specialiter seu potissimum & tantum possit subjici interdicto, quando terra illius subjecta est tantum spirituali ejus jurisdictioni; referri debet ad jurisdictionem, ita ut sensus sit; si terra specialiter ei subjecta, id est, nullum præter illum dominum, etiam temporalem, habeat, quod interdici tunc possit prupter gravem Episcopi contumaciam. Ut Abb. *in cit. c. sane n. 6.* Laym. *n. 2.* Pirh. *l. c.* Wiestner. *ad h. t. num. 59.* Argum. *cap. si sententiam & cap. 1. de postul.* De cætero procedit responsio, ut constat ex *eodem cap. sane* & *cap. præterea hoc tit.* ut etiam puniendo & coercendo jurisdictionem suam delegatus exercere possit tam in partes litigantes quam in alios processum causæ impedire vel turbare volentes, licet id mandato delegationis expressum non sit; quia talis potestas coercendi istiusmodi, qui citati in judicium venire detrectant, necessario ad officium Judicis, non tantum Ordinarii, sed & delegati requiritur, ne alias ejus potestas ut inutilis facile eluderetur, & parum timeretur. Unde etiam id faciendo dici non potest delegatus egredi fines mandati. Quo etiam spectat, ut alias personas v. g. testes falsum deponentes, aut etiam ministros suos delinquentes circa processum causæ punire possit, modo illorum delicto impediatur aut retardetur ejus jurisdictio; alias enim ad Judices ordinarios proprios remittere debet puniendos. Abb. *in cit. cap. præterea hoc tit. num. 4.* Felin. *in cap. 1. h. t. num. 15.* Pirh. *hoc tit. num. 76. in fine* ubi etiam cum Decio *in cap. præterea num. 5.* Quod delegatus regulariter possit punire testem deponentem falsum, ne alias facile per occultationem veri ejus jurisdictio eluderetur. Extenditur quoque responsio, ut delegatus contra contumaces in non comparendo & parendo mandato possit procedere non tantum etiam per excommunicationem, ubi aliæ pœnæ non sufficiunt, verum etiam per pœnas extraordinarias, nota multam pecuniariam &c. Abb. *in citat. cap. præterea num. 2. & 4.* Pirh. *hoc tit. numer. 78.* Denique extenditur ad subdelegatum Principis, ita ut ille subdelegatus cum jurisdictione ad totam causam, vel saltem ad certum articulum, possit coercere seu punire inobedientes, & eum in exercitio jurisdictionis impedire volentes, ne & alias subdelegata jurisdictio elusoria videatur. Sumitur ex *c. ex literis h. t.* Pirh. *h. t. n. 80.*

QUÆSTIO DCCV.

An Judex delegatus cognoscere possit de sua jurisdictione.

RESp. Regulariter id eum posse, etiamsi pars citata delegato objiciat, nullam ei competere jurisdictionem. Sumitur ex *c. ex parte de rescript.* & *ibi* Abb. *num. 3.* Laym. *num. 3.* Pirh. *h. t. num. 82.* Cum enim Judex delegatus omnia agat nomine delegantis, de cujus jurisdictione, ut suppono, nullum movetur dubium, consequenter etiam habet potestatem cognoscendi, utrum literæ derogationis sint validæ & illud per sententiam interlocutoriam definiendi; secus ac res se habet cum Judice ordinario. V. gr. Episcopo, cui si probabiliter objiciatur non esse legitimum Episcopum, adeoque nullam habere jurisdictionem, non potest ipsemet de hoc dubio cognoscere, illudque per sententiam interlocutoriam definire; cum ejus jurisdictio non sit fundata, sicut est Judicis delegati jurisdictio fundata in delegante, de cujus jurisdictione certum est; adeoque judicaret directe in propria causa. Quamvis contrarium dicendum, ubi solum negaretur Ordinarius esse Judex competens respectu partis citatæ. Ita Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *in c. super literis de rescript. nu. 10.* & Felin. *ibid. num. 23.*

QUÆSTIO DCCVI.

An & qualiter procedere possit delegatus, coram quo objicitur actori, quod sit excommunicatus excommunicatione majore adeoque in judicio stare nequeat.

RESp. Si reo objicienti actori talem excommunicationem non statim, vel intra terminum competentem (nempe intra octo Dies, *c. 1. de except. in 6.*) legitime probetur, audiendus est actor, donec probetur excommunicatus, *c. prudentiam, h. t.* Si vero coram delegato legitime probatur, actorem excommunicatum fuisse ante impetrationem rescripti delegationis seu mandati Apostolici ad Judicem delegatum, is procedere seu causam cognoscere non potest; quia rescriptum impetratum ab excommunicato (nisi forte in causa appellationis vel absolutionis ab excommunicatione) est invalidum juxta *c. 1. de rescrip. in 6.* Si tamen actor probetur prius excommunicatus post impetrationem rescripti ad Judicem delegatum, potest is & debet procedere hoc modo: ut, si excommunicatus fuerit propter causam sibi delegatam, tunc ipse eum absolvat, servato tamen juris ordine; quia ut dictum aliquoties, Papa delegante causam, etiam alia accessoria, & quæ ad ejus expeditionem necessaria, commissa censentur. Si fuit excommunicatus propter aliam causam non pertinentem ad causam delegatam, & tunc, si excommunicatio reservata Papæ, remittere eam debet ad Papam. Et si non est reservata Papæ, ad excommunicatorem, sive hic sit Ordinarius sive delegatus aliquis, ut is eum absolvat, qui allegando & probando justam causam; quia ob manifestam contumaciam excommunicatus fuit, non tenetur eum absolvere, nisi prius præstita satisfactione juxta *c. ex parte, de V. S.* & *c. venerabilibus, de sentent. excommun. in 6. §. si autem.* Uti etiam eam absolvere non tenetur, nisi præstita prius cautione de parendo mandatis Ecclesiæ, si alleget causam aliam probabilem, non tamen notoriam, ob quam fuit excommunicatus. Si tamen eam excommunicans

per

per malitiam (quæ tunc constabit, si intra tempus ipsi a delegato præfixum eum non absolvat, nec causam probabilem, cur non debeat absolvi, alleget. Abb. *in c. prudentiam §. sexta num.* 3.) nolit absolvere, poterit ipse delegatus eum absolvere juxta *§. sexta cap. prudentiam*. Qui tamen etiam, ubi excommunicans non malitiose, sed ideo negat absolutionem, quia persistit in contumacia, ubi necessitas sic exigit, ut causa delegata v. gr. matrimonialis definiatur, poterit illum absolvere, non quidem absolute & simpliciter, sed ad tempus tantum, donec causa delegata fuerit expedita, vel in ordine ad præsentem actum judicialem dumtaxat, sive ut habilis fiat ad agendum in judicio, ita ut postea in eandem excommunicationem reincidat; cum per hoc non præjudicetur jurisdictioni excommunicatoris, dum hac ratione excommunicatio non est omnino relaxata, sed ad omnia alia adhuc permaneat, ut Pirh. *h. t. num.* 85. cum Laym. *in cit. §. sexta* quamvis, ut addit Pirh. ex Decio *in cap. prudentiam num.* 4. alias regulariter actor non possit ad reincidentiam absolvi ab excommunicatione in proprium suum commodum, sicut potestas testis in commodum partis. Porro, ut habetur quoque in *citat. cap. prudentiam §. si vero*. In casu, quo excommunicatore malitiose renuente absolvere actorem, is absolutus fuit a Judice delegato præstita cautione juratoria de parendo mandatis Ecclesiæ, tenebitur adhuc actor coram excommunicatore super illa causa, ob quam fuerat excommunicatus, respondere, ejusque mandatis obedire nisi Papa specialiter alteri hoc negotium commiserit. Si autem excommunicator malitiose quoque differat procedere in ea causa, ob quam fuerat excommunicatus, ipse delegatus Papæ poterit in ea causa procedere, eamque cognoscere & finire, principali trahente ad se accessorium; venit enim tunc dicta causa accessorie ad absolutionem, quam incidenter fecit delegatus; quia facultas absolvendi erat accessorie annexa principali ipsi delegato commissæ, ut Gl. *ad cit. c. prudentiam v. accessorie & ibid.* Abb. *n.* 2.

QUÆSTIO DCCVII.

An delegatus Principis possit sententiam a se latam per se ipsum exequi, & intra quantum tempus.

1. Resp. ad primum. Potest, si velit, sententiam a se latam causa absolute sibi delegata per seipsum exequi *cap. significasti hoc tit.* Commissio enim facta simpliciter intelligitur facta super toto negotio; adeoque delegata non tantum potestas cognoscendi & judicandi, sed etiam exequendi. Decius *ad cit. cap. in princip. not.* 2. Pirh. *hoc tit. num.* 92.

2. Resp. ad secundum. Delegatus Principis, cui absolute, non ad certum tempus delegata jurisdictio, tametsi non arctetur certo tempore ad terminandum processum (sunt enim rescripta justitiæ de se perpetua, hoc est, semper eorum usus & utendi facultas durat, quamdiu permanet & jus agendi & excipiendi, super quo fundantur *c. si autem de rescript. l.* 2. *C. de var. rescript.* juncta Gl. *v. perennia*;) post latam tamen a se sententiam ad exequendum illam (intellige tam per se quam per alium. Pirh. *num.* 97.) habet annum a die lationis sententiæ, ita ut eo elapso ejus jurisdictio expiret, etsi sententia ejus nondum data executioni, ut habetur *cap. quærenti hoc tit.* Est autem hic annus continuus, non utilis, sive semper currit, etiam diebus impeditis, habetque dies 365. Argument. *l. cum hæres §. Stichus ff. de statu liber.* quia in dubio, & dum aliud non expressum, tempus a jure concessum intelligitur de continuo. Abb. *in capit. quærenti a num.* 2. Pirh. *cit. n.* 97.

QUÆSTIO DCCVIII.

An etiam & qualiter possit exequi a se latam sententiam per alium?

Resp. potest id delegatus Papæ, ut constat ex *cit. cap. quærenti* & sic solent frequenter istiusmodi delegati executionem sententiæ a se latæ demandare ordinario loci; cum per illum id melius fieri possit qui habet officiales ad hoc idoneos, quales plerumque non habet delegatus. Abb. *in c. cap. quærenti num.* 6. Pirh. *hoc tit. num.* 93. quem etiam ad parendum & exequendum compellere potest, quippe eo in illa causa major & superior *cap. sane h. t.* Quod si autem ordinarius vel alius, cui executionem commisit, eam noluit, aut non potuit facere, poterit ipse commissionem ei factam revocare, & per seipsum vel proprios ministros exequi sententiam a se latam, prout habetur *cap. significasti* & Abb. *ibi num.* 6. Quod tamen sic intelligendum: modo delegatus eum, cui commisit executionem, non subdelegatum suum, sed solum ministrum ac veluti officialem suum constituerit; de quo est & procedit *cit. cap. significasti*. Nam si constituerit eum subdelegatum suum, censetur jam functus officio suo, & abdicasse a se omnem jurisdictionem, ut eam reassumere nequeat, saltem, si res non est amplius integra & subdelegatus negotium incæpit, etiam dum subdelegatus consentiret, & nollet exequi. Abb. *in cap. significasti num.* 7. Pirh. *num.* 93. & sumitur ex *cap. ex literis h. t.* Porro extendenda responsio quoque ad delegatum supremi Principis sæcularis, ita ut & is executionem sententiæ a se latæ demandare possit Judici ordinario, eumque ad exequendum compellere, etiam gravibus pœnis. Bartol. *in L. a D. Pio ff. de re judic. num* 2. Abb. *in cap. si quis de foro compet. num.* 31. Molin. *de Just. tract.* 5. *disp.* 26. *num.* 4. Pirh. *h. t. num.* 97. Tametsi enim id in jure civili non ita clare expressum; quia tamen decisum in Jure Canonico, cui standum etiam in foro sæculari, dum jure civili contrarium statutum non reperitur. Abb. *l. c.* estque pro utroque delegato tam Principis supremi sæcularis quam Ecclesiastici eadem ratio, nimirum, quia delegatus Principis habet potestatem veluti ordinariam, adeoque sicut is, ita & delegatus alteri executionem suæ sententiæ demandare potest. Porro teneri illum, cui demandata a delegato Principis mera seu nuda executio, post causam plene cognitam ac sententiam definitivam a Judice delegato latam illam exequi, etiamsi is dicat, illam injustam esse, habetur *cap. pastoralis §. quia vero h. t.* ubi Innoc. III. Episcopo Heliensi sciscitanti an si ordinarius, cui executio sententiæ demandatur, ipsam esse injustam cognoverit, debeat exequi, his disertis verbis respondet: quod, cum ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat, sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud delegatum efficere possit, ut ab hoc onere eum absolvat; cui decisioni etsi inhærendum firmiter cum Nav. *in cap. cum contingat de rescript. remed.* 1. *num.* 7. Covar. *l.* 1. *var. cap.* 1. *num.* 4. teneat Barbos. *in cit. cap. pastoralis §. quia vero num.* 12. Gonz. *ibid. nu.* 2. & alii passim, eo quod inferioribus de latis a superioribus sententiis, an justæ, an injustæ, judicare permissum non sit, sed acquiescendum. *L. si Prætor. ff. de Judiciis L. adversus C. si adv. rem judic.* Ne alias passim, si mandatam sibi executionem negare possint ordinarii, prætendendo, se existimare injustam sententiam, judicia perverterentur & eluderentur. Nihilominus hoc ipsum bene intelligendum & distinguendum, ita, ut procedat, si executor, saltem merus, privata scientia sciat (dum alias injustitia notoria non est, & maxime si causa civilis est, & non criminalis, in qua agitur de vita & membris) sententiam injustam, quia lata contra jus litigatoris, a qua intra tempus legitimum non fuit appellatum, adeoque transiit in rem judicatam; hæc enim, utpote solum injusta ex parte Judicis eam ferentis, ipso tamen jure valida est, ideoque mandanda executioni, ut finis sit litium. Pirh. *h. t. n.* 94. cum Gl. *in cit. c. pastoralis v. & si sciens*. Secus vero sit, seu executioni mandari non debet, si executor sciat sententiam delegati esse nullam, quia v. gr. lata authoritate falsarum literarum, ideoque a non habente jurisdictionem, vel ob manifestum errorem commissum, vel intervenientem fraudem adversarii tunc enim debet ad superiorem delegantem referre *l.* 2. *C. de crimine falsi* modo tamen talia non malitiose contra sententiam latam adjiciantur *c. de cætero de sent. & re Judic.* Pith. *l. c.* citans Suar. *de cens. d.* 3. *s.* 15. *nu.* 6.

QUÆSTIO DCCIX.

An delegatus ab inferiore ordinario v. g. Episcopo, vel etiam Subdelegatus possit sententiam a se latam exequi?

Resp. De Jure Canonico probabilius est id posse talem delegatum & subdelegatum, non tantum ubi id ei expresse commissum, sed etiam, ubi ei absolute causa commissa, nisi forte delegans executionem sententiæ in suo delegato vel subdelegato latæ sibi reservasset. Gloss. *in cap. si quis de foro competent. v. ipsius sollicitudine*. Abb. *ibid. num.* 32. Barbos. *in c. significasti num.* 2. Molin. *de Just. tract.* 5. *disp.* 26. *num.* 5. Pith. *h. t. num.* 98. Wiestner. *num.* 65. Fundatur hæc sententia in generali illo principio, quod, dum alicui causa absolute committitur censeantur omnia commissa, quæ ad eam expediendam, & ad ultimum effectum deducendam spectant, modo ea delegans committere possit, nec sibi quicquam

quam reservet; jam vero in Jure Canonico nullus est textus, quo Judex ordinarius inferior prohibeatur delegare, aut etiam delegatus Principis subdelegare causam absolute, quin etiam expresse quo ad executionem. Neque obstat *c. si quis de foro compet.* quia ibi non oegatur, delegatum ab ordinario non posse exequi suam sententiam, si ordinarius ei absolute causam commisit, & noluit per seipsum eam exequi, ut *in cit. cap. si quis*. Abb. *num. ultim.* vel etiam, ut Idem & Molin. Pirh. Wiestner. *LL. cit.* Laym. *in cit. cap. si quis num.* 3. dici potest, quod ibi ordinarius censeatur solum delegasse cognitionem & definitionem causæ, utpote circa quam tanquam suspectus haberi poterat, non vero executionem sententiæ circa quam suspectus haberi non poterat; cum sententiam jam ab alio, nempe delegato lata fuerit. Nihilominus contrarium tenent Imol. *in cap. quærenti hoc tit. num. ultim.* Hiltrop. *in processſ. Judic. p.* 2. *tit.* 7. *de Judic. deleg. num.* 65. Marant. *de jurisdict. ordin. part.* 4. *dist.* 5. *num.* 45. & *part.* 6. *de executor. num.* 4. Bartol. *in L. a D. Pio ff. de re Judic. num.* 14. qui tamen id admittit de Subdelegato a delegato Principis. Fundant se bi AA. in eo, quod jus civile statuens contrarium *citat. L. a D. Pio* ubi dicitur, ut sententiam datorum Judicum (nimirum a Magistratibus populi Romani vel aliis ordinariis juxta Gloss. *ibidem v. se* juncta Gloss. margin. *liter. B.*) ab his, qui eos dederunt, exequendam, non sit correctum a Jure Canonico; cum textus *c. significasti* & *c. quærenti* loquantur de solo delegato Papæ. Quod ipsum AA. nostræ sententiæ admittunt de Jure civili, nempe juxta illud delegatum non a Principe sententiam a se latam exequi non posse; eo quod hac lata officium delegati talis continuo expiret omnino, adeoque executionem dictæ sentententiæ ad Judicem ordinarium delegantem pertinere: idque ideo, quia quæ sunt Imperii meri & mixti (ad mixtum autem pertineat executio sententiæ:) juxta jus civile delegari non possunt. Abb. *loc. c.* Molin. *num.* 6. Pirh. *loc. citat.* non tamen inde sumi volunt argumentum, idem dicendum, quantum est de Jure Canonico. Quamvis cum Laym. *l. c.* moneant, quod, cum hæc res valde controversa sit, attendendam in praxi & observandam consuetudinem loci, & diligenter consideranda verba commissionis, num, ut addit Pirh. *in fine nu.* 98. contineant mandatum justitiæ.

QUÆSTIO DCCX.

An & qualiter delegatus Papæ ad exequendam suam sententiam, invocare possit brachium sæculare, & cogere, ubi illud necessario exhibendum, & quid faciendum, ubi illud injuste denegatum?

1. RESP. ad primum. Potest illud invocare eoque uti contra contumaces & impedire tentantes causæ sibi delegatæ expeditionem, & sententiæ a se latæ executionem in necessitate, ubi nimirum ordinariis remediis censurarum Ecclesiasticarum procedendo contra dictos contumaces nil proficit. Abb. *in cap. significasti num.* 8. Decius *num.* 4. Molin. *l. c. num.* 3. Covar. *pract. cap.* 10. *num.* 1. Pirh. *num.* 95. & plures alii apud Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 106. *num.* 39. cum communi; si enim id potest ordinarius Ecclesiasticus; & in specie Episcopus, ut habetur *Can. Administratores* 23. *quæst.* 5. poterit id quoque delegatus Papæ, utpote majorem in causa sibi commissa potestatem & authoritatem habens quodlibet ordinario *c. sane hoc tit.* Et hæc etiamsi ista imploratio brachii sæcularis in rescripto delegationis expressa non habeatur, siquidem hæc facultas implorandi brachium sæculare, utpote sine qua potestas & sententia delegati sæpe foret inefficax, ipso jure censetur delegationi inesse, etsi non exprimatur. His non obstante, quod specialiter idipsum quandoque exprimatur in mandatis Apostolicis, adjecta nimirum clausula: *invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis*: fit enim hoc, non de necessitate, sed ut major istiusmodi mandatis concilietur authoritas, dum expressa magis & efficacius, quam subintellecta tantum apprehenduntur. Abb. Decius. Pirh. *LL. cit.*

2. Respond. ad secundum. Sicut illud legitime imploratum ab Episcopis, eorum Vicariis & similibus Judicibus ordinariis negari non debet aut potest *cap.* 1. *de offic. ordin.* & *cap. final. de except. in* 6. ita multo minus negari debet aut potest delegato Apostolico, utpote qui vices & personam Papæ in causa ab eo sibi delegata repræsentat: adeoque sicut in præstatione illius auxilii honoratur, ita in ejus denegatione contemnitur. Dixi legitime imploratum; quia illegitime imploratum juste & sine ullo contemptu Sedis Apostolicæ denegatur. Uti fit primo, dum Judici sæculari, a quo illud petitur non constat, implorantem esse Judicem competentem, unde is potest petere ab eo exhibitionem literarum delegationis ad informandum se, num jure petatur & debeatur. Argument. *cap. cum in jure hoc tit.* Abb. *ibidem num.* 3. Menoch. *retinend. possess. remed.* 3. *num.* 360. Secundo ubi processus & sententia manifeste nulla v. gr. ob nonservatum ordinem juris. Felin. *in cap. cum sit de foro competent. num.* 8. Navar. *in cap. cum contingat de rescript. remed.* 1. *a num.* 7. Tertio, si sententia notorie injusta; eo quod nitatur expresso juris errore; cum talis sententia ipso jure sit invalida juxta *cap. inter cæteras de sentent. & re Judicat.* Felin. *ibidem num.* 5. Pet. Barbos. *in l. maritum ff. soluto matrimon. num.* 51. Non tamen ex hoc sequitur, quod Judex sæcularis, priusquam præbeat dictum auxilium possit cognoscere de justitia processus aut sententiæ, ut quidam legistæ cum Bartol. *in l. Magistratus ff. de jurisdict.* erronee putarunt siquidem gravissime a Jure Canonico inhibetur Judici & Curiæ sæculari nullatenus cognoscere de causis Ecclesiasticis, non tantum hæresis, ut constat ex *capit. ut inquisitionis de Hæretic. in* 6. & *constitut.* Gregor. XIV. quæ incipit: *cum alias* edita 1591. Sed & de aliis causis meris Ecclesiasticis, ut nec principaliter nec incidenter de iis cognoscere illis permittatur *cap. decernimus de Judæis cap. tuam de ordin. cognit. cap. si Judex de sent. excom. in* 6. adeoque non habeant nisi munus merorum executorum, & postulatum auxilium præbendi obligationem pro executione sententiæ, cujus nullitas aut injustitia notoria non est juxta *capit.* 1. *de offic. ordinar.* & *cap. fin. de except. in* 6. Absque eo, quod prætendere possint conscientiam de injustitia aut nullitate causæ, non secus ac eam Judex etiam Ecclesiasticus ordinarius, cui a delegato demandat, executio eam prætendere nequit. Argument. *cap. pastoralis §. quia vero h. t.* & juxta dicta a nobis supra. Quarto dum sententia necdum transiit in rem judicatam eo quod ab ea ad delegantem legitime appellatum, vel tempus ad appellandum indultum necdum elapsum; quia tantisper tunc jurisdictio delegati est suspensa. Navar. *loc. cit. v. quarto.* Alciat. *in cap.* 1. *de offic. ord. num.* 112. Quod tamen intelligendum de appellatione, quæ parit effectum tam suspensivum quam devolutivum, eo quod, quæ parit solum devolutivum, sicut non moratur executionem, ita nec implorationem brachii sæcularis, ait Wiestner. *hoc tit. n.* 70.

3. Respood. ad tertium. Dum neque ordinarius Ecclesiasticus (a quo tanquam potestate Ecclesiastica prius quam a potestate laica implorandum auxilium. Pirh. *h. t. nu.* 45.) neque Princeps sæcularis auxilium sufficiens præstare vult, potest ad hoc compelli censuris Ecclesiasticis. Argument. *cap.* & *§. fin. de maled.* Decius *in c. cum non ab homine de Judiciis num.* 9. Covar. *pract. cap.* 10. *num.* 1. Menoch. *de arbitr. cap.* 452. *a num.* 1. apud Wiestner. *hoc tit. num.* 70. dum vero uterque etiam sic compulsus negat dictum auxilium, vel etiam præstare non potest, non prohibetur delegatus ipse remedium adhibere conducendo manum armatam ad causæ expeditionem. Pirh. *citat. num.* 95 allegans Decium *in capit. significasti hoc tit. num.* 4. Argument. *cap. præterea hoc tit.* Sicut etiam Episcopus carens jurisdictione temporali in casu necessitatis ad defensionem jurium suorum & libere exercendam jurisdictionem suam adversus impedientes potest assumere Ministros armatos, licet alias clericis armorum usus sit probibitus. Argument. *capit. dilecto de Sentent. excomm. in* 6. Decius *loc. cit. num.* 7. & 8. Pirh. *hoc tit. num.* 93. *in fine* contra Abb. *in cap. significasti num.* 10.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De Recusatione Judicis Delegati & Appellatione ab eodem.

QUÆSTIO DCCXI.

An & qualiter delegatus recusari possit

RESp. tam Jure civili quam canonico recusari potest, dum affertur probabilis suspicio seu causa recusandi *c. suspicionis h. t. c. Lapertissimi & l. ult. C. de Judic.* Legitima autem causa recusandi est, quæ jure expressa est. V. g. dum Judex est dominus adversarii, cum quo litigandum *c. causam h. t.* eo quod minus censeatur peculiariter deligere ac velle defendere subditos suos. Pirh. *h. t. nu.* 130. Nomine autem Domini *cit. c. causam* intelligitur quicunque superior, etiam paterfamilias comparatione domesticorum suorum, ut Abb. *in cit. c. num.* 2. Habet quoque responsio locum, si plures sint Judices delegati, & unus solus habetur suspectus. V. g. quia inimicus est, constat ex cit. *c. causam* & *ibi* Abb. *num.* 1. Nisi tamen Judex sit utriusque partis, actoris & rei, Dominus. Argum. *c. transmissa de foro comp.* quia par causa affectionis excludit suspicionem. Gl. *in cap. 1. causa 3. quæst. 5. v. parentes* aut etiam desiit jam esse Dominus; cum tunc cesset causa suspicionis. Felin. *in cap. 17. h. t. nu. 3. fallent.* 7. Quamvis autem, considerata Domini persona aliisque circumstantiis, appareat aut apparere videatur, non esse locum suspicioni de sinistra illius affectione, adhuc posse esse locum recusationi; eo quod hæc causa (nempe quod Judex sit Dominus) sit jure expressa, adeoque præsumptio stet pro recusante, quæ difficulter per oppositam præsumptionem elidi possit, dum vehemens amor etiam judicia prudentum pervertat, ait Pirh. *hoc tit. num.* 132. Item legitima causa recusandi judicem delegatum ut suspectum est, si unus litigantium post contestatam litem factus est familiaris seu domesticus delegati *cap. insinuante hoc tit.* quia familiaritatis affectio impedire solet veritatem; ideoque propter illam recusari potest Judex. Gloss. *in cit. cap. insinuantem v. familiarem*. Ob quam singularis affectionis præsumptionem suspecto Domino, recusari etiam potest tota ejus familia. Gloss. citat. Pirh. *hoc tit. num.* 134. Item consanguineus impetrantis literas delegationis, quamvis appellatione remota ei causa delegata fuisset *cap. postremo de appellat.* Item Canonicus in causa Canonici ejusdem Ecclesiæ *cap. cum R. hoc tit.* Item recusato Episcopo recusari quoque potest ejus Vicarius seu Officialis; idque propter affectionem magnam, quam gerit erga Episcopum ob multas causas. Abb. in *cap. insinuante num.* 2. Pirh. *loc. citat.* Idque non solum in causa utrique delegata sive dum Vicarius est coudelegatus Episcopi, sed etiam dum Vicarius procedit ut Vicarius; eo quod tunc etiam magis recusari potest; quia censetur esse magis affectus erga Episcopum in jurisdictione sibi ab Episcopo communicata (intellige per assumptionem illius in Vicarium) quam in jurisdictione utrique delegata per Superiorem: ita Pirh. *loc. c.* verum vide me *in Vicar. Episc. quæst.* 90. ubi hanc quæstionem ex professo tractavi, uti & *quæst.* 91. ubi: num vice versa recusato Vicario recusari quoque possit Episcopus. De cætero limitatur responsio ita, ut recusari nequeat a parte litigante delegatus datus a Principe ad petitionem illius partis, nisi causa nova recusationis supervenerit. V. g. si post impetrationem talis delegati is in familiam suam assumpsit adversarium impetrantis; vel etiam nisi nova causa appareat, quæ antea cognita non fuit. Pir. *cit. num. 134. in fine* cum Gl. *in c. insinuante v. consenserit* & Abb. *ibid. n.* 10.

QUÆSTIO DCCXII.

An non solum partes litigantes, sed etiam tertius quis interveniens, dum ejus interest, Judicem delegatum recusare possit.

RESp. affirmative. Sumitur ex *cap. cum super hoc tit.* ubi, cum dejectus Abbatia, alio in ejus locum suffecto, litem intendit conventui, a quo dejectus, petens se restitui, substitutus ille, cujus causa per accidens agebatur, interveniens alterum ex Judicibus delegatis recusavit; recensentur quoque in *eodem cap.* tres causæ recusandi Judicem, sive ordinarium, sive delegatum. Prima, dum quis litem habet cum Judice; cum ex litibus nasci soleant inimicitiæ. Secunda, dum Judex signum benevolentiæ seu amicitiæ denegat, quod aliis ejusdem conditionis & status hominibus solet exhibere; cum ex eo præsumatur inimicitia, ut Abb. *in cit. c. cum super n.* 4. Felin. *ibid. n.* 4. Tertia, si Judex alias minatus sit, se data occasione ei nociturum, vel se de eo vindicaturum. Felin. Abb. *LL. cit.*

QUÆSTIO DCCXIII.

Qualiter procedendum dum delegatus ut suspectus recusatur.

1. RESp. primo. Distinguendum hoc in puncto inter delegatum Papæ alteriusve principis, & inter delegatum ordinarii inferioris Principe. Ac primo quidem loquendo de delegato Principis; dum recusatio manifeste injusta est aut frivola, alterius arbitrio opus non est, sed potest delegatus ipse eam rejicere; secus ubi recusatio talis non est. Gl. *in cap. cum speciali de appell. v. justæ suspicionis* juncta Gl. margin. Tametsi enim Judex delegatus regulariter possit cognoscere, an sua sit jurisdictio *l. 2. ff. si quis in jus vocat. non ierit. l. si quis ff. de Jud.* adeoque an hoc vel illa non obstante procedere possit eam exercendo, id tamen fallit, dum non injuste & frivole recusatur ut suspectus ob præsumptionem, ne forte noceat parti recusanti, ideo, sicut est suspectus in causa principali, ita etiam in quæstione incidente, nimirum competentiæ vel incompetentiæ jurisdictionis. Imol. *in c. suspicionis h. t. n.* 3. Abb. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 136. Proinde jam ex Juris dispositione, nempe *c. cap. suspicionis* de consensu partium eligendi sunt arbitri, qui probationes causarum suspicionis recipiant, recognoscant & dijudicent, potestate ad hoc sibi facta a jure ad assumptionem partium. Quæ proinde eorum potestas seu jurisdictio, licet multum accedat ad ordinariam, non potest delegari; cum sit extraordinaria, & ad quædam particularia detur. Molin. *de Just. tr. 5. d. 23. n.* 11. diciturque a Gl. *in cit. c. suspicionis v. ad quos* non mere, sed quasi ordinaria; cum non sit nisi ad certum articulum; nec etiam mere delegata; quia Princeps eos non constituat, quamvis eam accedere potius ad delegatam dicat Abb. *l. c. ad cit. c. n.* 9. eo quod sub *h. t. de Judice deleg.* ponatur *hoc c. de dictis arbitris*.

2. Possunt hi arbitri omnia, quæ ad articulum hunc recusationis ob suspicionem spectant, peragere. V. g. citare partes, præfigere illis terminum ad probationes afferendas, testes compellere ad testificandum, eos, si delinquant, punire, ipsos examinare, exceptiones contra personas & eorum dicta admittere, ac demum pronunciare, num allatæ causæ suspicionis justæ sint, an injustæ. Abb. *l. c. n.* 3. Molin. *n.* 10. Pir. *cit. n.* 136. Quod si arbitri causam recusationis diutius protrahant, debet Judex ordinarius, vel etiam potest Judex delegatus recusatus ipsis competentem terminum præfigere, intra quem vel ipsi inter se, vel si consentire non possint, cum tertio causam suspicionis seu recusationis decidant; alioqui eo elapso ipse delegatus recusatus jurisdictionem assumere, & in causa principali procedere potest, ac si recusatus non fuisset juxta *c. 2. de appell. in* 6. quod *c.* contrarium non est *c. suspicionis* adeoque male a Gl. *in cit. c. suspicionis v. ad quos* dicitur, hoc per illud correctum. Nam *cap. suspicionis* non loquitur de termino constituendo arbitris, sed de termino constituendo partibus ad probandam causam recusationis, quem terminum negat constituendum partibus ab ipso delegato (utpote qui, ut dicitur *cit. c.* provocatus per hoc forte obesset) sed ab ipsis arbitris. Ita Abb. *ad cit. c. suspensionis n.* 9. Barbosa *n.* 5. Pirh. *h. t. n. 136. in fine*. Quod si vero arbitri sententias suas pronunciaverint in discordia, quia unus pronunciavit, causam suspicionis esse legitimam, ac probatam, alter, non esse legitimam, adeoque jam functi sunt officio suo, ita, ut nihil amplius agere possint, ad superiorem delegantem recurrendum est, qui approbabit unam ex sententiis illis in discordia latis. Abb. *n.* 11. Argum. *c. ult. de sent. & re Jud.* Quod ipsum etsi de jure verius esse dicat Pirh. *l. c.* addit tamen probabile etiam

esse,

esse, & æquitati magis consonum, quod arbitri eligere possint tertium diremptorem, ne causa delegata maneat indecisa, pro quo citat Durand. *in specul. de recus. §. ult. n.* 6.

3. Resp. secundo. Dum duo sunt delegati simpliciter sine clausula: *ut si ambo non possunt, unus seu alter eorum vel alii* (dum plures sunt quam duo) *in causa procedant*: cum tunc unus sine alio procedere nequeat. Gl. *in cit. c. suspicionis v. clausula*, locum habent dicta de arbitris consensu partium eligendis, qui ubi causam justam recusationis receperint, ipsi quoque de causa principali cognoscent. Pirh. *h. t. n.* 138. cum Laym. *in concl. can. de jurisd. ord. concl.* 41. Si vero adest dicta clausula, & uni delegatorum legitima causa suspicionis objicitur, non est recurrendum ad arbitros, sed debet illam coram altero condelegato non recusato (ad quem vi prædictæ clausolæ causæ ipsius cognitio pertinet) probari, & ab eo expediri *c. si contra h. t. in* 6. dum enim uni ex delegatis objecta causa recusationis probata fuit, is amplius in ea causa procedere nequit; adeoque ipsius quoque principalis causæ cognitio & expeditio ad alium vel alios non recusatos devolvitur. Laym. Pirh. *LL. cit.* Non enim ex eo, quod alter condelegatus non recusatus pronunciet, socium suum juste recusatum, præsumi debet, quod is ita pronunciaverit, ut ipse solus maneat Judex delegatus; etsi enim esse solum Judicem sit major honor, quam esse Judicem cum alio, honor tamen iste simul est onerosus; onerosa autem a nemine appeti censeotur. Pirh. cum Gl. *in cit. c. v. probari* juncta Gl. margin.

4. Resp. tertio. Dum unus ex duobus delegatis a Papa vel a Principe alio supremo alteri subdelegavit totam causam, hicque ut suspectus recusatur, antequam partes citaverit, causa recusationis, non coram arbitris, sed coram delegato subdelegante probanda, isque de ea cognoscere potest. Si vero prius post factam citationem recusetur, arbitri eligi debent, qui de recusatione subdelegati cognoscant, vel, si adjecta clausula: *quod si non ambo, unus eorum procedat*: condelegatus non recusatus de ea cognoscet. Argum. *c. si contra h. t. in* 6. sequitur ex dictis *resp. præc.* Quod si tamen subdelegato non nisi pars tantum seu articulus unius causæ subdelegatus fuit, facta ejus recusatione post citatas jam partes, ipse quoque delegatus subdelegans de recusatione subdelegati cognoscet: Argum. *c. super quæstionum h. t. §. si vero* Glos. *in cit. c. si contra v. Episcopi* in hoc enim casu factæ non in totum subdelegationis, cum subdelegans reservet sibi partem aliquam jurisdictionis, manet superior seu Judex, adeoque coram eo, si solus delegatus est, & non recusatus, negotium recusationis tractari debet, ut si facilius minoreque cum dispendio partium expediatur. Molin. *cit. tr.* 5. *d.* 23. *n.* 15. Barb. *in c. suspicionis n.* 17. Pirh. *h. t. nu.* 143. juxta *c. super quæstionum §. porro in fine*.

5. Resp. quarto. Dum delegatus ordinarii inferioris Principe. V. g. Episcopi recusatur, non est recurrendum ad arbitros, sed ipse delegans non suspectus de causa recusationis cognoscere debet, prout habetur *c. si contra h. t. in* 6. *§. cum autem* nisi forte Episcopus seu ordinarius delegans procul abesset, & ad ipsum causa facilè referri nequiret; tunc enim ad arbitros recurrendum. Gl. *in cit. c. si contra v. Episcopi* juncta Gl. margin. & Anchar. *ibid. not.* 4. Pirh. n. 140. Ideo enim recusato delegato Papæ ex dispositione juris recurrendum ad arbitros, & non ad Papam ejusve immediatos ministros, quia hi & ille longe distare solent; adeoque sine magna molestia & sumptibus adiri nequeunt. Quę ratio in delegato ordinarii longius absentis locum quoque habet. Molin. *l. c.* quamvis Pirh *l. c.* addat, quod in tali casu longius distante Episcopo, potius illius Vicarius generalis, utpote idem cum Episcopo tribunal habens, de causa suspicionis delegato Episcopi objecta cognoscere debeat; citat pro hoc Anchar. *ubi ante* & Franc. *ibid. n.* 3. *not.* 4. Idemque tenet Sbroz. *de Vicar. Episc. l.* 3. *q.* 16. *n.* 4. citans Jo. And. *in c. si contra n.* 4. & Gemin. *n.* 7. Vel etiam, nisi causa suspicionis non tantum delegatum Episcopi seu alterius ordinarii, sed & ipsum quoque Episcopum afficeret. V. g. quia adversarius, cum quo quis litigat, est domesticus vel consanguineus Episcopi, tunc enim Episcopus de causa recusationis cognoscere non debet, sed vel delegandus alius non suspectus, vel arbitri sunt eligendi juxta *c. cum speciali de appell. cap. insinuante h. t.* Pirh. *h. t. n.* 142. Sbroz. *l. c. n.* 3. citatis Gemin. *in c. si contra n.* 10. Oldr. *cons.* 268. & aliis. Porro, quæ de delegato Episcopi hic dicta sunt, locum quoque habent in Officiali seu Vicario generali Episcopi, ita ut, dum is aliunde suspectus non sit, de causa recusationis cognoscere debeat. Sbroz. *l. c. n.* 1. citans Host. *in c. legitima de appell. in* 6. *n.* 7. Gemin. *in c. non putamus de consuet. in* 6. *n.* 7. Redoan. *de Rebus Eccles. non alienand. q.* 22. *c.* 3. *n.* 37. & 30. Item Pirh. *h. t. n.* 141. juxta expressum textum *c. si contra*. His non obstante, quod, prout *ibi* quoque expresse, quod a Vicario ad Episcopum appellari nequeat. Cujus ratio est, quod recusatio Vicarii concernat ejus personam, seu ejus personæ adhæreat, nec quo ad illam faciat idem tribunal cum Episcopo, appellatio aut respicit jurisdictionem, quæ in Episcopo ejusdemque Vicario est eadem, & ideo ab hoc ad illum appellari nequeat, adeoque jam non prohibetur cognoscere causam recusationis sui Vicarii, sicut prohibetur cognoscere causam appellationis. Vide me *in Vicar. Episc. q.* 92.

QUÆSTIO DCCXIV.

Num si Judex delegatus dubitans de potestate sui condelegati, eo quod is sit recusatus, una cum eo proferat sententiam, an valeat?

RESp. ubi uterque datus simpliciter in simul, adeoque neuter sine alio procedere potest, indubitatum est, sententiam prolatam nomine utriusque non valere, ubi alter juste est recusatus. Patet ex dictis; quia recusatus ille procedere nequivit, nec etiam alter non recusatus sine illo. Dum vero dati cum dicta clausula: *si unus non possit, procedat alter*: valebit sententia prolata a delegato non recusato nomine utriusque. V. g. *condemnamus*: si protestetur, se velle, ut sententia valeat tanquam a se solo lata, si non valeat ut lata ab utroque conjunctim. Quia tunc habet & voluntatem (quam manifestat dicta protestatione) & potestatem procedendi. Secus est, si non protestetur dicto modo; quia tunc præsumitur delegatus ille non recusatus noluisse, quod potuisset, nimirum agere se solo, præsertim, si putet, socium suum non caruisse jurisdictione, eo quod putet illum injuste recusatum, ita cum Laym. *in cit. c. cum super n.* 7. Pirh. *n.* 146. Argum. *L. qui in aliena, §. si quis ff. de acquirenda hæred.*

QUÆSTIO DCCXV.

Num Judex delegatus Papæ legitime recusatus vices suas possit committere seu subdelegare alteri?

1. RESp. primo, id eum posse, antequam recusatio contra eum proponatur, *c. Judex; h. t. in* 6. & *ibi* Gl. *v. quod possidet*. Judex enim, licet suspectus sit, est tamen & manet Judex, quamdiu actu contra eum non excipitur, ergo sicut potest causam cognoscere, & in ea valide pronunciare, antequam recusatur, sic etiam eam alteri committere seu subdelegare. Gl. *in cit. c. v. proponatur, in fine*. Vivian. *in ration. Jur. Pontif. in cit. c.* Pirh. *h. t. n.* 147. Et quod si causam in totum delegavit, nec recusari ulterius, nec commissio seu delegatio per eum facta ulterius impugnari potest (intellige, ubi subdelegatus jam inchoavit exercitium jurisdictionis) *cit. c. Judex*. Quia causa suspicionis solam personam delegati (qui postquam causam in totum subdelegavit, se amplius intromittere nequit, aut etiam postquam subdelegatus incæpit uti jurisdictione, eam revocare) concernit seu afficit, & non transit ad successorem, seu ad subdelegatum. Argum. *L. an vitium, ff. de divers. tempor. præscript.* Si tamen & ipse subdelegatus suspectus esset, posset is recusari, & delegatio ei facta impugnari. Molin. *l. c. n.* 14. Vel etiam, si negaretur delegatum habuisse jurisdictionem, adeoque nequivisse alteri subdelegare; tunc enim ipse recusari & commissio ejus impugnari posset. Pirh. *h. t. n.* 148. citans Jo And. *in c. Judex, v. impugnari*.

2. Resp. secundo. Si vero delegatus partem solum aliquam, seu articulum unum causæ subdelegavit, reservando sibi cætera, potest adhuc recusari & subdelegatio impugnari, ut habetur *eod. c. Judex*, & *ibi* Gl. *v. quod possit*. Pirh. *n.* 147. quia tunc non tantum in eo, quod reservavit, manet Judex, sed etiam ratione illius reservationis potest totam jurisdictionem subdelegati ad se revocare; quia manet superior illius, ac ita per sinistram affectionem parti litiganti nocere posset; adeoque contra illum excipi adhuc potest. Gl. *in cit. c. Judex v. aliquid*, juncta Gl. margin. Anchar. *ibid. not.* 3. Pirh. *n.* 148. *in fine*.

3. Resp. tertio. Potest nihilominus delegatus suspectus, etiam postquam causa recusationis jam proposita & probata, si pars recusans consentiat, vices suas subdelegare, prout habetur, *cit. c. Judex, §. post recusationem*, quia, licet per depositionem & probationem causæ recusationis contra delegatum ejus jurisdictio sit suspensa & impedita, non tamen omnino extincta; adeoque, ubi hoc impedimentum tollitur per dictum consensum recusantis, potest eam exercere, & facere subdelegationem. Si autem etiam super causa recusationis pronunciatum sit, & contra eum lata sententia interlocutoria, ne quidem de consensu partis recusantis subdelegare poterit; quia jam desiit esse Judex, & jurisdictionem omnem amisit, quam ei partes, rursum consentiendo in illum, reddere nequeunt; cum privati jurisdictionem dare non possint, ei, qui

nulli

nulli judicio præest, *l. 3. C. de jurisd. omn. Judic.* adeoque jam delegatus talis jurisdictionem, quam ipse non habet, alteri subdelegando dare nequit, *eod. c. Judex*, juncta Gl. *fin.* & Franc. *ibidem num.* 3. etsi a sententia contra se lata appellare possit, ut Pirh. citato Jo. Monach. *in cit. c. num.* 2. & 3. Secus proinde est in tali Judice delegato, quam in Judice ordinario, quippe qui, tametsi ut suspectus recusatus, & contra illum pronunciatum, potest ac debet causam alteri non suspecto delegare; quia adhuc jurisdictionem retinet (intellige, non quidem quoad exercitium procedendi in causa principali per seipsum, sed per alium constitutum a se) ideoque causam committere potest alteri, *c. si quis, de foro compet.* juncta Gl. *vers. executor.* Pirh. *h. t. num.* 149. citatis Anchar. & Franco.

QUÆSTIO DCCXVI.

An Judex delegatus, etsi ipse forte non suspectus ratione personæ suæ, propter locum tamen suspectum recusari possit?

Resp. affirmative. Sumitur ex *c. cum Raphael. h. t.* Sic si reus seu pars citata ad locum Judicis delegati secure accedere nequit, quia v. g. propter magnas inimicitias civitatis suæ cum civitate altera, hujus Judici, dum is delegatus est, se sistere nequit, potest illum Judicem recusare, & petere alium. Abb. *in cit. c. cum Raphael. n.* 1. & Imol. *in princ.* pars enim quæ non potest secure & libere accedere ad locum judicii, cum gravetur in obtinenda justitia, potest libere illum locum recusare, & si non admittatur recusatio, appellare, *c. ex parte, de appell.* Pirh. *h. t. n.* 151.

QUÆSTIO DCCXVII.

An & quando appellari possit a subdelegato?

1. Resp. primo. A subdelegato, cui vel tota causa, vel pars ejus commissa cum jurisdictione vel causæ cognitione; cum eo ipso sit Judex, ab eo, si partes gravet, tanquam a Judice appellari potest; non vero a mero auditore seu executore, cui sola executio seu articulus non jurisdictionalis, adeoque nudum ministerium commissum, sumitur ex *c. super quæstionum h. t.* quia talis non est proprie Judex; cum non habeat causæ cognitionem, & quia potius subdelegans quam talis subdelegatus censetur gravare, a subdelegante appellandum. Pirh *h. t. num.* 104. cum Gl. *in cit. c. super quæstionum vers. executorem*, & *ibid.* Abb. *num.* 11. Quod si tamen talis auditor seu executor limites suæ commissionis excedat, vel indirecte gravet, potest ab eo appellari extrajudicialiter, ut evitetur injustum gravamen, quod de facto intulit, etsi actus sit nullus, quia factus contra vel ultra formam mandati. Abb. *loc. cit. num.* 4. qui tamen *num.* 12. ait, prius talem auditorem tanquam suspectum recusandum, & tunc, si recusationem admittere nolit, ab eo appellandum; quia hoc ipso gravat; licet autem de consensu partium deputatus recusari non possit, nisi ex nova causa, dum per illum consensum partes fatentur, illum non suspectum, *c. insinuante h. t.* potest adhuc ab eo appellari, si mandati fines excedat. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *in cit. c. insinuante, vel assensu.*

2. Resp. secundo. Si delegatus Papæ causam sibi commissam non totam, sed reservata sibi parte, subdeleget alteri cum jurisdictione, pars litigans non potest ex eo capite, quod delegatus sine suo consensu subdelegarit, appellare a subdelegato; quia, cum delegatus Papæ habeat jus subdelegandi, utendo hoc jure suo seu subdelegando sine consensu partium eas non gravat. Argum. *c. super quæstionem.* Pirh. *num.* 106. citans Vivian. *in ration. Jur. Pontif. ad c. super quæstionum, §. ejus ergo.* Dum autem subdelegatus a delegato Papæ juste recusatur re adhuc integra, seu antequam subdelegatus negotium inchoavit, potest adhuc ipse delegatus, etiamsi totam causam subdelegasset, eam expedire, redeunte ad eum tota jurisdictione. Unde & ad eundem in hoc casu spectat definire, num subdelegatus illius recte recusetur; adeoque an debeat esse Judex in illa causa. Quod si tamen delegatus justam causam recusationis subdelegati sui nollet admittere, potest ab illo, utpote per hoc injuste partes gravante, ad superiorem delegantem, nimirum Papam, appellari. Abb. *loc. cit. num.* 3. Pirh. *hoc tit. num.* 106. pro ut hæc omnia sumuntur, *ex cit. c. super quæstionum.*

QUÆSTIO DCCXVIII.

Ad quem appellandum a delegato vel subdelegato?

1. Resp. primo. A delegato Judicis ordinarii inferioris. V. g. Episcopi semper appellandum ad delegantem, *l. 1. & L. fin. ff. quis & a quo appell.* vel ad ejus in officio successorem, *cit. l. 1.* juncta Gl. *v. & successor.* Idque, sive totam causam, sive partem tantum delegavit. Cum enim ordinarius propriam ac stabilem habeat jurisdictionem, eam, etiam totam causam delegando abdicare nequit. Unde etiam semper jurisdictionem delegatam revocare potest, secus ac est in delegato, qui, cum non propriam, sed concessam tantum jurisdictionem habeat, eam in totum subdelegando abdicare potest, ita ut ubi subdelegatus ea uti cæperit eam revocare nequeat. Anchar. *in c. is cui, h. t. in* 6. Pirh. *n.* 107.

2. Resp. secundo. A delegato Papæ subdelegante causam totam, non ad subdelegantem, sed ad Papam appellandum, *c. super quæstionum. §. Porro.* Dum enim is delegavit totam causam, in eo extincta est jurisdictio, & desinit esse Judex, Abb. *in cit. §. porro, num.* 4. adeoque ad eum tanquam privatum jurisdictio per appellationem transferri nequit, etiam partibus consentientibus; cum consensus partium, dum hæ privatæ personæ sunt, non faciat Judicem eum, qui nullam jurisdictionem habet, *l. 3. C. de jurisdict. omn. Judic.* Secus est, seu non appellandum ad Papam, sed ad ipsum subdelegantem, ubi is solum articulum aliquem causæ. V. g. inquisitionem & depositionem testium commisit, *cit. §. porro* (Idque, sive facta ei a Papa delegatio cum clausula: *appellatione remota*: sive simpliciter absque tali clausula. Gl. *in cit. §. porro* communiter recepta. Abb. *num.* 5. Pirh. *hoc tit. n.* 109. contra Hostiens.) cum, quando is reservavit sibi partem aliquam v. g. sententiam, in eo radicata permaneat jurisdictio. Abb. *loc. cit.* adeoque delegatus Papæ non tantum in causa principali, sed etiam in causa appellationis repræsentat Papam. Idem est, seu appellandum ad subdelegantem, dum alteri subdelegavit articulum aliquem non jurisdictionalem, sive merum & nudum ministerium. V. g. potestatem audiendi partes absque potestate cognoscendi causam &c. Abb. *loc. cit. n.* 1. Pirh. *l. c.* Porro dum in Jure Civili, *l. 1. §. 1. ff. quis & a quo appell.* contrarium statui videtur, nimirum a subdelegato a delegato Principis non appellandum ad subdelegantem, sed ad ipsum Principem, id intelligendum non absolute, sed juxta dicta jam a nobis & conformiter Juri Canonico, *cit. c. super quæstionum, §. porro*, nimirum, ut ubi delegatus Principis totam causam subdelegavit, non vero, dum is partem aliquam sibi reservavit, cum communiore tenent Gloss. *in cit. §. porro, vers. ad eum.* Abb. *ibid. num.* 4. Marant. *de jurisdict. ordin. part. 4. dist. 5. num.* 27. Molin. *tract. 5. disp. 21. num.* 6. Barbos. *in c. si delegatus, hoc tit. in* 6. *n num.* 9. Pirh. *hoc tit. num.* 112. eo quod inter leges civiles & SS. Canones non facile admittenda sit differentia; ubi diversum expresse statutum non reperitur, sed potius Jus unum per aliud explicandum & supplendum. Argum. *c. 1. de novi oper. nunciat.* Abb. *loc. cit.* Barbos. *num.* 11.

3. Resp. tertio. A subdelegato cui pars solum causæ delegata, dum interim subdelegans moritur aut excommunicatur excommunicatione majore, appellandum ad primum delegantem v. g. Papam, ne, si diutius exspectandum sit, donec subdelegans absolvatur ab excommunicatione, vel eligatur successor in locum defuncti (intellige, dum ei non expresso nomine proprio, sed dignitatis vel officii, facta delegatio) causæ expeditio cum partium litigantium præjudicio nimis diu protrahatur. Ita habetur *c. si is h.* 1. Idem est, dum subdelegans suspenditur, vel fit hæreticus. Barbos. *ad cit. c. si quis num.* 6. Pirh. *h. t. num.* 116. Item si subdelegans diutius aut remotius absit. Secus, si brevis tantum absentia. Anchar. *in cit. c. not.* 4. Franc. *not.* 3. & in genere, si impedimentum jurisdictionis non sit diu duraturum; quia v. g. excommunicatus brevi absolvendus, defuncto brevi dandus successor; cum propter impedimentum non duraturum causæ protrahendæ non sit recedendum a Jure communi. Gl. *in cit. c. si is, v. durante.* Laym. *ibid. n.* 1. Anchar. Pirh. *LL. c.*

4. Resp. quarto. Similiter a subdelegato Papæ non in totum non est appellandum ad subdelegantem, sed ad primum delegantem, ubi pars citata coram subdelegato excepit, quod non teneatur eum admittere, eo quod mortuus sit Papa delegans, antequam per ipsum delegatum vel subdelegatum in causa processum. Idemque est in aliis omnibus casibus in quibus delegatus negatur habere jurisdictionem, ne alias appellans sit sibi contrarius, dum appellando ad subdelegan-

legantem fateretur, eum habere jurisdictionem, quod tamen ante excipiendo negaverat. Ita statuitur *cap. si a subdelegato hoc tit. in 6.*

5. Resp. quinto. Dum ex duobus delegatis a Papa vel Principe cum clausula: *Remota appellatione*: unus condelegato suo vices suas commisit seu subdelegavit, non potest a subdelegato hoc ad subdelegantem appellari, sed appellandum ad primum delegantem seu Principem *cap. super quæstionum §. si vero hoc t.* Neque, dum subdelegata ab eo tota causa; cum ut jam dictum aliquoties, omnis in subdelegante cessavit jurisdictio. Neque si pars illius tantum ab eo subdelegata. Si enim in hoc casu posset appellari a subdelegato ad subdelegantem, is jam posset cognoscere de facto condelegati seu collegæ sui, (qualis per substitutionem illam seu subdelegationem factus est subdelegatus ille;) quod fieri nequit; cum par in parem imperium non habeat *cap. innotuit de elect.* & appellatio fieri debeat ad Judicem superiorem, & non ad parem; uterque autem delegatus sunt in causa sibi delegata pares. Gloss. *in cit. §. si vero v. si non possunt.* Abb. *ibidem numer.* 5. Pirh. *hoc tit. num.* 114. ubi etiam, quod dici nequeat, in hoc casu appellari ad delegatum, non qua delegatum sed qua subdelegantem, qui ut sic sit superior subdelegatu; eo quod, cum jurisdictio delegati, cui a collega fit subdelegatio, sit individua, & is unam sententiam proferat, adhuc reipsa appellaretur a pari ad parem. Sed neque potest unus delegatorum cum clausula: *Submota appellatione*: alteri condelegato committere vices suas; cum privilegium illud procedendi appellatione remota (quod a solo Principe concedi potest, utpote cujus solius est tollere remedium appellationis. Abb. *cit. num.* 5.) concessum a Principe sit personale, adeoque ab eo incommunicabile & insubdelegabile alteri, etiam collegæ suo. Neque etiam (intellige, licet delegatio facta sit duobus a Principe sub clausula; ut unus solus procedere possit, ubi alter impeditus) condelegatus, cui a collega facta subdelegatio procedere potest remota appellatione, aut etiam ipse causam subdelegare alteri, *cit. §. si vero hoc tit.* Uti utrumque poterat ante subdelegationem sibi factam a collega ratione potestatis sibi delegatæ a Principe. Idque ob admixtionem imperfectionis jurisdictionis, nempe sibi a collega subdelegatæ. Abb. *in cit. §. si vero num.* 3. & 4. Siquidem ante subdelegationem illam sibi factam procedere poterat tantum ut delegatus Principis, post illam vero tantum ut subdelegatus delegato; cum quando concurrit jurisdictio delegata cum jurisdictione subdelegata in eadem persona, in effectu censetur esse potius jurisdictio subdelegata quam delegata, effectu sequente deteriorem partem sua causa, ut habet axioma Philosophorum. Adeoque jam delegatus talis Principis ob adjunctam subdelegationem, quæ est minus perfecta, quam delegatio, præstare non potest, quæ præstare poterat ratione delegationis. Pirh. *n.* 513. Laym. *in cit. §. si vero in fine.*

6. Resp. sexto. Dum ex tribus delegatis Apostolicis duo subdelegant vices suas duobus aliis non in totum, si postquam hi duo subdelegati cum tertio illo delegato processerunt ad cognitionem articuli sibi subdelegati, appelletur, non ad subdelegantes, sed ad primum delegantem, nempe Papam, appellandum, prout statuitur *c. si duo h. t. in* 6. Quoties enim in causa aliqua concurrunt plures Judices habentes diversam jurisdictionem, attenditur quo ad appellationem, jurisdictio dignior (qualis est delegata respectu subdelegatæ) digniore seu potiore trahente ad se minus dignum, dum concurrunt, etsi minus dignum numero excedat dignius, prout contingit in præsente casu, dum duo subdelegati cum delegato causam cognoscunt. Gl. *in cit. cap. si duo in notatis.* Anchar. *ibid. nu.* 3. Barbos. *num.* 2. & 5. Pirh. *hoc tit. num.* 117. adeoque appellandum in hoc casu ad superiorem delegati. Quemadmodum, dum in eadem causa concurrunt ordinarius & delegatus Papæ, non ad superiorem ordinarii, sed ad superiorem delegati appellandum; quia delegata a Papa jurisdictio dignior est jurisdictione ordinaria ordinarii. Uti etiam, si Judex ecclesiasticus & sæcularis simul causam cognoscunt, appellatio fieri debet ad superiorem Judicis Ecclesiastici. Bartol. in *L.* 1. *§. si quis ff. de appellat.* & alii apud Barbos. *loc. cit. nu.* 4. Adde, quod si in præsente casu appellaretur ad subdelegantes, appellaretur a pari, saltem pro parte, nimirum a delegato una cum subdelegatis cognoscente ad pares, nimirum subdelegantes. De cætero responsio extenditur quoque ob paritatem rationis ad casum, ubi unus tantum ex tribus delegatis subdelegavit vices suas alteri, vel duo uni tantum externo subdelegarunt. Gloss. *hic v. ex tribus.* Barbos. *l. c. nu.* 6. Item ad casum, ubi ex duobus solum delegatis unus vices suas subdelegavit in totum alicui alteri, & alter alicui alteri partem tantum, ita ut tunc non ad subdelegantem vices suas quo ad partem tantum alteri, sed ad primum delegantem sit appellandum. Eo quod tunc quo ad appellationem attendatur solum subdelegatio illius, qui in totum subdelegavit. Barbos. *num.* 7. Pirh. *h. t. n.* 118. Item ad casum, dum ex tribus delegatis duo vices suas non in totum commiserunt, non extraneis, sed tertio collegæ seu condelegato suo. Quia cum tunc in persona illius tertii concurrat jurisdictio delegata & subdelegata, prior solum attenditur tanquam dignior Gloss. *in cit. c. si duo v. duobus aliis* Barbos. *n.* 8. & 9.

QUÆSTIO DCCXIX.

Ad quem ab arbitris appellandum.

Resp. ab arbitris, quæ ex præscripto juris *cap. suspicionis hoc tit.* a partibus sunt eligendi, ut de causa suspicionis delegato Papæ objecta cognoscant, vel qui juxta *capit. pastoralis de rescript.* eligi debent, quando diversi Judices super revocatione literarum Apostolicarum in unam sententiam concordare nequeunt. Ab his inquam arbitris, si gravent, non ad Judicem recusatum in causa suspicionis, nec ad Judices discordantes in causa revocationis literarum Apostolicarum (hi enim sicut circa causam principalem, sic etiam circa accessoriam, a qua appellatur, suspecti sunt) sed ad Papam appellandum. Prout habetur *cap. ab arbitris hoc tit. in* 6. quia isti arbitri, etsi eligantur a partibus, cum de earum præjudicio agatur, potestatem tamen habent, non a partibus, sed ab ipso jure, funguntur vice delegatorum ipsius Papæ. Adeoque sicut alias a delegatis Papæ, ita & ab illis legitime appellatur ad Papam; licet subdelegare nequeant, uti possunt delegati Papæ. Franc. *in cit. c. ab arbitris Gl.* 2. Barbos. *num.* 2. Pirh. *hoc tit. nu.* 121. His non obstante *L.* 1. *C. de recept. arbit.* Procedit namque lex illa de arbitris voluntariis seu compromissariis, qui libera partium conventione eliguntur, a quibus appellari nequit. Non vero de arbitris necessariis, qui ex juris præcepto seu dispositione vel ex præcepto alicujus statuti, vel Judice cogente, a partibus eligi debent; ab his enim ad Judicem ordinarium, qui ad arbitros eligendos coegit appellandum. Cujus diversitatis hæc est ratio; tum quod horum arbitrorum juris pronunciato magis ad sententiam judicialem accedit, ut Pirh. *l. c.* ex Mynsing. *cent.* 4. *observ.* 68. tum quia æquum est, ut potius per remedium appellationis succurratur iis qui arbitros eligere compulsi sunt, quam iis, qui sponte in eos consenserunt. ut Gl. fin. *ad cit. c. arbitris* & Anchar. *in fine.*

CAPUT SEXTUM.

De Cessatione Officii & Potestate Judicis delegati.

QUÆSTIO DCCXX.

Quibus modis officium & potestas delegati expiret.

Resp. Fere sequentibus: pronunciatione ipsius delegati, quod sibi in tali causa non competat jurisdictio. Ejus recusatione. Sententiæ executione. Lapsu temporis præfixi. Revocatione delegationis. Morte delegati. Morte delegantis. De horum singulis nunc seorsim.

QUÆSTIO DCCXXI.

Qualiter exspiret potestas & officium delegati per ipsius pronunciationem.

Resp. Dum delegatus, uti potest, interloquendo, sive per sententiam interlocutoriam pronunciet, sibi nullam in causa delegata competere jurisdictionem, eo quod v. g. rescriptum delegationis impetratum sit per suggestionem falsitatis, adeoque subreptitium, & pars impetrans ab hac sententia interlo-

terlocutoria (habente tamen vim definitivæ; quia per illam extinguitur jurisdictio pronunciantis) non appellaverit (per appellationem enim extinguitur sententia, ac proinde est, acsi ea lata non fuisset; si autem illa lata non fuisset a delegato super sua incompetentia, retinuisset is suam potestatem, adeoque & post interpositam appellationem eam retinet *cap. cessante de appell.* potestque sententiam suam interlocutoriam revocare. Pirh. *h. t. n.* 158. citans Felin.) adeoque ea transeat in rem judicatam, extinguitur jurisdictio, potestas & officium delegati, ita ut illud postmodum reassumere, & in ea procedere nequeat sine nova commissione, ne quidem partibus consentientibus, utpote quæ jurisdictionem amissam reddere nequeunt. Idque sive bene, sive male pronunciavit; quia juxta *c. in literis h. t. & l. Judex ff. de re judic.* in utroque casu jam functus est officio suo. Ita statuitur *in cap. significanti h. t.* Atque ita, sicut in dubio de valore rescripti pronunciando competere sibi vi illius jurisdictionem, si contra istiusmodi pronunciationem non appelletur, acquirit jurisdictionem, gestaque per illum valent, tametsi forte alias vi talis rescripti, dum id a parte rei nullum est, nullam haberet. Abb. *in c. super literis de rescrip. n.* 11. *in fine* ita pronunciando, sibi non competere jurisdictionem, eam amittit, casu quo forte eam acquisivisset vi talis rescripti, dum hoc a parte validum & erroneè ab eo pronunciatum fuisset nullum. Unde etiam male infertur, quod si talis delegatus amiserit jurisdictionem omnem, etiam lata ab eo sententia interlocutoria sit invalida, utpote lata a non habente jurisdictionem. Nam imprimis, si rescriptum delegationis fuit validum, utique ab habente jurisdictionem prolata est illa sententia interlocutoria, tametsi, per eam ipsam sententiam amissa jurisdictio. Si vero fuit reipsa invalidum, adhuc lata sententia illa ab habente jurisdictionem, cum Judex cæteroqui incompetens, seu datus per literas invalidas adhuc ex dispositione juris Arg. *clem.* 1. *de rescript.* est Judex competens quo ad articulum illum cognoscendi, an ipse sit Judex vi talis rescripti (intellige respectu causæ principalis) pronunciandi, se esse vel non esse Judicem: quin & condemnandi impetrantem in expensas reo injuste vexato persolvendas. Unde & illa potestas, utpote a jure, & non vi illius rescripti concessa est potius ordinaria. Sed neque obstat dictis, quod alias rescriptum ad lites etiam subreptitie obtentum tribuat Jurisdictionem, utpote non ipso jure nullum, sed solum ope exceptionis elidibile; adeoque, si partes non exceperint, sed consenserint, videatur posse talis Judex procedere etiam in causa principali. Nam id poterit, quamdiu non pronunciaverit, se esse Judicem incompetentem; secus, postquam de hoc pronunciavit, hac enim sententia secuta illico tale rescriptum extinguitur in totum, & jurisdictio delegati, quæ ante erat elidibilis ope exceptionis, jam evadit elisa & extincta vi talis sententiæ a delegato latæ de sua incompetentia. Abb. *in cit. c. significantibus n.* 8. aliique passim. Neque etiam, quod ordinarius post talem sententiam interlocutoriam de sua incompetentia, de consensu partium possit reassumere suam jurisdictionem; quin & revocare illam suam sententiam Nam id mirum non est; cum Judex ordinarius per talem suam sententiam non amittat ordinariam suam jurisdictionem, adeoque retineat, in quo fundatur potestas illa revocandi sententiam suam. Felin. *in c. significantibus n.* 1. Gratian. *discept. for. c.* 155. *nu.* 35. Pirh. *h. t. nu.* 159. Wiestner. *h. t. n.* 73.

QUÆSTIO DCCXXII.

Qualiter per recusationem Judicis delegati exspiret ejus officium.

RESp. præter dicta *cap. praeced.* recusatione legitime proposita, & lata desuper, seu quod Judex sit suspectus, sententia, si ab hac sententia non appellavit; continuo ejus exspirat officium, ita ut nequidem de consensu partium procedere possit in causa, aut etiam eam subdelegare; uti poterat utrumque, etiam sine consensu partium ante propositam recusationem; quin & adhuc de consensu partium post, proposita jam & probata suspicionis causa, latam desuper sententiam. Uti hæc habentur *c. Judex h. t. in* 6.

QUÆSTIO DCCXXIII.

Qualiter exspirat potestas delegati per latam ab eo sententiam.

1. RESp. primo. Post latam a delegato sententiam diffinitivam, dum is eam exequi nequit, eo quod vel ipsi non nisi cognitio causæ delegata fuit, vel dum ipse executionem subdelegavit alteri (intellige constituendo illum non merum ministrum seu officialem suum; in eo enim casu non censetur officium suum & jurisdictionem a se abdicasse, sed eam reassumere potest, etiamsi ille ejus minister exequi jam cæperit juxta *c. significasti h. t.* & Abb. *ibi nu* 7. Pirh. *h. t. n.* 155. sed subdelegatum suum) & is ejus subdelegatus exequi jam cæpit, finitur ejus officium & jurisdictio, & censetur functus suo munere, & sententiam mutare nequit. Idque, sive bene sive male illam tulerit. Argum. *c. si compromissarius §. si vero h. t. in* 6. *l. si ut proponis C. quomodo & quand. Jud. s. in tit. h. t.* Gonz. *ibid. n* 3. Laym. *n.* 2. Sanch. *l.* 8. *de mat. d.* 27. *nu.* 39. Guttier. *qq. can. l.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. qui etiam *n.* 17. ait, idipsum procedere in delegato a Principe ad unam vel plures causas in particulari; eo quod hac in parte illi speciale nihil sit indultum a jure. Extenditur hoc ipsum, quod talis delegatus sententiam a se latam revocare nequeat, ita ut locum habeat, tametsi tulerit sententiam ipso jure nullam. Innoc. *in c. in literis n.* 2. Abb. *in c.* 1. *de sent. & de re jud. n.* 28. Menoch. *de arb. l.* 2. *q.* 67. *n.* 21. Gutt. *l. c. n.* 9. Laym. *cit. c.* 2. Pirh. *h. t. n.* 156. Nisi forte sententia sit ipso jure nulla ob non servatam formam mandati, cum, qui sententiam tulit contra formam mandati, perinde se habeat, ac si sententiam non tulisset, seu jurisdictione usus non fuisset, adeoque iterum judicare potest instar compromissarii formam compromissi non observantis *l. quid tamen ff. de recep. arbit.* Abb. *in c. literis n.* 4. Gutt. Laym. *LL. cit.* Vel nisi sit delegatus ad universitatem causarum. Is enim, quia æquiparatur ordinario, post latam a se sententiam, quin & ejusdem executionem non amittit omnem jurisdictionem. Guttier. *l. c. n.* 25. Felin. *in cit. c. in literis n.* 1. Menoch. *l. c. n.* 31. Pirh. *l. c.* Wiestner. *h. t. n.* 94. citans insuper Brunnem. *in cit. l. si ut proponis.* Alias hujus responsionis extensiones vide ad *Resp. seq.* De cætero huic extensioni non obstat, quod Judex ordinarius, qui jure proprio tulit sententiam diffinitivam ipso jure nullam, quia v. g. lata est contra legem manifestam possit eam revocare, novamque ferre *l. si præses C. quomodo & quando Judex* Sanch. *l. a.* Guttier. *l. c. n.* 1. Abb. *in c. in literis num.* 4. Pith. *h. t. num.* 157. Nam in hoc est disparitas, quod Judex delegatus habeat potestatem valde arctam & limitatam ex Juris positivi dispositione; quin & ex mente ipsius delegantis, qui de primo tantum definitionis seu sententiæ prolationis actu censetur sensisse, ut Laym. *l. c. num.* 3. Brunnem. *n.* 3. apud Wiestner. *num.* 3. Argum. *c. in literis* §. 1. Adeoque, si semel fecit, quod mandatum seu commissum est, omnem jurisdictionem & potestatem amisit, pleneque officio suo functus. E contra Judex ordinarius magis amplam & stabilem habet jurisdictionem, quam alteri delegando, vel semel sententiam ferendo non amittit, sed saltem in habitu & radice retinet Laym. Pith. Wiestner. *LL. cit.*

2. Resp. secundo. Secus est, seu potestas delegati non finitur statim post latam a delegato ejusve subdelegato etiam valide sententiam, sed prius post factam a delegato executionem, dum ipse eam facere potest & vult, vel etiam post inchoatam executionem ab ejus subdelegato, dum eam illi commisit (quamvis Gl. *in cit. c. in literis v. praecepit* velit, quod delegati jurisdictio non exspiret, nisi sit paritum mandato, sive sententia omnino sit executioni mandata, & non tantum cæpta a subdelegato) ita ut ante executionem a se factam, aut a suo subdelegato inchoatam possit mutare suam sententiam, & commissionem quoque executionis revocare a subdelegato; cum in hunc non censeatur efficaciter transiisse jurisdictio, priusquam ea uti cæperit. Pith. *h. t. n.* 155. juxta *c. ex literis.*

3. Limitatur hoc ipsum, nimirum, quod finiatur jurisdictio post executionem, ut, ubi delegatus non est ad lites, sed solum ad gratiæ alicujus v. gr. beneficialis executionem, is, postquam per errorem facti vel juris executionem seu provisionem gratiæ alicui fecit invalide, possit denuo & valide providere; eo quod cum juxta *c. inter dilectos de donat. & l. beneficium ff. de constit. Princip.* sint late interpretanda, Papa committens executionem seu provisionem gratiæ, censeatur mandasse executionem cum effectu, adeoque, quamdiu is non secutus, permanet gratia, & consequenter ejus

executio tanquam accessoria facienda valide. Argum. *c. super h. t. in 6.* Abb. *in c. 1 de sent. & re jud. n. 28.* Menoch. *l. c. n. 33.* ubi etiam cum Felin. *in cit. c. in literis n. 1.* Tiraq. & aliis notat generatim dispositionem *cap. in literis num. 1.* procedere solum in judicialibus, ita ut in extrajudicialibus nullitas actorum corrigi, sicut ab ordinario, ita etiam a delegato possit.

QUÆSTIO DCCXXIV.

Qualiter cesset jurisdictio delegati lapsu termini seu temporis ad causam decidendam præfixi.

RESp. Dum ei certum tempus præfixum v. g. duo menses, si intra illud commissam causam non expediat, eo elapso, exspiret jurisdictio & mandatum delegati *c. de causis h. t.* quia jurisdictio non nisi ad illud tempus concessa, pertinetque tempus illud ad formam substantialem mandati seu delegationis. Pirh. *h. t. n. 162.* Secus ac accidit in Judice ordinario, dum ei a superiore præfigitur certus terminus ad aliquam causam expediendam. Cum enim hoc casu non detur Judici Ordinario in illam causam jurisdictio, utpote quam ante jam habebat, sed tantum præscribatur modus, ut citius causa terminetur, is modus censendus non est substantialis, sed accidentalis tantum. Neque etiam præsumendum facile, quod superior habitam a Judice ordinario jurisdictionem velit adimere; adeoque sententia lata ab eo, elapso jam dicto termino, non est irrita. Laym. *in cit. c. de causis n. 1.* Pirh. *l. c.* cum Gl. *in clem. 5. de jurepat. v. inhibentes.* Quamvis autem Judex delegatus post sententiam a se latam intra terminum præfixum exequi eandem possit elapso termino, jure, nimirum *c. quærenti h. t.* concedente illi omnem (intellige, a die latæ sententiæ, vel, si appellatum fuit, & appellatio deserta, a die desertionis. Innoc. *in c. quærenti v. ad annum* Barbos. *ibid. nu. 1.*): ad exequendum, id tamen non procedit, ubi terminus præfixus, non Judici, sed jurisdictioni delegati, ita ut ea post elapsum terminum illum extinguatur, tunc enim exequi non poterit elapso termino; cum executio sententiæ sit actus jurisdictionis, quæ jam in eo exspiravit. Pirh. *h. t. nu. 163.* citans Jo. And. *in cit. c. de causis n. 19.* Decium *n. 9.* Abb. *in c. significasti h. t. n. 2.* Molin. *tr. 5. de Iust. d. 27. num. 3.* De cætero terminus ille de communi consensu partium potest prorogari, modo illa prorogatio fiat ante terminum elapsum, ut habetur *eod. c. de causis & l. 2. §. si & Iudex ff. de Iudiciis.* Cum enim is terminus videatur statutus in favorem partium, ne cum illarum damno causa protrahatur diutius, poterunt illi favori renunciare, nisi forte, ut habetur *eod. §. si & Iudex* juncta Gl. *v. inhibita* a delegante fuerit prohita prorogatio: vel etiam appareat, terminum non tam favore partium, quam ob publicum bonum & communem utilitatem præfixum, ut dum v. g. interest Ecclesiæ, controversiam aliquam beneficialem cito finiri partes terminum illum prorogare nequeunt. Decius *in cit. §. n. 8.* Gl. *ibid. v. consensu partium* Pirh. *loc. cit.* Porro tempus præfixum incipit a die, quo præsentatæ literæ delegationis, si per numerum dierum vel mensium præfixus terminus. Argum. *c. super eo de appell.* secus, si ad certum diem v. g. ad festum S. Michaelis aut mensem v. g. Octobrem, sit decretus terminus.

QUÆSTIO DCCXXV.

Qualiter cessat potestas delegati per revocationem delegationis factam a delegante?

1. RESp. primo. Certum est, jurisdictionem delegatam finiri per ejus revocationem. Cum enim quilibet Judex ordinarius in concessione jurisdictionis utatur jure suo, ac quasi re propria, poterit pro arbitrio suo jurisdictionem suam tam contentiosam quam voluntariam, tam in foro interno quam externo concessam revocare. Felin. *cap. novit de Iudiciis a num. 8.* Sanch. *de mat. l. 8. d. 33. a nu. 6.* Pirh. *h. t. nu. 195.* cum communi. Idque, etiamsi res amplius integra non sit, sed judicium jam cæptum a delegato; imo lis jam coram illo contestata *l. 58. ff. de Iud.* ubi: *Iudicium solvitur prohibente illo, qui judicare jusserat & ibi* Gl. *v. judicium* juncta Gl. margin. (quod ipsum quoque locum habet in delegato Principis subdelegante non in totum causam. Molin. *l. c. d. 21. nu. 4.* Barbos. *c. quamvis h. t. in 6.*) Idque non tantum valide, sed & licite, si justa est causa revocationis. Laym. *ad cap. venerabili h. t. num. 4.* & revocatio non cedit in damnum vel præjudicium tertii aut mandatarii. Pirh. *h. t. n. 195.* Citans Molin. *de Iust. tr. 2. d. 552. num. 6.* Secus tamen est, seu non extinguitur jurisdictio subdelegati, cui causa tota a delegato Papæ commissa; quia tunc talis delegatus revocare nequit talem subdelegationem re amplius non integra; cum subdelegando hac ratione officio suo functus sit, & jurisdictione delegata privatus censetur *cit. c. venerabili* juncta Gl. fin. Molin. *de Iust. tr. 5. d. 21. num. 1.* Dixi re non amplius integra; quia quamdiu res adhuc integra, seu subdelegatus necdum cæpit uti jurisdictione, potuit delegatus Papæ, tametsi totam causam subdelegavit (qualiter delegatus non Principis in totum subdelegare nequit jura dicta supra & Gl. *in c. quamvis h. t. in 6. v. a Sede Apostolica*) causam delegatam revocare, non solum expresse, sed etiam tacite sive ipso facto, ut si procedat per se ipsum in causa subdelegata vel illam alteri subdeleget. Anchar. *in cit. c. quamvis not. 2.* Franc. *num. 2.* Barbos. *nu. 4.* Atque ita per talem revocationem extinguitur jurisdictio subdelegati.

2. Resp. secundo. Ut tamen per revocationem cesset jurisdictio, necesse est, eam delegato vel subdelegato fuisse intimatam, seu literas revocationis delegationis fuisse illi præsentatas. Sumitur *ex c. cum contingat de rescrip.* Sanch. *de mat. l. 3. d. 30. a num. 11.* Suar. *de LL. l. 8. c. ult. num. 5.* ita ut ante earum etiam expeditarum præsentationem ei factam jurisdictio illi, saltem quo ad exercitium; non auferatur, sed valide in causa procedat. Felin. *in cap. cæterum de rescrip. num. 11.* Franc. *in cit. cap. quamvis num. 2.* Idque, etiamsi aliunde de literis illis seu revocatione notitiam habuerit. Laym. *in cit. c. quamvis num. 7.* Pirh. *h. t. num. 196.* qui etiam bene monet, non esse alium revocandi jurisdictionem modum convenientiorem, quam per specialem intimationem, ipsi delegato factam; cum ex aliis revocandi modis plura sequi possint incommoda, ut in simili de privilegii revocatione privatim facta docet Suar. *loc. cit. num. 6.* Et hæc, modo Princeps expresse non declaret nolle se valere gesta per delegatum ex tunc, quando eum revocat, decernendo v. gr. irritum fore, quidquid ex tunc seu a tempore factæ revocationis scienter vel ignoranter per eundem gestum. Tunc enim hæc clausula habebit effectum, quo ad inducendam nullitatem actus in contrarium gesti, etiam ante intimationem aut notitiam revocationis, etsi non quo ad incurrendam pænam, vel culpam. Reiffenst. *h. t. n. 142.* & alii.

QUÆSTIO DCCXXVI.

An & qualiter morte delegati vel subdelegati exspiret ejus jurisdictio?

1. RESp. primo. Morte illorum finitur utriusque potestas seu jurisdictio ipsaque delegatio. Neque transit ad successorem in officio vel dignitate, si delegatio sit personalis seu facta personæ contemplatione illius, expresso nomine illius proprio. V. gr. *Committimus Titio l. si quis alicui §. morte ff. mandati* & sumitur ex *cap. quoniam h. t.* censetur enim tunc electa industria personæ. Secus est, seu jurisdictio non extinguitur, sed transit ad successorem delegati vel subdelegati, si delegatio sit realis, seu facta dignitati, expresse nomine illius v. gr. committimus Episcopo, Præposito, Abbati talis Ecclesiæ; Rectori Universitatis &c. Idque, etiamsi res non sit amplius integra *cit. cap. quoniam* juncta Gl. *v. substitutum* Abb. *ibid. num. 3.* Barbos. *num. 1.* Sperell. *fori eccl. decis. 166. num. 1.* Sanch. *de mat. l. 8. disp. 27. num. 6.* cum communi. Dignitas enim non moritur nec mutatur morte personæ *cap. si gratiose de rescrip. in 6.* Unde successor debet reassumere causam in terminis, in quibus eam invenit, eamque, prout justitia exigit, terminare *l. mortuo ff. de Iud.* Abb. *in cap. quoniam num. 4.* Ad dignoscendum vero, num delegatio facta personæ, an dignitati, attendendum non tantum ad verba, an scilicet in delegatione expressum nomen proprium personæ, an appellativum dignitatis; sed potius inspicienda præsumpta voluntas committentis, quatenus ea ex subjecta materia, aliisque adjunctis colligi potest; cum verba deserviant intentioni, & non hæc verbis. Abb. *in c. quoniam h. t. nu. 8.* Pirh. *h. t. nu. 196.* Unde, si Papa expresso solo nomine dignitatis Abbati alicui committeret causam, adjiciendo, se illam delegare ob peculiarem ejus doctrinam & diuturnam experientiam in eo genere, censendum, delegationem esse factam non intuitu dignitatis; sed personæ. Argum. *cap. mandata de præsumpt.* Sanch. *loc. cit. num. 3.* Sic e contra, ubi in rescripto Principis de debito pecuniario alicui solvendo, in quo expressum no-

nomen proprium Prælati antecessoris, eo mortuo, etiam ejus successor in Prælatura conveniri potest. Abb. *in c. significavit de rescrip. num. 4* Pirh. *l. c.* ubi etiam, quod, cum in legatis relinquendis haberi soleat ratio amicitiæ & consanguinitatis, si quid legetur Episcopo a consanguineis, non ecclesiæ sed personæ intuitu legatum censeatur juxta *c. requisisti de testam.* Idemque sit, si constituitur executor sub nomine dignitatis a consanguineo vel amico; eo quod executio quoque committi soleat amicis & consanguineis. Idem tamen non sit in delegatis causarum; in quibus, cum non tam ratio consanguinitatis aut amicitiæ, quam authoritas & peritia, quæ plerumque etiam in successoribus reperitur, spectetur, fierique soleant secundum stylum personæ in dignitate constitutæ, eæ potius factæ dignitati quam personæ censeantur. Ut Sanch. *l. c. num.* 15. De cætero in dubio, num facta delegatio dignitati, an personæ, quia tam nomen proprium personæ, quam appellativum dignitatis expressum. V. g. *Titio Abbati*. Vel quia ex aliis conjecturis de voluntate delegantis constare non potest, censenda est delegatio esse personalis, ac proinde ad successorem non transire. Idque, sive nomen proprium personæ præponatur, sive postponatur nomini dignitatis. Imol. *in cit. c. quoniam h. t. num.* 25. Sanch. *l. c. num.* 20. Pirh. *num.* 167. Tum quia jurisdictio delegata est odiosa adeoque restringenda, & sic in dicto casu non extendenda ad successorem. Ac ita etiam, quia loquendo generaliter, genus per speciem determinatur, nomen genericum dignitatis per nomen specificum personæ restringitur ad personam tantum, quæ de facto dignitatem illam obtinet. Tum quia præsumptio specialis desumpta ex nomine personæ vincit generalem præsumptionem, quæ sumitur ex expresso nomine dignitatis. Ac denique, si stante tali dubio, delegatio non censeretur personalis, nomen proprium personæ adjectum nihil operaretur; verba autem rescripti debent aliquid operari, ne sint superflua. Ita cum Sanch. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit.* Reiffenst. *h. tit. num.* 128.

2. Resp. secundo. Exspirat quoque delegatio personalis morte quasi civili delegati, ut dum delegatus privatus est potestate exercendi jurisdictionem, quia incurrit infamiam juris, vel ob crimen privatus est dignitate; remotus enim a Senatu propter turpitudinem propriam non potest judicare, ut dicitur *l. 2. ff. de senatoribus*. Vel quia redditus incapax jurisdictionis ecclesiasticæ ob assumptum statum incompatibilem. Ut dum Canonicus relicto Canonicatu, duxit uxorem. Sanch. *n.* 27. Pirh. *n.* 168. Non tamen exspirat, etiam re adhuc integra, dum delegatus resignavit aut reliquit dignitatem; quia mandatum seu rescriptum pergit adhærere personæ, eamque comitatur instar privilegii personalis. Sanch. *n.* 22. & 25. Pirh. *l. c.* Idem est, si delegatus fiat religiosus; tunc enim adhuc expedire poterit causam sibi delegatam ante religionem; nisi forte sit religio talis, per cujus constitutiones causarum delegatarum cognitio & executio specialiter prohibeatur. Laym. *in c. quoniam num.* 5. His non obstante, quod juxta *c. statutum de rescrip. in 6.* Nullus sit capax delegationis Apostolicæ, nisi sit constitutus in dignitate, vel Canonicus Cathedralis. Nam ad hoc, ut commissionem, non intuitu dignitatis, sed personæ sibi factam exequi possit, sufficit, quod talis fuerit tempore datæ literarum, seu delegationis sibi factæ. Sanch. *l. c. n.* 24. & 28. aliique ab eo citati cum Gl. communiter recepta *in cit. c. statutum v. Canonicis*. Dum tamen delegatio est realis, seu facta intuitu dignitatis, sicut non requiritur, ut tempore expeditionis literarum delegationis delegatus obtineat dignitatem, sed sufficit, ut eam habeat tempore receptionis illarum, quia commissio realis sequitur dignitatem, quæ tempore expeditionis literarum delegationis erat eadem, etsi in alia persona, ita requiritur, ut non tantum tempore receptionis fuerit, sed etiam, ut tempore executionis & toto tempore delegationis perseveret in illa dignitate, ita ut quamprimum cessat dignitas in delegato, delegatio transeat ad successorem. Sanch. *l. c. n.* 28. Pirh. *n.* 169. Nunquam tamen transit ad administratorem, si quis tempore vacantis dignitatis vel ecclesiæ constituitur. Laym. *in c. quoniam num.* 1. Pirh. *nu.* 170. Sic delegata specialiter Episcopo ratione dignitatis non transeunt ad Capitulum Sede vacante. Abb. *in c. verum de foro comp. n.* 9. Decius *in c. quoniam n.* 3. nisi sint talia, quæ transeant in ordinariam Episcopi jurisdictionem. V. gr. potestas absolvendi a casibus Papalibus occultis. Laym. Pirh. *LL. cit.*

3. Resp. tertio. Dum unus ex delegatis simpliciter ad eandem causam moritur (idem est, si dignitate privetur, seu reddatur incapax jurisdictionis *c. sciscitatus de rescrip.*) delegatio non transit ad cæteros, sed omnino exspirat; quia dum facta simpliciter delegatio absque clausula: *si non omnes potestis, unus vel cæteri procedant;* nullus eorum est Judex in solidum, sed jurisdictio necessario exercenda per omnes conjunctim. Secus vero ubi adjecta dicta clausula, vel etiam, ubi ea non adjecta, vivente adhuc illo defuncto, res jam fuit cœpta; tunc enim morte unius non exspirat jurisdictio aliorum *c. licet h. t.* Gl. *in c. penult. h. t. v. delegatorum.* Vel si mortuus ille, dum viveret, vices suas commiserit alteri condelegatorum; perseverat enim tunc delegatio penes alios, etiamsi res sit integra *c. quamvis h. t.* Vel denique, si delegatio facta intuitu dignitatis; tunc enim delegatio non exspirat morte unius, sed transit ad successorem illius, & is cum cæteris causam expedire potest *cit. c. quoniam* juncta Gl. marg. Molin. *tr. 5. d. 24. n. 1.* Pirh. *h. t. num.* 172. Ubi etiam, quod hæc eadem procedant in arbitris, uno eorum mortuo.

QUÆSTIO DCCXXVII.

Qualiter potestas delegati exspiret morte delegantis.

1. RESp. primo. Jurisdictionem delegati ad lites seu justitiæ exspirare morte delegantis, re adhuc integra, constat ex *c. licet h. t. & l. & quia ff. de jurisd.* quia universim mandatum morte mandantis re adhuc integra exspirat *cit. c. licet & l. mandatum ff. mandati*. Tum etiam, quia jurisdictio in delegatum efficaciter translata non censetur, donec is ea uti cœperit *c. quamvis h. t. in 6.* Adeoque adhuc cum effectu est penes delegantem, & censetur potius adhuc spectare ad delegantem quam delegatum. Neque est radicata in persona delegati. Pirh. *num.* 173. cum Sanch. *de mat. l. 8. disp.* 28. *num.* 30. Adeoque mirum non est, eam extingui per mortem delegantis seu potius per illam impedire, quo minus delegatio sit efficax cum effectu. Idem est quo ad hoc de delegato Principis, & de delegato Ordinarii alterius, ut constat ex *c. licet*, ubi dicitur, delegationem Papæ morte ejusdem exspirare; est enim in utroque eadem ratio. Sanch. *l. c. num.* 23. Item idem est in delegato ad universitatem causarum. Abb. *in c. relatum h. t. num.* 7. Sanch. *num.* 34. Laym. *in c. gratum h. t. num.* 8. Pirh. *h. c. num.* 182. Et licet jurisdictio delegata ad universitatem æquiparetur in multis ordinariæ jurisdictioni, non tamen æquiparetur ei, nisi postquam efficaciter transiit in delegatum, quod tum prius fit, ubi res desiit esse integra juxta *c. quamvis h. t. in 6.* Laym. *loc. cit.*

2. Porro procedit responsio non tantum delegante mortuo naturaliter, sed & civiliter, puta, quia ab officio depositus &c. Gl. *in c. licet h. t. v. re integra in fine.* Abb. *ibid. n.* 7. Sanch. *l. c. num.* 32. Quod si tamen delegans sit excommunicatus, suspensus, interdictus denunciatus non toleratus, non extinguitur, sed suspenditur jurisdictio delegati quo ad negotia necdum cœpta, non autem quo ad jam cœpta; eo quod hoc ipso, quod cœperit, in eum efficaciter translata, & in eo radicata est. Estque distincta hæc jurisdictio delegata a delegantis jurisdictione; adeoque suspensa jurisdictione delegantis, non necessario suspenditur jurisdictio delegati. Secus ac accidit in jurisdictione Vicarii generalis Episcopi, utpote quæ eadem est cum jurisdictione Episcopi. Abb. *in c. licet n.* 8. Sanch. *l. c. d.* 30. *num.* 3. & 7. Pirh. *num.* 181. *in fine*. Idem procedit, etiamsi delegatus ignoret mortem naturalem aut civilem delegantis. Abb. *in c. gratum h. t. n.* 10. Sanch. *l. c. d.* 22. *num.* 59. Pirh. *num.* 180. cum communi. Jura enim quo ad hoc non distinguunt inter scientiam & ignorantiam delegati. Cumque re nondum cœpta, non sit translata jurisdictio adhuc jurisdictio efficaciter in delegatum, & ignorantia in non habentem jurisdictionem eam transferre nequeat. Argum. *l. 3. C. de jurisd. omn. Iudic.* sequitur eam per mortem delegantis extingui, vel potius nunquam in eum transferri. Secus tamen foret, ubi mors delegantis publice ignoraretur in loco, ubi exercenda & delegata jurisdictio; valent enim tunc acta delegati, etiamsi is sciat mortem delegantis. Abb. Sanch. Pirh. *LL. cit.* Jure tunc supplente, ut constat ex *l. Barbarius ff. de off. prætor.* hunc defectum jurisdictionis delegatæ ob bonum publicum, præsertim concurrente cum illo errore seu ignorantia publica titulo colorato seu præsumpto fundato in literis delegationis a legitimo superiore obtentis.

3. E contra non procedit responsio, si delegatio facta est nomine seu ratione dignitatis committentis. V. g. si dicatur: *Sedes Apostolica tibi committit:* eo quod tunc, sicut ipsa dignitas delegans non perit, sic etiam potestas delegata immediate a dignitate procedens & ab ea dependens non perit morte personæ delegantis, etiam re adhuc

integra. Abb. *in c. relatum h. t. num.* 3. *& in c. licet. num.* 3. Sanch. *cit. d.* 28. *num.* 44. Pirh. *h. t. num.* 187. Ordinarie tamen delegatio & subdelegatio non solet fieri a dignitate, sed ab authoritate personæ, nisi aliud exprimatur. Sanch Pirh. *LL. cit.* Idemque etiam dicendum de delegationibus ioferiorum Judicum, ut iidem. Item non procedit, dum mandatum ei, sub cujus jurisdictione aut administratione jam continebatur. Abb. *in c. relatum h. t. num.* 9. Sanch. *l. c. num.* 42. Pirh *n.* 186. Eo quod tale mandatum censeatur accessorium jurisdictioni & officio ordinario, per quod illa & illud excitetur, & novi nihil confertur. Accessorium antem sequitur naturam principalis; adeoque sicut jurisdictio ordinaria collata alicui a Principe, per mortem ejus non extinguitur, ita nec mandatum illius dictæ jurisdictioni superadditum.

4. Resp. Contrarium dicendum, nimirum jurisdictionem non exspirare per mortem delegautis, re non amplius integra, ut constat ex *c. relatum* ex *c. gratum h. t.* Jurisdictio enim delegata ipso sui exercitio in delegantem translata in eo firmatur & perpetuatur, ita ut etiam in Judice delegato ad universitatem causarum, inchoata una causa perpetuetur dicta jurisdictio, eo quod in tali commissione generali omnes causæ generatim commissæ inter se connexionem habere censeantur. Pirh. *h. t. num.* 182. Secus tamen, si plures causæ iu commissione specifice sint expressæ, ita ut tunc una earum cæpta, non perpetuetur in delegato jurisdictio, sed extinguatur quo ad cæteras; cum tunc sint plures quasi commissioues. Argum. *l. scire de V. O.* ita cum Sanch. *l. c. num.* 27. Pirh. *l. c.* Nisi tamen etiam illæ causæ specifice expressæ inter se fuerint connexæ, ita ut una alteram secum trahat; tunc enim una cæpta perpetuatur jurisdictio delegata etiam quo ad alias. Argum. *l. ult. C. de duobus reis*. Pirh. *l. c.* citans Abb. *in c. licet h. t. num.* 3.

QUÆSTIO DCCXXVIII.

An pari modo jurisdictio subdelegata exspiret morte subdelegantis, re adhuc integra, & non exspiret re non amplius integra.

RESp. Affirmative *c. licet h. t.* Pro declaratione tamen majore duo distinguendi sunt casus. Primus, dum mortuus est primus delegans, vivit vero delegatus subdelegans, & tunc, si tota causa subdelegata, & necdum cæpta, nec a delegato subdelegante, nec a subdelegato, per mortem primi delegantis exspirat jurisdictio subdalegata; quia subdelegatus substituitur io locum delegati, adeoque sicut hujus jurisdictio exspirat morte primi delegantis, ita etiam jurisdictio subdelegati. Argum. *c. penult. h. t. in* 6. Pirh. *nu.* 184. Re autem cæpta a Subdelegato, potestas subdelegati non extinguitur per mortem primi delegantis; sed neque extinguitur ro cæpta a delegato, etsi necdum cæpta a subdelegato; quia tunc perpetuatur etiam jurisdictin subdelegata in delegato per inchoatum exercitium jurisdictionis a delegato ante obitum primi delegantis. Sanch. *l. c. d.* 28. *n.* 38. Pirh. *loc. cit.* Secundus, dum delegatus mortuus est superstite primo delegante, habuitque delegatus jure proprio & ex lege, adeoque quasi ordinariam potestatem subdelegandi (uti eam habet delegatus Principis, & delegatus ad universitatem causarum. Pirh. *l. c.*) extinguitur potestas subdelegata, re adhuc integra; eo quod tunc, oon primus delegans, sed delegatus ipso censeatur lubdelegare. Si vero delegatus non suo nomine, sed authoritate & potestate subdelegandi specialiter sibi concessa primo delegante subdeleget, mortuo delegato, & superstite primo delegante, potestas subdelegati uon extinguitur; eo, quod io hoc casu primus delegans censeatur subdelegare, & esse prima radix & fundamentum potestatis subdelegatæ, utpote cujus nomine fit subdelegatio & substitutio. Sanch. *l. c. n.* 36. ex Jasone. Pirh. *l. c.* Porro quod in hoc casu dicitur de morte naturali, idem intelligendum de morte civili delegati, ita ut si ei intuitu dignitatis facta est a Principe delegatio, eo ab illa dignitate amoto, sive ob crimen, sive quia renunciavit, aut ad aliam promotus est, exspiret potestas ab eo subdelegati, re nondum cæpta. Si autem facta ei delegatio intuitu personæ extinguitur quoque subdelegatio per depositionem delegati a dignitate; non vero, dum eam amisit per renunciationem vel translatinnem illius ad aliam dignitatem, aut ingressum in religionem; eo quod tunc in delegato perseveret jurisdictio secundum dicta supra. Laym. *in c. licet n.* 3. Pirh. *n.* 185.

QUÆSTIO DCCXXIX.

An & qualiter exspirent commissiones seu delegationes gratiæ morte delegantis.

1. RESp. primo. Hujusmodi delegationes & facultates habentes ratinnem gratiæ (quales v. g. sunt potestas conferendi beneficia, absolvendi a peccatis & censuris, casibus reservatis, dispensandi in votis aut impedimentis matrimonii, suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, assistendi matrimonio, eligendi confessarium, vescendi carnibus, celebrandi in oratorio privato, oon residendi in beneficio &c.) non extinguuntur morte concedentis, etsi res adhuc sit integra, id est, si commissarius aut concessionarius necdum uti cæpit aut usus fuit tali facultate. Sanch. *l. c. a n.* 71. Laym. *Th. mor. tr.* 6. *c.* 10. *q.* 4. *a n.* 22. Pirh. *h. t. n.* 109. cum communi. Decet enim beneficium a Principe concessum esse mansurum. *Reg. Iur.* 16. *in* 6. Procedere quoque responsinnem in facultaribus istiusmodi concessis ab inferioribus Ordinariis, puta, Episcopo; quin & Parocho v. g. in facultate absolvendi ejus subditos; cum tales facultates competant illis juris ordinario, & per concessiones earum non ereetur præjudicium successoribus, utpote qui eas, quotiescunque voluerunt, revocare possint; ita inquam tenent Sanch. *l. c. n.* 43. *&* 72. Suar. *l.* 8. *de LL.* 31. *n.* 9. Laym. apud Pirh. *cit n.* 190.

2. Resp. secundo. Distinguendum nihilominus est inter gratiam alicui factam & faciendam, ita ut jam facta non extinguatur morte concedentis; extinguatur vero facienda. Sic v. g. si Papa contulit alicui Canonicatum cum Præbenda jam vacante vel proxime vacatura, constituto pro executore Ordinario loci, moriaturque Papa ante hujus mandati executionem, per mortem Papæ hæc gratia non exspirat; sed manet, & consequenter etiam executio tanquam accessoria gratiæ post mortem Papæ exerceri potest, ne alias gratia reddatur inutilis; aut nimis diu differatur, dum denuo Papa successor pro novo executore deberet adiri. Prout hæc omnia habentur *c. super h. t. in* 6. Sanch. *l. c. n.* 43. Pirh. *n.* 192. Item procedit non tantum in meris executoribus gratiæ factæ, sed etiam in mixtis, quibus nimirum commissa est executio cum aliqua cognitione causæ. V. g. Si Papa mandasse conferri alicui beneficium jam vacans, si preces veritate nitantur, vel præmissa citatione possessoris iotrusi &c. Ita ut hi etiam post mortem Papæ, qui, quantum est de se, jam fecit gratiam, mandatum hoc exequi possint. Sanch. *l. c.* Laym. *in c. si super n.* 2. Pirh. *l. c.* Item dum Papa alicui contulit Canonicatum, dato executore cum mandato, ut ei prævideat de Præbenda proxime vacatura; eo quod, licet quo ad hanc Præbendam videatur gratia facienda, quo ad Canonicatum tamen jam facta sit, & eo ipso, quod Canonicus authoritate Papæ factus sit, jus ei quæsitum sit ad Præbendam proxime vacaturam juxta *c. si postquam de præb. in* 6. Franc. *in c. super n.* 2. Pirh. *l. c.* Tametsi autem ita sit de executoribus principaliter & per se datis. V. g. si orta discordia super gratia jam facta darentur Judices delegati, ut cognoscant super illa discordia; horum enim potestas, mortuo Papa re integra, exspiraret. Franc. *l. c. nu* 4 *in fine*. Pirh. *l. c.* Sic e contra si gratia oon facta sed facienda a mandatario seu executore. V. g. Si Papa mandet Episcopo, ut beneficium nunc vacans vel proxime vacaturum conferat Titio, exspirat hoc mandatum morte mandantis, si necdum cæptum mandari executioni. Pirh. *n.* 193. Nisi forte gratia facienda sit concessa nomine dignitatis mandantis. Sanch. *l. c. n.* 67. Similiter si concessum vel mandatum alicui, ut cum Titio dispenset cognita causa, si ei ita expedire videatur, hoc mandatum, nisi jam cæptum sit mandari executioni v. g. mandatarius jam acceperit informationem de veritate precum, vel mandavit vocari eum, cum quo dispensandum, exspirat morte mandantis; quia tunc non est gratia facta sed facienda. Pirh. *l. c.* Aliud est, dum mandatum Titio, ut dispenset cum Cajo, si preces veritate nitantur; quia censetur jam gratia plene facta ex parte Pontificis, & solum executio mandari Titio, quam proinde inchoare & perficere potest post mortem Papæ concedentis. Sanch. *l. c. n.* 87. Pirh. *l. c.* Ratio vero hujus discriminis est, quod quando io literis gratiæ in favorem Caji concessis executor datus est necessarius, quippe qui exequi jubetur, si preces veritate nitantur, gratia jam facta est respectu Caji per absolutam concessionem concedentis quæsitumque illi jus ad rem, ideoque non relinquitur voluntati executoris, gratiam illam concedere vel negare, sed debet illam concedere seu exequi reperta veritate precum. Et hinc neque gratia illa, neque mandatum illum executionis exspirat morte mandantis. Pirh. *n.* 194. cum Sanch. *cit. d* 28. Laym. *cit. cap.* 10. *n. ult.* Barb. *in collectan. in c. relatum h. t. n.* 6. Dum autem

In li-

in literis gratiæ in favorem Caji concessis datus executor voluntarius, utpote cui non præcipitur executio, sed sola facultas exequendi, idque non in favorem suum, sed Caji, gratia est facienda, & hinc exspirat tam gratia quam dicta potestas morte mandantis re integra; cum per tale mandatum nec Cajo jus quæsitum; quia relictum liberæ voluntati mandatarii, an velit ei conferre gratiam, eum absolvere &c. Neque ipsi mandatario seu executori; quia in ejus favorem non est datum mandatum aut gratia facienda. AA. iidem. Vide de his plura supra, ubi de exspiratione rescriptorum tam gratiæ quam justitiæ, tam per mortem rescribentis quam per modos alios. Ubi criam ex professo responsum ad quæstionem, quandonam in ordine exspirationem delegatæ jurisdictionis censeatur res non esse amplius integra.

CAPUT SEPTIMUM.

De Delegatis, qui Conservatores dicuntur.

QUÆSTIO DCCXXX.

Conservator quis sit & dicatur?

RESP. Conservatores, de quibus agitur hoc titulo. Nimirum *c.* 1. & 2. & *c. fin. in* 6. Spectato jure communi sunt Judices a Papa deputati ad defendendum aliquos ab injuriis & violentiis manifestis, absque judiciali causæ cognitione *c.* 1. & *c. fin. h. t. in* 6. Dicitur primo: *deputati a Papa*. Quemadmodum enim in Jure imperiali conservator loci non nisi a supremo Principe constituitur. *Novell.* 8. *cap.* 4. & 13. & *Novell.* 134. *Rubr.* & *cap.* 1. Ita Conservator quo ad personas ecclesiasticas earumque res & jura ab injuriis defendendas non nisi a Papa datur, ita ut neque ab Episcopo, neque a Legato a latere aliove Prælato ecclesiastico dari possit. Sylv. *v. conservator. num.* 2. *quæst.* 1. Rodriq. *qq. regular. Tom.* 1. *quæst.* 65. *a.* 2. Azor. *p.* 2. *Inst. mor. l.* 6. *c.* 34. *quæst.* 6. Molin. *tr.* 5. *de Iust.* & *Iur. disp.* 29. *num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 204. Idque propter amplitudinem potestatis, quæ in eorum officio a nemine Papa inferiore, ne quidem a Legatis Pontificis a latere impediri, & adversus quoscunque ipsius executionem impedientes procedere potest. Tusch. *v. conservator. concl.* 760. & AA. citati. Nihilominus possunt regulares (uti & alii, etiam particularis & privatus, ubi simile rescriptum aut privilegium a Papa habent) eligere sibi hujusmodi Conservatores, a quibus defendantur ab injuriis manifestis, quæ de facto iis inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, aut propriis bonis uti & frui impediuntur. Fagn. *in c. si clericus de foro compet. num* 36. uti constat ex Constitutionibus variorum Pontificum, præsertim Greg. XV. *Const.* 9. quæ incipit *Sanctissimus*. Dicitur secundo: *ad defendendum aliquos ab injuriis:* quandoque enim dari solent contra latrones & prædones, interdum contra violantes privilegia aliquibus concessa; aliquando magis generice contra quasvis injurias. Gl. *in c.* 1. *h. t. in* 6. *v. conservatores*. Neque tantum adversus eos, a quibus actu est illatum damnum aut læsio, sed etiam illos, a quibus paratur talis injuria, & inferenda timetur; cum defensione æque, imo magis proprie inferendis, quam actu illatis injuriis & violentiæ occurratur. Gl. *in cit. cap.* 1. *v. defendere*. Franc. *ibid. n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 209. Dicitur tertio: *ab injuriis manifestis*. Id est, notoriis vel notoreitate facti, ita ut nulla probabilis tergiversatione celari, vel excusatione ab injustitia defendi possit. Vel notoreitate, juris puta, quia confessus est coram Judice (ipsa enim confessione rei notoreitas juris inducitur *c. vestra de cohabitat. cleric.* juncta Gl. *v. notorium*. Marant. *de jurisd. Ordin. p.* 6. *de confess.* Farinac. *pr. crim. q.* 21. *n.* 31.) ita ut idcirco cesset omne dubium exposcens cognitionem & discussionem judicialem. Gl. *cit.* Anchar. *in c.* 1. *h. t. num.* 5. Molin. *l. c. num.* 2. Barbos. *num.* 18. Dum enim jurisdictio restricta ad certam qualitatem, de illa constare necesse est, ut jurisdictio exerceatur. Bartol. *in l. nullum ff. de condit.* & *demonst. num.* 2. & 5. Barbos. *de off.* & *pot. Ep. alleg.* 106. *num.* 18. Unde, si hac ratione non constet, aliquem fecisse aliquid, aut attentare velle, quod cedit in injuriam eorum, quibus datus Conservator, is se intromittere aut ad cognoscendum de tali facto nequaquam posset, & si id fecerit, omnia acta illius sint hoc ipso invalida *c. fin. h. t. in* 6. Molin. *l. c. d.* 29. *num.* 1. Fagn. *in c. si clericus de foro comp. num.* 14. Tusch. *l. c. concl.* 760. *num.* 3. Ipse Conservator insuper si scienter id fecerit (vel etiam, ut Gl. *in cit. c. fin. v. scienter.* ex ignorantia juris crassa & affectata) per annum sit suspensus ab officio; pars autem, quæ id fieri procuravit, excommunicationem incurrat, a qua absolvi non potest, nisi prius illi, quem sic indebite fatigaverit, integre satisfecerit. Uti hæc habentur *cit. c. fin. §. ut autem*. Quæ tamen pœna suspensionis non habet locum in delegato intromittente se in ea, quæ ad suam jurisdictionem non pertinent; cum hoc de illo in Jure non sit expressum. Gl. *in cit. c. fin. v. suspensi*. Porro qualiter Conservatori procedendum, dum notoreitas injuriæ est dubia, aut reus eam negat, dicetur paulo post, ubi de potestate Conservatoris.

QUÆSTIO DCCXXXI.

Ut quis a Papa dari, aut virtute privilegii Apostolici eligi valeat Conservator, qualis esse debeat.

RESP. primo. Debet esse Episcopus aut Prælatus eo superior, puta, Archiepiscopus, Patriarcha, vel Abbas, aut dignitatem veram aliam vel personatum obtinens in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, ita ut non sufficiat esse Canonicum Ecclesiæ Cathedralis *c. fin. h. t.* Possunt nihilominus vi specialium indultorum Ordines quidam religiosi in Conservatores suos eligere Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, uti & Episcoporum Vicarios generales seu Officiales, a quibus eorum jura ac privilegia contra personas, communitates & Collegia quæcunque, etiam tanquam a Judicibus ordinariis defendantur & conserventur, prout videre apud Rodriq. *Tom.* 1. *qq. regular. q.* 65. *ar.* 3 & *in compend. privileg. societ. v. conservator. §.* 1. & constat *ex const.* Pii V. in favorem Societatis edita, & confirmata per Gregor. XIII. quæ incipit. *Æquum* edita Calend. Jun. 1572. Quorum qualis sit specialis potestas, dicetur paulo post.

Secundo. Debet esse non subditus, seu non de dominio seu districtu ecclesiastico aut temporali illius, cui datur Conservator: exceptis tamen Regibus & Reginis *cit. c. fin. §. nec aliquis*. Tertio esse non potest quis Conservator illius, quem habet Conservatorem sui, sive duo non possunt esse invicem Conservatores, prout statuitur in *cit. c. fin.* & *ibi* Gl. *v. in casu*. Quia illa mutua defensio est juri suspecta. Gl. Marg. *in cit. cap.* Proinde jam deputatio vel electio Conservatoris non habentis dictas qualitates est eo ipso jure irrita *cit. c. fin.* & *ibi* Gl. *v. omni*. Patet quoque ex his differentia Conservatoris ab aliis delegatis, utpote qui esse possunt Canonici Cathedrales, item possunt esse subditi illorum, quibus dantur, ac dari sibi invicem delegati in diversis causis. Præter quas alias colliges differentias ex mox dicendis de potestate Conservatorum.

QUÆSTIO DCCXXXII.

Quid possint & qualiter procedere debeant Conservatores, dum violentiæ & injuriæ notoreitas est dubia.

RESP. Si notoreitas ea explorata non est, reo factum quidem confitente, notoreitatem tamen ejus negante, aut etiam confitente notoreitatem, negante tamen, illud continere injuriam, eo quod id a se factum jure alleget, & non afferente hujus a se pro excusatione asserti verisimilem probationem. Tunc inquam Conservator de hoc ipso cognoscere potest, recipiendo super hoc testes & probationes, ut constet, num in hoc casu sibi competat jurisdictio. Et si reperiat, injuriam esse notoriam, ulterius procedere; alias ab ulteriore processu desistere debet, & causam ad Ordinarium Judicem remittere. Gl. *in c.* 1. *h. t. v. Conservatores*. Sylv. *v. Conservator. q.* 3. *dicto* 1. & 2. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 34. *q.* 7. Molin. *tr.* 5. *de Iust. d.* 29. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 208. Generale si quidem est, quod quilibet Judex cognoscere potest, an sua sit jurisdictio *l. si quis ff. de Iud.* & *ibi* Gl. & DD. Ne alias facile eluderetur potestas Conservatoris, si, ubi reus allegat defectum notoriæ injuriæ, de hoc cognoscere nequiret. Insuper

Princeps committendo alteri potestatem, censetur quoque ea committere, sine quibus potestas ea exerceri non potest *c. praterea h. t. l. cui jurisdict. ff. de jurisd.* Proinde jam Conservatori noo denegatur judicialis cognitio & investigatio super notoreitate, sive ut cogooscere valeat, an violentia vel injuria aliqua tergiversatione vel excusatione celari aut declinari, vel secus, valeat: sed solum cognitio & receptio testium & probationum super ipso facto, num vere injuria illata &c.

QUÆSTIO DCCXXXIII.

Quo se extendat potestas Conservatoris explorata jam notoreitate injuriæ illatæ vel inferendæ.

1. RESP. primo in genere. Potest authorem injuriæ citare, eumque ad damni injuste illati condignam resarcitionem exhibendam, vel si injuria actu nondum illata notoric tamen parata & inferenda est, ad eam intermittendam compellere per censuras ecclesiasticas aliaque juris remedia, invocato etiam, si opus, auxilio brachii sæcularis. Gl. *in cit. c. 1. v. defendere* Sylv. *l. c. dicto* 4. Molin. *l. c.* Pirh. *h. t.* 209. Ex eo autem, quod tam late pateat Conservatorum potestas ob favorem pauperum & oppressorum, eaque se extendat tam ad iojurias quascuoque illatas & inferendas (in quo differunt ab aliis delegatis, otpote qui generaliter ad causas præsentes & futuras dari non solent; eo quod per istiusmodi delegationes multum derogetur Ordinariorum Judicum potestati, ut Gl. *ad c. adhæc. v. omnia negotia de rescrip.* Pirh. *loc. cit.*) ex eo inquam non nascitur periculom, ne Coosservatores injuste procedant; cum non habeant potestatem judicandi in causis dubiis, sed tantum in injuriis manifestis. Anchar. *in cap. 1. h. tit. in 6. quæst.* 1, Pirh. *num.* 209.

2. Resp. secundo in specie. Potest Conservator procedere adversus debitorem in causa liquidi & agniti debiti; dum solutionem, quam deberet, & sine notabili incommodo posset, præstare malitiose renuit; cum per hoc manifesta in creditorem injuria redundet. Rodriq. *Tom. 1. regular. qq. q. 65. ar.* 12. Wiestner. *h. t. num.* 100. *in fine*. Non obstante alias communi in contrarium sententia, quem tenent Gutt. *pract. qq. l. 3. q. 9. a. 8.* Barbos. *de off. & pot. Ep. alleg.* 106. *num.* 41. Procedit siquidem ea tantum, quando debitor adversus creditorem debiti inficiatione, aliave exceptione, ejus petitionem excludendo se tuetur; eo quod tunc injuria non manifesta exigatur jndicialis cognitio.

3. Resp. tertio. Conservatores Ordinum religiosorum mendicantium longe ampliorem, quam cæteri Conservatores, potestatem habent. Nam primo possunt io eorum causis tam civilibus quam criminalibus & mixtis, sive rei sint, sive actores, neque solum in notoriis & manifestis, sed etiam in non manifestis judicialem cogoitionem exposcentibus summarie & sine strepitu ac figura judicii procedere. Rodriq. *cit. q. 65. a.* 12. Pirh. *h. t. n.* 212. Prout patet ex Const. Gregor. XIII. Quamvis etiam de aliis Coosservatoribus dicat Pirh. *cit. n.* 212. citando pro hoc Gl. magn. *in c. 1. h. t. in 6.* Rodriq. *ubi ante*. Hodiedum communiter Conservatores dari solere, ut cognoscere possint de iis, quæ judicialem indaginem & cognitionem exigunt. Secundo possunt vices suas subdelegare, seu constituere Subconservatorem, quod aliis Conservatoribus de jore communi non est concessum. Rodriq. *l. c. a.* 10. Chokier. *de jurisd. Ordinar. in exempt. Tom. 2. p. 2. q.* 1. Pirh. *l. c.* ut constat ex *Compend. privileg. Societ. v. conservator.* §. 2. A quo tamen subconservatore causam ad se avocare, nuo nisi re adhuc iotegra, possunt, ut de aliis delegatis dictum supra. Tertio possunt trahere ad judicium extra civitatem vel diæcesin, io qua pro regularium defensione deputati, non tamen ultra tres dietas. Rodriq. *l. c. a.* 7. Pirh. *l. c.* Quarto eorum jurisdictio etiam quo ad negotia futura, aut alias necdum cæpta, morte concedentis non exspirat, ut constat ex *cit. Const.* Gregor. XIII. Wiestner. *h. t. n.* 108. Neque hæc sublata sunt per ea, quæ jure oovo circa alios Conservatores statuit Trident. *sess. 14. c. 5. de reform.* Tum quia dicta constitutio Greg. posterior est illo Tridentini decreto; tum etiam, quia illo ipso *citato c.* 5. Concilium eximit nniversitates generales, nec non Collegia Doctorum & Scholarium, loca regolaria & hospitalia, eorumque personas. Molin. *l. c. d. 29. n. ult.* juxta declarat. Cardinal. Concilii apud Gallimart. & literas conservatorias universitatum ac regularium.

QUÆSTIO DCCXXXIV.

Qualiter de cætero aliorum Conservatorum potestas limitetur.

1. RESP. primo. Et aote omnia Conservatores dati a Sede Apostolica modum a Jure præscriptum in procedendo contra Episcopos, qui eorum mandata violant, observare, & debita moderatione uti debent, prout statuitur *in c. quia pontificali h. t. in* 6. Tractando nimitum illos, dum eorum justis mandatis non parent, aut usum jurisdictionis malitiose impediunt, reverentius & mitus ob dignitatis & officii episcopalis reverentiam, ita ot, prout habetur *cit. c. quod cis primo ingressus ipsius Ecclesiæ, vel Sacerdotale interdicatur officium, ac denique ab officio suspendantur & subsequenter aggravetur censura ecclesiastica contra eos* (proferendo nimirum contra eos sententiam excommunicationis vel etiam interdicti in terras eorum juxta *c. sane in princ. h. t.* Barbos. *in cit. c. quia pontificali n. 12.*) *in forte aliter fieri* (id est, non servato dicto ordine gradatim procedendi, statim excommunicationis sententiam contra eos proferendam) *suaserit nimia contumacia, protervitas, sive culpa*: ut quia iojuriosa vel contumeliosa verba Episcopus proferat in Judicem delegatum vel Conservatorem. Pirh. *h. t. n.* 213. cum Gl. *fin. in cit. c. quia pontificali*. Procedereque id ipsum in Episcopis electis & confirmatis, etsi necdom consecratis, eo quod hoc privilegiom Episcopis concedatur, nun ratione Ordiois, sed ratione dignitatis & officii episcopalis, ait cum Franco *in cit. c. quia pontificali n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 214. Porro, ubi Conservator non servato dicto ordine mox excommunicasset Episcopum inobedientem, valere quidem excommunicationem, ubi Episcopus ab ea non appellavit, etsi male ageret Conservator, ideoque puniri possit, ait idem cum Gl. *fin. in cit. c.*

2. Non possunt causas, ad quas ipsis concessa jurisdictio, extra civitatem vel diæcesin, in qua deputati, cognuscere, etiam de consensu partium *cit. c. fin. §. Conservatores*, etsi id alias vi *c. statutum de rescrip. §. cum vero* permissum delegatis aliis, ut possint jurisdictionem suam de consensu partium de loco in locum prorogare. Ab his enim ad illos, utpote magis odiosos arguere non licet. Gl. *in cit. §. Conservatores v. præsumant*. Tertio neminem trahere possont ad judicium ultra unam dietam a foribus civitatis vel diæcesis, pro qua deputati *cit. §. Conservatores*. Quarto vices suas alteri committere causam totam vel ejus partem (exceptis tantum citatione & sententiæ prolatæ denunciatione) quæ Conservator aliis intra eandem diæcesio vel civitatem, io qua est deputatus committere potest, modo eas qualitates habeaut, ut Conservatores esse possint) subdelegando nequeont, nisi idipsum in literis Apostolicis sit ipsis concessum *cit. c. fin. §. vices*. Idque, ut minus præjudicetur jurisdictioni Ordinariorum. Gl. *in cit. c. fin. v. nulli*. Barbos. *de off. & pot. Ep. alleg.* 106. *n.* 46. De cætero, quæ circa Judices delegatos alios jure communi canonico decreta sunt, quoad munera, expensis, Assessores, Notarios, testes *in c. statutum de rescrip. in* 6. eadem a Judicibus quoque Conservatoribus observanda esse statuitur *cit. c. fin. h. t. §. circa*.

QUÆSTIO DCCXXXV.

Quænam jure novo Trident. statuta sint circa Conservatores & literas conservatorias.

RESP. sunt fere sequentia. Primo, ut literæ Conservatoriæ nemini cujuscunque dignitatis & conditionis (exceptis iis, de quibus *q. ante hanc 4. in fine*) etiamsi Capitulum fuerit, suffragentur, quo minus coram Episcopo suo, seu alio superiore ordinario in causis criminalibus aut mixtis quovis prætextu conveniri possit. Secundo, ut in causis, etiam mere civilibus, nemioi, si ipse actor exstiterit, liceat aliquem apud suos Coosservatores in judicium trahere. Quod si in causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conservator ab actore suspensus esse dicatur, aut si qua controversia inter Conservatorem & Ordinarium super competentia jurisdictionis orta fuerit, in causa noo procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super ea judicatum fuerit. Tertio ot literæ coosservatoriæ impetratæ ab aliquo, non prosint ejus familiaribus, oisi duobus tantum si propriis ejus sumptibus vixerint. Quarto ut nemo similium literarum beneficio oltra quinquennium frui possit. Quinto ut non liceat Conservatoribus Judicibus ullom tritunal erectum habere. Sexto ut io causis mercedum & miserabilium per-

perſonarum ſervetur decretum Trid. *ſeſſ. 7. c.* 16. Ita ſtatuitur & habetur *cit. ſeſſ.* 14. *c* 5.

QUÆSTIO DCCXXXVI.

An Conſervator recuſari poſſit & ab eo appellari.

Reſp. Conſervatores ex juſta cauſa inſtar aliorum Judicum delegatorum tanquam ſuſpectos recuſari, & ab eis, rationabili cauſa expreſſa, ad Sedem Apoſtolicam appellari poſſe, aſtruit Wieſtn. *h. t. n.* 106. cum Franc. Dominic. & Gl. *in can. fin. q.* 5. *v. manifeſta & in c. Romana de appel. in* 6. *v. mandatur*; eo quod etiam in notoreis, rationabili cauſa expreſſa, recuſatio & appellatio admittatur, ut cum ead. Gl. tenere aſtruit Gomez. *Tom.* 3. *var. c.* 1. *n.* 46. Covar. *pract. c.* 23. *n.* 2. Farinac. &c. Negant e contra ex principio omnino contrario, nimirum, quod in notoreis, de quibus tantum cognoſcere poteſt conſervator, non admittatur recuſatio aut appellatio. Sylv. *v. Conſervator. q.* 3. *dicto* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 34. *q.* 11. Pirh. *h. t. n.* 210. cum Gl. communiter recepta *in c.* 1. *h. t. in* 6. *v. Conſervatores.* Quod ipſum videtur probabilius. In dubio tamen, an injuria ſit notoria, nec ne, Conſervator, dum de illo dubio cognoſcere vult, tanquam ſuſpectus recuſari & ab ejus ſententia interlocutoria pronunciantis, injuriam eſſe notoriam, appellari poteſt. Pirh. *l. c.* Licet enim a facto notorio non poſſit appellari *c. cum ſit §. præterea de appell.* juxta Gl. *v. manifeſta.* Poteſt tamen appellari a ſententia Judicis, per quam is declarat, illud eſſe notorium; cum fieri potuerit, ut injuſte ſic declararet. Abb. *Conſilior. p.* 1. *conſ.* 100. *n.* 3. Tuſch. *v. conſervator. concl.* 760. Pirh. *l. c.*

QUÆSTIO DCCXXXVII.

An & qualiter officium Conſervatoris exſpiret per mortem concedentis.

Reſp. Officium Conſervatorum quorumcunque, (ſive dati ſint ad conſervanda privilegia, ſive ad defendendum a manifeſtis injuriis, vel alio modo) exſpirat ipſo jure, ita ut deinceps ab eis acta ſint ipſo jure nulla quo ad negotia non cœpta per obitum Papæ concedentis *c. fin. h. t. in* 6. *§. officium* juncta Gl. *v. quorumcunque & v. ipſo jure.* Tametſi autem idipſum quod officium exſpiret morte concedentis quo ad necdum cœpta locum habeat quoque in Conſervatore Religionis dato ad defenſionem privilegiorum ejus, dum nimirum Papa ipſemet ſpecialiter & directe Conſervatorem deputavit ad privilegia religioſorum in certo aliquo caſu defendenda, ſecus tamen eſt, ſi privilegium quocunque tempore eligendi ſibi Conſervatorem ab ipſa Sede Apoſtolica ipſis conceſſum eſt. Hoc enim utpote reale, ſeu certo generi perſonarum ſive Ordini conceſſum perpetuum eſt; adeoque eſt deputatio Conſervatoris ex tali privilegio, ſeu vi gratiæ jam factæ & religioſis conceſſæ (quæ non ſecus ac privilegium conceſſum loco perpetuo eſt *l. forma §. quanquam ff. de cenſibus*) conveniens perpetuo durat; cum jam conſervator, non ab hoc vel illo Pontifice, ſed autoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ perpetuo durat, electus cenſeri debeat. Rodriq. *l. c. a.* 6. Laym. *in c. fin. h. t. in* 6. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 216.

TITULUS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

CAPUT PRIMUM.

De Legatorum Apoſtolicorum Nomine, Origine, Diverſitate, Officio, Juriſdictione & Poteſtate in genere.

QUÆSTIO DCCXXXVIII.

Unde & quod olim Legatorum Apoſtolicorum nomen.

Reſp. Legatorum in genere nomen, ut patet, ex eo deſumitur, quod publice mittantur ſeu legentur & ablegentur, nimirum authoritate Principum ſuorum ad tractanda eorum negotia, habendam inſpectionem, & ad nomine eorum exercendam in provinciis ſibi ſubjectis juriſdictionem. Dicuntur etiam in ſpecie Legati Sedis Apoſtolicæ in varia Chriſtiani orbis regna ablegari ſoliti; *Nuncii Apoſtolici.* Et olim ab origine græca dicti ſunt *Apocriſiarii*, id eſt, reſponſales ſeu reſponiarii, nimirum, ut Gregor. M. *in Ep. ad Leand.* pro explendis reſponſis Eccleſiæ ad Principem tranſmiſſi. Quo tamen Apocriſiariariorum & reſponſalium nomine maxime veniebant illi, qui ordinaria continuaque legatione Apoſtolica fungentes apud Imperatores & Reges, in eorum Palatiis aut urbe Imperatoria reſidebant. Tametſi de cætero nomen illud Apocriſiariorum non tantum Pontificum Romanorum, ſed aliorum Patriarcharum & Exarchorum illiusmodi Nunciis ſtationariis competebat. Dum & his ſuos Conſtantinopolim ad Imperatores delegandi & ibidem habendi Apocriſiarios jus erat; non vero Epiſcopis aut etiam Metropolitanis aliis, utpote quorum uti & Eccleſiarum iis commiſſarum Apocriſiarium ibidem agebat ipſe Conſtantinopolitanus Patriarcha, de quo ait Thomaſſ. *loc. mox citando*: nihil eccleſiaſticæ politiæ accommodatius, nihil antiquius Epiſcopis Chriſtiani orbis omnibus, quam ut in urbe regia haberent ejuſdem Epiſcopum ſuum ad Imperatorem ſequeſtrum, introductorem conciliatoremque, nec ſuum duntaxat, ſed & eorum, quos ipſi miſiſſent. Unde etiam plurimum ſplendoris & poteſtatis acceſſiſſe Patriarchæ Conſtantinopolitano, habet idem. Conſtant hæc de Apocriſiariis illis inferiorum Papa Antiſtitum ex *Novell.* 6. *c.* 2. & 3. & videre eſt apud Thomaſſ. *de vet. & nova Eccleſ. diſciplin. p.* 1. *l.* 2. *c.* 108. *n.* 6.

Lauren. Jus Can. Lib. I.

QUÆSTIO DCCXXXIX.

Quænam iſtiusmodi Nunciorum ſeu Apocriſiariorum Apoſtolicorum origo, quis progreſſus.

1. Reſp. ad primum. Mox ac Imperatores Romani fidem Chriſti ſuſceperunt, Pontifices Romanos pro Eccleſiæ cauſa & defenſione crebris eos legationibus adire & interpellare neceſſe habuiſſe, conſtat ex annalibus eccleſiaſticis; ordinariæ vero perpetuæque illius legationis ſeu Apocriſiariorum dictorum apud Imperatores reſidentium originem, tametſi a tempore Conſtantini, quo primo is Sedem Imperii ſtatuit Conſtantinopoli, repetat apud Thomaſſ. *l. c. num.* 10. Hincmarus. Primum tamen ad fungendum hoc munere apud Marcianum Imperatorem a Leone Mag. poſt Concilium Chalcedonenſe deſtinatum & conſtitutum Julianum Epiſcopum Coenſem ex inſula Ægei maris ad excubandum, ut conſtat ex ejuſdem Leonis *Epiſt.* 56. ibidem pro fidei integritate contra errores Neſtorii & Eutychetis, quos non eo, ut par erat, Zelo ac ſtudio deteſtabatur Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, teſtatur Thomaſſ. *l. c. n.* 2.

2. Reſp. ad ſecundum. A tempore, quo Reges Gothi Romę & Italia dominati, ſuos Romani Pontifices Conſtantinopoli Apocriſiarios non habuere, ſed alios, ubi neceſſarium, Legatos extraordinarios miſerunt, vel etiam pro negotiis ſuis expediendis ipſum Conſtantinopolitanum Patriarcham adhibebant, ut oſtendit Thomaſſ. *l. c. n.* 12. Uſque dum Juſtinianus Imperator edomitis Gothis Romam magnamque Italiæ partem Imperio ſuo adjectam Agapetus Papa denuo unum ex diaconis ſuis Pelagium Conſtanainopolim ablegavit, ibidem acturum Nuncium & Apocriſiarium ſuum. Eundemque Vigilius & Sylverius Papa ſucceſſores idem munus continuare juſſerunt. Tametſi autem, an & qui ſub eodem Pelagio jam evecto ad Pontificatum ejuſque ſucceſſoribus Joanne & Benedicto uſque ad Pelagium II. fuerint

Constantinopoli Apocrisiarii, expresse non habeat historia, fuisse tamen & ab iis aliquos eo missos, satis indicat Gregorius M. *l.* 4. *Ep.* 38. dum ait, missum a Pelagio II. *juxta morem*. A quo dein Pelagio missus Constantinopolim ipse Gregorius M. egit ejusdem ibidem Aprocrisiarum magna cum authoritate reverentiaque illi ab Augustis exhibita. Dein Gregorius factus post Pelagium Papa, licet Mauritii Imperatoris obliquioribus consiliis exasperatus aliquandiu cessarit a mittendis Apocrisiariis; expostulante tamen Phoca Mauritii Successore apud Gregorium, quod nullum ejus Apocrisiarium in palatio suo more majorum nactus fuisset, submisit illi (questus tamen prius de temporum priorisque regni acerbitate, ob quam vix ullus clericorum adduci possit, ut Constantinopolim ad id munus pergeret, ibidemque subsisteret ut constat ex ejus *Epist.* 45. *l.* 11.) Defensorem. Fuisse quoque ejusdem Gregorii Constantinopoli Apocrisiarium Sabinianum, qui postea Gregorio in Pontificatu successit, uti & Bonifacium Sabiniani dein in Pontificatu Successorem, videre apud Thomass. *l. c. n.* 25. & 27. Mitti deinceps desiere tantisper Apocrisiarii ob graves vexationes & contumelias illis, quos miserat Theodorus Papa, illatas a Costante Imperatore Monothelitarum hæresis defensore. Usque dum Constantinus Pogonatus, restituta in Oriente fidei integritate convocatoque Concilio Oecumenico VI. rescripsit ad Leonem II. Papam pro revocanda consuetudine mittendi & habendi Apocrisiarium, isque ei submisit Constantinum Subdiaconum, pro ut utriusque, tam Imperatoris in hoc rescriptum, quam Leonis responsum legitur in dicto Concilio *actor.* 18. & recitatur a Thomass. *cit. n.* 27. Post hac, ut Baronius ad annum Christi 743. *n.* 30. Imperatorum iconoclastarum furore spes illas præclaras Concordiæ disjiciente, nulli amplius missi ad Imperatores Orientis (nisi semel adhuc sub Constantino Copronymo citato anno 743.) Apocrisiarii. Usque dum reflorescente sub Carolo M. occidentis imperio reviviscere visi sunt Apocrisiarii, ut ait Thomass. *l. c. n.* 29. Et hunc morem mittendi ad Imperatores ac Reges Christianos a Sede Apostolica istiusmodi Apocrisiarios seu Legatos, qui penes ipsos resideant, adhuc hodiedum continuari videmus.

QUÆSTIO DCCXL.

Quodnam olim priscorum illorum Nunciorum seu Legatorum fuerit munus.

1. RESp. primo. Illud paucis describi a Thomass. *l. c. cap.* 117. *n.* 2. ex *Epist.* Gregorii ad Episcopos Siciliæ. Nimirum variis in provinciis sparsum Ecclesiæ Romanæ patrimonium administrare, personam Papæ circumgestare, ejusque authoritatem sibi delegatam exercere in causis ecclesiasticis, esse executores tam decretorum Pontificiorum quam Canonum, curare celebrari Synodos provinciales, & ibi cum Episcopis in commune consultare de Ecclesiarum utilitate. Specialiter quoque committebatur quandoque illis monasteria pristinæ Sanctitati restituere, disciplinamque in iis curare, ut constat ex Gregor. M. *Ep. l.* 1. *Ep.* 40. & 66. & 67. Et videre est apud Thomass. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 117. *a n.* 5. Item munus eorum erat, Episcopis patrocinari adversus impotentiam seu injustam vexationem Metropolitanorum, ut Thomass. *l. c. a n.* 11. ex variis D. Gregor. Epistol. Item Episcoporum sua invicem jura invadentium controversias componere. Thomass. *n.* 19. ex *l.* 11. *Ep.* 22. 30. 31. Gregor. Et vel maxime authoritatem & reverentiam Episcopis conciliare ac tueri. Ita ut, spectatis his omnibus, bene dixerit Thomass. *in indice c* 1. *c.* 117. Habitos illos Nuncios non aliter ac oculos, manus pedesque summorum Pontificum; ac signanter *eod. c. num.* 17. De Nunciis illis Gregorii M. quod erant pervigiles oculi infatigatæ ejus vigilantiæ, inspectoresque universales & censores Episcoporum vitæ & regiminis, excessuum Cleri, Monachorum defectionis a Sanctitate regulæ, laicorum violentiæ, non eo consilio, ut universalis quædam Monarchia Romano pontifici acquireretur (nihil enim ab ingenio, moribus famaque Gregorii alienius) sed ut summa potestas & invicta dominatio esset penes leges Ecclesiæ sanctissimas, utque earum trangressoribus nunquam esset impune &c. Sed neque mens erat Gregorio per hanc ipsam invigilantiam Episcoporum quicquam eorum dignitati detrahere. Quanto enim zelo vindicandæ dignitatis episcopalis, & ne quid in Episcopos ab his ipsis Legatis aliisque Sedis Apostolicæ ministris peccaretur, exarserit magnus hic Pontifex Gregorius, patet ejusdem *Epist.* 32. *l.* 9. apud Thomasio. *cit. c.* 117. *num.* 19. Ubi etiam ex suo subjicit; nihil tam infestum Canonibus, quam Canonum obtentu jurisdictionem Episcoporum imminutum iri. Nam, ut idem Pontifex cit. Ep. *si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit, ordo confundatur.* Uti & idem *l.* 11. *Ep.* 21. his verbis: *nec honorem esse deputo, in quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco. Tunc vero honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur*: non honestari Sedem Apostolicam de honestamentis Episcoporum, sed Romani Pontificis honorem in eo vel maxime effulgere, quod honorem haberi Episcopis curet, ut Thomass. *l. c.*

2. Resp. secundo. Speciale quoque munus Apocrisiariorum illorum Apostolicorum apud Imperatores orientis degentium eis ab Apostolica Sede commissum erat, invigilare contra pestilentes hæreticorum errores & machinationes concitare, in eos quotidie magis ac magis Imperatorum odia, & e contra erga Catholicos benevolentiam, ut constat ex *Epist.* Leonis M. 50. & 57. Ubi ad Marcianum Imperatorem sic scribit: *vicem illi* (nempe Juliano Apocrisiario meo) *meam contra temporis hæreticos delegavi, ut a comitatu vestro non abesset, exegi, cujus suggestiones tanquam meas dignemini*. Residere insuper tanquam officii obsequi ac fidei pontificiæ apud Imperatores obsides, ut inquit Thomass. *l. c. cap.* 118. *num.* 4. Constatque ex *Epist.* ejusdem Leonis 58. ad Pulcheriam Imperatricem, ubi is: *cum in causa fidei vicem illi meam curemus delegaverim, ut ab ea, quæ vobis debetur, observantia non recedens, pietati me vestra præsentare non desinat, exequens in custodia fidei, & in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis suggestionibus, quod universali prodest Ecclesiæ, insinuans, ut in ipso nec Catholicis vestrum præsidium, nec vobis meum desit obsequium &c.* Ex quo horum Apocrisiariorum munere ab iis quam diligentissime exactu jam elucet, eos, ut Thomasio. *cit. cap.* 118. *num.* 27. Quemadmodum Papæ, Ecclesiæ Romanæ ac Italiæ præsidio, ita & ipsis Imperatoribus conducibiles extitisse tanquam fidei & amicitiæ Pontificum pignora, ex quibus Italiam aliasque Occidentis provincias in obsequio retineri, vel ad illud revocari posse tantum confidebant Imperatores. Quanta vero eorundem Apocrisiariorum potestas & authoritas, patet ex iis, quæ ex historia ecclesiastica refert Thomasin. *loc. cit. num.* 17. & 18. Quanta etiam deinceps apud Carolum M. ejusque successores cum dignitatis & potestatis amplitudine hoc suo munere functi, constat ex eo, quod, teste eodem Thomasio. *loc. cit. num.* 1. Eo tempore etiam Archiepiscopi speraverint, se hoc officio illustrari posse. Quamvis de cætero tali delegatione seu Apocrisiariatus illius nihil iisdem tributum jurisdictionis a Pontificibus præter ea, quæ quandoque eis ad causas particulares per specialia rescripta mandabantur.

QUÆSTIO DCCXLI.

An & qualiter non nisi ad petitionem vel saltem de consensu, Imperatorum ac Regum, nec non Episcoporum regni missi quondam tam dicti Apocrisiarii, quam alii extraordinarii legati Apostolici.

1. RESp. ad primum. Non raro petitos & desideratos ab Imperatoribus ac Regibus istiusmodi Apocrisiarios, aliosve Legatos extraordinarios, ait Thomass. *cit. c.* 118. *n.* 9. his verbis: profiteor, flagitatos persæpe ab Imperatoribus fuisse Legatos: & constat ex sequentibus. Primo, ut videre est *ex Ep.* 42. Gregor. M. *l.* 11. *Epistolar.* & dictis a nobis supra, quod Phocas, mox, ut adeptus imperium, expostularit cum Gregorio, quod nullum in palatio suo nactus esset more majorum Apocrisiarium. Secundo, dum Constantinus Pogonatus talem expostularit a Leone II. his verbis, quæ habentur in *Concil. oecumen.* 6. *Act.* 18. *Hortamur vestram sanctissimam summitatem, ut quamprimum mittas designatum ab ea Apocrisiarium*, ut is in regia nostra urbe degat, & in emergendis sive dogmaticis, sive canonicis ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negotiis vestræ Sanctitatis exprimat ac gerat personam. Tertio dum Brunegildis Galliarum Regina per Optimates Regni deposci curavit a Gregorio M. Legatum, qui purgandæ Ecclesiarum disciplinæ cum Episcopis Regni navaret operam. Baron. *ad annum Christi* 605. *num.* 16. Thomass. *cit. l.* 2. *c.* 118. *num.* 3. & constat ex *Epist.* 8. *l.* 15. ejusdem Gregorii. Quamvis is antecedenter Brunegildem interpellarat, ut a se postularet & postulari faceret istiusmodi Legatum. Thomasin. *l. c. num.* 1. verum & ultroneè percupivisse Reges Gallos, ut mitterentur Legati, tuetur Idem *ibidem num.* 8. inquiens: *constat, præcurrere solitos Reges Pontificum curæ ac sollicitudini, & Legatos invitare, ut ad Concilia congreganda adproperarent, quo malis*

mede-

moderentur inveteratis &c. Plagitarunt & quandoque illum Reges Angliæ, ut constat de Rege Heorico III. *ad Annum Christi* 1237. quamvis id ipsum iniquo animo passi sint Proceres & Barones Regni. Fecerunt idem deinceps alii, &c.

2. Resp. ad secundum. Quidquid sit de istiusmodi ultroneis Regum petitionibus ac desideriis habendi apud se Legatum Pontificium; fuisse tamen etiam sæpe ad hoc, ut mitti posset ad illos a Pontifice Legatus, præsertim Apocrisiarius seu stabiliter penes eos residens, necessarium eorum assensum coustat ex historia. Ac imprimis quidem Imperatorum Orientis pro tempore præcipue grassantium ibidem nefariarum hæresum, Nestorii; Eutychetia, Mouothelitarum &c. Thomass. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 108. *nu.* 3. hujus necessitatis requirendi hunc consensum hanc addens rationem; nimirum quia summa ac cardu istiusmodi Legationum potissimum in eo versabator, ut corum Catholicis benevolentia conciliaretur in dies major, & majus in hæreticos odium accenderetur. Quod certe commode, aut ne vix quidem fieri nequibat, submisso illis vel potius citra vel contra eorum assensum obtruso tali Legato. Sic quoque tempore ante Imperium Caroli M. dum fædissima erat Galliarum Ecclesiæ facies, & agritudo propemodum desperata, ut inqoit Thomass. *l. c. nu.* 118. *n.* 8. nec missi sunt a Pontificibus Legati, nec ab illis Co gregata Concilia, nec Conciliorum decreta executioni ab illis mandata, nisi Principum Episcoporumque suffragante consensu. Quin etiam quandoque ipsorum Legatorum forte excessibus (de qua vide Thomassin *l. cit. cap.* 119. *a nu.* 3.) irritati Reges & Regna quam ferventissime apud Sedem Apostolicam iustiterunt, ne absque eorum prius explorato consensu Legati mitterentor. Idque privilegii ubtinuere varii, ut videre est apud cundem sparsim *cit. c.* 119. ita, ut proinde, ut ait *ibidem nu.* 6. nemini mirum accidat, eodem jam frui usu Galliarum Reges, ut ne ulli unquam huc mittantur Legati, nisi vel petierint ipsi, vel assensi sint Reges. Sed quidquid sit de hoc, uti & de eo, quod sæpius plures Principes, aut etiam Respublicæ, etiam independenter a simili privilegio via facti istiusmodi sese legationibus citra suum consensum institutis opposuerunt, Legatisque aditum ad Regna & Provincias suas intercluserint, aut certe eorum facultatibus & effusæ potestati limites statuerint, pergantque id ipsum factitare hodiedum, ut videre quoque est apud eundem *loc. cit.* ex eo minime adhuc sequitur, esse de jure aut necessitate absoluta hanc consensus Regii requisitionem & obtentionem, aut infringi illam Bonifacii VIII. propositionem: *Potest Romanus Pontifex Legatos de latere & Nuncios libere mittere ad quævis Imperia & Regna absque petitione cujuslibet vel consensu, usu, vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus.* Quin & hodiedum Legati Apostolici, utpote vices Papæ gerentes & supplentes in remotis, quo ipse personaliter accedere non potest, ab umnibus cujuscunque præeminentiæ, conditionia & status fuerint, debent admitti, nec a quoquam impediri possunt, quo minus Regna & terras quævis, ad quas ipsos destinari contigerit, libere iugredi, & legationis officium in iisdem exercent. Qui veru eosdem præsumpserint impedire, ipso facto sententiam excommunicationis (reservatam Papæ, non quidem vi juria communis, sed quateous includitur in Bulla Cœnæ, ut Navar. *in man. Prælator. c.* 27. *nu.* 149. Barbos. *in Extrav. unic. de consuetud. inter comm. num.* 2.) incurrant, & Regna, terræ & loca quælibet iisdem subjecta ecclesiastico subjaceant interdicto, quamdiu in hujusmodi pertinacia perstiterint, non obstantibus quibuscunque privilegiis quibusve Principibus a Sede Apostolica quacunque forma, modu ac tenore concessis, uti nec quacunqne consuetudine, utpote quæ tauquam irrationabilis, animarum saluti contraria, ac plurimum Apostolicæ potestati detrahens reprobatur. Prout hæc umnia habentur in *citata Extrav.*

De cætero hæc pauca de priscis illis Sedis Apostolicæ Legatis, utpote magis historica, delibasse, & pro aliquali luce sequentibus affundenda præmisisse sufficiat. Nunc ad ea, quæ magis canonica Legatorum Poutificiorum etiam hodie minus, jura & potestatem concernunt. De quibus qualiter Thumass. ad calcem *cit. c.* 119. *& ultim. L.* 2. eum veritate pronunciare potuerit: *de jure & potestate Legatorum jure novo non est, quod multum laboremus, pleraque enim eorum, quæ in decretalibus & posterioribus constitutionibus de illis statuta fuerunt, in desuetudinem abiere*: non capio

QUÆSTIO DCCXLII.

In quotuplici differentia sint moderni Legati.

1. RESP. primo. Legati in genere tam Principum sæcularium quam ecclesiasticorum seu Papæ, alii leganeur seu mittuntor solum ad referenda sui Principis mandata, aut etiam negotia expedienda, puta, ad celebrandos contractus, ad tractandum de pace, de limitibus, aliisque controversiis, ad observandum interesse sui Principis apud exteras aulas, sine omni jurisdictione, seu ad nudum ministerium, dicuoturque *Oratores, Ambassiadores*. Quales etiam quandoque mittit Papa, mittebatque quoque olim, tanquam inspectores, ut mores & disciplinam alicujus Ecclesiæ observarent, seque de eo certiores rédderent. Quorum exempla vide apud Thomass. *p.* 1. *L.* 2. *c.* 17. *num.* 4. Alii mittuotur cum jurisdictione seu ut Judices ad gubernandam locu priucipalis sui Provinciam, seu cum authoritate cognoscendi & judicandi de causis omnibus commissæ sibi Provinciæ; per quod etiam differunt a delegatis ejusdem Principis utpote quibus non nisi certa aliqua aut aliquæ causæ committuntur terminandæ. Legati Judices etiam in Jure civili dantur & olim dabantur, nempe Legatus Proconsulis & Legatus Præsidis, de quibus exstant Tituli *l.* 1. *ff.* Fitque eorum mentio in Jure Canonico, nimirum *c.* 2. *h. t. in* 6.

2. Resp secundo. Legati Judices Sedis Apostolicæ (de quibus solis hic titulus & nobis deinceps sermo erit) alii sunt & dicuntur Legati nati; eo quod munus Legati Apostolici perpetuo dignitati eorum annexum, adeoque eo ipso quod talem dignitatem coosequuntur, sunt Legati Sedis Apostolicæ absque ulla alia depntatione. Qualis v. gr. in Hispania est Archi-Episcopus Toletanus. Io Gallia Rhemensis. In Italia Pisanus. In Germania Salisburgensis; Azorius *p.* 2. *l.* 5. *c.* 27. *qu.* 1. Tusch. *v. Legatùs concl.* 157. Castropalao *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 25. *num.* 1. Alii Missi, seu a Papa specialiter ad hoc munus deputati. Horum alii dicuntur simpliciter Missi seu Nuncii Apostolici. Esseque possunt etiam simplices Clerici, ut patet iu S. Francisco Xaverio destinato ad Indias cum potestate Nuncii Apostolici; quamvis ordinarie non nisi Prælatis ad majorem Sedis Apostolicæ reverentiam deferri hoc munus soleat. Quandoque etiam cum potestate Legati de latere, seu eadem, qua Legatus de latere, instructi potestate. AA. iidem Pirhing *h. t. n.* 1. Laym. *Th. mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 6. *num.* 22. Alii sunt & dicuntor Legati de latere, Quales ex usu curiæ non sunt, nisi Cardinales, dum ad unam vel plures Pruvincias ad munus Legatorum ibidem gerendum mittuntur. Sic dicti, quia quasi a latere Papæ, cum quo unum corpus efficiunt. Argum. *c. quis militibus* 6. *qu.* 1. & cui in consiliis arduisque negotiis assistunt, desumpti. AA. iidem. Veniunt hi quoque appellatione Sedis Apostolicæ, nisi proferatur in materia reservata. Item provisio ab iis qua talibus facta provisio Apostolica; & literæ eorum dicuntur Apostolicæ. De quo vide me in *Foro benef. p.* 2. *qu.* 651. Porro hi Legati omnes, etsi in provinciis, ad quas deputati, proprie fungantur legatione & authuritate Pontificis. Glos. *in c. statutum de rescrips. in* 6. *v. a Sede*, gerantque vices Papæ, sintque proinde & dici possint Vicarii Papæ, *c.* 1. *h. t. in fine*. Pirhing *l. c. num.* 2. eorum tamen potestas diversissima est, præcipue iu ordine ad beoeficiorum collationem pru ut videbitur in sequentibus.

QUÆSTIO DCCXLIII.

An Legatus Apostolicus sit Ordinarius, ordinariamque habeat jurisdictionem.

RESP. esse eos ordinarios Provinciarum ad qoas mittuntur & exercere ibi propriam & ordinariam jurisdictionem ad instar Proconsulum cæterorumque Præsidum Provinciæ, quibus certæ sunt decretæ Provinciæ moderandæ (quibus utique competit jurisdictio ordinaria, *l.* 4. *& seq. ff. de off. procons. & l.* 3. *& seq. ff. de off. Præsidum*) constat *ex c.* 2. *in* 6. quidquid sit de eo, num exinde, quod stabilis & perpetua non sit, dum pro arbitrio Papæ creantur & revocantur, eorum jurisdictio videatur quodammodo extraordinaria & superinducta, ut volunt Abb. *in c.* 1. *h. t. nu.* 3. Mulina *de just. tr.* 5. *d.* 9. *num.* 3. Pirhing *h. t. nu.* 2. *&c.* Certe, si id ipium, quod ab Imperatoribus pru libitu constituebantur, & revocari poterant Provinciarum Præsides, non obstabat quu minus eorum jurisdictio esset absolute ordinaria, ipsiqua

que ordinarii Provinciarum Judices, etsi vice Imperatorum eas administrarent, non obstabit quoque idem Legatorum jurisdictioni ab ipso quoque jure eorum officio attributæ & annexæ stabiliter, tametsi ipsi sint Vicarii Papæ (in hoc tamen differentes a Vicariis generalibus Episcoporum, qui etsi & ipsi ordinaria polleant jurisdictione, illa tamen sit una & eadem cum jurisdictione Episcopi, Legatorum vero distincta a Jurisdictione Papæ) vicesque illius & quidem ad nutum revocabiliter suppleant. De cætero hoc ipsum, quod in Provinciis sibi commissis habeant jurisdictionem ordinariam convenit omnibus illis tribus Legatorum speciebus (tametsi una præ alia majorem potestatem habeat) cum nomine Legatorum Sedis Apostolicæ simpliciter prolato, & nisi aliud exprimatur, aut aliunde pateat differentia, veniant quicunque ejusdem Legati (intellige Judices) Glos. *in cap. statutum de rescript. in 6. ver. Legatorum*. Abbas *in cap. ultim. h. tit. num.* 1.

QUÆSTIO DCCXLIV.

A quo tempore incipiat officium & jurisdictio Legatorum.

RESp. Quamprimum Urbe egressus est, gerit officium & dignitatem Legati, habetque jurisdictionem. Argument. *l. 1. ff. de off. procons.* jurisdictionem tamen contentiosam non nisi in habitu, quippe quam ante ingressum in Provinciam sibi destinatam exercere nequit. Castrop. *tract. 13. disp. 2. qu. 26. nu. 19. & 20.* citans Azor. *p. 2. l. 5. c. 27. quæst. 6.* Pirhing *h. t. n. 32.* tametsi ante dictum ingressum ob necessitatem v. gr. dum infirmitate impeditur procedere & ad provinciam suam accedere, possit causas judiciales alteri in Provincia cognoscendas delegare; cum delegatio non requirat causæ cognitionem. Pirhing *l. c.* cum Glos. *in c. novit. h. tit. ver. terminor.* Argum. *l. aliquando de off. procons.* Quin etiam, ut idem Pirh. cum Host. *in sum. h. t. nu. 4.* absolute delegare potest hodiedum nondum ingressus Provinciam, etsi impeditus non sit. Voluntariam vero jurisdictionem (quo spectant collatio beneficiorum, dispensatio, legitimatio, absolutio a peccatis & censuris) libere exercere potest nondum ingressus provinciam. Castrop. *l. c.* vide me *in Foro benef. p. 2. qu. 656.*

QUÆSTIO DCCXLV.

An postquam semel ingressus Provinciam, possit exercere suum officium & jurisdictionem existens dein extra Provinciam.

RESp. negative quo ad jurisdictionem contentiosam Argum. *l. 1. ff. de off. procons.* ubi dicitur: Proconsul non exercet potestatem nisi in ea Provincia, quæ ei decreta est. Patetque ex jam dictis. Neque enim quicquam ad hoc facit, quod semel jam ingressus fuerit suam Provinciam; cum jurisdictio contentiosa exerceri nequeat sine causæ cognitione & strepitu judicii, ille autem absolute loquendo adhiberi nequit in alieno territorio sine consensu proprii illius Judicis. Unde econtra, quia dictus strepitus necessarius non est ad exercendam jurisdictionem voluntariam, & impune extra territorium exercentur, uti etiam ea, quæ alias spectant ad jurisdictionem contentiosam, ubi quandoque per accidens istiusmodi strepitum non requirunt, exerceri possunt extra territorium, v. gr. potest Episcopus extra suam diæcesin existens excommunicare suum subditum, ubi causa excommunicationis notoria est. Ita Pirh. *h. t. n. 34. in fine*, citans Navar. *in man. prælat. c. 27. n. 6.* Quod si tamen Legatus ad plures Provincias destinatus fuit, potest existens in una earum exercere jurisdictionem, etiam contentiosam in Provinciales alterius Provinciæ, non secus ac Episcopus habens duas diæcesea, in qualibet earum existens alterius causas cognoscere & dijudicare potest. Argum. *c. novit h. t.* Cujus rei ratio est, quod in eo casu utraque Provincia in ordine ad jurisdictionem constituat quasi unum aliquem districtum. Jam vero Princeps in qualibet parte sui territorii pro tribunali sedere, & jurisdictionem exercere potest in quoslibet suos subditos; adeoque etiam Legatus in uno loco sui districtus seu suarum Provinciarum existens exercere potest jurisdictionem suam expediendo causas ad quemcunque locum alium intra suum districtum spectantes. Molin. *l. c. nu. 8.* Pirhing *l. c.* Nihilominus nequit partes invitas extra Provinciam, in qua ipsæ morantur, trahere ad judicium ad locum, in quo ipse existit. Abb. *in c. novit. h. t. n. 2.* Pirh. *cit. n. 14.* Reiffenstuel *n. 21.* contra Vallens. *h. t. §. 2. num. 3.* Ut enim molestiis & sumptibus parcatur subditorum, jura idipsum vetant, *cap. nominem caus. 3. qu. 2.*

QUÆSTIO DCCXLVI.

An & qualiter Legati in jurisdictione concurrant cum ordinariis aliis.

RESp. Quantum est de Jure communi & antiquo Legati Apostolici, etiam Nuncii, seu non de latere, tanquam Judices Ordinarii cum omnibus Judicibus ordinariis, puta, Patriarchis, Archi-Episcopis aliisque Judicibus inferioribus Provinciarum suarum, ad quas destinati, concurrunt in jurisdictione quo ad causas omnes subditorum (exceptis iis, quæ forte per Papam alicui specialiter delegantur, in quibus, cum speciale mandatum deroget generali, se intromittere nequeunt, *c. studuisti h. t.* & ibi DD.) ita ut licet Legatus cogere nequeat subditos, ut præteritis aliis ordinariis coram se litigent, possit tamen tam coram Legato quam alio ordinario Judice, tam quo ad primam, quam quo ad secundam instantiam, prout elegerit actor, institui judicium; cum ubi concurrunt plures Judices ordinarii, detur optio actori eligendi, quem maluerit. Pirh. *h. t. nu. 12.* citans Abb. *in c. 1. h. t. nu. 3. & 4.* Molin. *ubi ante, n. 7.* Argum. *c. 1. h. tit.* ubi, quod Archiepiscopus Cantuariensis, qui simul erat Legatus natus, licet qua Metropolitanus audire non posset causas ex suffraganeorum suorum diœcesibus, nisi forte per appellationem ad se delatas, potuerit tamen & debuerit, qua Legatus Papæ expedire omnes causas non tantum per appellationem, sed etiam per simplicem querelam delatas. Unde etiam cum non detur Judex intermedius, dum Legatus concurrit cum quocunque ordinario, poterit prætermisso, tam Episcopo, quam Metropolitano, immediate a quocunque eorum ad Legatum Sedis Apostolicæ appellari prout habetur *c. 1. h. t.* Abb. *l. cit. nu. 7.* Molin. *nu. 9.* Pirhing *cit. num. 12.* Dixi *jure antiquo*: Quia Jure novo Trident. *sess. 24. c. 20. de reform.* potestas illa Legatorum non nihil restricta fuit, dum inter alia statuitur ibidem, ut causæ ecclesiasticæ in prima instantia coram ordinariis duntaxat locorum cognoscantur, & ad Judicem superiorem, puta, etiam Legatum, nullus recurrere possit, nisi ordinarius loci intra biennium a die motæ litis causam terminare neglexerit (sed nec post biennium, ubi non stetit penes Ordinarium, quo minus intra illud causam diffiniat, vel ob qualitatem causæ, vel partium cavillationes, prout censuit S. Congreg. Concil.) vel nisi a sententia definitiva, vel vim definitivæ habente ad eundem Legatum fuerit appellatum. Quæ autem tunc in appellationis processu servanda sint Leges apud idem Trident. *l. cit.* uti & *sess. 22. cap. 7. & sess. 13. c. 3.* De cætero ait *citato c. 20.* Trident. *Legati quoque, etiam de latere, Nuncii aut alii quarumcunque facultatum vigore, non solum Episcopos in prædictis causis* (nimirum matrimonialibus & criminalibus) *impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem eis præripere aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos aliasve personas ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur &c.* Quid vero hodiedum adhuc sit circa incurrentiam & prævenientiam Legatorum cum ordinariis in collatione beneficiorum, dicetur *cap. seq.* remissive.

QUÆSTIO DCCXLVII.

Quodnam sit officium modernorum Legatorum.

RESp. Legatorum in genere munus generatim exponitur, *c. 2. h. t. in 6.* nimirum, quod sit vices Papæ gerere & nomine illius evellere & dissipare (nimirum, ut Glos. *ibid. ver. dissipare*, vitia & pravas consuetudines) ædificare & plantare, nimirum virtutes, ut Glos. *v. plantent*. Spectat proinde ad eorum officium habere quo ad spiritualia & ecclesiastica negotia supremam inspectionem: Principes ac populos in fide Catholica & debita S. Sedi obedientia conservare, constitutiones Pontificias in usum deducere, & quo minus juxta statum Provinciarum suarum id fieri possit Pontificem informare, aliaque utilitatem Ecclesiæ ad disciplinam ecclesiasticam concernentia ad illum referre, uti & id muneris, jam olim fuisse Apocrisiariorum Apostolicorum in aulis Imperatorum ac Regum degentium dictum est supra, eratque in simili, seu quantum ad regimen politicum Impe-

rii

rii Romani attinebat, Proconsulum & Præsidum Provinciarum. Insuper ad instar horum (quod concernit eorum jurisdictinnem, & in quo ab istis Apocrisiariis dillinguuntur, utpote quos jurisdictinne ordinaria caruisse diximus) per se quoque constituere & ordinare, quæ pro Ecclesiarum utilitate conservandaque disciplina necessaria videbuntur, præcipue ubi in iis Episcopos aliosque Prælatos negligentes minusve Zelosos repererint. Audire & dijudicare quoque Provincialium causas, jure antiquo etiam quo ad primam instantiam, jure autem novo per appellationem ad se delatas, aut alias ob negligentiam biennalem Ordinariorum Judicum ad se devolutas, ut dictum supra. Uti hæc omnia per specialia magis declarabuntur in sequentibus.

QUÆSTIO DCCXLVIII.

Ad quæ in genere se entendat officium illud & potestas ordinaria omnibus Legatis Apostolicis communis.

RESp. Possunt ea omnia executioni dare, quæ ad officium eorum spectare immediate ante diximus; sive ex vi muneris sui possunt in Provincia sua, quæ de jure vel consuetudine possunt Episcopi in sua diœcesi, Metropolitanus & Patriarcha aliique Prælati intra eandem Provinciam existentes in propriis territoriis. Garcias *de benef. p. 5. c. 5. nu.* 283. Barbos. *jur. ecclesiast. l. 1. c. 5. n.* 24. Sanchez *de matr. lib. 8. d. 9. nu.* 25. Gamb. *de potest. Legat. l. 6. n.* 77. Molina *de justit. tr. 5. d. 9. nu. 5.* Pith. *h. t. n. 4. in fine*. Non enim minus in ea sunt ordinarii quam isti in suis Episcopatibus, Provinciis, territoriis. AA. iidem. Sic v. g. assistere possunt suorum Provincialium matrimoniis, & his assistendi licentiam dare, remittere denunciationes, dispensare in votis, festorum & jejuniorum observatione, aliisque casibus, in quibus id possunt Episcopi, indulgentias centum annorum concedere &c. de quibus vide Barbos. Imo in tantum majorem potestatem habent Episcopis & Archi-Episcopis, in quantum, ut inquit Pith. *h. t. n.* 5. citans pro hoc Molina *ubi ante*. Abbas *in c. 1. h. t. num.* 2. sunt Judices eorum Ordinarii, & de criminibus eorum cognoscere possunt. In summa posse eos omnia, quæ ipse Pontifex præter illa, quæ is sibi reservavit in signum singularis prærogativæ, Argum. *c. quod translationem h. tit.* ait Pithing *nu.* 4 citans Molina; quod tamen postremum, non verum sic respectu Legatorum omnium, tam Missorum quam natorum & Legatorum de latere patebit ex sequentibus.

QUÆSTIO DCCXLIX.

An & quid potestatis & prærogativæ habeant præ Legatis missis Legati nati, & præ his Legati de latere.

1. RESp. primo. Legatis simpliciter talibus seu missis, vi præcise legationis suæ, seu de jure plus non competit potestatis & juris quam Episcopis in diœcesibus suis de jure vel consuetudine. Imo in tantum minus illis competit quam Episcopis, in quantum his de jure communi & ratione Episcopatuum concessa est potestas conferendi beneficia diœcesium suarum, iique de iis conferendis de jure communi habent fundatam intentionem. Tondut. *in qq. benef. p. 2. c. 3. §. 7. n.* 5. Gareias *p. 5. c. 1. n.* 52. Paris. *de resign. lib. 1. qu. 10. a n.* 49. Lotter. *de re benef. l. 1. qu. 2. n. 2. & q. 21. n. 77.* de quo vide me *in for. benef. p. 2. qu. 665. per totam*. Legati vero missi & nati nullatenus ex munere ipsius legationis, sed solum quatenus sunt Episcopi vel Archi-Episcopi pro suis Episcopatibus & Archi-Episcopatibus vel quatenus id illis specialiter concessum a Pontifice, conferre possunt beneficia. Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. qu. 6. in fine*. Pirhing *h. t. n.* 19. & constat *ex c. 1. h. tit. in* 6. Atque ita etiam Legati nati plus potestatis præ Legatis missis, quantum est de jure communi Legationis, non obtinent: sed solum id prærogativæ habent, quod eorum potestas, utpote, cohærens eorum dignitati sit diuturnior & perpetua. De cætero tam Legatis missis, quam natis plura ex reservatis alias Papæ sæpius competunt ex speciali & concessione Pontificis, etiam eorum legationi inserta, ut sunt illa ipsa beneficiorum collatio concurrenter cum Episcopo; vel in Mense Apostolico vacantia, ordinandi extra tempora, non servatis interstitiis, dispensandi in tertio & quarto gradu consanguinitatis &c. Et sic quandoque major est eorum potestas ex privilegio quam in jure communi Legationis. Non tamen ea omnia pariformiter trahenda ad omnes; cum uni quandoque plus, alteri minus, & quidem ordinarie plus Legatis natis quam missis; Proinde tota hæc eorum potestas extraordinaria pendet ex forma privilegiorum istiusmodi, pro qua dignoscenda inspiciendæ sunt literæ Legationis, quibus ea plerumque inseruntur.

2. Resp. secundo. Legatorum de latere, utpote Cardinalium & de intimo Senatu Apostolico, immediateque Pontifici assistentium ad legationis munus assumptorum, uti excellentia dignitatis, ita potestatis prærogativa multum præ cæteris Legatis eminet non tantum in iis, quæ intuitu dictæ dignitatis ex speciali privilegio copiosius iis conceduntur a Sede Apostolica, sed etiam in iis, quæ illis qua talibus a jure communi competunt. Sic enim competit illis ex privilegio a jure communi illis concesso potestas conferendi beneficia. Azorius *l. c.* Garc. *p. 5. c. 3. n. 4. & 8.* Pirh. *h. t. nu.* 18. cum communi & constat ex *c. 5. h. t. in* 6. ita ut, uti Papa ita & legati de latere in Provincia sua concurrant, cum quolibet ordinario in collatione beneficiorum, sitque præventioni locus, cujus collatio præferatur collationi ordinariorum, ubi utraque eodem tempore facta. Garcias *l. c. nu.* 40. juxta *c. fin Sede de præbend. in* 6. juncta Glos. *v. Legatus*. De qua potestate Legati conferendi beneficia in specie ex professo *cap. seq.* Consistit quoque major eorum prærogativa in eo, quod Cardinali asserenti, se legatum esse Sedis Apostolicæ, credatur, etsi literas suæ Legationis non exhibeat. De quo plenius paulo post. Item quod præsente Legato de latere reliqui Legati insignia suæ Legationis deponere debeant, nec possint officium & potestatem Legationis suæ, tam quo ad voluntariam, quam contentiosam jurisdictionem exercere, sed ea interim, etsi non exspiret, suspendatur tamen, quamdiu Cardinalis Legatus ibi commoratur, prout statuitur *c. volentes h. tit.* Idque ob reverentiam Sedis Apostolicæ, uti hæc ratio in ipso textu insinuatur; cum non deceat, ut aliquis alius authoritatem & potestatem nomine Pontificis exerceat, eumque repræsentet in loco, ubi præsens est alius, qui specialiori modo & propinquius eum repræsentat, qualis est Legatus de latere. Quemadmodum nec ipse Legatus de latere in loco, ubi præsens est ipse Papa, jurisdictionem suæ legationis exercere debet. Pirh. *h. t. n.* 17. citans Durand. *in specul. tit. de legato §. finitur 8. & 5.* Argum. *c. antiqua §. Dominica de privileg.*

3. Atque ex his jam etiam patet, quod tametsi forte potestas Legati de latere major non sit potestate Legati missi cum potestate Legati de latere (uti inter hunc & Legatum verum de latere nihil interesse docent Garc. *p. 5. c. 3. n.* 82. Zoelius *ad hanc Rub. nu.* 19. Argum. *l. 1. ff. de tutoribus datis*, ubi Proconsul & proconsulari potestate præditus æquiparantur) dum, quæ de jure competunt illi, eadem Legato missu cum potestate Legati de latere competunt ex speciali mandato mittentis: intellige si mittatur cum omnino eadem potestate, quæ competit Legato de latere. Nihilominus vel in hoc ipso istius prærogativa longe major apparet, quod ista v. gr. beneficiorum collatio competat ei quasi nobiliori modo, nimirum ex Canone seu jure proprio suæ Legationis, alteri vero quasi per accidens pro libitu mittentis; quin etiam istæ prærogativæ, quod vero Legato de latere asserenti etiam sine literis credendum; uti & quod ad præsentiam Legati de latere suspendatur aliorum Legatorum potestas; nullatenus competere possit Legato misso cum potestate Legati de latere, cum ea competant Legato vero de latere, quatenus Cardinalis est, seu propter excellentiam & authoritatem Cardinalis S. R. Ecclesiæ ex æquitatis decore, ut Laym. *in c. quod translationem h. tit. n.* 5.

QUÆSTIO DCCL.

An & qualiter Legatus immiscere se possit in causis alteri alicui a Papa specialiter commissis seu delegatis.

RESp. Non potest, etiam Legatus de latere, se ullatenus in iis immiscere (intellige, nec privative, nec cumulative, cujus contrarium sentire videtur Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 25. nu.* 7. ubi, quod Legatus in iis, quæ Episcopus, non ut Ordinarius, sed ut delegatus exequitur, non possit se intromittere privative, bene autem cumulative cum Episcopo, præveniendo nimirum eundem) aut eam specialem commissionem impedire, *c. studuisti h. t.* cum ut ibidem speciale mandatum deroget generali. Sic non potest trahere Legatus ad se cognitionem causarum aliis specialiter delegatarum (intellige, postquam literæ commissionis fuerint præsentatæ Judici delegato, etsi is necdum cœperit cogno-

sce-

ſcere, bene tamen poſtquam eæ expeditæ, nondum tamen præſentatæ; tunc enim Legatus prævenire poteſt delegatum, & ubi cæperit cognoſcere delegatus, abſtinere debet Legatus. Innoc. Hoſtienſ. aliique apud Fagoanum *in c. cap. ſtuduiſti n.* 12. Pirhing *h. t. n.* 14. *juncto, nu.* 16.) nec irritare ſententiam a delegaro in cauſa delegata latam ſecundum formam mandati ſeu delegationis Apoſtolicæ. Pro ut habetur *cit. cap. ſtuduiſti*. Si autem ea lata, vel etiam proceſſus inſtitutus a delegato cootra dictam formam, poteſt Legatus ſe immiſcere, acta ejus reſcindere, aut irrita declarare; cum jurisdictionem ſuper cauſa ſpecialiter delegata habitualiter retineat. Imol. *in c. ſtuduiſti n.* 3. Layman *ibid. nu.* 2. Pirhing *h. t. nu.* 15. Quod idem poterit Legatus, ſi ſeotentia ex alio capite ſit nulla, v. gr. quia lata contra jus conſtitutionis. Imola Pirh. *LL. cit.* Cum inferior (qualis eſt Legatus generalis reſpectu talis delegati quo ad cauſam illam ſpecialiter delegatam. Gloſ. communiter recepta *in c. ſtuduiſti ver. non poteſt*) cognoſcere poſſit de actis nulliter a ſuperiore. Pirh. *h. t. nu.* 15. præſertim, ubi in tali inferiore pergit habitualiter reſidere juriſdictio ſuper tali cauſa. Secus tamen, ſi ſententia delegati ſit valida, etſi injuſta, quia lata contra jus litigantis. Pirh. *l. cit.* Unde jam etiam Legatus appellationem (utpote quæ fieri debet a minore Judice ad ſuperiorem, *c.* 2. *de conſuetud. in* 6.) a ſententia delegati admittere nequit. Jo. Andr. *in cit. c. ſtuduiſti n.* 3. Abb. *nu.* 3. Imol. *n.* 5. Pirhing *n.* 14. Poteſt nihilominus Legatus ſenteotiam rationabiliter & rite latam a delegato confirmare & exequi, *cit. c. ſtuduiſti in fine*. Non quidem tribuendo illi per illam confirmatinuem firmitatem aliquam ſeu robur (oequit enim Legatus authoritative, & judicialiter cum cauſæ cognitione aut ex certa ſcientia, aut etiam in forma communi coofirmare ſententiam delegati, utpote in cauſa delegata ſuperioris omnibus ordinariis. Argum. *c. ſane de off. deleg.*) vel veluti approbando, conſiſtente hac approbatione in facto, ac habente ſe veluti teſtimonium aliquod ad hoc ioſerviens, ut Legatus ſententiam a delegato latam & a ſe approbatam nullitatis poſtea arguere nequeat. Pirh. *h. t. nu.* 16. citans Gl. *in cit. c. ſtuduiſti v. confirmare*. Innoc. & Hoſt. *v. eod.* Abbas *nu.* 5. Quin & poſſe Legatum generalem a delegato compelli ad exequendum ſententiam ſuam, tradit *ibid.* ex Imol. *l. cit. n.* 5. Abb. *n.* 6. Item poſſe delegatum contra Legatum injuſte ſe impedieotem procedere per cenſuras eccleſiaſticas, habita tamen ratione dignitatis ipſius juxta *c. paſtoralis de off. deleg. & c.* 2. *tit. eod. in* 6. ait idem cum Tuſch. *v. Legatus concl.* 157. Laym. *in c. ſtuduiſti n.* 4.

QUÆSTIO DCCLI.

An & qualiter ſtatuta condere poſſint Legati.

RESp. Poſſunt circa ea, quæ mores reformandos & vitia corrigenda ſpectant, condere ſtatuta (non quidem contra jus commune canonicum; cum inferior legem ſuperioris tollere nequeat, bene tamen præter jus commune, *c.* 2. *h. t. in* 6.) ex natura ſua perpetuo duratura, etiam poſt mortem aut finitum officium eorum, *c. ult. h. t.* quem textum, cum non diſtinguat quo ad hoc inter Legatos, geoeraliter intelligendum, tam de Legatis miſſis, quam de latere, ait Abbas *ibid n.* 1. Neque enim minoris poteſtatis ſunt quam Epiſcopi, qui condere ſtatuta poſſuot durata, uſque dum a ſucceſſore revocentur. Et licet ea per Legatum paris aut majoris poteſtatis revocari poſſint, non tamen per Epiſcopos & Metropolitanos ejuſdem Provinciæ, utpote iis ioferiores. Sed neque in condendis ſtatutis neceſſe habent requirere conſenſum Prælatorum Ordinariorum Provinciæ ſuæ, multo minus populi. Quamvis, ubi ſtatuere quid voluot, quod cedit in præjudicium aliorum, horum conſenſus requiratur. Abbas *in cap. ultim. h. tit. num.* 7. Pirhiog *h. tit. num.* 9. cum communi.

QUÆSTIO DCCLII.

Quid ſpecialiter poſſint circa abſolutionem ab excommunicatione.

RESp. primo. Legatus a latere a die egreſſus ſui ab urbe uſque ad diem reditus io eandem poteſt abſolvere quoſcunque, ſive ſint ſubditi, ſeu de ejus Provincia, ſive ſint extranei, excommunicatos ob percuſſionem, etiam enormem (quio &, ut addit Azor. ob cædem Clerici) *cap. quod tranſlationem*. Ubi dom dicitur: *etſi quandam ex his, quæ ſpeciali conceſſione ſæpe fuere Legatis indulta (ut illorum videlicet abſolutio, qui propter ſacrilegas manuum injectiones in clericos incidunt in canonem promulgata ſententia) videatur ex ipſo legationis officio jam licere Legatis &c.* exiſtimandum non eſt, eam poteſtatem abſolvendi eſſe inductam ex repetiris mere gratuitis conceſſionibus, ſed per legitime præſcriptam conſuetudinem accedente tacito conſenſu & approbatione Principis, vel lapſu temporis immemorialis, ſi factæ ſiot Papa ignorante tales abſolutiones. Pirbing *h. t. n.* 7. quem vide. Item *c. excommunicatis h. t.* ubi dum dicitur, id non licere Legatis, qui non ſunt de latere, manifeſte, argumento ducto a contrario, colligitur, id poſſe Legatos a latere, *c. eminentiam de ſentent. excom.* Gluſ. *in c. excommunicatis h. t. v. mittamur*. Addens etiam rationem nimirum tum ob ſummæ Sedis reverentiam, tum etiam ob favorem animarum, ut evitetur *periculum, quod eſt in mora abſolutionis*. Barboſ. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 5. *nu.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 32. *quæſt.* 6. Nequit tamen abſolvere ab aliis excommunicationibus Papæ reſervatis ſine ſpeciali ejus commiſſione; cum juxta *c.* 1. *de ſuppl. neglig. prælator. in* 6. & Clem. *exivi de V. S.* ubi aliquid eſt prohibitum (quale quid eſt abſolvere a Pape reſervatis) cenſetur denegatum, quod expreſſe non conceſſum. In exurbitantibus etiam non fit extenſio a caſu ad caſum, *c. quæ a jure ne Reg. jur. in* 6. Molina *de juſt. tr.* 5. *d.* 9. *n.* 4. Abb. *in c. excommunicatis num.* 4. Barboſ. *in c. quod translationem*, cum Gloſ. *ibidem v. reſervata*, docentes, quod in generali commiſſione Legati a latere non tranſeant caſus Papæ reſervati. Quamvis tamen etiam Barboſ. *jur. eccleſiaſt. l. c. nu.* 26. Id ſic limitet: niſi tamen ſint ex ſolitis concedi Legatis. Quin etiam *ibidem n.* 27. cum Azor. *l. c.* quos ſequuntur Reiffenſtuel *h. t. nu.* 29. Wieſtner *n.* 9. cenſet, poſſe Legatum a latere abſolvere ab aliis excommunicationibus Papæ reſervatis, niſi ita fuerit reſervata excommunicatio, ut in ipſa conſtitutione expreſſe dicatur, quod a nullo niſi a Papa poſſit quis abſolvi, uti fit v. gr. *in clem gravis de excom.*

2. Reſp. ſecundo. Legatus vero non de latere, ſed miſſus, non niſi intra Provinciam, & quidem non niſi ſubditos ſuos abſolvere poteſt excommunicatos ob percuſſionem Clerici, *c. excommunicatis h. t.* argumento ducto a contrario; dum enim ibi dicitur, Legatos, qui non mittuntur de latere, non poſſe abſolvere ſubditos extra Provinciam, aut etiam aliunde accedentes intra Provinciam, aperte indicatur, id illos circa ſubditos ſuos intra ſuam Provinciam poſſe. *Ii vero*, ut dicitur, *cit. c. excomm. qui eccleſiarum ſuarum prætextu legationis dignitatem ſibi vendicant* (hoc eſt Legati de latere) *quamvis in Provincia ſua exiſtentes, beneficium abſolutionis impertiri non poſſunt* (intellige dictis percuſſoribus) *niſi de ſpeciali gratia illis a Sede Apoſtolica concedatur*.

QUÆSTIO DCCLIII.

Quid poſſit Legatus circa legitimandum ſpurios.

RESp. Videri poſſe Azor. fuſe de hoc tractantem, *p.* 2. *L.* 5. *c.* 30. *a q.* 1.

QUÆSTIO DCCLIV.

Quid poſſint Legati circa mutationem Eccleſiarum.

RESp. Poſſe Legatum de latere convertere Eccleſiam regularem in ſæcularem & contra habet Azorius *p.* 2. *L.* 5. *c.* 29. *qu.* 25. Ubi etiam, quod in Provincia ſibi ſubjecta poſſit eccleſiam unam erigere in conventualem, etſi alteri Monaſterio poſito extra ſuam Provinciam ſubjecta ſit; & quidem ductus hoc principio, quod Legatus ſit exemptorum Ordinarius. Verum de hoc principio paulo poſt. Illud certum ex *c. quod translationem h. tit.* quod non poſſit unum Epiſcopatum alteri ſubjicere, Primatem conſtituere, Epiſcopatus unire, vel unum in duos dividere, cum ſint de ſpecialibus Papæ reſervatis. Verum & de hoc uberius *cap. ſeq.* Sed neque Legatus de latere poteſt Eccleſiam Epiſcopo ſubjectam ab illius juribus omnino eximere; cum id ſolus Papa poſſit de plenitudine poteſtatis ſuæ. Pirh. *h. t. nu.* 31. citans Abb. *in c. fin. de confirm. utili num.* 1.

QUÆ-

QUÆSTIO DCCLV.

An & qualem jurisdictionem habeat Legatus in exemptos.

1. RESP. Primo. Legatos de latere ipso jure habere jurisdictionem ordinariam in exemptos seu Papæ immediate subjectos, esseque horum ordinarios in omnibus, exceptis casibus specialiter Papæ reservatis, non obstantibus eorum Privilegiis (etiamsi in iis habeatur, quod eximantur a jurisdictione cujuslibet ordinarii, ut Chok. & Wiestner paulo post citandi. Uti & Jo Monach. apud Navar. *de datio & promiss. notab. 4. num.* 10.) utpote vi quorum eximuntur solum a jurisdictione Episcoporum aliorumque Ordinariorum, non autem a Jurisdictione Papæ & Legatorum ejus a latere. Sic inquam, docent cum Glos. *in c. 5. h. t. v. universitas.* Abbas *ibid. num.* 8. Layman *ad c. cum non ignoretur h. t. nu.* 3. citans Molin. Pirh. *h. t. num.* 31. Chok. *de jurisdict. ordinar.* in exemptos *p. 3. qu. 2. n. 7. & 8.* Garcias *p. 5. c. 3. nu.* 20. citans Gamb. & Cuch. Wiestner *h. t. num.* 8. Unde etiam concedere possunt exemptis licentiam, si eligantur in Episcopos, transeundi a suo Monasterio ad ecclesiam sui Episcopatus, *c. si Abbatem §. 1. de election. in 6.* Item confirmare electiones Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum exemptorum, *cit. c. si Abbatem*, huic tamen confirmationi obstantibus concordatis Germaniæ. Verum de hac confirmatione pluribus *cap. seq.*

2. Resp. Legati vero missi & nati nullam in exemptos habent jurisdictionem vi legationis suæ. Pirh. *l. c.* Argum. *c. 1. de V. S. in 6. & cap. si Abbatem §. hujusmodi.* Unde si nolint, non posse exemptos cogi ad litigandum coram illis Legatis, cum Molin. *l. c. n.* 10. ait Pirh. Et quamvis de Legatis missis cum potestate Legati de latere, quod æque ac veri Legati de latere habeant jurisdictionem in exemptos, sentiant Abbas Molin. Garc. &c. Contrarium tamen, quod nec illi vi istiusmodi clausulæ, & quantumcunque plenam legationem obtineant (intellige, nisi tamen id ipsum quoque in ea exprimatur) habeant jurisdictionem in exemptos, probabilius esse censet Wiestner *h. t. n.* 33. non tamen propterea otiosa sit dicta clausula; *cum potestate Legati de latere*: eo quod cum illa missis solita amplior (etsi non in omnibus par potestati Legatorum Cardinalium seu verorum de latere) & quædam tantum, quæ de jure communi Legatis illis de latere competunt, concedantur, citat pro hoc Roch. de Curte, *de consuetud. nu.* 323. Chok. *ubi ante nu.* 6. Pignatel. *to. 2. consult.* 1. *n.* 7. Barbos. *cit. c. 5. n.* 4. Engels *h. t. n.* 7.

QUÆSTIO DCCLVI.

Quid Legati possint circa dandas dimissorias.

RESP. Legatum quemcunque dare posse dimissorias non secus ac Episcopum subditis suis, ut a quocunque Episcopo extraneo ordinati valeant, extra controversiam est, Garc. *de benef. p. 5. c. 7. n.* 93. Pirhing *ad tit. de temp. ordinar. nu.* 59. An vero illas dare possit pro primo anno Sedis vacantis non arctatis, controvertitur. Negat Pirh. *l. c.* econtra illud affirmavi in Vicar. Episc. *quæst.* 909. *n.* 3. hac ductus ratione; quod dum in facultatibus Nuncii Apostolici est, eas concedere tam Sede plena quam vacante, & nullibi vetatur id facere dicto primo anno, sine fundamento hæc potestas ejus ad hunc annum restringi non debeat: cum dandu eas non arctatis primo illo anno non agat contra dispositionem Tridentini, utpote non vetantis illas tunc dari non arctatis, sed solum a Capitulo Sedis vacantis.

QUÆSTIO DCCLVII.

Quid possint Legati circa dandos Coadjutores.

1. RESP. primo. Coadjutoriam perpetuam etiam in beneficiis inferioribus, concedere nequit Legatus Apostolicus, etiam de latere. Gonzal. *ad reg. 8. cancel. gl. 5. §. 9. n.* 91. Garcias *de benef. p. 4. c. 5. nu.* 18. Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 9. nu.* 7. Tondut, *qq. benef. p. 2. c. 5. §. 13. nu.* 27. Barbos. *jur. Eccles. l. 3. c. 10. nu.* 33. Gamb. *de off. legat. l. 3. de coadjut. nu.* 13. modo enim, postquam sublatæ sunt per Trident. gratiæ istiusmodi præventivæ (inter quas merito numerantur ejusmodi coadjutoriæ, sive quæ sunt cum futura successione) solus Papa, & quidem dispensative (utpote cujus solius est dispensare contra istiusmodi Concilii decreta & Canones) qualiacunque sint beneficia, concedere potest. Fagnan. *in c. nulla de concess. præb. n.* 68. Layman *ad c. bonæ de elect. num.* 5. Paris. *de resign. l. 6. qu. 5. num.* 15. Mandos. *de signat. grat. tit. coadjutoria, vers. si tamen Papa.* Castropal. Barbos. aliique AA. citat.

2. Resp. secundo. Sed neque coadjutores temporales dare potest Legatus a latere Episcopis & illis majoribus; potest enim id solus Papa, Abb. *in cap. fin. de cler. ægrot. num.* 5. Barbos. *l. c. n.* 21. Gamb. *ubi ante n.* 4. Gonz. *n.* 34. Castropal. *n.* 5. Jacobat. *de Concil. l. 4. art. 3. nu.* 16. Azorius *p. 2. l. 3. c. 2. qu.* 2. &c. juxta *c. unic. de cler. ægrotat. in* 6. ubi dicitur, dationem Coadjutorum (intellige, etiam temporalium respectu Episcoporum) esse de causis majoribus ad Papam spectantibus.

3. Resp. tertio, neque in dignitatibus majoribus electivis, puta, Præpositura, Decanatu & similibus posse Legatos dare Coadjutores, etiam temporales, nec etiam solere Papam sine consensu Capitulorum, obstantibus in Germania concordatis, istiusmodi Coadjutores concedere, tradit Remouch. *de coadjut. c. 5. nu. 4. & 6.* Idemque tenet de beneficiis juris patronatus laicalis, ut neque in iis Legatus possit, aut etiam Papa soleat concedere Coadjutorias temporales, citat pro hoc Lambert. *de jurepatr. l. 2. p. 1. qu. 6. art. 2. nu.* 1. Verum non video, cur datio illa Coadjutorum temporalium respectu istarum dignitatum electivarum obstet concordatis Germaniæ; cum Coadjutoriæ illæ non sint perpetuæ, seu cum futura successione, sed exspirent per mortem naturalem aut civilem coadjuti, adeoque non impediant liberam electionem.

4. Resp. quarto. De cætero Prælatis Episcopo inferioribus (saltem, dum hi exempti non sunt) aliisque beneficiatis non secus a Legatis quam ab Episcopo posse dati Coadjutores temporales, habet communis. Fagn. *in c. nulla de concess. præb. nu.* 67. ubi: *licet Coadjutoria temporalis in inferioribus Prælatis dari posset ab ordinario:* qualis non minus respectu eorum Legatus est quam Episcopus. Barbos. *l. c. nu.* 2. Gonz. *l. c. nu.* 36. Gamb. *l. c. nu.* 3. hanc ex Gonzal. subdens rationem, quam approbat Barbos. nimirum, quod sicut Episcopi, Legati, Nuncii hos inferiores instituere & destituere, ita majore ratione possint iidem dare ex causis Coadjutores temporales. Dixi: *saltem dum hi exempti non sunt*, nam istiusmodi Abbatibus & Prælatis exemptis, sive regulares, sive sæculares sint, a solo Papa dari posse Coadjutores temporales, docent Tambur. *de jure Abb. tom. disp. 13. quæsito* 1. 2. & 3 citans Gamb. *ubi ante nu.* 5. Barbos. *de potest. Episc. alleg. 50. nu.* 8. Quarant. in sum. Bullar. *v. Archiep. authoritas nu.* 9. & alios. Verum tametsi id procedat respectu Episcoporum, quod ii, utpote a quorum jurisdictione sunt exempti, illis dare nequeant Coadjutores, etiam temporales, non tamen videtur procedere respectu Legatorum Apostolicorum; cum hi etiam in exemptos habeant jurisdictionem, sintque eorum ordinarii, neque etiam datio talis Coadjutoris ex legitima causa videatur esse ex causis gravioribus Sedi Apostolicæ reservatis.

QUÆSTIO DCCLVIII.

Quid possint Legati circa dispensandum cum curatis super residentia.

RESP. posse in hoc puncto idem quod Episcopi, & nisi id iis specialiter concessum, plus non possunt, vide me *in foro benef. p. 1. qu.* 374. qualiter autem possit Parochum aliumve curatum abstrahere a sua Ecclesia, eumque occupare in suo servitio, vide apud me *l. c. q. 386. n.* 4.

QUÆSTIO DCCLIX.

An & qualiter officium Legati probandum.

1. RESP. primo. Legato Cardinali de latere asserenti, se fungi hoc munere, opus non est ad id probandum exhibere literas legationis, sed simpliciter ei credendum, saltem quo ad ea, quæ hujusmodi Legatis a jure competunt, aut ordinarie a Papa concedi solent. Tusch. *lit. C. concl.* 103. *nu. 4. & 5.* Abb. *in c. super de fide instrum. n.* 5. Felin. *ibid. n.* 8. Mascard. *de probat. concl. 104. n. 1. 5. 8.* Farinac. *in pr. crimin. qu. 63. n. 55. & 58.* Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 4. nu.* 63. Argum *Can. nobilissimus dist.* 97. Idque ob excellentiam & anthoritatem Cardinalis S. Rom. Ecclesiæ. Layman *in c. quod translationem h. 1. num.* 5. siquidem assertioni tanti viri credendum

est;

est absque literis. Pax Jord. *lib.* 12. *tit.* 2. *nu.* 122. Sbrozius *de off. vicar. l.* 1. *qu.* 64. *n.* 21. Dixi: *quoad ea, quæ iis ordinarie competunt*. Nam ubi extraordinaria, præsertim circa ea, quæ specialiter reservare sibi solet Pontifex, aut quæ juri publico vel privato valde præjudicant, se instructum potestate affirmet, fidem facere tenetur ostensis literis vel alio modo. Argum. *Can. lectis dist.* 63. *& l. unic. de mandat. princip.* Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 27. *q.* 8. in his enim locum habet illud: quæ facti sunt (præcipue, si ordinarie fieri non solent) regulariter non præsumuntur, sed probanda sunt.

2. Resp. secundo. Secus est de Legatis aliis, his enim (præsertim ubi sunt personæ ignotæ, hoc est, non illustres, ut Wiestner *h. t. n.* 34.) Legatos Apostolicos se esse asserentibus; cum nemo cogatur credere, juxta illud *c. cum in jure de off. deleg. quod nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiterit, exequi non cogeris & loc. cit. l. unic. nemini, quavis dignitate conspicuo, si dicat, se cum mandatis Principis venire, idque scriptis non probaverit, credendum*: exigi merito potest exhibitio literarum legationis.

QUÆSTIO DCCLX.

Qualiter finiatur officium Legati Apostolici.

1. RESP. modis fere sequentibus. Primo morte Legati; quod ipsum etiam de Legatis natis sentire videtur Pirhing dum *h. t. nu.* 38. inquit: munus & potestas legationis, etiam quæ ratione dignitatis v. gr. Archiepiscopalis, cui id legationis munus est annexum, alicui competit, magis personalis seu personaliter data censeri debet, quam realis; quia proprie ad successorem in eadem dignitate non transit, neque mortuo Legato proprie vacat, sed cum ipsa persona omnino extinguitur & postea de novo creatur sive successori conceditur. Verum contrarium videtur probabilius; eo quod sicut dignitas, cui officium illud legationis perpetuo annexum, & quasi concreatum est, per mortem possidentis illam dignitatem non extinguitur, sed vacat, ita etiam officium illud legationis per mortem Legati non extinguatur, sed vacet, & dein de novo non creetur, sed successor uti intrat in dignitatem, ita etiam in officium illud. Sic quoque, dum finiri dicitur officium Legati nati, amissa vel dimissa dignitate, cui annexum erat, intelligendum, quod finiatur in hac persona, sive quod hæc persona desinat illud gerere. Non tamen finitur officium Legati, neque nati (intellige, ne quidem in hac persona) neque missi morte mittentis seu Papæ; & quidem de officio Legati nati patet, cum illud stabiliter sit annexum dignitati tali, ut quamdiu illa geritur ab aliquo, geratur & illud, *c. præsenti h. t. in* 6. de officio vero Legati missi constat ex *c. legatos h. t. in* 6. Et ratio est; quia Legatus Papæ jurisdictionem ordinariam & propriam habet, quæ morte concedentis non extinguitur, ut Glos. *in cit. c. v. reputantes*. Idque etiamsi Legatus necdum cœperit uti jurisdictione. Argum. *L. & quia ff. de jurisdict.* ubi, quod Judices ordinarii jurisdictionem per mortem constituentis non amittant, tametsi necdum ea uti cœperint, vel etiam licet Provinciam necdum ingressus sit ante obitum Papæ; cum Legatus, licet ante ingressum in Provinciam jurisdictionem (intellige contentiosam) exercere nequeat, habet tamen dignitatem & potestatem Legati in habitu. Argum. *l.* 1. *& l. observare §. fin. de off. procons.* Pirhing *h. tit. num.* 38. Limitandum tamen hoc ipsum; nisi expresse ad beneplacitum Papæ constitutus fuisset; sicut enim hoc beneplacitum, ita enim legatio finitur morte constituentis. Argum. *c. si gratiose de rescrip. in* 6. Laym. *in cit. c. legatos num.* 5. Wiestner *h. t. num.* 37.

2. Secundo revocatione Papæ, a quo missus, aut ejus successoris Legatio intimata. Quamdiu enim ille hanc ignorat, valent acta per illum juxta dicta supra de delegato. Revocatus autem non censetur per hoc, quod Papa alium seu secundum Legatum mittat ad Provinciam; quemadmodum primus tutor a testatore datus non censetur eo ipso, quod detur secundus, revocatus *l.* 3. *C. de testam. tutel.* Abb. *in c. volentes h. t. num.* 2. Imol. *ibidem num.* 6. Pirhing *h. t. num.* 36. cum Glos. communiter recepta *in c. in Galliarum caus.* 25. *q.* 2. *v. prætermitti*, contra Zoesium. Sed neque repugnat esse duos ordinarios Judices in eadem Provincia uni superiori subordinatos, qui singuli jurisdictionem habeant in solidum, uti id patet in duobus Vicariis generalibus Episcopi. Quin & quandoque necessarium est, duos legatos constitui ad citius expedienda Provinciæ negotia. Abb. *l. c. n.* 3. Quod autem dato secundo procuratore, primus revocatus censeatur, hæc est ratio; quod plures dati procuratores facilius se mutuo impedire possunt uno ab altero dissentiente. Pirhing *l. c.* De cætero, licet Legatum necdum Provinciam ingressum sæpe necessarium sit revocari, ut a novo Pontifice cum novis mandatis & instructionibus mitti possit in Provinciam. Layman *in c.* 2. *h. t. in* 6. *num.* 3. vacante tamen Sede Pontificia, a Collegio Cardinalium, utpote tunc non exercente jurisdictionem Pontificiam, revocari non posse Legatum, nisi ex gravi & urgente causa, cum Glos. *in cit. c.* 2. *v. declaramus*, & Durand. *in specul. tit. de legato §. ult. num.* 2. ait Pirh. *cit. num.* 36.

3. Tertio egressu spontaneo legati ex Provincia animo non redeundi (intellige, cum facultate Papæ, cum propria authoritate excedere Provincia, & legatione se abdicare nequeat. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 32. *q.* 10. Pirhing *h. t. nu.* 31.) Argum. *l.* 1. *ff. de off. præsid.* ubi: *præses Provinciæ in sua tantum Provinciæ homines Imperium habet, & hoc, dum in Provincia est, nam si excesserit, privatus est*. Sic etiam inchoatam post regressum suum ex Provincia finire non potest, *c. novit. de off. deleg.* Quod si tamen Legatus fuerit deputatus pro duabus Provinciis, egressus unam, etiam animo non redeundi ad illam, non amittere adhuc jurisdictionem suam super ea; eo quod, ut dictum supra, Legatus existens in una parte legationis suæ expedire possit negotia alterius partis, censet Reiffenst. *h. t. n.* 45. De cætero hoc speciale est Legato de latere, quod egressus Provincia sua, etiam animo non redeundi, interim, quo revertitur ad urbem, absolvere possit quoscunque ab excommunicatione contracta ob percussionem clerici Gl. *in c. legatus h. t. in* 6., *v. Proconsulem*.

4. Relatione seu remissione negotii alicujus a Legato ad Papam facto, non extinguitur quidem officium legationis illius, sed solum jurisdictio quoad illam causam tantum, ita ut eam reassumere, seu cognoscere deinceps nequeat, *c. licet h. t.* juxta dicta *supra de deleg.*

CAPUT SECUNDUM.

De Potestate Legati in Materia beneficiali remissive.

QUÆSTIO DCCLXI.

An legatus erigere possit novas dignitates & beneficia.

RESP. videri posse Azorium *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 29. *num.* 25.

QUÆSTIO DCCLXII.

Quid possunt Legati circa electiones & confirmationes earum.

RESP. videndum me de hoc *in foro benef. p.* 2. *quæst.* 460. *nu.* 2. *& quæst.* 652. *num.* 2. Azor. *Institut. Mor. p.* 2. *l.* 5. *cap.* 28. *quæst.* 1. *& qu.* 17.

QUÆSTIO DCCLXIII.

Quid possit ad reservanda suæ collationi beneficia.

RESP. videndum me *foro benef. p.* 2. *qu.* 522. *n.* 3. *& q.* 649. *& q.* 653. *n.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 29. *q.* 1. *& seq.*

QUÆSTIO DCCLXIV.

An & qualiter ipsa beneficia legatorum sint reservata.

Resp. ad hoc *foro benef. p.* 2. *q.* 536. *& qu.* 543. *n.* 7.

QUÆSTIO DCCLXV.

An creare possit Canonicum ultra numerum Canonicorum in Ecclesia ubi est certus Canonicorum numerus.

Resp. videndum Azorium *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 28. *qu.* 8.

QUÆ-

QUÆSTIO DCCLXVI.
An & qui Legati, & qua potestate conferre possint beneficia.

RESp. ad hoc, *foro benef. p. 2. qu.* 650. & *q.* 651. Azor. *p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 28. *qu.* 1.

QUÆSTIO DCCLXVII.
Quæ in genere & ubi conferre possit beneficia.

Resp. ad hoc, *for. benef. p.* 2. *q.* 652. 1. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 28. *quæst.* 19.

QUÆSTIO DCCLXVIII.
A quo tempore conferre possit beneficia.

Resp. ad hoc, *in foro benef. p.* 2. *qu.* 656.

QUÆSTIO DCCLXIX.
Quantum tempus habeat legatus ad conferendum.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *qu.* 653. *nu.* 1. *q.* 750. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *quæst.* 20.

QUÆSTIO DCCLXX.
An & qualiter conferre possit beneficia vacantia in mensibus Apostolicis.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *qu.* 560. *n.* 1.

QUÆSTIO DCCLXXI.
An & qualiter conferre possit in mensibus alternis ordinariorum.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *qu.* 599. *n.* 6. & *q.* 652. *n.* 4. & 5.

QUÆSTIO DCCLXXII.
An & qualiter collatio facta a legato præferatur collationi factæ ab Ordinario.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *qu.* 652. *n.* 1.

QUÆSTIO DCCLXXIII.
An conferre possit beneficia spectantia ad collationem exemptorum.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *qu.* 652. *n.* 3.

QUÆSTIO DCCLXXIV.
An conferre possit beneficia monocularia.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *q.* 652. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *qu.* 5.

QUÆSTIO DCCLXXV.
An conferre possit beneficia, quorum conferendorum aliquis specialem commissionem vel privilegium habet.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *q.* 652. *n.* 4. & 8.

QUÆSTIO DCCLXXVI.
An conferre possit spectantia ad collatorem alterius Provinciæ.

Resp. *in foro benef. p.* 2. *q.* 652. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 12.

QUÆSTIO DCCLXXVII.
An conferre possit devoluta.

Resp. *foro benef. p.* 2. *q.* 652. *n.* 8. & *q.* 653. *n.* 1. & *quæst.* 750 Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 12. & *q.* 14.

QUÆSTIO DCCLXXVIII.
An conferre possit litigiosa.

Resp. *foro benef. p.* 2. *q.* 793. *n.* 2. & *q.* 654. *n.* 4.

QUÆSTIO DCCLXXIX.
An conferre possit beneficia jurispatronatus.

Resp. *for. benef. p.* 2. *qu.* 113. *nu.* 1. & 2. & *q.* 653. *num.* 2. & 3. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 2.

QUÆSTIO DCCLXXX.
An conferre possit reservata.

Resp. *for. benef. p.* 2. *q.* 654. *n.* 1. & 2. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 15.

QUÆSTIO DCCLXXXI.
An conferre possit electiva.

Resp. *for. benef. p.* 2. *q.* 654. *n.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 16.

QUÆSTIO DCCLXXXII.
An conferre possit dignitates.

Resp. *for. benef. qu.* 654. *n.* 3.

QUÆSTIO DCCLXXXIII.
An conferre possit collegiatas habitu tantum tales.

Resp. *foro benef. p.* 2. *q.* 654. *n.* 3.

QUÆSTIO DCCLXXXIV.
An conferre possit Ecclesias collegiatas quæ electivæ non sunt.

Resp. videndum Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 19. *q.* 16.

QUÆSTIO DCCLXXXV.
An & qualiter conferre possit excedentia valorem 24. ducatorum.

Resp. *for. benef. p.* 2. *q.* 659.

QUÆSTIO DCCLXXXVI.
An valide faciat collationem tacenti se habere aliud beneficium.

Resp. *for. benef. p.* 2. *q.* 657.

QUÆSTIO DCCLXXXVII.
An dispensare possit in pluralitate beneficiorum.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 79. *n.* 5.

QUÆSTIO DCCLXXXVIII.
An sufficienter provise conferre possit beneficium.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 92.

QUÆSTIO DCCLXXXIX.
An dare possit alicui potestatem conferendi omnia beneficia legationis suæ.

Resp. *in Vicar. Episc. q.* 249. *n.* 1. & 6.

QUÆSTIO DCCXC.
An commendare possit beneficia.

Resp. *for. benef. p.* 2. *q.* 658. *n.* 3. Azor. *l.* 2. *l.* 5. *c.* 29. *à qu.* 6.

QUÆSTIO DCCXCI.
An & qualiter dare possit facultatem recipiẽdi resignationes

Resp. *for benef. p.* 2. *q.* 654. & *p.* 3. *q.* 385. *n.* 4.

QUÆSTIO DCCXCII.
An derogare possit regulæ de infirmis.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 349. *n.* 9.

QUÆSTIO DCCXCIII.
Quid possit quo ad recipiendas resignationes.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 383. *n.* 4. *q.* 385. *n.* 1. & *seq.*

QUÆSTIO DCCXCIV.
Quid possit circa reservationem pensionis.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 450. Vide *v. pensio in indice p.* 3.

QUÆSTIO DCCXCV.
Quid possit circa translationem pensionis.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 613. *n.* 2.

QUÆSTIO DCCXCVI.
Quid possit circa redemptionem pensionis concedendam.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 667. *n.* 4.

QUÆSTIO DCCXCVII.
An possit præbere authoritatem permutationi beneficiorum.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 848. *n.* 3.

QUÆSTIO DCCXCVIII.
Quid possit circa uniones beneficiorum.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 905. *q.* 913. 915. 920. 625. Azor. *lib.* 2. *l.* 4. *c.* 29. *a n.* 14.

QUÆSTIO DCCXCIX.
Quid possit circa dissolutionem unionis.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 36. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 29. *q.* 23.

QUÆSTIO DCCC.
Quid possit circa mutationem ecclesiarum.

Resp. *for. benef. p.* 3. *q.* 964.

TITULUS XXXI.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

CAPUT PRIMUM.

De Appellatione & Jurisdictione Ordinarii in genere.

QUÆSTIO DCCCI.
Quis & quotuplex dicatur ordinarius Judex.

RESp. Is dicitur Judex ordinarius, qui vi officii vel Magistratus, quem gerit, adeoque jure suo proprio jurisdictionem exercet, *l. more ff. de jurisdict.* juncta Glos. v. suo nomine. Pirhing *h. t. nu.* 4. citans Molin. *de just. tr.* 5. *d.* 8. *nu.* 2. Sive qui suo nomine procedit cognoscendo causas & dijudicando, in quo a Judice delegato differt, utpote qui alieno nomine, authoritate ac vice alterius, nempe committentis seu mandantis jurisdictionem exercet, *cap. sane de off jud. deleg. l.* 1. §. *qui mandatam ff. de off. ejus, cui mandat. est jurisd.* Porro Judex ordinarius alius ple-

pleuam jurisdictionem habet, qualis residet in supremo Principe v. gr. Papa, Imperatore, diciturque plenitudo potestatis, quæ inferioribus non communicatur. Alius non plenam, qualis est, quæ a supremo Principe inferioribus communicatur.

QUÆSTIO DCCCII.

Quinam veniant nomine Judicis ordinarii, vel etiam nomine ordinarii simpliciter prolato.

1. RESP. sequentes. Primo Papa, utpote ordinarius ordinariorum, *c. cuncta per mundum 9. q. 3.* Glos. *in c. cum nullus de tempor. ordinat. in 6.* concurrens cum ordinariis omnibus in jurisdictione & potestate, *cit. c. cuncta & c. ult. de foro compet.* Item Episcopus Episcoporum. Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 2. nu. 19.* Et universalis Ecclesiæ Episcopus, ut ait Pelag. 2. *in constit. 1. quæ incipit manifeste.* Seu habens pro diœcesi sua totum orbem. Barbos. *de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 57. num. 4.* Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. pragmatica §. ad tertium.*

2. Secundo Cardinales, etiam non Episcopi. Sunt enim in titulis suis tanquam Episcopi, & jura episcopalia habent juxta *c. his quæ de major. & obed.* Paris. *de resign. l. 7. qu. 12. n. 9.* Card. de Luc. *de benef. d. 21. n. 16.* Lotter. *de re benef. l. 2. qu. 2. a. 7.* Barbos. *in collectan. ad cit. c. his quæ nu. 2.* In pœnis tamen & odiosis nomine ordinariorum & Episcoporum, etiam dum sunt Episcopi, non veniunt. Azor. *p. 2. l. 7. cap. 19. n. 5.* Vide me *in foro benef. p. 2. q. 370. n. 4.*

3. Tertio Legati Apostolici. Sed de his quo ad hoc punctum satis dictum *tit. præced.*

4. Quarto Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi nomine ordinarii simpliciter prolato veniunt pro sua quisque provincia vel diœcesi.

5. Quinto Capitulum sede vacante. Ad illud enim devolvitur tota jurisdictio Episcopi juxta, *c. cum olim de major. & obed.* & exercere potest omnia, quæ ad ordinariam jurisdictionem Episcopi spectant, exceptis specialiter ei prohibitis. Barbos *de off. & potest. Ep. p. 2. alleg. 37. nu. 9.* cum communi.

6. Sexto Vicarius generalis Episcopi absolute est & dicitur ordinarius. Sbroz. *de off. vic. l. 1. q. 2. n. 16. & qu. 23. n. 5.* citans immensam turmam AA. Paris. *l. 3. q. 11. a. 22* Laym. *in c. cum generali de off. Vicar. in 6. n. 9.* Rosa *de executor. Lit. Apostol. p. 1. c. 3. nu. 21.* ubi: *Ordinarii nomine pro certo tenendum est, quod veniat* (intellige, in decretis generaliter loquentibus de ordinario) *Episcopus ac ejus Vicarius.* Garc. *de benef. p. 5. c. 8. nu. 21.* ubi, quod Vicarius sicut Episcopus est Ordinarius, citat pro hoc quamplures contra Goffred. *in sum. de off. Vicar. nu. 2.* Alciat. *ad tit. de off. ordinar.* Marta *in Emporio juris p. 1. tit. 2. qu. 27.* Anton. Gomez. &c. Et ratio est, quia habet jurisdictionem ordinariam, & quidem eandem cum Episcopo. Vide hæc apud me stabilita pluribus *in Vicar. Episc. qu. 69.*

7. Septimo nomine ordinariorum simpliciter prolato veniunt quicunque Prælati inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, quotiescunque materia subjecta est iis adaptabilis, secus, si materia subjecta suaderet aliud. Argum. *cap. cum ecclesiarum h. t.* juncta Glos. *v. ecclesiastica.* Barbos. *de appell. verb. juris significat. appellativo 177. num. 1.* citans plures alios. Unde quoties in decreto aliquo juris aut alias committitur ordinariis, vel de iis statuitur, extenditur ad omnes habentes jurisdictionem ordinariam. Barbos. *l. c. a nu. 2.* Garc. *de benef. p. 5. c. 4. num. 2.* cum Glos. *in c. ordinarii h. tit. in 6. v. locorum.*

8. Octavo Parochi, tametsi ex eo, quod jurisdictionem ordinariam in foro externo non habeant, minus proprie nomine ordinariorum venire dicat Reiffenstuel *hoc. tit. num. 28. & 29.* esse tamen vere Judices ordinarios ex eo, quod curam animarum nomine proprio, & jurisdictionem spiritualem in foro interno in suos subditos seu Parochianos exerceant, astruit. Pirhing *h. t. sect. 5.* idque ex eo confirmatur, quod recte & convenienter de eorum officio & potestate (de qua de cetero nullus in corpore Juris exstat titulus proprius) hoc titulo agere soleant AA.

QUÆSTIO DCCCIII.

Unde & quot modis acquiratur jurisdictio ordinaria.

1. RESP. sequentibus. Primo ex concessione immediata Dei. Qualis de facto est unica jurisdictio universalis Papæ, in totam Ecclesiam seu omnes Christi fideles; quam posita electione & electi consensu in eam tanquam conditione, Deus illi confert: Passerin. *de elect. c. 1. n. 25.*

2. Secundo ex concessione immediata humana, dum nimirum in supremo Principe sæculari suprema ejus jurisdictio immediate originatur a voluntate & consensu populorum constituentium seu deligentium illum in caput & summum gubernatorem suum, a quo supremo Principe sive sæculari sive ecclesiastico alii Judices inferiores constituuntur, & jurisdictionem suam ordinariam consequuntur; puta a Papa Legati, Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi aliique officiales ecclesiastici Sedis Apostolicæ seu Curiæ Romanæ, Generales item ordinum religiosorum Host. *in sum. h. t. n. 2.* Molin. *de Just. tr. 5. d. 8. n. 6.* Pirh. *h. t. n. 5.* ab Imperatore, Regibus, Rebuspublicis superiorem non recognoscentibus, Duces, Marchiones, Comites, aliique provinciarum aut locorum gubernatores. Host. Pirh. *LL. cit.* Dein hi ipsi Judices ordinarii a supremo Principe creati tametsi non ita nomine ac jure proprio independente ab alterius concessione ac summi Principes constituere possint alios inferiores adhuc Magistratus & Judices ordinarios, cum ea sit specialis prærogativa supremæ potestatis Principis supremi, ut constat ex *l. 2. feud. tit. 56. quæ sunt regalia*, possunt tamen id ex concessione per modum privilegii sibi facta & ordinariæ jurisdictioni adjecta a supremo Principe, dum posse in terris suis constituere gubernatores ac Judices ordinarios inter alia regalia ab Imperatore v. g. illis conceditur. Ex quo eodem capite possunt Episcopi Germaniæ, utpote Imperii Principes ab Imperatore regalia recipientes constituere Judices ordinarios, qui causas profanas tam civiles quam criminales suorum subditorum laicorum cognoscant & definiant; etsi de cætero in causis ecclesiasticis alios præter illos, quos Canones ab illis constitui jubent vel permittunt, Judices ordinarios creare nequeant. Laym. de *jurisd. ordinar. concl. 51.* Pirh. *l. c.*

3. Tertio concessione ipsius legis seu canonis, nimirum jubentis vel permittentis tales designari aut eligi in Judices ordinarios, censentur enim illi vi talis jussionis seu permissionis designati vel electi, non tam a designante aut Collegio seu universitate eligente quam ab ipso jure seu lege, media tamen tali designatione vel electione, habere suam jurisdictionem ordinariam erga subditos in causis pertinentibus ad communitatem vel congregationem, cui tanquam caput & præsides præfecti, Molin. *loc. cit. num. 4. in fine.* Laym. *l. c. concl. 49.* Pirhing *h. tit. num. 6.* Sic v. gr. jurisdictio ordinaria Archidiaconi directe provenit a lege, indirecte ab homine, Episcopo nimirum instituente Archidiaconum, seu conferente Archidiaconatum. Sic Vicarius Generalis Episcopi habet jurisdisdictionem suam, non ab Episcopo illum assumente, sed a lege ipsa permittente illum assumi, hoc ipso enim, quod Episcopus nominat & constituit Vicarium ex permissione juris, jus ipsum confert jurisdictionem ordinariam, supposita tamen & interveniente dicta nominatione seu institutione Episcopi, prout tradidi *in Vicar. Episc. quæst. 72.* cum Sbrozio *de off. Vicar. l. 2. qu. 14. & 26.* Pirhing *ad eund. tit. num. 37.* Barbos. *de potest. Episc. allegat. 54. num. 40. & 44.* Sanchez *de matrim. lib. 4. dist. 29. num. 13.* Pignatel. *tom. 4. consult. 37. num. 6.* Covar. *qq. practic. cap. 4. num. 4.* Fagnanus *in cap. quod nobis de cland. desp. nu. 45.* Item *in Foro benef. part. 2. quæst. 680. num. 2.* citatis Molin. Castropalao, Azor. &c. contra Layman *in cap. ultim. Archidiaconus de off. Archid. num. 3.* Pax Jordan. *lib. 12. tit. 1. num. 93.* Garciam *de benef. part. 5. cap. 8. num. 28. & 25.* citantem pro se Marant. *in specul. Advocator. p. 4. distinct. 5. nu. 12.* Vestrium *in pr. Curiæ Roman. lib. 3. cap. 3. num. 2. &c.* docentes jurisdictionem ordinariam Vicarii provenire ab Episcopo assumente illum, indirecte vero a lege concedente Episcopo potestatem assumendi Vicarium. Sicut econtra Vicarius Capituli sede vacante qua talis omnem suam jurisdictionem & potestatem habet, non a Tridentino jubente per illum exerceri jurisdictionem devolutam ad Capitulum: sed immediate a capitulo, vel a Metropolitano, dum Capitulum negligeret constituere Vicarium. Garc. *p. 5. c. 7. n. 3.* Barbos. *l. c. nu. 180.* Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 29. n. 5.* Suar. *tom. 5. l. 3. d. 7. s. 3. nu. 13.* quorum sententiam contra Ugolin. secutus fui *in Vicar. Episc. q. 565.* quam vide.

4. Quar-

4. Quarto consuetudine legitimo præscripta. Canonistæ communiter juxta *c. cum contingat de foro compet.* & *ibi* Gloss. *v. maxime* & Legistæ *in L. Imperium ff. de jurisdict.* juxta quod communiter dici solet: consuetudo jurisdictionem dat & aufert. Quin, & quæ ad mixtum & merum imperium spectant, etsi Principi alias in signum specialis prærogativæ reservata sint, per præscriptionem, saltem immemorialis temporis, acquiri possunt ut ait Pirh. *hoc tit. num. 7.* Argum. *cap. quod translationem de offic. leg.* Modo tamen, ut addit, citando pro hoc Abbat. *in cit. cap. cum contingat num. 14.* Laym. *de jurisd. ordin. concl. 54.* sunt talia, ut, quandoque concedi soleant. Verumtamen circa hoc observandum est, quod ab iis, qui jurisdictionalium talium incapaces sunt, ea in nullius unquam præscriptionis, etsi temporis immemorialis, acquiri possunt; eo quod, qui incapax est possessionis rei vel juris alicujus, incapax quoque sit illud præscribere. Laym. *in cap. nullus de elect.* uti hæc ipsa quoque astruit Pirh. *l. cit. circa medium*; bene autem vi privilegii ex plenitudine potestatis a supremo Principe concessi, quod ex lapsu immemorialis temporis præsumitur, & tuto allegari potest, etsi de eo non constet, ita tamen, ut si post quemcunque lapsum temporis elucescat veritas, seu deprehendatur tale privilegium nunquam concessum esse, evanescat talis præsumptio, & tale jus seu jurisdictio amittitur, quod non fieret, ubi ea acquisita in vi præscriptionis, utpote vi cujus jura & possessiones transferuntur & translata manent, etsi dein appareat, titulum coloratum præscriptionis omnino nullum fuisse. Vide me de his agentem occasione juris conferendi beneficia competentis laico *in foro benef. p. 2. qu. 726.* uti & ubi actum a me de acquirendo jurepatronatus & jure decimandi per præscriptionem quæ utiliter leges. De cætero ad præscribendam jurisdictionem ordinariam, etiam simplicem (intellige respectu etiam eorum, qui ejus possidendæ capaces sunt) præter tempus legitimum (nimirum 40. annorum) siquidem præsumptio juris stat pro superiore, v. g. Episcopo vel Principe contra præscribentem jurisdictionem ordinariam. Argum. *cap. 1. de præscript. in 6.* Pirh. *l. cit.* citans Covar. *Reg. possessor. part. 2. §. 3. num. 3.*) & bonam fidem requiritur etiam scientia & patientia ejus, contra quem præscribitur. Pirh. citans Abb. *in c. cum conting. n. 11.* & *14.* eo quod scientia & patientia illa in possessionibus & usucapionibus sit instar tituli & traditionis, sine qua possessio usurpata & injusta censetur. Laym. *cit. concl. 54.* ex Baldo uti idipsum confirmatur a Pirh. ex eo, quod jurisdictio fori externi in territorio alterius habeat se veluti jus servitutis affirmativæ v. g. itineris; servitutes autem tales, dum deest titulus alius coloratus concessiones usucapi non possint sine scientia & patientia illius contra quem præscribitur *l. 2. Cod. de servitut.* & *aqua* Nisi tamen esset possessio immemorialis; cum hæc inducat præsumptionem tituli, adeoque sufficiens sit, etiam independenter ab illa scientia & patientia Principis, seu absque eo, quod quicquam de iis constet, ad via præscriptionis obtinendam jurisdictionem respectu illorum, qui ejus etiam absque dicto privilegio capaces sunt. Unde jam etiam ex eo, quod ad præscribendum jurisdictionem requiratur in præscribente ejus capacitas, recte infertur, jurisdictionem fori externi ecclesiasticam non posse præscribi ab ullo, qui non sit clericus, & simul in publico aliquo munere seu officio ecclesiastico constitutus. Abb. *in cit. c. cum contingat n. 16.* Laym. *l. c. n. 5.* Pirh. *n. 7.*

QUÆSTIO DCCCIV.

Unde cognosci queat, num alicui concessa jurisdictio ordinaria, nec ne?

RESpond. Colligendum id ex ipsa concessione ajunt Bartol. *in L. more ff. de jurisdict. num. 8.* Abb. *in cap. relatum de off. Jud. deleg. num. 5.* Molin. *tract. 5. disp. 14. num. 3.* Laym. *loc. cit. concl. 56.* apud Pirh. *hoc tit. num. 8.* Sic dum conceditur alicui jurisdictio ad unam vel plures in specie causas, non conceditur jurisdictio ordinaria sed delegata. Dum conceditur ea ad universitatem causarum a supremo Principe, censetur ordinaria, nisi Princeps aliud exprimat, dicendo v. g. *delegamus*, vel *volumus, ut auctoritate nostra cognoscat*. Idem est, si concedatur ab universitate vel collegio approbato per electionem. V. g. si a Capitulo eligatur Decanus vel Archidiaconus. Pirh. *loc. cit.* citans Innoc. *in cap. 3. hoc tit.* Durand. *in specul. tit. de jurisd. omnium Jud. §. 1. n. 4.* Quo etiam spectat, dum in ordinibus religiosis per electionem capituli seu conventus constituuntur Abbates, Præpositi, Generales, Provinciales, Guardiani. Conceditur iis namque jurisdictio ordinaria in suos regulares, accedente confirmatione superioris. Pirh. *loc. cit.* Dum vero committitur jurisdictio ad universitatem causarum ab inferiore ordinario, puta Episcopo, Generali ordinis &c. tunc ea censenda est esse ordinaria, si id fiat ex præscripto legis vel ex consuetudine vim legis habente. V. g. dum Episcopus constituit Vicarium suum generalem, Archipresbyteros &c. & in specie, dum Præpositus Generalis Societatis JESU juxta ejus constitutiones a Sede Apostolica approbatas constituit Visitatores, Provinciales, Rectores locorum, hi potestatem ordinariam in suos habent, ut constat ex Bulla confirmationis instituti Societatis. Gregor. XIV. edita Anno 1591. 4. Calend. Jul. quæ incipit: *Ecclesiæ Catholicæ*. Si vero id fiat ab ordinario inferiore, non ex præscripto legis, sed pro mero arbitrio, constituendo v. g. Vicarios Visitatores pro certa parte diœcesis pro foro conscientiæ, hi censendi sunt habere ab eo jurisdictionem tantum delegatam. Durand. *loc. cit. §. 1. num. 5.* Pir. *hoc tit. num. 8.* Qui etiam *num. seq.* ex jam dictis deducit cum Felino *in cap. licet hoc tit. nu. 4.* Sanch. *de matrim. l. 3. disp. 40. num. 14.* Laym. *de jurisdict. ordinar. concl. 53.* facultates & privilegia v. g. absolvendi & dispensandi a Sede Apostolica, Episcopis aliisve Prælatis generaliter & perpetuo concessa, annexaque eorum dignitati & officio spectare ad eorum jurisdictionem ordinariam, uti idem probabiliter dici posse de hujusmodi facultatibus absolvendi a casibus reservatis Episcopo concessis Prælato alicui ordinis ejusque successoribus ab Episcopo, ait Pirh. cum Laym. *loc. cit. num. 52.* Secus vero dicendum de facultatibus & privilegiis dispensandi in votis, absolvendi a peccatis, censuris & casibus reservatis Papæ, concessis ab eodem sacerdotibus & confessariis regularibus, nimirum esse illa jurisdictionis delegatæ; eo quod licet talis potestas detur ad universitatem causarum, non tamen detur illis ratione officii aut muneris alicujus proprii, ita inquam cum communi sentiunt Pirh. *hoc tit. numer. 9.* Laym. *cit. conclus. 23.*

QUÆSTIO DCCCV.

Quinam prohibeantur esse Judices Ordinarii?

1. RESp. Primo natura prohibentur esse Judices Ordinarii surdi, muti, perpetuo amentes. Cæcus vero fungi potest officio Judicis *L. cæcus ff. de Judic.* si nimirum jam ante cæcitatem Judex erat; post cæcitatem enim Judex primo fieri nequit. Gloss. *in citat. L. v. fungitur* item impuberes *L. a cum Prætor. ff. de Judiciis*. Cum, qui nondum aptus est ad administranda propria, multo minus aptus est ad rempublicam administrandam *l. ad remp. ff. de munerib.*

2. Secundo Lege prohibentur esse Judices Ordinarii minores 25. annis *l. cum lege ff. de recept. qui arbitrium* juncta Gl. *v. minor 25. annis* fundata hac lege in præsumptione defectus maturitatis judicii requisitæ ad fungendum hoc munere. Item Senatu moti ob turpitudinem *l. cum Prætor. ff. de Judic.* juncta Gl. *v. motus* & universim infames; cum hi ab actibus legitimis repellantur *c. licet §. hoc tamen de testibus* & iis portæ dignitatum patere non debent *c. inter de excess. prælator. l. 1.* & *2. C. de dignit.* Huc revocari possunt publice & notorie excommunicati, hi fungi munere judicandi non possunt *c. ad probandum de sent. excom.* ita tamen, ut si tolerati non sint, utpote nominatim denunciati, sententia ab iis lata sit nulla, secus, si tolerati. Pirh. *h. t. n. 11. in fine* Sanch. *de matr. l. 3. d. 22. num. 32.* & *36.* Item Monachi ac religiosi; quin pro mortuis reputantur. Gl. *fin. in l. cum prætor.* Quod tamen intelligendum respectu causarum civilium, quod in iis nequeant esse Judices Ordinarii; Secus enim est de causis ecclesiasticis, ubi sunt Prælati.

3. Tertio moribus seu recepta consuetudine. V. g. fæminæ, servi. Non quod judicium non habeant seu discretionem, sed quia ita receptum est, ut officiis civilibus non fungantur *cit. L. cum prætor.* & *c. 1. §. trin causæ. 3. q. 7.* Excipiuntur tamen fæminæ illustres, ut Reginæ, Principissæ, quæ judiciariæ potestatis capaces sunt. Idem de iis quæ administrationem habent, ut Abbatissæ, ait Hostiensis *in sum. h. t.* Verum de his vide dicenda inferius ubi de jurisdictione Prælatorum regularium. Illud certum de Abbatissis sæcularium Canonicarum, dum sæpe sunt Principissæ, & territorium certum habent, in quo etiam jus gladii habent, pollere eas jurisdictione civili ordinaria.

QUÆSTIO DCCCVI.

Quot modis finiatur officium Judicis ordinarii, cessetque mandatum illius.

1. RESp. primo. Extinguitur morte Judicis ordinarii. Item per renunciationem illius, per depositionem ab officio cui annexa ea jurisdictio, per translationem ipsius; quam tamen extinctionem intelligendam quo ad personam Ordinarii, & non quoad ipsam jurisdictionem ordinariam, quæ non extinguitur, sed cum dignitate vel officio, cui annexa, perseveret, & ad successorem transeat, ait Pirh. cum Hostiens. Verumtamen licet id admittatur respectu jurisdictionis ordinariæ, quæ a lege vel Principe concessa & annexa dignitati, aut certo alicui officio, non tamen subsistit, dum ea concessa foret independenter a tali officio alicui personæ privatæ ex speciali privilegio, concessione nimirum personali; ea enim pereunte hoc suo veluti subjecto periret quoque e rerum natura. Sed neque video, quomodo idipsum, quod jurisdictio ordinaria annexa dignitati non extinguatur per mortem possidentis dignitatem; cohæret cum eo, quod Pir. docuerat *ad tit. de off. Legati n.* 38. Nimirum titulum seu legationem Legati nati extingui per mortem obtinentis dignitatem, cui is stabiliter annexus.

2. Resp. secundo. Non tamen extinguitur jurisdictio ordinaria, etiam respectu personæ Ordinarii per mortem concedentis illam, etsi Ordinarius necdum inceperit, uti ea juxta *c. 2. de off. Leg. in 6.* & *l. & quia ff. de jurisd.* Et ratio est, quod jurisdictio ordinaria a Lege vel Principe concessa, quamprimum acceptata, tanquam gratia seu jus quoddam inhæret personæ, per quam ea constituitur in statu & dignitate Judicis seu superioris, gratia autem seu beneficium alicui a Principe concessum non extinguatur morte concedentis, etiam re adhuc integra *cap. si super de offic. deleg. c. si uni de prabend. in 6.* Idem est dum jurisdictio acquisita per præscriptionem; non minus enim ea radicatur in persona, & jus illud velut ossibus ejus inhæret, quam si concessa immediate a Principe vel lege (quamvis & tunc dici posset concessa a lege, nempe permittente & approbante talem præscriptionem) ita ut non nisi volente vel moriente possessore illius amittatur. Quinimo licet alias gratia concessa a Principe ad beneplacitum illius finiatur, morte concedentis, ut supra diximus de delegatione, non tamen idem dicendum de jurisdictione ordinaria sic concessa, idque ob favorem & utilitatem publicam, quæ in jurisdictione ordinaria conservanda versatur. Sanch. *de matr. l. 3. disp.* 28. *num.* 5. Pirh. *hoc tit. num.* 12. Et quidem potius quam in jurisdictione delegata, utpote quæ, cum sit instar mandati, magis censetur concedi in gratiam mandantis, & esse aliquid spectans ad illum, unde etiam delegatus non incipit esse Judex, antequam causam aggredi cæperit juxta dicta supra & Argum. *cap. quamvis de off. delegat. in* 6. Nihilominus specialiter excipiendus hic venit Vicarius generalis Episcopi, cujus jurisdictio, etsi ordinaria, extinguitur tamen morte Episcopi, sive dicatur ea immediate haberi ab Episcopo sive a lege. Pirh. *l. c.* uti & *ad tit. de off. Vicar. n.* 68. Sanch. *l. c. n.* 6. Veotrigl. *Tom. 2. annot. 34. §. 1. n.* 57. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 3. *q. 2. a num.* 3. Neque id mirum, cum Vicarius generalis eandem cum Episcopo jurisdictionem idemque tribunal habeat, reputeturque eadem omnino persona, cessatque per mortem naturalem vel civilem Episcopi tribunal & jurisdictio (saltem quo ad personam illius) cessare quoque necesse est cessare jurisdictionem Vicarii, præsertim cum & ipse cesset Vicariatus, & non vacet. Laym. *ad c. statutum de rescript. n.* 5. vide me *in Vicar. Ep. q.* 290.

3. Resp. tertio. Non tantum ipsa jurisdictio ordinaria, sed etiam mandatum seu præceptum datum a superiore Judici seu officiali ordinario non extinguitur per mortem illius superioris, etiam re adhuc integra, sed potest executioni dari, eo quod tale mandatum censeatur accessorium ad officium ordinarium, quod per illud excitatur absque datione nova potestatis *cap. licet h. t.* Adeoque etiam quo ad durationem sequatur naturam sui principalis. Argum. *cap si super de off. deleg.* Pirh. *cit. n. 12. in fine* citans Abb. *in c. relatum de off. deleg. n.* 9. Sanchez *ubi ante n.* 42.

CAPUT SECUNDUM.

De Jurisdictione Papæ & Cardinalium.

QUÆSTIO DCCCVII.

Nomen Papæ unde, & a quibus usurpatum.

RESp. Nomen hoc derivatum a greco [illegible], quod patrem, seu potius patrem patris seu avum sonat, significare patrem patrum, interpretatur Gloss. In proæmio Clementinarum v. Papa. Quod nomen quando primum usurpari cæperit, etsi non meminerint Authores, fuisse tamen aliquando commune, non tantum Patriarchis & Archiepiscopis, sed & omnibus Episcopis, testantur passim. Sic tribus illis sæculis ante Carolum M. passim Episcopos Galliæ Papæ nomine, & eorum Cathedras Sedes Apostolicas appellatas ab ipsis Regibus ac Reginis, item ab Episcopis scriptis invicem literis, ita tamen, ut usus semper Romanæ Sedi præ cæteris eximius honor & præeminentia servaretur, ut inter alia videre est apud Isidor. Hisp. *de off. eccl. l. 2. cap. 5.* & *Epist ad Eugen. Tolet. Episcop. p.* 697. erudite relatis eorum verbis ostendit Thomas. *de veteri & nov. Eccles. discipl. part. 1. l. 2. cap. 4. a num.* 1. Sub sæculum tamen sextum nomen *Papa* ad unum Romanum Pontificem revocari cæptum, ostendit Idem *l. c. num.* 10. Dum in sexta Synodo œcumenica *act.* 18. affatur Imperatorem, nuncupat Agathonem Romanum Pontificem Episcoporum totius orbis patrem & summum Papam. Item ipse imperator scribens ad Leonem vocat Archiepiscopum Romæ & Papam œcumenicum; ita ut, quemadmodum inquit Thomasin. jam satis multa sint, unde evincatur, obtinuisse jam tum in Oriente & Occidente, ut Papæ nomine solus deinceps Romanus Pontifex decoraretur. Etsi his contraria posthac (dum nimirum & aliis hoc nomen quandoque datum) occurrant exempla, id ex eo factum inquit, quod non invalescat rei utriusque usus, nisi lentis quibusdam incrementis, & paucissimæ sint consuetudines tam alte infusæ & late diffusæ, quibus non exceptiones aliquæ adversentur. Sed & si quandoque adhuc hodiedum id nominis tribueretur alteri, nil vetat, quo minus Romanus Pontifex proprie & antonomastice vocetur Papa veluti omnium fidelium communis pater. Tolosan. *Syntag. l. 15. c. 2. n.* 23.

QUÆSTIO DCCCVIII.

Quotuplex sit jurisdictio & potestas Papæ

RESp. Triplex, nimirum juxta quod Papa veluti triplicem personam repræsentat; scilicet Principis sæcularis, Episcopi Romani, & summi Pontificis seu Episcopi Ecclesiæ universalis. Card. de Luca *Relat. Cur. Rom. disc. 2. n.* 1. Jurisdictio, quam ut Princeps sæcularis gerit, extendit se super omnes provincias, terras & civitates, potissimum donatione liberali Imperatorum ac Principum Sedi Apostolicæ cum pleno jure attributas, quæ Patrimonium D. Petri dicuntur, gubernanturque ab ipso tanquam supremo & independente in temporalibus Principe per constitutos Magistratus & officiales non secus ac ab aliis Principibus sæcularibus superiorem non recognoscentibus provinciæ eorum dominio & imperio subjectæ secundum leges & ordinationes politicas, observata personarum, locorum rerumque ecclesiasticarum a jurisdictione & oneribus Laicalibus exemptione. Card. de Luca *loc. cit. num.* 12. Jurisdictio, quam ut Urbis Romanæ & districtus illius (qui olim ad centum hodie ad 40. solum milliaria extenditur) Episcopus habet, & per Cardinalem Vicarium exercet, est episcopalis ordinaria, seu talis, qualem habent Episcopi alii in suis diœcesibus. Idem Card. *loc. cit. num. 4.* & *disc.* 13. *num.* 2. Jurisdictio Papalis, seu competens illi ut universalis Ecclesiæ Episcopo & supremo rectori humanarum omnium jurisdictionum & potestatum maxima, Christi in terris vicaria, a Deo illi immediate collata super omnes orbis Christiani partes omnesque Christi fideles diffusa. *Can. cuncta per mundum 17. & 18.* & *Can. fin. 9. quæst.* 3. ita ut totus orbis stet Papæ pro diœcesi. Pelin. *in c. grave h. t. num.* 2. Exercetur tum immediate per ipsum, tum mediate per inferiorum ecclesiarum Prælatos, aliosque ordinarios & extraordinarios Magistratus

stratus

stratus ecclesiasticos in partem sollicitudinis, non in potestatis plenitudinem vocatos & assumptos *cap. ad honorem de auth. & usu palli.* Laym. *in cap. cum venerabilis de consuetud. num.* 3. ubi, quod Ecclesiæ ministri & Prælati non sint capaces consequendæ & exercendæ jurisdictionis, nisi cum ordine a Papam, a quo tanquam a capite omnis ecclesiastica potestas in inferiores ministros conveniente ordine descendit. Pro quo citat seipsum *Theol. moral. l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 2. Lotter. *l.* 2. *quæst.* 22. *nu.* 62. Ubi, quod in Papa veluti capite & origine residet ecclesiastica jurisdictio & potestas ordinandi Ecclesias. Potest hæc ipsa papalis jurisdictio seu potestas duplex in eo distingui, nimirum una ordinaria, & altera absoluta. Abb. *in cap. accusatum de simon. num.* 2. Fagnan. *in cap. consultationibus de cleric. ægrot. a num.* 72. Ordinaria ea est, quæ sequitur ordinem juris positivi, seu regulatur a jure, adeoque ad limites dispositionis suæ. Et hac præcise utendo, nequit facere, quæ sunt contra dispositionem juris communis. Absoluta & suprema ea dicitur, secundum quam Papam intelligitur esse supra omne jus positivum humanum, ac proinde pro libitu suo posse in eo dispensare, & de eo disponere, appellaturque alias plenitudo potestatis *cap. proposuit. de concess. præbend.* ubi Papa inquit: *qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.* Hac tamen potestate uti non censetur Papa, nisi de hoc constet per appositam clausulam: *non obstantibus*: vel illam: *de Apostolicæ potestatis plenitudine.* Abb. *in cap. innotuit de elect. num.* 23. Pagn. *loc. cit. a num.* 73. Cum enim jura ratione nitantur, & in ea fundentur *Can. erit autem dist.* 4. Papa non debet nec solet, adeoque nec censendus est ab iis recedere sine gravi causa, & absque expressa declaratione.

QUÆSTIO DCCCIX.

Quo se entendat suprema hæc potestas pontificia, in quantam dicitur potestas clavium, seu quæ est ad ligandum & solvendam.

RESP. Imprimis quo ad forum internum potest vi illius quibuscunque Christi fidelibus pœnitentibus peccata quælibet remittere quo ad culpam & pœnam, vel, si ad animarum salutem expedire judicet, ea retinere negando absolutionem. Idem & a potiore & de censuris quibuslibet. Dein justa ex causa relaxare potest vota omnia, etiam jurata tam solemnia quam simplicia; idque non tantum declarando, hunc vel illum casum in iis non comprehendi, aut pro iis votum a DEO non acceptatum; sed etiam ortam ex iis obligationem immediate nomine DEI relaxare simpliciter, aut etiam in alia pia opera commutare, ita ut, dum justa subest causa, votum nullum respectu Papæ sit reservatum, seu ab eo irrelaxabile. Similiter potest, non tantum declarare juramenta præstita homini hic & nunc non obligare, sed etiam obligationem ex eis contractam remittere ex causa justa, qualis quandoque esse potest necessitas vel utilitas publica, vel etiam pœna illius, cui juratum. Quo ad forum externum vi ejusdem potestatis a Christo acceptæ potest delinquentes coercere pœnis ecclesiasticis, ac contumaces authoritatis & potestatis ecclesiasticæ contemptores censuris subjiciendo, & si ab inobedientia non recedant, tanquam putrida membra a corpore rescindendo, uti hæc omnia fusius videre est apud Bellarm. *l.* 4. *de Roman. Pontif. cap.* 15. Suar. *de cens. disp.* 1. *f.* 2. *sect.* 2. de juramento *cap.* 41. de voto *l.* 6. *cap.* 9. Barbos. *juris eccles. l.* 1. *cap.* 2. *a numer.* 119.

QUÆSTIO DCCCX.

Quo se extendat jurisdictio & potestas pontificia, in quantum est judiciaria quo ad forum externum.

RESP. Papa est ordinarius ac supremus omnium Christi fidelium in terris Judex in Ecclesiasticis cæterisque causis ad forum Ecclesiæ externum quomodolibet pertinentibus, ita ut omnes remoto omni appellationis remedio ejus definitione ac sententia stare teneantur; cum Christi in terris & illius unum sit tribunal & consistorium, ut Navar. *in cap. novit. de Judiciis notab.* 3. *num.* 12. quin &, ut Barbos. *loc. citat. num.* 92. appellans ab ejus sententia ad Christum, quasi non crederet, Papam esse ejus Vicarium, aut idem esse utriusque in terris tribunal, habeatur de hæresi suspectus, Unde etiam ab eo appellare præsumentes ad futurum Concilium incurrit propterea excommunicationem Papæ reservatam vi Bullæ Cœnæ, & jamprius latam a Pio II. *in Constitut.* quæ *incipit*; *execrabilis edita Calend. Feb.* 1459. estque ratio, quod nisi a minore ad majorem non appelletur; Papam autem quocunque Concilio omnique alia potestate humana major & superior a nemine mortalium judicari potest *capit. significasti de elect. Can. si Papa dist.* 40. *Can. fin. dist.* 79. uti & pro hoc plurima ipsorum Conciliorum adducuntur testimonia a Sfondrato *in regali sacerd. l.* 2. §. 4. *a num.* 2. nisi ubi pontificia dignitate excedit vel per spontaneam dimissionem, vel per lapsum notorium in hæresim. de quo vide Bellarm. *l.* 2. *de summ. Pontif. cap.* 9. & *l.* 2. *de Conciliis cap.* 19. Azor. *instit. mor. part.* 2. *l.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 1. ubi multa de Papæ authoritate & potestate in Concilium generale.

QUÆSTIO DCCCXI.

Qua se extendat jurisdictio Pontificia, in quantam legislativa in omni jure & dispensativa.

RESP. De hoc videnda, quæ dicta supra *ad tit. de constitut.* uti etiam circa hoc quid possit ac soleat circa dispensandum in particulari videndum judicem mei *fori benef.* V. gr. Quid circa dispensandum in bigamia in ordine ad ordines *part.* 1. *quæst.* 356. In onere residendi *part.* 2. *qu.* 398. In defectu scientiæ requisitæ ad beneficia *part.* 1. *quæst.* 257. In pluralitate beneficiorum *part.* 3. *qu.* 69. 89. 518. 519. 520. In cognitione Magistratus Civilis de criminibus clericorum *p.* 3. *q.* 176. *&c.*

QUÆSTIO DCCCXII.

An derogare possit Concordatis Germaniæ.

Resp. ad hoc responsum in *foro benef. p.* 2. *q.* 595.

QUÆSTIO DCCCXIII.

Quid possit quo ad concedendum vel adimendum jus decimandi.

RESP. Videndum *for. benefic. part.* 1. *qu.* 473. 474. 478. 487. 489.

QUÆSTIO DCCCXIV.

Quo se extendat potestas Papæ in re beneficiaria.

1. RESP. primo in genere. Papæ a Christo concessum ius plenum seu summum absolutaque potestas & plenaria dispositio. Castrop. *tract.* 13. *disp.* 2. *p.* 14. *num.* 2. Laym. *ad c. quæ ad Ecclesiarum de const.* Lotter. *de re benef. l.* 2. *qu.* 22. *nu.* 9. dicens Catholicorum neminem hoc negare, ita ut non solum dicatur absolutus beneficiorum administrator, ut cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *ad.* 1. *ad* 7. TT. omnes & Canonistæ, sed etiam dominus ut Lotter. *l. c. num.* 11. citans Menoch. *cons.* 192. *num.* 7. Bursat. *cons.* 126. *num.* 11. Quin etiam ut Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 1. *proœm. a num.* 31. Wames. *cons. can. Tom.* 1. *consult.* 241. *num.* 3. vocetur Deus in terris circa beneficia, in tantum, ut ubi constat de ejus voluntate, frustra quæratur de potestate, stante ei in his pro ratione voluntate. Lotter. *num.* 13. ex Ferret. *cons.* 65. *num.* 5. Sed neque hanc prærogativam aut potestatem Papæ ullum Concilium restringere potest aut minuere. Lotter. *loc. cit. num.* 23. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 2. Aut etiam Papa concedens ordinariis aliisque potestatem conferendi beneficia se privat aut privare potest dicta potestate Lotter. *loc. cit. num.* 28. Castrop. *loc. cit.* cum Papæ potestas in beneficialibus per nulla indulta, etiam concessa per modum contractus & concordatorum ligari aut ab eo abdicari possit. Cardin. de Luca *in miscellan. Eccles. disc.* 1. *nu.* 7. Proinde tam Papa utendo hoc jure suo & plena dispositione nullius alterius juri contravenit, dum fructus beneficii gravat pensione etiam invito beneficiato. Lotter. *num.* 17. citans Card. Paris. *l.* 4. *cons.* 4. *num.* 45. Quin & beneficiatum, etiam sine causa privare potest beneficio. Garc. *part.* 5. *capit.* 1. *numer.* 2. ubi etiam, quod respectu Papæ omnia beneficia sint manualia. Nihilominus non obstante hoc absoluto ejus dominio respectu formæ ipsius beneficii seu tituli beneficialis, qui uti per Papam creatur, ita & per illum destrui seu annihilari potest. Lotter. *num.* 5. citans Menoch. *cons.* 597. *num.* 5. non habet illud circa ipsam materiam seu substantiam beneficii consistentem in eo, quod ob laborem & Ministerium spirituale præbeatur stipendium & alimentum, utpote quod juris divini, adeoque impediri nequit a Papa: vide Lotter. *l.* 1. *qu.* 4. *a num.* 53.

2. Resp. quid in particulari possit ac soleat in materia beneficiali, id videri posse apud me in trinis indicibus copiosis

ac luculentis fori benef. Ac quidem pauca ex iis hic delibando remissive. Primo quid possit circa constituendum juspatronatus *part. 2. quæst. 44. num. 1.* eidemque derogandum *part. 2. quæst. 112. 114. num. 2. & 3. quæst. 115. quæst. 119. num. 1. & 3.* Secundo quid circa electionem, qualiter ab illius solius authoritate habeatur jus eligendi *part. 2. quæst. 414. num. 4.* qualiter concedere possit Laico potestatem eligendi Prælatum Ecclesiasticum *part. 2. quæst. 246.* Tertio quid circa collationem, quotuplice jure possit & soleat beneficia conferre *part. 2. quæst. 513.* qualiter concurrat cum ordinariis collatoribus, etiam in mensibus alternativæ *part. 2. quæst. 513. & quæst. 599.* Quarto quid circa reservationes *part. 2. a quæst. 522.* Quinto quid circa preces primarias concedendas *part. 2. quæst. 604. 614. 624.* Sexto quid circa concedendas exspectativas *p. 2 quæst. 631.* Septimo quid circa recipiendas resignationes *part. 3. quæst. 380. 399.* Octavo quid circa reservandas pensiones *p. 3. quæst. 354. 443. 448 456. 465. 466. 467. 613. 658.* Nono quid circa uniones Ecclesiarum *p. 3. q. 896. 897.*

QUÆSTIO DCCCXV.

Qualiter disponere possit circa bona & jura Ecclesiarum?

1. RESp. Primo de rebus seu bonis & juribus Ecclesiarum Monasteriorum, aliorumque locorum religiosorum & sacrorum disponere potest, pro ut ad ipsorum privatas vel publicas universalis Ecclesiæ necessitates sublevandas & utilitates promovendas expedire judicaverit *can. cuncta quæst. 3.* D. Thom. *2. 2. quæst. 100. art. 1.* Navar. *de redit. Ecclesiar. quæst. 1. monito 40. num. 6.* Molin. *tract. 5. disp. 4. a num. 1.* cum penes illum sit bonorum omnium Ecclesiasticorum administratio *cap. 2. de præb. & Clem. 1. ut lite pend. in fine.* Quin etiam valide ea bona alienare potest; cum dominium bonorum Ecclesiasticorum resideat penes Ecclesiam, & consequenter penes Papam tanquam illius caput & superiorem, etsi tam ipse quam ejus successor alienationem, si facta sine justa causa, revocare possit & debeat. Castropal. *tract. 13. disp. 1. part. 11. §. 2. num. 3.* Et esto bonorum illorum dominus non sit, si tamen inter clericos ea dispensavit, valida est talis dispensatio, etiam sine causa facta, quia quo ad substantiam non est contra voluntatem Christi & Ecclesiæ, sed solum quo ad modum.

2. Respond. secundo. De bonis patrimonialibus clericorum non subjectorum temporali ejus jurisdictioni seu dominio non posse Papam quicquam statuere; tenent Butrio *in cap. constitutus de religios. domib.* Abb. quin & Felin. *in cap. qua in Eccles. de constitut. num. 30.* ait, ne quidem id eum posse ex justa causa (sicut id posset, si clerici essent subjecti temporali ejus dominio;) eo quod clericus quo ad patrimonialia bona censeatur laicus, de bonis autem laicorum non subjectorum temporali ejus dominio nihil possit disponere. Verum contrarium videtur probabilius. Azor. *par. 2. l. 10. quæst. 8.* nihil enim videtur obstare, quo minus Papa constituere seu probibere possit, ne clericus ex patrimonialibus bonis testamento vel donatione relinquat spurio suo, ut laicorum offensio tollatur, qui hujusmodi clericorum testamentis & donationibus offendi solent; quin etiam addit, licet hæc clericorum bona non sint sacra aut Ecclesiastica, ratione tamen personæ fiot Papæ subjecta, ita ut sicut in clericos, ita etiam in hæc eorum bona jus & potestatem habeat, non quidem directe sed indirecte ratione personæ, cujus sunt. De cætero de potestate Papæ res temporales administrandi extra Provincias & terras temporali ejus dominio subjectas, vide apud eundem Azor. *part. 2. l. 4. c. 19.* ubi per plures *qq.* hanc materiam tractat. Et hæc de Pontifice, quatenus est Judex ordinarius supremus jurisdictionis, quibus ea, quæ spectant ad eundem ut est Judex ordinarius infallibilis controversiarum fidei & regula morum, breviter subjungemus, licet alias eadem Canonistarum plerique hic prætermittant utpote spectantia potius ad Theologos polemicos seu controversistas.

QUÆSTIO DCCCXVI.

An & qualiter Papa sit Judex infallibilis controversiarum fidei?

1. RESp. tametsi Papa ut privatus, etiam in rebus fidei errare possit ac labi, etiam in hæresim, eamque verbo ac scripto privatim exprimere, in dogmatibus tamen & controversiis fidei definiendis judicio publico, seu loquendo ex cathedra (quod facere censetur, dum super quæstione concernente doctrinam fidei, veritate mature discussa sententiam profert, eandemque ad universalem Ecclesiam omnesque Christi fideles dirigit, eosque ad eam credendam obligat) Papam errare non posse, singulari Spiritus S. assistentia & providentia id prohibente, sentiunt unanimiter DD. Catholici cum D. Th. *2. 2. q. 1. a. 10.* vide de hoc Bellarm. *l. 4. de Sum. Pontif. c. 4.* Suar. *in defens. fidei l. 1. c. 3. & de fide d. 5. s. 8.* Th. Waldens. *l. 2. doctrina fidei a cap. 45.* Card. Sfondrat. *regal. Sacerd. l. 3. §. 1.* & alios passim. Hanc veritatem desumi ex illo Christi ad Petrum *Luc. 22. v. 32. rogavi pro te, ut non deficeret fides tua.* Iisque verbis denotari Petro ejusque Successoribus seu Sedi Apostolicæ impetratam a Christo infallibilitatem in doctrina fidei, astruunt Innoc. III. *cap. majores de Baptismo* eoque antiquiores Pontifices ac PP. plurimi, ut videre est apud Bellarm. *loc. cit.* Item ex illo Christi ad eundem *Matth. 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* factam Petro promissionem pertinere ad ejus Successores, eosque in persona Petri constitutos quoque esse fundamentum Ecclesiæ, ne adversus eam inferi prævalere, eaque ruere errando in fide posset. Item ex illo Christi ad eundem *Joann. 21. v. 17. Pasce oves meas*: commissam Petro ejusque Successoribus curam gregis dominici pascendi, munusque veri pastoris obeundum (quod præcipue in exhibitione ac propositione salutiferæ ac veræ doctrinæ pabulo consistit) commissum esse, est communis Catholicorum DD. sententia ac fidelium consensus.

2. Esse quoque independenter a Concilio Papam Judicem infallibilem in controversiis fidei definiendis, contra Gersonem, Almainum, aliosque quosdam, maxime DD. Sorbonicos & conventus Episcoporum habitos Parisiis An. 1682. tanquam indubitatum tenent cum D. Thom. Theologi fere omnes, e quibus aliqui contrariam simpliciter hæreticam dicunt Bellarm. *l. c. cap. 2. in fine* erroneam, hæresi proximam; doctrinam vero infallibilitatem Pontificis etiam absque Concilio propugnantium certissimam dicit. Quod ipsum patet ex multorum Conciliorum decretis antiquissimis, & maximæ authoritatis sanctionibus canonicis Ecclesiæ, ac luculentis SS. Patrum testimoniis relatis a Bellarm. *cit. cap. 3.* & Sfondrato *loc. cit. §. 4. & 5.* Item ex ratione, siquidem negata hac infallibilitate Pontificis e Cathedra docentis, Ecclesia, utpote jam destituta omni Judice controversiarum fidei, de veritate doctrinæ suæ nunquam certa foret; non ex Conciliis ipsis generalibus, dum, præterquam quod ea raro congregentur, an universalia, legitime congregata, decreta in iis sufficiente discussione justoque suffragiorum numero approbata, adeoque an vere sint Concilia conciliaria, non aliunde, quam ex solius Apostolicæ Sedis seu Summi Pontificis testimonio & confirmatione habetur *cap. significasti de elect.* Ad hæc, si Papa extra Concilium destitutus dicta infallibilitate, quomodo erit Summus Christi Vicarius in terris, caput universalis Ecclesiæ, omnium fidelium Pastor ac Magister? Qualem eum a Christo constitutum constat. Item, qui non receperunt Sedis Romanæ seu Summi Pontificis definitiones, habitos semper pro hæreticis & schismaticis, constat ex praxi Ecclesiæ ab ejus primordio ad hæc usque tempora propagata. Item a primis Ecclesiæ sæculis multæ hæreses non conciliari, sed Sedis Apostolicæ authoritate condemnatæ. Item PP. Ecclesiarum Prælati & DD. orta aliqua in rebus fidei dubitatione, ut ab hæreseos labe & periculo essent immunes, semper Sedem S. Petri tanquam sanæ doctrinæ ac veritatis regulam respexerunt, quodque illa docebat & decidebat, amplectebantur, quod illa damnabat, a se damnari profitebantur. Vide similia plura apud Wiestner. *hoc tit. num. 6.* quæ adducit ex Sfondrato *loc. cit. §. 7.* & Arsdekin *Theol. trip.* Porro quæ contra hanc Pontificis infallibilitatem objici solent, vide soluta apud eundem *hoc tit. a nu. 8.* vide & inter alios Azor. *part. 2. l. 5. capit. 14. quæst. 7.* ubi de authoritate & majoritate Pontificis supra Concilium generale.

QUÆSTIO DCCCXVII.

An ad Papam tanquam ad Judicem spectet definire quænam sit scriptura Canonica?

RESpond. affirmative. Ita cum D. August. Hieronym. paulo post citandis, aliisque PP. & DD. Catholicis Azor. *part. 2. l. 5. cap. 8.* Necessarius siquidem est in Ecclesia Judex certus, cujus authoritate & sententia certa discernantur Scripturæ sacræ & canonicæ a non canonicis; sive qui certa fide definiat, hos & non alios esse libros canonicos. Is autem Judex esse non potest sensus cujusque proprius

prius aut privatorum quorundam, utpote vel maxime errori obnoxius; neque etiam Scriptura Sacra ex seipsa innotescit, aut etiam ex ea habemus, v. g. libros Judith, Esther, Tobiæ &c. esse canonicos; neque ex ea probare possumus v. gr. hoc Evangelium esse Evangelium Marci &c. ergo debet esse Ecclesia seu Concilium generale authoritate Papæ confirmatum, seu ipse Papa toti Ecclesiæ præsidens, cujus e cathedra loquentis seu publicum judicium, uti in aliis punctis fidei, ita & in hoc sequi tenetur reliqua Ecclesia. Confirmatur idipsum ex illo D. August. *lib. 28. cap. 4. contra Faustum, si Apostolus Paulus non inveniret in carne Apostolos cum quibus conferret Evangelium, Ecclesia illi omnino non crederet.* Item ex illo D. Hieronymi *in Epist. ad Augustin.* quæ est 11. *in Tom. 2. operum August.* ubi tractat illud Pauli *ad Galat.* 2. quomodo is ascenderit Hierosolymam collaturus cum Apostolis Evangelium, quod per Christi revelationem acceperat: *Ex his ostendit, se non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri & qui cum eo erant fuisset sententia roboratum* uti idem ait Tertull. *lib. 4. adversus Marcion: Paulus Hierosolymam adscendit ad Apostolos consultandos, ne forte in vanum cucurrisset; non enim sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum. Denique ut cum authoribus contulit, & convenit de regula fidei, dexteras miscuere. Igitur si ipse illuminator Lucæ authoritatem antecessorum & fidei & prædicationi suæ optavit, quanto magis eam in Evangelio Lucæ expostulem, quæ Evangelio Magistri ejus fuit necessaria &c.* Sic itaque, uti ad Papam spectat edere Symbolum fidei, ut D. Th. 2. 2. *art.* 10. ita etiam definire, quis sit liber canonicus, aut etiam declarare, an hæc vel illa pars scripturæ sit vera & germana pars libri canonici. Sic hodiedum de pluribus earum, quas recenset Azor. *loc. cit.* postquam authoritate Ecclesiæ & definitum est esse tales, pro talibus habentur & creduntur, de quibus prius dubitabatur. Item declarare, an hæc vel illa sit traditio divina seu Apostolica vel ecclesiastica. Azor. *loc. citat.* cum & hæc quæstio sit una de majoribus Ecclesiæ causis, quæ ad Summum Pontificem referendæ, & ab eodem declarandæ & dijudicandæ juxta *c. majores de Baptismo*. Ac denique definire, quis sit verus & germanus Scripturæ sensus.

QUÆSTIO DCCCXVIII.

An & qualiter Papa sit Judex infallibilis in pertinentibus ad mores?

RESp. Papam esse infallibilem Judicem & regulam morum, ita ut ejus decreta, quibus aliquid honestum licitumque aut illicitum & inhonestum esse decidit, & ut tale Ecclesiæ universali seu omnibus fidelibus publice proponit, præcipit vel prohibet, errori non sint obnoxia. Probatur ex textibus citatis *quæst. præced.* Item ex illo Joan. 16. *v.* 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: suadeturque ex eo, quod si in dubiis de honestate destituerentur fideles regula externa certa & infallibili, exponerentur gravissimis & perpetuis aberrandi ab æterna salute periculis. Jam vero alia talis regula infallibilis assignari nequit, quam supremi in Ecclesia Magistri, Papæ nimirum authoritas & universalis Pastoris indubitata mali a bono discretio, utpote ad cujus officium non minus spectat pascere oves proponendo illis salutiferas præ mortiferis in rebus ad mores spectantibus doctrinas, quam in materia fidei veritates præ falsitatibus vide Bellarm. *l. cit. cap.* 5. Bozum *de signis Eccles. lib.* 16. *cap.* 8. *& lib.* 18. *cap.* 6.

QUÆSTIO DCCCXIX.

An & qualiter Papa sit Judex infallibilis circa canonizationem SS. & approbationem ordinum religiosorum.

1. REspond. ad primum. Papam in canonizatione Sanctorum non est obnoxius errori. Bellar. *de Eccles. triumph. l.* 1. *cap.* 9. Valentia 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. Castrop. *tractat. quæst. disp.* 1. *pag.* 7. *§.* 4. Barbos. *Juris Ecclesiast. l.* 1. *cap.* 2. *nu.* 43. cum communi DD. Canonizatio enim aliud non est, quam declaratio & attestatio facta per Ecclesiam, aliquem cum DEO regnare in cœlis, & consequenter veluti DEI amicum venerandum & invocandum, ejusque reliquias in honore habendas esse. Ad credendum autem hoc ipsum, obligandumque universaliter fideles ad exhibendum cultum huic numero personæ necesse est, hanc attestationem & declarationem errori obnoxiam non esse. Sed neque declarationis seu canonizationis illius infallibilitas fundatur præcise in testimoniis illis de sanctitate & miraculis talis personæ, quæ etiam rigidissime escussa solent canonizationi præmitti, sed in ipsa assistentia Spiritus S. non permittentis Christi fideles universaliter errare, etiam in iis, quæ facti sunt (qualis est cultus exhibitus tali vel tali ut Sancto publice denunciato) dum ea concernunt universalis Ecclesiæ religionem. Vide Barbos. Castropal. *LL. cit.* Unde jam etiam licet falsa essent istiusmodi testimonia (neque enim DEUS promisit se astituturum hominibus testantibus de miraculis & sanctitate vitæ alicujus) adhuc DEUM astituturum Pontifici, ne in definiendo judicio publico aliquem sanctum esse, & ut talem censendum erret, & vel tunc, ubi revera talis sanctus non esset, spectaret ad divinam providentiam, manifestare Ecclesiæ & patefacere, ea testimonia falsa esse, aut alio modo impediturum illam Pontificis definitionem, ait Azor. *l. c.*

2. Respond. ad secundum. Est quoque infallibilis in approbatione & confirmatione religionum, quo ad spectantia honestatem illarum & conducentiam ad salutem animarum, & perfectionem spiritualem consequendam. Rodriq. *Reg. qq. Tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Valent. 2. 2. *disp. & quæst.* 1. *p.* 7. *§.* 4. Azor. *Instit. mor. part.* 2. *l.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 2. contra Canum. *de loc. Theol. l.* 5. *cap.* 5. *prope finem* cujus sententiam Azor. putat temeritate & errore non carere: Siquidem talis error Papæ traheret secum gravissimum errorem in materia morum; eo ipso enim, quo Papa approbat certum ordinem, publice illum proponit Ecclesiæ tanquam rectæ vitæ normam & regulam, quam quisque salubriter ac laudabiliter sua sponte suscipere ac profiteri possit; adeoque si in hoc erraret, regulam falsam & erroneam proponeret proponendo tanquam bonum & salutare, quod revera malum & noxium est. Quare etiam, ait Azor. *loc. cit.* tametsi Papa leviter seu imprudenter absque debito consilio & deliberatione approbaret ordinem, adhuc assistentem illi Deum impediturum ne erret. Sed neque ex eo, ut objicit Canus, quod plures ordines semel approbati fuerint postmodum extincti & aboliti, sequitur, quod tales ordines seu instituta religiosa fuerint de se noxia & inconvenientia, adeoque primitus erronee & perperam approbata a Pontifice. Siquidem extincti illi sunt, vel quia paulatim minus necessarii & utiles, dum lapsu temporis mutatis hominum moribus, subnascentibusque aliis circumstantiis, quæ prius salutaria aut necessaria fuerunt, evadant minus aut etiam non salutaria & necessaria, ut patet in abrogatione legum & Canonum multorum non iden facta, quia hi, dum condebantur, noxii, aut etiam quia errorem in fide vel moribus continent, sed quia nunc minus utiles, aut posterioribus temporibus convenientes, vel etiam, quia culpa religiosorum & socordia superiorum laxata & deperdita in iis disciplina, erroneis etiam sæpe & impiis dogmatibus & abusibus sæpe in illos irrumpentibus, primæva laudabilis regularum observantia & instituti ratio omnino extincta. Vel denique quia aliis & aliis subnascentibus novis religionibus nimia earum multitudo confusionem aliquam in Ecclesiam inducere visa est, ut agnovere Innoc. III. *c. fin. de religios. domib.* & Gregor. X. *in c. unico eodem tit. in* 6. uti & ob similem multitudinem multiplicatorum Canonum continentium multiplicatas excommunicationes, suspensiones, irregularitates, plures eorum abrogati fuerunt, de quorum tamen nullis dici potest, quod continuerint errorem in moribus.

QUÆSTIO DCCCXX.

Unde nomen & origo Cardinalium?

1. RESp. primo. Nomen Cardinalis sumptum a cardine, quod est ferramentum, circa quod fores seu januæ vertuntur. Unde & duo poli cælestes sibi oppositi & immobiles, circa quos cœli volvuntur, cardines cœlorum dicuntur. Hinc dicitur in Concilio Basiliensi ad annum 1438. quod sicut nomine, ita reipsa cardines sint super quos ostia universalis versentur & sustententur Ecclesiæ. Vel etiam quod est in causa aliqua seu negotio præcipuum dici solet: totius rei vel causæ cardo in hoc versatur: aut quod alias principale est, juxta quod 4. venti primarii, uti & 4. mundi partes, & virtutes 4. cardinales vocantur in præsente significare cleri præcipuos, primarios & principales v. g. Cardinales Presbyteri Presbyterorum Cardinales

Diaconi Diaconorum præcipuos. Azor. *p. 2. l. 5. c. 1. q. 5.* Et hæc de origine hujus nominis quo ad ejus etymon.

2. Resp. secundo. Quod vero attinet tempus, quo primo illud in dicto sensu usurpari cæperit in Ecclesia; adhibitum illud fuisse a B. Sylvestro post Constantini Imperatoris conversionem in Synodo Romana celebrata Anno Christi 324. *in can. a Subdiacono dist. 93.* ubi: *a Subdiacono usque ad Lectores omnes subditi sint Diacono Cardinali Urbis Romæ* & *Can. Præsul. caus. 2. quæst. 4.* ubi: *Presbyter autem Cardinalis nisi cum 44. testibus non damnabitur.* Qui uterque canon est ejusdem Pontificis, unde etiam, ut bene Azor. *loc. cit. quæst. 2.* uti & ex Epistolis Gregor. patet nomen illud *Cardinalis* non solum Episcopis, sed & Presbyteris & Diaconis competiisse; quin & Subdiaconos urbium Episcopalium dici solitos fuisse, ostendit Azor. *loc. cit. quæst. 2.* An vero ab eodem inventum hoc nomen, ut ait Wiestner. *hoc tit. nu. 25.* non ita certum, quamvis Azor. dicat, illud nullibi legi ante tempora Sylvestri I. Illud certius, fuisse illud postmodum a Gelasio, Pelagio, Gregorio aliisque Pontificibus in usum deductum, ut constat ex *Can. pastoralis 7. quæst. 1. can. relatum 25. quæst. 5.* vel maxime autem a Gregorio I. ut videre est ex variis ejus epistolis relatis a Thomasin. *de vet. & nov. Ecclesiar. discipl. part. 5. l. 2. cap. 115. a num. 3.* Item ex Joanne Diacono, qui scripsit vitam Gregotis *l. 3. cap. 16.* ubi: *expulsos Episcopos cum rite incardinare non poterat*: intellige in aliis ecclesiis & *cap. 18. licet vacantes Episcopos vacantibus. Ecclesiis incardinare studuerit.* Proinde, ut ait Thomasin. *loc. cit. num. 2.* verisimile est, Cardinalem ab eodem Pontifice & primitus dici solitum vel Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui titularis est & primarius Ecclesiæ cujuscunque beneficiarius, ita ut, si is ejusdem Ecclesiæ curæ & regimini addictus stabiliter, seu nexu perpetuo copulatus (&, non tantum ad tempus eandem ecclesiam viduatam habens in commendam) diceretur eidem incardinatus. Qualiter incardinari, seu in Cardinales Sacerdotes constitui non tantum dicebantur illi, ut voluere quidam apud Azor. *loc. citat.* occasione arrepta ex dictis illis & similibus Joannis Diaconi, qui translati a sua ecclesia, seu ea privati dicto modo præficiebantur alteri; sed etiam, qui simpliciter nulli prius addicti Ecclesiæ ordinabantur & præficiebantur stabiliter Ecclesiæ vacanti. Azor. *loc. cit.* quamvis, ut ait Thomass. *loc. cit. num. 7. in fine* quo ad Episcopos Cardinales, eos tantum eo nomine videtur donasse Joannes Diaconus, qui suis ejecti desulatis ecclesiis in alias vacantes transferebantur & incardinabantur. Quin etiam, dum sæpe plures erant unius Ecclesiæ Presbyteri, unus eorum tantum erat, Cardinalis seu titularis & sponsus individuo nexu ei copulatus, & strictissima lege residendi devinctus; cæteri vero veluti illius ministri erant, faciliusque ad alias ecclesias migrabant. Nec aliter se res habebit in Diaconis, dum ex pluribus unius Ecclesiæ Diaconis unus Cardinalis seu primarius beneficiatus erat, ejus Ecclesiæ cura oneratus, aliis ad Episcopi jussa alibi exequenda variaque munia obeunda paratioribus Thomass. *cit. num. 2.* Nihilominus fuisse & nomen illud tributum pluribus ejusdem Ecclesiæ Sacerdotibus patet ex illo *cap. ministerium de offic. Archipresbyt. deligenti jura provideat ministerium sacerdotum cardinalium &c.* id est principalium, quorum erat in celebrioribus festis solenniter rem divinam facere. Azor. *loc. cit. quæst. 5.* Unde etiam, ut idem, factum in quibusdam ecclesiis inter Canonicos adhuc hodiedum dicti sint Canonici Cardinales inter alios digniores, uti de Compostellana ex Mariana *l. 10. de rebus Hispanic.* idem testatur, esse in ea Canonicos Cardinales, qui Paschalis II. privilegio & diplomate sacrificant solenni ritu in altari maximo, sub quo jacet corpus S. Jacobi Apostoli, uti & olim fuisse in Ecclesia Mediolanensi, Ravennate, Pisana, Aquilejensi &c. tales Canonicos testatur apud eundem Anastasius Germon. *de immunitat. sacrorum cap. 6.* Ex quibus licet pateat, non fuisse proprium Clero Romano, sed usitatum quoque ecclesiis aliis, ut earum Presbyteri aliique clerici jam descripti dicerentur Cardinales; appellatos tamen jam tum ævo D. Gregorii & ante memoratos illi Cleri Romani Presbyteros & Diaconos Cardinales, Cardinales Sedis Apostolicę & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ostendit Thomasin. *num. 9.* ex decreto vetustiore Synodi Romanæ habitæ sub Stephano IV. quod recitat. Et quamvis, ut ait *numer. 10.* ex eodem decreto perspicue colligatur, nullos adhuc fuisse Romæ Episcopos Cardinales, nec quicquam ex Gregorio aut Joanne Diacono in contrarium quo ad hoc deprehendi possit, ostenditur tamen apertissime ex eodem decreto, dum in eo sub anathemate prohibentur Episcopi aspirare ad Sedes Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium Ecclesiæ Romanæ, jam tum Episcopos ambivisse præcellentem illam Presbyterorum & Diaconorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ amplitudinem potestatemque eligendi Pontificis, qui & ipse plerumque ex ipso eorum collegio eligeretur, idque privilegium reservatum fuisse proximioribus quibusdam Episcopis, qui frequentius Romæ essent, & pro majorum more invitari solerent ut præsto essent Cleri Romani conventibus, ubi majoris momenti aliquid consultaretur; unde & paulatim in unum cum Clero Romano corpus concreverint, & ad electionem summi Pontificis suffragia contulerint. Porro quanta fuerit dicti Cleri Romani seu cætus Presbyterorum ac Diaconorum illius Ecclesiæ authoritas jam tum a primis a B. Petro jactis Ecclesiæ Romanæ fundamentis in regendo simul cum Papa, non tantum Ecclesiam eandem, sed & toto orbe diffusam, vel etiam se solo administrandi eandem sede vacante, qualiterque fuerit quasi ordinarium, perpetuum ac juge Concilium Papæ, quo maxima explicabantur negotia, erudite ostendit Thomass. *l. 5. a. 13.* Et hæc pro non exigua luce affundenda sequentibus.

3. Respond. tertio. Quod vero attinet statum modernorum Romanę Ecclesię Cardinalium, eum quo ad officium & dignitatem, quam & quod modo gerunt, fuisse fere nascenti Ecclesiæ coævum & suo modo Apostolicum, esse propositionem Eugenii IV. in ejus Bulla, & fuisse tunc tritissimam Theologicarum scholarum doctrinam (etsi nomen illud *Cardinalis* nondum expressum, aut saltem adhibitum illis, a quibus tunc moderni Cardinales repræsentabantur: astruit Thomss. *loc. cit. cap. 14. num. 2.* recitans ibidem verba Petri de Abliaco in *tractat. de Authorit. Ecclesiar.* quem scripsit in Concilio Constantiensi. Anno 1417. sequentia: *licet nomina Papatus & Cardinalatus tempore Petri & aliorum Apostolorum non fuerint in Ecclesia usa, tamen ecclesiastica potestates dictis nominibus designata ex tunc in Apostolis præfulserunt; videlicet Papalis dignitas in Petro, & in singulis Apostolis Cardinalatus authoritas. Pro cujus declaratione sciendum, quod, sicut patet ex decursu historia actuum Apostolorum, ecclesiastici historiis ac SS. PP. decretis, ante divisionem Apostolorum, per quam ad diversas mundi partes divisi sunt Apostoli, Petro tanquam Papale officium gerenti assistebant, tanquam Cardinalatus ministerium exercentes, sicut nunc Papa assistunt Cardinales tanquam ejus principales Assessores & Consiliarii atque Cooperatores in regimen universalis Ecclesia. Postquam vero Apostoli a Petro separati speciales sibi diœceses sortiti sunt, ex tunc Episcopale munus exercuerunt; ita ut Senatui Apostolorum successerit Collegium Sacrum Cardinalium, quantum ad illum statum, quo Apostoli coassistebant Petro, antequam fierent particularium Ecclesiarum Episcopi; statui autem Apostolorum, in quantum fuerunt Episcopi, successit ordo Episcoporum &c.*

4. Resp. quarto. Quod attinet ad assignationem titulorum seu Ecclesiarum, quibus singuli eorum præfecti, res illa duxit originem ab illo tempore, quo Evaristus titulos in urbe Presbyteris divisit, ut unusquisque suæ parecię terminis ac limitibus distingueretur; ac dein Hyginus Clerum composuit & Cleri gradus distinxit, ut singuli a se invicem secreti in sua urbis regiona, titulo vel parœcia confusionis tollendæ gratia divina mysteria populum docentes, diligenter sacramenta omnibus ad se venientibus Christianis conferrent, ac proinde singulos Presbyteros in unoquoque titulo constituit, ut is diceretur Cardinalis, qui cæteris ejusdem tituli Presbyteris præesset. Et sic post Hyginum & Dionysium plures in Urbe Romana fecisse titulos; divisisse Ecclesias, cæmiteria & parœcias, item Marcellum 25. titulos constituisse Romæ quasi diœceses, tum ad Martyrum sepulturam tum ad Baptismum & pœnitentiam multorum, qui ad fidem convertebantur, testatur Damasus Papa ita fere ex Onuphrii verbis. Azor. *loc. cit. quæst. 4.* Vide de hoc quoque Barbat. *de præstantia Cardinalium quæst. 1. part. 1. num. 5.* Paris. *de resign. l. 2. quæst. 5. num. 34.* recenset quoque Azor. *loc. cit. qu. 6.* accurate quod olim fuerint & modo sint Cardinalium tituli. Porro titulos olim dici solita templa seu Ecclesias Urbis, quibus præerant Presbyteri habentes curam animarum. Diaconos vero, quamvis essent quoque ædes Sacræ in memoriam & honorem sanctorum dicatæ, non tamen dictas titulos, & Diaconos, qui earum custodes seu præfecti erant, habitantque unde eas, non habentes curam animarum, sed alia munia in demandata sibi regione exercentes, astruit Idem Azor. *cit. quæst. 6.* adeoque Diaconias ita a titulis distinctas, ut nullus Presbyter Cardinalis Diaconiam, nec Cardinalis Diaconus titulum haberet, uti & id statutum postea a Sixto V.

5. Respond. quinto. Quod spectat ad dignitatis Cardinalitiæ præeminentiam supra omnes alias dignitates infra pontificiam, illam ortum suum habuisse, non ab Alexand. III. Argument. *capit. cum Apostolus §. quo circa de censib.* sed vel a Bonifacio VIII. vel Clemente V. astruit Wiestner. *h. t. num. 26.*

num. 26. videri etiam potest Barbos. *Jur. Eccles. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. *& cap.* 4. *num.* 24. & Gonz. *ad cit. cap. cum Apostolus num* 3. Nomen *Eminentissimi* & Eminentię illis primitus attributum ab Urbano VIII. ita ut nulli præter illos & Electores Imperii Ecclesiasticos & Magno Magistro Equitum Melitensium tribuatur. Barbos. *l. c. c.* 4. Verum de hac dignitatis præeminentia paulo post pluribus.

QUÆSTIO DCCCXXI.

Num Ordo Cardinalium sit juris divini, seu institutus a Christo.

RESp. Affirmativam teneri a Gersone *To.* 5. *pag.* 188. apud Thomas. *cit. cap.* 14. *num.* 2. his verbis: *Status summi & Sacri Collegii dominorum Cardinalium fundatus est in ecclesiastica Hierarchia subcælesti immediate a Christo, nec humana institutione seu præsumptione potest deferri.* Item ab Abb. *in c. per venerabilem qui filii sint legitimi.* Turrecrem. *in summ. l.* 1. *cap.* 80. *&* 83. Antonin. 3. *part. tit.* 21. *cap.* 1. *num.* 2. August. Triumpho *tract. de potest. Eccles. quæst.* 102. Laudens. *in tract. de Cardinal. part.* 1. *q.* 34. *&. p.* 2. *q.* 7. Barbat. *tr. de præst. Cardinal. q.* 2. & aliis apud Azor. *part.* 2. *l.* 4. *quæst.* 3. E contra probabilius negativam tenent Azor. *l. c. q.* 3. Soto *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. *a.* 4. *&c.* juxta id quod Papa Eugenius IV. Anno 1440. rescribit inter alia ad Archiepiscopum Cantuariensem apud Thomas. *cit. cap.* 114. *officium ipsum* (intellige Cardinalium) *a B. Petro ejusque successoribus institutum invenies.* Neque legimus ullos a Christo institutos Cardinales ut Cardinales; & Hierarchia ecclesiastica divina ordinatione instituta constat Episcopis, Presbyteris & ministris. Trident. *sess.* 23. *can.* 6. unde juris tantum divini est, quod Pontifex tanquam summus Christi Vicarius habeat Episcopos, Presbyteros & Ministros. Azor. *loc. cit.* præterque ordinem Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum nihil aliud habent Cardinales, nisi Romano Pontifici assidere, ut ipsum consilio, opera, industria & cura adjuvent, communia totius Ecclesię negotia cum eo tractent, Pontificemque ipsum eligant. Quod totum illorum officium & potestas emanavit a Romanis Pontificibus Collegium illud Cardinalitium instituentibus. Sed neque in contrarium facit, quod Apostoli a Christo assumpti ad munus Apostolicum figuram gesserint Cardinalium modernorum Pontifici assistentium, ut loquitur Eugenius Papa *in Epist. ad Archiepisc. Cantuar.* quam refert Jacobat. *de concil. l.* 2. *num.* 252. aut etiam, quod, ut dicitur *cap. per venerabilem, qui filii sint legitim.* in generis Levitici Sacerdotibus fuerint adumbrati, & uti hæc docuerunt Innoc. *in cit. cap. per venerabilem.* Antonin. Turrecrem. &c. non enim id impedit, quo minus Cardinalium nomen, officium, dignitas, titulorum distinctio, aliaque privilegia & præeminentiæ, quibus potiuntur, a summis Pontificibus sint, & dicantur instituta, cum ex eo, quod aliquid adumbratum sit per aliud, aut institutum ad imitationem alterius, quod jure divino institutum est, non sequitur idipsum quoque esse juris divini, seu jure divino institutum.

QUÆSTIO DCCCXXII.

Quotuplex sit Ordo Cardinalium.

RESp. triplex. Alii enim eorum sunt Cardinales Episcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi, itaut nullus sine titulo saltem Diaconi creari soleat; aut etiam jus in comitiis, prǽsertim ubi de novo Pontifice creando agatur, suffragium ferendi habeat. Azor. *l. c. quæst.* 5. juxta *Clem. ut hi*: *§. illius de ætat. & qualit.* Porro Cardinalium Episcopi olim fuerunt octo. Hostiensis (cujus jam etiam ab antiquo tempore, dum necdum Collegium Cardinalium institutum, erat consecrare Pontificem, ut S. August. Epist. 165.) Veliternus, Sylvæ candidæ, seu S Ruffinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, Urbanus. Quibus etsi medio tempore a variis Pontificibus fuerint adjuncti & alii, ut videre est apud Azor. *loc. cit. quæst.* 6. modo tamen eodem teste non nisi sex perseverant, nimirum jam enumerati illi (utpote ex quibus Veliterna ecclesia adjuncta fuit Hostiensi, & Sylvæ candidæ Portuensi, de quo vide Onuphrium *l.* 1. *de* 7. *urbis eccles. cap.* 2.) qui urbi viciniores curiam frequentare consueverunt, & coli præ cæteris cæperunt tanquam Papa ut Archiepiscopo subjecti ejusdemque suffraganei, ut Azor. inter quos, qui antiquior ratione ordinationis suæ erat, etsi olim erat Sacri Collegii Decanus, modo tamen, sic instituente Paulo IV. teste eodem Azor. ut qui moriente Decano antiquior est ex Cardinalibus Episcopis in urbe præsentibus aut absentibus, negotiorum tamen Ecclesiæ causa, est Decanus. Ex eo autem hi Cardinales Episcopi dicti sint Cardinales Ecclesiæ Lateranensis Romæ, seu S. Joannis in Laterano ecclesiarum omnium per orbem matris ac veluti apicis, ut ait. S. Petrus Damiani *in Epist. sua l.* 2. *Ep* 1. ad Cardinales cæteros, quam & inscribit: *venerabilibus in Christo Sanctis Episcopis Ecclesiæ Lateranensis Cardinalibus.* Quia omnes eidem affixi & devoti erant, ut ei præessent, & in ea mysteria sacra, sua quisque redeunte per vices hebdomada, ac munus & vices summi Pontificis exercerent. Unde & dicti specialiter Cardinales Collaterales & hebdomadarii, ut constat ex eadem Ep. cujus verba recitat Thomas. *l. 2. c.* 113. *n.* 1.

QUÆSTIO DCCCXXIII.

An sit Cardinalium supra Episcopos dignitas & præeminentia.

1. RESp. primo. Indubitati juris est, Cardinalem non Episcopum Episcopo non Cardinali, Cardinalem Diaconum tantum etiam presbytero ratione & potestate Ordinis inferiorem esse. Abb. *in cap. ecclesia vestra de elect. num.* 15. Pirh. *ad tit. de postul. num.* 11. cum communi. Dum plurima quo ad Sacramenta & Sacramentalia potest Episcopus & Presbyter, quæ non potest Cardinalis qua talis vel etiam Cardinalis Diaconus. Verum, cum ratio dignitatis ecclesiasticæ non desumatur ab Ordine, alias enim & quilibet simplex sacerdos dignior foret Archidiacono; sed ab altiore majore jurisdictione dignioreque administratione, ut dixi *in Vicar. Ep. q.* 630. *n.* 3.

2. Resp. secundo. Cardinalem non Episcopum Episcopo administrationis authoritate (utpote vi cujus eligere valet summum Pontificem, eidemque collateraliter seu proxime a consiliis adhærens ardua cum eo totius Ecclesiæ negotia tractare) ac consequenter dignitate honoris esse superiorem. Uti hæc constant ex Epist. Eugen. IV. ad Archiepisc. Cantuar. apud Jacobat. *loc. cit. quæst.* 3. & Azor. *loc. cit. quæstion.* 9. In qua Epistola Papa multis rationibus concludit, Cardinalem honoris dignitate esse Episcopo, Archiepiscopo & Patriarcha superiorem. In quem finem adducit illud, quod Sylvester constituerit, ut sine plurimorum testimoniis Cardinalis damnari non possit, quod de Episcopis aut etiam Archiepiscopis & Patriarchis non legitur: Item quod Cardinales referant Apostolos Christo assidentes, Episcopi non nisi Apostolos per totum terrarum orbem missos ad prædicandum Evangelium. Item quod, qui in Cardinalem violentas manus infert, aut Consilium seu favorem ad id præstat, habeatur reus læsæ Majestatis, & gravissimi pœnis subjiciatur, quod dici non potest de iis, qui Episcopos aliosque Ecclesiæ Antistites lædunt vel offendunt. Præcessisse quoque honoris dignitate Episcopos jam tum ante Bonifacium, perspicuum est ex verbis S. Petri Damiani *in Epist. ad Cadaloum* intrusum ab Imperatore in Sedem Apostolicam: *Romani Cardinales Romanum Pontificem eligunt principaliter, & quibusdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt salvo Ecclesiæ Sacramento isti sunt oculi unius lapidis, ipsi lucerna unius Candelabri &c.* Verum quod præcedant IV. Patriarchas; Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Jerosolymitanum, volunt quidam apud Azor. *cit. quæst.* 9. *in fine* esse solum ex usu & praxi Curiæ Romanæ, non vero de jure communi. De cætero negari non potest, non statim ab initio illum summum honoris gradum supra Episcopos obtinuisse Cardinales, ut fatetur Azor. *l. c. qu.* 9. *§. meo Judicio,* dum diu multumque de præcedentia contenderunt Episcopi cum Cardinalibus Presbyteris & Diaconis: testatur Onuphrius *in opusc. de Cardinal.* dum ait non consuevisse eo tempore Pontifices ex Episcopis creare Cardinales, quia Episcopi erant Cardinalibus superiores, uti id ex eo probant Jo. Andr. Geminian. *in cap. cum aliquibus de rescript. in* 6. Barbos. *Jur. eccles. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 37. *& cap.* 8. *num.* 24. Gonz. *in cap. cum Apostolus de consecr. num.* 3. & alii, quod vix tunc erant Episcopi, qui Cardinalitiam dignitatem admittebant, ne dignitatem Episcopalem minuere & gradu dejici, aut descendere viderentur. Dum propter vetitam Sacerdotiorum cumulationem Episcopatum retinere non possunt cum Cardinalatu. Idemque confici videtur ex eo, quod apud D. Bernard. exstent Epistolæ, quarum inscriptio hæc est: *Episcopis & Cardinalibus in urbe commorantibus.* Item *cap. constitutis il* 1. *de appellat.* Alexand. III. sic inscribat Epistolam & Cardinalem: *Gradensi Patriarchæ & S. Vitalis presbytero*

Cardinali. Donec paulatim, ut habet Thomas. *de vet. & nov. Eccl. disciplina p. 1. l. 2. c. 113. nu. 2.* Postquam Cardinales illi Episcopi Urbi viciniores ex eo, quod soli fere arbitri electionis Pontificiæ, ita assurrexissent, ut supra Episcopos & alios quosvis, etiam Primates & Patriarchas sedere incæperint, ad se & ad hanc sedendi prærogativam traxerunt quoque Cardinales reliquos, quibuscum in unum Senatum & Collegium, & unum quodammodo corpus coaluerunt. Quamvis, ut addit Idem *n. 3.* dissimulari nequeat, Episcopos quandoque recuperasse primævum gradum & consessum supra Cardinales non Episcopos, aggregando se Cardinalibus Episcopis, & infra se relinquendo Cardinales alios non Episcopos. Et ne quidem, ut habet *n. 6. in fine* anno 1196. citato Baron. ad eundem annum *n. ult.* adhuc illa Cardinalium supra Episcopos sedendi prærogativa prorsus certa & firma constiterit. Dum tandem Jure & potestate Romanum Pontificem eligendi ad sola Cardinalium omnium (intellige etiam non Episcoporum) suffragia redacta cæpere omnes dignitate honoris & sedendi prærogativa Archiepiscopis & Patriarchis anteponi. Azor. *l. c.* uti illos sedisse in Concilio Lugdunensi II. sub Gregor. X. anno 1274. non solum supra Episcopos, Metropolitanos & Primates omnes, sed & supra Patriarchas latinos Constantinopolitanum & Antiochenum, testatur Thomas. *l. c. c. 114. nu. 1.* ex Reginaldo ad citatum annum *nu. 3.* uti & eandem præcedentiam obtinuisse illos in Concilio Lugdunensi primo sub Innoc. IV. asserit *Ibidem*. Ita ut, cum quæ prius præcesserunt omnia tentamenta tantum & vicissitudines & alternationes inter Episcopos & Cardinales fuissent, fixa rataque res evaserit in Conciliis Lugdun. I. & II. Idque sufficiens fuerit, ut tempore Eugenii IV immemorialis ea haberetur consuetudo, imo & Apostolica. Ad hæc certissimum ait idem Tomas. *cit. c. 113. n. 7.* a tempore, quo decorati a Papa purpura, supra Episcopos omnes & Patriarchas assurrexisse & evectos fuisse. Porro an & quæ sit præcedentia Cardinalium supra Reges, vide apud Thomas. *cit. c. 114. n. 5.*

QUÆSTIO DCCCXXIV.

Quæ insignia Cardinalium & quæ eorum significatio.

1. RESp. ad primum. Est pileus seu galerus rubei coloris, quem in pervigilio Nativitatis anno 1224. & ut aliqui volunt, in Concilio Lugdun. 4. illis contulit Innoc. IV. Azor. *p. 2. l. 4. c. 3. q. 18.* quamvis Thomas. *cit. c. 113. nu. 7.* dicat decoratos esse in dicto Concilio tantum rubris galericulis & postmodum a Paulo II. pileo rubro, qui etiam graviter publico decreto inhibuit teste Platina, ne quis præter Cardinales indumento illo coccineo caput tegeret. Quin & teste eodem Platina & Spondano ad annum 1464. permisit illis purpureis ephippiis equos insternere, & ut Azor. primo Pontificatus sui anno donavit illis purpureum pannum, quo equos & mulas ornarent, dum equitarent. Eodem pileo rubro Greg. XIV. ornavit Cardinales ex variis ordinibus & Monasteriis assumptos qui hactenus usi fuerant pileis ejusdem coloris cum veste sua.

2. Resp. ad secundum. Donati Cardinales hac purpura, ut significaretur, eos etiam caput & sanguinem offerre debere pro tuenda Ecclesiæ libertate, & præsertim eo tempore, quo Romana Ecclesia a Pederico II. Imperatore vehementer oppugnabatur. Thomas. *l. c. num. 7.* Azor. *cit. q. 18.* ac ita S. Carolum Borromæum testatur Giossanus in ejus vita, non alio oculo vel animo purpuram suam spectasse, quam ut incitamentum quoddam & authoramentum ad martyrium. Quam purpuram religiosius contemplantes Baronius, Bellarminus, Berulius Cardinales & alii, nec non ipsi Reges venerantes, non posse non videri longe pulcherrimam & sanctissimam, utpote Christi Summi æternique Pontificis sanguine tinctam & delibatam, ait Thomas. *l. c. n. 8. in fine*. Porro tametsi moris non erat absentibus mittere ejusmodi pileos ut constat ex eo, quod anno 1316. Joannes XXII. interpellatus a Philippo Galliæ Rege, ut recens creato Cardinali Gallo pileum mitteret, recusavit, excusavitque priscum morem, per quem id minus liceret, hisce verbis, quæ recitat Thomas. *l. c. c. 114. n. 14. Quia nec prædecessores nostri consueverunt extra curiam hujusmodi pileos mittere.* Missum tamen quandoque, idque ex necessitate constat ex facto Clementis VI. qui eum misit Abbati S. Dionysii per tres Episcopos, cum Epistola tamen, qua dictam necessitatem exprimebat, his verbis: *licet imitanda servavit antiquitas, ut ad honorem Cardinalatus evectus non prius Capello rubro uteretur, quam illum de manibus Pontificis suscepisset, pro negotiis tamen in quibus Rex præsentia tua indigere se dixit &c.*

QUÆSTIO DCCCXXV.

An ad Cardinalatum a quo, qualiter, qui seu quales, quo numero promoveri soleant ac debeant.

1. RESp. ad primum. Creare Cardinales solius est Pontificis. Jo. And. & Abb. *in cap. sane de conversion. conjugator.* quos citat ac sequitur Azor. *par. 2. l. 4. cap. 1. quæst. 7.* ita ut nec collegium Cardinalium Sede Papali vacante ullum Cardinalem creare valeat. Quia hanc creationem Papa reservavit sibi. Gloss. *in Clem. ne Romani de elect. v. potestatis*. Alexand. *in c. nullus dist. 79.* Azor. *loc. cit.* non obstante, quod hoc collegium Cardinalium creare possit ipsum Pontificem. Non enim ex eo, quod quis jus habeat ad unum, sequitur, illum quoque jus habere ad alterum, etsi id minus sit. Et licet Jacobat. *tract. de conciliis l. 6. art. 7. quæst. 1.* Manfred. *tract. de Cardinal. dist. 386.* & quidam alii astruant, posse Concilium generale ubi forte necessitas urgeret, unum alterumve creare Cardinalem, ait tamen Azor, se nunquam legisse, id factum esse.

2. Resp. ad secundum. Licet Papa absolute citra consensum aliorum & consilium creare possit Cardinales. Jo-Andr. *loc. cit.* Felin. & Decius *in Rub. de const.* Azor. *loc. cit.* non solet tamen id facere; cum hæc creatio inter negotia ardua, quæ Pontifex non solet sine consilio Cardinalium expedire reputetur. Ad hæc statuere PP. in Consiliis Constantiensi & Basileensi, ut Papa nominaret Cardinales, vota Cardinalium non seorsim & tacite scrutatus, sed suffragiis scriptis majoris eorum numeri. Thomas. *p. 1. l. 2. c. 114. nu. 12.* Convenerunt quoque Cardinales, & futurum Pontificem sacramento obstrinxerunt inter alia, ut Cardinales semper in Consistorio, apertis & non secretis auricularibusque suffragiis deligeret, Vide Rainaldum ad annum 1430. de illa clancularia denominatione, quæ dicitur *in petto*, agentem.

3. Resp. ad tertium primo. Quod attinet ætatem, assumendum in Cardinalem debere excedere annum 30. deducunt quidam ex Trident. *sess. 24. c. 1.* ubi dicitur; *ea omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem in creatione S. R. E. Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda*. Et certe sic statutum in Concilio Basileensi, ut videre est apud Thomasin. *cit. cap. 114. num. 12.* Nihilominus alii in Cardinali Diacono solum annum 23. inceptum, in Cardinali Presbytero annum 25. in Cardinali Episcopo annum 30. expletum requirunt. Azor. *p. 2. l. 6. c. 5. q. 14.* Secundo, quanta rerum scientia & doctrina esse debeat Cardinalis, etsi jure definitum non sit, sed id judicio Papæ relinquatur, indignum tamen ait Azor. *l. c. c. 6. quæst. 10.* illiteratos ad Cardinalitiam dignitatem assumi. Nam si Moysi *Exod. 18.* dixit Dominus: *Provide de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas*: quid dicturus sit Deus de Cardinalibus, qui eliguntur ut Judices de causis totius Reipubl. Christianæ, quis non videat? Neque sufficiens, ait Idem, si Cardinalis literarum rudis & sapientiæ expers in consultationibus ad aliorum suffragia accedat; nam inter suffragia & sententias aliorum judicare sapienter non potest, & rationum momenta ponderare nequit. Nihilominus etsi Concilium Basileense *sess. 23.* judicet, tertiam vel quartam partem Cardinalium esse debere Magistros vel Doctores seu Licentiatos in Jure divino vel humano, addit tamen: *inter Cardinales autem esse aliqui poterunt admodum perillustres filii, fratres & nepotes Regum seu Magnorum Principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum competens literatura sufficiat*. Tertio, quod spectat ad mores & vitam, quanta in iis esse debeat integritas & sanctimonia, optime & quasi per compendium leges apud S. Bernard. *l. 1. de considerat. ad Eugen. III.* item apud Hostiens. *in summ. tit. de pœnitent. & remiss. cap. confid. de pænit. dist. 5.* cujus quoque horrenda verba inter alios recitat Azor. *part. 2. l. 7. c. 7. quæst. 8.* Huc quoque spectat, quod dixerunt PP. Concil. Basil. *sess. 23.* Cardinales nullius criminis aut infamiæ nota aspersos esse debere; item quod esse debeant Monogami seu non Bigami, legitimis natalibus &c. de quibus vide Azor. *cit. quæst. 18. in fine*. Quarto, quod spectat originem seu ex qua natione, de qua familia assumi debeant, statuitur in Concilio Basil. ut quantum fieri potest eligantur ex omnibus Christiani nominis Regnis, & ut ejusdem nationis ad summum esse non possint nisi tertia pars, & ejusdem diœcesis non nisi unus. Sic quoque statuit Tridentin. *sess. 24. c. 1.* illos eligi debere ex omnibus Christiani orbis Provinciis. Sic D. Bern. *Ep. 188. l. 4. de consid.* ait: *nomine eligendi de toto orbe orbem judicaturi?* Sic convenere quoque PP, memo-

memorati Concilii Basil. ut videre est apud Thomass. *cit. n.* 12. ut pauci stirpis Regiæ Principumque assumerentur quoque Nepotes Pootificis ac Cardinalis cujuscunque, dum superstes ipse est. Quamvis post obitum Sixti IV. obligarunt se futurumque Pontificem juramento inter cætera, ne ex cognatis suis plures quam unum collegio Cardinalium sociaret.

4. Resp. ad quartum circa numerum creandorum Cardinalium quid quoque statutum in conciliis Constantin. & Basileensi, quid ex conventione ipsorum Cardinalium ante electionem variorum Pontificum, quid dein exin hoc puncto observatum per tempora, videndum perspicue apud Thomass. *cit. c.* 114. *a n. fere* 12.

His omnibus de creatione Cardinalium subjungere lubet dictum Pauli II. quo is dictitare solebat, ut ex Reginald. *ad annum* 1471. *num.* 63. Thomass. *l. c. in rebus seu negotiis aliis hominem esse posse, in Rectoribus Ecclesiarum creandis Angelum, in collegio (intellige Cardinalium) augendo Deum Pontificem esse oportere, qui in altero peccet, impium, qui in altero Dæmonem esse existimandum. In illo unam Ecclesiam prostitui ac Viro alieno conjungi & non suo, in hoc Ecclesias universas periclitari.* Vel ut de suo addit Thomass. *ab eo qui indignum & nequam Cardinalatum ornaret, in excidium Ecclesiæ universalis conjurari.*

QUÆSTIO DCCCXXVI.

An Cardinales habeant potestatem & jus ferendi suffragii seu definiendi in rebus fidei & morum in Conciliis generalibus, iisque subscribendi.

RESp. Affirmative, & quidem non ut volunt quidam, jure mandato & commisso seu delegato, sed jure ordinario, hoc est, ratione dignitatis & administrationis, in qua sunt; cum non minus ratione illius habeant jurisdictionem quam Episcopi, eorumque officium non tantum propriam Ecclesiam sui tituli, sed vel maxime universalem Ecclesiam spectet, dum succedunt loco Apostolorum, qui antequam per universum orbem dispergerentur, assistebant B. Petro tanquam adjutores in tractandis Ecclesiæ negotiis, suamque ferebant sententiam, ut constat ex primo Concilio Hierosolymitano, ubi suam inter alios sententiam dixit Jacobus. Ita Suar. *de fide d.* 11. *f.* 5. *num.* 17. Dian. *p.* 5. *tract.* 2. *resol.* 3. Azor. *p.* 2. *L.* 4. *c.* 1. *qu.* 10. Turrecrem. *in sum. L.* 3. *c.* 14. Patetque ex praxi recentiorum maxime conciliorum, quorum decretis etiam ante Episcopos subscripserunt. Nec obstat, quod in plurimis Conciliis, quæ citat Azor, dicatur jus illud esse Episcoporum, & in conciliis antiquis solos Episcopos subscripsisse, & nullos Cardinales, nisi forte in iis fungerentur officio Vicariorum seu Legatorum Pontificis: per hoc enim, quod dicatur jus illud esse Episcoporum, non negatur, esse quoque aliorum. Sic enim etiam in antiquis Conciliis legitur una cum Episcopis definivisse & subscripsisse decretis Conciliorum Abbates Monachorum, Generales Ordinum religiosorum. Sic in Synodo II. Romana sub Symacho subscripsere Episcopi, dein Presbyteri, ac demum Diaconi Romanæ Ecclesiæ. Adde, quod tempore aliquotum Conciliorum necdum erant Cardinales hoc nomine insigniti, aut etiam, quia celebrata Concilia in Oriente ubi Cardinales nulli præsentes, nisi forte unus alterve fungens officiu Legati vel Nuncii Apostolici.

QUÆSTIO DCCCXXVII.

Quid potestatis habeant Cardinales circa electionem Papæ.

RESp. Certi juris est potestatem eligendi Pontifices esse penes Cardinales. Constat ex *c. licet vitanda, de elect. c. ubi periculum, de elect. in 6. Clem.* 1. *ne Romani, de elect. c. in nomine, dist.* 23. Licet enim pro varietate temporum a variis facta hæc electio ac primitus quidem a Clero Romano, & suo modo a populo hoc tamen potius eum nominante seu postulante vel consensum præbente, perduraveritque hic mos ad mille fere annos & ultra. Argum. *in nomine, dist.* 23. Quod est Nicolai II. requirendus etiam ad hoc erat consensus seu factæ electionis confirmatio ab Imperatoribus, usurpantibus sibi hoc jus contra Canones a Justiniani fere tempore: aut etiam jam tum prius id permissum Valentiniano, Honorio Imperatoribus ac Theodorico Regi a Damaso, Bonifacio, Symacho necessitate compulsis & majoris mali evitandi gratia, nimirum ut Seditiosorum tumultus & violentia comprimeretur Imperatorum authoritate, ut Azor. paulo post citandus *qu.* 3. Quin etiam ante electi consecrationem pro obtinenda ad hoc facultate pensitanda Imperatori Constantinopolitano certa pecunia. Quam pravitatem simoniacam graviter deplorat Gregorius M. *in Psal.* 5. *pænitentialem: Tota die improbabant inimici mei*, cujus verba quoque legere est apud Azor. *loc. cit. quæst.* 2. Unde jam etiam fiebat, ut is potissimum crearetur Pontifex qui Imperatori amicus aut gratus esse crederetur, & de quo ille confideret. Quod onus expectandi consensum Imperatoris & pensitandæ pecuniæ tametsi quidam remissum a Justiniano II. colligant, ex Beda *L. de* 6. *ætatib. mundi anno* 465. remiseritque summam illam pecuniariam ad literas & petitionem Boni Papæ Constantinus Pogonatus, perdurasse tamen testatur Azor. *cit. num.* 1. hanc consuetudinem usque ad Benedictum II. cujus sanctitate permotus Idem, Constantinus edicto suo & Epistola ad Clerum populumque & exercitum Romanum imperavit, ut deinceps, quem Clerus populusque Romanus delegissent Pontificem, is, nulla amplius Imperatoris exspectata confirmatione, more antiquo consecraretur statim. Quidquid autem sit de eo, num ab Adriano I. Carolo Magno, necdum plene consecuto Occidentis Imperium denuo concessum hoc jus, quod negat Azor. *p.* 2. *L.* 4. *c.* 1. *quæst.* 2. illud certum, Ludovicum Pium Francorum Regem ac Imperatorem id juris sponte dimisisse, *c. Ego Ludovicus, & c. Sacrorum, dist.* 63. cæteris ejus io Imperio successoribus id retinentibus, usque dum Adrianus III. creatus Anno 884. magnanimiter se iis opponens decretum edidit, ne in creando aut consecrando Pontifice Imperatoris authoritas aut consensus requireretur aut exspectaretur; ac ita suo jure usus ademit Imperatoribus, quod prius sui prædecessores necessitate compulsi permiserant. Concessit id privilegii rursus Leo VIII. Othoni I. Imperatori, *c. in Synodo, dist.* 63. Gregorius VII. iterum Henrico IV. ademit, electis & consecratis sine Imperatorum consensu Stephano IX. Nicolao II. Alexandro II. Ac dum id iterum per insidias & fraudem impetrasset Henricus V. Imperator a Paschali II. ab eodem revocatum congregata Synodo Lateranensi. Licet inquam ita se res habuerit circa electionem pontificis Imperatoribus vi usurpantibus sibi hoc jus eligendi, vel etiam, non tam eligendi, quam in electionem consentiendi eamque confirmandi contra Canones (quippe qui laici hujus juris spiritualis incapaces illud neque ulla consuetudine, neque præscriptione, sed solum ex libera Pontificis, & quidem de plenitudine potestatis id privilegii concedentis voluntate obtinere poterant.) Denique tamen ad Cardinales solos libera omnino potestas eligendi Pontificem, citra etiam talem petendi assensus imperatorii necessitatem pervenit Alexandri III. tempore, & quidem ad Cardinales omnes, dum, ut insinuatum supra ex Thomass. *c.* 113. *num.* 2. penes Cardinales illos sex vel septem totius fere electionis esset arbitrium, reliquis Cardinalibus fere cum Clero reliquo permixtis juxta *Can.* 1. *Concilii Rom. habiti sub Nicolao II. anno* 1059. quo statuitur, ut electio Romani Pontificis in potestate sit Cardinalium Episcoporum. Vel etiam, ut Idem ex Pandulpho *nu.* 4. ut Cardinales reliqui cum Clero & populo Papam eligerent, Cardinales vero illi Episcopi electionem approbarent vel improbarent, fungendo quasi in hoc munere Metropolitani electionem confirmantis, ut Idem *num.* 2. ex Baron. *ad annum* 1059. *num.* 25. Atque ita penes Cardinales omnes jus illud eligendi liberum hodiedum perseverat, ita ut, si in scrutinio duabus partibus (non computato tamen inter eas ipsius electi seipsum forte eligentis suffragio) Cardinalium intra conclave præsentium (absentibus enim aut in urbe, extra tamen conclave, ex quacunque etiam causa existentibus per literas aut procuratorem ferre suffragium non competit) aut per inspirationem communem ab omnibus, vel per compromissum rite institutum (in quo etiam, si compromissum ab omnibus, vel etiam a duabus tertiis in unum, is seipsum nominare & eligere posset; eo quod tunc, non sui solius voluntate, sed omnium seu tertiæ partis id fieret Azor. *loc. cit. c.* 2. *quæst.* 8. testans, sic contigisse in Joanne XXII.) electus, electioni consentiens sit verus Papa, & pro tali habendus absque ulla contra eum exceptione illius impedimenti juris humani ipsu aut Electoribus ejus reperti *c.* licet vitanda, nisi forte hæresi aut simonia, vel etiam electione metu extorta, tametsi enim ob hæc alias nec jure naturali nec divino irritetur electio, jure etiam quocunque humano, etiam Conciliari & constitutione Apostolica inductæ nullitates non ligent Summum Pontificem, cum parem antecessoribus suis, & majorem Conciliis Papa habeat authoritatem; adeoque leges nullæ poni possint Pontificibus vere ac legitime electis, potuit tamen a Conciliis & Prædecessoribus Pontificibus præscribi forma & conditiones necessario observandæ in electione Pontificis. Laym. *in cit. c. licet num.* 4. Azor. *loc. cit.*

loc. cit. qu. 7. apud quem quoque *quæst.* 1. vide, quæ electionis hujus Pontificiæ forma seu leges in ea servandæ juxta *c. ubi periculum, de elect. in 6.* De cætero de his omnibus, cum hujus loci non sit accuratius tractare vide præter *cit. c.* licet constitutiones alias recentiorum Pontificum Gregorii XV. quæ incipit: *æterni; edita 17. Calend. Decembr.* & quæ incipit: *decet editam Idibus Martii* 1621. Urbani VIII. quæ incipit: *ad Romanum, editam 5. Calend. Febr.* 1625. Et inter alios AA. Azor. *cit. c.* 2. Pirh. *ad tit. de elect.* Wiesten. *ad eund. tit. a num.* 346.

QUÆSTIO DCCCXXVIII.

An Cardinales jam a Papa electi & assumpti, necdum tamen consecuti insignia Cardinalatus habeant jus ferendi suffragii in electione Pontificis.

RESp. Licet id negent plures, eo quod ferre suffragium in electionibus sit fructus possessionis, & non solius proprietatis; per delationem autem dictorum insignium videantur consequi possessionem Cardinalatus; Probabilius tamen cum Azor. *loc. cit. quæst.* 7. citante Card. Alban. *tract. de Cardinal. quæst.* 17. id affirmant alii. Eo quod eo ipso, quo Cardinalis creatus a Papa, nanciscatur omnem potestatem administrandi Ecclesiam.

QUÆSTIO DCCCXXIX.

Quæ præter jus eligendi Papam sit potestas Cardinalium Sede vacante.

RESp. Quamvis Adeodatus Presbyter Cardinal. (qui ut Baron. *ad annum Christi* 1087. suam Juris can. collectionem Victori III. Papæ dedicavit) apud Thomasin. *de vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. L. 2. c. 113. num.* 3. in operis sui vestibulo declaret, jam inde ab ipsis Cypriani temporibus moris fuisse ut clerus Romanus mortuo Pontifice Ecclesiæ universalis clavum capesseret regeretque, literas perscriberet, quibus non illibentes morem gererent Episcopi: addatque de suo Thomasin. hanc esse verissimam Cardinalium dignitatis descriptionem, hanc naturam, ut qui ille ipse primogenitus & æternus sit Clerus in unum cum Papa corpus coalitus, & vacante Sede totam ejus authoritatem excipiens, circumgestans exercensque &c. id tamen in sano sensu accipiendum juxta paulo post dicenda. Licet etiam Sede Episcopali vacante tota Episcopi juridictio transeat ad Capitulum juxta *c. is qui, de major. & obed.* & *C. cum olim eod. tit. in 6.* dici tamen nequit tota papalis jurisdictio transire ad collegium Cardinalium, dum sunt quam plura, quæ utpote reservata Pontifici præstare nequit, ut habetur *in clem. ne Romani, de elect. §. irritum.* Sic jus Ecclesiasticum, condendo constitutiones novas, aut antiquas revocando mutare (dum & ipsi leges aliquid de creatione novi Pontificis statuentes observare tenentur) aliaque jura & privilegia authoritate Pontificis confirmata abrogare nequeunt, uti nec Cardinales novos creare, Episcopos transferre, Legatos extra Provinciam mittere, aut a Papa defuncto missos revocare. Abb. *in c. cum te, de sent. & re Judic. a num.* 2. Felin. *ibid. num.* 11. Alex. *in cit. Clem. quæst.* 2. Azor. *p. 2. L. 4. c. 3. quæst.* 1. Dian. *p. 5. tract. 2. resolut.* 9. Verum ea solum iis permittuntur *cit. Clem.* quæ ad electionem Papæ maturandam ac imminentia eidem pericula & obstacula removenda, quæque ad status Ecclesiastici Provincias terrasque defendendas, & coercendam factiosorum licentiam, seditiones compescendas spectant. Ac proinde quoscunque status illius ministros & officiales, ipsumque etiam Urbis Gubernatorem mutare & novos constituere possunt; quin etiam causa schismatis tollendi, ut dum duo in discordia electi in Pontificatu contendunt, parte fidelium uni, altera alteri adhærente, convocare Concilium generale, cujus authoritate de certo universali Ecclesiæ capite provideatur. Azor. *loc. cit. c. 3. quæst.* 1. Jacob. *de Conc. L. 3. a. 1. num.* 7. Mansr. *de Card. part. 1. c.* 31. aliique apud Barb. *Jur. Eccl. L. 1. c. 4. num* 76. quæ Concilia licet propter defectum papalis authoritatis aliquo modo sint imperfecta, habenda tamen sunt pro venerabilibus & jure coactis Conciliis, censent Barbos. *loc. cit.* Dian. *loc. cit. resol.* 62. Item, si electus in Papam longe ab Urbe distaret, ne Ecclesia interea damnum pateretur, donec is electioni consentiret, negotia quædam alia expedire eos posse ait Azor. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCCCXXX.

Quodnam eorum præcipuum officium Sede plena.

1. RESp. primo. Officium primarium & omnibus commune, quod vi creationis suæ habent & exercere possunt, est Papæ in regenda universali Ecclesia arduisque negotiis expediendis consilio assistere. Quod quidem Cardinalium consilium & ardua istiusmodi negotia (qualia fere sunt creare Cardinales, Episcopos transferre, leges generales condere & promulgare, magna feuda concedere, res pretiosas Ecclesiæ alienare &c.) expedienda absolute loquendo necesse non habet aut adhibere tenetur Pontifex, ut cum communiore ac veriore contra Jo-Mon. *in c. super eo de hæres. in 6.* Card. *cons.* 190. Bald. *in L. cum multa C. de bonis quæ liberis.* Jason. *in L. placiti. C. de sacrosanct. Eccl.* Aretin. & plures alios apud Azor. *cit. c. 3. quæst.* 19. docent. Idem Azor. Card. Alban. *de Cardin. quæst.* 10. & alii passim juxta *c. cum ex eo, de pænit. & remiss.* ubi Romano Pontifici tribuitur plenitudo potestatis, utpote qui potestatem suam regendi Ecclesiam per seipsum absolutam, & non restrictam ad consilium alterius, accepit immediate a Christo verbis illis: *pasce oves meas. Joan. 21. vers.* 19. Nihilominus licet nullius juris necessitatis, honestatis tamen lege ad hoc Cardinalium consilium exquirendum & amplectendum astringitur juxta illud *c. fundamenta, de elect. in 6. decet namque ipsi Romano Pontifici per fratres suos S. R. E. Cardinales libera provenire consilia.* Azor. *loc. cit.* Paleotus, *de Sacro Consistor. p. 1. q.* 3. Dian. *cit. resol.* 3. & in hoc sensu admitti potest, quod Laudan. *tract. de Cardin. 1. quæst.* 2. Barbat. *tract. de præst. Cardin. & consil.* 40. *vol.* 4. aiunt; collegium Cardinalium quasi possessionem habere, ne sine eorum consensu ardua negotia expediat Papa.

2. Resp. secundo. Officia vero non omnibus communia, sed quæ ex speciali Papæ designatione & commissione quidam eorum gerunt, quæque in tantum sunt illis propria, quatenus fere solis Cardinalibus committi solent, sunt, variis congregationibus, collegiis, dicasteriis præesse, de quo videndus Card. de Luca in *notitia Curiæ Rom.* Quin & Concilia generalia authoritate Apostolica dirigere eisque nomine Pontificis præsidere; mitti ad pacem componendam inter Reges Principes & Respublicas Christianas, ad susceptas expeditiones contra infideles sacraque bella promovenda, ad gubernandas Provincias ac civitates statui Ecclesiastico & dominio Papæ subjectas.

QUÆSTIO DCCCXXXI.

Quid juris seu jurisdictionis & potestatis habeant Cardinales in titulis suis?

1. RESp. primo. Cardinales, etiam non Episcopi in Ecclesia sui tituli aliisque Ecclesiis illi subjectis habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut quidquid potest Episcopus in sua diæcesi circa diæcesanos tam clericos quam laicos, id ipsum (exceptis tamen iis, quæ Episcopis concessa a Trident. de quo vide Fagn. *in c. bis quæ de major. & obed. n.* 16. & me *in Vicar. Episc. qu.* 172. *nu.* 1.) & illi possint in Ecclesiis titulorum suorum aliisque his subjectis, quin & quas jure commendationis aut administrationis habent, *c. bis, quæ de major. & obed.* Azor. *p. 2. L. 4. c. 3. qu.* 2. citans Abb. Felin. Butr. *in cit. c. bis quæ.* Imol. *in clem. ne Romani de elect.* Cardin. Alban. *de Cardin. qu.* 46. Mandos. *in Reg. 7. Cancell. q. 2. &c.* Item Dian. *p. 5. tract. 2. Resol.* 12. Barbos. *Jur. Ecclef. L. 1. c. 4 a num.* 35. relatis aliis. Sic primo eodem jure, quo Episcopi, hoc est, non ex gratia seu indulto privilegio particulari, sed de jure communi & ordinario conferunt beneficia omnia existentia in suis titulis, nec non Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, quos, ut decentius vivant ex dispensatione habent in commendam. Paris. *de resign. L. 7. q. 12. n.* 19. citans quamplures. Azor. *l. c. q.* 2. Cardin. de Luca *de benef. d. 21. num.* 16. Lotter. *L. 2. quæst. 2. num.* 7. citans German. *de indult. Cardinal. §. tum ratione num.* 15. Barbos. *in collectan. ad cit. c. bis, quæ num.* 2. Abb. *ibid. num. 1. &* 2. Sunt enim in titulis suis ordinarii & tanquam Episcopi jurisdictionem Episcopalem exercentes. AA. iidem. Uti & in aliis Ecclesiis Capellis iis subjectis & incorporatis. Laym. *in cit. c. bis quæ, num. 1. & in c. querelam, de elect. num.* 2. citans Suar. *de LL. L. 4. c. 5. num.* 4. Azor. *p. 2. L. 5. c. 10. qu.* 3. Idem est de Episcopatibus, Abbatiis, prioratibus quos in commendam habent. AA. iidem. Nihilominus jus hoc providendi in illis suis titu-

titulis in tantum eos consecutos esse ex speciali concessione Papæ ea intentione, ut magis allicerentur ad residendum & curiam non deserendam, in quantum Papæ alias hoc jus tanquam Urbis Episcopo originaliter competit, ait Lotter. *l. c. num.* 8. Ex eo autem, quod jure ordinario conferant illa beneficia, infert recte Cardin. de Luca, *loc. cit. num.* 17. & 19. quod dum per *Regulam* 7. *Cancell.* ratione absentiæ a suis titulis priventur ea potestate conferendi, seu reserventur Papæ ea beneficia alias ad eorum collationem ordinariam spectantia id fiat per speciem pœnæ (quam semper importare dicitur privatio juris quæsiti & competentis) non autem per modum ademptionis & modificationem gratiæ ac privilegii; adeoque absentia talis esse debeat, quæ speciem delicti redoleat. De cætero præsentiam eorum non requiri veram, sed sufficere fictam, qualis est, dum absunt, pro servitio Sedis Apostolicæ, vel occasione residendi in proprio Episcopatu, vel alias de licentia Papæ, secus, ac contingit in Episcopis alternativa mensium gaudentibus, tradit Idem Cardinalis. De quo postremo vide me *in foro benef. p.* 2. *qu.* 551. *num.* 6. Porro qualiter etiam in mensibus reservatis dicantur conferre jure ordinario, vide apud me *in foro benef. p.* 2. *qu.* 639. *num.* 2. *in fine*, & *qu.* 640. *num.* 2. qualiter Cardinales collatores Ordinarii non comprehendantur in Regula reservatoria mensium vide *ibid. qu.* 517. Secundo eodem jure ordinario, etiam non Episcopi, recipere possunt Resignationes beneficiorum existentium in suis titulis, quippe in iis possunt destituere beneficiatos. Paris. *de resign. L.* 1. *quæst.* 12. *num.* 9. Idem possunt in Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, quos habent in commendam, non secus ac alii Episcopi possidentes Episcopatum in titulum. Par. *loc. cit.* An vero & qualiter recipere possint resignationes ex indulto, vide apud me *in foro benef. p.* 3. *qu.* 384. *num.* 4. Tertio possunt Ecclesias sibi subjectas (intellige, non tantum jure tituli, sed & jure commendationis vel administrationis) earumque Clericos visitare (etsi ut Mandos. *loc. paulo post citand. n.* 10. Jurisdictionem non habeant in regulares, etiam alias non exemptos in suis titulis commorantes quo ad ea, quæ spectant ad eorum religiosam disciplinam & institutum monasticum) & de eorum causis etiam criminalibus, cognoscere (quod tamen posterius, nempe eos tantum jurisdictionis habere, ut possint causas criminales & civiles cognoscere ac judicare, nisi privilegiis Pontificiis id faciant, cur neget Mandos. *in Reg.* 7. *Cancell. qu.* 2. *num.* 7. apud Azor. *loc. cit.* illi non contradicentem, non video, cum id possint Episcopi) delinquentes & contumaces censuris aliisque pœnis ecclesiasticis coercere. Azor. *loc. cit.* citans Abbatem. Quarto subsidium charitativum exigere. Quinto matrimonii laicorum sibi subjectorum assistere, dareque aliis licentiam iis assistendi. Uti hæc omnia videre est apud Barbos. Dian. *LL. cit.* Wiestner. *h. t. num.* 31. Sexto posse illos uti insignibus Pontificiis, uti & solenniter more Episcoporum benedicere ait Azor. *loc. cit.* citando pro utroque Host. & Jo. And. *in c.* 1. *de suppl. negl. Prælator.* Septimo Cardinales, etiam non nisi Diaconi, dare possunt indulgentias. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 2. *c.* 40. *num.* 2. ex D. Th. *in* 4. *sententiar. dist.* 2. *qu.* 3. *a.* 3. Octavo possunt Cardinales, etiam non Episcopi, in ecclesiis sui tituli ereare Vicarium generalem. Sbroz. *loc. cit. l.* 1. *qu.* 3. *num.* 22. Videntur autem hi eorum Vicarii dici posse Vicarii quasi Episcopales, seu ad instar Vicariorum Episcopalium propter jurisdictionem, quam vice suorum Principalium seu Cardinalium quasi episcopalem exercent. Num vero dici possint, habere idem cum suis principalibus tribunal, sicut habent Vicarii Episcoporum, merito dubitari potest, cum nihil quo ad hoc in Jure dispositum inveniatur, ut dixi *in Vicar. Ep. qu.* 22. Pari ratione constituere possunt Officiales suos & Vicarios in ecclesiis ac monasteriis, quæ in commendam aut alio jure possident. Cardin. de Luca *in Miscellan. dis.* 23. *num.* 12.

2. Resp. secundo. Quod spectat ad potestatem Ordinis, posse Cardinales, saltem presbyteros, in ecclesiis propriis tituli sui (idem videtur de illis quas in commendam habent) saltem ex consuetudine, aut verius ex privilegio (jure communi enim id iis non competere, ait Azor. *loc. cit. qu.* 2.) primam tonsuram & Ordines minores conferre, docent Dian. *loc. cit. resol.* 5. Barbos. *loc. cit. num.* 40. citatis pluribus AA. & Rotæ decisionibus. De causa, consuetudine an exstet, & privilegio num habeant, ipsorum esse videre, ait Idem.

QUÆSTIO DCCCXXXII.

An Cardinalis Vicarius constitutus in Urbe conferre possit beneficia Urbis?

RESp. Id eum sine speciali concessione Papæ non posse, uti dictum a me *in foro benef. p.* 2. *qu.* 682. *num.* 5. de Vicario generali Episcopi. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 8. *num.* 182. citans Rebuff. *tit. de form. Vicar. n.* 64. & 70. Gambar. *de off. leg. l.* 3. *num.* 708. Bald. *in L. aliquando*, *ff. de off. procons.* Secus tamen est de Cardinale Legato Urbis, seu eum, Papa recedente ab urbe posse conferre beneficia intra limites legationis consistentia, etiam Urbis, nisi obstet reservatio, tenet Garc. cum Rebuff. & Bald. *LL. cit.* contra Gambar. *n.* 702.

QUÆSTIO DCCCXXXIII.

An Cardinales Episcopi existentes in Curia conferre possint Parochiales suarum diœcesium sine concursu?

REspondet affirmative Corrad. *in pr. benef. l.* 3. *c.* 8. *num.* 11. citans Germon. *de indult. Cardinal.* vide me *in foro benef. p.* 1. *q.* 206. *num.* 58.

QUÆSTIO DCCCXXXIV.

Quid circa rem beneficiariam possint Cardinales vi indulti ordinarie omnibus intuitu Cardinalitiæ dignitatis concedi soliti, aut etiam extraordinarie concessi?

REsp. De hoc videndum forum benef. *p.* 2. *a qu.* 640. ubi an, quale & quotuplex sit eorum indultum conferendi beneficia, ad quæ beneficia se extendant, vel non extendant istiusmodi indulta, *num.* 642. & *q.* 642. & 741. An & qualiter dimisso Episcopatu pergant vi indulti conferre beneficia illius *qu.* 643. qualiter derogetur illis indultis *qu.* 645. qualiter cessent illa indulta *qu.* 646. An habeant indultum conferendi beneficia vacantia per obitum suorum, *qu.* 546. *num.* 17. Ac denique ad quem fiat devolutio, dum negligit Cardinalis conferre beneficium, quod vi indulti, vel etiam ut Ordinarius collator conferre poterat, vide apud me, *par.* 2. *quæst.* 749.

QUÆSTIO DCCCXXXV.

An jurisdictionem & potestatem suam exercere possint Cardinales ante possessionem vel etiam expeditionem literarum?

REsp. affirmative. Pirh. *ad tit. de elect. num.* 294. *in fine.* Passer. *de election. c.* 33. *num.* 23. citans Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 24. *num.* 7. Barbos. *de off. Ep. alleg.* 111. *num.* 35. Dian. *p.* 5. *Tom.* 2. *resol.* 47. His non obstante *Extrav.* injunctæ de elect. inter communes. Eo quod deficiat, in Cardinalibus ratio illius Extravag. quæ fuit; tollere abusum aliquorum prælatorum, qui volebant, sibi credi super provisionibus sine literis, & sua authoritate more malo concutiebant collegia ad se recipiendum, quæ de S. R. E. Cardinalibus præsumi nequit. Passerin. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCCCXXXVI.

Quid habeant potestatis circa condenda testamenta?

REsp. Cardinales solutos ab omni Religionis professione & regula testari possunt de bonis patrimonialibus, aut etiam propria pecunia, labore, opera & industria, etiam quatenus sunt clerici, acquisitis. Item quæ causa legationis & cujuslibet alterius muneris & officii, quod alioqui sæculares obire consueverunt, compararunt; idque sine consensu Pontificis, uti hæc omnia colliguntur ex *c. relatum*, *c. cum esset*, *c. quia vos*, *de testam.* Item de bonis, quæ quotannis percipere solent ratione pilei Cardinalitii; cum hæc non dentur illis ratione Ecclesiæ vel beneficii ecclesiastici, cui præsunt, sed simpliciter ratione muneris & officii, quo assistendo Papæ funguntur. Socin. *l.* 3. *cons.* 92. Cardin. Alban.

tract.

tract. de Card. qu. 15. contra Barbat. *de praestant. Card. qu.* 3. *c.* 4. In quo tamen consuetudinem Curiæ Romanæ spectandam, eique standum ait Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *qu.* 6. De bonis vero partis ratione dignitatis vel ecclesiæ, cujus est Cardinalis Episcopus, Presbyter, Diaconus aut beneficiarius, testari nequit sine speciali consensu Pontificis. Abb. Jo. And. Anchar. *in c. cum in officiis*, & *in c. quia nos*. Barbat. Azor. *LL. cit.* cum communi. Obtenta autem facultate testandi, testari debet & sufficit juxta formam a Jure Canonico præscriptam, secundum cujus canones, & non secundum leges civiles Cardinalium testamenta metienda. Porro facultate testandi iis concessa absolute roborari testamenta prius jam confecta, tenet Paul. Castrens. Argum. L. *si quis filio*, §. *irritum*, *ff. de inutil. testam.* ubi dicitur, si damnato ad mortem, qui facultatem testandi amiserat, testandi facultas detur, testamentum ab eo jam ante conditum valere. Oppositum tamen tanquam probabilius tenent Socin. *in cit. L. si quis filio*. Jason. *in L. quominus*, *ff. de flum.* quos citat & sequitur Azor. *l. c. qu.* 8. Sic ex Caputq. *decis.* 258. *p.* 3. & Germ. *de indult. Card.* §. *quod in num.* 35. referens judicatum a Rota; eo quod verba, quibus conceditur facultas testandi, utpote futuri temporis, non porrigantur ad testamentum jam ante factum. Ad illud vero, quod allatum a Paulo Cast. respondet, testamentum illud a damnato jam prius factum ideo valere, quia factum eo tempore, quo adhuc habet potestatem testandi; testamentum vero factum a Cardinale ante obtentam facultatem testandi factum, cum is non habebat potestatem testandi, adeoque etiam post obtentam facultatem non valere; cum quod ab initio non valuit, tractu temporis vires habere non potest. Argum. L. *posthumus*, *ff. de injust. testam.* De cætero facultas illa testandi non desinit per primum testamentum, sicut facultas ingrediendi clausuram monialium censetur data ad semel ingrediendum, & hinc post primum ingressum deficit; eo quod testamentum non nisi morte testatoris, confirmatur, & voluntas hominis ultima non sit ante extremum vitæ tempus, adeoque facultas illa per primum testamentum non consummatur, sicut illa facultas ingrediendi clausuram per primum ingressum, ita Azor. *loc. cit. q.* 10. citatis Jo. And. & aliis *in c. non potest*, §. *illud*, *de praeb. in* 6. Bald. *in c.* 1. *vers. deinde quæro tit. de pace Constantiæ*, Tiraq. *in L. boves*, §. *hoc sermone limit.* 17. *ff. de verb. signif.* contra Decium *cons.* 402. & *cons.* 512. Redoan. *tract. de spol. eccles. qu.* 7. &c. Illud speciale circa hanc facultatem testandi Cardinalium habet Azor. *loc. cit. qu.* 9. Quod vim & locum non habeat, nisi relata in publicas tabulas cameræ Apostolicæ ob const. Pii IV. quæ incipit: *Ingens*, & est in ordine 131. qua generatim præcipitur, ut impetrantes privilegia & quascunque facultates a Papa continentes aliquid, quod cameræ Apostolicæ intersit intra tres menses eas curent in dictas tabulas referri, etiamsi Cardinales sint, alioqui nullius sint momenti tam extra quam intra judicium.

QUÆSTIO DCCCXXXVII.

An Cardinales eo ipso, quod Cardinales sint, adeoque ex officio Papæ tanquam adjutores & Consiliarii assistere debeant suis Ecclesiis, in quibus sunt Episcopi, aut a suis titulis abesse possunt.

RESP. Affirmasse id plures cum Jo. And. Host. Butr. *in c. ecclesia vestra*, *de elect.* Oldr. *cons.* 48. Jacobat. *de Concil. l.* 1. *fol.* 37. Andr. Siculo, *tr. de Cardin. qu. ult.* Laudens. *tract. eod. p.* 2. *qu.* 42. & 44. tanquam communem sententiam Jurisconsultorum; eo quod assistendo Papæ, & vel sic ecclesiæ Romanæ matri & capiti ecclesiarum omnium, labore & industria sua cæteris quoque ecclesiis inservire videantur, & vel sic ab iis non abesse censeantur. Verum contrarium, nempe id illos sine indulgentia Papæ legitimis rationibus moti non posse, rectius tenent cum Abbate *in c. bona memoria*, *de postul.* & *c. ex gestis*, *de cleric. non resid.* & *c. ecclesia vestra*, *de elect. num.* 15. Felin. *in c. nonnulli*, *de rescrip. n.* 65. Cajet. 2. 2. *q.* 185. Soto, *de Just. l.* 10. *q.* 3. *a.* 4. Quin & Azor. *loc. cit. q.* 3. ait priorem sententiam, etsi multorum AA. judicio firmatam, defendi non posse amplius post Trident. dum *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* ait: *declarat Sacro-Sancta Synodus omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus ecclesiis quibuscunque quocunque nomine & titulo præfectos, etiam S.R.E. Cardinales sint obligati ad personalem in sua ecclesia residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex causis & modis infra scriptis &c.* Hoc ipsum autem, quod assistendo Pontifici dent operam communi totius ecclesiæ bono, justam præbet causam, ut Papæ indulgentia a suis ecclesiis absint, dum ipsum Trident. *loc. cit.* definit, justas causas, ut Episcopi absint a suis ecclesiis, esse Christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam papæ obedientiam, evidentem Ecclesiæ universalis & Reip. utilitatem. Atque ita necesse est, ut legitime abesse possint, intercurrere Pontificis indulgentiam & concessionem.

CAPUT TERTIUM.

De Potestate & Jurisdictione Patriarcharum Primatum, Metropolitarum, Archiepiscoporum.

QUÆSTIO DCCCXXXVIII.

Quid importent hæc nomina, & quæ eorum, & significatarum per ea dignitatum, origo.

1. RESP. primo in genere. Significant Judices ordinarios ecclesiasticos supremos, qui uno summi Sacerdotii seu Episcopatus ordine comprehenduntur, sola jurisdictionis contemplatione alii aliis eminentiores, ut ait Thomas. *de vet. & nov. Eccl. disciplina*, *p.* 1. *l.* 1. *c.* 3. *num.* 1.

2. Resp. secundo in specie. Et quidem incipiendo a posterioribus. Metropolitæ seu Metropolitani nomen (quod cæteris antiquius ac primum accessisse Episcopali nomini, & quo a Principio illustrius nomen non fuisse in ecclesia, testatur Idem *cit. n.* 1. *juncto nu.* 10.) deductum potius a græco. *Metropolis*, quod præcipuam & aliarum provinciæ civitatum matrem, in qua residere consuevit, sonat, quam a censura seu certo civitatum, quibus præest, numero. Abb. *in c. suffraganeis*, *de elect. num.* 2. Tholos. *c.* 10. *num.* 40. Pirh. *h. t. num.* 15. designat ejus urbis Episcopum, quæ secundum civilem Imperatorum ordinationem totius provinciæ Metropolis & caput est; quæ enim Metropolis civilis erat, eadem & in ecclesia principatum honoris obtinebat Thomas. *cit. num.* 1. Unde & Apostoli a celeberrimis Romani Imperii civitatibus, & a provinciæ cujusque capite Evangelii prædicandi initium fecere. Apostolus Paulus præcipuis tantum civitatibus cujusque provinciæ scripsit. Et S. Joannes in Apocalypsi ad eas tantum civitates calamum mentemque convertit, quæ tunc insignes erant, ita quemadmodum inquit Thomas. *loc. cit. num.* 2. Lux ipsa veritatis a provinciæ cujusque celso vertice in reliquas urbes facilius diffunderetur. Sic Synodus Antiochena *Can.* 9. hoc nomine insignit primum cujusque Provinciæ Episcopum. Nicæna Synodus, quamvis meminerit Romani, Alexandrini, Antiocheni, Jerosolymitani Episcoporum, nullo tamen nomine vel titulo illustriore quenquam illorum ornat quam Metropolitæ. Unde perspicue probatur, ut Thomas. *loc. cit. num.* 4. eos, qui postea Archiepiscopi Exarchi, Patriarchæ appellati, solu tunc Metropolitanorum nomine usos, quamvis spiritualis eorum ditio & jurisdictio latius, quam cæterorum cujusque provinciæ Metropolitanorum pateret.

3. Archiepiscopi nomen deductum a græco ἀρχὸς, quod Summum vel Principem sonat, designat summum seu principem Episcopum, qui pluribus Episcopis alicujus Provinciæ præest; quamvis (minus tamen proprie, spectando hoc ejus Etymon, quod relativum est ad inferiores seu subjectos) dentur hodiedum & vocentur quandoque aliqui Archiepiscopi, etsi nullum sibi subjectum Episcopum habeant; eo quod suffraganei eorum per exemptionem a Papa factam subducti sint eorum jurisdictioni, vel eorum Ecclesiæ annexæ sint Ecclesiæ Metropolitanæ. Azor. *part.* 2. *l.* 3. *c.* 33. *quæst.* 5. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. Pirh. *hoc tit. num.* 13. Quamvis autem Concilium Carthag. 3. cui interfuit S. Augustinus, hoc nomen Archiepiscopi, tanquam novum & sæculi magis fastum ac dominationem redoleret quam modestiam ministro Ecclesiæ convenientem, proscripserit *Can.* 26.

vetue-

vetueritque, ne primæ Sedis Episcopus vocaretur Princeps Sacerdotum seu summus sacerdos, sed tantum primæ Sedis Episcopus, brevi tamen tempore cum novitate hujus nominis evanuit & ejus invidia ac dominationis suspicio, ut inquit Thomas. *num.* 11. Dum apparuit, hæc magnifica nomina *Archiepiscopi*, *Principis Sacerdotum*, *summi Sacerdotis* non aliam originem aut suspicionem habere, quam primæ Sedis Episcopi. Sic enim *Primus* & *Princeps* latine idem sonant, & ille dicitur principem habere locum, qui primum; adeoque qui Primus Episcoporum idem & Princeps Episcoporum. Nihilominus ab Archiepiscopi nomine omnis penitus invidia vix abstergi potuit, nisi aliquanto post, dum in prima Synodo Ephesina. *act.* 1. tributum hoc nomen est primariis totius orbis Episcopis. De cætero licet olim Archiepiscopi vocari solebant Patriarchæ, ut constat ex Justinian. *Novell.* 11. *&* 123. item ex Concilio Matisconens. 2. ubi Archiepiscopus Lugdunensis vocatur Patriarcha, ex *c. conquest.* 9. *qu.* 3. Ubi Patriarcha dicitur Archiepiscopus Bituricensis. Unde etiam factum in Occidente, ut Archiepiscopus Aquileensis citra omnem alias institutionem ex consuetudine acceperit nomen Patriarchæ; quia Episcopi & Presbyteri Dalmatiæ & Istriæ sic eum nominabant, eique parebant tanquam earum provinciarum Archiepiscopo. Licet quoque Archiepiscopi dicerentur Primates, utpote principalium civitatum & primarum Sedium Episcopi. Azor. *cit. l.* 3. *c.* 33. *quæst.* 2. *&* 3. Modo tamen neque Patriarchæ, neque Primates dicuntur amplius Archiepiscopi, Primatum nomine iis solum Archiepiscopis relicto, qui præsunt civitatibus, sub quibus sunt aliæ civitates habentes Archiepiscopos. Azor. *cit. qu.* 3. Licet etiam ex eodem principio, quod nimirum Archiepiscopus idem erat quod Patriarcha vel Primas, Archiepiscopi dicantur a Cujacio *ad Novell. Justinian.* 2. Et Isidoro dicantur esse dignitate majores Metropolitanis; modo tamen, dum Archiepiscopi vocari desierunt Primates aut Patriarchæ, *Archiepiscopus* & *Metropolitanus* idem sonant. Azor. *cit. c.* 33. *qu.* 4. His non obstante, quod, ut ex Balsamone Thomas. *loc. cit. c.* 43. *n.* 12. apud Græcos differebant Archiepiscopi a Metropolitanis, quod his parebant complures episcopi, Archiepiscopis nulli, hoc uno conspicuis præ Episcopis, quod & ipsi nulli Metropolitano essent obnoxii.

4. Ut Exarchi diæceseon dicerentur majores illi Metropolitæ, qui pluribus aliis Metropolitis minoribus præfecti erant in Oriente jam tum circa tempora Concilii Ephesini I. usu receptum fuisse, testatur Thomas. *loc. cit. num.* 12. Ubi illud notandum, quod plurium tunc provinciarum sub uno capite consociatio dicebatur diæcesis, & quas nunc diæceses dicimus, eas tunc compellaras parochias fuisse. Fuisse Exarchis jurisdictionem in & supra Metropolitanos, constat ex eo, quod Calcedonensis Synodus *Can.* 9. decreverit, ut si clerico vel etiam Episcopo lis sit vel causa aliqua cum Metropolitano, possit ea referri ad Exarchi judicium. Fuisse quoque Exarchorum nomen quandoque confusum cum nomine Patriarcharum, constat ex eadem Synodo Calced. dum ibi Magistratus civiles, qui aderant, Exarchos diæcesium afficerent nomine Patriarcharum & Socrates, *l.* 5. *c.* 8. Exarchos diæceseon, aut communionis Catholicæ Principis vocet Patriarchas. De cætero Patriarcharum vocabulo græco summum patrem seu patrum & Episcoporum Principem denotante, jam tum olim veniebant ii, qui non unius tantum provinciæ, aut etiam aliquarum provinciarum, sed plurium, seu Regnorum integrorum & Imperii Episcopis, Archiepiscopis aut Metropolitanis, quin & Exarchis præfecti. Sic enim ait Thomas. *loc. cit. c.* 7. *num.* 1. ad stabiliendam pacem & disciplinam ecclesiasticam necessarium erat institui Exarchos & Patriarchas, qui Metropolitanis præessent, ut in Diæcesana, hoc est, nationali Concilio de iis judicarent, quæ in provinciali dirimi non poterant, eo quod comprovincialium suffragia diversa essent, vel lis esset cum ipsis Metropolitanis, aut Metropolitanis inter se, eoque res tandem devenit, ut & caput aliquod supra Exarchos staturetur, nempe Patriarcha; idque sine injuria Canonum Nicænorum, ubi nullum agnoscebatur supra Metropolitanos tribunal. Hoc Patriarchæ nomen usurpatum primo in citata Synodo Calcedonensi, ubi *act.* 3. libelli 4. supplices lecti sic inscribuntur: *Leoni Archiepiscopo universali & Patriarchæ œcumenico.* Uti & tributum illi, & quidem soli in lætis acclamationibus ejusdem Concilii: *Leoni Patriarchæ multi anni.* Atque ita Patriarchæ nomen a Romanis Pontificibus ortum duxisse, & dein aliis Exarchis & Primatibus collatum esse, ait Thomas. *cit. c.* 3. *num.* 14. Sic ut vertente sæculo quinto quinque præcipuis Ecclesiæ principibus fuerit commune, nempe Romano Pontifici Basilicæ Lateranensis Patriarchæ *Can.* 1. *dist.* 23. Ac cæterorum Patriarcharum Principi. *C. antiqua de privileg.* tripliciter enim Papa spectari potest; primo tanquam summus ecclesiæ pastor & caput, Christique in terra Vicarius, suprema in omnes totius orbis Ecclesias potestate præditus. Dein & Urbis Romanæ Episcopus, & eatenus tanquam Archiepiscopus habens sibi subjectos aliquos Vicarios Episcopos. Ac tertio tanquam totius Occidentis Patriarcha. Et sic spectato illi confertur, *in Can.* 6. Concilii Nicæni Patriarcha Alexandrinus; nimirum ut sicut Alexandrinus omnibus in Ægypto, Libya & meridie, Antiochenus omnibus in Oriente, ita Romanus Patriarcha qua talis omnibus in Occidente cum simili potestate præsit, nequaquam vero parificantur a dicto Concilio duo illi Patriarchæ absolute authoritate & potestate episcopo Romano, uti illum Canonem explicat ex Theodoreto & Theodoro Balsamone Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 36. *qu.* 8. quem vide. Cæterisque, nempe Antiocheno, Alexandrino Jerosolymitano & Constantinopolitano. *Can. renovantes*, *&* *Can. fin. dist.* 22. Quorum singulis quænam Parochiæ subjectæ fuerint, & quot Archiepiscopi seu Metropolitæ & Episcopi, videre est apud Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 35. *q.* 5. Et Guiliel. Tyrium, *de bello sacro c.* 11. *num.* 22. His non obstante, quod a Nicol. II. *ad consulta Bulgarorum*, *c.* 92. præter Romanam referantur tantum duæ Sedes Patriarchales, Antiochena & Alexandrina. Siquidem loquitur de iis, quæ antiquioribus temporibus habebantur pro veris tantum Sedibus Patriarchalibus, nimirum ab ipso B. Petro institutis, quales erant Antiochena primum dum Romana & Alexandrina fundata a S. Marco Evangelista Petri discipulo. Barbos. *Jur. Eccles. l.* 1. *c.* 6. *num.* 13. *&* 19. Dum interim Ecclesia Hierosolymitana prius circa annum 500. evecta ad Patriarchalem; de Constantinopolitana incertum, quando constituta Patriarchalis, & cœperit primum locum accipere post Romanam, vide de hoc Azor. *cit. c.* 36. *quæst.* 4. Multum olim quatuor Patriarchæ majores, uti dignitate sic & potestate & jurisdictione supra Metropolitas & Archiepiscopos, quin & Exarchos sibi subditos præeminebant, dum horum graviora negotia majoresque causæ, quæ etiam, ut ante dictum ex Thomasin. in Conciliis provincialibus decidi non poterant, deferebantur, salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ authoritate. Subjectarum illis provinciarum Metropolitæ ab eis pallium recipiebant, *cit. c. antiqua*, adeoque a Metropolitanis, & his præteritis, ab Episcopis fieri poterat appellatio, *cit. c. antiqua*, erantque Judices Ordinarii Episcoporum & Archiepiscoporum, quos etiam justa ex causa deponere poterant. Argum. *c. nos antiquus dist.* 65. juncta Glos. *vers. parvlos*, *&* *Can. quod suspecti*, 3. *qu.* 5. De quibus omnibus in particulari, puta, de singulorum harum patriarchalium Sedum origine, præeminentia, potestate, tam per antiquiora quam posteriora sæcula, usque dum occupatis ab infidelibus eorum provinciis, hi patriarchatus ad Schismaticos sub jugo dictorum infidelium viventes devenerunt, nudis eorum titulis sine subditis hodiedum adhuc in Ecclesia Catholica perdurantibus, videri potest Thomas. *l.* 1. *c.* 8. *ad c. fere* 27. fuse ac erudite tractans. Item Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 36. *a q.* 4. præter majores hos patriarchas dantur hodiedum adhuc patriarchæ quidam minores degentes quoque inter eosdem infideles plerique Schismatici variisque erroribus imbuti, puta Cophtorum, Jacobitarum, Maronitarum, Armeniorum, Russorum. perseverat quoque hodiedum patriarchatus Venetiarum, primitus ante adventum Longobardorum in Italiam dictus Aquileensis. *Can. nunc vero*, 9. *quæst.* 3. Dein expugnata a Longobardis Aquileja, & patriarcha illius Paulino fugiente Gradum, ejusque successoribus deinceps ibidem commorantibus, Elia Patriarcha Aquilejensi ad annum 1180. teste Sigonio *de bello Italico*, *l.* 1. impetrante a Pelagio II, ut Sedes episcopalis quoque Gradum transferretur, uti ita ab eo tempore Gradensis Ecclesia Venetæ oræ ecclesiarumque Istriæ facta caput. *Can. erubescant* 11. *dist.* 32. *c. ex literis de off. deleg.* Ac denique ad annum Christi 1441. a Nicolao V. Patriarchatu hoc translato Venetias, dictus est Patriarcha venetus. His denique annumerandi duo Patriarchatus, quos erexit Paulus III. nimirum Indiarum & Æthiopiæ, de quibus videri potest Barbos. *Jur. eccles. l.* 1. *c.* 6. *a num.* 40. De cætero, quid intelligatur per quinque Patriarchales ecclesias Romæ constitutas, videri potest apud Azor. *cit. c.* 36. *q.* 10.

5. Primates, quanquam a Patriarchis, saltem minoribus, potius nomine & titulo, quam officio & potestate differre voluit Azor. *loc. cit. quæst.* 2. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. & hos secutus Wiestner. *hoc tit. num.* 45. & Archiepiscopos obtinentes Metropoles potentiores & majores, sicut dicuntur Primates, sic etiam dici Patriarchas ab aliquibus; modus tamen ille loquendi minus usitatus videtur; quin & Primates qua tales in alios Episcopos & Archiepiscopos ejusdem provinciæ præter eminentiam & præcedentiam jurisdictionem aliquam & potestatem, sicut Metropolitani habent in subjectos sibi suffraganeos, hodiedum

dum

dum saltem habere non videntur, nisi forte ex consuetudine aliqua aut speciali privilegio. Sic v. g. in Germania, ubi viget electio Episcoporum & Archiepiscoporum, in Salisburgensi provincia reperiri adhuc Episcopatus ita subjectos Salisburgensi Archiepiscopo (qui modo primas est Germaniæ) ut eorum Episcopi a suis Capitulis electi ab illo teneantur petere confirmationem, testatur Laym. *in c. ne pro defectu de election. num. 6. in fine*. Sic ab Archiepiscopo seu Metropolitano, si is primati subjectus est, negligente conferre beneficia fieri devolutionem ad primatem, vel etiam ad Patriarcham, asserunt Pirh. *tit. de concess. præb. num. 34.* Azor. *loc. cit. c. 36. qu. 3.* citans *c. cum simus*, *9. q. 3.* Castrop. *de benef. tr. 13. d. 2. p. 34. num. 2.* Lotter. *de re benef. l. 2. q. 24. num. 43.* quamvis *num. 44.* ex Rebuff. *in pr. tit. de devolut. num. 23.* dicat, illud de Patriarcha minus receptum esse. Sed ex consuetudine vel privilegio causas deferri (intellige per modum querelæ contra Archiepiscopos) ad primatem, ait Azor. *cit. qu. 3.* citans *Can. si clericus*, *11. quæst. 1.* aut per appellationem ut Wiestn. juxta *Can. 2. dist. 99.* Porro in hac Sacrarum Ecclesiæ dignitatum serie illud certum, principatum tum Episcoporum in propriis diœcesibus, tum Papæ supra omnes Episcopos orbis niti jure divino. Metropolitanorum, Exarchorum, Patriarcharum authoritas originem ducit ab institutione ecclesiastica. Thomass. *loc. cit. c. 7. num. 3.* His non obstante, quod Metropolitanarum & Patriarchalium Ecclesiarum, saltem aliquarum, Conditores fuerint Apostoli, ut ostendit Idem *c. 3. num. 2. & 3.*

QUÆSTIO DCCCXXXIX.

An & qualem jurisdictionem habeat Archiepiscopus seu Metropolitanus in Episcopos suffraganeos seu Coepiscopos sui Archiepiscopatus?

RESP. In omnes suæ provinciæ Episcopos non exemptos seu suffraganeos (sic dictos, quia in consecrationibus Episcoporum, in Conciliis provincialibus aliisque negotiis suffragantur Archiepiscopo, *c. suffraganeis*, *de elect. c. 1. de foro compet. in 6.* habet jurisdictionem ordinariam, estque immediatus & ordinatus illorum superior & Judex, ita ut super eorum subjectione causarumque illos concernentium cognitione præter casus specialiter exceptos intentionem jure communi fundatam habeat. Unde etiam eis præcipere potest, quæ ad eorum officium spectant, & negligentes ad executionem & officium præstandum compellere; puta, ut in ecclesiis suis resideant, justitiam subditis suis administrent, Synodus debito tempore celebrent &c. *Can. 1. & seq. caus. 9. quæst. 3. c. pastoralis*, *h. t.* & *ibi* Abb. *num. 2.* Barbos. *Jur. Eccles. l. 1. c. 7. num. 18.* Pirh. *hoc tit. num. 34.* Azor. *loc. cit. c. 34. quæst. 9.* cum communi. Ita etiam, ut ampliorem jurisdictionem habeat in subjectos Episcopos, quam in Clericos & Laicos suorum suffraganeorum, ut patebit ex sequentibus, Azor. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCCCXL.

Quid in specie potuerint olim & modo possint Metropolitani circa cognoscendas & judicandas causas suorum suffraganeorum?

1. RESP. primo. Jure antiquo poterat Metropolitanus suffraganeorum suorum causas criminales & indistincte civiles omnes cognoscere ac definire, ac propterea tam a Clericis quam laicis apud illum conveniri poterant suffraganei. *c. pastoralis*, *h. t.* & *ibi* Abb. *num. 2. c. sollicitudinem de appellat.* Azor. *part. 2. l. 3. c. 34. num. 9.* Quin & poterat reos punire, *c. quia cognovimus*, *10. qu. 3.* Azor. *loc. cit.* Reiffenst. *h. t. num. 35.* Quanquam nec tunc in causis criminalibus majoribus, quæ privationem seu depositionem merebantur, procedere contra suffraganeos, eosque removere ab officio & ministerio poterant; sed hæc ipsa cognitio, uti & illud pœnæ genus reservabatur Papæ. *c. quamvis*, *7. caus. 3. qu. 6. c. frater*, *52. caus. 16. qu. 1.* Abb. Azor. Pirh. *LL. cit.* De cætero quænam sint crimina, quæ cognoscere & judicare poterat, enumerat Gl. *in c. pastoralis*, & *in c. conquestus*, *9. q. 1.*

2. Resp. secundo. Hodiedum adhuc nequit de causis criminalibus majoribus suffraganeorum suorum privatione aut depositione dignis cognoscere, utpote quæ cognitioni & judicio Papæ reservantur. Et si talis sit causa, quæ necessario extra Curiam Romanam sit committenda, nemini ea committenda, nisi Metropolitanis aut Episcopis a Papa eligendis, & quidem commissione speciali & manu ipsius Pontificis signata. Qua tamen plus nunquam tribuitur dictis delegatis, quam ut solum instructionem sumant, processumque conficiant statim ad Papam transmittendum, reservata eidem sententia definitiva, prout hæc statuuntur a Trident. *sess. 24. c. 5. de reform.* Unde jam Concilium generale nequit formare hunc processum contra Episcopum ad effectum transmittendi illum ad Papam; quia vult Trident. ut non solum definitio, sed etiam cognitio sit solius Papæ. Gallemart. *in declarat. ad cit. c. Trident.* testans, sic censuisse S. Congregat. 8. *Octob.* 1585. Sed neque Episcopus citatus a quocunque Judice Papa inferiore in causa criminali majore comparere aut respondere (intellige, etiam per alium) teneatur, nisi exhibita illi prius dicta speciali commissione a Papa facta. Barbos. *de off. & potest. Episcop. alleg. 112. num. 5.* Paris. *de resignat. benef. l. 1. quæst. 10. num. 4.* Pirh. *h. t. num. 14.* De cætero, pro ut statuit Trident. *sess. 13. cap. 1.* Episcopus nequaquam monendus aut citandus, ut personaliter compareat, etiamsi ex officio aut per inquisitionem seu denunciationem vel accusationem, aut alio quovis modo procedatur, nisi ob causam, ex qua deponendus vel privandus veniret. Quod ipsum Concilii decretum intelligendum, ait Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gl. 41. num. 5.* apud Gallemart. *in remiss. ad cit. c. 6. Trident.* De Episcopis non residentibus, quod ii citari possint seu moneri ad comparendum ob causam, ob quam veniunt deponendi. Episcopi autem residentes, etiamsi sit causa atrocissima. V. gr. hæresis aut læsæ Majestatis minime citari possunt ad comparendum personaliter per quoscunque Judices ordinarios vel delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, nisi de expressa ac speciali commissione manu Papæ signata. Sed neque causas criminales minores suffraganeorum cognoscere potest Metropolitanus extra Concilium provinciale, sed eæ, pro ut statuit Trid. *cit. c. 5.* tantum cognosci ac terminari debent in dicto Concilio, vel a deputandis per Concilium provinciale, quos necesse est esse Episcopos. Porro hi eas etiam dissoluto Concilio; si jam cæptæ erant ab illis ante dissolutionem cognoscere ac terminare possunt, secus si durante Concilio cæptæ non fuerunt.

3. Resp. tertio. Quamvis idem quoque dicendum de causis civilibus Episcoporum suffraganeorum, quod in iis Archiepiscopus hodiedum esse non possit Judex, sentire videatur Barbos. *Jur. Eccles. l. 1. c. 7. num. 46.* allegans pro hoc declarationem quandam Sac. Congr. Cardin. præpositor. negot. Episcopor. & Regular. contrarium tamen, nimirum Episcopos in causis mere civilibus coram Metropolitano conveniri posse adhuc hodiedum sentiunt Engels *ad tit. de major. & obed. num. 28.* Reiffenstuel. *hoc tit. num. 38.* Wiestner. *h. t. num. 54.* De dicta declaratione Sac. Congr. dubitantes, quamdiu ea in authentica forma non exhibetur; eo quod a Concilio Trident. nihil circa causas civiles immutatum reperiatur, adeoque jus commune antiquum, vi cujus actor forum rei sequi tenetur, & hunc convenire coram Judice ejus ordinario, qualis respectu Episcoporum suffraganeorum est Metropolitanus, *cit. c. pastoralis*, *h. t.* immutatum manet. Argum. *L. præcipimus. Cod. de appell. in fine*, ubi: *quidquid hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant.* Quin & cum Trident. solas causas criminales excipiat seu subducat Archiepiscoporum cognitioni & definitioni, juris antiqui dispositionem de causis civilibus potius confirmet. Unde etiam ait Wiestner, sibi non constare, utrum penes dictam Congregat. sit potestas illa, dispositionem illam Trident. juris antiqui correctoriam ab expressis ad non expressas; & illis oppositas causas extendendi.

QUÆSTIO DCCCXLI.

An & qualiter per censuras procedere possit Metropolitanus ejusque Vicarius aut delegatus contra Episcopos suffraganeos suos.

1. RESP. ad primum. Potest Metropolitanus procedere per censuras ecclesiasticas contra suffraganeos suos, tanquam Judex eorum ordinarius, eosque negligentes per illas compellere ad exequendum ea, quæ ad officium eorum spectant. V. g. ad administrandam justitiam, ad celebrandas suis temporibus Synodos, ad erigendum seminarium, & alia præstanda, prout statuit Trident. *sess. 23. c. 18.* Azor. *par. 2. l. 3. c. 34. qu. 9. §. absolvit.* Pirh. *h. t. num. 15.* Wiestner. *hoc tit. num. 51.* citans Quarant. *in sum. Bullar. vers. authoritate*

sate Archiepisc. n. 19. Reiffenst. h. t. n. 35. citans Barbos. *Jur. Eccles. c. 7. n. 18.* Servata tamen forma præscripta *c. quia pontificali, de off. deleg. in 6.* ut nimirum in infligendis pænis contra eos procedant gradatim.

2. Resp. ad secundum. Nequit tamen Vicarius generalis Archiepiscopi, dum hic est in provincia aut non procul, hoc est, ad duas dietas legales ab ea absens, ut notat Gl. *in c. 1. h. t. in 6. v. circa illam*, contra suffraganeos procedere per censuras; idque ob reverentiam officii & dignitatis Episcopalis, pro ut statuitur *cit. c. 1.* ita ut sententia seu censura ab Officiali seu Vicario Archiepiscopi lata in Episcopum suffraganeum non tantum sit illicita & injusta, sed etiam invalida, ut tenent probabilius Jo. Monach. *in cit. c. 1. a n. 11.* Laym. *ibid. num. 3.* Pirh. *cit. num. 15.* contra Gl. *ibid. v. non attentent*, & Ancharan. *§. quaero si contra*. Cum Vicarius Archiepiscopi vel Episcopi non habeat potestatem agendi quicquam, nisi quod illi a jure communi vel ex speciali voluntate Episcopi eum constituentis ei committitur seu conceditur: jam vero jure communi non tam concessum quam denegatum Vicario Archiepiscopi, ferre censuras contra Episcopum suffraganeum. Sed neque contra hanc juris communis prohibitionem id ei concedere potest Archiepiscopus.

3. Resp. ad tertium. Delegatus tamen Archiepiscopi potest in suffraganeum episcopum ferre censuras. Jo. Andr. *in cit. c. 1. num. 4.* Laym Pirh. *LL. cit.* contra Gloss. *fin. ibid.* Ratio disparitatis est, quod ex una parte talis delegatus in illa delegationis causa fungatur vice Archiepiscopi Judicis Ordinarii suffraganeorum, adeoque iis potestate superior, etsi Ordine inferior; ex altera parte id delegatis Archiepiscopi non sit a jure prohibitum, uti est eorum Vicariis. Accedit & alia ratio disparitatis, nimirum quod a Vicario generali Archiepiscopi ad Archiepiscopum appellari nequeat, quia est idem utriusque tribunal. *c. Romana de appell. in 6.* a delegato vero, si injuste gravet, appellari possit ad Archiepiscopum, a quo etiam in causa commissa habet tribunal diversum. Unde etiam Laym. & Pirh. *LL. cit.* probabiliter inferunt, Vicarium generalem Archiepiscopi in causa ei specialiter delegata ab Archiepiscopo posse valide ferre censuram in Episcopum suffraganeum; quamvis addant, non debere Vicarium, etiam ut delegatum, eam potestatem exercere, nisi necessitas, intellige gravis & specialis, id exigat.

QUÆSTIO DCCCXLII.

Quid potestatis & juris olim competierit & modo competat Metropolitanis circa electionem, confirmationem & consecrationem suffraganeorum suorum.

1. RESP. primo. Electioni Episcoporum præesse electos confirmare & ordinare primarium & palmare Metropolitæ, Exarchicæ & Patriarchalis amplitudinis jam tum per quinque priora Ecclesiæ sæcula jus erat. Unde & alia Metropolitanorum nomina & privilegia profecta, ut Episcoporum parentes, Magistri & Judices essent & dicerentur. Thomas. *part. 1. l. 2. c. 40. num. 1.* Sic itaque primo teste eodem primæ partes in electionibus tribuebantur Metropolitanis vel ab ipsis constitutionibus Apostolicis, nimirum *l. 8. c. 4.* Sic habet *Can. 19.* Concilii Antiocheni, ut quoties novus eligendus Episcopus, Metropolitani sit convocare omnes provinciæ Episcopos. Sic *Can. Nicæna Synodi IV.* statuit, Episcopum ab omnibus, si fieri possit, provinciæ Episcopis eligi, ita tamen ut authoritatis principatus penes Metropolitanos resideret. Quin & *Can. 6.* ejusdem Synodi dicitur: *si quis præter sententiam Metropolitani factus fuerit Episcopus, hunc magna Synodus definiit, Episcopum esse non oportere &c.* Sic etiam Leo M. *in Epist. sua 84. c. 5.* ait, Metropolitani judicio relinqui, ut dum vota non conveniunt, sed diversa sunt, præferri illum, qui majoribus & studiis juvatur & meritis. Unde Hincmarus circa tempora Caroli M. Rhemensis Archiepiscopus scribens ad Laudensem Episcopum nepotem suum, *l. 55. capitum c. 6.* ait: *si fuerit defunctus Episcopus, ego, & non tu, visitatorem ipsi viduatæ designabo ecclesiæ, electionem cum decreto Canonice præcipiam fieri, & si in partes se eligentium vota diviserint, meum & non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur & meritis; & meum est ordinandum examinare &c.* Secundo pari modo spectabat ad Metropolitanum confirmare, quorum ipse electioni præfuerat, aut quos eligi fecerat Episcopos. Connexa enim erant hæc jura, Episcopos eligendi, examinandi confirmandique. Thomas. *l. c. c. 47. num. 1.* Quamvis negari non possit, spectasse etiam quandoque olim Episcoporum canonice electorum confirmationem ad ipsum Papam. *Can. 1. dist. 22. c. quanto 10. dist. 63.* Et ex ejus permissione dein spectasse ad Metropolitanos, & horum confirmationem ad Primates vel Patriarchas, *c. qui Episcopus 2. dist. 23. c. cum dilectus, de elect.* Tertio jam tum ab ipsis Ecclesiæ exordiis nonnunquam, imo plerumque Episcoporum ordinatio non ad Metropolitanos, sed ad Patriarchas vel Exarchos spectabat teste Thomas. *c. 48. num. 9.* Deinceps tamen, ut ait Idem *c. 47. num. 1.* Princeps & primaria potestas Metropolitani erat, ut Episcopos suos ipse ordinaret prævio accuratissimo examine. Constatque ex *Epist.* Alexand. II. ad Gervasium Rhemensem Archiepiscopum, in qua grassantem in Ecclesia simoniam imputando Metropolitanorum negligentiæ, ait: *quod totum Archiepiscopis imputamus; nemo enim Simoniacus emptionem iniret, si se consecrandum desperaret; sed quia Archiepiscopi sine discretione consecrant, multi indiscrete ad Episcopatus aspirant.* Item ex ipso jure decretalium *c. 2. de transl. Episcopor.* ubi: *Episcopi a Metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt*, & *c. 7. de temp. Ordin.* ubi: *ne Episcopi sine Metropolitani permissu, nec Metropolitanus sine tribus vel etiam duobus Episcopis comprovincialibus præsumat Episcopum ordinare*, *c. si Archiepiscopus, tit. eod.* Ubi statuitur, ut si vacare incæperit Sedes episcopalis, Archiepiscopus tres designet ex Episcopis provinciæ, qui ordinent electum, idque, si necesse fuerit, ita ut Papa non patiatur delegari ad consecrandum suffraganeum, nisi urgeat necessitas. Quin & aliquando Archiepiscopus Turonensis, dubitans, num hanc consecrationem delegandi facultatem usurpare possit morbo aliove impedimento justo distentus, eam petiit ab Innocent. III. ut constat ex *c. quod sedem, h. t.* Quamvis tamen etiam cessante justo impedimento Metropolitanus, etiam non suffraganeo suo, committere possit munus consecrandi Episcopum provincialem; cum de jure communi delegare possit pro arbitrio suo tam ea, quæ sunt jurisdictionis, quam quæ sunt Ordinis. Unde dum *cit. c. quod sedem.* Dicitur de impedimento, id non ita accipiendum, quasi juste non impeditus non possit id committere, sed quia magis decens est, ut juste non impeditus per seipsum consecret, etsi id absolute non sit necessarium. Hostiens. *in cit. c. vers. in tali articulo.* Abbas, *ibid. num. 3.* Pirh. *hoc tit. num. 19.* ubi etiam cum Abbate, *num. 2.* & Glos. quod possit Archiepiscopus compellere suum suffraganeum ad suscipiendum munus consecrandi. Denique hanc ipsam ordinandi Episcopos Metropolitanorum potestatem valde confirmat Innoc. I. *Epist. 2. c. 1. Epist. 13. c. 2. & Ep. 18.* scribens ad Antiochenum Patriarcham, ut Metropolitanos quidem sua ipsa manu ordinet, ordinationem vero Episcoporum ipsis relinquat. Item a Bonifacio *Epist. 3.* & Cælestino *Epist. 2. cap. 4.* Episcopum electum consecrandi potestas uni Metropolitano vindicatur teste Thomas. *part. 1. l. 1. c. 40. num. 13.* Cur vero deinceps hoc officio suo & potestate consecrandi Episcopos ut plurimum destituti sint Metropolitani, vide apud eundem Thomas. *loc. cit. c. 48. per totum*, id in propriam eorum culpam rejicientem.

2. Resp. secundo. Hodiedum tamen neque electio, neque confirmatio, neque consecratio Episcoporum spectat amplius ad Metropolitanos; sed hi vel ad nominationem Regum & Principum, vel citra eam immediate a Papa instituuntur. Et ubi adhuc viget mos, ut a Collegiis Canonicorum eligantur, uti contingit in Germania, Archiepiscopus nihil habet amplius juris in dicta electione, aut etiam circa electorum confirmationem, sed ea fit a Pontifice juxta concordata Germaniæ, *§. item placet.* Azor. *part. 2. l. 6. c. 16. quæst. 7.* Laym. *in c. postquam, de elect. num. 3.* Nisi quod dictum supra ex eodem, spectare adhuc hodiedum ex jure singulari aliquo aut privilegio confirmationem quorundam Episcoporum suffraganeorum ad Archiepiscopum Salisburgensem. Neque circa consecrationem, sed ea fieri potest a Vicario aliquo Episcopo, cui duo alii Episcopi saltem titulares, assistant. Laym. *in c. quod sedem hoc tit. num. 2.* Pirh. *hoc tit. num. 19.*

QUÆSTIO DCCCXLIII.

Quid potestatis habuerit olim, & modo habeat Metropolitanus circa convocationem & celebrationem Conciliorum provincialium?

1. RESP. primo. Convocandi Concilii provincialis eique præsidendi jus erat penes Metropolitanum. *Can. 14. Concil. Antiocheni.* Et quidem penes illum solum. *Can. 20.* ejusdem Concilii, ubi: *nec ulli liceat Synodos per se facere*

prater

præter eos, quibus credita sunt Metropoles. Neque Concilium verumerat & germanum, nisi ubi præsidetet Metropolitanus juxta *Can.* 16. dicti Concilii.

2. Nihilominus ei Concilio non præsidet tanquam Concilio congregato superior & caput, exercens in illud jurisdictionem, qualiter Episcopus præsidet in Synodo diæcesana, & Papa in Concilio œcumenico, *c. significasti, de elect.* sed tanquam conjudex & collega episcoporum comprovincialium; adeoque velut Decanus ecclesiæ Cathedralis Collegio Canonicorum. Unde etiam sicut Capitulum habens ex consuetudine aut alias jurisdictionem, eam exercere potest in singulos Canonicos, etiam in Decanum; ita etiam Concilium provinciale habens jurisdictionem in singula Concilii membra eam exercere potest etiam in præcipuum ejus membrum Archiepiscopum, singulis de Concilio superiorem, toti tamen Concilio inferiorem & subjectum (uti id ex eo confirmatur, quod a Metropolitano tanquam inferiore ad Concilium provinciale tanquam superiorem appellari possit, ut Gl. fin. *in c. penult. de appell. in* 6. Pirh. *hoc tit. num.* 16. Nav. *l.* 1. *de major. & obed. consil.* 6. *num.* 4.) etiam non tantum inquirendo in ejus excessus, cumque de iis admonendo, & obsecrando, ut ab iis desistat, ut decrevit Concil. Basiliens. *sess.* 15. sed & judicando, exceptis causis majoribus Sedi Apostolicæ reservatis, quin & puniendo, excommunicando. Pirh. *loc. cit.* citans Sanch. *de matr. l.* 8. *disp.* 17. *num.* 36. Nav. *ubi ante*. His non obstante, *c. grave, de præb.* cum delictum illud Metropolitani, de quo ibi specialiter sibi reservans Papa noluit ob reverentiam dignitatis Archiepiscopalis puniri a Synodo provinciali, ut cum Sanch. Pirh. *LL. cit.* Unde jam etiam, postquam authoritate Metropolitani convocatum semel coaluit Concilium provinciale, non potest solius Metropolitani voluntate dirimi & solvi, sed tantum de consilio & consensu cæterorum Episcoporum. Neque inconsultis episcopis potest Metropolitanus indicere silentium, Episcopos admittere vel excludere, scripta aliqua legenda dare. Ac denique, cum in tali Concilio omnia ex sententia Metropolitani & consensu episcoporum comprovincialium sint facienda & statuenda, si aliud Metropolitanus, aliud episcopi sentirent, præpondarabit episcoporum consensus, eo quod decisivo suffragio omnes gaudeant, omnesque fungantur Judicum officio, adeoque suffragiorum majore numero omnia definienda sint. Uti hæc omnia juxta S. Congr. declarationes ex Fagn. *in l.* 5. *decretal part.* 2. *pag.* 139. & *in l* 1. *part.* 2. *pag.* 538. refert Thomas. *cit. c.* 47. *num.* 4. Sed neque statuta provincialia citra consilium & consensum suorum comprovincialium condere potest, adeoque hunc in finem cogere debet Concilium, *cap. nullus caus.* 9. *qu.* 3. Pirh. *loc. cit.* Neque etiam decreta in Concilio revocare, immutare, aut etiam in iis dispensare potest, ut Sanch. & Pirh. *LL. cit.* Porro Concilium provinciale Metropolitanus cum suis episcopis suffraganeis olim quotannis bis celebrare debebat, *c.* 5. *& seq. dist.* 18. postea singulis annis semel, *c. quoniam, dist. c. c. sicut, de accusat.* novissime autem jure Trident. *sess.* 24. *c.* 2. non nisi singulis trienniis a Metropolitano, euque impedito, ab antiquiore episcopo cogendum, ad quod episcopi omnes convocandi, & venire tenentur; & inter hos etiam episcopi exempti, seu Metropolitano non subjecti ad Concilium provinciale alicujus Metropolitani, quem ipsi semel elegerint, accedere tenentur, pro ut statuit Trid. *loc. cit.* Item de jure vocari & venire tenentur Prælati episcopo inferiores habentes jurisdictionem quasi episcopalem intra aliquam provinciam. Azor. *part.* 2. *l.* 3. *c.* 47. *qu.* 2. Pirh. *h. t. n.* 17. Argum. *c. convenientibus* 1. *qu.* 7. *& c. Hadrianus, dist.* 53. Idem admittendi cum authoritate definiendi seu ferendi suffragium Legati episcoporum legitime impeditorum, cum hi locum teneant & vice episcoporum fungantur. Azor. *l. cit.* Item & alii ex legitima consuetudine interesse possunt, quin & vocandi, & vocem decisivam in eo habere, cum definire & subscribere in Conciliis etsi de jure tantum competat episcopis (quod voluisse tantum videtur Papa *in c. grave, de præb.* dum ait, nullos alios præter episcopos ad Synodum provincialem vocari debere, aut in ea definiendi jus & potestatem habere, cum Canones loquentes de his Synodis dicant esse Concilia episcoporum) non est tamen actus Ordinis episcopalis, sed jurisdictionis, quæ etiam non episcopo ex consuetudine competere potest. Azor. *loc. cit.* Invitari quoque debent Capitula ecclesiarum Cathedralium, *c. ult. de his quæ fiunt, a Præl. sine cons. Capitul.* non tamen sicut episcopi coguntur ad veniendum, præscindendo a consuetudine. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. c. ultim. num.* 2. Comparere autem possunt per procuratores, cum non tam facile singuli Canonici accedere possint: iidem *LL. cit.* De cætero possunt & alii Prælati episcopis subjecti vocari ad tale Concilium cum obligatione comparendi, absque eo, quod vocem decisivam habeant. V. g. ut ad objecta delicta respondeant, vel etiam ob ea puniantur. Abb. *in c. grave, num.* 4. Pirh. *loc. cit.* De quibus vero tractandum in Synodis provincialibus, vide apud Azor. *loc. cit. qu.* 7.

QUÆSTIO DCCCXLIV.

Quid possit Metropolitanus circa visitationem diæcesium suorum Suffraganeorum?

RESp. Potestatis & officii Metropolitanorum jam tempore D. Augustini fuisse, circumlustrare seu visitare Episcopatus suæ provinciæ, ex variorum Conciliorum Africanorum Canonibus ostendit Thomas. *de vet. & nov. Ecclesiæ discipl. p.* 2. *l.* 3. *c.* 77. *a num.* 1. Et quamvis teste eodem *part.* 1. *l.* 1. *c.* 48. *num.* 13. Prioribus ecclesiasticæ disciplinæ florentis sæculis inauditæ & rarissimæ comperiantur provinciarum per Metropolitanos factæ visitationes, & *p.* 2. *l.* 3. *c.* 79. *num.* 12. Ab anno 800. ad 1000. talium visitationum Archiepiscopalium in ecclesia latina nulla exstet memoria; quin & in Oriente abolitæ videantur per Concilium VIII. œcumenicum *Can.* 19. ubi: *definivit hæc Sancta & universalis Synodus, nullum Archiepiscoporum & Metropolitanorum relinquere propriam ecclesiam, & sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, & potestate propria in inferiores abuti, & consumere redditus, qui apud illos inveniuntur ad ecclesiasticam dispositionem & alimenta pauperum &c.* Post annum tamen 1000. iterum in usu fuisse visitationes illas Archiepiscopales, vel ex eo constat, quod concussa & nutante quandoque ex Capituli aliorumve infestatione Episcoporum authoritate, ipsos Episcopos visitatione Archiepiscopi recreari se & corroborari expetiissent, ut exemplo Ivonis episcopi Carnotensis ostendit Thomas. *loc. cit. c.* 82. *num.* 1. item ex *c. sopita, de censibus*. Ubi decernitur Archiepiscopis visitantibus provincias etiam a monasteriis præstandas procurationes. Idem statuitur *in c. cum nuper eod. tit.* ubi: *mandamus, quatenus cum Archiepiscopum eundem* (Beneventanum) *sive autoritate propria, sive nostra, Beneventanam provinciam contigerit visitare, procurationes visitationis debitas juxta facultates ecclesiarum visitatarum exhibeatis eidem*. Item ab Innoc. III. *c. cum ex officii, de præscript.* Ubi etiam expresse, quod officii Archiepiscopi sit visitare provinciam; quin & additur visitationem Archiepiscopalem præscribi non posse. Porro ad moderandas Archiepiscoporum visitationes multa conglobantur decreta ab Innoc. IV. *in c. Romana ecclesia, de censib. in* 6. Primo, ut volens visitare provincias prius ecclesiæ suæ Capitulum ac civitatem & diæcesim propriam plene visitet, & dein liceat ei per totam provinciam vel ejus partem visitationem exercere, civitates & diæceses, suffraganeos suos & eorum subditos, Cathedralium ac aliarum ecclesiarum Capitula ac monasteria, ecclesias & alia loca religiosa & pia, cleros ac populos libere visitando. Et si quæ sint loca inaccessa, clericos populosque eorum in commodiorem locum quendam evocet. Secundo procurationes tantum accipit a locis quæ visitat. Tertio ubi aliquam ex diæcesibus vel totam vel ex parte visitavit, non poterit eo iterato redire, vel eadem vel reliqua ejus loca visitaturus, priusquam reliquas provinciæ diæceses, suamque rursum diæcesin visitaverit. Quod si tamen nova urgensque necessitas ingruat in tali diæcesi jam visitata, poterit intermissa tamdiu aliarum diæcesium vel ecclesiarum visitatione illuc redire, si a loci diæcesano requisitus fuerit, vel de consilio & assensu omnium aliorum episcoporum, vel majoris partis eorum; vel si dictus diæcesanus necessitatem illam dissimulet, aut difficultatem faciat, recurrere debet ad Sedem Apostolicam, petendo licentiam iterandæ ibidem visitationis. Quarto absoluta totius provinciæ visitatione iterare poterit visitationem, requisita tamen prius super hoc suffraganeorum consilio, ac diffinitione in scriptis dato, etiamsi non interveniente eorum assensu; ita tamen, ut iterandam visitationem ordiatur ab iis locis, quæ ante prætererat, vel quæ illo solatio ac visitatione magis egere videbuntur. Quinto disseminare verbum Dei debet sine strepitu, blandeque sine coactione & exactione juramenti inquirere in mores Clericorum & ministrorum ecclesiæ, & ubi hi gravioribus obnoxii suspicionibus, denunciare illos Episcopo; ubi vero facinora sunt notoria, & probationibus non egent, ipsemet in illos animadvertere pœnis Canonicis, cum justæ devolutioni locum dederit proprii Episcopi negligentia. De cætero declarat Bonifac. VIII. *in c. perpetuo, de censib. in* 6. dicto Innocentii IV. decreto non prohiberi Archi-Episcopos visitare etiam iterato Provinciam, etiamsi suffraganei nullius negligentiæ sint rei, nulla obstante, si quæ forte allegaretur, huic iteratæ visitationi consuetudine. Verumtamen, quiquid sit de his

Pon-

Pontificum decretis, Concilium Trid. *seff.* 24. *c.* 3. hanc Metropolitanorum visitandi Provinciam potestatem valde coarctavit, dum statuit, ut a Metropolitanis, etiam post plene visitatam Provinciam non visitentur Cathedrales Ecclesiæ neque diæceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio provinciali. Quanquam dicat Thomass. *part.* 1. *l.* 1. *cap.* 48. *num.* 13. eam non esse tam potestatis Metropolitanorum coarctationem, quam novam in ejus usu circumspectiooem, esseque tantam eorum Prociam visitantium jurisdictionem, quanta fuit prios, sed solum consideratiorem, tantoque validiorem quanto jam omnium Episcoporum consensione corroborabitur.

QUÆSTIO DCCCXLV.

An & quid de cetero jurisdictionis & potestatis Metropolitanus exercere possit ia diæcesibus suorum suffraganeorum?

RESp. io lis nihil potest, seu oihil jurisdictionis habet, quam quod a Jure expressum ei conceditur. Sic nequit ingredi has diæceses, & in eis judicare (exceptis casibus specialibus in jure expressis) etiam subditos proprios suæ Archidiæcesis. Sed neque quicquam disponere vel ordinare circa has diæceses, aut etiam extrajudicialem potestatem exercere in ordinando, etiam proprius subditos, consecrando altaria, celebrando divina officia pontificaliter, intellige authoritate propria & sine Papæ authoritate vel licentia Episcopi diæcesani Pirh. *h. t. num.* 20. & 22. quamvis *num.* 25. dicat idem, posse Archi-Episcupum per totam provinciam, etiam in locis exemptis a jurisdictione, Ordinarii io pontificalibus celebrare, idque ob reliquias præcedentis subjectionis; cum per exemptionem talia loca non desinant esse io Provincia vel diæcesi, & jus aut debitum reverentiæ non tollatur per exemptionem. Citat pro hoc *Clem.* 2. *de privileg.* Posse tamen eos exercere jurisdictionem voluntariam in diæcesibus suorum suffraganeorum occulte, sive in indulgendis gratiis, sive pænis decernendis, modo se contineat intra cancellos rerum & personarum, ait Thom. *p.* 1. *l.* 1. *cap.* 47. *num.* 9. Quin & conteotiosam in aliqua parte territorii vicini Episcopi petita ab eo licentia, etsi non obtenta, quando in proprio territorio eam exercere injuriose & violenter prohibetur. Argum. *Clem. quamvis de foro compet.* ubi etiam id permittitur Episcopo alicui alteri non Metropolitano. Sic etiam in specie unire non potest ecclesias & beneficia diæcesium suorum suffraganeorum. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 28. *qu.* 7. Barbos. *Jur. ecclef. l.* 3. *c.* 16. *num.* 58. Castrop. *de benef. disp.* 6. *p.* 12. *§.* 2. *nu.* 17. &c. Argum. *cap. sicut unire* ubi assensus vel confirmatio Metropolitani de unione beneficii suffraganei sui nullius reputatur considerationis. Hujus tamen limitationem vide apud me *in foro benef. p.* 3. *qu.* 904. *num.* 2. Sed neque recipere potest resignationes beneficiorum existentium in diæcesibus suorum suffraganeorum, ex eodem capite, quod in iis ordinarie jurisdictionem non habeat. Pirh. *ad tit. de renunc. num.* 73. cum communi. Porro an & quando constituere possit Vicarium generalem in diæcesibus suorum suffraganeorum Metropolitanus, vide apud me *in vicar. Episc. quæst.* 23.

QUÆSTIO DCCCXLVI.

Quid possit Metropolitanus jure devoluto?

RESp. primo. Suffraganeo excommuoicato vel suspenso jurisdictionem non devolvi ad Metropolitanum, cum id non inveniatur statutum aut concessum a jure. Fagn. *in c. quia diversitatem de concess. præb. nu.* 26. juxta *cap. Romana de suppl. negl. prælat. in* 6. Quandonam vero in hoc casu excommuoicati Episcopi collatio & provisio beneficiorum pertinens ad eum vel etiam Vicario conferente indigno, devolvatur ad Metropolitanum, vide apud me *in foro benef. p.* 2. *qu.* 752. & 753. De cætero, in quibus aliis ob negligentiam Episcoporum devolvatur potestas ad Metropolitanum, vide supra *ad tit. de suppl. negl. prælator.* ubi & in specie constitutio Vicarii Sede vacante, Capitulo negligente eum constituere, vide apud me *in foro benef. p.* 2. *qu.* 725. *num.* 1. & *in Vicar. Episc. qu.* 467. *num.* 3.

QUÆSTIO DCCCXLVII.

An & quid jurisdictionis & potestatis habeat Metropolitanus circa Vicarios generales suorum suffraganeorum?

1. RESp. primo. Metropolitanus non magis habet jurisdictionem in dictos Vicarios consideratos ot personas privatas, quam in alios eorundem suffraganeorum subditos. Unde sicut hi ita nec illi, dum deliquerunt, puniri possunt ab Archi-Episcopo, aut cooveniri coram illo. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 2. *cap.* 59. *num.* 3. & 4. Laym. *in cap. Romana de off. Vic. in* 6. *num.* 8. hanc addens limitationem: nisi etiam in hujusmodi sit appellatum ad Archi-Episcopum. Quare & multo minus in eos qua privatos exercere potest jurisdictionem Vicarius generalis Metropolitani.

2. Resp. secundo. In quantum tamen Vicarius Episcopi est persona publica, & Judex ordinarius in eodem cum Episcopo suo tribunali, subjicitur in tantum Metropolitano (& consequenter etiam ejusdem Vicario generali, utpote qui eandem cum Metropolitano exercet jurisdictionem) in quantum ab eo ratione male administrati hujus officii, commissæque in eo culpæ. V. gr. ratione latæ injuste ab eo sententiæ, cognita causa puniri potest. V. g. excommunicari. Laym. Pirh. *LL. cit.* Carol. de Luca *ad Ventrigl. Tom.* 2. *annot.* 14. *§.* 1. *nu.* 39. juxta *cit. c. Romana*. Quin &, ut iidem Laym. & Pirh. tenebitur in hoc casu sistere suum Vicarium Metropolitano Episcopus. Porro causas rationabiles ob quas puniri possit a Metropolitano dictus Vicarius juxta *c. Romana*, recenset Gl. *ibid.* earum plures ex Sbroziu recenseri in meo *Vicar. Episc. qu.* 86. *nu.* 4 intelligenda hæc omnia, ubi Episcopus complex & particeps est delicti sui Vicarii. De quibus omnibus copiosius & accuratius agente vide me *l. c.* item *q.* 300. *per totam*.

QUÆSTIO DCCCXLVIII.

An & quando Metropolitanus habeat jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum?

RESp. Habet quidem jurisdictionem in illos ordinariam, non tamen regulariter, sed in certis tantum casibus emergentibus in jure expressis, aut privilegio vel legitime præscripta consuetudine concessis. Pirh. *h. t. n.* 20. & 24. juxta *c. pastoralis h. t.* ubi expresse, quod in subditum suffraganei, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem & *c.* 1. *h. t. in* 6. *c.* 2. *de suppl. negl. prael. can. conquestus* 9. *qu.* 3. ubi & ratio additur; quia nec antiquitas hoc habet, & authoritas SS. Canonum penitus interdicit. Quod ita salubriter institutum, ne Ecclesiasticus ordo confundatur, & cum proprio & immediato superiore disciplina ecclesiastica facile contemnatur. Barb. *de off. & pot. Episc. p.* 1. *c.* 7. *a.* 51. Gonz. *in c. duo simul. h. t. nu.* 4. & 21. cui consonant, quæ habentur in Ivonis Carnotens. Episc. *Epist.* 133. apud Thom. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 46. *nu.* 7. *si concessum fuerit, ut Metropolitanus in Ecclesiis comprovincialibus absque consensu Episcoporum qui iis præsunt, quidquid voluerint, valeant imperare, Clericos eorumdem judicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati Episcopi indigna fiet violentia & authoritati SS. PP. ruinosa injuria*. His non obstantibus, quod Archi-Episcopus sit Judex ordinarius & regulariter totius Provinciæ, cujus curam & sollicitudinem suscipit *c. per singulas caus.* 9. *qu.* 3. Nam ex eo non sequitur, quod habeat eam jurisdictionem regulariter in quemlibet de provincia, sicut ex eo non sequitur, quod etiam habeat jurisdictionem ordinariam & regulariter in exemptos, quorum Judex non est, nisi in specialibus casibus. Atque jurisdictio Archi-Episcopi, quam habet super totam provinciam visitando illam restricta & ligata respectu singularum, donec occurrat casus specialiter in jure expressus. Unde & dici potest, non habere illum jurisdictionem in eos actualiter, sed veluti habitualiter quæ occurrentibus dictis casibus excitetur, ut ad exercitium deduci valeat. Pirh. *h. t. n.* 22.

QUÆSTIO DCCCXLIX.

Quinam sint illi casus seu articuli jure expressi, in quibus Archi Episcopus habet exercitium jurisdictionis in subditos suffraganeorum suorum?

1. RESp. esse sequentes: Primus dum subditi suffraganei ab hujus ejusve Vicarii generalis sententia aut gravamine appellant ad Metropolitanum *c. conquesint* juncta Gl. *v. provocaverint c. duo b. t.* Idque tam in causis civilibus, quam criminalibus, *c. Romana §. debet autem de appellat. in* 6. ita tamen, ut in criminalibus jurisdictionem exerceat per alios. Gl. *in cit. §. debet autem v. temporalem.* Item sive procedatur per viam accusationis, sive per viam inquisitionis. Pirh. *b. t. nu.* 20. citans Abb. *in c. licet b. t. nu. 3. in fine.* Circa quem tamen casum appellationis observandum primo, quod licet causas ad se per appellationem devolutas in diœcesibus suorum suffraganeorum delegare possit, ac constituere in iis Vicarios Judices, qui vice sua partes citent, inhibeant Judici, a quo appellatum, ne in causa ulterius procedat, Rebelles compescant &c. quia cum per appellationem in dictis causis jurisdictionem acquisierit, licite & valide super illis delegare potest, seu vices suas committere alteri (quod enim per se quis facere potest, potest etiam per alium) non posse tamen eum pro causis futuris appellationum, vel etiam in quibus nondum appellatum est, constituere istiusmodi Judices delegatos; cum Archi-Episcopus ante appellationem factam nullam actualem jurisdictionem habeat, aut exercere possit in subditos suffraganeorum, præterquam si consuetudine aliqua legitime præscripta introductum, ut tales Judices delegati, pro causis ad se devolvendis per appellationem in diœcesibus suffraganeorum constituere possint. In quo tamen etiam casu hi ab eo constituti Judices se in causis diœcesanorum immiscere nullatenus debent, priusquam ad Archi-Episcopum appellatum, prout hæc omnia statuit Innoc. IV. in Concilio Lugdun. relato *in cap. Romana b. t. in* 6. *& ibi* Gl. *in notatis.* Unde & licet valeat consuetudo constituendi istiusmodi Judices delegatos, nequaquam tamen valet consuetudo, ut istiusmodi Judices causas cognoscant, antequam in iis ad Archi-Episcopum appellatum; cum nec ipse Archi-Episcopus id possit, & nemo plus possit per alium quam per seipsum. Argum. *cap. potest quis 68. de reg. Iur. in* 6. Pirh. *cit. num.* 22. citans Vivian. *in ration. Iur. Pontif. in cit. c. 1. b. t. in* 6. & Laym. *ibid. nu. 1. in fine.* Hujus tamen contrarium est in aliis Judicibus ordinariis, qui jurisdictionem habent actualem non limitatam ad certos casus futuros; hi enim possunt causas etiam futuras & necdum ortas delegare aliis. Pirh. *l. c.* citans Anchar. *in cit. cap. Romana not.* 3. & Franc. *ibid. num.* 3. Observandum secundo, quod licet causam ad se per appellationem delatam possit jure ordinariæ potestatis delegare subdito sui suffraganei (potest enim quis causam pertinentem ad suam jurisdictionem delegare alteri, etsi is non sit subditus ejus. Gl. *in c. pastoralis b. t. v. nullam habeat*) non tamen possit eundem invitum compellere ad suscipiendam istiusmodi delegationem; cum in subditos suffraganei nullam habeat jurisdictionem (cujus, & quidem contentiosæ est istiusmodi compulsio ad suscipiendam delegationem) nec ullam jurisdictionem acquisiverit per appellationem nisi in appellantem & appellatum. Possit tamen Archi-Episcopus mandare suffraganeo suo, etiam a quo appellatum, ut cogat subditum suum ad acceptandam delegationem, Gl. *in cap. pastoralis v. nullam habeat.* Pirh. *nu.* 23. cum possit compellere suffraganeum suum, ut is exequatur officium suum. Abb. *in cit. cap. pastoralis in fine.* De cætero, posse adhuc appellari ad Metropolitanum non obstante mandato a Papa ordinario dato, ut subditos suos corrigat, habetur *c. licet b. t.* ubi ait Papa, se nequaquam voluisse aut debuisse jurisdictioni Archi-Episcopali derogare per hujusmodi mandatum, quo minus ad Metropolitanum a sententia aut gravamine Episcopi appellari possit, nimirum in casibus alioquin jure concessis. V. gr. a sententia indebite prolata, aut gravamine injuste illato; cum tali casu seu vi talis mandati non censeatur Episcopus constitutus delegatus Papæ, sed excitata ejus jurisdictio ordinaria & officium, ad quod spectat inquirere & punire crimina clericorum sæcularium sibi subditorum & regularium non exemptorum.

2. Secundus casus est, ut tempore, quo visitat provinciam, possit per se vel suos exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum in foro interno, ipsorum confessiones audiendo, absolvendo eos a peccatis (etiam reservatis alias specialiter Episcopo in hac vel illa diœcesi; habet enim tunc quo ad illa jurisdictionem Episcopo superiorem. Barbos. *Iur. Eccles. l. 1. cap. 7. num.* 29. Wiestner. *b. t.* Reiffenst. *b. t. num.* 45. & salutares pænitentias injungendo. AA. iidem & Azor. *p. 2. l. 3. c. 34. qu.* 9. juxta *c. fin. de censib. in* 6. tempore enim visitationis censetur diœcesis suffraganei veluti propria Metropolitani, saltem qui ad forum pænitentiæ. Pirh. *b. t. nu.* 25. Item a censuris, ut Wiestner. *l. c.* Si enim extra visitationem potest absolvere ab excommunicatione subditos sui suffraganei, prout docet Sbroz. *de vicar. Episc. l. 2. q. 178. nu.* 1. (de quo paulo post specialiter) multo magis id poterit tempore visitationis. Potest etiam dare literas generales remissionis, hoc est, indulgentias concedere secundum formam Concilii generalis *c. nostro de pæn. & rem.* juncta Gl. *v. per tuam provinciam.* An autem Archi-Episcopus, dum visitat, possit dispensare in votis, irregularitatibus, &c. cum subditis suffraganeorum, non convenit inter AA. admittunt id ipsum aliqui apud Pirh. *b. c. nu* 25. posse eum, saltem pro foro interno. Probabilius id negant Suar. *Tom. 2. de relig. l. 6. de voto c. 20. nu.* 8. Sanch. *l. 4. in decalog. c. 38. num. 11. &* 14. quos citat & sequitur Pirh. *num.* 25. eo quod hæc potestas non reperiatur ei specialiter a jure concessa; neque etiam per se conjuncta cum potestate absolvendi in confessione, ut patet in parochis. Neque Archi-Episcopus ordinariam curam & jurisdictionem habet in diœcesibus suorum suffraganeorum etiam pro tempore visitationis, nisi in casibus ipsi jure concessis. Jurisdictionem vero externam & fori contentiosi visitans in suffraganeorum suorum subditos exercere nequit. Barbos. *Iur. Eccl. l. 1. cap. 7. num.* 92. Quarant. *in sum. Bullar. v. Archi-Episcopi authoritas vers.* 33. cum communi, nisi in duobus casibus; nimirum puniendo delicta notoria *cap. 1. de censib. in* 6. excommunicando aut aliter puniendo negantes Archi-Episcopo visitanti procurationem debitam. Argum. *c. cum ex officii de præscript.* Abb. *ibidem num.* 11. Pirh. *l. c.* & quomodolibet impedientes visitationem, aut ejus nunciis vel familiæ injuriam inferre præsumentes *c. 1. de pænis in* 6. Wiestner. *l. c.*

3. Tertio etiam extra visitationem puniendo crimina notoria commissa a subditis suffraganeorum, saltem ubi suffraganei non pervenerint *c. 1. de censib. in 6. §. notoria.* Pirh. *cit. nu.* 25. citans Abb. *in c. ex frequentibus de institut. num.* 10. Sylv. *v. Archi-Episcopus num.* 2. Wiestner. *b. t. num.* 59. Item pravas consuetudines per provinciam tollendo, eosque excommunicatione aliisque pænis coercendo, qui eas frequentant, saltem si in eo Episcop. fiat negligentes *cap. ad extirpandas cap. fin. de fil. presb. cap. ex frequentibus & ibi* Abb. *nu.* 4. Pirh. *num.* 26. Wiestner. *l. c.* eo quod universalis & generalis sollicitudo totius provinciæ Metropolitano commissa sit juxta *c. 1. dist. 21. & c. 2. caus. 9. qu.* 3. Item puniendo illos propter injurias sibi suisque nunciis aut familiæ illatas in usu jurisdictionis seu jurisdictionem exercenti extra visitationem, etiam in diœcesibus suorum suffraganeorum, intellige, in casibus ei a jure concessis *cit. cap. 1. de pænis* Barbos. *l. c. num.* 73. Wiestner. *loc. cit.* idque etiamsi ejus jurisdictionem per istiusmodi offensas & injurias contingat non impediri *cit. c.* 1.

4. Quartus, ubi suffraganei negligentes sunt in exercendo officio suo, ut Gl. *in c. pastoralis b. t. v. exceptis* Host. *in sum. eod. §. sunt autem distincta v. deest præsul.* quamvis Pirh. *b. t. num.* 29. Probabilius esse dicat, non posse Archi-Episcopum supplere negligentiam & defectum sui suffraganei, nisi in casibus in jure expressis (qualis v. gr. est, quod possit constituere œconomum in ecclesia sui suffraganei, dum hic est in eo constituendo negligens, expressus *in cap. cum sinus caus. 9. q.* 3.) Argum. *c. pastoralis* ubi quod Archi-Episcopus in Coepiscopi subditos nullam habent jurisdictionem exceptis quibusdam articulis intellige, jure expressos, inter quos non est, quod negligente Episcopo Metropolitanus possit exercere jurisdictionem in eius subditos; adeoque id ipsum ei prohibitum censeri debet, dum, cum versamur in materia prohibitoria, eo ipso prohibitum censeatur aliquid, quod concessum non est *cap. 1. de suppl. negl. pral. in* 6. Verum de hoc puncto exercendi jurisdictionem ab Archi-Episcopo in casu negligentiæ Suffraganei, enucleatius & specialius supra *ad tit. de suppl. negl.* Illud hic addendum, quod Pirh. *l. c.* ait ex Laym. *de jurisdict. ordinar. concl.* 80. posse nimirum in dicto casu negligentiæ Archi-Episcopum mandatis ac censuris compellere suffraganeum ad administrandam justitiam & officium suum præstandum.

5. Quintus, dum causa criminalis inter Episcopum ejusque subditum agitatur, nimirum dum clericus criminaliter accusat suum Episcopum, & e contra, dum Episcopus Clericum non exemptum, a quo injuria vel damno injusto affectus, vel etiam laicus, cui crimen ecclesiasticum ab Episcopo imponitur, & causa deferenda ad Concilium provin-

provinciale, cui præsidet Metropolitanus, quodque in omnes provinciales tam Episcopos, quam alios clericos & laicos jurisdictionem habet. Argum. *c. 2. cauf. 9. q. 3. & c. 1. cauf. 6. q. 2. & c. ficut de accufat.* Glof. *in c. paftoralis h. t. v. exceptis*. Hoft. *in fum. h. t. v. crimen*. Sylv. *v. Archiepifc. q. 1. c. 6.* quos citat & sequitur Pirh. *h. t. nu.* 28. Ubi autem tale Concilium a longo tempore non celebratur (uti in Germania nostra teste Pirbing nulla Synodus Provincialis ab hominum memoria habita est) neque in Provincia ab urbe remota est Legatus Apostolicus, alius Judex adiri non potest quam Archiepiscopus. Layman *l. c. n.* 81. Pirh. *l. c.* Wiestner *h. t. n.* 60. Neque enim Episcopus in causa propria Judex esse potest, neque ad arbitros in causis criminalibus, utpote majores Judices exigentibus, confugiendum, *c. causa de in integ. restit.* Neque etiam in quavis causa inter Episcopum ejusque subditum adiri possit aut debeat Papa (quamvis hodiedum crimina graviora Episcoporum deferenda sint ad Papam juxta dicta paulo supra) ita tamen, ut ex causa probabili ab Archiepiscopo ad Papam appellari possit. Layman *l. c. & c. pastoralis n. 1. ibidemque* Imola *nu.* 10. Ex altera parte Archiepiscopus est Judex ordinarius suæ Provinciæ ejusque jurisdictio quo ad exercitium erga subditos suffraganeorum potissimum in eorundem gratiam sit suspensa; adeoque consequens est, ut si Episcopus ipsemet petat, vel res ita exigat, ut Archiepiscopus causam cognoscat, ea ad hunc tanquam proximum superiorem devolvatur. Ita fere Pirh. cum Layman *loc. cit.* Si vero causa orta inter Episcopum & Clericum ei subjectum sit civilis, ea non coram Archi-Episcopo, sed coram arbitris utriusque partis consensu eligendis, & per eos est expedienda *c. si clericus cauf. 11. qu. 1. ibidemque* Gl. *v. arbitros*. Pirh. *l. c.* Et si arbitros recuset clericus, potest ab Episcopo ad hos eligendos compelli. Gl. citata & Gl. *in c. irrefragabili h. t. §. caterum v. super hoc*. Ab his tamen arbitris juris & necessariis ad Archiepiscopum appellari posse. Argum. *cap. ab arbitris de off. deleg. in 6.* Wiestner. *loc. cit.* citans Engels *ad tit. 33. nu.* 30.

6. Sextus dum Canonici Cathedrales sine manifesta & rationabili causa cessant a divinis maxime si id agant in contemptum Episcopi, potest Metropolitanus ad querelam Episcopi eos puniendo & per censuras ad divina celebranda compellendo, exercere in eos jurisdictionem, saltem ut delegatus Apostolicus pro ut statuitur *c. irrefragabili h. t. §. caterum*. Ratio hujus constitutionis est, quia neque per se id potest Episcopus (præsertim ubi Capitulum Cathedrale ex speciali jure, privilegio vel legitime præscripta consuetudine habens jurisdictionem in ecclesiasticis potest interdicere, seu imponere cessationem a divinis ad tempus) cum esse non possit Judex in propria causa; neque etiam eligi possint arbitri in hoc casu & causa, utpote criminali; cum hic irrogetur injuria Episcopo, & agatur criminaliter ad pœnam. Tametsi autem alias Archiepiscopus, querela ab Episcopo ad eum delata, jure ordinario & Metropolitano de ea cognoscere possit, saltem ubi causa concernit Episcopum, in qua ipse Judex esse nequit; quia tamen prædicta causa Capituli est ardua & gravis, adeoque periculum, ne inter Episcopum, in cujus odium inducta illa cessatio, & Capitulum, exinde orta collisione oriatur scandalum, merito statutum, ut Metropolitanus in ea procedat authoritate Apostolica tanquam Papæ delegatus ad efficacius eam expediendam. Et non exspirat hæc delegatio, etiam re integra, morte mandantis seu delegantis; cum facta sit a lege seu canone. Pirh. *h. t. nu.* 27.

7. Septimus. Dum subditus suffraganei delinquit in propria diœcesi Archiepiscopi; generale enim est, quod ratione delicti efficiatur quis de jurisdictione illius, in cujus territorio delinquit *c. fin. de foro comp.* Item ratione rei, de qua litigatur. V. g. dum subditus suffraganei habet prædium in diœcesi seu territorio Archiepiscopi, ratione illius potest conveniri coram Archiepiscopo; cum ratione rei sortiatur quis forum *cit. c. fin.* ac sic Archiepiscopus in eum exercere jurisdictionem.

8. Octavus. Dum per longævum usum seu consuetudinem legitime præscriptam Archiepiscopus obtinuit jurisdictionem ampliorem in subditos suffraganeorum, quam alias de jure communi habet *c. duo h. t.* consuetudo siquidem dat jurisdictionem *cit. cap. duo & c. Romana §. neque de foro comp. in 6. & ibi* Gl. *v. de consuetudine*. Idem est, dum Archiepiscopus per speciale Papæ privilegium obtinuit majorem jurisdictionem *cit. c. duo* Plures alios casus minus principales, in quibus Metropolitanus exercere potest jurisdictionem in subditos suffraganeorum, vide apud Barbos. *l. c. n.* 74. Reiffenst. *h. t. a n.* 49.

9. Porro hic dicta de Archiepiscopis extendenda pari ratione ad Primates & Patriarchas, ita ut hi quoque jurisdictionem habeant ordinariam in Metropolitanos sibi subjectos. Argum. *c. 1. dist.* 99. Abb. *in c. duo h. t. num.* 5. Pirh. *h. t. nu.* 32. in Metropolitanorum vero subditos jurisdictionem exercere nequeant, nisi in casibus a jure expressis. V. gr. dum eorum causæ ad illos delatæ per appellationem a Metropolitano. Dum is negligens est in exercenda jurisdictione & officio suo &c. Vel etiam dum ex legitime præscripta consuetudine aut speciali Papæ privilegio, sive Ecclesiæ Patriarchali, sive ipsi personæ Patriarchæ vel Primatis concesso acquisita eis jurisdictio. Abb. Laym. Barbos. *in cit. c. duo nu.* 1.

QUÆSTIO DCCCL.

An & qualiter Metropolitanus absolvere possit subditum suffraganei sui ab ipso vel ejus Vicario excommunicatum?

RESp. Id eum posse, si a subdito suffraganei ad eum fuit appellatum *c. per tuas de sent. excom. c. venerabilibus eod. in 6. c. ad reprimendam h. t.* Abb. *in c. ab excommunicato de rescrip. n.* 12. Sbroz. *de Vicar. Ep. l. 2. q. 178. n.* 1. Suar. *de cens. d. 7. s. 2. n.* 32. Pirh. *h. t. n.* 32. Acquisivit siquidem per appellationem Metropolitanus jurisdictionem in subditum sui suffraganei, totaque causa illius ad eum devolvitur, ut ipse cognoscat, justene an injuste fuerit excommunicatus, num absolvendus vel non. Secus est ubi talis subditus non per appellationem, sed per modum simplicis querelæ adivisset Metropolitanum. Utriusque hujus partis responsionis limitationes & declarationes vide apud me *in Vicar. Ep. q.* 129. ubi hanc quæstionem ex professo tractavi. Quibus adde, quod excommunicatus juxta *c. ad reprimendam*. priusquam ab Archiepiscopo absolvatur, præstare eidem debeat cautionem, saltem juratoriam (vel ubi de violando juramento suspectus foret, cautionem idoneam per fidejussores. Abb. *in c. ad reprimendam*. Pirh. *h. t. n.* 33.) quod Episcopo in eo, propter quod excommunicatus fuit, competentem satisfactionem præstare velit, nisi legitime constiterit, eum injuste excommunicatum fuisse, & quod ubi absolutus, dein satisfacere Episcopo suo contempserit, non quidem reincidit in priorem excommunicationem, sed denuo ab Archiepiscopo excommunicandus. Abb. *loc. cit. num.* 4. Ubi tamen *not. ult.* addit, id fallere in casibus, qui habentur *in c. eos qui de sent. excom. in 6.*

QUÆSTIO DCCCLI.

In quo loco Archiepiscopus exercere possit jurisdictionem in subditos suffraganeorum suorum?

RESp. Non nisi in propria sua Archidiœcesi, vel diœcesi propria dictorum subditorum, & nequaquam in alia diœcesi seu parte provinciæ suæ causas eorum per appellationem, vel alias jure Metropolitano ad se delatas cognoscere dijudicare, aut etiam cognoscendas & dijudicandas committere seu delegare potest. Sic statutum est *c. ut litigantes h. t. in 6.* ut litigantes a laboribus & expensis releventur. Secus ac accidit in delegato Apostolico ad plures provincias, qui causas subditorum unius provinciæ in alia & in quovis loco provinciarum suarum cognoscere potest juxta *c. novit. de off. leg.* Pirh. *h. t. n.* 35. Limitatur tamen responsio: nisi aliud habeat consuetudo *cit. cap. ut litigantes*, quam oportet esse legitime præscriptam 40. annis. Gl. *in cit. cap. v. statuimus* juncta Gl. margin. Item nisi litigantes (utpote qui dicto favori renunciare possunt *c. ad Apostolicam de regul. in 6.*) consentiant, ut in alio loco seu diœcesi causa cognoscatur per Metropolitanum ejusve delegatum, quam ex qua & ad quam causa devoluta. Gl. *in c. ut litigantes v. expensis*. Modo tamen accedat Ordinarii illius diœcesis, in qua causa tractatur consensus. Gl. *l. c.* Pirh. *n.* 37. Cum Archiepiscopus ingredi nequeat diœcesin sui suffraganei ad ibi agendum seu judicandum, nisi in casibus a jure permissis, sine dicto consensu, intellige, expresso vel tacito, dum nimirum Ordinarius loci id scit, & non probibet, cum potest; quia is suo juri in hoc renunciare potest expresse vel tacite. Pirh. *l. c.* citans Anchar. & Francum.

CAPUT QUARTUM.

De Jurisdictione & Potestate Episcopi.

QUÆSTIO DCCCLII.

Unde nomen Episcopi, quid importet, & quibus aliis nominibus veniant, aut olim venerint.

1. RESp. ad primum. Episcopus nomen græcum derivatum a verbo composito ἐπισκοπεῖν, quod intendere seu superintendere, in & circumspicere, attendere & curam gerere significat: In qua significatione eo utitur Cicero ad Atticum scribens: *Vult me Pompejus esse, quem tota hac maritima ora habeat ἐπίσκοπον.* Sic apud veteres Ethnicos Magistratus, quorum erat habere curam panis cæterorumque rerum ad victum pertinentium, dicebantur Episcopi juxta *l. munerum ff. de munerib. & honorib.* ubi: *item Episcopi, qui præsunt pani & cæteris venalibus, quæ civitatum populis quotidianum victum suggerunt, personalibus muneribus funguntur &c.* Atque ita hoc nomen a civili & profano Magistratu ad ecclesiasticum translatum illis Ecclesiæ Præsulibus & Antistitibus hodie tribuitur, quorum muneris est in certo alicujus Provinciæ districtu seu diæcesi supremam animarum sollicitudinem gerere, gregi sibi commisso de necessariis ad salutem æternam prospiciendo, ejusque vitam ac mores perlustrando ac speculando juxta *can. 1. dist. 21. & c. qui Episcopatum caus. 8. qu. 1.* ubi dicitur ex D. August. *Episcopi nomen est operis, non honoris:* id ita accipiendum; quod spectando ejus etymologiam præcipue sonet in officium & sollicitudinem. Negari tamen non potest, quin & sit nomen potestatis & honoris, non minus, quam olim fuerit in dicta civili & profana usurpatione, ut vel ex hoc ipso patet, quod non nisi in edito & sublimiore dignitatis loco & apice positi superintendere, circumspicere Clerum & populum sibi subjectum valeant. Azor. *p. 2. l. 3. cap. 27. quæst. 2.* juxta quod Episcopatus vocatur culmen dignitatum *cap. venerabilis de præb.*

2. Resp. ad secundum. Episcopos dictos fuisse *Pontifices*, constat ex *Can. Pontifices caus. 7. qu. 1. & c. 1. dist. 21. c. Messana de elect.* Quin & *cit. c. 1.* dicuntur *maximi Pontifices* id est, maximi Sacerdotum, & obtinere Pontificatus apicem. Item dictos illos fuisse *Papas* hoc est patres patrum constat ex *Epist.* D. Hieronym. ad S. August. Ubi ter vel quater vocat eum sanctum ac venerabilem Papam; uti eodem modo ac nomine compellat Chromatium Aquilejensem Episcopum *Epist. ad eundem.* Quanquam hodiedum ob dignitatis excellentiam soli Romano Pontifici supremo Christi in terris Vicario tribuitur nomen illud *Papa*, utpote omnium patrum, hoc est, Episcoporum, Archi-Episcoporum, Primatum, Patriarcharum patri; uti &, nomen *Summi & Maximi Pontificis*; utpote omnium Pontificum seu Episcoporum Supremo ac Primo. Hodiedum vero tametsi apud Acatholicos eorum Pseudo-Episcopi vocentur *Superintendentes*, apud Catholicos tamen non est hoc nomen in usu, licet alias juxta etymologiam maxime Episcopis proprium. Venit autem apud eos nomine *Diœcesani* Episcopus, & quidem solus. Azor. *l. c. qu. 1.* cum Gl. *in Clem. 1. de vita & honest. Cler.* Venit quoque nomine *Ordinarii*, sed non solus, cum veniant eo quoque alii Prælati inferiores Episcopo. Azor. *l. c.* cum Gl. *in c. Ordinarii de off. ordinar. in 6.* & in genere, qui in Ecclesia aliqua vel territorio jurisdictionem quasi episcopalem exercent. Pirh. *ad tit. de renunc. num. 73.* cum communi. Et quamvis Corrad. *in pr. benef. l. 5. cap. 5.* velit nomine *Ordinarii*, dum adhibetur in materia beneficiali, venire solum Episcopum, per hoc tamen, ut dixi *in foro benef. p. 3. qu. 617. num. 3.* non credo, illum exclusos quoque velle eos, qui cum jurisdictione quasi Episcopali territorium & quasi diæcesin habent. Sic in specie administrator, quem deputat Papa ad regendam diæcesin, donec Episcopus ad legitimam ætatem perveniat. Item Vicarius Apostolicus, quem quandoque mittit Papa ad gubernandam Ecclesiam, donec causa Episcopi inquisiti cognoscatur, & dijudicetur, vel suspensio tollatur. Paris. *de resign. l. 7. qu. 9. num. 25.* Item Legatus in sua Provincia dicitur ordinarius juxta *cap. de off. Legat.* Quamvis Castrop. *tr. 13. disp. 2. p. 33. num. 7.* citans Azor. Rebuff. &c. dicat Legatum esse ordinarium non nisi improprie & superinductum. Item extra controversiam est, Vicarium generalem Episcopi esse & dici simpliciter Ordinarium. Sbroz. *de Vicar. Episc. l. 1. qu. 23 num. 5.* citans quamplurimos. Garc. *de benef. p. 5. cap. 8. num. 21.* ubi quod Vicarius sicuti Episcopus est Ordinarius. Coras. *de benef. p. 2. cap. 8. num. 3.* & plures alii, quos citavi *in Vicar. Episc. qu. 69. num. 1.* Unde in decretis generaliter loquentibus de Ordinario non solum comprehenditur Episcopus, sed & ejus Vicarius generalis. Rosa *de Executor. Lit. Apostol. p. 1. cap. 3. num. 1.* Sbrorz. *l. 3. qu. 6. num. 12.* ex Archid. *in cap. Renuina dist. 63. &c.* De cetero qualiter seu quando Episcopo competat nomen *Parochi* respectu diæcesis suæ, vide apud me *in foro benef. p. 1. qu. 143.*

QUÆSTIO DCCCLIII.

Num jure divino altiorem & superiorem potestatem habeat Episcopus quam Sacerdos.

RESp. affirmative, oppositamque sententiam esse hæreticam. Sic enim D. Augustin. *l. de hæresib. c. 53.* Epiphan. *hæres. 75.* inter hæreses numerant sententiam Aerii asserentis Episcopum a Presbytero minime differre dignitate & potestate, neque olim fuisse presbytero superiorem, sed solum authoritate Ecclesiæ quædam munia & officia reservantis solis Episcopis, dignitatem & potestatem Episcoporum, supra Sacerdotes effectam majorem & superiorem. Uti idem docuit Wicleff. docentque Calvinistæ & Lutherani, quorum errorem damnavit Trid. *sess. 23. can. 6.* his verbis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica divina ordinatione non esse institutam hierarchiam, quæ constat ex Episcopis & Presbyteris & Ministris, anathema sit & Can. 7. Si quis dixerit, Episcopos presbyteris non esse superiores, vel non habere potestatem confirmandi vel ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.* Ad ea, quæ in contrarium objici solent ex Div. Hieronym. *Epist. 85. ad Evagrium* in hæc verba: *cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos Episcopos, quæris, qua authoritate? audi testimonium: attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini & alibi; reliqui te Cretæ, ut constitueres presbyteros per civitates. Item noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii & 1. Petr. cap. 5. Presbyteros in vobis precor compresbyter. Ac dein subjungente: quod unus Episcopus electus sit, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est: Nam & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiore gradu collocatum Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archi-Diaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non facit?* Ad hæc inquam & similia respondetur; Apostolorum & primis Ecclesiæ temporibus ob paucitatem creari solitos simul Presbyteros & Episcopos, seu conferri in eandem personam utramque potestatem, ut præsto esset in civitatibus singulis præses ecclesiasticus, qui omnia sacramenta conferre, Ministros constituere ac Presbyteros consecrare posset, usque dum crescente dein Presbyterorum numero, alii constituti Presbyteri, alii Episcopi, ut sicut Presbyteri & Episcopi diversæ sunt potestatis, ita etiam in his diversæ constituerentur personæ. Ex eo autem, quod Ecclesia authoritate sua diversas personas in iis muniis & potestatibus diversis constituerit, seu constitui voluerit, nequaquam, ut patet, sequitur, etiam potestatem episcopalem ab ea institutam. Illudque solum, aut certe aliud non voluisse Div. Hieronym. quam quod Episcopus a Presbytero jurisdictionis potestate & electionis formula differat ex institutione & more Ecclesiæ, quamvis jure divino Ordinis potestate, & non solo Ecclesiæ decreto ab eo distinguatur, testatur Azor. *p. 2. l. 3. c. 16. qu. 5.*

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCLIV.

In quo consistat jus & potestas Episcopi?

RESp. Totum Jus, officium, potestas & authoritas Episcoporum consistit in duplici lege, nimirum in lege diæcesana & lege jurisdictionis. Est communis omnium, & sumitur ex binis capitibus *c. conquerente & c. dilectus h. t.* Sunt hæ leges diversæ, unde res judicata in una non obstat agenti in alia; sententia lata super iis, quæ pertinent ad legem Diæcesanam, nihil præjudicat iis, quæ spectant ad legem jurisdictionis, prout habet summarium *cit. cap. dilectus* & constat ex textu illius.

Verum in quo una harum Legum differat ab altera, seu quomodo explicandæ, & quæ ad unam, quæ ad alteram pertineant, in eo Authores multum variant, ut videre est apud Fagn. *in cit. c. dilectus num.* 3. Siquidem cum Abb. *in cit. cap. dilectus num.* 4. Fagn. *l. c.* Pirh. *h. t. num.* 40. & 44. ita explicant, ut lex diæcesana dicatur illa, a qua juxta Gl. *in cit. cap. dilectus v. de lege jurisdictionis*. Omnia monasteria, etiamsi alias jurisdictioni episcopali subjecta, regulariter ipso jure sunt exempta. Lex vero jurisdictionis, cui subjiciuntur omnes ecclesiæ sæculares & regulares, quæ speciali privilegio non eximuntur *c. monasteria caus.* 18. *qu.* 2. Verum hac ratione non tam explicatur, in quo consistat lex utraque, sive quæ complectatur, & circa quæ versetur (cum tamen ab his tanquam objectis per respectum intrinsecum specificentur leges, seu desumitur ratio intrinseca diversitatis earum) quam solum dicitur, quinam iis obligentur, vel non obligentur, seu quos respiciant hæ leges, in quo respectu quasi extrinseco ratio differentiæ earum constitui nequit. Manente insuper in obscuro & quæstione, quænam sint illa pertinentia ad jus episcopale, a quibus monasteria eximuntur, vel non eximuntur. Melius proinde explicantur & distinguuntur hæ leges cum Gl. fin. *in cit. cap. dilectus h. tit.* quam sequitur Host. *in sum. h. tit. §. sunt autem*. Syl. *v. Episcopus num.* 8. Wiestner. *h. tit. num.* 65. Engels *ad tit. de major. & obed. num.* 37. & *privileg. monasterior. privileg.* 3. *num.* 2. Reiffenstuel. *h. tit. num.* 90. *&c.*

Quod lex jurisdictionis versetur circa ea, quæ in dando seu faciendo ex parte Episcopi consistunt, adeoque actionem ejus important, qualia sunt v. g. collatio aliorumque Sacramentorum, uti & beneficiorum, consecratio ecclesiarum, altarium, virginum, benedictio Abbatum; sumitur enim jurisdictio latius, prout potestatem Ordinis aliasque similes complectitur. Item, ut Gl. margin. *in cit. c. dilectus*, cognitio & definito causarum, quæque spectent ad judicium, visitatio, correctio, inflictio censurarum, latio legum & statutorum. E contra Lex diæcesana consistit in jure exigendi & recipiendi, seu versetur circa ea, quorum exigendorum sibique præstandorum & recipiendorum jus habet Episcopus; ut sunt Cathedraticum seu Synodaticum, quarta mortuariorum & decimationum, portio canonica ex Legatis & oblationibus debita Episcopo &c. Huic explicationi non obstantibus: Primo quod jura ipsa non faciant expressam illius mentionem, dicendo expresse, quod quæ consistunt in dando, sint de lege jurisdictionis; quæ vero de recipiendo, sint de lege diæcesana, pro ut cum Fagn. *loc. cit.* objicit Pirh. *cit. num.* 40. Nam sufficit, quod ea ipsa satis colligatur ex cit. capitibus *cap. dilectus* & *cap. conquerente h. t.* & canonibus, quibus monasteria ob favorem religionis eximuntur a lege diæcesana, dum ea ipsa talia sunt, quæ in recipiendo consistunt; frustra enim, ut bene inquit Reiffenst. *h. t. nu.* 93. & absque favore taliter eximerentur, nisi lex diæcesana aliquid onerosum monasteriis, & delectabile Episcopis, hoc est, ut loquuntur quidam, dulcem horum passionem, consistentem in recipiendo, importarent. Neque secundo, quod convocatio & celebratio Synodi videatur non consistere in recipiendo; cum in ea Episcopus non venientes ad eam puniat, condendo in ea statuta jurisdictionem exerceat &c. & tamen juxta *c. quod super his de major. & obed.* & citatam Gl. pertineat ad legem diæcesanam. Nam celebratio Synodi videtur esse juris mixti, prout tenent Abb. *in cit. c. quod super his*. Host. apud Reiffenstuel. *num.* 103. ita ut quo ad correctionem morum, factionem statutorum & similium, quæ in ea aguntur, spectet ad legem jurisdictionalem quo ad convocationem autem spectet ad legem diæcesanam juxta *cit. c. quod super his* & vel sic consistat principaliter in recipiendo, dum per eam convocationem exigitur, & a venientibus vi illius præstatur obedientia canonica, subjectio & reverentia, ut Reiffenstuel *cit. num.* 93. videnturque huic explicationi patrocinari ipsa verba *cit. cap.* ubi: *Abbates & Sacerdotes diæcesana tibi lege subditos, qui ad tuam Synodum venire contemnunt, per censuram ecclesiasticam ad Synodum ipsam venire compellas, & debitam tibi obedientiam & reverentiam exhibere &c.* Unde etiam, cum monasteria exempta a lege diæcesana Abbates (intellige, non habentes populum) etiamsi alias non essent exempti non tenentur, nec sunt cogendi venire ad Synodum, pro quo Reiffenstuel *nu.* 102. citat *Can. Episcopus non debet. dist.* 18. & expresse habet Gl. *in cit. c. quod super his v. diæcesana*. His non obstante, quod hodierno jure monasteriorum non exemptorum Abbates a Synodo non eximantur, sed vocati venire teneantur, ut ex *cit. c. quod super his de major. & obed. & c. ut Apostolica de privileg. in* 6. Cum Sylv. *v. concilium qu.* 6. Laym. *in cit. c. quod super his num.* 1. apud Wiestner. *h. t. num.* 65. quia id intelligendum juxta citatam Gl. de Abbatibus non exemptis habentibus populum. His adde, quod, ut ait Pirh. *h. t. num.* 44. citans pro hoc Gl. *in cap. dilectus h. t. v. lege jurisdictionis*. Abb. *ibid. num.* 2. Imol. *num.* 6. Quamvis lex diæcesana, stricte sumpto hoc vocabulo, distinguatur a lege jurisdictionis, si tamen sumatur large, etiam jurisdictionalem sub se complectatur. Atque ita dici possit, convocationem ad Synodum etiam hoc sensu lato spectare ad legem diæcesanam, præcipue respectu Abbatum illorum ratione populi venire obligatorum, de quibus *cit. cap. quod super his*. Neque tertio, quod procurationes sive victualia moderata sint debita Episcopo visitanti, & ab iis non eximantur monasteria juxta *c. sopita de censib.* item quarta pars mortuariorum seu funeralium juxta *c. requisisti de testament.* & tamen hæc sint de recipiendo spectantia ad legem diæcesanam, a qua eximuntur monosteria. Nam dici potest, hæc esse de specialiter exceptis, nimirum, quod etsi spectent ad legem diæcesanam, ab iis tamen, jure sic specialiter disponente, & exprimente, non eximantur monasteria, uti eximuntur ab aliis ad eam legem spectantibus. Vel etiam procurationes illas, cum visitationi sint annexæ & accessoriæ, *cap. cum venerabilis de censib.* monasteria non exempta, uti non eximuntur ab ipsa visitatione, ita etiam ab illis non eximantur. Unde etiam ab aliquibus ad legem jurisdictionis, ad quam spectat visitatio, revocantur, ut Wiestner. *cit. nu.* 65. Pirh. *h. t. nu.* 107.

QUÆSTIO DCCCLV.

Quænam igitur in specie sint illa jura episcopalia, quæ spectant ad legem diæcesanam, an qui & qualiter ad illa teneantur aut ab illis eximantur.

1. RESp. Sunt fere sequentia. Primo subsidium caritativum *c. conquerente h. t.* juxta quod sic dicitur, quia a principio postulandum est cum caritate; licet alias; si id juste petitum solvere renuant Clerici, compelli ad illud possint, etiam per intentatam excommunicationem. Pirh. *l. c.* Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 14. *q.* 2. & 3. citans Lapum & alios. His non obstante, quod sit subsidium caritatis; cum etiam officio judicis compelli possint divites ad dandam eleemosynam egentibus tempore magnę famis & necessitatis. Neque, quod quis nequeat esse judex in propria causa *l.* 1. *C. ne quis in sua causa*, cum, si subsit rationabilis causa & manifesta, que spectat ad dignitatem & honorem Ecclesię, potest Episcopus esse Judex in causa sua. Arg. *c. Romana de pęnis*. Azor. *cit. qu.* 3. citans Innoc. *in c. ex parte de verb. signific.* & Butr. *in c. cum venisset. de judic.* Aliud autem non est, quam petitio moderati auxilii, quod Episcopus & rationabili & manifesta causa, quales plures enumerat Azor *l. c. qu.* 4. subjungens etiam *q.* 5. cum Butr. & Jo. And. esse eligendos arbitros, ubi de rationabilitate causę contenditur inter Episcopum & clericum exigere potest (& quidem de jure, cum jura id permittant. Azor. *l. c. q.* 1.) secundum facultates ecclesiarum & beneficiatorum, ita tamen, ut non nimium graventur *c. conquerente h. t. cum Apostolus de censib. Extrav. vas electionis, inter com. de censib.* Azor. *l. c.* Barbos. *de off. Episc. p.* 3. *alleg.* 87. *nu.* 45. Pirh. *h. t. num.* 109. Ad illud præstandum tenentur etiam Vicarii, præsertim investiti & intitulati *c. de Monachis de præb. c.* 2. *de suppl. negl.* & *ibi* Laym. *nu.* 5. Dum tamen, uti interdum fit, Vicariis aliisque pensionariis assignatur portio omnino libera, ita ut totum onus principali Rectori. V. g. monasterio incumbat, hoc subsidium ab ea solvendum uti & alia onera juxta *clem.* 1. *de jurep.* Laym. *l.* 4. *Th. mor. tr.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 5. Idque etiam, si principalis Rector alias exemptus esset; non enim exemptus

est hoc ipso etiam ratione populi & Ecclesiæ parochialis Episcopo subjectæ; cum unio & incorporatio fieri censeatur salvo jure Episcopali. Laym. *l. c.* Abb. *in c. pastoralis de donat. in 6. & ibi* DD. communiter. Ad hoc tamen præstandum etiam cogi nequeunt Clerici pauperes, qui vix sufficientem victum & vestitum habent ex beneficio. Azor. *l. c. qu.* 6. Bellenz. *loc. paulo post citand. qu.* 30. Barbos. *l. c.* Pirh. remittens *ad L.* 3. *tit.* 39. De cætero ab hoc subsidio præstando Episcopo monasteria, etiam alias non exempta, de jure eximuntur, si non habeant Ecclesias sæculares, quæ ante sui incorporationem illud Episcopo præstare consneverant. Barbos. Pirh. *LL. cit.* Reiffenstuel. *h. t. num.* 104. Argum. *clem.* 1. & 2. *de censib.* Sed neque a laicis illud exigi potest. Azor. *l. c. qu.* 6. Argum *c. quia cognovimus* 10. *qu.* 3. quia, cum dicitur *cap. cum Apostolus*, posse illud Episcopum exigere a subditis intelliguntur solum ecclesiastici, ut habetur *c. conquerente h. t.* Item nequit illud exigere a clericis nullum habentibus beneficium, etsi habeant ampla patrimonalia; cum hæc non censeantur bona Ecclesiastica. Azor. *q.* 6. cum Bellenz. *opusc. de subsid. carit. cit. qu.* 31. item habentes quidem beneficium, sed non possessionem, vel ex alio capite nullos fructus percipientes ex illo. Azor. *l. c.* Item pensionarins ratione pensionis quam percipit ex beneficio alieno, cum stylus curiæ Romanæ habeat, ut pensio authoritate Papæ assignata sit libera ab omni onere, etiam subsidii caritativi; quia Papa reservat pensionem tanquam annum alimentum; alimenta autem concedi soleant libera ab oneribus & contriburionibus. Azor. *l. c. qu.* 6. contra Bellenz. *qu.* 37. & Gigas *de pension. qu.* 38. censentes utrumque, rectorem nimirum beneficii & pensionarium solvere debere pro rata portione. Item domus hospitales pietatis causa exstructæ, si Episcopi authoritate fundatæ non sint; quia tunc loca sacra & religiosa non sunt, possuntque redire ad usus profanos. Bellenz. *q.* 18. Secus, si fundata sunt authoritate Episcopi, Bellenz. *l. c.* quam opinionem probabilem dicit Azor. *l. c.* contra Card. *in Clem. quia contingit* & Perusin. censentes, neque tunc ab iis exigi posse subsidium caritativum. E contra tenentur solvere subsidium caritativum excommunicati, suspensi a beneficio, tametsi fructus nullos percipiant, quia sua culpa in excommunicatione manent, & tales non sunt immunes ab oneribus & incommodis. Azor. *cit. qu.* 6. citans Butr. *in c. cum bonæ de ætat. & qualit.* Host. &c. Item possessor beneficii tenetur illud exactum a prædecessore & non solutum solvere, etsi is nullos, sed prædecessor fructus perceperit. Bellenz. *qu.* 51. quia id onus impositum beneficio. Negant e contra alii, quia putant id esse onus reale impositum fructibus beneficii, adeoque transire ad hæredes. Azor. censet, posse Episcopum illud exigere, a quo maluerit. Qui tamen etiam ait cum Bellenz. *quæst.* 35. deberi hoc subsidium Episcopo, in cujus diæcesi est beneficium, & non Episcopo, in cujus diæcesi sita prædia & possessiones, ex quibus fructus beneficii percipiuntur. Denique, tametsi Episcopus semel aut iterum remittere possit hoc subsidium huic vel illi ecclesiæ, modo exinde alii non magis graventur, non posse tamen Episcopum aliquem eximere ab hoc onere in perpetuum aut quo ad vitam censent, Bellenz. *quæst.* 47. Azor. *quæst.* 7. multoque minus simpliciter efficere ecclesias liberas a tali onere. Azor. *l. c.* citans Abb. Butr. Host. Innoc. *in c. cum venerabilis de censib.* ac dicens, esse communem opinionem. Quamvis, ut Bellenz. *quæst.* 48. possit convenire cum ecclesiis, ut subsidium illud alia re compensent. Sed neque posse subditos præscribere immunitatem ab hoc subsidio, cum quadam naturali æquitate & lege caritatis debeatur, tradit *cit. qu.* 7. Azor. citatis Host. Jo. And. Butr. *in c. cum Apostolus de censibus*.

2. Secundo portio canonica episcopalis, hoc est, pars mortuariorum, seu pars ex legatis ac funeralibus oblationibus, item ex oblationibus aliis non factis causa & occasione funeris, ex decimis aliisque donariis, quæ fiunt ecclesiis aliisque piis locis intra diæcesin existentibus, (per quæ postrema verba distinguitur pars canonica Episcopalis a parte canonica parochiali, quippe quæ fit tantum Ecclesiæ parochiali ex bonis, quæ parochiani legant sive relinquunt vel offerunt ratione funeris, dum quis extra parochiam sepulturam eligit. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 12. *qu.* 1. *juncta qu.* 6.) debita secundum canones Episcopo tanquam pastori ordinario omnium Ecclesiarum suæ diæcesis *c. conquerente h. t. & c. requisivisti de testam. c. quarta de præscript. c. concessa* 12. *quæst.* 2. *cap. de his qu.* 10. Quæ pars alicubi est pars quarta, alibi pars tertia, aut etiam media juxta diversas particularium locorum consuetudines *c. certificari de sepult.* & juxta *cit. c. requisivisti* juncta Gl. *v. quarta* & Gl. *in c. conquerente h. t. v. mortuariorum*. Ubi autem non exstat coosuetudo determinans hanc quantitatem, spectandam esse consuetudinem Ecclesiæ Metropolitanæ; ubi nec illa apparet, vicinarum Ecclesiarum consuetudinem attendendam; quæ si varia est, debetur quarta pars; quia in hac magis concordare videntur Canooes, & in dubiis sequendum, quod est minimum *l. si ita collectum ff. de Reg. Iur.* ita Azor. *cit. quæst.* 1. cum Archid. *in cap. cum quis de sepult. in 6.* & Innoc. *in cap. requisivisti de testam.*

Porro exactio hæc & præstatio portionis canonicæ per contrariam consuetudinem 40. annorum spatio præscriptam penitus aboleri potest; quia consuetudo etiam contra jus recepta spatio 40. annorum valet. Azor. *l. c. qu.* 3. citans Abb. Innoc. & Petrum Perusin. contra Host. Jo. And. Goffred. &c. & sic de facto per talem consuetudinem in quibusdam locis est omnino abolita *c. quarta de præscript.* Sylv. *v. canonic. portio qu.* 1. Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 86. *nu.* 4. Pirh. *h. t. nu.* 106. Ubi autem adhuc est in usu, ad eam solvendam obligantur etiam monasteria, non exempta ab ea solvenda per specialia privilegia Apostolica (qualiter quam plura monasteria, ac specialiter Prædicatorum, Minorum de observantia, Minimorum, aliorumque communicantium in horum privilegiis a præstanda dicta portione esse libera, testatur Reiffenst. *h. t. num.* 100. citans Barbos. *alleg.* 86. *num.* 17. ubi etiam pro hoc adducat. decis. Rotæ *de* 15. *Ian.* 1618.) jure sic specialiter statuente & exprimente juxta dicta supra. Abb. *in c. dilectus h. t. num.* 4. Pirh. *l. c.* juxta *c. requisivisti*. Quin & monasteria aliaque loca pia specialiter ab ea solvenda non exempta, exempta tamen a lege jurisdictionali hoc ipso exempta etiam esse ab ea solvenda, contra Host. *in sum. de sepult.* Pet. Perusin. *in opusc. de portione Can.* Laym. *Th. mor. tr.* 5. *c. ult. num.* 13. *& de jurisd. Ordinar. concl.* 120. & alios tanquam probabilius defendunt Abb. *in c. officii de testam.* Angel. *v. canon. portio*. Sylv. *ubi ante qu.* 3. Azor. *qu.* 5. dicens, esse opinionem omnium consensu receptam. Pirh. *l. c.* Barbos. *cit. alleg.* 86. *num.* 11. eo quod hæc portio debeatur ratione Ecclesiarum, quibus bona illa legantur, & quidem in signum superioritatis, vel propter onus curæ pastoralis; Episcopus autem non sit superior, neque curam habeat ecclesiæ vel loci exempti & immediatè Papæ subjecti, adeoque nequeat exigere vel percipere in iis jura episcopalia. Illud indubitatum, quod ubi monasteria & Ecclesiæ exemptæ habent alias Ecclesias & capellas vel populum non exemptum, adhuc teneantur portionem canonicam præstare Episcopo. Secus, si dictæ Ecclesiæ vel capellæ una cum populo pleno jure, id est, in spiritualis & temporalibus essent subjectæ monasteriis vel Ecclesiis ejusmodi exemptis. Pirh. *l. c.* Barbos. *l. c. n.* 14. & 15. Verum his non obstantibus, juxta Trident. *sess.* 25. *c.* 13. *de reform.* quartam mortuariorum seu funeralium partem solvere tenentur Regulares exempti, non obstantibus quibuscunque privilegiis, si jam ante annos 40. pars ea fuerit ab eis solita persolvi. Unde, Gallemart. *in declarationib. ad hoc c.* non comprehenduntur hoc decreto, seu non tenentur solvere Episcopo, aut Ecclesiæ Cathedrali vel Parochiali dictam quartam portionem, prout sæpe respondisse ait S. Congregat. si ædificata a 40. annis citra seu post, aut quæ in dies ædificantur, supposito, quod hujusmodi monasteria sint ejus Religionis, cui a Sede Apostolica indultum, ut non teneantur dictam quartam portionem solvere Episcopo. Quin & ut Idem testans sic quoque resolutum a S. Congreg. regularibus, qui sunt in quasi possessione non solvendi hanc quartam Episcopo vel Parocho non incumbat onus probandi, ante annos 40. solitam non solvi ab eorum Monasteriis; sed onus probandi, regulares ante annos 40. solitos fuisse solvere dictam quartam, spectat ad Episcopos vel parochos. De cætero casus plures, in quibus dicta portio canonica episcopalis deduci non possit ex bonis, quæ obveniunt ecclesiis, plures enumerat ex Pet. Perusin. Sylv. Angel. Azor. *l. cit. qu.* 7. Ut, si aliquid relinquatur pro Ecclesiæ fabrica, pro capella construenda, vestibus sacris, ornamentis reparandis vel comparandis, item pro oleo & cera ad luminaria, ad anniversarium perpetuum celebrandum, *c. ultim. de testam. c. ex parte de verbor. signif.* item ad perpetuum cultum divinum, v. gr. sacrum quotannis in die festo Sancti alicujus decantando &c. Denique si domus hospitalis, cui legatur aliquid, locus religiosus non est, utpote privata alicujus authoritate, non Episcopi fundatus, manens talis, non deberi ex eo partem canonicam, ex Baleo & Abb. ait Azor. *l. c. quæst.* 8. Secus, si mortuo fundatore transeat cura loci illius ad Episcopum, ita ut amplius ad profanos usus converti nequeat. Item si quid legetur simpliciter pauperibus, etiam alicujus domus hospitalis, V. gr. dum testator constituit, ut cuilibet in eadegenti detur vestis, aut certa pecuniæ quantitas, non debere inde detrahi portionem dictam canonicam, censet Jo. Andr. *in cit. c. offic.* eo quod tunc censeatur legatum

tum personis non loco, quam sententiam probat Azor. *l. c. q.* 9. Si hospitale poscit paucos vel solum certum genus personarum; secus si generale est, suscipiens omnes pauperes. Sic quoque non deberi, dum quid legatur leprosis, qui in certo loco curantur, ut Sylv. *l. c. q.* 6. Item si religiosis in certo loco commorantibus, vel puellis, ut dotem habeant, ut cum Sylv. *l. c.* Azor. *q.* 10. Item si legetur quid Societatibus, quæ confraternitates dicuntur. Ut cum Abb. *in c. officii de testam. in fine* Covar. *c. officii num.* 12. Baldo & aliis Azor. *quæst.* 11. contra Perusin. Anchar. Barbat. &c. eo quod tunc legatum factum non loco pio, sed Collegio personarum pio. Ac demum, si quid legetur a subdito Episcopi Ecclesiæ constitutæ extra diæcesin; quia illius cura non est penes Episcopum. Abb. *in cap. requisivisti* Jo. And. *in cap. certificari de testam.* Azor. *q.* 12. Quod attinet portionem canonicam Parochialem, de ea vide me *in foro benef. part.* 1. *a quæst.* 454. uti & Azur. *loc. cit. cap.* 13. *per tot.*

3. Tertio procurationes, de quibus præter jam dicta notanda sequentia. Primo. Victualia præstari debita Episcopo vel alteri ejus jussu visitanti aut etiam aliis Prælatis inferioribus ratione visitationis appellari in jure *procurationes*. Nomine vero victualium veniunt & continentur cibus & potus visitantis ejusque familiæ, pabulum & stramenta jumentorum, quibus utitur. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 42. *q.* 7. juxta *l. verbo victus & duab. sequent. ff. de verbor. signif.* Huc etiam reducuntur (alias enim stricte loquendo victualium nomine non veniunt nisi cibus & potus necessarius ad unum diem, qui & *Diarium* dici solet *l. diariis ff. de alimeat. & cibar. Legat.* Alimentorum autem nomine præter victum etiam alia necessaria ad sustentationem *l. Legatis cod.* Pirh. *h. t. num.* 108.) Lectus, stragula, linea & stannea supellex ad discumbendum necessaria. Item ligna ad coquendum & calefaciendum, domus commoda ad divertendum tempore visitationis. Azor. *l. c.* Secundo has procurationes jure quasi naturali deberi, cum nemo cogatur militare stipendiis propriis. Et quamvis necdum circa annum 800. hæc procurationum episcopalium jura certa & definita fuisse, constet ex Concil. Cabilonens. II. anno 813. apud Thomass. *de vet. & nova Eccles. discipl. p.* 3. *l.* 2. *c.* 32. *num.* 2. Dum in eodem Concilio *Can.* 14. invitantur Episcopi, ne in visitandis Parochiis quid exigant; imo ut ne quidem accipiant sponte oblata, nisi necessitate arctentur, cæperunt tamen etiam ex post jure positivo induci, & præcipi, ut constat ex variis Canonibus; quin & equorum famulorumque numerus determinari, ut videre est apud Thomass. *l. cap. a nu.* 3. Unde jam etiam obligati ad eas præstandas censuris ad id compelli poterunt juxta *c. cum nuper de censibus*. Tertio in his suppeditandis spectandam quidem provinciæ, quæ visitatur, consuetudinem, & conditionem Visitatoris. Azor. *l. c.* cum Jo. And. & Imol. *in c. cum secundum de preb.* Unde jure non cogitur visitator, dum monasteria visitat, vesci cibis juxta regulam consuetis talium monasteriorum. Azor. citans *Clem.* 2. *s. regularem de censib.* & Gl. *ibidem*. Sed neque in computandis procurationum sumptibus Visitator detrahere id tenetur, quod alias domi consumpturus esset, cum procurationes debeantur non solum tanquam alimentum, sed etiam tanquam operæ ac laboris stipendium. Azor. *l. c. q.* 5. Spectandas tamen etiam ecclesiarum facultates, ita ut hæc moderate exigenda, ne graventur ecclesiæ, nec aliæ præ aliis *c. conquerente h. t.* Atque ita jam tum olim Ludovicus Pius, ut constat ex Concilior. Gallican. *Tom.* 2. *pag.* 452. apud Thomass. *l. c. num.* 3. Episcopis inculcabat, ut ea temperantia visitarent Parochias, qua Parochis graves non essent. Item Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis apud eundem Thomass. *nu.* 7. monet Hedenulphum Episcopum, ne gravaret Parochias, quas obambularet ultra modum statutum a Canonibus & morem majorum; ne tantundem ex capellis, quam ex Parochiis exprimeret, sed ex his illisque conjunctis id acciperet, quod olim moris & juris ne amicos Vassallosque suos in Parochorum ædibus hospitari velit. Idemque in præceptionibus suis ad Archidiaconos illis præcepit, ne graves sint Parochis, quos visitant, ne amicos vel cognatos circumducant, ut eos Parochiani procurent, & eorum equos alant, ne diutius moram trahant in ulla Parochia, & ubi necessitas morandi fuerit, ex vicinis Parochiis aliquid ad necessarias impensas eliciant. Ex eodem fine constituit Carolus Calvus, ut habetur Concilior. Gall. *Tom.* 3. *p.* 2. & 8. apud Thomass. *l. c. n.* 10. Ne Episcopus in visitationibus moraretur in ecclesiis minoribus, sed ditiores eligeret, & ad eas quatuor viciniores Parochi gregem suum adducerent, conferantque ad sumptus Episcopi & comitum ejus. Inculcarunt quoque hanc moderationem servandam & gravamen cavendum varia Concilia, graviter exardescentia contra ministrorum Episcoporum, puta Archidiaconorum, Archipresbyterorum &c. Hoc in puncto excessus, avaritiam, sordes, & parochiorum vexas, ut videre est in Concil. Pariss. 6. ad annum 829. *Can.* 25. item ex Aquisgran. II. ad annum 839. apud Thomass. *cit. c.* 32. *num.* 4. & luculentius ex verbis Concilii Lateran III. ad annum 1179. *Can.* 4. *grave nimis & emendatione dignum dignoscitur, quod quidem Coepiscoporum nostrorum ita graves in procurationibus suis subditis existant, ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica compellantur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumat &c.* Atque ea ipsa, quæ pro hoc gravamine cavendo consultissime statuerant priora Concilia, paucis Concilium Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reform.* complexum, omnibus, quibus jus visitandi est, sic præcipit: *modesto contenti equitatu famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere: Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosique sint. Neve ipsi aut quisquam suorum quicquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali, exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate & non ultra erunt ministranda. Initi vero locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia nec pecunia, nec quicquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observet. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam aliis etiam pœnis juxta constitutionem Concilii generalis Lugdunens. quæ incipit: exigit. Nec non & aliis pœnis in Synodo provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniæ mulctetur &c.* Id ipsum quo ad dictam pœnam procedere quoque de Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis visitantibus, constat ex citato Concil. Lugd. ubi *alioqui ex tunc Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum ultra dictum tempus restituere differentes ingressum ecclesiæ sibi sentiant interdictum: inferiores vero ab officio & beneficio suspensos se noverint, quousque de duplo hujusmodi gravatis ecclesiis plene satisfecerint, tametsi liberalitatem & gratiam erga eos exercere, eaque elargiri vellent hi, qui prædicta solverent &c.* uti ea habentur *c.* 2. *de censibus in* 6. Quarto olim quidem liberam fuisse visitationis impensas exigi & recipi in pecunia numerata. Argum. *c. relatum* 10. *q.* 1. & *q.* 3. Azor. *l. c. q.* 9. citans insuper Gl. *in c. felicis v. concedimus de censibus in* 6. Idipsum tamen postea in variis Conciliis inhibitum, uti videre est apud Thomass. *l. c. c.* 33. *n.* 7. Item ab Innoc. IV. *c.* 1. *de censibus in* 6. Et a Gregorio X. in generali Concil. Lugd. multoque magis proscripta quorundam Visitatorum rapacitas, qui & pecunia & cibo potuque procurari volebant, ut constant inter alia ex Concilio Salmuriens. ad annum 1253. apud Thomass. *l. c.* Nec non illorum, qui pro redemptione procurationum exigebant pecuniam ab ecclesiis, quas personaliter non visitabant, ut constat ex Concil. Pariss. anno 1212. *Can.* 15. Inhibetur item in Concil. Londinens. ad annum 1342. *Can.* 7. & in Andegav. ad annum 1448. Ne Archidiaconi, Archipresbyteri, cæterique, quibus est jus visitandi, pluribus una eademque die visitatis Ecclesiis plures pecuniarias procurationes recipiant. Uti idem statuitur *in c. felicis de censib. in* 6. Nihilominus limitationem his aliquam adhibuit Concilium Langeacense apud Thomass. *cit. c.* 33. *n.* 8. Dum *Can.* 1. inquit inhibemus, nec pecuniam pro procurationibus, sed impensas tantummodo in victualibus a locis, quæ visitarunt, recipiant moderatas, nisi a locis, in quibus taxatæ sunt procurationes ab antiquo in pecunia, vel quæ inhabilia sunt ad sustentationem Prælati, adeo, quod in eis Prælatus honeste procurari non possit, quæ tamen loca ante procurationis susceptionem statuimus Prælatos visitare teneri. Ita quoque Bonifacius VIII. ut inquit Azor. *cit. q.* 9. videns dictas Innocentii & Gregor. constitutiones servari non posse ubique sine maximo ecclesiarum, quæ visitantur, & Prælatorum, qui visitant incommodo, dum sæpe contingit, ut clerici, ad quos visitandos Prælati accedunt, nec domum habeant, quæ commode Episcopum capere queat, nec supellectilem tali usui necessariam, nec possint sine dispendio, quæ sunt ad victum parata, alio transferre, statuit in *c. felicis de censib. in* 6. *Ut Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi & alii, ad quos spectat visitandi onus, a rectoribus quidem locorum qui visitantur, si ultro offerant, pecuniam accipere possint in sumptus moderate faciendos in victualibus pro tempore, quo visitationis officium personaliter exercent &c.* Et novissime Trid. *l. c.* Idipsum reliquit *in optione eorum, qui visitantur si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum; an vero dicta victualia subministrare:*

salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis aliisque piis locis aut ecclesiis non parochialibus inito, quod illæsum permaneat &c. Quinto ad solvendas procurationes teneri jure communi monasteria, nisi per specialia privilegia sint exempta. Azor. *l. c. q.* 2. juxta *c.* 1. *& ult. de censib. in* 6. Laici quoque non solum propter inopiam Parochi pro eo, ut vult Gl. *in c.* 1. *de censib. in* 6. *v. laicos* sed & suo nomine concurrere debent ad has impensas; cum & ipsi visitentur, & spiritualia beneficia recipiant. Unde, sicut vi præscriptionibus eximi nequeunt a visitatione, ita nec contraria consuetudine ab impensis illis faciendis. Azor. *l. c. q.* 3. citans Gl. *ult. in c. placuit* 10. *q.* 1. Jo. And. Imol. *in c.* 1. *de censib. in* 6. Sexto ab onere ratione visitationis præstandi procurationes variis modis liberationem contingere posse. Nimirum privilegio; in quo casu, si privilegium convenit ecclesiis vel personis jure communi, tunc onus solvendi incumbit cæteris ecclesiis vel personis *c. pervenit. de immunit. eccles.* Azor. *l. c. q.* 31. & DD. *in l. ab omnibus ff. de* L. Secus vero, si privilegium specialiter concessum a Papa; cum privilegium Principis datum censeatur sine detrimento aliorum, adeoque concessum uni aliis nocere non debet. Azor. *ibid.* Similiter exemptione, dum exemptio generalis est, nimirum ab omnibus oneribus, vel etiam dum est exemptio a jurisdictione Episcopi, etsi in ea non fieret specialis mentio procurationum. Azor. *l. c.* (ubi etiam, quod dum ecclesia exempta est ab omni jurisdictione Episcopi, eo ipso censeatur a visitatione & procuratione Archiepiscopi, cum Archiepiscopo plus nihil competat in his, quæ ad visitationem spectant quam Episcopo) cum Gl. *in Clem.* 1. *de censib. v. exemptione*, quæ tamen Glossa excipit procurationem debitam Nunciis Apostolicis visitantibus proviociam; ita ut generalis exemptio ab ea non liberet. Item contingit præscriptione, non quidem, vi cujus quis directe præscriberet contra visitatorem, amoliendo a se totum onus procurationis, ita ut ea privaretur visitator in totum (dico *in totum*, nam non improbari præscriptionem, vi cujus diminueretur solum procuratio, nisi ea diminutio sit tanta, ut id, quod solvitur, non sufficiat ad victum commodum visitatoris, tradit Azor. *cit. q.* 11. citans Butr. Imol. Felin. *in c. cum ex officii de censib. & Extrav. Benedicti XII. vas electionis de censib. inter comm.* contra Jo. And. & Abb. *in c. c. cum ex officii*) sicut enim vi præscriptionis nemo eximitur a visitatione, sic nec a præstanda procuratione ratione visitationis, privando ea visitatorem; sed vi cujus quis totum onus procurationis transtulit in alium, ita ut per hoc non patiatur visitator. Azor. *cit. q.* 11. *§. si roges* item vi cujus procuratio non tolleretur, sed mutaretur in aliud. V. g. ut procuratio semper solvatur in pecunia, vel ut Visitator non in domo ecclesiastica, sed in aliquo diversorio excipiatur; vel ut comites Visitatoris non sint amplius nisi 6. cum alias essent decem. Azor. *l. c. §. insuper potest* cum citatis ab eo paulo ante AA. Nihilominus licet *c. venerabili de censib.* pronunciatum sit, præscribi non posse jus procurationum, huic tamen juri derogatum a Trid. dum in eo sancitur, ut si alicubi invaluisset consuetudo non procurandi Episcopum visitantem, ea retineatur, ait Thomass. *p.* x. *l.* 3. *c.* 80. *num.* 11. juxta declarat. S. Cong. uti etiam, quod Episcopum administrantem Sacramentum confirmationis opus non sit procurari. Similiter, ut ait Idem Azor. *§. idem potest* cum Gl. *in Clem.* 1. *de cens.* 6. *v. legitima & in Clem.* 2. *tit. eod. v. compositiones & ibi* Imol. & Card. pacto statui potest procurationis modus. V. g. ne majorem comitatum secumducat Visitator, major numerus ferculorum non apponatur, quam conventum inter eum & ecclesiam visitandam; modo tamen procurationis limites præfixi non sint nimis angusti, quæ præsulis dignitati non conveniant, tunc enim irrita foret conventio. Sic observat Fagn. apud Thomass. *l. c. cap.* 33. *nu.* 13. approbatam fuisse a S. Cong. concordiam initam inter Episcopum & Clerum, qua Episcopo ipsi visitanti 125. nummi, visitanti autem per Vicarium 96. solvebantur. De cætero procurario ex illis est, quæ præscriptionem non patiuntur Innoc. III. *in c.* 6. *de præscrip.* adeoque ne quidem longissima præscriptione superante memoriam immunitas a solvenda procuratione induci potest, ut Azor. *l. c. quæst.* 12. cum Felin. *in cap. cum ex officii de præscrip.* contra Abb. *cons.* x6. *l.* 2. & Marianum *tr. de visitat. num.* 52. Neque enim talis longissima præscripto æquivalet privilegio (vi cujus dicta immunitas induci potest) nisi in iis, quæ ex natura sua præscriptionem patiuntur; alias enim laici jura spiritualia (quæ privilegio acquirere possunt, ut patet in collatione beneficiorum, electione ecclesiastica) tali longissima præscriptione acquirere possent, quod falsum est; quia juris spiritualis ex natura rei sunt incapaces; hoc verum est, quod vi immemorialis consuetudinis vel possessionis allegari possit privilegium, atque ita immunitas a procuratione fundari in privilegio, non autem in præscriptione. Item remissione, non quidem, ut procuratio remittatur ex toto seu imposterum & pro semper; non enim ea magis sic remitti potest quam ipsa visitatio, cum non minus quam illa sit juris publici. Azor. *§. pacto* cum Glossis, Felin. & Abb. paulo ante citatis. Sed si procuratio toties, quoties visitatur, condonetur a visitatore propriis impensis hoc onus sustinente, ut iidem. Posse tamen etiam ex toto remitti procurationem, ubi ea non est ex jure communi, sed ex præscri-scriptione, privilegio vel pacto tantum debita est ei, qui proprius Prælatus non est; eo quod tunc non sit jus publicum, ait Azor. *cit. q.* 11. *§. potest quoque* citans Federic. *cons.* 89. Felin. *ubi ante.* Verum non video, qualiter talis Prælatus, qui consuetudine, præscriptione vel privilegio acquisivit jus visitandi & exigendi procurationem ratione visitationis, in detrimentum suorum successorum remittere pro semper procurationes; cum tantundem juris illis tribuat præscriptio legitima quam jus ipsum. Item paupertate, dum Ecclesia, quæ visitatur, non est solvendo procurationem. Ab ecclesiis enim omnino pauperibus procurationes accipiendæ non sunt, sed Episcopus propriis sumptibus tenetur eas visitare, sicut etiam hospitalia & domus pauperum & infirmorum. Pirh. *h. t. n.* 107. Barbos. *de potest. Ep. alleg.* 73. *num.* 50. Quod credo intelligendum de hospitalibus non bene fundatis, seu non valentibus commode sustentare consuetum numerum infirmorum, secus de aliis laute fundatis & habentibus. In quo tamen casu paupertatis ecclesiæ ait Azor. *c.* 10. citans *c. cum instantia & c. procurationes de censib. in* 6. debere vicinas ecclesias pro cujusque redditibus opem ferre, & si nec hæ subsidium ferre possint, debere Episcopum propriis impensis visitare, ut Gl. Abb. Jo. And. *in cit. c. procurationes.* Et nequaquam cogi rectorem ecclesiæ hujus ornamenta alienare, ut Visitatori victum præbeat, ut habet communis. In dubio autem, num ecclesia revera sit pauper, standum juramento rectoris. Similiter sterilitate, ut si eo anno ecclesia passa fructuum sterilitatem, ideoque non superesset, unde Rector ecclesiæ solvere possit impensas procurationis, seque cum familia commode sustentare. Azor. *cit. q.* 12. *§. illo quoque* cum Marian. *tr. de visitat. num.* 65. & Archid. *in c. relatum* 10. *q.* 3. Nisi forte, ut iidem Azor. & Marian. Argum. *l. si uno ff locati* præcedente anno tanta fuisset frugum ubertas, ut sterilitatem præsentis anni compensare posset. Quin & ut Marian. *l. c.* Si subsequens annus præcedentis anni sterilitatem compensasset, hoc subsequente anno utriusque anni procurationes solvi deberent, si id sine magno ecclesiæ incommodo fieri posset. Septimo dum Episcopus personaliter non visitet, sed per alium, non potest ab iis, qui visitantur, quicquam exigere, sed procurationes illi præberi debent, per quam visitantur *c. si Episcopus h. t. in* 6. Adeoque, etiam ex eo, quod visitati plus expendere debuissent, si Episcopus ipse visitasset, illum excessum exigere nequit Episcopus. Pirh. *h. t. num.* 108 cum Gl. margin. *in c. si Episcopus lit. B.* quo spectat, quod, ut habet Fagn. *in l.* 3. *decret. p.* 2. *pag.* 276. apud Thomass. *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 13. Dum Episcopus quidam anno 1613. petiisset a S. Cong. ut sibi tanquam grandævo visitanti per Vicarios liceret tamen easdem procurationes suscipere, quas percepturus esset si ipsemet visitaret, passus repulsam, eo quod jus procurationes non addicat nisi illis, qui ipsimet visitant, nisi forte essent consecuti desuper privilegium Apostolicum, vel specialibus muniti essent transactionibus. Sed neque debetur Episcopo procuratio, dum postquam semel visitavit, eodem anno reiterare vult visitationem nulla causa urgente. Azor. *l. c. q.* 12. *§. illo quoque* Marian. *l. c. nu.* 66. Et licet jure decretalium potuerit Episcopus jure suo suas sibi vendicare procurationes in civitate & ecclesia Cathedrali visitanda, hunc tamen usum abolitum esse a Tridentino, ac ita declaratum a S. Cong. testatur Fagn. apud Thomass. *l. c.* Octavo præter procurationem visitatori ordinario non debentur vecturæ, aut equorum & jumentorum sarcinas deferentium mercedes; neque eorum jactura, si quæ forte facta in itinere, resarcienda, neque viaticum & impensæ factæ in transitu itineris. Azor. *q.* 8. cum Gl. *in c. Romana de censib. in* 6. *v. in victualibus.* Non enim hæc veniunt nomine victualium. Unde etiam pergens ad visitationem ab incolis ejus loci, per quem transit, hujusmodi, aut etiam victualia seu procurationes jure exigere non potest. Azor. *ibid.* Argum. *c.* 1. *de empt. & vendit. & c. de monachis de preb.* Secus tamen est, dum Visitator est a Papa specialiter delegatus; tali enim ista debentur, ut a loco ad locum commode transire possit. Azor. *loc. cit.* cum Gloss. *in clem.* 2. *de censib. v. si voluerit.* & Imol. *ibid.* Uti etiam Legatis Apostolicis aliquo proficiscentibus sumptus & viaticum deberi ab ecclesiis, ad quas, dum legationis officio fungitur, accesserit, etiam absque

ulla

ulla visitatione. Azor. *qu. 14. §. secundo Legatis*, citans *cap. procurationes*, *& c. cum instantia de censib. & ibi* Abbat. Nono debere tamen etiam quandoque Episcopo extra visitationem procurationes ait Marian. *nu.* 35. v. gr. dum Sacramentum confirmationis administrat, (quamvis, dum de eo dubitaretur, num Episcopo proficiscenti ad confirmandos Neophytos deberetur procuratio, S. Congregationem respondisse non deberi, testetur Thomass. *l. c.*) vel Chrisma conficit, aut ecclesiam recens ædificatam consecrat, aut pollutam reconciliat. Azor. *q.* 14. *§. fin.* plura de procurationibus vide apud Pirh. *ad tit.* 39 *l.* 3. *& ibi* AA.

4. Quarto Cathedraticum seu Synodaticum, cujus nomine Episcopus annue exigere potest a qualibet suæ diœcesis ecclesia (exceptis tamen ecclesiis monasteriorum, non tamen eorum capellis, aut etiam Parochiis illis incorporatis, *c. inter cætera* 10. *qu.* 1. & *ibi* Glos. *v. solutionis*. Uti & Gl. *fin. in c. dilectus h. tit.*) duos solidos, *c. conquerente h. t.* Dicitur Cathedraticum, quia datur in honorem Cathedræ seu dignitatis episcopalis. Gl. *in c. conquerente ver. duos solidos*. Pendi solitum in quibusdam locis in visitatione Parochiarum, in aliis vero in Synodo diœcesana quotannis celebranda; unde etiam dicitur Synodaticum. Fuisseque unum idemque Cathedraticum quod Synodaticum, constat ex c. conquerente. Prout hæc omnia ostendit Thomass. *l. c. cap.* 34. *nu.* 6. Ex Concilio Pictaviensi ad annum 1280. qui etiam *nu.* 5. ait; *non aliud fere jus Episcopale Cathedratico antiquius, cui & sicut semper constitit, & constat, etiamnum viget*. Sed neque a Trident. abolitum Cathedraticum, respondit S. Congreg. apud Thomass. *n.* 7. Sed non pendendum illud in visitatione; quippe ubi quidvis exigi vetat Trid. sed in Synodo. De qua Tridentini voluntate non dubitavit Concilium Bituricense ad annum 1584. Dum sub pœna excommunicationis statuit, solvi omnino debere Synodaticum & Cathedraticum. Item S. Carolus Boromæus in Synodo sua secunda, ut testantur acta Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 346. innovans hisce expressis legem Cathedratici: *Illud SS. Canonibus constitutum est, ut a singulis parochis in Diœcesana Synodo Cathedratici nomine duo solidi exigantur, idque argumento honoris, qui Cathedrali ecclesiæ tanquam matri a cæteris parochialibus ecclesiis tribui debet &c.* Porro nomine solidi intelligi aureum, arbitratur Glos. *in c. placuit* 10. *qu.* 3. uti & *l.* 2. *C. de sportulis*. Quamvis, cum valor duorum solidorum in diversis provinciis sic varius, in ejus taxatione & solutione attendendam semper esse rationabilem cujusque provinciæ consuetudinem, ait Pirhing *h. t. nu.* 106. citans Piacens. *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 2. *art.* 3. *n.* 11. Barbos. *de off. Episc. alleg.* 86. *n.* 44.

5. Quinto est pars quarta decimationum Parochialium, quæ spectato jure communi debetur Episcopo seu Ordinario loci, *c. conquerente h. t. c. de quarta de præscript. c. cum olim de censib.* Idque propter curam universalem, quam habet Episcopus in ecclesiis sibi subjectis. Pirhing *h. t. nu.* 105. Barbos. *l. cit. n.* 33. Adeoque, quantum est de jure communi, a solis ecclesiis Parochialibus, & non a monasteriis, aliisque ecclesiis non parochialibus, solvenda. Pirh. *l. c.* Barbos. *n.* 38. Facta siquidem Parochiarum divisione, applicatisque prædiorum decimis singulis Parochiis, jure proprio reservata Episcopo hæc quarta portio, visa necessaria ad congruentem sustentationem, tanquam superiori Ordinario Pastori fidelium. Verum dum in plerisque locis Episcopi ea propriis fundationibus aliisque titulis congruentem sustentationem habeant, quarta illa decimarum in pluribus diœcesibus in desuetudinem abiit, ut cum Layman *Theol. Mor. l.* 4. *tract.* 6. *c.* 4. *nu.* 6. notat Pirh. *l. c.* Ad quam etiam abrogandam sufficere 40. annorum præscriptionem cum titulo, ait idem juxta *cit. c. de quarta*. De cætero, quæ de ea ubi adhuc in usu est, quæri possunt, vide apud me *in foro benef. p.* 1. *q.* 480. *a nu.* 5. ubi etiam *nu.* 7. Enumerantur casus, in quibus adhuc hodie decimæ integræ immediate ad Episcopum pertinere possunt jure communi. Præter quæ de decimis, quid primitus & deinceps fuerit statutum & servatum vide apud Thomass. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 3. *& seq.*

6. Sexto tertia pars oblationum est quoque de lege diœcesana. Hæc enim de iis, quæ in altari offerebantur antiquitus, fideliter ad Episcopum deferenda, *c. de his* 10. *quæst.* 1. Imo quandoque medietas earum præstari debebat Episcopo. *Can. antiquos* 10. *qu.* 1. Monasteria tamen ab ea erant exempta. *Can. cum pro utilitate* 16. *qu.* 1. Uti & de facto etiam ecclesiæ sæculares ad id amplius non tenentur. *Can. placuit.* ubi: *neque tertiam partem ex quacunque fidelium oblatione in ecclesiis parochialibus requirat; sed ipsa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ vel reparatione servetur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat*. Idem *Can. priscis ead. caus. & qu.* statuitur. De cætero, qualiter oblationes antiquitus erant in potestate Episcopi, & ab eo moderabantur & distribuebantur. Vide apud Thomass. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 7. *a nu.* 1. Item *c.* 8. *n.* 2. nti & *c.* 58. *nu.* 3. Et qualiter sæculo nono ipsi Episcopi Galliæ dimiserint partem illam tertiam oblationum, sola sibi reservata cura, ut a Parochis convenienter SS. Canonibus dispensarentur. Item plura alia de oblationibus apud eundem, *part.* 3. *l.* 1. *cap.* 2. uti & apud me *in foro benef. part.* 1. *quæst.* 463.

7. Præter dicta jura episcopalia nimirum Cathedraticum, quartam decimarum & mortuariorum, procurationem, paratam (quam Thomass. *p.* 3. *l. c. cap.* 34. *nu.* 1. putat esse idem seu eandem cum procuratione) fit quoque mentio *Emendarum*, quas delinquentes pro excessibus solvere debent, *in c. dilectus h. tit.* ubi Honorius III. testatur usum illum emendarum in Galliis convaluisse. Quod autem *in c. conquerente*, ubi idem Papa jura omnia episcopalia, recenset, earum mentio non fiat, causam eam esse potuisse, ait Thomass. *l. c. nu.* 10. quod non ubique Episcopi uterentur hoc jure. Sic quoque Trident. aliquoties indicit emendas seu pœnas pecuniarias. Quarum destinationem & usum quod attinet, S. Congreg. ut *l. cit.* Thomass. sæpe declaravit, emendas a Concilio Tridentino indictas clericis non residentibus, concubinariis aliisque id generis semper locis piis erogandas esse. Illas vero quas Episcopus ipse decernit, cum nulla lege certa edicerentur, non posse nisi in opera pia expendi: ac demum eas, quas designant Canones & Synodicæ constitutiones, servari posse integras Episcopo vere egenti.

QUÆSTIO DCCCLVI.

Utrum jura episcopalia spectantia ad legem diœcesanam præscribi possint, egeantque probatione, qui se ab iis exemptos dicunt.

1. RESp. ad primum. Præter ea, quæ dicta sunt supra in particulari de procuratione, ea præscribi non posse ab inferioribus: intellige subditis, qui ea præstare tenentur, adversus Episcopos; posse tamen ea adversus eos præscribi a Prælatis inferioribus. Thomass. *l. c. nu.* 4. juxta *c.* 11. 15. & 16. *de præscript.*

2. Resp. ad secundum. Si quis præter casus in jure expressos asserit, pertinere aliquid ad legem diœcesanam, ideoque monasterium ad illud non teneri, debet hoc probare. Abb. *in c. dilectus n.* 4. Siquidem Episcopus super his habet intentionem fundatam in jure pro tota diœcesi, unde allegant exceptionem incumbit onus probandi.

QUÆSTIO DCCCLVII.

Potestatem & jurisdictionem suam episcopalem num habeant Episcopi immediate a Christo, an a Romano Pontifice.

1. RESp. primo. Non solum Episcoporum Ordinem, utpote Sacramentum, sed & tam officium seu potestatem ordinis, quam jurisdictionis in genere esse immediate a Christo institutam, ita ut ea toto ab Ecclesia tolli nequeat Ordo seu gradus, officium & potestas episcopalis, extra controversiam cit. Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. *qu.* 13. *§. in hac controversia enim comm.* Quin etiam potestatem Ordinis in particulari hic & nunc cuique Episcopo conferri immediate a Christo, ita ut minui & auferri deinceps nequeat ab homine, certum est. Azor. *ibid.* huic postremo non obstante, quod ministerialiter seu veluti per instrumentum Dei conferatur per Episcopos ordinantes vi sacræ consecrationis ab iis adhibitæ dicta potestas Ordinis; non secus, ac quod ipsa gratia Sacramentalis conferatur non nisi mediante ministerio Ecclesiæ, non impedit quo minus Christus sit ejus author principalis, dicaturque illa immediate ab eo procedere & conferri, & Ecclesia in hoc esse solum administra Christi.

2. Resp. secundo. Secus est de potestate jurisdictionis in particulari. Siquidem jurisdictio omnis ecclesiastica, quæ est in quibuslibet Ecclesiæ Antistitibus Papa inferioribus immediate habetur a Papa Romano tanquam supremo Christi in Terris Vicario & Ecclesiæ pastore, ac capite visibili, penes quem solum a Christo immediate est hujus potestatis plenitudo, & a quo ea tanquam a radice ramus, tanquam a fonte rivulus in cæteros Prælatos, vocatos ab eodem in partem sollicitudinis dimanat; adeoque ea longe diverso modo ab illo communicatur & participatur, quam potestas Ordinis a consecratore Episcopi, vel ordinante Presbyterum; quippe qui purum est instrumentum applicans materiam & formam Sacramenti, seu administet consecrationis,

vi

vi cujus adhibita conceditur immediate, non a dicto consecratore seu ministro sed immediate a Christo dicta potestas Ordinis. Papa vero non tanquam purum instrumentum, sed ut vera causa (etsi virtute & potestate ad hoc a Christo accepta) nullo alio mediante causat in Episcopo, seu confert dictam jurisdictionem sua voluntate, dum vel eum per se denominat seu constituit, vel denominatum a Rege aliquo instituit ac præficit tali Diæcesi, vel electum confirmat. Ac proinde dicta Pontificis denominatio, institutio vel confirmatio non est velut conditio sine qua non acciperet jurisdictionem a Deo (quemadmodum electio Papæ legitime facta a Cardinali est conditio sine qua non conceditur ei a Deo jurisd. Papalis in totam Ecclesiam) sed est id, per quod immediate confertur Episcopo jurisdictio, ut Azor. *loc. c. §. secundo objicis*. Uti hæc ipsa veluti a posteriore demonstrantur ea eo, quod non solum a B. Petro ejusque successoribus Romanorum Pontificum authoritate Patriarchales, Archiepiscopales & Episcopales sedes omnes erectæ & institutæ, ut constat ex *Can. final. dist.* 11. *Can. omnes dist.* 22. *Can. urbes dist.* 88. *Extrav. unic. de off. Legat. inter com.* item extendi, uniri ac dividi possint. *Can. decimas* 49. *Can. postquam* 16. *q.* 5. *Can. ita nos* 25. *q.* 2. *c. sicut unire de excessib. Prælator.* verum etiam jurisdictionem semel concessam Episcopo limitare ac penitus aufferre potest, v. gr. deponendo illum ob crimen, vel transferendo ab uno Episcopatu ad alterum, admittendo resignationes eorum, quod certe non posset, si immediate hanc suam jurisdictionem haberent a Christo, quemadmodum, quia habent a Christo immediate potestatem Ordinis, hæc a Papa eis aufferri nequit ut patet in Episcopo deposito ac degradato eam retinente. Atque ita cum D. Th. 2. 2. *qu.* 39. *art.* 1. recte inferunt ac sentiunt Abb. *in c. translato de constit.* Turrecrem. *in sum. lib.* 2. *c.* 54. *& seq.* Cajet. *in opusc. tom.* 1. *tr.* 1. *de potest. Papæ & alibi*. Bellarm. *l.* 4. *de sum. Pontif. c.* 24. Suarez *de panit. d.* 25. *sec.* 1. *nu.* 10. Molin. *tr.* 5. *de jur. & justit. d.* 4. *a n.* 1. Barbos. *de off. Epis. part.* 1. *alleg.* 1. Azor. *l. cit.* Fagnan. *in c. perniciosam de off. judic. Ord. a n.* 29. cum communissima & verissima tam TT. quam Canonistar. ut inquiunt Cajet. Azor. &c. contra paucos, puta Henric. *quodlib.* 9. *qu.* 22. a Castro *lib.* 3. *de hæreticor. punit.* Major. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 3. *concl.* 2. Victor. *de potest. Papæ relect.* 2. *q.* 2. *a nu.* 27. Petrum Soto, *de institut. Sacerdot. lect.* 1. *de necess. & minist. confess. &c.* censentes jurisdictionem Episcopis non concessam ab homine, sed immediate a Deo seu Christo.

3. Neque in contrarium facit primo, quod Apostoli etiam alli a D. Petro constituerint Episcopos, ac deinceps singulæ ecclesiæ eorum successores elegerint. Nam ad primum dicitur, Apostolos cæteros speciali privilegio a Christo ad hoc accepto (adeoque authoritate propria sibi non a Petro sed a Christo delegata & demandata) constituisse Episcopos, conferendo illis immediate per se jurisdictionem; quod privilegium, quia personale erat, ad Apostolorum successores non transiit, sed una cum Apostolis desiit. Dum econtra potestas illa creandi Episcopos collata Petro, non tanquam privilegium, sed veluti munus & officium, ad ejus successores derivatur. Azor. *cit. qu.* 10. *§. secundo objicis*. Ad alterum dicitur, quod dum aliæ deinceps ecclesiæ elegerunt Episcopos, id factum tacito vel expresso consensu Romanorum Pontificum, electis ab ecclesiis Episcopis jurisdictionem tacite conferentium per confirmationem a se aut suo nomine ab aliis factam. Azor. *l. cit. §. quinto objicis*. Neque secundo ex eo, quod officium episcopale eapostulet jurisdictionem, sequitur, eam concessam immediate a Christo instituente illud. Satis enim erat, Christum ad impertiendam hanc Episcopis jurisdictionem dedisse ad hoc ordinariam Pontificibus potestatem. Ex quo etiam male inferes; fore Episcopos solum Vicarios & adjutores Pontificis ad nutum amovibiles, cum verum maneat, quod sint veri ordinarii pastores & Judices animarum, collata iis hac ordinaria potestate a Papa tanquam supremo Principe. Azor. *l. c. §. tertio objicis*. Neque denique ea eo, quod Apostolus *actor.* 20. alloquens Episcopos & Presbyteros Ephesinos, dicat: *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Item *ad Ephes.* 4. *vers.* 7. *posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, Evangelistas, Pastores usque ad consummationem sæculi:* sequitur, illos immediate positos a Spiritu S. seu Deo. Veritas siquidem verborum illorum satis per hoc salvatur, quod Spiritu Sancto sic ordinante & mandante constituantur interposita persona Papæ, accipiendo immediate ab hoc jurisdictionem suam. Quemadmodum ex eo, quod in Conciliis dicitur: *visum est Spiritui S. & nobis:* non sequitur, Canones & Leges ibidem sancitas profectas immediate a Spiritu S. adeoque leges omnes ecclesiasticas esse juris divini; sed quod Ecclesia facit authoritate a Spiritu S. accepta, recte dicitur, fieri a Spiritu S. uti vere dicitur a Christo, Spiritum S. docturum omnem veritatem, tametsi non nisi immediate per Concilia seu Ecclesiam perque Pontificem habentem in rebus fidei decidendis infallibilem assistentiam Spiritus S. doceamur. Azor. *l. cit. §. objicies primum*.

QUÆSTIO DCCCLVIII.

Ad quæ se extendat potestas jurisdictionalis Episcopi.

1. RESP. primo in genere. Episcopum in sua diæcesi posse omnia, quæ potest Papa in orbe Christiano universo, exceptis iis, quæ hic sibi specialiter reservavit, tanquam regulam generalem ponunt & astruunt Sotus *l.* 10. *de just. qu.* 5. *art* 3. Abulens. *in Matth. c.* 6. *qu.* 87. Gamb. *de off. leg. l.* 10. *n.* 466. Sanchez *l.* 2. *de matr. d.* 61. *n.* 3. citans plures alios. Eo quod Episcopis tanquam pastoribus Ordinariis incumbat regimen suarum diœcesium quo ad omnia, quæ illud eaposcit, ac proinde generaliter valeant omnia, exceptis iis, in ordine ad quæ restricta est eorum potestas per specialem Papæ reservationem. Econtra dictum principium verum non esse, astruunt Anchar. *in c. sicut unire de excess. prælat. notab.* 1. Suarez *l.* 6. *de LL. c.* 54. *n.* 6. Castrop. *tr.* 3. *d.* 6. *p.* 4. *nu.* 9. Fagnan. *in c. perniciosam n.* 29. *& a n.* 55. Wiestner *h. t. nu.* 82. dicens esse communem aliorum. Quæ ex eo probatur, quod si principium dictum subsisteret, jam Episcopi possent pro sua diæcesi dispensare in quacunque lege ecclesiastica, cujus relaxatio ipsis non est expresse & specialiter inhibita a Papa per speciales Canones ab eo conditos, vel per reservationes ab eo factas; aut etiam leges quascunque novas concedere pro sua diæcesi, aliaque similia facere, exceptis iis, quas condere aut quæ facere specialiter prohibentur. Quod falsum esse patet ea eo, quod dispensare nequeant cum religioso professo aut clerico in sacris constituto ad matrimonium aliisque impedimentis dirimentibus. Quod matrimonium ratum necdum consummatum solvere, irregularitates novas, aut nova impedimenta inducere & inducta tollere, indulgentias plenarias concedere. Causas clericorum criminales aliasque spirituales committere laicis, aliaque plurima (de quibus vide Fagnan. *loc. cit.*) facere nequeant. Et hoc non ea eo præcise, quod hæc specialibus Canonibus aut reservationibus Pontificiis eis inhibita sint; sed potius, quia ea per Canones aut Pontifices iis permissa non sint, vel etiam in generalibus Canonibus eis prohibita (Pontifice eis non plenitudinem potestatis Apostolicæ communicante, sed solum in partem sollicitudinis, etiam respectu diæcesis cuique propriæ eos assumente) quoties enim expresse non conceditur, v. gr. inferiori potestas dispensandi in lege superioris, censetur ei denegata dicta potestas, non in particulari, sed vi generalium Canonum statuentium, præcepta & leges superiorum esse ab inferiore servanda, & non taxanda, *c. super his c. cum inferior. de major. & obed. cap.* 5. *de constit.* Uti idipsum confirmatur ex *cap. dilectus de temp. ordin.* ubi ab Honorio III. improbatur dispensatio facta ab Archiepiscopo, non quod Canone aliquo prohibita; sed quod nullo permissa. Sed neque contrarium nimirum, quod Episcopi in suis diæcesibus, Parochi in suis Parochiis facere possint omnia seclusis reservationibus, quæ Papa potest in universali Ecclesia, ex eo arguere licet, quod *cap. super de sentent. excomm.* absolutio ab excommunicatione & peccato non reservato propriis sacerdotibus seu parochis astruatur. Nam absolutionem istiusmodi, utpote juri conformem (secus ac istæ dispensationes) magisque, quin & omnino ad usum Sacramentorum & salutem animarum generaliter permitti extra casus reservatos, etiam per specialem Canonem, expediebat. Similiter, quia obligationum votis & juramentis non reservatis contractarum remissio, item dispensatio in jejuniorum ac festorum observatione propter casus frequentius occurrentes ad ecclesiarum seu diæcesium gubernationem necessaria, Papæ concessione, saltem tacita, vel rationabili ac legitime præscripta consuetudine, merito illis permissa fuit, etsi eis permissæ non sint dispensationes aliæ & causæ graviores, etiam speciali aliqua reservatione non affectæ; cum potestas in iis dispensandi non ita ad regimen particularium necessaria, & insuper universali Ecclesiæ propter periculum inducendæ nimiæ difformitatis, confusionis, aliorumque publicorum incommodorum damnosa. Ita fere Wiestner *h. t. n.* 86.

2. Resp. secundo in particulari. Ad officium seu legem jurisdictionis Episcoporum pertinent sequentia. Primo, quæ facit Episcopus ratione Ordinis episcopalis; ut sunt Collatio Ordinum, consecratio ecclesiarum, altarium,

valo-

vasorum & vestium sacrarum, benedictio Abbatum, sacratio Virginum, confessio Chrismatis, administratio Confirmationis aliorumque Sacramentorum &c. Azor. *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 32. *qu.* 2. Sumitur enim, ut dictum supra, jurisdictionis nomen late, prout etiam includit potestatem Ordinis, quam regulariter in suos duntaxat subditos exercet. De horum vero singulis agitur, nosque egimus & porro acturi sumus sparsim in variis Juris Canonici titulis. Secundo visitatio diæcesis. Tertio cognitio & definitio causarum diæcesis. Quarto correctio & reformatio morum, punitioque criminosorum. Quinto latio censurarum. Sexto potestas condendi leges. Septimo institutio in beneficiis, quo nomine comprehenduntur præter præsentatorum approbationem beneficiorum erectio, confirmatio electorum, collatio libera, uti & destitutio seu depositio & remotio a beneficiix, *c. conquerente h. tit.* Super quibus juribus respectu omnium totius diæcesis Ecclesiarum fundatam habet intentionem, *cit. c. conquerente, & ibi* Abb. *nu.* 2. *c. omnes basilicæ* 16. *q.* 7. de qua Episcopi in re beneficiaria potestate in particulari egi fuse satis & accurate *in foro benef.* ad cujus prolixos indices lectorem remitto. De cæteris vero in particulari *in sequent.*

QUÆSTIO DCCCLIX.

Quid fuerit olim constitutum, quid modo possint, quidque incumbat circa visitationem provinciarum aut diæcesium suarum Archiepiscopis & Episcopis.

1. RESP. primo. Jus visitandi esse actum jurisdictionalem Episcopi, constat *ex c. conquerente h. t. & c.* 1. *de censibus in* 6. Pavin. *de visitat. p.* 1. *qu.* 1. *n.* 8. Quin & in visitandis parochiis maxime Episcopos explicuisse jurisdictionem, testis locupletissimus affirmat Carolus Magnus in suis Capitularibus apud Thomass. *de vet. & nova Eccl. discipl. p* 2. *lib.* 3. *c.* 79. *n.* 1. Uti & jurisdictionem exercendi excitandique tribunalis tota, qua late patet diæcesis; & jus ex suggestu dicendi occasionem potissimam esse visitationem, ait idem Thomass. *l. c. cap.* 80. *n.* 1. Quod attinet visitationis Archiepiscopalis & Episcopalis antiquitatem; fuisse jam olim ad annum 397. officii & muneris Archiepiscopalis seu Metropolitici visitare provincias & Episcopatus sibi subjectos ex Concilii Taurinatens. in Sabaudia *Can.* 2. ostendit Thomassin. *l. c. cap.* 77. *n.* 1. item *n.* 2. Ex Concilio Hipponensi, jubente, ut ab Episcopo Carthaginensi (qui, ut idem, Archiepiscopus & fungebatur munere Exarchi & veluti Patriarchæ Africæ totius) omnes Ecclesiæ circumlustrarentur ante Concilium totius Africæ. Uti & ex eo, quod narrat Possidius *in vita S. August. c.* 8. Ubi, qualiter Valerius Episcopus Hipponensis, Metropolitano seu Primate Numidiæ visitante eandem ecclesiam, captarit occasionem, ut Augustinum inaugurari faceret in Episcopum Hipponensem. De Episcopis vero idem ostendit Thomassin *l. c. nu.* 4. ex D. Aug. *Epist.* 261. Ex qua constat, usque adeo persuasum fuisse Augustino frequentius invisendas esse Episcopis Parochias suas, ut Episcopatum ipsum suum decurtari maluerit, quam sibi uni creditas eas Ecclesias, ad quas non posset, nisi raro, excurrere. Item ex *Epist. Aug.* 237. ubi is ait: *quoniam visitandarum ecclesiarum ad meam curam pertinentium necessitate profectus sum, &c.* Uti & ex Severo Sulpitio *Epist.* 1. de S. Martino sic scribente: *cum ad diæcesin quandam pro solenni consuetudine, sicut Episcopis visitare ecclesias suas moris est, medio fere hyeme venisset, mansionem ei in Secretario ecclesiæ clerici paraverunt.* Item ex *Epist.* 3. ejusdem Sulpitii, ubi apparatum & comitatum S. Martini visitantis describit. De quo vide Thomass. *l. c. nu.* 7. Ac denique *nu.* 10. ex S. Chrysost. *homil.* 1. *in Ep. ad Titum*, ubi is: *si lectulo decumbat* (nempe Episcopus) *quo pacto visitare poterit ecclesias?* qui etiam illud addat; inter episcopales functiones non aliam esse ullam, in qua plus momenti sit vel laboris, vel periculi, quam in visitatione. Quin & penes unum semper Episcopum fuisse & curam & potestatem potissimam ac primariam visitandarum ecclesiarum, & nequidem, dum Episcopi suos haberent Chorepiscopos & Periodeutas (id est, Visitatores ab Episcopis delegari solitos ad agrestes Parochias visitandas, quos Zonoras opinatur, nulli ecclesiæ singulari devinctos fuisse, ut cura sua complecti possent omnes, & ad ecclesias invisendas sæpius convolare) cessasse omnino a visitandis identidem per se ipsis, habet Thomass. *l. cit. nu.* 9. De cætero, cur de visitandis ab Episcopo Parochiis apud antiquissima Concilia & SS. Patres per tria vel quatuor prima sæcula sit silentium aut rarus sermo, eam Thomass. *n.* 7. opinatur causam, quod rarissimæ illis sæculis ruri fuerint Parochiæ. Dum inter exordia Ecclesiæ alia non fuerit diœceseos ecclesia, quam Cathedralis, in quam Episcopus curas suas convertebat.

2. Resp. secundo. Quod attinet finem visitationis, quamvis olim instituta potissimum visitatio episcopalis ad administrandum Confirmationis Sacramentum principalisque cura Episcopi visitantis erat in eo conferendo (licet eadem occasione Episcopus diligenter inquirebat in mores ac vitam Parochorum, docebat plebem, proscribebat paganas observationes & spurcitias gentilium; divinos, sortilegos, incantationes investigabat, aliaque similia exercebat & ordinabat, ut ex Concilii Liptinensis & Suessionens. *cap.* 3. item ex *Epist.* 105. Bonifacii Archiepiscopi & *Epist.* 48. *l.* 3. Gregorius Magnus ostendit Thomass. *l. c. cap.* 78. *nu.* 1.) hodiedum tamen fere contrarium est, ita ut in aliud tempus dilata confirmatione (licet quandoque tamen eodem tempore ea ministretur) scopus & finis præcipuus visitationis episcopalis sit, sanam orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, vitia exstirpare, crimina publica punire, inquirere in legitimam Sacramentorum administrationem, verbi Dei & Catechismi explicationem, item in mores & vitam parochorum aliorumque ecclesiasticorum & ministrorum Ecclesiæ, in fabricam ejusdem, ut reparetur, si egeat, in redditus ecclesiarum, ut rite administrentur & conserventur aliaque similia, uti hæc constant ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 3. item ex *c. decrevimus* 10. & 2. *seq. causis qu.* 1. Gregor. Tholos. *in cap. conquerente h. tit. cap.* 17. *num.* 5. & *ult.*

3. Resp. tertio. Quod spectat ad formam seu modum instituendi visitationem, qualis ea jam olim fuerit circa annum 800. describit ex Reginone *l.* 2. *de eccles. discipl. cap.* 2. Thomass. *l. c. cap.* 79. *n.* 8. & 10. Nimirum Episcopo visitante convocari consuevisse conventus mixtos, in quos clerici, nobiles, cæterique laici ejus regiunculæ convenirent, & in communi deliberarent de revocanda in integrum disciplina morum; qui conventus dicebantur *placitum*, aut etiam Synodus; properabat Archidiaconus vel Archipresbyter biduo triduove antequam Episcopus ad visitandam parochiam accederet, de adventu Episcopi commonebat, Synodum in eam diem indicebat (collationes cum presbyteris inibat, minusculos excessus emendabat, ut tempori & expensis parceret Episcopus, ac ita plerisque rebus jam in formam meliorem compositis, septem testes Synodales Episcopus in Synodo residens delegebat ex optimis ejus loci viris & juramento constringebat, fidenter ira & gratia qualicunque seposita renunciaturos, quidquid exploratum haberent de criminibus vitiisque in ea parochia grassantibus. Et tum singillatim interrogabat eos de sceleribus prorsus omnibus, & scelerum convicti pœnitentiæ publicæ addicebantur. Porro de apparatu & comitatu, cur is tam copiosus tamque splendidus Episcopo visitanti constitutus aut permissus a Concilio Lateranen. III. ad annum 1179. vide apud Thomass. *cit. c.* 80. *n.* 3. Hodiedum vero, præterquam quod comitatus ille & apparatus valde restrictus, visitationis forma quoque in aliquibus non nihil immutata. Ac primo quidem, quod commonitio illa de habenda visitatione & adventu Episcopi non fiat necessario per ejusmodi præambulonem Archidiaconum vel Archipresbyterum, sed per alium nuncium vel per literas & affixa valvis ecclesiæ edicta, ne quis eorum, qui in ecclesia ministrant, absentiam suam excusare possit prætendendo ignorantiam. Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 41. *qu.* 1. Secundo, quod excessus leviores non soleant prius per alium discuti & emendari. Tertio quod visitatio in locis pluribus fiat absque ulla Synodo seu convocatione cleri & Laicorum. Azor. *l. cit.* Item sine consultatione cum laicis. Quarto, quod præmittenda sit concio ad clerum & populum, qua visitationis causa & ratio exponatur. De cætero processum & praxin visitationis modernæ fuse explicatam vide apud me *in Vicar. Ep. qu.* 654. (ubi etsi explicetur praxis visitationis Archidiaconalis, pluraque tamen etiam conveniunt visitationi episcopali) item Azor. *l. c. qu.* 2. qui etiam *qu.* 4. hoc ordine obeundam ait, ut visitator Episcopus primo loco visitet Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, deinde cæteras civitatis ecclesias, ac postremo ecclesias extra civitatem in diœcesi positas.

4. Resp. quarto. Quod attinet ad obligationem, statuitur a Trident. *sess.* 24. *c.* 3. ut Episcopi propriam diœcesin per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium generalem, aut visitatorem ad hoc specialiter ab eo constitutum, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ut toto biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. Circa quæ notandum primo, quod loca quæcunque, qui visitandi, sive jure ordinario, sive tanquam Sedis Apostolicæ delegati jus & potestatem habent,

eo ipso quoque visitare obligentur, ut colligitur ex Trident. *sess.* 21. *cap.* 8. ubi præcipitur, ut Monasteria, Abbatiæ, beneficia qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Episcopis visitentur. Item *sess.* 7. *c.* 8. ubi: *locorum Ordinarii ecclesias quascunque quomodolibet exemptas authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur.* Secundo, quod tametsi possint, ubi causa necessaria, aut recepta consuetudo id postularet, vel speciale privilegium id permitteret, easdem parochias eodem anno bis visitare. Glos. *in c. conquerente h. t. v. annexa.* Azor. *l. c. c.* 41. *q.* 5. Fagnan. apud Thomass. *cit. c.* 80. *n.* 11. testans sic declarasse S. Congr. ad annum 1586. posse quidem ab Episcopo visitationes iterari eodem anno, si justa & gravis causa suadeat, sine tamen iteratione procurationis, nun obstante, quod *c. venerabilis de censib.* dicatur: decernimus, quod Episcopus cum ad ecclesiam correctionis causa accesserit, moderatam ab eo procurationem accipiat bis in anno. Licet etiam ad id obligentur, ubi necessitas id exigit jure divino, jure tamen communi positivo ad hoc non obligantur Episcopi; aliique locorum Ordinarii Gl. *in cap. si Episcopus h. t. in 6.* Azor. *l. c.*

5. Resp. quinto. Quod spectat potestatem Episcopi in puncto visitationis. Episcopus aut eo impedito ejus Vicarius potest, & quandoque tenetur iterato visitare ecclesias jam visitatas ab Archidiacono. De quo vide me in *Vicar. Ep. qu.* 561. *n.* 4. Respectu autem personarum & locorum potest imprimis visitare tam laicos quam clericos, *c.* 1. *de censib. in* 6. aliisque canonibus clerum & populum visitandum definientibus. Quæstiones item in visitatione formari solitæ quamplurimæ diriguntur ad laicos; nimirum, num diebus festis ad ecclesiam accedant, missam audiant, Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramenta num juxta præscriptum Ecclesiæ suscipiant, an concionem frequentent, an formam a Tridentino præscriptam in contrahendis nuptiis servent, & his similia, de quibus vide Azor. *l. c. c.* 41. *qu.* 3. Et non solum laicos seu sæculares privatos, sed etiam Principes. Azor. *cit. c.* 40. *q.* 15. Quin & Judæos & Paganos Principum imperio subjectos. Azor. *ibidem*, citans *Clem.* 1. *de Judæis.* Item Collegia, Congregationes, Societates seu Confraternitates, ut vocant laicorum, Scholas etiam. Trid. *sess.* 22. *c.* 18. Quod tamen ibidem excipit eas congregationes laicorum, quæ sunt immediate sub protectione Regum, ita ut sine horum licentia eas visitare nequeant. Secundo visitare possunt moniales seu cænobia monialium, sibi aut aliis locorum Ordinariis subjecta, sive non exempta. Item ita exempta, ut soli Sedi Apostolicæ immediate pareant, absque eo, quod Prælatis regularibus sui Ordinis sint subjecta, non quidem jure proprio, sed authoritate sibi a Sede Apostolica delegata, seu tanquam Sedis Apostolicæ delegati. Azor. *l. c. c.* 4. *q.* 10. Non tamen visitare possint eas, si exempta quidem a potestate ordinariorum, subditæ tamen Prælatis sui Ordinis, ab his enim visitandæ. Azor. *l. c. n.* 11. contra Archid. *in c.* 1. *de statu regul. in* 6. & Glos. *in c. attendentes de statu Monachor.* Porro in visitatione monialium servandum, quod statuitur *in Clem.* 2. §. *ipsas autem de statu Monachor.* ubi definitur numerus admittendorum in Capitulum tempore visitationis. Tertio monasteria commendata, etiam Abbatias, Prioratus, Præposituras nuncupata, in quibus non viget regularis observantia, una cum eorum commendatariis visitare potest Episcopus jure ordinario. Trident. *sess.* 21. *c.* 8. & si sint exempta, jure delegationis Pontificiæ, authoritas enim delegata non violat exemptionem. Fagnan. *in c. tuarum de privileg. nu.* 33. Quarto ecclesias perpetuo unitas Monasteriis, etiam exemptis, si populus earum sit subjectus in spiritualibus Episcopo. Trid. *sess.* 7. *c.* 7. *sess.* 25. *c.* 11. *de regular.* juxta declarationem Cardinal. *ibid. in fine*, & quidem jure ordinario; cum tales uniones fieri soleant salvo jure Episcopali. Pirh. *h. t. n.* 96. citans Layman *Th. Moral. tr.* 4. *c.* 7. §. 8. *n.* 30. idque, ut Gallemart. *ad Trid. sess.* 7. *c.* 7. nisi generalis in monasterio Canonicorum regularium sedem ordinariam principalem suam habeat. Idem est de parochiis unitis Cathedralibus, Collegiatis, Abbatiis &c. Trident. *sess.* 7. *c.* 8. ubi: *Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas authoritate Apostolica visitare teneantur.* Visitare tamen non potest domos istarum parochiarum, in qua parochus regularis solus ab Episcopo approbatus habitat. Fagnan. *in c. grave h. t. num.* 16. juxta responsum S. Congreg. Qualiter autem regulares ipsi administrantes tales parochias etiam pleno jure subjectas monasteriis subjecti sint visitationi & correctioni Episcopali, vide apud me plenius tractatum *in Vicar. Episc. q.* 653. Item ipsas Ecclesias Regulares, quæ simul sunt parochiales, visitare potest Episcopus, ejus Vicarius, quin & Archidiaconus, non tamen nisi in iis, quæ curam animarum & Sacramentorum administrationem concernunt. Fagn. *in c. grave h. t. n.* 14. juxta expressum textum Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de regul.* & si Ecclesia regularis divisa est, pro una parte deserviens regularibus, pro altera parochianis, non nisi hæc pars visitari potest. Ego *in Vicar. Episc. q.* 652. *nu.* 2. Ipsas tamen Ecclesias, quæ proprie ad regulares exemptos spectant, & parochiales non sunt, sive quibus cura animarum personarum sæcularium non imminet, visitare non potest Episcopus, quippe quorum Prælati istarum Ecclesiarum sunt ordinarii, a quibus eæ visitari solent ac debent. Tridentin. *sess.* 25. *c.* 1. & *cap.* 8. *de regular.* Multo minus monasteria ipsa exemptorum; cum visitare sit actus jurisdictionis competens superiori, cui Ecclesia seu monasterium subjectum, *c.* 1. *de off. ord. in* 6. §. *fin.* qualem non habet Episcopus in monasteria exempta aut in eorum Ecclesias, accessorio sequente principali quo ad hanc exemptionem. Pirh. Layman *LL. cit.* Rodriq. *qq. regularium tom.* 1. *q.* 36. *art.* 3. tametsi enim Episcopus assistentiam juris communis ac Tridentini habeat super jurisdictione spirituali in omnibus ecclesiis tam regularibus quam sæcularibus suæ diœcesis, *c. cum olim de præscript.* Fagnan. *ibid. nu* 6. modo tamen monasteria fere omnia per diversa Pontificum privilegia exempta sunt a jurisdictione Episcopali, præcipue quo ad hoc visitationis punctum. Fagnan. *in c. tuarum de privileg. n.* 18. Unde his non obstat, quod monasteria ecclesiæque illæ regulares sita sint in diœcesi, cum quo ad jurisdictionem Episcopalem æquiparentur locis existentibus extra diœcesin. Pirh. Rodriq. *LL. cit.* Neque etiam, quod Trident. *sess.* 7. *c.* 8. *de reform.* dicat generatim: *locorum Ordinarii ecclesias quascunque quomodolibet exemptas authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur*: cum istiusmodi Ecclesiarum regularium exemptarum Ordinarii non sint Episcopi, sed Prælati ordinum exemptorum. Pirhing *l. cit.* vel etiam ob dicta paulo ante dici potest cum eodem, quod Concilium loquatur de ecclesiis sæcularibus exemptis, quæ privilegium prætendunt, quod visitari non debeant ab Episcopis, quippe quod sublatum per Tridentinum non impedit, quo minus visitari possint ab Episcopis, saltem tanquam Sedis Apostolicæ delegatis; manente etiam quo ad hoc in robore suo privilegio concesso religiosis exemptis, utpote potius a Trident. confirmato quam revocato, ut patet ex *c.* 8. & 20. *sess.* 25. *de regul.* Pirh. Rodriq. *LL. cit.* Hoc tamen etiam privilegio, quo liberantur a visitatione Episcoporum, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatorum ad hoc constitutorum vi juris communis & Trident. non obstante, quo minus visitari possint ab Episcopis specialiter hic & nunc ad hoc delegatis a Sede Apostolica. Quin etiam, quo minus vi generalis illius decreti visitari queant, ubi eorum superiores & visitatores regulares suo officio defuerunt. Trident. *sess.* 21. *c.* 8. sic statuente hisce expressis: *provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regularium superiores juxta eorum regularia instituta debitam rationem vivendi observent & observari faciant, & sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses non visitaverint vel correxerint, tunc iidem Episcopi, etiam ut delegati Sedis Apostolicæ eos visitare possint & corrigere, pro ut ipsi superiores possent juxta eorum instituta, quibuscunque appellationibus, privilegiis & exemptionibus remotis & non obstantibus.* Porro ad visitationem monasteriorum virorum Episcopo subjectorum (idem videtur de visitatione monasteriorum exemptorum in casu, quo ea illi competit) pauci adhiberi debeant ab eo, iique ecclesiastici, non laici juxta *c. ut juxta h. tit.* Quamvis autem ibidem dicatur, quod præter duos aut tres Canonicos Ecclesiæ suæ Cathedralis (nempe tanquam consiliarios & laterales suos, dum ipse per se visitat) & alios quosdam religiosos (quia hi magis idonei censentur, utpote majorem regularis disciplinæ cognitionem & experientiam habentes quam clerici seculares. Glos. *fin. in cit. cap.* juxta Argum. *c. singulis de statu Monach.*) quatenus id expedire videbitur, ducere secum non debeat ad Capitulum, adeoque alii seculares Clerici exclusi videantur; posse tamen etiam clericos alios non Canonicos ab eo assumi, dum sunt ad visitationis negotium magis idonei, ait Pirhing *h. t. n.* 98. citans Jo. Andr. in *cit. c. juxta num.* 7. Imol. *n.* 2. & Hostiens. *v. de Canonicis*, ubi idem constat ex *Extrav. debent h. t.* ubi; quod quando Episcopus visitat Capitulum Ecclesiæ suæ Cathedralis, quæ regularis est, debeat duas vel tres personas in Clericali ordine constitutas, quarum una saltem sit ejusdem Ordinis, & unum Notarium etiam Clericum secum ducere & adhibere & non plures, non obstante quacunque compositione inter partes super hoc contraria. Rationes vero, cur non solum monachi adhiberi debeant, vide apud Pirh. *h. t. nu.* 109. Econtra, cur conveniens sit, non solos seculares Clericos assumere debeat, dedi paulo ante in parenthesi. Quinto capellas & oratoria privata, non eorum, ubi authoritate Episcopi instituta, habentia sacerdotem perpetuum in iis celebrantem, utpote

loca

loca religiosa; verum etiam absque authoritate Episcopi fundata in privatis ædibus exstructa, in quibus necessitatis vel etiam devotionis gratia celebrare ab Episcopo concessum. Azor. *cit. c.* 40. *q.* 13. citans Lapum, *de Hospital. n.* 54. & Socin. *de visitat. n.* 13. Sexto Hospitalia, non tantum quæ constat fundata authoritate Ordinarii, adeoque esse loca religiosa, aut etiam quando de eo dubitatur, adeoque habenda pro locis religiosis, ut Archid. *in c. nemo de consecrat. dist.* 1. Verum etiam, quando nihil certi constat de fundatione & authoritate Episcopi, nec ulla ejus signa vel indicia apparent; & per laicos administrari consueverunt, visitari possunt per Episcopum, non quidem tanquam loca religiosa, sed tanquam locus pius communis pietatis causa exstructus, ne piæ causæ cura & administratio negligatur. Azor. *cit. cap.* 40. *qu.* 1x. citans *c. de Xenodochiis de religios. domib. & Clem. quia contingit tit. eod.* Quamvis addat ex Socin. *l. c. nu.* 14. quod si laicus, qui hospitalem domum fundavit vel dotavit, sit superstes, Episcopus eam visitare nequeat sine illius consensu. Item alia loca pia quæcunque, juxta Tridentin. *sess.* xx. *c.* 18. *de reform.* ubi: *habeant jus visitandi eleemosynas, montes pietatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, non obstantibus quacunque consuetudine, etiam immemoriali, privilegio aut statuto &c.* Septimo beneficia tam curata quam non curata, sæcularia & regularia qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis singulis annis visitentur; inquit Trident. *sess.* 21. *c.* 8. uti etiam *sess.* 24. *c.* 9. statuit, ut eadem, quæ de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt, etiam observentur in Ecclesiis sæcularibus, quæ in nullius diæcesi esse dicuntur, ut ab Episcopo, cujus cathedralis est proximior, si id constat, alioquin ab eo, qui semel in concilio Provinciali a Prælato illius loci electus fuerit tanquam Sedis Apostolicæ delegato visitentur, non obstantibus privilegiis aut consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorialibus de visitatione dictarum diæcesium, vide me *in Vicar. Episc. q.* 167. *n.* 1.

QUÆSTIO DCCCLX.

An & qui præter Episcopum visitare possint.

1. RESp. Primo in genere. Jus & potestatem visitandi habent omnes Prælati Episcopo superiores & inferiores, quibus competit jurisdictio & administratio, *cap.* 1. *de censib. in* 6. *c. cum venerabilis tit. eod.* Abbas *in c. cum Apostolus de censib.* Azor. *cit. c.* 40. *q.* 6. Hinc

2. Resp. secundo in specie. Possunt imprimis visitare Legati Pontificii de latere ex officio legationis suæ, *c. cum Apostolus de censibus*, item Legati nati, *c. cum instantia & c. procurationes de censibus*. Azor. *l. c.* Legatos vero missos seu Nuncios (intellige sine potestate Legati de latere) visitare quidem posse juxta *cit. c. cum instantia & c. procurationes*, sed non debere, nisi visitandi onus illis specialiter impositum, vel nisi necessitas aliqua urgens postulet visitationem, ait Azor. *l. c.* Secundo Patriarchæ & Primates, ut constat ex *c. Romana c. felicis de censib. in* 6. Tertio Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani juxta illud Trident. *sess.* 24. *c.* 3. *de reformat. Archidiaconi autem, Decani & alii inferiores in suis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem adjuncto Notario de consensu Episcopi &c.* De hac autem Archidiaconali visitatione copiose & accurate tractatum vide apud me *in Vicar. Episc. a q.* 651. Quarto Vicarius Episcopi generalis. De quo vide me *l. cit. q.* 167. Quinto Capitulum Cathedrale sede vacante. De quo vide me *l. c. q.* 501. 503. & *q.* 567. *n* 1. Sexto Abbates, Priores aliique regularium præfecti visitare possunt monasteria aliaque loca sibi subjecta, *c. in singulis, c. ea quæ de stat. Monachorum*. Quandoque etiam in Capitulis generalibus, aut etiam a Generali Ordinum eligi & designari solent ad obeundam visitationem monasteriorum tam virorum quam mulierum. Posse quoque Abbatissas, Priorissas, (intellige, quæ nulli Abbatissæ superiori parent) aliasque mulieres cujusvis tituli præfectas monasteriis monialium visitare, monasteria aliaque loca sibi subjecta, ait Azor. *l. c. q.* 9. quia tamen prohibentur exire monasteriis, posse tanquam legitime impeditas id muneris committere viris religiosis, probatis. Ac proinde ibi cessare officium ordinarii, ait idem, citatis Archid. *in c.* 1. *de statu Regular. in* 6. & Gl. *in Clem.* 1. *de statu Monachorum v. alia*. Quamvis alii dicant illa monasteria visitanda ab ordinario. Denique illi, qui contra Prælatum jus visitandi per præscriptionem acquisiverunt. Siquidem jus visitandi contra Prælatum præscribi potest ab eo, qui Prælatus proprius non est, sed extraneus quispiam, *cap. cum ex officii de præscript. & ibi* Abb. & Felin. Azor. *cit. c.* 40. *qu.* 3. Quin & a subditis ipsiusmet Episcopi, contra quem præscribitur. AA. iidem, quem tamen præscribentem non alio modo posse uti jure visitandi sibi quæsito, quam quo illud acquisivit. V. gr. si per seipsum tantum & non per alium semper visitare solitus, illud acquisivit, non posse postea per alium a se substitutum visitare, tenent Anchar. *in cit. c. cum ex officii*. Felin. *ibid. n.* 12. And. Siculus *in c. cum contingat. de foro compet.* Contrarium sentiente Cardinal. in *idem c. cum ex officii* apud Azor. *cit. q.* 3. De cætero præscribi non posse contra ipsam visitationem, sive ut quis visitari non possit, constat ex *c. cum ex officii*.

QUÆSTIO DCCCLXI.

Quid possit Episcopus circa cognitionem causarum.

1. RESp. primo. Episcopus, tanquam Judex Ordinarius totius diœcesis, per se vel per alium audire potest & judicialiter cognoscere causas omnes ad forum Ecclesiasticum externum spectantes, *c. cum Episcopus h. tit. in* 6. *c. conquerente h. t.* & Glos. *ibi. v. jurisdictionem*. Unde spectato jure communi, quoad hoc concurrit cum Prælatis inferioribus ecclesiasticis, præsertim sæcularibus, jurisdictionem fori externi ecclesiasticam ordinariam subordinatam Episcopo, cui subjecti sunt, habentibus. V. gr. Archidiaconis, Decanis, Capitulo Cathedrali, Præpositis seu Rectoribus Ecclesiarum collegiatarum, Abbatibus non exemptis &c. ita ut inter hos & Episcopum sit locus præventioni, & in optione actoris sit, reum coram Episcopo, vel inferiore Prælato convenire. Argum. *L. final. C. de jurisdict.* Innoc. *in c. quanto de foro compet.* Abb. *in cap. si quis contra tit. eodem num.* 50. Pirhing *hoc tit. num.* 45. Dixi *jure ordinario*: nam fieri potest, ut Prælatus aliquis inferior privilegio vel legitima præscriptione acquisiverit in certa parte diæcesis jurisdictionem fori externi privative ad Episcopum, seu secluso Episcopo. Argument. *cap. irrefragabilis hoc. tit.* juncta Glos. *ver. per Capitulum*. Abbas *ibid. num.* 1. & *in cap. pastoralis h. tit. num.* 7. Laym. *in idem c. irrefragabilis num.* 1. tunc enim Episcopus non posset cognoscere causas locorum, pro quibus dictus Prælatus haberet jurisdictionem, nec se immiscere, nisi ab isto inferiore ad Episcopum appellaretur. Abb. *cit. num.* 7. Pirhing *l. c.* Secundo juxta Trident. *sess.* 24. *cap.* 20. expressum textum, causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia ab ordinariis locorum cognoscendæ, ita ut nullus Judex Romanæ Curiæ cognoscere de iis possit in prima instantia, neque monitoria decernere ad extrahendas partes a suis domiciliis.

Atque ita hæc potestas cognoscendi eas causas in prima instantia annexa perpetuo dignitati episcopali jurisdictionis ordinariæ. Barbos. *jur. Ecclesiastic. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 85. Dian. *part* 8. *tr.* 4. *resolut.* 21. & alii, qui etiam inde deducunt, hanc potestatem cognoscendi causas in prima instantia transire ad Capitulum sede vacante, vide me *in Vicar. Episc. quæst.* 485. Porro causæ ad forum Ecclesiasticum tantum (adeoque de quibus Judex laicus cognoscere nequit) & quidem Episcopale privative quo ad primam instantiam spectantes sunt imprimis causæ matrimoniales, ut constat ex Tridentin. *loc. citat.* ubi dicitur: *ad hæc causæ matrimoniales & criminales, non Decano, Archidiacono, aut aliorum inferiorum judicio, sed episcopali tantum relinquenda. Legati quoque, etiam de latere, Nuncii, Gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcunque facultatum vigore Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant.* Secundo. Fori ecclesiastici tantum (& quidem ita, ut in iis nequidem Legati de latere procedere possint, nisi prius requisito Episcopo, eoque negligente procedere possint juxta expressum textum Tridentin. *loc. citat.* sunt causæ omnes, super quibus Clericus a laico in Judicium vocatur. Item quibus de re aliqua ecclesiastica unicus contra laicum agit, *cap. si quis contra Clericum, c. si Clericum, c. si Clericus laicum, de foro competent.* Tertio fori tantum episcopalis sunt causæ usurariæ. Azor. *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 53. *qu.* 4. citans *clem. dispendiosam, & ibi* Glos. & DD. quæ tam Clementina de his, uti & de causis matrimonialibus, beneficialibus, decimarum &c. aliud non habet, quam quod in iis procedi possit simpliciter,

ter, summarie seu de plano absque strepitu & figura judiciorum. Quarto causæ natalium. Azor. *ibidem* juxta *cap. per venerabilem, cap. lator. cap. tuam qui filii sint legitimi*, Quinto causæ quorumvis beneficiorum, pensionum ecclesiasticarum & præstimoniorum. Azor. *loc. cit.* Gigas, *de pensionibus quæst. 73.* item decimarum & primitiarum, ut idem Azor.

2. Resp. secundo in specie. Potest cognoscere, non tantum de ipso jurejurando adhibito in causa aliqua inter laicos, sed etiam de iis, quæ jusjurandum consequuntur; cum jusjurandum dicatur forum foro adjicere. Azor. *cit. c. 53. quæst. 4. §. Episcopus*, citans *cap. cum laicus de foro competent. in 6. cap. novit. de judic. cap. venerabilem de electior.* Unde etiam causa principalis, super qua jurisjurandi relaxatio petita est, curam Episcopo agi debet, quamvis alioqoin alterius fori esset. Azor. *loc. citat.* Pertinent quoque ad forum Episcopale causæ omnes, ex quibus excommunicatio a jure vel homine lata vel ferenda etiam in laicos. Azor. *loc. cit. paragraf. item omnes*. Uti & omnes causæ piæ, v. gr. dotis, cum vidua ab hæredibus mariti eam repetit. Item causa alimentorum. Azor. *paragraf. ad forum*. Item causæ piæ testamentariæ. Sic potest Episcupus etiam laicos cogere, ut piam testatorum voluntatem exequantur, ubi executor intra annum exequi neglexit, *l. nulli, Cod. de Episcopis*, & *ibi*. Bald. Azor. *cit. quæst. 4. §. potest Episcopus*. Item executorem constituere, ubi nullus in testamento datus, & ipse exequi non possit. Azor. *ibidem* citans Baldas. *in lib. 1. Cod. de bonis maternis*. Item executorem testamento datum, si male piæ causæ negotium gessit, amovere, & ad rationes reddendas cogere, & si suspectum illum habeat, alium ejus loco substituere, *cap. tua de testament.* Item potest inquirere, num legata ad pios usus sint deducta ad effectum, & hanc in rem propositis edictis, sub pœna excommunicationis contra contumaces præcipere, ut Notarii omnes, quæcunque de relictis sive legatis piis testamenta vel instrumenta dictarunt, vel ab aliis confecta habuerint, ipsi Episcopo edere teneantur. Azor. *l. c. §. potest item*. Ac denique potest bona peregrini, qui intestatus decessit, distribuere inter pauperes, ubi nullus legitimus hæres reperitur. Azor. *l. c.* citans *auth. peregrini, z. communia de successor.* & *l. 1. C. de bonis vacantibus*.

QUÆSTIO DCCCLXII.

Quid potestatis habeat Episcopus circa inquirenda & punienda crimina.

1. RESpond. primo in genere. Habet Episcopus ordinariam jurisdictionem & liberam potestatem secundum canones inquirendi & puniendi crimina, quæ sunt fori ecclesiastici tantum, *cap. licet h. tit.* Talia autem crimina dicuntur, quorum prohibitio ortum habet ex jure canonico solo, vel simul etiam ex jure divino vel naturali absque jure civili, adeoque puniuntur ex præscripto juris canonici, non civilis. Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 53. qu. 1.* cum Abbas *in c. cum sit generale, de foro competent. num.* 30. V. gr. Simonia, contractus matrimonialis cum impedimento dirimente, vel impediente tantum, vel contra præceptum aliquod Ecclesiæ, violatio voti, violatio præceptorum 5 Ecclesiæ, sacrilegium in usu & administratione sacramentorum commissum. Item hæresis (non obstante, quod ea etiam legibus civilibus prohibeatur; hoc enim factum, postquam Principes sæculares cognoverunt esse prohibitam a SS. Canonibus, adeoque ejus prohibitio adhuc ortum habet ex jure Canonico; quin & non nisi ex sacris literis vel Canonibus ecclesiasticis cognosci & judicari potest) item usura. Quamvis enim aliqui cum Bartol. *in l. Titia ff. soluto matrimon.* sentiant esse fori misti, quando est quæstio facti; quin & Covarruv. *var. resolut. lib. 3. cap. 3. num. 1.* velit esse fori mixti, sive sit quæstio facti sive juris, communis tamen sententia habet esse fori Ecclesiastici tantum. Azor. *loc. c. qu. 2.* cum Glos. *in cap. 1. h. tit.* & communi DD. *in c. cum sit generale de foro compet.* & *in Clem. dispendiosam de judic.* eo quod, ut Azor. ex jure divino *Deuteron.* 23. habeamus, omnem usuram esse peccatum, non autem ex civili, a quo quandoque permissa.

2. Respond. secundo. Potest quoque cognoscere, judicare ac punire crimina, quæ sunt mixti fori. Azor. *l. c. q. 3.* Pirhing *h. tit. num.* 47. cum communi. Estque quoad ea inter Episcopum & Judicem sæcularem præventioni locus. Ea autem crimina dicuntur fori mixti, quæ cognosci & puniri possunt tam a Judice sæculari quam ecclesiastico, quia prohibentur tam a jure canonico quam civili, & ab utroque jure eis pœna constituitur. Azor. *loc. citat. quæst. 5.* Qualia sunt Sodomia, *cap. clerici de excess. Prælat.* Incestus. Azor. *loc. cit. qu. 2. §. dubia*, citans Firman. *de Episcop. part. 4. lib. 5. quæst. 6.* & 30. Aufrerium *de potest. Eccles. nu. 6.* &c. Adulterium, quantum spectat ad ejus prohibitionem & punitionem, licet, si agatur ad separationem tori, sit crimen mere ecclesiasticum, de quo Judex sæcularis cognoscere non potest. Pirhing *loc. cit.* cum Abbas *in cap. 1. h. tit. num. 3.* Item concubinatus secundum magis receptam, ut Azor. *citat. qu. 2.* Bermond. *de concubin. num. 6.* quod licet legibus civilibus non puniretur, modo tamen etiam lege civili apud Christianos vetitum sit hoc crimen Jul. Clar. *in pr. crimin. qu. 37. n. 4.* Violatio virginum Deo sacrarum. Azor. *cit. qu. 2. §. crimina*, juxta *l. si quis non dicam Cod. de Episc. & Cler.* Sacrilegium, *c. cum sit & c. conquestus de foro compet.* Sortilegium Abb. *in c. 1. de sortileg. a nu. 3.* Blasphemia, *c. 2. de maledic.* Porro posse quoque Episcopum in criminibus mixti fori laicos capere & incarcerare, tanquam verius affirmat Azor. *l. cit. qu. 3.* contrarium tenente Julio Cla. *l. cit. qu. 47. num. 8.* nimirum non posse Episcopum in iis contra laicus procedere aliter quam per censuras ecclesiasticas.

3. Respond. tertio. Crimina, quæ sunt fori civilis tantum, cognosci non possunt ab Episcopo, nec is se in iis immiscere, aut contra laicos procedere potest. Glos. *in cap. 1. hoc tit. ver. secundum Canones*. Imola *ibidem num. 5.* Abbas *num. 6.* Pirhing *h. tit. num.* 47. cum communi. Posse nihilominus Episcopum ad evellenda quæcunque crimina, etiam non ecclesiastica, peccatum nutrientia pœnas spirituales adjicere, habet Azor. *l. cit. qu. 3. §. potest etiam*, citans pro hoc Glos. *in c. 1. h. tit.* & *in c. cum sit de foro compet.* Barbat. *in c. nos inter de purgat. can.* Hostiens. *in cap. novit. de judic.* Item posse Episcopum, si Judex laicus ab eo interpellatus iterumque monitus, ut crimen, de quo constat, punire nolit aut negligat, supplere, & quas ex Jure Canonico potest, pœnas injungere. Citat pro hoc *c. novit. de judic.* Aufrer. *ubi ante n. 4.*

4. Respond. quarto. Potest cognoscere ac punire crimina tam laicorum quam Clericorum, cum *cap. 1. hoc. tit.* loquatur generaliter de tota diœcesi adeoque restringendum non est ad solos Clericos. Pirhing *loc. cit.* Quod autem spectat ad regulares non exemptos; licet hi quo ad regulares observationes subsint Prælato Ordinis, adeoque ad hunc immediate spectet eos in his corrigendi potestas, ita ut contumaces & incorrigibiles etiam ejicere possint, Innoc. *in cap. quanto hoc tit. num. 2.* Abbas *ibidem num. 5.* Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 1. num. 12.* Pirhing *h. tit. num. 58.* in iis tamen, quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, & quo ad punitionem criminum graviorum, præsertim quæ depositionem merentur, immediate subjiciuntur Episcopo, uti etiam eorum Prælati non secus ac alii Clerici. Innocent. Abbas *LL. cit.* Sanchez *l. cit. nu. 13.* Sylv. *v. obedientia q. 10. dicto. 2.*

Quin, & si Prælati regulares negligentes sunt in curanda disciplina, erratis quotidianis puniendis, potestas in his corrigendis devolvitur ad Episcopum. Argum. *cap. quanto h. tit.* Glos. magn. *ibidem v. si Prælati*. Abbas *num. 3.* Pirhing *h. t. num.* 59. Regulares quoque exempti degentes extra claustra subjiciuntur correctioni & punitioni Episcopi seu Ordinarii tanquam delegati Sedis Apostolicæ juxta Trident. *sess. 6. c. 3.* de quo plura paulo post. An autem & qualiter regulares administrantes parochias propter excessus & delicta ab iis commissa inquiri ac puniri possint, vide apud me in *Vicar Episc. qu.* 653. De cætero coram quo regulares extra claustra degentes v. gr. studiorum gratia in causis civilibus v. gr. circa contractionem debiturum, conveniri debeant, vide apud Pirh. *h. t. n.* 50.

5. Respond. quinto. Potest Episcopus procedere in criminibus per viam inquisitionis ordinariæ & specialis contra certam personam, modo præcedat infamia, quæ vicem accusatoris obtinet. Pirhing *h. tit. num.* 47. juxta *c. qualiter de accusat.* Dum autem instituitur inquisitio extraordinaria & generalis, ut dum Episcopus visitans diœcesin inquirit generaliter, an non aliqua crimina commissa; vel etiam, ubi crimen quidem est notorium, ignoratur tamen quis fecerit, posse illum tunc procedere summarie sine strepitu judicii, etiamsi infamia non præcedat, ait idem cum Abb. & communi.

6. Respond. sexto. Potest Episcopus, etiam nullam jurisdictionem temporalem habens, si necessitas postulet, manu & vi armata tueri suam jurisdictionem ecclesiasticam, asciscere ministros ac milites, ut eorum opera pœnas ecclesiasticas latas executioni mandet. Marta *de jurisdiction.*

part. 1.

part. 1. cap. 50. num. 13. & 14. Barbos. de off. Episc. alleg. 107. num. 2. & 3. Layman de jurisdict. ordin. concl. 68. Pirhing hoc tit. num. 48. hoc ipso enim, quod judicare possit & punire delinquentes, censentur ei concessa, quæ ad ea exequenda sunt necessaria. Argument. leg. 2. ff. de jurisdict. Unde etiam, si ipse ad hoc non habet potentiam potest implorare auxilium Magistratus sæcularis, cap. 1. cap. quoniam hoc tit. cap. principes 20. caus. 23. quæst. 5. Teneturque is illud præstare, & si requisitus Judex sæcularis sine justa causa renuat illud præstare ad comprimendos inobedientes Judici ecclesiastico, ejusque sententiam exequendam, potest ab eodem ad hoc compelli per censuras ecclesiasticas, cap. ut inquisitionis §. prohibemus de hæretic. in 6. Glos. final. in cap. 1. h. tit. Pirhing l. cit.

Secus tamen est, ubi notorium, sententiam latam a Judice ecclesiastico esse irritam & nullam. Layman in cit. c. 1. num. 6. contra Abb. Quin & Judex Ecclesiasticus petens auxilium illud, non tenetur prius facere fidem, & exhibere Judici sæculari processum judicii, si crimen sit mere ecclesiasticum; quia nec directe nec indirecte de tali crimine cognoscere potest Judex sæcularis, sed post latam a Judice ecclesiastico sententiam ad illius requisitionem nuda & mera executio ad eum spectat, citat. §. prohibemus. Secus est, dum crimen non est mere Ecclesiasticum, propter quod Clericus degradatur, & traditur Judici sæculari. Non enim tunc hic tenetur procedere ad executionem, nisi exhibeantur ei acta Judicii; cum tunc Reus efficiatur de foro seu jurisdictione Judicis sæcularis, isque non sit merus executor. Pirhing l. cit. cum Abb. in cit. c. 1. num. 12. Porro Episcopus non nisi propriæ suæ diœcesis Judicem sæcularem implorare potest, tum quia imploratio brachii sæcularis, cum fiat ad executionem sententiæ contra contumaces, spectat ad jurisdictionem contentiosam, quæ extra territorium exerceri nequit, licet is contra quem exercetur, existat in territorio, c. fin. de constitut. in 6. & l. fin. ff. de jurisd. tum quia Episcopus exercere nequit jurisdictionem suam in non subditum qualiter eam exerceret, dum compelleret Judicem diœcesis alterius ad exhibendum sibi auxilium brachii sui. Quare dum opus auxilio exhibendo a Judice alterius diœcesis, recurrendum ad Episcopum istius diœcesis, ut is requirat & compellat Judicem sæcularem suæ diœcesis. Oliva de foro ecclesi. p. 2. q. 24. a n. 41.

His non obstantibus, quod a delegato Apostolico invocari possit auxilium cujuscunque Judicis sæcularis. Nam is in causa sibi commissa gerit vices Papæ cujus territurium totus mundus est, can. cuncta per mundum 9. quæst. 3. Ad hoc, quod occasione hujus hic quæri solet, num etiam vice versa Judex sæcularis contra suos subditos contumaces pro sententiæ suæ executione implorare possit auxilium Judicis ecclesiastici, ut is illos compellat per censuras ecclesiasticas, & is ad hoc teneatur, respondetur quidem affirmative, seu eos pares esse quo ad obligationem exhibendi auxilii legitime implorati, eo quod æquitas postulet, utramque potestatem, sæcularem & ecclesiasticam per alteram adjuvari, c. cum ad verum 6. dist. 96. non tamen Judicem ecclesiasticum a sæculari ad hoc auxilium exhibendum compelli posse, ac proinde contra illum indebite renuentem illud præstare adeundus Metropolitanus, & ab eo petendum, ut is Episcopum ad illud præstandum compellat. Glos. in cap. final. de except. in 6. ver. per superiores. Abb. in cap. 1. h. tit. num. 11. Jason. in L. a Divo §. 5. ff. de re judicat. nu. 16. Oliva loc. cit. num. 53.

7. Respond. septimo. Potest Episcopus, uti & Prælatus similis habens jurisdictionem quasi episcopalem Clericos in causis criminalibus spectantibus ad forum ecclesiasticum per ministros suos punire pœna carceris, triremium, verberationis. Pirhing hoc tit. num 56. juxta cap. cum Episcopus hoc tit. in 6. utpote habens merum & mixtum imperium (ad quod spectat jus facinorosos capiendi, incarcerandi, puniendi) Abbas in cap. quod sedem hoc tit. num. 8. exceptis iis, quæ spectant ad primum gradum, & Papæ reservata sunt, cap. quod translationem de off. Legat. Similibus quoque pœnis animadvertere potest in laicos, non solum ob crimen hæresis juxta c. commissi & c. ut inquisitionis de hæretic. in 6. sed & ob alia crimina mere ecclesiastica & mixta, utpote in quibus etiam, laici subjiciuntur jurisdictioni seu foro ecclesiastico Episcopi, ad quod dictum jus puniendi spectat. Ita probabilius sentiunt Marta loc. cit. a num. 8. Covar. qq. practicarum, cap. 10. num. 2. Tusch. ver. Episcopus concl. 25. Pirhing cit. num. 56. juxta cap. contra caus. 26. quæst. 5. juncta Glos. ver. verberibus, ubi sermo est de laicis, quos Episcopus possit incarcerare ob delicta & verberibus mulctare. Neque per hoc, quod in cap. cum Episcopus hoc tit. in 6. nulla facta mentione de laicis, dicitur, posse Episcopum personas ecclesiasticas incarcerare ob delicta, id negetur de laicis; cum ut Pirhing argumentum a sensu contrario non sit efficax, si contrarium habeatur in jure expressum, uti de punitione laicorum ab Episcopo facienda habetur, cit. c. contra.

Potest quoque Episcopus pœnas seu mulctas pecuniarias imponere tam laicis quam Clericis ob delicta ad forum ecclesiasticum spectantia, v. gr. ob blasphemiam, percussionem Clerici, violationem immunitatis ecclesiasticæ, cap. in Archiepiscopatu de raptoribus, cap. statuimus 55. caus. 16. quæst. 1. juncta Glos. ver. bannum, cap. dilectus h. tit. & ibi. Abb. & Imola num. 1. Marta loc. cit. num. 17. Barbos. loc. c. num 18. Pirhing h. tit. num. 57. Quas mulctas, etsi juxta c. dilectus, applicare sibi seu cameræ suæ possit Episcopus, rectius tamen ad usus pios applicandas, cum Hostiens. Felin. Barbos. loc. citat. imo juxta Tridentin. sess. 25. cap. 3. de refor. in causas pias sunt impendendæ. Potest quoque Episcopus similesque Prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentes (uti & Capitulum Sede vacante; de quo vide me in Vicar. Episcop. quæst. 475.) infligere censuras, puta excommunicationis, suspensionis, interdicti, contumacibus, c. 1. & c. conquerente h. tit. illud tamen hic notandum, quod, ut Fagnan. in c. tuarum de privileg. a num. 18. in privilegiis Regularium inhibeatur locorum ordinariis expresse; ne absque speciali commissione Sedis Apostol. in personas Regularium aliquam excommunicationis, suspensionis, interdicti sententiam specialiter vel generaliter quomodolibet promulgare præsumant.

Quod privilegium tantum abest, ut sit sublatum per cap. volentes de offic. legati. Ut potius in eo fuerit præservatum. Potest etiam Episcopus, imponere pœnitentias publicas, c. conquerente h. tit. juncta Glos. v. pœnitentias. Porro harum pœnitentiarum aliquæ sunt solennes, quæ fiunt in capite quadragesimæ cum certis solennitatibus descriptis in cap. in capite 64. dist. 50. quæ Clericis imponi non possunt. Aliæ non solennes, quæ quidem fiunt publice & cum aliqua solennitate in exemplum & cautelam aliorum, non tamen cum solemnitatibus, quæ servantur in pœnitentia absolute solenni. De qua in cap. 2. de maledic. Quæ pœnitentiæ tamen solennes non nisi ob publica, & quæ in conspectu multorum commissa sunt graviora crimina imponi a solo Episcopo possunt ac debent cap. final. caus. 26. qu. 6. Tridentin. sess. 24. cap. 8. Potest denique Episcopus iis & aliis delinquentibus & criminosis alias quoque pœnas canonicas, puta privationis & depositionis in perpetuum pro criminum qualitate secundum Canones & receptas consuetudines imponere, cit. c. conquerente, & cap. at si Clerici de judic. & ibi Abbas a num. 33. Layman de jurisdict. ordinar. concl. 69. Pirhing hoc titul. num. 69. Ad pœnam tamen mutilationis & mortis procedere nequit Episcopus, sed ob crimen, quod illam meretur, clerici sunt degradandi & tradendi Judici sæculari, cit. cap. in Archiepiscopatu. Molina de Justit. tr. 5. dist. 1. Layman de jurisd. ordinar. concl. 66. Pirhing h. tit. num. 46.

8. Resp. octavo. Tametsi aliis quoque Episcopo inferioribus, puta, Capitulo Cathedrali, Decano, Archidiacono, quantum est de jure communi, nimirum vi cap. irrefragabili hoc tit. §. excessus, per speciale privilegium vel consuetudinem legitime præscriptam competere possit potestas corrigendi & puniendi Canonicos aliosque clericos diœcesanos (exceptis criminibus gravioribus ob quæ degradari merentur; in his enim potestas puniendi transferri nequit in capitulum aut alium inferiorem. Hostiens. hic ver. per Capitulum. Pirhing h. tit. num 52. cum degradatio sit actus Ordinis Episcopalis, cujusmodi actus nullo tempore præscribi possunt a non Episcopo, cap. quanto de consuetud. Fagnanum hic num. 3. Pirhing l. cit.) etiam privative ad Episcopum: ita ut hic se immiscere non possit, nisi in defectum & ob negligentiam dictorum inferiorum (intellige, alias non exemptorum; ob negligentiam enim Prælati exempti in correctione subditorum, v. gr. Abbatis in corrigendis suis monachis, vel etiam subditis Ecclesiarum suo monasterio pleno jure incorporatarum jus corrigendi non devolvitur ad ordinarium, sed ad Papam. Abbas in cap. grave h. tit. nu. 6. Pirhing h. tit. num. 53. & 54.) in quo casu negligentiæ Episcopus monere debet vel jubere, ut Capitulum vel Decanus &c. delicta corrigat & puniat, præfixo ei conveniente termino, alioquin ipse Episcopus corrigat per censuras ecclesiasticas. Uti hæc omnia habentur aut colliguntur ex citat. cap. irrefragabili. Ita tamen, ut nulla valeat consuetudo, quantumvis diuturna, per quam omne jus corrigendi, etiam in dicto casu negligentiæ inferioris Prælati, adimatur Episcopo. Glos. in cap. irrefragabili, ver. nulla consuetudo. Abbas ibidem num. 1. Pirhing hoc tit. num. 52. Cum talis con-

consuetudo sit maxime perniciosa Ecclesiæ, quin & repugnet institutioni officii episcopalis, quod se extendit ad omnes diæcesanos specialiter non exemptos. Argument. *cap. cum non liceat de præscrip.* Layman *in cap. irrefragabili nu.* 3. Porro eum potestas corrigendi spectat ad Episcopum & Capitulum simul, sive jure communi sive speciali, in casu negligentiæ non devolvitur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, qui utriusque negligentiam supplere debet, uti & ubi principaliter spectat ad solum Episcopum. Pirhing *nu.* 53. Dum vero jus illud spectat ex jure speciali ad solum Capitulum, & Episcopus nullo modo interest Capitulo, devolvitur ad Episcopum, utpote caput & immediatum superiorem Capituli.

Si autem Episcopus interest Capitulo tanquam Canonicus ex speciali privilegio vel consuetudine, adeoque duplicem personam gerit, ad eum fit devolutio, seu is ut Episcopus supplet negligentiam Capituli (penes quod totum, & non penes Canonicos singulos est illa jurisdictio. Innocent. *in cit. cap. irrefragabili num.* 5. Abbas *num.* 3.) Argument. *cap. pastoralis de concess. prabend. & c. collatione de appellat. in* 6. Tenetur autem Episcopus in hoc casu de jure communi requirere consilium Capituli; cum illud, etsi ob negligentiam perdiderit jus corrigendi, non tamen perdiderit jus requirendi a se consilii. Pirhing *loc. citat.* cum Glos. *in cap. irrefragabili, ver. per Capitulum.* Fagnanum *ibidem num.* 16. Dixi sub initium *hujus num.* quantum est de jure communi; quia jure novo Tridentin. *sess.* 6. *cap.* 4. corrigitur dicta decretalis *irrefragabili*. Quia datur Episcopis facultas visitandi & corrigendi, etiam authoritate apostolica Capitula Ecclesiarum Cathedralium illarumque personas, non obstantibus exemptionibus & consuetudinibus, non tantum in casu negligentiæ, sed quoties opus fuerit, ita ut non sit amplius præmittenda monitio nec terminus præfigendus; extenditurque hæc Episcoporum facultas extra visitationem a Tridentin *sess.* 25. *cap.* 6. Ita fere Pirhing *citat. num.* 53. *in fine*, remittens ad Fagnan. *in citat. c. irrefragabili nu.* 9. & 10.

QUÆSTIO DCCCLXIII.

Quid potestatis habeat Episcopus circa absolutionem a censuris & pœnis.

1. RESpond. primo. Potest Episcopus absolvere ab omnibus censuris tam ab homine secundum jus inflictis, quam ipso jure & facto contractis, quarum absolutio non est reservata Papæ, *cap. nuper de sentent. excomm. c. at si Clerici de judic. §. de adulteriis & ibi* Abb. *n.* 4. Spectat siquidem absolutio a censuris & pœnis ad legem jurisdictionalem Episcopi. Laym. *in c. conquerente h. t. nu.* 2. Pirh. *h. t. nu.* 70. cum communi.

Estque ejusdem potestatis ligare & solvere, & qui potest unum, regulariter potest & alterum. Pirhing *ad tit. de major. & obed. nu* 46. Argum. *c. cum inferior. tit. eod.* Neque absolutio a censuris tam inflictis ab homine secundum jus, quam inflictis a jure, dum hæc reservatæ non sunt, est contra jus, adeoque Episcopo permissa in utroque foro. Argument. *c. nuper.*

Insuper conditor Canonis eo ipso, quod censuras quasdam non reservaverit specialiter suæ absolutioni, absolutionem ab iisdem diœcesium Ordinariis permittere videtur. Navar. *manual cap.* 27. *num.* 39. Covar. *in cap. alma part.* 1. §. 12. *num* 4. Guttierrez *qq. can. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Barbos. *in cap. nuper num.* 11. apud Wiestner *hoc tit. num.* 71. His non obstantibus, quod inferior, sicut legem superioris, sic etiam pœnam a lege inflictam transgressoribus sine speciali juris aut hominis commissione vel permissione nequeat relaxare, ut Felin. *in cit. paragraph. de adulteriis nu.* 4. adeoque nec Episcopus pœnas a jure inflictas, ut Glos. *in capit. cupientes ver. superstes de election. in* 6. Nam id verum est de pœnis puris ac vindicativis v. gr. in irregularitatibus ex delicto, non tamen in pœnis medicinalibus, ut sunt censuræ papales proprie tales, v. gr. excommunicatione ad correctionem rei contumacis a jure lata, suspensione &c. quia harum absolutio non est reservata. Pirhing *h. t. n.* 71. Laym. *de jurisdict. ordinar. nu.* 71. cum Gl. *in Clem.* 1. §. *verum quia, vers. excommunicationis de hæretic.* & Abbas *in cap.* 2. *de solut. num.* 5.

2. Resp. secundo. Potest non tantum a quibuscunque casibus occultis, etiam hæresis (de qua tamen paulo post exactius) Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientiæ, imposita salutari pœnitentia, absolvere; hoc enim concedit Episcopo Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. Verum etiam posse eum absolvere a censuris quibuscunque Papæ reservatis, etiam contractis ob hæresim, contentisque in bulla cœnæ, etiam extra articulum mortis, omnes impeditos recurrere ad Sedem Apostolicam; & hoc de jure novo, non obstante decreto Clement. VIII. ea nimirum ratione, quam communiter afferunt AA. ne reservatio, quæ pro bono caritatis est inventa, contra caritatem in periculum vergat animarum, tradit Ventriglos. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 2. *n.* 52. ex Leonardo Duardo *ad Bullam Cœnæ l.* 3. §. 2. *concl.* 3. *n nu* 45. Tambur. *de jure Abbatiss. d.* 16. *qu.* 8. *n.* 8.

3. Respond. tertio magis in specie. Potest Episcopus tam laicos quam Clericos lapsos in hæresim in foro externo post eam ejuratam absolvere ab excommunicatione Papæ reservata. Jo. Andr. *in cap. ut officium de hæret. in* 6. Farinac. *tr. de hæres. qu.* 192. §. 4. *num.* 51. Quod magis certum esse de Episcopis Germaniæ, ait Pirhing *hoc tit. num.* 72. hac addita ratione & citatis pro ea Molin. *de just. tr.* 5. *disp.* 7. *num.* 5. Barbos *de offic. Episc. allegat.* 105. *num.* 56. quod, cum in iis regionibus, in quibus non sunt alii inquisitores fidei, ipsi Episcopi sint Inquisitores hæreticæ pravitatis, & super ea delegati Apostolici, adeoque ea potestas ei competat ex jure, vi nimirum *cit. c. ut officium §. si vero*. Absolutione etiam hac Episcopali a dicta excommunicatione pro foro externo serviente absolutis etiam pro foro interno pœnitentiæ, dum nimirum ab ea quilibet sacerdos approbatus possit illos absolvere, ut Farin. *l. c.* Layman *l. c. nu.* 72. Sanchez *in Decal. l.* 2. *c.* 12. *nu.* 6. Pirh. *h. t. num.* 72.

Ad hæc poterunt quoque Episcopi Germaniæ, dum hæresis non est delata ad eorum forum judiciale seu externum, sed statim ad forum pœnitentiæ, etsi alias notoris (modo absolvendus non sit hæresiarcha seu author novæ hæresis) absolvere; cum casus papales, seu casus Papæ reservati ob nimiam frequentiam vel difficultatem adeundi Papam fiant episcopales, ut habet communis DD. Quamvis Episcopi quidam ob majorem securitatem soleant a Papa petere hanc facultatem, ut Layman *l. c. num.* 73. Pirhing *l. cit.* An autem ea potestas concessa Episcopis sit revocata generaliter per Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 6. non resolvit Pirhing sed remittit *ad lib.* 5. *t.* 7.

4. Respond. quarto. Potest Episcopus (idem est de Prælatis inferioribus habentibus jurisdictionem ordinariam respectu Prælatorum sibi subjectorum) absolvere excommunicatos, suspensos, interdictos a Prælatis inferioribus, si & hi & censurati sint illi plene subjecti. Sylv. *v. absolutio* 2. *n.* 1. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 12. *n.* 2. Suar. *de cens. d.* 7. *sec.* 2. *n.* 12. cum communi.

Sic excommunicatos a suo Vicario & delegatis suis pro libitu suo absolvere potest, cum tales, non proprio sed jure alterius, nempe Episcopi, exerceant jurisdictionem. Layman *in cap. cum ecclesiasticam hoc tit. num.* 3. Pirhing *hoc tit. num.* 76. Econtra Regulares Ordinum, etiam non exemptorum, excommunicatos vel suspensos a suis Prælatis Episcopus absolvere nequit, ita ut absolutio sit irrita; cum Episcopus in Regulares, etiam non exemptos, non habeat ita plenam jurisdictionem, quin correctio primo loco spectet ad eorum Prælatos, & Episcopus se immiscere non debeat, nisi in defectu Prælati negligentis, vel nisi crimina sint gravia, præsertim depositionem merita. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. c. cum Ecclesiast. num* 10. Item excommunicatos a delegato Papæ, delegato mortuo, absolvere nequit Episcopus, sed solus Papa, vel successor delegati in eadem delegatione, *c. pastoralis h. t. §. præterea*. Abb. *ibid. n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 79.

Item suffraganeorum suorum subditos ab iis excommunicatos absolvere nequit Metropolitanus, quia in dictos subditos jurisdictionem non habet nisi in casibus appellationis, *c. Romana de appellat. in* 6. *cap. per tuas de sentent. excomm. & cap. venerabilibus tit. eodem in* 6. Sed neque Episcopus excommunicatos ab Archi-Diacono, Decano, &c. sibi subjectis, dum hi jure quodam speciali privative ad Episcopum in dictos a se excommunicatos jurisdictionem exercent, ita ut is se immiscere nequeat nisi in casu appellationis & querelæ ad se delatæ. Sylv. *loc. cit.* Suarez *loc. citat. num.* 18. Pirhing *num.* 73. Argument. *cap. final. de off. Archidiac. & c. audistis de præscrips.* Quod si autem tales Prælati jurisdictionem a lege vel consuetudine pro foro externo habent, subordinatam tamen Episcopo, & solum cumulative & non privative ad illum, adeoque præventioni sit locus, potest Episcopus excommunicatos, suspensos, interdictos ab illis absolvere, ita tamen, ut si censura ab iis juste lata (quod in dubio præsumendum. Glos. *in c. cum ecclesiasticam h. t. v. rationabiliter*) curare debeat, ut ea censura observetur,

neque

neque eum relaxare sine præsentia ejus, qui eam tulit; & ante præstitam sufficientem satisfactionem juxta *cit. cap. cum ecclesiast.*

Si tamen Episcopus absolvat irrequisito excommunicatore, validam esse absolutionem, eo quod *in cit. can. cum ecclesiast.* nullo verbo ea irritetur, & inferior non privative seu exclusa Episcopo habeat jurisdictionem, & Episcopus tanquam Ordinarius totius diœcesis cum eo concurrat, tenent cum Gloss. fin. *in cit. cap. & Abb. ibid. num. 11.* Suar. *loc. cit. num. 17.* Pirh. *h. t. num. 76.* contra Barbos. *in collectan. ad cit. cap. num. 3.*

5. Resp. quinto: Episcopi & ii, quibus facultas absolvendi in certis casibus ab excommunicatione per speciale privilegium concessa est ratione dignitatis, adeoque competit tanquam ordinaria, utpote dignitati in perpetuum annexa, hanc facultatem delegare possunt. Sanch. *de matrim. l. 2. disp. 40. num. 14.* cum Gloss. *in c. his quibus h. t. v. valeat*: in quo capite licet id statuatur de facultate concessa ad absolvendum ab excommunicatione incursa ex percussione Clerici, locum tamen habet in omnibus aliis excommunicationibus; cum id in *cit. cap.* tantum allatum sit exempli gratia. Gloss. *cit.* & Abb. *in eodem c. num. 1.*

6. Respond. Sexto: Potest etiam Episcopus super pœnis canonicis, non latæ, sed ferendæ sententiæ, seu per leges statutis & mandatis inferri, v. gr. si pro adulterio (quod in *cap. at si clerici* ponitur tantum exempli causa, ut Laym. *ibidem ad §. de adulteriis num. 79.*) aut etiam aliis criminibus, minoribus vel majoribus statuatur clerico privatio beneficii, suspensio ab ordine &c. ex justa causa dispensare, easque minuere aut commutare. V. gr. pœnam corporalem vel spiritualem in pecuniariam; ut Azor. *part. 2. l. 3. cap. 58.* citans DD. *in cap. licet de pœnit. & remissionib.* dum id ipsum Canones eas pœnas statuentes non prohibent. Laym. *de jurisdict. Ordinar. conclus. 69.* Pirh. *hoc tit. num. 70.* cum Gloss. *in cap. cum illorum de sentent. excomm. v. interdicta* & Innoc. *in cap. dilectus de tempor. ordinat.* Licet enim, ubi lex imponit pœnam certam, ea ordinarie sit imponenda a Judice, ita ut is eam pro arbitrio suo remittere non possit. S. Thom. *2. 2. qu. 67. ar. 4.* Menoch. *de arbitr. qu. 96. num. 10.* Farinac. *in pr. crim. p. 1. l. 1. tit. 3. qu. 17. num. 5.* juxta *l. 1. §. quantum ff. ad S. C. Turpilian.* ubi, quod pœnæ prosecutio non Judicis voluntati mandatur, sed legis authoritati reservatur; concessum tamen etiam est Judici, etiam non supremo, sed subordinato, rigorem legis temperare ex justa causa, & pœnam minuere. Gl. *in c. l. v. facti* Farinac. & Pirh. *LL. cit.* cum in criminalibus liceat dispensare, nisi prohibeatur. Argum. *l. nec non ff. ex quibus causis majores* juncta Gloss. *v. prohibeantur*. Quin etiam probabile censet Pirh. *l. c.* citans pro hoc Jo. And. *in cap. ult. de cland. desponsf. num. 11.* Alex. *ibidem num. 3.* Laym. *de jurisdict. Ordin. conclus. 71.* contra Sanchez *de matrimon. l. 3. disp. 52. numero* . Quod, ubi Canon præciperet ob crimen adulterii inferri pœnam suspensionis ad certum tempus v. gr. triennium, eam possit Episcopus ex gravi causa remittere. Item quod, postquam jam ob adulterium damnatus per sententiam latam depositus est, & jam infamiam contraxit, eum post actam pœnitentiam restituere possit consecutive famæ, restituendo illum directe officio & beneficio. De cætero pœnas canonicas latæ sententiæ, seu ipso jure inflictas, quæ secum trahunt executionem, & ipso facto incurruntur, non potest relaxare, aut in iis dispensare juxta dicta *nu. 1. hujus quæstionis*.

QUÆSTIO DCCCLXIV.

Quid potestatis competat Episcopo circa dispensandum?

RESpond. Remissive, videnda imprimis, quæ dicta supra *ad tit. de constitut.* in genere de dispensatione legum, ubi de potestate inferioris dispensandi in legibus superioris. Item in quibus dispensare possit Episcopus, videnda, quæ sparsim hac de re dicta *a me in fort. benefic.* uti & in *vicar. Episcop.* ex fusis eorum indicibus *v. Episcopus* & *v. dispensatio*. Ac denique quæ de hac quæstione partim in præcedentibus jam dicta sunt, partim in sequentibus dicentur propriis suis locis. Videri insuper poterunt quæ habet Azor. *part. 2. l. 3. cap. 50. 51. & 52.*

QUÆSTIO DCCCLXV.

Quid possit Episcopus circa indulgentias?

RESpond. Potest Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus & sacerdos, concedere indulgentias subditis suis. *cap. ex eo de pœnitent. & remiss.* D. Thom. *in 4. dist. 20. quæstion. 3. art. 2.* Abb. *in cap. suffraganeis de elect. num. 3.* Azor. *loc. cit. cap. 50 quæst. 8. & cap. 51. quæst. 1.* Barbos. *de offic. Episcop. alleg. 18. num. 7. & 8.* Convenit autem hæc potestas concedendi indulgentias Episcopo jure, non divino, ut volunt Cordubens. *de indulg. art. 2. quæst. 12. proposit. 2.* Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Medin. *de indulgent. disp. 6.* sed canonico, adeoque proxime a Papa. Ut Richard. *in 4. dist. 20. num. 4. quæst. 3.* Palud. *eodem l. & dist. quæst. 4. art. 2.* Sylvest. *v. indulgentia quæst. 5.* & alii, quos citat & sequitur Azor. *part. 1. l. 3. cap. 55. quæst. 2.* Est enim potestas non ordinis, sed jurisdictionis voluntariæ. Barbos. Azor. *LL. cit.* Ugolin. *de potestat. Episcopor. cap. 41. num. 2.* Pirh. *hoc tit. num. 91.* Omnis autem Episcopalis jurisdictio est a Papa, unde & eam adimere, minuere & augere potest. Azor. *l. c. citat.* juxta dicta a nobis supra.

Et quidem competit illis jure ordinario hoc ipso, quod sint confirmati. Richard. aliique paulo ante citati. Unde etiamsi dum hi AA. dicunt, Episcopos habere hanc potestatem ex commissione Papæ, non volunt, illos habere eam tanquam Judices delegatos, sed habere illam a Papa vi juris ordinarii & communis a Papa conditi. Non tamen possunt concedere indulgentias plenarias, nisi ex delegatione Papæ. Barbos. *loc. cit. num. 5. & 9.* Pirh. *num. 93.* sed in numero taxato v. g. in dedicationibus Ecclesiarum unius anni, & in anniversario dedicationis 40. dierum *cap. cum ex eo de pœnit. & remiss.* qui numerus si ab iis excedatur, non valent juxta expressum textum *cap. indulgentiæ de pœnitent.* Non quidem ex toto, sed tantum ex ea parte, qua excedunt taxatum numerum. V. gr. si in dedicationis anniversario concederentur 100. dierum, valent tantum in 40. dies. Azor. *loc. cit. quæst. 6.* cum Gl. *in cit. c. indulgentiæ* dicens esse sententiam communi usu receptam; cum utile per inutile non vitietur *regula de Reg. Jur. in 6.* & *l. 1. §. Trepatius ff. de aqua quotid. & æst.* Gloss. & quia concessio indulgentiarum est actus liberalitatis, in donationibus autem excedentibus quantitatem taxatam in lege valet, quod donatur, quatenus attingit quantitatem, quam lex præscribit. Porro has indulgentias episcopales lucrari possunt etiam exempti. Barbos. *loc. cit. num. 27.* Pirh. *loc. cit.* contra Ugolin. Cum in favorabilibus eodem jure gaudeant, quo non exempti, ne ut habetur in *l. quod favore C. de LL.* & *c. quod ob gratiam de Reg. Jur. in 6.* Quod in favorem eorum inductum est, cedat in eorum præjudicium.

QUÆSTIO DCCCLXVI.

Quid Episcopus potestatis habeat circa prædicationem verbi Dei?

1. RESpond. primo: Ad Episcopum de jure communi spectat jus Cathedræ seu muneris prædicandi & verbo Dei pascendi subjectas sibi plebes *cap. inter cætera 15.* Et quidem tenetur per seipsum prædicare ex præcepto divino, ita & per alium a se substitutum hoc munus (quod est Episcopi præcipuum *cap. Episcopus 7. dist. 88.*) implere nequeat, sublato impedimento. Trident. *sess. 5. c. 2. sess. 24. cap. 4. sess. 23. cap. 1.* Non obstante quacunque consuetudine, etiam immemoriali, quæ potius corruptela est. Trident. *cit. cap. 4.* Pirh. *in cit. cap. inter cætera a num. 10.* Tale autem impedimentum frequentissimum & fere ordinarium est Episcopis, consistens in variis aliis occupationibus, præcipue dum amplæ sunt Diœceses. Argum. *cit. cap. inter cætera*. Stante vero tali impedimento spectat non tantum ad officium Episcopi, ita ut sit obligationis, sed & ad ejus potestatem seu jurisdictionem & legem jurisdictionalem per se committendi hoc munus prædicandi personis aliis idoneis, non tantum in Ecclesia Cathedrali (& quidem sine consensu Capituli, ut Pirh. *ho. tit. num. 91.*) & sed & in ecclesiis parochialibus aliisque diœcesis suæ, nisi forte alii inferiores hoc jus constituendi prædicatores in ecclesiis aliis a Cathedrali per consuetudinem immemorialem acquisivissent. Argum. *c. irrefragabili h. t.* Trid. *sess. 5. cap. 2. sess. 24. cap. 4.* juncta declaratione Cardinal. *ibid.* Barbos. *de offic. Episc. alleg. 76. num. 9.* Zerol. *in pr. Episc. par. 1. v.*

prædicatio §. ad q. Ita tamen, ut si hi inferiores in hoc puncto negligentes, constituto sibi ab Episcopo tempore competente, intra illud non constituerent idoneum Concionatorem, ipse id facere possit. Siquidem nulla unquam consuetudine præscribi ita potest contra Episcopum, ut omnis circa munus prædicandi cura & potestas auferatur. Pirh. *loc. citat.* citans Jo. Andr. *in cap. inter cætera num.* 9. & Laym. *de jurisdict. ordinar. conclus.* 6. Posse autem Episcopum munus prædicandi committere etiam clerico necdum in sacris constitutum, inde patet, quod prædicatio non sit actus Ordinis, sed potius jurisdictionis, eam sic authoritate propria. Barbos. *loc. cit. num.* 42. Ugol. *de offic. Episcop. cap.* 42. §. *num.* 3. Pirh. *cit. n.* 91.

2. *Resp.* secundo. Non tamen hoc munus & potestas prædicandi per se vel alium substitutum competit Episcopis privative ad Parochos aliosque curatos. Siquidem & his ex officio & potestate ordinaria competit cumulative ad Episcopum concionari in ecclesiis suis propriis Parochialibus. Abbas *in cap. inter cætera num.* 1. Laym. Pirh. *LL. citat.* Ac proinde in hoc ab Episcopo impediri non debent nec possunt, ubi ad hoc idonei sunt. Barbos. *loc. citat. allegat.* 36. *num.* 9. apud Pirh. *loc. cit.* Cum prædicare verbum Dei non minus spectet ad curam animarum Parochis propriam, quam administrare Sacramenta *Clem.* 2. *v. verum de sepult.* De cætero, licet ad hoc, ut religiosus alterve clericus semel iterumque concionari possit in Parochiali, sufficiat licentia ei concessa a Parocho, modo tamen ei sit notus, etiam alias ad prædicandum approbatus ab Episcopo. Ugol. *l. c. §.* 1. *num.* 3. Navar. & alii apud Barbos. *de potestate Parochi p.* 3. *c.* 14. *n.* 8. Licet quoque, quantum est de jure communi, nimirum vi *Clem. dudum de sepult.* sufficiat eadem a Parochis obtenta licentia, ut quis constanter in ejus Parochiali concionetur; vi tamen Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. *sess.* 5. *c.* 2. non sufficit ad hoc licentia Parochi, sed requiritur insuper consensus Episcopi. Pirh. *loc. cit.* Sine quo hodiedum a Parocho invitatum prædicare non posse in ejus ecclesia, ex declaratione Clem. VIII resolvit Zipæus *in analyt. Jur. eccl. enarrat. l.* 3. *tit. de paroch. nu.* 3. apud Barbos. *de off. paroch. l. c.*

3. *Resp.* tertio. Tametsi regulares cujuscunque Ordinis non habentes curam animarum ex privilegio Papæ prædicare possint libere in suis ecclesiis, modo a suis superioribus de vita, moribus & scientia examinati & approbati licentiam habeant, ita ut non egeant ad hoc licentiam petere ab Episcopo. Gallemart. *in declarat. ad Trident. sess.* 5. *cap.* 2. *v. etiam in ecclesiis suorum ordinum.* Pirh. *loc. cit.* Tenentur tamen cum illa a superioribus suis habita licentia personaliter se coram Episcopo sistere, & ab eo benedictionem petere. Trident. *loc. cit.* quo hanc non obtineant. Habetque hoc ipsum decretum sistendi se Episcopo & petendi ab eo benedictionem locum in ecclesiis exemptis, ait Gallemart. *ad sess.* 24. *cap.* 4. *v. etiam in ecclesiis suorum ordinum.* Hæc tamen licentia, si idonei sint (ut supponere vi talis licentiæ habitæ a superioribus debet Episcopus, nisi aliud constet) eis deneganda non est, vi hujus decreti Trident. uti nec Ordinarius ad libitum & non rationabili causa suspendere eos potest a prædicatione. Gallemart. *loc. cit.* Almendar. *l.* 3. *de prædicat. S. Scripturæ num.* 8. Tametsi autem sic suspendendo peccet, quia jure suo irrationabiliter utitur, non teneri illum tamen exprimere causam, cur suspendat, habet Barbos. *de pot. Episcop.* 3. *alleg.* 76. *num.* 22. Nihilominus de hujus suspensionis valore merito dubitari ait Crimer. *ad l.* 1. *decretal. num.* 2412. Illud certum ex *citat. cap.* 2. *Trident.* §. *si vero.* Quod si prædicator errores aut scandala disseminaret in suis vel alienis ecclesiis, Episcopus ei prædicationem inhibere potest ac debet. Et si hæreses prædicaverit, juxta juris dispositionem aut loci consuetudinem, etiamsi is prætenderet generali vel speciali privilegio se exemptum, contra illum procedere authoritate Apostolica & tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Ubi tamen monet Episcopos, ut curent, ne quis prædicator vel ex falsis informationibus vel alias calumniose vexetur, justamque de iis conquerendi occasionem habeat. Quod si tamen Episcopus expresse contradiceret, non posse regulares etiam in ecclesiis suis concionari, videtur manifeste constare ex decreto ejusdem Concilii. *sess.* 24. *cap.* 4. ubi *nullus autem sæcularis sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat &c.* Addita etiam clausula generali derogatoria privilegiorum. Neque hoc decretum contrarium esse priori *sess.* 5. *cap.* 2. Ubi solius benedictionis petendæ fit mentio; cum aliud sit petitam benedictionem non concedere (in quo casu adhuc possent regulares in suis ecclesiis concionari) aliud, expresse contradicere. Si quidem in priori Episcopus haberet se mere negative, in posteriori vero exercet actum positivum, interdicendo absolute prædicationem. Ita Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 147. citando pro hoc Fagnan. *in cap. grave h. tit. num.* 42. hæc declarantem adducto Brevi Urbani VIII. Quod tamen ipsum profitentur assumunt AA contrariæ opinionis, ut mox patebit. Nihilominus apparentem illam Decretorum illorum contrarietatem alia explicatione dissipare nititur Miranda apud Pirh. *loc. cit.* Dum sic posterius limitandum & intelligendum dicit *in man. Prælator. Regular. Tom.* 1. *quæst.* 30. *num.* 3. Ut nimirum regulares in suis ecclesiis non debeant sine consensu Episcopi concionari, illo tempore & hora, qua Episcopus concionari voluerit, aut facere coram se prædicari juxta quod statuitur *in cit. Clem.* 2. Quæ interpretatio licet satis torta videatur, eandem tamen admittit Barbos. *in cit. cap.* 2. *sess.* 5. *a num.* 18. Et apud illum Aldan. *in compend. Can. discipl. l.* 3. *tit.* 4. *num.* 30. referens sic decisum a Sac. Congr. præposita negot. Episcoporum & Regular. sub die 30. Jan. 1619. Confirmat quoque Barbos. *in cap.* 4. *sess.* 4. ex Brevi Urbani VIII. ad Cardinal. de Sanctoval. De cætero, ubi regulares contraveniunt hisce Concilii decretis concionando sine licentia Episcopi, ubi hæc petenda, vel absque benedictione petita, habere Episcopum potestatem illos puniendi, etsi exempti essent, per Constitutionem Greg. XV. incipientem: *Inscrutabili* 5. Febr. 1622. habet Barbos. *in cit. c.* 2. *Tribus num.* 12. Contrarium, nimirum non posse illos puniri ab Episcopo, sed debere puniri a solis superioribus regularibus, tenentibus Quaranta *in sum. Bullar. v. privilegia regular.* Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *c.* 3. *nu.* 41. Porro licet regulares concionatores vigore Bullæ Pii V. de facienda professione fidei non teneantur eam facere, antequam munus prædicandi suscipiant, posse tamen Ordinarium, ubi petunt prædicandi licentiam (idem videtur, dum solam petunt benedictionem) hanc ab iis postulare, si ita videbitur, ait Gallemart. *ad cit. c.* 4. *v. nullus autem sæcularis.*

4. *Resp.* quarto. Episcopus ex juris communis dispositione tenetur necessarios sumptus seu alimenta præstare prædicatoribus, quos impeditus assumit & constituit, præsertim in Ecclesia Cathedrali. Sumitur ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. & *c. inter cætera h. t.* Pirh. *n.* 91. *in fine* remittens ad Fagn. *ad cit. c. inter cætera num.* 18.

QUÆSTIO DCCCLXVII.

Quid juris & potestatis habeat Episcopus circa instituendum in beneficiis & destituendum reliquaque materia beneficiali?

RESP. remissive. De hoc consulendum meum forum beneficiale. Ubi quid possit circa erectionem beneficiorum, concessionem jurispatronatus, admissionem præsentationis seu institutionem, confirmationem electorum, liberam collationem, unionem, dismembrationem, extinctionem beneficiorum aliaque similia suis quælibet locis fuse satis explicata invenies, auxilio quoque indicum copiosorum, *vers. Episcop.*

QUÆSTIO DCCCLXVIII.

Quid possit Episcopus circa leges ferendas?

RESP. Remittendo ad ea, quæ dicta de hoc supra *ad tit.* 2. *de Constit.* ubi qui leges ferre possint.

QUÆSTIO DCCCLXIX.

An & in quibus Episcopus jurisdictionem exercere possit in exemptos?

1. RESP. primo in genere; habere Episcopos intentionem fundatam in jure communi exercendi jurisdictionem suam tam in civilibus quam causis criminalibus contra Abbates & quoscunque regulares, constat ex eo, quod spectato jure communi, non secus ac clerici sæculares, regulares omnes cum monasteriis suis subjecti erant Episcopis, in quorum Diœcesibus sita monasteria, *c. qui vere caus.* 16. *quæst.* 1. *c. Abbates, caus.* 18. *q.* 2. Rodriq. *qq. Reg. Tom.* 2. *q.* 3. *a.* 6. Barbos. *de off. Ep. part.* 3. *alleg.* 105. *num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 110. Reiffenstuel. *h. t. num.* 307. Licet autem postmodum ex variis summorum Pontificum privilegiis multi aut etiam plerique regulares, præsertim mendicantes, ab Episcoporum aliorumque Ordinariorum (Legato Apostolico de latere excepto) potestate & jurisdictione sint exempti (de quo vide

vide Rodriq. *l. c. qu. 64. ar. 3.*) ac proinde relicti in causis omnibus suorum Prælatorum regularium jurisdictioni, qui in eos jurisdictionem quasi episcopalem obtinent, & exercere possunt omnia, quæ Episcopi in suos subditos. Barbos. *loc. cit. num. 4.* Chokier. *de jurisdict. Ordinar. in exempt. part. 1. quæst. 27. num. 25.* Pirh. *loc. cit.* Nihilominus, quia privilegia, ut ait Trid. *sess. 24. cap. 11.* & exemptiones hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscebantur, ad hæc præcavenda censuerunt Trident. sequentesque Pontifices, non quidem ea in totum revocanda (durum enim videbatur, ut ait Reiffenstuel. *num. 509.* ejusmodi exceptionem Ordinibus religiosis dudum de ecclesia optime meritis per diversos Pontifices concessam omnimode tollere) sed restringere non nihil, varios exprimendo casus, eisque adjiciendo, qui jam in jure communi expressi erant, in quibus regulares Episcoporum seu Ordinariorum, saltem tanquam Sedis Apostolicæ delegatorum jurisdictioni subjicerentur denuo, aut subjecti remanerent. Quos fuse refert Chokier. *loc. cit. part. 2. qu. 45.* item Barbos. *cit. alleg. 105.* Tamb. *de jure Abb. Tom. 3. d. 5. q. 11.* Fagn. *in c. grave h. t. num. 37.* Eorum recenset 47. concernentes etiam regulares intra claustra degentes, postquam plures alios præmisisset concernentes regulares habentes curam animarum. De quorum præcipuis in sequentibus. Unde

2. Resp. Secundo in particulari præter ea, quæ jam sparsim dicta in antecedentibus, nimirum in puncto visitationis, inflictionis censurarum, correctionis, prædicationis & circa legem diæcesanam, sunt sequentes. Primus. Regulares exempti extra claustra degentes ab ordinario loci, in quo degunt corrigi & puniri possunt juxta Trident. *sess. 6. cap. 3.* & dicta a nobis supra. Circa quem casum notanda sequentia. Primo, quod in hoc decreto per degentes extra claustra intelligantur, qui extra monasteria permanenter seu diutius commorantur & habitant v. g. studiorum causa. Trident. *sess. 25. cap. 4. de regular.* His non obstante, quod ut Abb. *in cap. ex rescripto de jurejurand. num. 9.* Fagn. *in cap. insinuante qui clerici & vovent. numer. 39.* Monachus ubivis locorum de licentia Abbatis degat, fingatur degere intra claustrum; cum illa fictio juris tantum procedat quo ad participationem jurium ac privilegiorum in jure expressorum, non vero quo ad ea, quæ in jure specialiter excipiuntur, ut in præsente. Ita Reiffenstuel. *hoc tit. num. 114.* Non vero intelliguntur illi, qui de licentia superiorum ad aliquos dies, vel etiam ad duos aut tres menses foris morantur. V. gr. causa prædicationis, excipiendarum confessionum, vel etiam recreationis; eo quod ipso quis non censeatur alio divertisse, quod brevi reversurus sit. *L. postliminii §. captivus ff. de captivis* & quod, ut ait Trident. *sess. 23. capit. 1. de reform.* ex veterum Canonum sententia non videantur abesse, qui statim reversuri sunt. Quod *statim* extendit ad duos vel tres menses Reiffenstuel. *hoc tit. num. 112.* citans Riccium *in pr. part. 3. resolut. 392. num. 1. & 3.* Adeoque tales delinquentes non comprehendi dicto decreto Trident. astruit Reiffenstuel. *loc. citat.* ex Laureto de Franchis *par. 1. controversiar. inter Episcop. & regular. numer. 4. in addit.* Quod etiam ex eo videtur probari, quod Trident. *sess. 25. cap. 14. de regular.* punitionem regularium, qui intra monasterium degunt, & extra delinquunt, reservet regularibus superioribus, de quo paulo post. Secundo, quod adhuc censeatur quis degere extra claustrum, qui vivit de licentia sui Prælati in domo deputata ad erectionem monasterii, non tamen sub superiore proprio juxta institutum suæ religionis, adeoque non conventualiter: unde adhuc subjicitur punitioni Ordinarii, secus, si vivat in tali domo conventualiter, id est sub superiore juxta regulas sui Ordinis. Franchis *loc. cit. num. 111.* Fagnan. *in cap. grave hoc tit. num. 35.* referens, sic declarasse Sac. Congreg. Concil. Barbos. *cit. allegat. num. 105. num. 16.* Tertio potestatem puniendi regulares degentes extra claustra competere vi dicti decreti Ordinariis non privative ad superiores regulares, sed cumulative tantum, adeoque & hi prævenire possunt Ordinarios; cum dictum decretum subjiciens tales regulares Ordinariis non eximat eos a jurisdictione, adeoque nec a correctione propriorum superiorum. Franchis *loc. citat. num. 157.* citans alios. Reiffenstuel. *numer. 115.* Quarto notandum, quod Barbos. *in cap. 3. sess. 6. de reform.* refert ex Aldano *in compend. resolut. can.* decisum esse 8. Febr. 1601. a Sac. Congreg. Canonicum regularem de mandato superioris sui in ædibus Parochialia ecclesiæ unitæ congregationi suæ, in qua curam animarum habet, committentem delictum non concernens curam animarum aut Sacramentorum administrationem puniri non posse ab Episcopo vi citati decreti. Alias decreti ejusdem limitationes vide apud Crimer. *ad 5. decretal. a numer. 2459.* Tametsi autem degentes intra claustra, ubi extra illa notorie cum scandalo populi (utrumque enim simul requiritur) deliquerint, puniri non possint directe ab Episcopo, hoc tamen instante (sufficere autem unam instantiam, juxta responsum Sac. Congreg. Concil. desuper consultæ, habet Reiffenstuel. *num. 118.*) & certum tempus superiori ejus præfigente, intra illud ab eodem severe puniendus est, & de facta ejus punitione (etsi non de qualitate pœnæ, ut notat Crimer. *num. 2462.* Cum in Trident. nulla de hoc fiat mentio) certior reddendus Episcopus, alioquin id negligens superior a suo Prælato privandus officio, & delinquens ab Episcopo puniri potest. Ita statuit Trident. *sess. 25. cap. 14. de regular.* & juxta illud Fagnan. *in cap. grave num. 69.* Barbos. *de offic. Episcop. cit. alleg. 105. a num. 18.* & alii apud illum. Marta *de jurisd. p. 4. casu 182.* Ciarlin. *controvers. forens. l. 1. c. 50. num. 2. 9. & seq.* apud Reiffenstuel. *num. 118.* Extendi hoc Trident. decretum etiam ad delinquentes intra ecclesiam propriam, non vero intra claustra, a Sac. Cong. responsum esse, testatur Barbos. *de offic. Episcop. part. 3. alleg. 105. num. 20.* Ubi etiam, quod in originali habuerit in manibus illas declarationes; licet Franchis teneat contrarium *loc. cit. part. 1. nu. 5.* Eo quod nomine claustri etiam veniat ecclesia monasterio annexa, dum religiosus ingrediens dictam ecclesiam, dicatur non egredi e claustro, quam sententiam sustineri posse, ait Reiffenstuel. *num. 119.* si revera dicta Sac. Congreg. responsio non exstaret. Porro contra superiores tales suos subditos ad instantiam Episcopi punire negligentes, & impunitos ad alia suorum Ordinum loca extra diœcesin Episcopi, in qua deliquerunt, dimittentes, aut etiam superiores ipsos commigrantes ad alias provincias, ne super delinquentis excessibus ulterius inquirere, & de punitione Episcopum certum reddere teneantur, prodiit anno 1596. 18. Martii a Clem. VIII. constitutio *suscepti muneris*. Hujus Pontificis 39. *in Bullar.* qua citatum Trident. decretum innovatur, & sub gravissimis pœnis decernitur, ut talis regularis delinquens a loco, in quem translatus, revocetur ad locum, in quo deliquit, & ibi puniatur.

3. Secundus. Dum regulares exempti degentes extra sua monasteria in causis civilibus, puta, mercedum & debitorum contractorum conveniri possunt coram Ordinariis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, & ab iisdem ad solvendum compelli. Trident. *sess. 6. capit. 14. de reformat.* Pirh. *hoc tit. num. 115.* remittens ad Barbos. *cit. alleg. 105. num. 23.*

4. Tertius. Reperti extra sua monasteria sine superioris sui mandato puniri possunt ab Ordinariis. Et si studiorum causa ad Universitates mittantur, in conventibus habitare debeant, alioqui ab Ordinario contra illos procedi debet. Trident. *sess. 25. c. 4. de regular.* Addit Pirh. *h. t. n. 114.* quod quilibet professus absque Prælati licentia, etiam cum majoris partis conventus consilio ad quævis studia literarum ex monasterio se conferat, excommunicationem de facto incurrat justa *c. ne Clerici vel Monachi*.

5. Quartus casus est, quod regulares quicunque, etiam S. Joan. Hierosolymitani, delinquentes in personam Episcopi, eamque impedientes in exercitio jurisdictionis & muneris sui, possunt ab eodem coerceri & puniri; cum, concessa jurisdictione concessa sint omnia, sine quibus ea exerceri nequit. Ita decidisse S. Cong. & ejus decisionem approbatam a Greg. XIII. testatur Fagn. *in c. grave h. t. num. 76.* item juxta *c. 1. de off. deleg. & c. 1. de pœnis in 6.*

6. Quintus casus. Apostatæ & ejecti e religionibus indistincte subsunt jurisdictioni Episcoporum juxta decretum Sac. Congreg. Concil. 21. Septembr. 1624. relatum in Bullar. *Tom. 4. Constitut. 28. Urbani VIII.* Similiter regulares sine legitimo mandato obtento in scriptis recedentes a suis conventibus, etiam prætextu adeundi suos superiores ab Ordinariis tanquam desertores sui instituti puniri possunt. Reiffenstuel. *hoc tit. num. 121.* juxta decretum Trident. *sess. 25. cap. 4.* Excipi nihilominus debet; nisi ex gravi & justa causa ad superiorem Prælatum se conferant, quia ab immediato Prælato injuste gravatur, adeoque etiam ei dicta licentia injuste ab eodem denegata. Rodriq. *regul. qq. Tom. 1. quæst. 30. art. 3.* Pirh. *cit. num. 113.* De cætero Episcopus exemptus, si fugæ periculum sit, capere potest, & ad Judicem competentem remittere. Chok. *part. 2. quæst. 45. num. 10.* Pirh. *hoc tit. n. 115.* Quod tamen limitat Barbos. *cit. alleg. 105. nu. 64.* Ita ut id non liceat, si citra periculum exspectari possit authoritas Judicis exemptorum.

7. Sextus. Tametsi regulares exempti non possint ab Episcopis excommunicari, suspendi, interdici *c. 1. §. in eos de privileg. in 6.* uti id privilegium concessum Societati a Paulo III. anno 1549. quod sic habet: *nec ullis Prælatis contra aliquem de societate, aut contra alias eorum causa*

aliqua, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam ferre liceat, & si tulerit, eo ipso irrita & nullius roboris sit: & in tali casu censuram in neutro foro servandam docet Sanch. *l. 6. consil mor. cap. 9. d. 1. num.* 28. neque enim, etiam in iis, in quibus subjiciuntur Ordinariis, compelli illos posse per censuras, nisi idipsum quoque exprimatur, habet Crimer. *ad 1. decretal. num.* 2466. citans pro hoc Sanch. *de matrim. l. 7. disp.* 33. *num.* 22. & *l. 6. summa cap. 1. a num.* 14. Eo quod vi decretorum Trident. plus contra exemptos facere nequeant Episcopi, quam ibi exprimatur. Quod ipsum tamen non video, quomodo subsistat cum dictis paulu supra, nimirum quod concessione jurisdictionis, censeantur concessa omnia, sine quibus ea (intellige efficaciter) exerceri nequit, tametsi eo ipsa non exprimantur; cum satis sit ea includi virtualiter in ipso illa concessione. Quamvis inquam hæc ita sint, nihilominus ubi ob notorium crimen in excommunicationem inciderunt, possunt ab Episcopo publice denunciari excommunicati, ut ab aliis vitentur. Fagnan. *loc. citat. num.* 75. referens, ita censuisse Sac. Congreg. Reiffenstuel. *num.* 123.

8. Septimus. Monasteria conventus aliaque loca post hac (id est, post decretum Urbani VIII. quod incipit: *cum sæpe contingat §. deinceps* editum anno 1625. & relatum in Bullar. 45. *Consist.* hujus Pontificis) recipienda (secus est de locis exemptis jam antea receptis, de iis enim nihil innovatum, ut Reiffenstuel. *num.* 124.) in quibus 12. religiosi ex redditibus vel consuetis eleemosynis competenter sustentari & inhabitare non potuerunt, & actu non inhabitaverint, visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii vi ejusdem decreti subjiciuntur.

9. Octavus. Quod ad erectionem novorum monasteriorum subjiciuntor Ordinariis locorum, sine quorum licentia prohibentur in eorum diœcesibus ea erigere. Trident. *sess. 25. c. 3. de regul.* Atque ita etiam vi ejusdem decreti statuentis sufficere licentiam Ordinarii revocatur, quod alias *in cap. unic. de excessib. prælat. in 6.* & *in Clem. cupientes de pœnis* inhibitum mendicantibus, nimirum ne reciperent nova loca ad inhabitandum sine licentia Sedis Apostolicæ. Fagn. *in c. grave h. t. n.* 53. juxta declar. S. Cong.

10. Nonus. Tenentur censuras & interdicta, non solum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis lata, Episcopo mandante, in suis ecclesiis promulgare & servare. Trident. *sess. 25. cap. 12. de regular.* Unde nequeunt excommunicatos denunciatos admittere ad divina aut sepulturam ecclesiasticam. Item in locis interdictis celebrare &c. *c. cum plantare §. excommunicatos de privileg. c. Episcoporum eod. in 6.*

11. Decimus. Tenentur servare dies festos, quos Episcopus in diœcesi servandos præcepit. Trident. *loc. cit.* Quamvis ritus suos proprios quo ad Missas aliaque divina tam publice quam privatim diebus illis retinere possint. In Concionibus tamen se conformare teneotur Evangeliis, quibus utitur Clerus sæcularis. Barbos. *cit. allegat.* 105. *num.* 34. Quarant. *in sum. Bullar. v. privilegia regul.* referentes desuper S. Cong. declarat.

12. Undecimus. Teneutur ab Episcopo vocati ad publicas processiones accedere, iis exceptis, qui strictiore clausura perpetuo vivunt. Trident. *sess. 25. cap. 13. de regul.* Item exceptis iis, qui per dimidium milliare (italicum) distant a civitate. Fagn. *loc. cit. num.* 68. referens, hanc exemptionem factam a Gregor. XIII. Barbos. *de off. Ep. p. 3. alleg.* 78. *num.* 21. Franchis *controversiae. inter Episc. & regul. par. 1. num.* 64. Lezana. Piasec. quos citat Reiffenstuel. *loc cit. num.* 129. Item speciale, ne teneantur accedere ad processiones, privilegium habentes, quales sunt PP. Societatis (quos in perpetuum speciali constitutione ab hoc exemit Gregor. XIII. ut videre est apud Sanch. *Consil. mor. l. 6. cap. 9. dist. 2. num.* 12.) Carmelitæ discalceati, Canonici regulares, clerici regulares, S. Pauli &c. Barbos. *num.* 23. Reiffenstuel. *loc. cit.* Controversias quoque, quæ in processionibus & defunctorum corporibus sepeliendis interdum oriuntur super præcedentia, Episcopi remota appellatione, & quibuscunque aliis non obstantibus componere debent Trident. *cit. cap.* 13. de quo etiam videndi Rodriq. *regul. qq. Tom. 3. quæst.* 37. Tambur. *de jure Abb. Tom. dist. 5. quæst. 11. num.* 81. De cætero processiones extra claustrum & ambitum suorum monasteriorum facere nequeunt sine licentia Ordinarii, nisi forte ex speciali privilegio aut legitima consuetudine, & secus facientes puniri possunt ac impediri ab Ordinario. Barbos. *de offic. Episc. part. 3. alleg.* 105. *num.* 77. Zerol. *in pr. Episc. v. processio §. ad quartum* probans illud ex *Can. certum est de consecrat. dist.* 1. Reiffenst *num.* 140. hanc adjiciens rationem, quod vel hoc ipso delinquant extra claustri violando dictum canonem & territorium Episcopi Judicis Ordinarii in tota diœcesi. Intra vero ambitum suorum monasteriorum eas facere possunt irrequisito Ordinario, quia ibi habent suum territorium. Zerol. Reiffenst. *LL. cit.*

13. Duodecimus. Prohibere potest Episcopus, etiam ut Sedis Apostolicæ delegatus, regularibus exemptis, uti & sæcularibus, ne extra ecclesias & oratoria ad cultum divinum tantum dedicata in privatis ædibus aut alibi, etiam inflictis censuris facientibus oppositum, celebrent, Trident. *sess.* 22. in decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ. Quo tamen decreto non obstante, utpote quod solum prohibet pro libitu & sine justa causa ita celebrare, dare potest ad hoc licentiam Episcopus. Navar. *Consil. 5. de privileg. num.* 2. Barbos. *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 23. a num.* 8. Passerin. *de pollut. eccles. dist. 2. cap. 9. nu.* 3. & 5. citans plures. Cum jam antiquitus sine tali licentia in casu necessitatis vel ex alia rationabili causa celebrare sub dio vel in tentoriis concessum *Can. concedimus de consecrat. dist.* 1. Quin etiam tacentibus & non contradicentibus Episcopis, posse hodiedum regulares uti suis privilegiis; quæ FF. Prædicatoribus & Minoribus concessa olim fuerunt celebrandi ubique, sine præjudicio tamen juris Parochialis *c. in his de privil.* asserit Reiffenst. *n.* 137. citans pro hoc de Lugo *tr. de Eucharistia d. 20. s. 2. nu.* 15. Rodriq. *regular. qq. Tom. 3. q. 43. a.* 5. Portel. *in dub. regul v. altare.*

14. Decimus tertius. Subsunt Episcopis, ut sine horum licentia promulgare nequeant indulgentias a Papa impetratas. Barbos. *de potest. Ep. p. 3. alleg.* 105. *num.* 69. & *p. 1. de off. paroch. c.* 16. *num.* 19. Zerol. *in pr. Ep. par. 1. v. indulgentia §. ad tertiam.* Argum. *c. 9. sess. 21. Trid. de reform.* & *sess. 22. in decreto de indulgent.* juncta declarat Cardinal. Quam recitat Barbos. *loc. ult. cit.* & cujus meminit Bonac. *Tom. 3. d. 2. de Bull. Cruciat. q. 3. p. 30. nu.* 9. Intelligendum tamen idipsum de indulgentiis de novo acceptis, non de acceptis jam olim. Bonac. *l. c.* Reiff. *num. 145. h. t.*

15. Decimus quartus. Quo ad expositionem Eucharistiæ. In tantum subjiciuntur Ordinario, in quantum eam solenniter & publice (hoc est, in Monstrantia, ita ut hostia videri possit) exponere nequeant adorandam sine causa publica ab Episcopo approbata. Fagnan. *in cap. grave hoc tit. num.* 77. Lantusca *in Theat. regular. v. Eucharistia num.* 1. apud Reiffenstuel. *num.* 138. referens sic decretum a Sac. Congreg. rituum 26. Febr. 1628. Secus de Eucharistia clausa in ciborio seu aliter velata, id enim posse ex privata causa regulares, tradunt iidem. Fagn. *l. c.* Lantusca *num.* 2. Reiffenst. *num.* 139.

16. Decimus quintus. In Ordine ad subeundum examen Ordinariorum. Item in ipsa Ordinum susceptione a proprio Episcopo, Trident. *sess. 23. cap.* 10. Nisi forte speciale habeant privilegium, ut a quolibet Catholico Antistite ordinari valeant; uti & in cæteris, quæ sunt ordinis episcopalis, puta in petitione Chrismatis, consecratione ecclesiarum & similium. Barbos. *c. alleg.* 105. *n.* 65. Chok. *q.* 45. *n.* 16. Pirh. *h. t. n.* 114.

17. Decimus sextus. In ordine ad approbationem, ita ut ubi beneficium Parochiale non habent, nullius sæcularis (secus est de regularium confessionibus, utpote ad quas audiendas jure antiquo non erat opus approbatione Episcopi, sed quilibet Sacerdos eas excipere poterat de consensu Prælati, ut Castrop. *part. 4. num. 33. disp. unic. part. 17. §. 5. num.* 1. Adeoque, cum Trident. quo ad eas nihil expresserit, manet hoc ipsum sub dispositione juris antiqui Laym. *in sum. l. 5. tr. 6. c. 11. num. 1. &c.*) confessiones audire possunt, nisi ab Episcopo (intellige Diœcesis, in qua audit confessiones juxta Const. Clem. X. *superna magni* editam 1670.) fiunt approbati, Trident *sess. 3. cap. 15. de reform.* vi cujus decreti alias non determinatur, an debeat esse approbatus ab Episcopo loci, in quo audit confessiones, an ab Episcopo pœnitentis, an a suo. Vide me *in foro benef. p. 1. q.* 209. & *q.* 434. *num.* 3. Vide quoque de hac approbationis materia fuse agentem Crimer. ad *l. 1. decretal. a num.* 2412. *ad* 2450. ubi etiam *nu.* 2442. hanc quæstionem enucleat, num exempti possint audire confessiones sæcularium, dum illis approbatio injuste negatur & *num.* 2444. num Ordinarius exemptos semel approbatos possit suspendere ab audiendis confessionibus.

18. Decimus septimus. Dum in monasteriis seu domibus sive virorum sive mulierum, quibus imminet cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum familia, personæ tam regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes subsunt immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt sita; nec ibi aliqui, etiam

ad

ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem consensu ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo, exceptis iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates generales & capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus Abbates & alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent &c. Ita verbotenus *Trid. sess. 25. cap. 11. de regul.* Quod decretum renovatum per Constit. Gregor. XV. publicatam Romæ 8. Febr. 1623. Circa quæ notandum cum Gallemart. *v. ad nutum amovibiles*. Quod deputatio istiusmodi Vicariorum, si regulares sint, spectet quidem ad eos, in quorum unitis ecclesiis isti Vicarii ponuntur, sed non nisi prævio examine & approbatione Episcoporum.

19. Decimus octavus. Moniales exemptas cogere potest ad clausuram. Tridentin. *sess. 25. capit. 5. de regular.* ubi conveniuntur ad Constitutionem Bonifacii VIII. *in cap. periculoso de statu regularium in 6. ubi Episcopus omnibus sub obtestatione divini judicii ac interminatione maledictionis æternæ præcipitur, ut in monasteriis omnibus sibi subjectis ordinaria, in aliis vero immediate subjectis Sedi Apostolicæ, authoritate ejusdem sedis clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuit, restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradicentes per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescentes, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium, ut præbeant, omnes Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus Magistratibus sæcularibus injungit &c.*

20. Decimus nonus. Subduntur monasteria monialium Sedi Apostolicæ immediate subjecta Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ut ab iis gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Trident. *sess. 25. cap. 9. de regular.* Quod tamen intelligendum de gubernatione in spiritualibus, & non in temporalibus, ita ut vi hujus decreti nihil agere possint circa temporalia earum. Barbos. *in collectan. ibidem num. 3.* Armendar. *l. 7. de relig. num. 93.* Gallemart. *in declarat. ad loco citat. vers. gubernentur.* Et licet etiam quo ad gubernationem in Spiritualibus Episcoporum Trident. *loc. citat.* excipiat dicta monasteria, quæ reguntur a deputatis a Capitulis generalibus vel ab aliis regularibus, dicanturque relinquenda sub eorum cura & custodia; licet etiam Gallem. *in declarat. ad l. cit. v. vel ab aliis regularibus* asserat ex sententia Sac. Cong. Concil. ex decretis Trid. Ordinarios nullam authoritatem vel jurisdictionem posse sibi vendicare in confessarios monialium, quæ subjectæ sunt regularibus, item *ad capit. 10. ejusdem sess. v. præter ordinarium.* Confessores hujusmodi in monasteriis monialium, quæ subsunt curæ regularium, non esse examinandos ab Episcopo; statuitur tamen *eod. cap. 10.* ut præter ordinarium confessarium alius extraordinarius ab Episcopo & aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, vi cujus decreti ait Gallem. *l. c.* posse Episcopum monasteriis, etiam non subjectis, dare confessarium, quem maluerit, vel regularem, vel sæcularem. Item posse monialibus subjectis regularibus dare confessarium alium, si nullatenus induci possint, ut suis regularibus confiteantur. Item Episcopis concessam esse potestatem in confessarios regulares & administratores bonorum monasteriorum monialium a Greg. XV. in Bulla incipiente *inscrutabili* edita Anno 1623. uti & ut Episcopi una cum Prælatis seu superioribus regularibus electioni Abbatissæ seu Præpositæ per se vel per alium præsidere possit, ut refert Pirb. *h. t. n. 115.*

21. Vigesimus. Subduntur Episcopis quo ad explorationem voluntatis puellarum ingressurarum religionem, ita ut puellæ non ante in monasterium recipiantur, neque postea professionem emittant, nisi prius Episcopus, vel alius ab eo deputatus diligenter explorarit earum voluntatem, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat Trident. *sess. 25. cap. 17. de regular.* Circa quod decretum notandum primo, esse bis examinandam puellam, nimirum ante ejus vestitionem & ante professionem. Gallemart. *in declarat. ad loc. cit. v. quam exploraverit.* Zerol. *part. 1. pr. Episc. v. monialis num. 1.* referens ita declarasse Sac. Cong. quamvis Mirand. *in tract. de monialib. q. 8. a. 4.* testetur, consuetudine in pluribus locis receptum, ut dicta exploratio tantum semel fiat, nempe ante professionem. Utraque autem exploratio spectat ad Episcopum, non obstante, quod monasterium sit subjectum regularibus, aut alias exemptum a jurisdictione Episcopi. Notandum secundo circa tria ista puncta interroganda non licere Episcopo præter illa facere alias interrogationes, & si fiant, puellæ non tenentur ad illas respondere, pro ut statuit Pius V. in *Bulla sua 41. Etsi mendicantium* ejus verba huc facientia recit. Reiffenst. *n. 157. h. t.*

22. Vigesimus primus. Quicunque regulares, (etiam Ordinis S. Joannis Hierosolym. ut Gallemart. *in declarat. ad loc. Trident. paul. post citand. v. quicunque*) in controversia seu judicio de nullitate professionis subduntur ordinario. Arg. Trid. *sess. 25. cap. 19. de regular.* ubi: *quicunque regularis prætendit, se per vim vel metum religionem ingressum fuisse, aut ante debitam ætatem professionem emisisse, aut quid simile, sicque habitum dimittere velit, audiri non debet nisi extra quinquennium a Die professionis causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & ordinario* habereque id ipsum locum, ubi religio illum vult expellere tanquam nulliter professum, declarasse S. Cong. refert Fagn. *in c. grave h. t. num. 75.* apud Reiff. *h. t. n. 159.*

23. Vigesimus secundus. Subduntur Episcopo quo ad renunciationes novitiorum, in quantum eæ factæ, etiam cum juramento in favorem cujuscunque causæ piæ sunt nullæ, nisi fiant cum licentia Episcopi seu ejus Vicarii infra duos menses ante professionem. Trident. *sess. 25. cap. 16. de regular.* Quod tamen decretum non impedit, quo minus facere possint testamentum & donationes causa mortis. Rod. *qq. regular. Tom 3. quæst. 16. art. 1.* Barbos. *de offic. Episcop. part. 3. allegat. 96. num. 12.* &c. Testamentum enim, utpote semper revocabile ante professionem, libertatem novitiorum, cui providere hoc decreto intendit Trident. non impedit, secus ac renunciatio & obligatio inter vivos semel acceptata, quæ revocari nequit, adeoque potius ad valorem illius requiritur licentia Episcopi, ne novitii incaute se obligent irrevocabiliter.

24. Vigesimus tertius. Quo ad restitutionem faciendam novitiis abeuntibus ante professionem omnium, quæ eorum erat (detractis tamen alimentis a monasterio præstitis, ut Gallemart. *ad loc. cit. v. at & abeuntibus*) regulares, etiam exempti, subjiciuntur Episcopis, ita ut ad hoc etiam per censuras ecclesiasticas compelli possint. Trid. *sess. 25. c. 16. de regul.*

25. Vigesimus quartus. Ratione delicti commissi & contractuum ab iis initorum in loco non exempto. Item ratione rei, de qua contra eos agitur, subjiciuntur ordinariis, ita ut coram iis conveniri non possunt *cap. 1. de privileg. in 6.* Quod ipsum intelligendum de regularibus habentibus communem exemptionem, ait Reiffenst. *hoc tit. num. 171.* citans pro hoc Rodriq. *regul. qq. Tom. 3. quæst. 70. art. 5.* Sylv. *v. testamentum 2. num. 2.* Angel. Armil. &c. alios vero religiosos plane exemptos (quales sunt omnes mendicantes, & qui cum illis in privilegiis communicant) non posse coram eis conveniri ratione delicti vel contractus, nisi in specie sit derogatum eorum quo ad hoc privilegiis, ut Rodriq. *loc. cit. Tom. 2. qu. 64. a. 3.* adducens inter cætera Clementem IV. qui Minores exemerit, ut, non obstante Constitut. Innoc. IV. non teneantur etiam ratione delicti, contractus, rei, locorum ordinariis subjacere, & decreverit inane & irritum, quidquid in contrarium attentari contigerit.

26. Vigesimus quintus. Subjiciuntur in ordine ad reddendas ordinariis rationes de executione ultimarum voluntatum, quam gesserunt, ita etiam, ut si in ea deliquerunt, possint ab eis debite puniri, non obstante exemptionis privilegio. *Clem. unic. de testam.* Franchis *controvers. inter Episc. & Regul. part. 2. quæst. 5. num. 7.* Pirh. *hoc tit. num. 112.* Reiffenst. *num. 166.*

27. Vigesimus sextus. Quo ad accessum ad Synodum diœcesanam subjiciuntur Episcopis regulares omnes exempti, qui alias interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur; habentes autem curam parochialium aut aliarum ecclesiarum sæcularium, quicunque illis sint (intellige, etiamsi subsint Capitulis generalibus. Barbos. *in collect. ad cit. cap. 2. Trid. n. 25.* & *de off. Ep. p. 3. alleg. 93. nu. 7. & 8.* Pirh. *ad tit. de major. & obed. num. 12.* Reiffenst. *hoc tit. num 153.*) Synodo interesse debent. Trid. *sess. 24. c. 2. c. decernimus dist. 18. cap. quod nuper de major. & obed. ex ore de privileg.* ubi etiam, quod Abbates habentes populum tenentur accedere ad Synodum, licet sint exempti, secus, si populum non habeant, nisi sit causa rationabilis *c. Episcopus non debet d. 18.* Gl. *in cit. c. quod nuper v. diœcesana.*

28. Vigesimus septimus. Quo ad librorum editionem, ita ut præter appositionem proprii nominis, licentiam superiorum ac recognitionis factæ per superiores eorum juxta formam ordinationum suarum, absque examinatione & approbatione ordinarii in scriptis & in fronte libri apponenda nequeant libros de rebus Sacris imprimi facere sub pœna anathematis & pecunia statuta in Concilio Lateran. sub Leone X. ita Trid. *sess. 4. in decreto de editione & usu sacrorum librorum*, ubi etiam pœnæ istæ extenduntur ad eos, qui tales libros scriptos, seu typis non mandatos, aliis communicant seu evulgant; cum tamen inibi non fiat mentio,

nisi de libris, & pœnalia ultra propriam significationem extendi non debeant; idem affirmandum non videtur de disputationibus, prælectionibus, concionibus & his similibus in scripto etiam sine nomine authoris aliis communicatis, præsertim ubi nulla est fraudis, perversitatis & pravæ intentionis suspicio. Azor. *p. 1. l. 8. cap. 7. q. 7.* id probans ex recepto locorum usu. Reiffenst. *h. t. a n.* 143.

29. Vigesimus octavus. Compellere possunt ordinarii regulares exemptos obtinentes ecclesias curatas quantumcunque exemptas, etiam censuris, si ita necessarium videbitur, ut dominicis & festis solennibus plebem sibi commissam pascant verbo Dei. Trid. *sess. 5. c. 2. de ref.*

30. Vigesimus nonus, subduntur regulares exempti in causis matrimonialibus Episcopis. Trid. *sess. 24. c. 20. de ref.* nisi jurisdictio competat illis privative ad Episcopum, vel ex immemoriali consuetudine. Barbos. *de off. Ep. p. 3. alleg.* 105. *nu.* 72. Pirh. *h. t. n.* 114. sic etiam quantumvis exempti & privilegiati ad obtinendam absolutionem a suspensione, quam incurrunt copulando matrimonio, vel benedicendo copulatos sine licentia Parochi, subduntur ejusdem Parochi ordinario. Trid. *sess. 24. c. 3. de reform.*

31. Trigesimus. In causas hæresis similibusque criminibus spectantibus ad tribunal S. Inquisitionis regulares etiam exempti subsunt jurisdictioni Episcoporum tanquam Sedis Apostolicæ delegatorum, si in iis locis Inquisitores non sint *c. ad abolendam §. fin. de hæret. cap. ut officium §. denique eod. in* 6. Vide Barbos. *de off. Episc. cit. alleg.* 105. *a n.* 56. Pari modo locorum ordinariis & inquisitoribus subduntur in ordine ad inquirendum & procedendum contra quomodolibet exemptos cujuscunque ordinis confessarios sollicitatores quascunque personas ad illicita aut inhonestos habentes cum illis sermones vel tractatus in actu sacramentalis confessionis, sive ante sive post illam occasione illius, vel etiam extra hanc occasionem confessionis in confessionali &c. juxta variorum Pontificum Bullas, quas vide apud Barbos. *l. c. nu.* 60. Item pari modo Episcopi & Inquisitores procedere possunt contra regulares etiam exemptos, audentes in publicis concionibus, lectionibus aliisque actibus publicis asserere B. Virginem conceptam in peccato originali, juxta quod cansuit S. Cong. Universalis Inquis. coram Paulo V. habita 3. Aug. 1617. quam refert Barb. *l. c. alleg.* 90. *nu.* 110. & juxta Const. Alex. VII. quæ incipit: *sollicitudo* 8. Decemb. 1661. & est in Bullar. Tom. 5. hujus Papæ 117.

32. Trigesimus primus. Quo ad executionem decretorum Concilii Trid. specialiter subjiciuntur regulares exempti Episcopi, de quo lege *c. 22. sess. 25. de regul.* & vide Fagn. *in cap. grave h. t. n.* 73.

QUÆSTIO DCCCLXX.

Num exempti teneantur Episcopis aliisque locorum ordinariis exhibere privilegium exemptionis?

1. RESp. primo. Tenentur, dum exemptio non est notoria, illud exhibere intra tempus ab ipsis præscriptum *c. cum persona de privil. in* 6. juxta Gl. *v. tradere* cum enim Episcopus in jure communi habeat intentionem suam fundatam in materia subjectionis respectu omnium, qui sunt in diœcesi, is qui se exemptum prætendit ab ejus subjectione, dum id non constat, probare debet, quod aliter non fit, quam exhibitione illius privilegii ignorati.

2. Resp. secundo. Secus tamen est, ubi exemptio est notoria. Nav. *in c. cum contingat de præscrip. caus.* 6. *nu.* 6. Henriq. *l. 7. de indulg. c. 25. nu.* 6. Argum. *c. si duobus de appell.* ubi Glos. *v. nisi: si notum ei erat, quod non esset de ejus jurisdictione, nec tenet sententia, nec tenebatur comparere.*

QUÆSTIO DCCCLXXI.

Num exempti a jurisdictione ordinarii teneantur ad jus reverentiale ei exhibendum. V. g. ad eundum et introeunti obviam?

RESp. Negari quidem hoc a Paulo a Castro *in l. fin. C. de bonis libert.* apud Sanch. *l. 6. consil. mor. c. 9. d. 2. nu.* 26. cui inhæret Crimer. *ad l. 3. decret. n.* 2468. Contrarium tamen affirmant Reiffenst. *h. t. n.* 168. ubi: quamvis ex privilegio quis sit exemptus a jurisdictione Episcopi, adhuc tamen tenetur Episcopo reverentiam exhibere. Hinc cum Episcopi veniunt in exemptorum ecclesiam, reverenter sunt excipiendi, possunt etiam ipsi in ecclesiis regularium exemptis populo benedicere, & in pontificalibus celebrare, & uti Baldachino. *Clem. Archiepiscopo 2. de privil.* Quinimo juxta decretum Sac. Cong. Episcop. & regul. negot. præpositæ 11. Junii 1603. emanatum, & a Clemente VIII. approbatum regularis aliique exempti nolentes assentiri usui Baldachini possunt ab iisdem Episcopis per censuras & pœnas ecclesiasticas ad hoc compelli, prout hoc liquet ex tenore decreti dicti, quod recitat Lauret. de Franchis *l. c. p. 5. n.* 378. & Barbos. *p. 3. alleg.* 80. *n.* 16. ita ille. Verum tamen, quod addit Crimer. *l. c.* nimirum quod nullus ordinarius invito Prælato & regularibus in ecclesiam exemptam convocare possit processiones, confirmare ibi, conferre ordines aliaque officia divina & judicia exercere.

QUÆSTIO DCCCLXXII.

An exemptio religiosorum sit odiosa adeoque restringenda?

RESp. Probabilius videtur privilegium exemptionis esse favorabile, adeoque non stricte sed latius accipiendum Henriq. *l. c.* Suar. *de LL. l. 8. c. 27. a n.* 7. Sanch. *l. 6. consilior. c. 9. d. 3. n.* 40. dispositio enim directe intendens favere est favorabilis, etsi alius indirecte gravetur, dum disponens novit gravamen inde alteri subsequens, talis autem est illa regularium exemptio, utpote cujus finis directe intentus est favere Religioni alicui propter magna illius in Ecclesiam merita summis Pontificibus etiam intendentibus per hoc ipsum specialiter conservare istiusmodi religiones talibus remunerationibus, & ab insectationibus & vexis protegere sibi soli eam quo ad subjectionem reservando. Unde minus recte dicitur hanc exemptionem esse recessum a jure communi hoc lædentem, adeoque ei damnosa; cum bono communi, quod jura seu leges intendunt, sit utilius, esse quorundam statuum in Republica ab ordinariis locorum Judicibus exemptionem. Uti idipsum a posteriore patet in ea exemptione quarundam religionum in Ecclesia ex fructibus animarum, qui non raro, si eæ ordinariis subjectæ fuissent, non tam copiose provenissent. Dum autem Trid. *Sess. 24. c. 11. de reform.* dicit, ex exemptionibus nasci perturbationes & dissolutiones, non loquitur de illa regularium quorundam exemptione suis limitibus clausa, sed de multiplicatis omnium exemptionibus eorum, qui honorariis titulis (puta, Protonotariatus, Comitis Palatini, Capellani Regii) in vel extra Curiam Romanam decorantur. De quo vide Barbos. *ad cit. c. 11. Trid.*

QUÆSTIO DCCCLXXIII.

An illis regularium exemptionibus derogetur Tridentino, aut ipsum illis deroget?

1. RESp. ad primum non derogari Tridentini decretis per istiusmodi exemptiones & privilegia post illud concessa, nisi fiat ejus vel generalis vel specialis mentio; cum ipsum Trid. *Sess. postrema* declaret, omnia in dicta S. Synodo statuta de morum reformatione & ecclesiastica disciplina ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ ei sit & esse intelligatur. Unde dum Papa aliquid decernit in favorem alicujus religionis, non contradicit decretis hujus Concilii; cum ea semper imbibant hanc conditionem: nisi Papa aliud hic & nunc statuat: vid. Castrop. *p. 1. tr. 3. d. 4. p. 21. §. 4. n.* 6. Garc. *de benef. p. 4. c. 5. a n.* 30. Unde etiam infert Crimer. *n.* 2476. non obstare privilegio exemptionis concesso post Trid. etsi in eo addatur clausula aliquando addi solita in concessionibus privilegiorum post Trid. qua ea limitantur: modo decretis Tridentini non adversentur; eo quod indulta Pontificum post Tridentinum, non contradicunt decretis illius, dum carent speciali mentione & derogatione ipsius Concilii. Neque tamen propterea dicta clausula reddatur inutilis & superflua, quia adhuc suum effectum habet in his, quibus specifice derogat Tridentinum.

2. Resp. ad secundum. Sed neque Trid. istiusmodi exemptionibus & privilegiis jam ante concessis in remunerationem & titulo quasi oneroso, vel cum clausula: ut derogari non possit, nisi de verbo ad verbum illorum fiat expresse mentio, derogat per clausulam solum generalem: *non obstantibus privilegiis*. Castrop. *l. c. a n.* 3. & apud illum Sanch. Suar. Azor. Salas, quos vide. Videtur autem derogare illis specialiter, saltem tacite, dum adhibet hanc vel similem formam: *non obstantibus privilegiis sub quacunque forma concessis*; ne alias ista verba: *sub quacunque forma*: forent superflua contra *c. si Papam de privilegiis in* 6. ubi, quod verba aliquid operari debeant.

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCLXXIV.

An & qualiter limitetur exemptio concessa sub his verbis: omni jurisdictione quorumcunque ordinariorum eximimus totaliter?

1. RESP primo, non limitari, ita ut excludatur jurisdictio, quam habet ordinarius jure speciali. Si enim ordinariis quo ad hanc jurisdictionem subjectus quis remaneret, verum non esset, quod totaliter & omnimode ab eorum jurisdictione exemptus esset.

2. Resp. secundo. Neque etiam limitatur exemptio generaliter concessa per subsequentem expressionem aliquorum casuum. Exprimuntur siquidem illi exempli gratia ad expressius significandam intentionem eximentis, præsertim in quibusdam materiis, in quibus ordinarii se magis opponunt ita Crimer. n. 1478.

3. Resp. tertio. Neque limitatur ita, ut solum subducantur jurisdictioni, quam alias ordinariam habent, relinquantur vero subjecti eorum jurisdictioni, quam habent tanquam Sedis Apostolicæ delegati, nisi hæc jurisdictio firmetur per clausulam ejusmodi exemptioni specifice, saltem tacite derogantem. Cum enim ordinarius instructus jurisdictione delegati Papæ sit aliquis ordinarius, comprehenditur sub illis terminis universalibus: *quorumcunque ordinariorum*. Fundantur hinc omnia in eo, quod cum, ut dictum, exemptio illa sit singulariter favorabilis, admittat largam ac latam interpretationem. Unde licet verum sit, quod, ut dicitur *in cap. in generali de reg. Jur. in 6.* in generali concessione non veniant ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus in specie: non tamen probat, quod, qui concedit alicui omnimodam exemptionem a quorumcunque ordinariorum jurisdictione, præsertim cum clausula motus proprii & ex certa scientia, verisimiliter non fuisset illum in specie exempturus ab habentibus jurisdictionem ordinariam ut delegati Papæ; cum illud facere potuisset, & non fecit. Sed neque quicquam probat in contrarium *Decis. Rotæ 505. in Salmant. jurisd.* ubi dicitur exemptum ab ordinario respectu unius qualitatis subesse eidem respectu alterius, præsertim si hæc specialis sit, & speciali nota digna, locum siquidem id haberet, dum quis exemptus diceretur ab ordinario qua pollente jurisdictione sua propria ordinaria; is enim foret adhuc subjectus eidem qua pollenti jurisdictione ordinaria delegati Papæ; non vero, dum nulla qualitas certa exprimitur, sed in genere, & quidem latissime patentibus istis verbis diceretur exemptus totaliter a jurisdictione quorumcunque ordinariorum.

CAPUT QUINTUM.

De Potestate & Jurisdictione Prælatorum aliorum Episcopo inferiorum, præsertim Regularium.

De Officio & Potestate Archidiaconi ex professo & fuse egi in *Vicar. Episc.* quo remisi supra ad *tit. de off. Archid* De Officio Archipresbyteri dictum supra *ad tit.* 24. De Potestate vero Vicarii tam Episcopi quam Capituli Sede vacante consulendus meus *Vicar. Episcopi*. Nunc de reliquis.

QUÆSTIO DCCCLXXV.

Quæ origo, quod officium, quæ potestas Præpositorum?

1. RESP. primo: Præpositi sub rubrica *c. de susceptoribus & Præpositis* dicuntur, qui horreis pagisque præfecti erant *l. 2. eod. tit.* horreis nimirum, in quæ species fisco debitæ importabantur, pagis vero unde exportabantur. Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 18.* Dicebantur quoque Præpositi in militia Romana, qui sub Tribuno certo numero militum præfecti. Sueton. *in vita Othonis*. Modestin. *in l. 3. ff. de re militari §. 2. & ult.* ubi: *qui Præpositum suum protegere noluerunt vel deseruerunt, occiso eo, capite puniuntur.* Loquendo autem de Præpositis ecclesiasticis, tametsi in Jure Canonico nullus extet de officio Præpositi titulus, fit tamen non raro mentio eorum in responsis Pontificum. Præpositos Ecclesiasticos etiam olim a Græcis dictos œconomos, eos nimirum, qui proventus ecclesiasticos administrabant, & post Episcopum præerant plebi, constat ex *Novel. 67. §. 2.* Loquendo etiam de Præpositis regularibus, fuisse jam tum tempore Gregorii M. suis monasteriis Præpositos, constat ex variis ejus epistolis *l. 4. Ep. 4.* ubi Joannes Abbas a Gregorio licentiam ordinandi Bonifacium in Præpositum sui monasterii & alias, ut Thomass. *de vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 65. nu. 1.* præcepit idem Greg. ut Abbati incurioso sui muneris adjungeretur Præpositus pervigil. & industrius. Quin & in Regula S. Benedicti fit mentio eorum, dum *c. 65.* dicitur: *sæpe contigit, ut per ordinationem Præpositi scandala oriantur, dum æstimantes se secundos Abbates dissensiones faciunt.* Item statuit S. Benedictus *l. c.* ut, si omnino necessarium sit, deligi Præpositum, is eligatur ab Abbate cum consilio monachorum timentium Deum. Extat & decretum Caroli M. *Concilior. Gallic. Tom. 2. pag. 248.* in quo vetatur, ne istiusmodi Præpositi regulares, qui foras monasteria sunt, venationi & aucupio se dedicent. De cætero, quod horum Præpositurum (qui ut Thomass. *l. cit.* iidem qui Priores) attinet officium, post seu secundum Abbates totam monasteriorum regiminis sarcinam sustinebant, ut idem Thomass. Unde etiam D. Greg. in Dialogis agit de præpositis quibusdam mira animi fortitudine præditis, qui disciplinam corruentem farciebant, infringebantque ipsam Abbatum perversitatem. Quamvis, ut idem Thom *l. c. c. 66. n. 1.* monasteriorum summa erat penes Abbates potestas, & proxima penes Præpositos authoritas, maxime tamen eorum sollicitudo versabatur circa res monasteriorum temporales, ut constat ex Isidoro Hisp. *l. 2. c. 5.* ubi: *ad Præpositum pertinet sollicitudo monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio & cultura vinearum, diligentia legum, constructio ædificiorum, opus carpentariorum seu fabrorum &c.* præpositos quos quasi vicedominorum & advocatorum munia obivisse in monasteriorum defensionem, ait Thomass. *cit. nu. 3. in fine.* Atque ita, ut Idem *num. 4.* cum regni negotiis tunc plerumque detinebantur Abbates, sive in aula Principis, sive in exercitu, ita temporalis potestas omnis, quæ erat tunc quammaxima, ad Præpositos devolvebatur, & hinc illis evagandi ansa & sæcularibus se altius immergendi. Porro notandum hic, jam tum olim (uti & modo) Abbatias in ditione sua habuisse Prioratus & Præposituras, & eo Abbates arbitrio suo monachos destinasse; hosque Præpositos rerum omnium sibi creditarum rationes dare debuisse. Postea vero, ubi retrolabi cæpit disciplina, Præposituræ ab Abbatibus ad vitam & firmam datæ ac ita evasere beneficia perpetua (intellige regularia & hi Præpositi in ecclesia suæ Præposituræ residere tenebantur; & si quandoque ad ecclesiam principalem Capitulumque veniebant, iis in choro dabatur locus, quippe ejusdem Ecclesiæ membris: ita Tho. *c. c. 70. n. 3.*

2. Resp. secundo. Accedendo nunc ad præpositos Capitulorum canonicalium. Sicut claustris monachorum sub Abbate præfectos, sic Præpositos quoque dictos fuisse congregationum clericalium Principes ac duces sub Episcopo, postquam eæ formam monasteriorum vitamque communem amplexæ, ait Thomass. *c. c. 66. n. 7.* & uti monachorum collegia, ita & Canonicorum in commune viventium capitula in potestate præpositorum fuisse, patet ex Concil. Aquisgr. sub Ludov. Pio: ubi, quod quidem omnes illi dici possint præpositi, qui aliis præsunt, usus tamen obtinuerit, ut præpositi dicantur, qui, cum Canonicos vel monachos in potestate habeant, ipsi in Episcoporum sint potestate & *Can. 117.* ubi exterior interiorque Canonicorum in communis vitę societate degentium disciplina omnino committitur & *Can. 118.* iisdem præcipitur, ne plures in collegium suum canonicale adlegi sinant, quam alere per annuos redditus, & pie gubernare possint. De cætero, ut Vicedo-

mino summa erat potestas in laicos omnes unius diœcesis, ita Præpositum Clericis omnibus ecclesiæ præfuisse, & post Episcopos & Abbates cæteris omnibus gloria & dignitate Præpositos præcelluisse, deducit Thomas. *loc. cit. n.* 6. ex Concil. Valentino III. anno 855. uti & ex eodem colligit, in ecclesia Viennensi, qui Archidiaconus, eundem Præpositum fuisse. Ac ita primitus Archidiaconi & Præpositi officia & jurisdictio, nempe tam in clericos Capituli, quam cæteræ diœcesis conjuncta in unum fuerunt; quæ sejuncta dein sunt, ut esset penes Præpositum jurisdictio in omne Capitulum, penes Archidiaconum prisca illa in alios omnes totius diœceseos clericus authoritas ita ut Præpositura Capitulorum fit portio quædam decerpta Archidiaconatus; fuerintque deinceps Præpositi Vicarii Episcoporum, & eorum jurisdictionis administri in Canonicos, sicut Archidiaconi in clericos cæterus diœcesanos. Tribuitur quoque ab Ebbone Archiepiscopo Rhemensi in institutione de officiis ac ministris Ecclesiæ Rhemensis, ut videre est apud Thomas. *l. c. n.* 15. Præposito spiritualis temporalisque omnis exterior & inferior in Capitulum, in personas, in mores, in res. In Coloniensi vero Concilio ad annum 1260. potestas tantum circa temporalia, ut nimirum eorum officium & industria versaretur circa res ecclesiæ temporales, ditionesque protegendas adversus grassatorias deprædationes. Sedem habebant in Cathedrali, & commendabantur illis præbendarum redditus, quarum fructibus Canonici ad tempus carebant, eosque in Ecclesiæ reparationem impendebant &c. Thomas. *loc. cit. cap.* 170. *num.* 4. Sed hæc de officio & potestate Præpositorum, quæ fuerunt antiquitus.

3. Resp. tertio hodiedum vero, etsi Præposituræ in ecclesiis cathedralibus Germaniæ, Flandriæ, Poloniæ, Galliæ, Hispaniæ & plerisque aliis sit dignitas, in aliquibus quidem prima, & decanatu major, in aliis, puta Galliæ, Hispaniæ minor decanatu, ut dixi *in foro benef. part.* 2. *q.* 546. *nu.* 8. & quidem dignitas perpetua, quidquid sit de eo, num Præpositi, uti & Decani, Cellerarii, Oeconomi, Cantores, Camerarii, Thesaurarii, Sacristæ primitus tam in capitulis quam Abbatiis fuerint meræ obedientiæ & ad nutum revocabiles dignitates, quæ tractu temporis in perpetua & irrevocabilia evaserint beneficiorum nomina ac titulu in capitulis, & dein in monasteriis, ut asserit Thomas. *cit. c.* 70. *nu.* 1. habent insuper adjunctam in aliquibus Ecclesiis jus conferendi vel nominandi ad plurimas per diœcesin Parochias ut constat in Præpositura Monastericnsis Ecclesiæ; ac denique etiam alicubi jurisdictionem & curam animarum, eo quod toti Canonicorum Collegio præsit, ut Azor. *l. c.* plerumque tamen omni jurisdictione destituta, etiam in Germania (etsi ibidem, uti & in Polonia & Belgio omnem jurisdictionem suam explicare dicat Thomas. *cit. c.* 70. *num.* 5. *§. denique*) pura est dignitas vel Personatus.

QUÆSTIO DCCCLXXVI.

Quæ origo, quod officium & potestas Decanorum tam olim quam modo?

1. RESp. ad primum. Quod attinet originem Decanorum Monasticorum, meminit jam eorum D. Hieronym. & Cassianus loquentes de antiquioribus monachis uti & D. August. *de morib. Eccles. l.* 1. *cap.* 31. ubi: *opus suum* (quod nimirum manibus elaborassent: *tradunt iis, quos Decanos vocant; eo quod sint denis* (intellige monachis regendis) *præpositi*. Occasionem substituendi illos præpositis in moderando monasterio dedit S. Benedicto Præpositurum quorundam contumacia, ut constat ex ejus regula *c.* 65. ubi: *per Decanos ordinetur omnis utilitas monasterii, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat*. Sic dum Præpositi rerum temporalium curandarum occasione frequenter e claustro evagantes sæculares paulatim induunt mores, ac nomine vesteque monachi, re & vita sæculares evaderent, monasteriorum administratio ad Decanos devenit prout hoc ipsum statutum in Concilio Mogontino ad annum Christi 813. *Can.* 11. ubi: *decernimus, sicut sancta regula* (intellige S. Benedicti) *dicit, ut monasterium, ubi fieri potest, per Decanos ordinetur; quia Præpositi illi sæpe in elationem incidunt & in laqueum diaboli* &c. Atque ex his quoque, uti & ex regula D. Benedicti constat, numerosiora Monasteria in plures fuisse divisa Decanias, & cuique Decano assignatam certam totius congregationis portionem regenda sub Imperio unius Abbatis, a quo solo, vel etiam Episcopo, & non ab ipso monachorum collegio, ut habet Thomas. *loc. cit. c.* 66. *num.* 5. eligebantur hi Decani, non per ordinem ætatis, sed secundum vitæ, experientiæ & scientiæ meritum, ut iis securus Abbas partiatur cum iis sua onera; nec abdicantur, nisi desperatæ pravitatis, uti hæc habet Thomas. *l. c. num.* 8. ex regula Canonicorum Crodogangi *cap.* 21. Decanis vero his cæteris unus eminebat Senior Decanus, qui post Abbatem & Præpositum (non enim in omnibus Abbatiis desitum creari & haberi Præpositum) primus sedebat, absenteque Abbate & Præposito, locum ejus in ecclesia, Capitulo & refectorio tenebat, ut ex constitutionibus Sangallensis Abbatiæ Thomasin. *citat. num.* 8. Unde etiam ingens ille Decanorum numerus demum ad unum Decanum & Subdecanum (quos puto eosdem cum Priore & Subpriore moderno, de quo tamen vide Thomas. *l. c. c.* 67. *a num.* 8. uti & *c.* 68. *a num.* 1. ubi multa de Prioribus & Prioratibus. Porro in conventu Abbatum anno 817. apud Aquisgranum *can.* 55. statutum, ut officia Præpositi, Decani, Cellerarii essent perpetua, nisi forte ingens necessitas aut utilitas eos alio evocaret; tribuiturque ab eodem Conventu magno illi Decano non minus quam Abbati & Præposito jus benedicendi Lectori. Thomas. *n.* 13.

2. Resp. secundo. Quod attinet Decanos ecclesiarum Canonicalium sæcularium, tametsi de eorum officio in Jure Canonico nullus exstet titulus, fit tamen mentio *in cap. dilectis de appell. cap. dilecti de sent. excom. in* 6. *cap. dilectus de præbend. cap. constitutis de appellat.* & alibi. Confunduntur hi quandoque cum Archipresbyteris, dum *cap. in capite dist.* 50. *& cap.* 1. *&* 2. *dist.* 60. Archipresbyteri vocantur Decani. Verum ut distincti ab Archipresbytero duxerunt originem a Decanis monasteriorum, dum ad formam Abbatiarum in Ecclesiis Cathedralibus instituti Decani. Dumque abjecta disciplina regulari successerunt Canonici sæculares monachis in Prioris locum subrogatus Decanus Thom. *loc. cit. cap.* 5. *num.* 70. Quin & Decanum Capituli dictum olim fuisse Priorem in ecclesiis quibusdam Cathedralibus Hispaniæ, tradit idem *l. c.* ex verbis Innoc. III. Præpositis & Decanis utplurimum in ipsa Capitulorum fundatione assignatam fuisse jurisdictionem suam, qua fruituri erant, ait Thomas. *loc. cit. §. unum hoc* hac etiam facta distinctione, ut Decani præessent interiori disciplinæ, Præpositi exteriori, ut habet *num.* 4. uti hæc aliaque Decanorum & Præpositorum discrimina in Capitulis ac munerum diversitas elucet in Concilio Coloniensi 1549. Postquam vero eo deventum est, ut sola temporalium cura mandaretur Præpositis, accidit dein ut ea quoque cura levarentur, ne, ut ait Thomasio. *cit. num.* 4. *§. cum porro* ea diutius abuterentur, uti & hæc causa prius fuerat, ut spirituali jurisdictione exuerentur. Atque ita etiam Capitulorum Cathedralium Decanos successisse immediate in potestatem, non Archidiaconorum, sed Præpositorum, ait idem *numer.* 5. *§. unum hoc*. De cætero Decanorum Capitularium jam tum olim ad annum 1248. ut habetur *Concilior. Tom.* 2. *part.* 2. *pag.* 1402. apud Thomass. *loc. citat. cap.* 70. *num.* 6. jurisdictio, officium & electio vix a modernis diversa describitur, dum dicitur: *Decanus habeat curam animarum personarum Canonicorum & Clericorum ecclesiæ memoratæ* (intellige Nicosiensis in Insula Cypro, de qua ibi agitur) *jurisdictionem tamen aliquam contentiosam non habebit; Archiepiscopo Nicosiensi homagium facere teneatur. Decani vero electio ad Capitulum pertineat, ita quod de ipsius gremio fiat, confirmatio vero & institutio ad Episcopum pertinebit* &c. Sic hodiedum in omnibus fere ecclesiis consuetudine receptum, ut iis, qui præest toti Collegio Canonicorum, in choro, in consessu, in Comitiis & suffragiis ferendis, dicatur Decanus, Hostiens. *in cap. dilecti de appellat.* Azor. *institut. moral. p.* 2. *l.* 3. *cap.* 17. *q.* 1. cujus, ut idem Azor, totum munus, authoritas & potestas ex consuetudine dependet. Præter dignitatem, quam Jure Canonico eum habere constat fere ex titulis ad initium *hujus num.* citatis habet & jurisdictionem de consuetudine in multis ecclesiis, & quidem ordinariam, ut Azor. *loc. cit. quæst.* 3. *&* 4. dum etiam, ut declarat Innoc. IV. *in cit. cap. dilecto de sentent. excomm. in* 6 Decanus ille, de quo ibi, poterat ferre sententiam excommunicationis, ut contumelias & vim propulsaret. Item Decanus, de quo *in cap. dilectis de appellat.* poterat sacris interdicere. Item ex *cap. irrefragabilis §. excessus hoc tit. in* 6. Collegium Canonicorum; cui præest Decanus, poterat interdicere sacris civitati. Habet quoque curam animarum eo ipso, quod præfectus toti Canonicorum Collegio in Canonicos & Clericos jurisdictionem habeat. Argum. *c. dudum, de præb.* Azor. *loc. cit. quæst.* 5. uti hæc ipsa potestas ferendi censuras ei decernitur in Concilio Coloniensi ad annum 1260. *Can.* 9. nimirum ut, cum penes Decanos summa sit potestas in Capitulis, eorum quoque muneris sit, ut resideant, divinis officiis intersint, omni ope & contentione certent pro disciplina tuenda, ea de causa, si opus esset, correctiones & censuras iterarent. De cætero Decani similesque Prælati ecclesiarum collegiatarum, spectato jure communi, non exercent jurisdi-

jurisdictionem in clericos (intellige etiam suarum Capitularium) sed ea Episcopo competit. Laym. *ad cap. ne pro defectu, de elect. n.* 1.

3. Resp. tertio. Cum etiam Parochi sua ruri capitula colligere & congregationes quasdam instituere cœpissent, Decani rurales dicebantur ii Parochi, qui in certa ruris regiuncula ejusdem regiunculæ Parochis præerant. Eorum jam tum ad annum 843. in Concilio Tuletano fit mentio; vocanturque etiam Magistri ab Hincmaro teste Thomass. *c.* 66. *num.* 14. eo quod cæteris imminerent Parochis, & de observantia statutorum ab Episcopis eosdem admonere deberent. Eligebantur a cæteris Parochis in eorum cætu, non seniores, sed dignissimi & experientissimi, & Episcopo confirmando offerebantur, non deponendi, nisi ob morum improbitatem. Thomass. *loc. cit.* ex Hincmari Capitularibus ad Parochos. Magna erat eorum cum officio Archipresbyteri affinitas, unde & quandoque dicti Archipresbyteri. Thomassin. *loc. cit.* Apud hunc Decanum suum convenire solebant primo die mensis, si non esset dies festus, Parochi intra ejus Decanatum siti, inter se consultaturi de muniis sibi incumbentibus, de Decanatus emendatione, de negligentia & flagitiis corrigendis, deque iis, de quibus monendus Episcopus, maxime autem de Parochis, quos ad meliorem frugem revocari posse, minus sperarent. Thomass. *loc. cit. p.* 2. *l.* 3. *cap.* 74. *num.* 10. ubi etiam, uti & in *cap.* 76. *num.* 2. quanta cum sobrietate hæ calendæ celebratæ. Porro collationes istæ, quæ habebantur alias singulis mensibus, jussæ deinceps haberi singulis annis non nisi bis, vel etiam alicubi semel, ne clerus sumptu & labore gravaretur, tum etiam ob aliquas avaritiæ & intemperantiæ sordes, quibus inficiebantur. Thomass. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 76. *num.* 4. & 7. Invexit earum usum in Italiam, ubi alias incogniti Decani rurales ob diœceses angustiores, S. Carolus Boromæus, etsi non appellarit Decanos, sed Vicarios foraneos, teste Thomass. *cit. cap.* 76. *num.* 2. De cætero nulla est istis Decanis in Parochos sui Decanatus jurisdictio.

QUÆSTIO DCCCLXXVII.

Quæ sit Prælatorum regularium potestas?

1. RESP. primo. Prælati regulares (quo nomine proprie veniunt in jure ii religiosi, qui in monasteriis seu cœnobiis aliisque conventibus regularibus totam curam ac administrationem ordinariam habent. Azor. *part.* 2. *l.* 3. *c.* 25.) potestatem habent in suos religiosos œconomicam & quasi dominativam, qualem habet pater in filium, dominus in servum, estque hæc potestas jus quoddam competens Prælato ad imperandum religiosis, & utendum eorum operibus, prout religiosam disciplinam conveniens judicaverit, ortum & acquisitum ei ex voluntate profitentium talem religionem, qui se vi religiosæ professionis tradiderunt illi & religioni cum promissione & obligatione ad obediendum juxta eandem regulam. Vi itaque istius potestatis potest præcipere aliquid etiam in virtute S. obedientiæ, item moderatam adhibere coercitionem, & pœnam infligere, quæ ad ordinarium regimen alicujus familiæ sufficit. Ita fere cum Suar. *Tom.* 3. *de relig. l.* 2. *c.* 18. *num.* 10. Pirh. *hoc tit. num.* 124.

2. Resp. secundo. Tametsi ex natura rei & per se simpliciter ad regimen religiosorum & regulare necessaria non sit in superiore potestas jurisdictionis (quæ est potestas de publico introducta dicendi jus, sententiandi, statuendique quod æquum est, litigandi, solvendi, puniendi in foro contentioso) sed sufficit dicta potestas dominativa spiritualis paterna, quæ competit superioribus ex voto obedientiæ, ut eos secundum regulam dirigant in vitam æternam. Passerin. *de elect. c.* 25. *num.* 344. ut patet in antiquorum monachorum Prælatis, Antonio, Hilarione &c. qui clerici non erant, ut sumitur ex *Ep. D. Hieron. ad Eliod. r. &* 4. *ad Rusticum*, quæ referuntur *dist.* 16. *qu.* 1. Moderni tamen Prælati regulares habent quoque potestatem jurisdictionis spiritualis, ad quam spectat cognoscere religiosorum causas graviores, judicare & punire infligendo censuras, pœnas corporales & graviores, quam quæ per domesticam potestatem infligi possunt. Suar. *l. c. n.* 13. Pirh. *l. c.* Estque hæc eorum jurisdictio ordinaria, quippe competens illis vi muneris & officii sui, ad quod ab Universitate seu Collegio electi, vel etiam ad quod citra electionem a supremo aliquo Ordinis capite, puta generali, destinati & constituti sunt. Sylv. *v. Prælatus*, *q.* 1. Tamb. *de jure Abb. Tom.* 2. *disp.* 1. *q.* 4. *a n.* 1. Suar. *l. c. l.* 10. *c.* 11. *n.* 18. Pirh. *num.* 125. Estque etiam in Abbatibus, Prioribus conventualibus & similibus perpetua, manualitatem non admittens (secus, ac ex speciali institutione vel etiam ordinatione summorum Pontificum accidit in Prælatis plerisque Ordinum mendicantium, quorum officium certo tempore circumscribitur) cum eo ipso, quod hæ Prælaturæ conferantur per electionem, non habeantur a superiore simpliciter, sed a majore quadam vi & potestate, nempe ab ipso Collegio, in quo radicatur, & a quo fluit ac refluit omnis eorum jurisdictio. Argum. *c.* 34. & 5. *caus.* 18. *q.* 2. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 33. *num.* 7. Hinc etiam, licet conferantur via electionis a conventu tamen removeri non possunt nisi in causis a jure expressis; dum enim electi sunt, ulterius non subjacent potestati conventus. Lotter. *loc. cit. n.* 75. Atque ex his jam patet, Priores claustrales, Vicarios & similes non habere jurisdictionem proprie talem, multoque minus ordinariam, cum præterquam, quod non per electionem constituuntur, sed v. g. per Abbatem, administratio illorum & officium est simplex quædam procuratio & agentia, & quidem ad nutum revocabilis. Argum. *c. cum ad monasterium, de statu monachorum*. Lotter. *num.* 70. Et licet istiusmodi Priores similesque habeant potestatem aliquam gubernandi ac præcipiendi secundum facultatem ipsis concessam, sive absente, sive præsente Prælato, ita ut etiam religiosi iis obedire teneantur in conscientia, sicut Discipuli Magistro in Schola, domestici Patrifamilias in domo, possintque insuper levioris aliquid pœnitentiæ imponere, non tamen possunt præcipere quicquam in virtute S. Obedientiæ (quod ipsum spectat ad potestatem œconomicam & dominativam religiosam proprie talem juxta *respons. praced.*) nisi forte consuetudo vel statutum Ordinis alicujus habeat aliud. Laym. *de jurisdict. ordinar. concl.* 130. Suar. *cit. cap.* 11. *n.* 19. Pirh. *cit. num.* 125. Vel etiam nisi ad hoc haberent ab Abbate potestatem delegatam; cum enim Abbatum similiumque Prælatorum regularium potestas & jurisdictio sit ordinaria, hanc delegare possunt in absentia sua. Suar. *cit. cap.* 11. *num.* 18. Tamb. *loc. cit.*

3. Resp. tertio. Prælati regulares habent quoque jurisdictionem quasi episcopalem in suos religiosos, sive de cætero exempti sint ab Ordinariis sive non. Pirh. *h. t. num.* 126. Et quidem, quod attinet exemptos, sunt hi in duplici classe, dum aliqui eorum habent territorium proprium ac separatum, ita ut neque in, neque de diœcesi sint Episcopi, dicunturque nullius diœcesis. Et hi possunt omnia in suo territorio seu quasi diœcesi, in qua habent jurisdictionem quasi episcopalem, non tantum in suos subditos regulares, sed & sæculares, quæ Episcopi in sua diœcesi circa suos, exceptis iis, quæ spectant ad potestatem Ordinis episcopalis. Sanch. *l.* 2. *in decal. c.* 11. *num.* 2. Tamb. *cit. disp.* 1. *q.* 5. *num.* 7. Pirh. *cit. num.* 126. Alii vero territorium proprium non habent, & hi quidem eorumque monasteria seu loca exempta sunt in diœcesi Episcopi non tamen sunt de diœcesi seu jurisdictione Episcopi; ideoque licet Episcopus possit exercere suam jurisdictionem ordinariam in qualibet parte diœcesis, non tamen eam possit exercere in tali loco exempto. Felin. *in c. penult. hoc tit. num.* 2. Pirh. *loc. cit.* Et hi Prælati etsi jurisdictionem quoque quasi episcopalem habeant in suos regulares, quin & sæculares, si quos tales sibi subditos habent, non tamen possunt omnia circa illos, quæ Episcopi circa suos subditos, neque nomine Episcoporum comprehenduntur, cum territorium seu diœcesin propriam non habeant. Sanch. Pirh. *LL. cit.* Tamb. *loc. cit. num.* 6. & 8. Sayr. *in clavi reg. l.* 6. *c.* 11. *num.* 83. Quod vero attinet Prælatos Ordinum non exemptorum ab Ordinariis, sunt & hi quoque Judices Ordinarii suorum regularium in causis pertinentibus ad statuta regularia. Laym. *Theol. Mor. l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *nu.* 28. cum D. Thom. *in* 2. *dist.* 44. *quæst.* 2. *ar.* 3. Nav. *in comment.* 2. *de regular. num.* 63. Vi cujus ordinariæ jurisdictionis iis præcipere possunt in spectantibus ad vota, observationem regulæ & domesticam disciplinam, rationem vivendi &c. Item de iis disponere possunt, quoad officia, promotionem ad Ordines &c. juxta *c. ad aures, de temp. Ordinat.* ita etiam, ut in his dispositio, correctio, punitio primo loco spectet ad Prælatum Ordinis, neque Episcopus se in his immiscere debeat, nisi constet de negligentia vel injuria Prælati regularis. Sanch. *l.* 6. *in decal. c.* 1. *num.* 32. Pirh. *h. t. num.* 127. juxta dicta a nobis supra. Est tamen hæc eorum jurisdictio ordinaria subordinata & in multis casibus dependens a jurisdictione Episcopi diœcesani, in iis nimirum, quæ spectant ad externam disciplinam ecclesiasticam communem clericis sæcularibus ac regularibus, & quoad crimina graviora, & publice scandalosa punienda. Abb. *in c. quanto h. t.* Sanch. *l. c. num.* 13. Laym. *de jurisd. ord. concl.* 117. Pirh. *loc. cit.* Et de his, nimirum gravioribus illis delictis, præsertim quæ exigunt depositionem, ut idem Pirh. cum Tamb. *l. c. num.* 9. & Gl. marg. intelligendus Canon desumptus ex

Con-

Concil. Arelat. loquens de monasteriis ac monachis non exemptis, *in c. monasteria caus. 18. quæst. 2. monasteria vel monachorum disciplina ad eum spectat Episcopum in cujus territorio sunt constituta.*

QUÆSTIO DCCCLXXVIII.

Quid possint Prælati regulares circa censuras aliasque pœnas inferendas regularibus suis?

RESp. Possunt etiam in foro externo excommunicationem aliasque censuras in eos ferre, *arg. c. cum in ecclesiis de major. & obed.* & *c. sicut de Simon.* & *ibi* Gl. *v. sub interminatione*. Sylv. *in sum. v. Abbas, qu. 2.* Nav. *in man. cap. 27. num. 5.* Suar. *de cens. disp. 2. §. 2. num. 9.* Azor. *instit. moral. part. 1. l. 12. c. 20. qu. 7.* Pirh. *h. t. num. 128.* cum comm. cum enim juxta legem communem per electionem & confirmationem aliamque deputationem ab aliquo supremo Ordinis Præside constituti sint monasteriorum & collegiorum suorum capita, necesse est habere ab eadem lege jurisdictionem ordinariam fori externi in eos, quibus præficiuntur, adeoque & potestatem coercendi eos contumaces per censuras, tametsi ipsi subjecti sint Episcopo. Pirh. *num. 128.* cum Glos. communiter recepta *in c. cum ab ecclesiarum, h. t. vers. ecclesiastica sententia*. Simili modo, dum separatum territorium subditosque sæculares habent, in eos quoque vi jurisdictionis suæ ordinariæ quasi episcopalis, non secus ac Episcopus in suos, ferre possunt censuras. Et hæc quidem possunt Abbates, etsi necdum sint benedicti, modo sint confirmati, vel instituti aut aliter provisi, AA. paulo ante citati. Possunt quoque Prælati regulares excommunicare per sententiam generalem vel particularem subditos suos, etiamsi hi existant in alieno territorio, cum censura liget personam secundum se eamque comitetur, ubicunque locorum existat. Pirh. *h. t. num. 129.* citans Suar. *l. 1. de cens. s. 5. num. 18.* Tamb. *Tom. 2. disp. 24. qu. 2, num. 4.*

QUÆSTIO DCCCLXXIX.

Quid possint circa absolutionem subditorum suorum regularium a peccatis & censuris?

1. RESp. primo. Cum Abbates (idem est de aliis similibus Prælatis regularibus) habeant curam fori pænitentialis respectu suorum monachorum. Abb. *in c. cum in cunctis, num. 4.* & ex eo Lotter. *de re benef. l. 2. qu. 50. num. 28.* & jurisdictionem in foro conscientiæ, possint absolvere regulares suos ab omnibus peccatis & censuris (si sint sacerdotes) non reservatis alteri, vel etiam (dum ipsi sacerdotes non sunt) alteri idoneo committere absolutionem. Sylv *v. Abbas quæst. 2.* Nav. *loc. cit. num. 39.* Azor. *p. 2. l. 12. c. 20. quæst. 7.* Pirh. *num. 130.* Argum. *c. nuper, de sentent. excom.* ubi, quod quilibet Sacerdos proprius absolvere possit a censuris non reservatis. Censetur enim conditor canonis censuræ in eo appositæ eo ipso concessisse facultatem absolvendi ab ea, quod eam sibi non reservaverit. Pirh. *loc. cit.* Multo magis jam poterunt absolvere a censuris a se latis; cum cui jure ordinario competit potestas ligandi, ei etiam regulariter competat potestas absolvendi. Sic itaque Prælati regulares superiores, utpote respectu quorum reservatio absolutionis a censuris facta ab inferiore iis subjecto locum non habet, absolvere possunt. V. gr. Provincialis religiosos, quos excommunicavit Prælatus conventualis seu localis, Generalis, quos excommunicavit Provincialis. Ut tamen id possit superior, requiritur, ut jurisdictio Prælati inferioris, quam habet in personam absolvendam sit subordinata & dependens a superiore, qualis est jurisdictio Prælati regularis respectu superioris Prælati regularis, utpote ab eo in fieri & conservari omnino dependens. Item ut superior habeat quoque ipse jurisdictionem in personam absolvendam, qualiter Generalis & Provincialis æque immediate exercere potest jurisdictionem suam in subditos inferioris Prælati, ac ipse Prælatus inferior, utpote cujus totius Ordinis vel provinciæ religiosi subsunt. Ac denique, ut causa ipsa quoque subsit superiori, ita ut eam superior ab inferiore ad se avocare possit, eamque cognoscere, etiamsi ad eum appellatum non sit, quod possunt dicti Pręlati superiores regulares. Ob quarum conditionum defectum Metropolitanus absolvere nequit excommunicatum ab Episcopo suffraganeo, nisi ad ipsum fuerit appellatum, nec Episcopus excommunicatum a Pręlato regulari, etiam non exempto, cum non habeat plenam in eum jurisdictionem. Ita fere Pirh. *cit. num. 130.* citans Suar *de cens. d. 3. s. 2. a num. 12.* Tamb. *cit. d. 14. qu. 7. a num. 3.* E contra Pręlati regulares inferiores absolvere nequeunt a censuris, nisi dum superior absolutionem sibi non reservat. Tamb. Pirh. *LL. cit.* & Suar. *Tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 20. a num. 2.*

2. Resp. secundo. Pręlati regulares (idem est de sęcularibus Episcopo inferioribus) habentes jurisdictionem ordinariam & quasi episcopalem in subditos etiam sęculares etiam nullius diœcesis, adeoque nec in nec de diœcesi absolvere nequeunt, etiam in foro conscientię, subditos suos a crimine hęresis & casibus occultis Sedi Apostolicę reservatis, a quibus datur potestas Episcopis (& consequenter etiam Capitulo Sede vacante, ut ostendi *in Vicar. Ep. q. 477.*) absolvendi per Trid. *sess. 24. c. 6.* Cum enim facultas illa sit jure speciali & exorbitante a jure communi concessa Episcopis, intelligi debet de Episcopis proprie ac vere talibus, & non de aliis, maxime quia jura & Concilium magis confidunt de Episcopis quam aliis inferioribus. Ita Garc. *de benef. p. 5. c. 7. a num. 17.* Unde jam subditi illorum Pręlatorum, qui sunt nullius diœcesis, cum non habeant Episcopum, recurrere debent ad Papam pro obtinenda absolutione ab hęresi, uti & subditi aliorum Pręlatorum exemptorum, qui sont in diœcesi; cum non sint subditi, nec se subjicere possint Episcopis, in quorum diœcesibus sunt, exceptis casibus a jure expressis, qualis non est dicta absolutio. Garc. *loc. cit. num. 20.* citans Marc. Anton. Genuens. *in pr. Cur. Neapolit. cap. 66. num. 19.* Ugol. *de cens.* contra Suar. & alios plures putantes, posse subditos horum exemptorum se subjicere, si velint Episcopo quo ad hunc actum favorabilem obtinendi ab eo absolutionem. Verum hęc, nisi speciali forte quo ad hanc absolutionem privilegio Pontificio esset instructus Pręlatus regularis.

QUÆSTIO DCCCLXXX.

Quid possint Prælati regulares circa reservationem peccatorum & censurarum?

1. RESp. primo. Pręlati Ordinum religiosorum, etiam non supremi. V. gr. priores, Guardiani, Rectores aliique conventuales seu locales pręsides possunt certa peccata graviora aut magis noxia suorum regularium suę absolutioni reservare, non secus ac Episcopi subditorum suorum. Veniunt siquidem in Trid. *sess. 14. c. 7.* sub nomine Episcoporum omnes episcopalem aut quasi episcopalem jurisdictionem habentes; cum reservatio peccatorum non spectet ad potestatem Ordinis episcopalis, sed ad potestatem jurisdictionis. Suar. *Tom. 4. de relig. cap. 18. num. 1.* Pirh. *hoc tit. num. 131.* Competere autem hanc reservandi potestatem etiam inferioribus pręlatis regularium, colligitur ex Constit. Clem. VIII. ad annum 1593. 26. Maji edita, quę incipit: *ad futuram rei memoriam*: dum loquitur indefinite de Superioribus regularium. Suar. *loc. cit. num. 14.* Pirh. *loc. cit.* Tametsi autem in prędicta constitutione casus 11. enumerentur, qui in religionibus reservari possunt, non tamen per hoc pręcipitur pręlatis, ut omnes illos reservent, neque etiam vetatur, quo minus pręter illos & alios reservare possint, sed solum pręcipitur, ut si peccatum aliquod grave pro Ordinis conservatione, aut conscientię puritate reservandum videatur, id reservetur, non aliter, quam cum generalis Capituli totius Ordinis aut provincialis provincię matura discussione & consensu reservetur; quam tamen limitationem non esse usu receptam in quibusdam religionibus, ait Pirh. & de Ordine Minorum testatur Rodriq. *Tom. 1. regul. qq. qu. 31. a. 2.* ubi, quod provincialis possit casus reservare extra Capitulum, non item Guardianus. Quod si autem pręlatus Ordinis v. g. provincialis vel Abbas solus sine Conventu vel Capitulo reservasset sibi peccatum, reservatio hęc eo mortuo vel deposito cessat; cum censeatur facta & habere se per modum pręcepti, quod mortuo mandante exspirat, non vero per modum statuti, quod durat perpetuo. Pirh. *num. 123.* Laym. *de jurisd. ordinar. concl. 128.* non secus, ac contingit in reservatione facta ab Episcopo, quę illo mortuo extinguitur, si facta per modum pręcepti (quod in dubio pręsumitur, ut Laym.) si vero cum consilio & consensu Capituli, etsi extra Synodum reservaverit Episcopus peccatum sibi & successoribus suis seu Sedi Episcopali, durat reservatio, utpote jam habens rationem statuti, nisi a successore vel Capitulo Sede vacante fuerit revocata. Laym. Pirh. *LL. cit.* & Quarant. *in sum. Bullarii, v. casus reservati, in fine.*

2. Resp. secundo. Pari modo absolutioni suę reservare possunt censuras alicui peccato ipso facto annexas pręlati

regu-

regulares. Suar. cit. c. 18. num. ult. Tamb. Tom. 2. d. 13. qu. 3. n. 1. Pirh. cit. n. 132. Et licet dari nequeat absolutio a peccato, non ablata censura, adeoque reservata censura censeatur & reservatum peccatum; quia tamen id per accidens est, & revera peccatum & censura, & utriusque reservatio sunt per se distincta, prohibitio absolutionis a peccato seu culpa extendenda non foret ad absolutionem a censura; cum a diversis non debeat fieri illatio. Pirh. loc. cit.

QUÆSTIO DCCCLXXXI.

Quid possint Prælati circa dispensandum cum suis regularibus?

1. RESP. primo. Potest Abbas seu Prælatus Ordinis cum suis subditis ex justa causa dispensare in observatione regulæ, quatenus id ei a jure, vel regula, vel privilegio concessum (qualiter Abbates potestatem & authoritatem habere regulam hic & nunc in multis relaxandi, ait Abb. *in c. cum ad monasterium, de statu monachi*) v. g. in abstinentiis & usu carnium, jejuniis, silentio, operibus manuum, quæ omnia alias monachi servare debent. Imo generaliter in omnibus ad regulam spectantibus, iis exceptis, quæ ad trium votorum observantiam, habitum & religionis substantiam pertinent. Azor. p. 1. l. 12. c. 20. qu. 16. & ex eo Pirh. h. 1. n. 133. Potest præterea in aliis quibusdam dispensare, v. g. concedendo, ut apostata a religione ad alios ordines ascendat, & in susceptis ministret. Azor. loc. cit. Argum. c. monachus, dist. 77. modo tamen tempore Apostasiæ Ordinem sacrum non susceperit; ea enim irregularitas non nisi a Papa tollitur, c. ult. de Apostatis. Item concedendo, ut monachus extra legitimum conjugium possit ad sacros Ordines promoveri. Azor. loc. cit. juxta c. 1. de filiis presbyt.

2. Resp. secundo. Prælati regulares habentes etiam jurisdictionem quasi Episcopalem (idem est de sæcularibus Episcopo inferioribus) dispensare queunt in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario aliisque deductis ad forum contentiosum, in quibus alias conceditur specialiter Episcopo potestas dispensandi per Trid. Sess. 24. c. 6. ob rationem datam, q. penult. ante hanc, vide me *in Vicar. Episcop.* quæst. 478. a num. 3.

3. Resp. tertio. Dispensare quoque, etiam ad Ordines minores, nequeunt Prælati regulares, etiamsi exempti sint, & alias privilegiati, in bigamia vera & interpretativa; cum nullibi in jure reperiatur illis concessa hæc facultas (quæ etiam Episcopis respectu suorum subditorum denegata, etiam quo ad primam tonsuram & beneficium simplex, ut cum probabiliore tenui *in foro benef.* p. 1. q. 357.) quin & in privilegiis mendicantium ordinarie excipitur bigamia. Barbos. de off. Ep. alleg. 49. n. 28. Tamb. de jure Abb. Tom. 2. d. 17. qu. 3. num. 2. Dian. part. 4. tract. 2. resol. 63. Passerin. de elect. c. 25. n. 77. Mirand. Tom. 2. qu. 8. a. 14. Sigism. a Bonon de elect. du. 68. p. 2. ubi tamen is, ut & Passerin. loc. cit. quod licet non esset improbabile, id posse prælatos aliquos regulares quo ad Ordines, improbabile tamen sit id eos posse quo ad dignitates. Possunt tamen prælati regulares quasi Episcopalem jurisdictionem habentes in suos religiosos, ut Generales, Provinciales, Abbates, Priores exempti &c. dispensare cum suis in bigamia similitudinaria. Suar. de cens. d. 49. s. 6. num. 16. Passerin. loc. cit. num. 72. ubi etiam, quod regularis exemptus, etiam de licentia suorum superiorum nequit se subjicere Episcopo pro petenda hac dispensatione, & superiorem male facturum, si talem ei licentiam concederet, nisi forte esset gravis necessitas, & superior adiri nequiret. Rationem vero ab eo allatam, nimirum quod prælati regulares possint cum suo subdito dispensare, quantum Episcopus cum suo; non tenere universaliter, sed ad summum in iis, quæ competunt Episcopis jure ordinario, & non ex speciali privilegio a jure illis concesso, patet ex dictis *responsione* 2.

QUÆSTIO DCCCLXXXII.

Quid possint Prælati regulares ratione territorii separati?

1. RESP. primo. Territorium separatum cum jurisdictione Episcopi acquirere possunt præscriptione, privilegio, consuetudine. Tondut. qq. benef. p. 2. cap. 3. §. 9. n. 13. & fusius, p. 1. cap. 60. siquidem quæ sunt jurisdictionis, vel simplicis dignitatis episcopalis (quale quid est habere diœcesin propriam) præscribi possunt per Abbates similesque prælatos ecclesiasticos. Tondut. cit. §. 9. num. 9. citans c. accedentibus, & Abbatem *ibidem*.

2. Resp. secundo in casu acquisiti territorii separati veri ac proprii cum clero & populo, ita ut sit in eo tanquam in propria diœcesi a quacunque alia independente & stante per se tanquam Ordinarius, & quasi episcopus, potest omnia regulariter (exceptis iis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, item iis, de quibus quæst. ante hanc penult.) quæ potest Episcopus in sua diœcesi. Tondut. cit. cap. 3. n. 23. Barbos. Jur. Eccl. l. 1. c. 17. n. 94. Tamb. Tom. 2. d. 1. qu. 3. Sanch. de mat. l. 8. dist. 2. n. 12. & in Decal. l. 2. c. 3. n. 4. cum Gl. in clem. 1. de reb. eccles. non alien. v. proprii. Unde

3. Resp. tertio in specie. Primo regulariter non secus ac episcopus potest conferre beneficia etiam jurata istius districtus. Tondut. n. 13. Barbos. l. c. n. 96. & 102. citans Reginal. p. 2. fori pænit. l. 3. n. 182. Tamb. Tom. 2. d. 10. qu. 11. Paris. de resign. l. 4. q. 35. a num. 8. Et quidem penes eum existente jure conferendi tam habituali quam actuali, uti id sequitur a contrario ex iis, quæ dixi *in foro benef.* p. 2. q. 720. n. 1. nimirum; quod jus utrumque non habeat prælatus, qui absque eo, quod habeat territorium separatum, præscripserit jus conferendi privative ad episcopum, sed solum jus actuale, seu in solo exercitio tanquam sub Episcopo, ejus quodammodo vicarias partes agens cum jure devolutionis ad episcopum, seu potius reassumptionis ejus primævæ potestatis, ut Card. de Luca, de benef. d. 1. n. 10. & 11. citans Abb. in c. cum contingat, de foro comp. num. 16. Pagn. in c. cum te de citat. & qual. a num. 3. De cætero, quid competat iis circa collationem beneficiorum conventualium, aut etiam unitorum monasteriis vel ab iis dependentibus respectu suorum conventualium (quod iis commune est cum aliis prælatis non habentibus territorium separatum) vide apud me *in foro benef.* cit. qu. 720.

4. Secundo. Potest instituere concursum, modo habeat jus congregandi Synodum & deputandi Examinatores Synodales. Tondut. cit. c. 3. n. 14. Corrad. pr. benef. l. 3. c. 3. sub num. 10. Barbos. l. c. n. 103. citans Riccium in pr. fori eccles. resol. 261. Massob. in pr. habendi concurs. requisit. 1. dub. 8. num. 21. vide de hoc Garc. de benef. p. 9. c. 2. n. 131. & me *in foro benef.* par. 1. qu. 205. num. 4.

5. Tertio. Potest habere Synodum & Synodales constitutiones facere, si habuerit provinciam (quam eo ipso illum non habere, quod habeat territorium separatum satis indicant AA. mox citandi adjiciendo hanc conditionem. Barbos. l. c. n. 104. citans Bottæum de Synod. p. 2. a num. 40. & declarat. S. Congr. de 17. Aug. 1616. vel etiam, dum de cætero constat, hanc legitime ab eo celebratam, & in ea deputatos Examinatores Synodales juxta declarat. S. Congr. ad Trid. Sess. 24. c. 18. de quo vide me *in foro benef.* p. 1. q. 205. n. 4. in fine.

6. Quarto. Potest instituere in beneficiis sui districtus curatis, non tantum institutione collativa tituli (quæ pro subjecto habet ipsum beneficium, & non necessario manat ab episcopo, sed etiam proficisci potest ab alio, nimirum habente instituere præsentatam, vel etiam conferre libere) neque etiam tantum instituere potest institutione authorizabili jure quasi Vicario episcopi, utpote quæ etiam competere potest aliis non habentibus territorium separatum v. g. prælato monasterii exempti, præcipue exemptione plena, hoc est, una cum populo & Parocho, ecclesia parochiali pertinente pleno jure ad monasterium, ita ut episcopus nullas sibi in ea partes vindicare possit; in quo casu institutio collativa tituli est penes tale monasterium seu ejus prælatum jure proprio, institutio quoque authorizabilis est penes illum, non tamen jure proprio, quasi avulsa ab episcopo, & in monasterium translata, sed jure ac vice episcopi, quem abdicare a se curam animarum & institutionem authorizabilem in ea est impossibile, ita ut authorizabilis illa institutio proficiscens ab episcopo semper implicita censeatur provisioni Abbatis, & sic instituendo authorizabiliter semper agat Vicarium episcopi. Lotter. de re benef. l. 2. quæst. 12. a num. 6. Verum etiam videtur talis prælatus habens territorium separatum & quasi provinciam cum clero & populo instituere posse institutione authorizabili jure proprio, quippe qui censeatur nec in nec de diœcesi, estque ipse ordinarius & diœcesanus, propriam habens diœcesin, habetque ut episcopus privative ad omnes alios episcopos propriam jurisdictionem, ad quam, & non ad potestatem Ordinis episcopalis, spectat illa institutio authorizabilis. Pro meliore hujum intelligentia vide me *in foro benef.* part. 1. quæst. 68. num. 3. & fusius part. 2. quæst. 7. per totam, ubi institutio illa authorizabilis explicatur exactius.

7. Quinto. Possunt approbare confessarios respectu suorum subditorum sæcularium; quia in hos jurisdictionem ordinariam episcopalem habent, & non est hic actus approbandi actus ordinis aut dignitatis episcopalis, sed jurisdictionis ordinariæ episcopalis. Diana, p. 8. tract. 4. resol. 46. Quin

imo

imo id poterunt prælati exempti jurisdictionem quasi episcopalem habentes in populum fidelium, etsi tale territorium separatum non habeant. Vide me *in Vicar. Episc. quæst.* 483. *num.* 2.

8. Sexto. Erigere possunt beneficia minora quantumcunque curata, seu præstare consensum & authoritatem beneficio fundando (in quo consensu consistit erectio beneficii) Castrop. *tract.* 13. *d.* 2. *cap.* 9. *a num.* 8. Garc. *de benef. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 79. Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 5. *a num.* 12. quamvis is addat, potestatem erigendi beneficia non competere prælatis episcopo inferioribus, nisi fuerint solenniter benedicti Pontificalibusque ornamentis, puta, mitra & baculo insigniti; eo quod per horum insignium pontificalium concessionem hæc facultas dedicandi temporalia pro beneficio implicitam habens benedictionem, transfundi in eos videatur, & iis deficientibus, non tantum Ordo, sed etiam dignitas & majestas illa Pontificia, cui hæc facultas tribuitur, deficiat. Sed quidquid sit de hoc (quod non parum ex eo infirmatur, quod episcopus confirmatus, non tamen consecratus, possit erigere beneficia, adeoque ista erectio non respiciat necessario in erigente consecrationem aut benedictionem aliquam) erectio hæc non spectat ad Ordinem, neque etiam ad dignitatem episcopalem, sed ad jurisdictionem episcopalem (ut patet in Capitulo Sede vacante & Vicario episcopali, qui & ipsi erigere possunt beneficia secundum Castrop. Garc. &c.) qualem habent dicti prælati, vide me de hoc accuratius tractantem *in Vicar. Episc. quæst.* 518.

9 Septimo (quod fere ex priore respons. sequitur) possunt dare licentiam fundandi seu dotandi beneficium, ea intentione, ut fundanti seu dotanti illud acquiratur juspatronatus, ac ita consensu suo authorizare reservationem jurispatronatus; cum hoc ipsum competat habenti jurisdictionem Episcopalem aut quasi episcopalem ut Castrop. *loc. cit. num.* 9. citans Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 9. & Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 70. *num.* 23. ne quidem facientes mentionem de territorio separato talis prælati, vide me *in Vicar. Ep. q.* 517. *& in foro benef. p.* 2. *q.* 37. *n.* 3.

10. Octavo. Dimissorias ad Ordines suscipiendos subditis suis, non tantum regularibus, sed & secularibus dare possunt dicti prælati. De quo vide me *in Vicar. Episc. quæst.* 656. *n.* 3. ubi etiam fuse explicatur, quid sit habere territorium separatum.

11. Nono. Possunt compellere executores testamentorum, ut ea exequantur intra annum, & si id negligant, ea ipsi exequi. Fagnan. *in c. Joannes, de testam. num.* 7. spectat enim id ipsum etiam ad jurisdictionem episcopalem & diœcesani, quam habent dicti prælati, & quo nomine veniunt & illi in iis, quæ jurisdictionis sunt juxta Gl. *in clem.* 1. *de foro comp. v. diœcesani*, quam *ibidem* sequitur Imol. *nu.* 38. Alb. *num.* 15. Vitalin. *num.* 5. Lotter. *l.* 2. *qu.* 2. *num.* 36. Unde etiam, quia non veniunt hoc nomine prælati alii, etsi jurisdictionem quasi episcopalem in aliquos subditos sæculares habeant, non videntur id ipsum posse. Idem etiam dicendum de compulsione executorum etiam religiosorum ad reddendas executionis suæ rationes; quia id ipsum quoque spectat ad jurisdictionem episcopalem, in quo etiam succedit Capitulum Sede Vacante, ut dixi *in Vicar. Ep. qu.* 489. *n.* 4. citans pro hoc Azor. Barbos. Quarant. &c. Item de commutatione ultimarum voluntatum in iis casibus, in quibus id competeret Episcopo de jure communi; cum & hæc commutatio sit actus jurisdictionis episcopalis, ut Diana, in quo etiam succedit Capitulum Sede vacante; ut dixi *loc. cit. n.* 2. citatis pluribus.

12. Decimo. Possunt recipere resignationes & authorizare permutationes beneficiorum, de quo vide me *in foro benef. p.* 3. *quæst.* 392. *num.* 4.

13. Undecimo. Possunt quoque unire beneficia, de quo vide me *in foro benef. loc. cit. quæst.* 903. *num.* 2. Sunt hæc fere præcipua spectantia ad istiusmodi prælatos habentes territorium separatum privative ad alios prælatos inferiores, sive territorio separato habentes jurisdictionem quasi episcopalem, nisi forte & hi aliqua ex jam enumeratis legitime præscripserint, aut speciali privilegio obtinuerint. Præter quæ si alia occurrant, facile resolves ex generali principio dato *num.* 1. *hujus quæst.*

QUÆSTIO DCCCLXXXIII.

Quid possint Abbates similesque Prælati regulares, circa admittendos & ejiciendos monachos aliosque suos religiosos?

1. Resp. ad primum, Jure communi sine consensu conventus non posse Abbatem admittere monachum, tenet Gl. *in c. ult. de regular. in* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 20. *qu. fin.* citans Nav. ac dicens, esse hanc sententiam communi consensu receptam, nihilominus tamen contrarium tenent apud eundem Abb. *in c. cum ecclesia Vulterana, de elect.* & *in c. ad Apostolicam, de regul.* & *in c. ea noscitur, de his quæ fiunt a Prælat.* Felin. *in c. quoniam, de simon.* Sylv. *v. religio, quæst.* 13. *&c.*

2. Resp. ad secundum, posse prælatum regularem cum vel absque consensu vel consilio capituli seu conventus, pro ut ferunt cujusque ordinis statuta religiosum incorrigibilem, & emendari nolentem ejicere a monasterio, communis est sententia contra Cardinal. *in Clem. ne in agro §. quia vero, de Statu Monach.* Verum de hoc aliisque huc facientibus vide Azor. *p.* 1. *l.* 3. *c.* 16. *& seqq.* & dicenda a nobis *ad tit. de Statu Monachor.*

QUÆSTIO DCCCLXXXIV.

Quid potestatis habeant Prælati regulares quo ad administrationem monasterii seu congregationis regularis?

1. Resp. primo. Jure communi ad Abbatem seu prælatum spectat libera administratio tam in spiritualibus quam temporalibus, ita ut solus independenter a Capitulo seu conventu regulares suos corrigere, solusque ordinare possit ea, quæ ad cultum divinum & bonorum temporalium dispensationem in utilitatem monasterii pertinent. Abb. *in c. reprehensibilis, de appell. n.* 11. & *in c. edoceri, de rescrip. n.* 2. Nav. *in commentar.* 3. *de regular. n.* 4. Suar. *Tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 134. juxta expressum textum *cap. nullam caus.* 18. *q.* 2. juncta Gl. *v. totam*, item *juxta c. non dicatis, §. cum hujus, caus.* 12. *q.* 1. Siquidem potestas illa gubernandi alicui committi debebat, cum non posset per totam communitatem administrari; ergo maxime debebat committi prælato, ut debitus ordo & perfecta obedientia in omnibus servaretur, ita Pirh. ex Suar. *l. c. n.* 3. qui etiam cum Abbate *l. c. in cit. c. reprehensibilis*, & Laym. *de jurisd. ordin. concl.* 159. inde colligit, prælatum in rebus gerendis non tantum dependere a suo conventu, quam episcopus a suo capitulo, dum ipsa regula ordinis maxime ob votum obedientiæ prælato plenam super regulares suos & monasterium tribuit, nihilominus

2. Resp. secundo. Quod prælatus regularis plenam in personas resque monasterii potestatem, liberamque eorum administrationem habeat, limitandum. Primo; nisi per consuetudinem introductum vel per statutum ordinis dispositum, ut quæ majoris sunt momenti, sine consilio, vel etiam sine consensu capituli, majorisve vel sanioris ejusdem partis non expediat; ita tamen ut in dubio de jure communi præsumptio stet pro prælato, cum illi secundum Canones commissa plena & libera administratio. Pirh. *n.* 135. citato Laym. *cit. conclus.* 159. & *in c. edoceri, de rescrip. n.* 5. Secundo, nisi sint, quæ cedere videantur in præjudicium conventus, ut receptio monachorum, vel spectantia ad statum & honorem ecclesiæ vel monasterii. V. g. dum agitur de subjectione illius, ita ut ea quoque expedire nequeat sine majoris partis Capituli consensu. Laym. *l. c. n.* 6. Pirh. *l. c.* citans Imol. *in c. edoceri num.* 5. Tertio ut dicta sint intelligenda de eorum monasteriorum prælatis, quæ etsi sint ejusdem regulæ ac ordinis, non habent tamen generalem præpositum seu caput, cui quo ad administrationem bonorum sint subjecti, ita ut contrarium sit in iis religionibus, quæ habent Generalem, cui locales & immediati prælati V. g. Priores, Guardiani, Rectores subjecti sunt, & dependent tam quo ad jurisdictionem exercendam in subditos suos, quam quo ad monasteriorum, collegiorum, ecclesiarum, eorundemque bonorum ac jurium administrationem, nimirum hi jurisdictionem in personas & administrationem bonorum non habeant, nisi dependenter ab illo capite totius ordinis juxta uniuscujusque religionis constitutiones, consuetudines, privilegia. Laym. *in c. edoceri, num.* 7. Pirh. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCCCLXXXV.

Quid potestatis & jurisdictionis habeant Abbatissæ, Præpositæ similesque Antistites monialium, aliorumque collegiorum regularium?

1. RESp. primo, habere illas potestatem dominativam seu gubernativam temporalem seu politicam aut domesticam administrandi & regendi monasterium in temporalibus, sicut quævis materfamilias, consentiunt omnes. Habere eas insuper potestatem spiritualem gubernandi suas moniales, ita ut præcepta spiritualia seu in ordine ad finem spiritualem eis imponere, & ratione voti obedientiæ eis tanquam Antistitibus ac matribus suis spiritualibus præstiti, ubi res ita postulat, etiam in virtute S. obedientiæ præcipere eis possunt, quæ spectant ad salutem animarum, & regulæ conformia sunt, eo, quod tales fungantur munere publico, superioresque ordinis eam potestatem in eas transtulerint, adeoque moniales in conscientia & sub peccato parere cogantur, docent Suar. *Tom.* 3. *l.* 10. *c.* 15. *n.* 20. & *Tom.* 4. *de relig. tr.* 9. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 9. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 7. Pirh. *h.* 1. *n.* 137. *&c.* contra Sanch. *in decal. l.* 6. *c.* 1. *n.* 21. & 30. Rodriq. *regul. qq. Tom.* 1. *q.* 15. *num.* 5. item contra Sotum *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *a.* 4. apud Azor. *l. c.* plus potestatis non tribuentem Abbatissæ, quam matrifamilias aut Civili Magistratui.

2. Resp. secundo. Quamvis etiam dici cum Gl. *in c. dilecta, v. jurisdictioni.* Sylv. & aliis possit, habere illas usum quendam & exercitium alicujus jurisdictionis spiritualis in suas moniales, quatenus ut dictum, eis præcipere possunt etiam sub peccato in virtute S. obedientiæ; quin etiam in clericos, quatenus eas quandoque in Parochiis aliisque beneficiis pleno jure sibi subjectis possunt instituere (non quidem institutione authorizabili, per quam committitur cura animarum, utpote cujus exercendæ sicut capax non est mulier, ita nec aliis eam dare seu committere potest. Sylv. *v. abbatissa, n.* 3. Pirh. *cit. nu.* 136. etsi capax sit juris deputandi personam capacem ad exercendam curam animarum, modo accedat institutio authorizabilis Episcopi. Lotter. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 33. & 34. ego *in foro benef. p.* 2. *q.* 719.) sed collativa tituli & possessionis. Laym. *in c. dilecta de major. & obed. n.* 1. citans Azor. *p.* 2. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 6. & seipsum *Th. Mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *a.* 4. Vel etiam simpliciter conferre beneficia, de quo vide me *for. benef. p.* 2. *q.* 721. Quæ tamen potestas seu jus instituendi & conferendi, etsi spirituale sit, ejusque ex privilegio capax sit mulier, & in specie Abbatissæ, Priorissæ & similes, ut ostendi *in foro benef. l. c.* nullatenus tamen spectat, saltem proprie, ad potestatem jurisdictionis, etiam in Episcopis, sed competit eis ratione magistratus. Lotter. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 5. ego *in foro benef. p.* 2. *q.* 667. Cum non omnia, quæ Magistratui alicui competunt, competant ei, ratione Magistratus, sed etiam citra imperium & omnem jurisdictionem competere possunt, ut Lotter. *l. c. a.* 15. uti & *l.* 5. *q.* 25. *a n.* 24. Unde licet hæc earum potestas instituendi competat eis ratione officii publici vel dignitatis, sitque perpetuo annexa Abbatiæ, dici posset ordinaria, non tamen dici potest esse simpliciter jurisdictionis, & Abbatissas esse capaces jurisdictionis spiritualis, ut cum Abbate, *in cit. c. dilecta, n.* 2. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 5. Uti nec adhuc dici possunt habere in Presbyteros existentes in ecclesiis pleno jure illis monasterioque subjectis proprie jurisdictionem, etsi cum Sylv. *l. c. n.* 6. & 7. diceretur, posse eas dictis Presbyteris præcipere, ut moniales contumaces excommunicent, aut absolvant delinquentes, modo hi alias ex speciali privilegio Episcopi vel Papæ concessione, aut consuetudine legitime præscripta habeant hanc excommunicandi & absolvendi potestatem. Quin neque ex eo, quod Abbatissæ ex mandato Apostolico Canonicas suas & clericos sibi subjectos propter inobedientiam ab officio & beneficio suspendere possint, prout est textus, *in c. dilecta, de major. & obed.* loquente de Abbatissis non regularibus, sed sæcularibus, propter quem Corrad. *in pr. benef. l.* 1. *c.* 4. *n.* 99. ex Lambertin. *de jurep. p.* 2. *l.* 2. *a.* 4. *q.* 1. dicit, posse Abbatissam habere jurisdictionem in clericos & laicos certi territorii. Non tamen adhuc hæc potestas est jurisdictionis ecclesiasticæ proprie talis, utpote cujus mulierem incapacem esse simpliciter docent D. Th. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 1. Suar. *Tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Sylv. *v. Abbatissa, n.* 1. Pirh. *h.* 5. *n.* 536. ac præcipue illius, quæ est clavis ecclesiasticæ, ad ligandum & solvendum, unde nec censuram ullam proprie talem ferre possunt. Laym. *in c. dilecta, n.* 2. & *Th. Mor. l. c.* Azor. *l. c.* ubi: sicut Abbatissa jus non habet excommunicationis aut interdicti sententiam ferendi, sic nec suspensionis proprie acceptæ sive a beneficio, sive ab officio, hoc est, non potest clericos suos ita suspendere, ut si suspensi ipsi divina mysteria & officia præstiterint & obierint, irregularitatem contrahant; hæc enim suspensio est proprie censura ecclesiastica; fæmina autem hujusmodi pœnam irrogare minime potest, suspensio autem illa, qua in *c. dilecta.* Abbatissa clericos suspendit, est improprie ac late suspensio, quatenus est præceptio quædam, qua quis suo munere & officio fungi prohibetur. Unde dum Gl. negat, Abbatissam ab officio suspendendi jus habere, locum habet in suspensione primo loco accepta. Sed neque his obstant, quod Abbatissæ in administratione æquiparantur Abbatibus, ut Parisf. *de resign. l.* 12. *q.* 2. *nu.* 30. ex Abb. *in c.* 2. *de his quæ fiunt a Præl.* Nam etsi in administratione illa & potestate gubernativa æquiparentur Abbatibus (etsi etiam non perfecte semper) in præsente tamen puncto ab illis valde differunt. Siquidem, cum præter illam Abbatibus quoque competat potestas proprie jurisdictionis spiritualis seu ligandi ac solvendi, quæ directe ac proxime, non a voventibus seu professione in religione emissa, sed a superioribus Ecclesiæ Prælatis ipsoque Papa derivatur, in quo etiam differt ab illa potestate gubernativa, ut Pirh. *cit. n.* 138. quæ etsi etiam, utpote ortum immediate habens a voto obedientiæ, in Abbatibus conjungatur cum potestate jurisdictionis, separari tamen etiam in aliis posse ab illa, patet ex eo, quod, si laicus sæcularis vovisset confessario suo obedientiam in iis, quæ spectant ad salutem animæ, hic in eum obtineret potestatem gubernativam, vi cujus ei præcipere possit, etiam in virtute S. obedientiæ jejunia, eleemosynam in ordine ad animæ illius salutem, non tamen haberet in eum potestatem jurisdictionis, adeoque non posset eum excommunicare, vel in voto ejus dispensare, cum non esset Prælatus. Laym. *in c. dilecta, n.* 4 & ex eo Pirh. *l. c.* De cætero

3. Resp. tertio ad potestatem illam gubernativam & quasi jurisdictionis exercendam (quæ & ipsa subordinata plerumque Prælato alicui ejusdem Ordinis multum in usu ab eo dependet. Suar. *Tom.* 3. *l.* 10. *c.* 11. *n.* 20. Unde etiam ad dignoscendum, quanta ea sit, ex specialibus uniuscujusque religionis consuetudinibus. Pirh. *cit. n.* 138.) non est necessaria benedictio Abbatissæ (nisi forte id requireretur ex consuetudine vel speciali statuto ordinis) juxta *Clem.* 2. *de statu monach.* sed sufficit legitime electam & confirmatam esse. Suar. *de relig. Tom.* 4. *tr.* 9. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 10. Pirh. *h.* 1. *n.* 138. Porro quæ dicta sunt de Abbatissis similibusque antistitibus regularibus, locum quoque habent in Abbatissis sæcularibus, ita ut & hæ præter potestatem illam gubernativam & administrationem in temporalibus exercitium quoddam jurisdictionis minus proprie talis habeant in canonicas suas & clericos sæculares. Arg. *cit. c. dilecta*; de qualitatibus Abbatissæ & Canonissis sæcularibus egi *in foro benef. p.* 2. *c.* 722.

Atque ex his jam patet, quam absurdum & ridiculum fuerit factum quarundam Abbatissarum, quæ jam ante Caroli M. tempora teste Thomas. *de vet. & nova Eccles. discipl. p.* 1. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 15. & 17. assumere sibi ausæ potestatem audiendi confessiones suarum monialium in ordine ad absolutionem Sacramentalem, illectæ utique, ut idem Thomas. exemplo Abbatum monachorumque imperitorum, qui sacerdotio non initiati eas sanctissimas functiones usurpabant, item quæ, ut constat ex capitularibus Carol. M. *l.* 1. *c.* 76. etiam in viros laicos abusæ licentia ut benedictionem, & manuum impositionem, signacula S. Crucis supra virorum capita darent, nec non velarent virgines cum benedictione sacerdotali. Unde etiam Innoc. III. *in c. perlatum, de his quæ vi metusque causa*, quod citat Thomas. *p.* 5. *l.* 3. *c.* 49. *n.* 4. graviter increpat Abbatissas audaciores, quæ moniales proprias benedicerent, ipsarumque confessiones criminalium audirent, & legentes Evangelium præsumerent publice prædicare. Unde autem data his abusibus occasio, vide apud Thomas. *cit. c.* 12. *n.* 17.

QUÆSTIO DCCCLXXXVI.

Quod officium & quæ potestas Parochi?

RESp. De potestate, jurisdictione, obligatione, præcedentia & juribus Parochorum fuse actum a me in foro benef. per plures quæstiones, *part.* 1. *a quæst.* 425. quo Lectorem remitto.

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO JUDICIS.

QUÆSTIO DCCCLXXXVII.

Juden qualiter definiendus?

REsp. Judicis (sic dicti a juredicendo, *c. forus de V. S.* Quod quid justum & æquum sit, causas cognoscendo & dijudicando, pronunciat & dicat, minus stricta est definitio, quam ex Engels *h. t. num.* 5. adsert. Reiffenst. *h. t. num.* 2. quod sit persona legitima, vir bonus, juris & æqui peritus, de controversis litigatorum negotiis cognoscendi pronunciandique jus habens: tum quia aliqua complectitur; quæ ad essentiam Judicis non spectant, ut sunt illa: *vir bonus*: tametsi enim tam Scriptura, quam Jus Canonicum *Can. justum*, 32. *q.* 2. & *cit. c. forus*, uti & Jus Civile. *L. prospiciendum*, *ff. de pœnis*, in Judice requirant probitatem, ut sit incorruptus, qui neque amicitia, neque odio aliave passione aut muneribus moveatur ad pronunciandum, quod æquum, aut etiam a recto deducatur, ad pronunciandum, quod iniquum, dum inquirunt, jure disceptare, est juste judicare, non ergo est Judex, si non est in eo justitia; non tamen id requirunt velut constitutivum Judicis, qua talis seu legitimi, ita ut deficiente in aliquo ista animi constantia & ad æqnum inclinatione, ejusque loco existente in eo habituali illa perversitate & ad injustitiam inclinatione, deficiat quoque ipsum Judicis officium, jurisdictio ac potestas, sed ad hoc, ut officio Judicis in actu secundo legitime fungatur, seu illud recte exerceat. Item illa: *juris & æqui peritus*, tametsi enim regulariter constitui Judex non debeat, qui scientiam Juris nullam aut exiguam habeat, *§.* 1. *instit. de off. Jud.* nihilominus tamen de essentia Judicis non est dicta scientia, de quo paulo post uberius. Tum etiam ex eo videtur deficere dicta definitio, quod officium Judicis nimium coarctet, dum ad illud spectare dignoscitur, non tantum cognoscere & dijudicare litigantium controversias, sed etiam ad nullius instantiam inquirere ac punire delicta. Proinde sic rectius definiri posse videtur, quod sit persona publica obtinens potestatem, secundum legum præscriptum locorumve consuetudinem causas cognoscendi & dijudicandi, nec non inquirendi in delicta eaque puniendi. Dicitur: *publicam obtinens potestatem*: quali potestate seu authoritate publice dijudicandi & definiendi non funguntur arbitri & compromissarii, quippe consensu solum privatorum, qui Judicem facere nequeunt *L. privatorum. C. de jurisd. omn. Judic.* electi, proprie Judices non sunt. Barbos. *ad h. t. in princ. a n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 1. Estque dicta potestas constituens personam in ratione Judicis jurisdictionis, non tamen in tota amplitudine sua accipiendo hoc nomen jurisdictionis, prout nimirum complectitur non solum authoritatem cognoscendi, judicandi ac puniendi, sed & præcipiendi, prohibendi, leges condendi & relaxandi, ac ita cum eminentia gubernandi subjectos; sed potius istiusmodi jurisdictionis sic ample acceptæ species aliqua est, ut Wiestner. *h. t. n.* 2. ut & inferioribus Judicibus conveniat definitio.

QUÆSTIO DCCCLXXXVIII.

Quinam arceantur ab officio Judicis?

REsp. Ii sunt in triplici classe. Nam primo aliqui impediuntur esse Judices a natura seu ex natura rei, aliqui a lege vel Canone, alii moribus: de quorum singulis in particulari dictum *ad tit. præced. q. penult. c.* 1. Quibus addendum, quod, si servus, qui inter alios excluditur moribus ab officio Judicis, caretque proinde reipsa jurisdictiune judiciaria, communi quidem sed erroneo hominum opinione haberetur pro libero, acta ejus sustinenda sint & censenda valida juxta *L. Barbarius, ff. de off. Prætor* Idem dicendum videtur de fœmina, quæ pro viro habetur. Quamvis secus sit in tribunali Pœnitentiæ, ubi in Judice essentialiter supponitur, utpote jure divino requisita reipsa jurisdictio & ordo, ita ut absolutio data ab eo, qui reipsa sacerdos non est, aut caret jurisdictione, sit nulla, quantumcunque pro vero sacerdote habente jurisdictionem habeatur.

QUÆSTIO DCCCLXXXIX.

A quo & quales constituendi Judices?

1. REsp. Ad primum, Judicem ordinarie nemo constituere potest, nisi supremus Princeps, *c. a Judicibus, de arbitr.* & *ibi* Glos. cum nullus inferior Princeps possit officium suum & totam jurisdictionem committere alteri. Marant *de jurisdict. p.* 4. *dist.* 5. *num.* 51. Et AA. communiter *in c. ult. de Judic.* apud Laym. *in c. ult. Archidiac. de off. Archid. num.* 3. His non obstante, quod Episcopus constituere possit Vicarium generalem, qui est Judex ordinarius. Nam is non habet distinctum ab eo tribunal, sed eandem cum eo jurisdictionem ordinariam, de quo vide me *in Vicar. Episc. q.* 69. *n.* 4. qui vero Judices delegatos constituere possint, satis dictum est *Tit. præced.*

2. Resp. Ad secundum, tenentur Principes constituere seu curare Judices doctos, prudentes, probos, misericordes, ita ut, si id negligant, Judicum errores & vitia ipsis imputentur a Deo; cum loco Principum jus dicant, imo Principes per illos. Neque excusantur Principes, si omni cura a se rejecta, officiales, & maxime Judices, sinant pro libitu agere, cujus rationes plures vide apud La Croix *lib.* 4. *n.* 1426. qui etiam *n.* 1224. *in fine* habet, teneri Principes adhibere Judices illos, quos censent aptissimos, simili modo, quo dicitur de animarum curatoribus ob easdem rationes.

QUÆSTIO DCCCXC.

An & qualis scientia & peritia requiratur in Judice?

REsp. Quamvis imperiti & illiterati Judices esse non possint, seu potius officium Judicis illi credendum non sit. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 1. *q.* 36. *n.* 3. Bald. *in L. ult. C. de hæred. inst. qu.* 16. Menoch. *vol.* 1. *cons* 110. *n.* 241. adeoque esse debeant instructi ea scientia, quæ ad hoc munus exequendum necessaria: posse tamen etiam quandoque esse & constitui Judices minus peritos, modo assumant seu habeant Assessores doctos, quos consulere possint, ait idem Sbroz. *loc. cit. num.* 13. citans Jason. *in L. penult. de Judic.* & Felin. *in c. scisitatus, de rescript. num.* 9. sive sufficiat, quod etsi careant scientia illa legali, sint tamen viri prudentes, habeantque juris consuetudinarii vel statutarii, eorumque negotiorum, super quibus Judices constituuntur, notitiam, ac insuper in rebus gravioribus dependentibus a jure scripto virorum doctorum in jure bene versatorum consilio & opera uti possint & utantur Engels *h. t. num.* 14.

QUÆSTIO DCCCXCI.

Quotuplex sit officium Judicis?

1. REsp. Officium Judicis latissimum est, ut dicitur *l.* 1. *ff. de jurisdict. omn. Judic.* quippe, cum illius sit malitiis hominum occurrere malisque hominibus purgare provinciam, ut pluribus Host. *in sum. h. t. num.* 1. extendens se ad quamplurima tam intra quam extra judicium, de quibus sparsim per totum corpus Juris tam civilis quam canonici, adeoque huc minime congerenda, sed suis quæque titulis enucleanda. Dividitur divisione quidem, ut ait Coras. *l.* 7. *Miscell. c.* 9. in nullo Juris textu fundata, recepta tamen usu fori & scholarum, nec non perutili ad declarandam illius varietatem, in nobile & mercenarium. Abb. *in c. Judicis off. h. t.* Wesenb. *ad rubr. Inst. hic n.* 2. Pir. *h. t. n.* 2. & alii passim. Officium Judicis nobile (quod etiam ab aliis appellatur *officium Magistratus*. Reiffenst. *h. t. num.* 25.) illud dicitur, quod per se stat, & nulli actioni deservit, seu quod Judex authoritate juris, motu proprio citra ullam institutam ab aliquo actionem, nullaque parte implorante (vel implorante quidem parte, actionem tamen stricte dictam non habente, unde & dupliciter hoc officium nobile exercetur, ut Abb. *in c. Judicis off. h. t. num.* 5. Laym. *ibid.*

ibid. num. 1. Pirh. *h. t. num.* 1.) velut ex munere suo, æquitate & utilitate publica sic suadente, exercet. Molin. *de J. & J. tract.* 5. *disp.* 5. *num.* 4. Et quidem nulla parte illud implorante exercet prohibendo vel fieri præcipiendo, quæ ad bonum Reip. statum conservandum opportuna judicaverit; inquirendo & puniendo delicta; furiosis, pupillis aliisque personis miserabilibus constituendo tutores, curatores, advocatos, defensores; subditis, etiam de domini sævitia non conquerentibus, providendo, ne indebite & plus æquo vexentur; aufferendo & sequestrando possessionem partibus de ea contendentibus, donec, cui momentanea possessio adjudicanda, summarie cognoscatur; ne aliàs partes ad arma deveniant, pacemque publicam turbent. Exercentia vero illud ad instantiam quidem partis illud implorantis, citra tamen actionem proprie talem ei competentem exempla sunt, dum ad petitionem v. g. minoris vel Ecclesiæ ex contractu graviter læsæ (cui ex hac jus nullum contra lædentem natum, uti nec obligatio) contractum rescindit, & restitutionem in integrum concedit, motus sola æquitate. Dum filio a patre negante ei alimenta gravato, citra quod contra patrem actionem habet stricte talem, eadem illi præbenda decernit juxta *L. si nulla, ff. de Judic.* Similia plura exempla exercendi & implorandi officium nobile Judicis vide apud Glos. *fin. in c.* 2. *h. t.* Host. *in sum. h. t. num.* 3. item apud Wiestner. *h. t. num.* 12. & alios.

2. Officium Judicis mercenarium (quod etiam alij servum appellant, vel honestiore vocabulo gratuitum vocari mallet Cujat. apud Wiestner. *num.* 9.) ut, quod actioni civili intentatæ, seu in judicio propositæ subservit, sive quod Judex non nisi ad instantiam actoris, proposita actione ab eo petentia, quod sua interest, & ab altero jure stricto debetur, impendit non nisi ad normam actionis & nequaquam ultra eam. De quo proinde officio mercenario privatam alterius utilitatem respiciente intelligendum illud: *Judex non impertitur officium suum nisi volenti & petenti.* Fagn. *in c. venerabilis, de Judic. num.* 2. item quod dici solet. Argum. *L. ult. C. de fideicommissar. libert. fatuus est Judex, qui ultra petita judicat.* Barbos. *in c. ult. h. t. num.* 5. Huc itaque spectat, & officio mercenario Judicis expediri dicitur, quidquid proposita actione cœptoque judicio Judex præcipit, prohibet, permittit, interloquitur, cognitaque causa, per sententiam diffinitivam pronunciat, non solum super re principaliter in judicium adducta, sed etiam aliis accessoriis, puta, fructibus, damnis, sumptibus litis &c. Schneidevvin. *Institut. de actionib. §.* 31. *num.* 10. Matth. Stephan. *de off. Judic. L.* 2. *c.* 5. *n.* 2. apud Wiestner. *loc. cit.* & alii passim. Ita tamen, ut executio sententiæ non ad mercenarium, sed ad nobile officium Judicis pertineat. Steph. Wiestner. *LL. cit.* Reiffenstuel. *h. t. num.* 27. cum communi; eo quod officio suo mercenario mox a lata sententia diffinitiva plene functus sit, adeoque illud extinguatur juxta *L. Judex postea que, ff. de re judicat.* ubi: *Judex posteaquam semel dixit sententiam, Judex esse desiit,* (intellige in ista causa) *semel enim sive male sive bene officio functus est.* Dum e contra officio nobili nunquam defungi possit. Mynsinger *in scholiis Instit. L.* 4. *tit.* 17. *de offic. Jud. num.* 6. & 7. Reiffenst. *h. t. n.* 27.

3. Atque ex hac divisione officii Judicis quoque patet, in quo distinguatur intentata actio & simplex imploratio Judicis. Dum nimirum intentatio actionis supponit ex parte agentis seu intentantis jus, & ex parte, contra quem intentatur, debitum seu obligationem satisfaciendi juri agentis; cum actio nihil sit aliud, quam jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur, §. 1. *Inst. de actionib.* Imploratio vero nuda Judicis jus nullum proprie tale in implorante, adeoque nec obligationem ex parte illius, contra quem imploratur, respicit, sed nititur sola æquitate, ob quam Judex imploranti succurrere potest & quandoque debet. Pirh. *h. t. num.* 1. citans Bartol. *in L.* 2. *ff. de jurisdict. omn. Judic. num.* 12. Abb. *in c.* 2. *h. t. num.* 2. & Imol. *ibid. num.* 1. & 7. Unde jam etiam intentatio actionis semper permissa est omnibus jus suum prosequi volentibus in judicio; imploratio vero Judicis, utpote remedium extraordinarium non nisi in casu deficientis remedii ordinarii, nimirum actionis. *L. in causa, ff. de minorib.* Gl. *in c.* 2. *h. tit. v. pro actione.*

QUÆSTIO DCCCXCII.

An ad hoc, ut implorari & impendi possit officium Judicis nobile, requiratur contestatio litis?

RESP. Dum loco actionis deficientis imploratur officium Judicis principaliter, simulque contra certam personam, ita ut necessaria sit plenaria causæ cognitio, opus est, ut post oblationem libelli fiat contestatio litis, eo quod tunc imploratio officii Judicis succedat loco actionis, sitque quasi judicium ordinarium, quod intentatur, in quo juxta *c. unic. de litis contest.* necesse est fieri contestationem litis. Pirh. *h. t. num.* 4. Reiffenstuel. *num.* 31. Secus vero, quando imploratur solum incidenter ante vel post ingressum causæ. V. gr. si quis ante contestatam litem petat a Judice dari sibi advocatum, vel etiam post contestatam litem, vel etiam latam sententiam, rogat se officio Judicis admitti ad proponendam necessariam probationem per errorem facti omissam juxta *c.* 3. *de in integr. rest.* non est opus contestatione litis, eo quod tunc non requiratur cognitio causæ, & contestatio litis in causa principali jam facta vel etiam subsequens, extenditur quoque ad illud incidentale veluti quid accessorium. Vivian. *in rational. ad c.* 2. *h. t.* Pirh. Reiffenst. *LL. cit.* Item quando fit quidem dicta imploratio, sed non contra certam personam. V. gr. dum minor petit restitui, non contra personam, sed contra factum suum, ut nimirum liceat sibi hæreditatem aditam, ex qua læsus est, repudiare. Eo quod tunc non fit, cum quo lis contestanda. Argum. *Auth. si omnes, C. si minor ab hæredit.* Gl. *in c.* 2. *h. t. v. pro actione.* Pirh. *h. t. num.* 5. Item quando imploratur quidem contra personam, sed non est opus cognitione causæ, eo quod hæc sit liquida & notoria V. g. si filius a patre petat alimenta, non est opus contestatione litis, sed de plano procedi debet. *L. nequicquam, §. de plano ff. de off. Procons.* Abb. *in c.* 2. *h. t. num.* 10. Pirh. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCCCXCIII.

An, si recurratur ad officium Judicis nobile petendo dari advocatum, is eum vi hujus officii dare teneatur?

RESP. Si pars litigans ob paupertatem vel adversarii potentiam aliamve causam advocatum idoneum habere nequit, debet Judex, sive ordinarius, sive delegatus, ad implorationem illius de eo illi providere, prout statuitur *c. ex literis, h. t.* compelli siquidem non potest nec debet pars litigans, ad respondendum in judicio, si advocatum non habeat; adeoque si per se illum habere non potest, implorare potest officium Judicis, ut is sibi de eo provideat. Pirh. *h. t. num.* 2. potestque etiam in hoc casu Judex advocatum a se constituendum compellere ad patrocinium causæ suscipiendum. Abb. *in c.* 1. *h. t. num.* 5. alioquin munere advocandi privandum. Abb. *loc. cit.* Reiffenst. *h. t. num.* 72. Argum. *L. moris est, ff. de pœnis,* & juxta *L. providendum, C. de postulando.* Quamvis autem Judex, si sit Dominus partis litigantis a contraria parte recusari possit juxta *c. cum sam, & c. insinuante, de off. Judic. deleg.* item ipse advocatus, dum is esset Dominus Judicis; recusari tamen non potest advocatus a Judice constitutus, etsi is sit subditus, familiaris & domesticus Judicis. Argum. *citat. ex literis,* juncta Gl. *v. obstante,* quod tamen ipsum limitat Pirh. *h. t. num.* 3. cum Abb. *in cit. c.* & Imol. *num.* 9. ut superior Judicis, spectata Judicis qualitate, & Advocati perpetuo ei assistentis versutia, arbitrari possit, an non sit justa causa recusandi Judicem. Disparitatis hujus causam cum Host. & Abb. *in cit. c.* hanc dat Pirh. *loc. cit.* quod cum causa magis spectet ad litigantem, quam ad advocatum, majus periculum sit perversionis Judicis, si litigans ipse sit subditus vel domesticus Judicis, quam si advocatus sit illius subditus aut familiaris. Porro non tenetur advocatus ille gratis patrocinari, sed justum pro modo & quantitate causæ, proque advocati facundia & fori consuetudine illi præstandum salarium a cliente. Gl. *in c.* 1. *h. t. v. implorando.* Abb. *ibid. num.* 5. juxta *can. non licet,* 11. *qu.* 3. & *L.* 1. *§. in honorariis, ff. de variis & extraordinar. cognit.* cum nemo suis stipendiis militet unquam 1. *ad Cor.* 9. & nemo de suo cogatur facere beneficium *Can. precariæ,* 10. *qu.* 2. Quod si cliens pauper est, vel non nisi ægerrime dare posset salarium, neque soleat ex ærario publico in tali casu succurri, tenetur advocatus a Judice constitutus ex lege caritatis & misericordiæ gratis patrocinari; cum ex una

parte

parte teneatur Judici imperanti obedire, ex altera proxime se in extrema necessitate constitutum exploranti succurrere, ut habet communis cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 1. De cætero quæ dicta sunt de concedendo & procurando advocato, in criminalibus quoque locum habent. Etsi enim ubi liquide constat de crimine excepto, negetur defensio & advocatus *c. fin. de haeret. in* 6. *L. quisquis, §. denique, C. ad Leg. Jul.* ubi tamen non constat clare de tali crimine, concedendus est advocatus, jus enim naturale postulat, permitti defensionem, adeoque & advocatum a Judice constitui, etiam & multo magis in gravioribus criminibus. Tenetur autem Judex aut Princeps providere reo de advocato intelligente, prudente ac probo, qui credatur serio, & non tantum in speciem assumtus causam acceptari. Unde Iniquissimi sunt, qui procurant talos advocatos, quos prævident negligentes aut minus sollicitos pro reo futuros; cum sic indirecte occidant arripiendo arma justæ defensionis, ut bene La Croix *num.* 1471. ex P. Spe.

QUÆSTIO DCCCXCIV.

An & qualiter Judex teneatur ex officio suo judicare secundum allegata & probata?

1. RESP. primo. Regulariter loquendo debere illum judicare secundum allegata & probata, hoc est, secundum publicas, allegatas & probatas in judicio rationes, pro certo habet communis juxta *c. judicet, caus.* 3. *qu.* 7. juncta Gl. *v. audit*, & *c. pastoralis, §. quia vero, de off. Jud. deleg.* juncta Gl. *v. sciretur*, & *L. illicitas, ff. de off. præsid.* Unde, dum *Auth. hodie, C. de Judiciis*, dicitur: hodie debent (nempe Judices) jurare se facturos, secundum quod eis visum fuerit justius & melius; subintelligendum; secundum leges & merita causæ, non vero secundum id, quod privato judicio independenter a legibus judicant melius.

2. Resp. secundo. Dum Judex non habet certam omnino & indubitatam scientiam & conscientiam in contrarium, debet ea deposita aut neglecta judicare & pronunciare secundum allegata & probata; in quo facile consentiunt omnes cum Abb. *in c. pastoralis, §. quia vero de off. deleg. num.* 9. Siquidem perverteretur alias totus ordo judiciarius, si ob notitiam aliquam privatam non omnino certam, neglectis allegatis & probatis, in contrarium judicare possit. Quin & tenetur, cum possit, dictam conscientiam, utpote non omnino certam deponere, alias agendo contra illam juxta allegata & probata peccaturus, secundum quod dicitur in *c. inquisitioni, §. porro, de Sent. Excom. quidquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam.*

3. Resp. Tertio. Judex non potest contra allegata, quibus quis probatur innocens vel saltem non nocens condemnare eum, quem certo scientia privata novit nocentem, quia v. g. propriis oculis vidit delinquentem, sed debet eum absolvere. Ita cum D. Thom. 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. Covar. *var. resol. L.* 1. *cap.* 1. *num.* 8. Abb. *in cit. c. pastoralis, §. quia vero num.* 8. Less. L. 2. *de Just. c.* 29. *n.* 91. Pir. *h. t. n.* 85. & alii communiter. Idemque tam de Judice seu Principe supremo quam de Inferiore communiter doceri ait Pirh. *loc. cit.* citans Less. *ubi ante nu.* 94. & Nav. *in man. c.* 25. *num.* 9. Siquidem imprimis Judex inferior dispensare nequit (intellige via facti agendo contra illam) in lege superioris, præsertim tanti momenti, de servando nimirum juris ordine postulante, ut nemo condemnetur nisi secundum publice allegata & probata nocens & reus appareat, & de absolvendo reo actore non probante, seu non convincente juxta *c. cum ecclesia, §. fin. de caus. possess. & propr.* *L. qui accusare, C. de edend.* Sed neque credibile est, Judici supremo (qui jure gentium potestatem suam omnem habet a populo, adeoque non majorem, quam quæ in eum ab illo transfusa) talem collatam a populo judicandi potestatem, ut etiam regulariter & ordinarie ex suo privato judicio innixo soli suæ privatæ scientiæ sine allegatis & probatis, vel etiam contra illa condemnare ad mortem possit, etiam a parte rei nocentes; cum vel ex hac ipsa concessione facta uni homini super vitam aliorum sine alio testimonio quam suo præberetur occasio maxima in exercendi tyrannidem, & prætextu privatæ notitiæ publica judicia pervertendi cum summo damno Reip. ut bene Pirh. *h. t. num.* 56.

4. Dixi *ordinarie & regulariter*: dici siquidem non potest, absolute & universaliter pro omni casu hanc subtractam seu non concessam supremo Principi a populo potestatem, quin quandoque sine citatione, defensione & processu judiciali condemnare ad mortem possit, quem certo cognovit reum; cum hoc ipsum quoque vergere possit in damnum grave Reip. Casus aliquot adducit Pirh. Sic, dum crimen est notorium. V. gr. fures & latrones in flagranti deprehensi (intellige, non ab uno alterove sed a pluribus, alias enim non esset publicum & notorium crimen) statim & in continenti jussu Principe procedi potest ad supplicium; cum enim notorietas & publicitas sit loco accusationis, nullum relinquens reo jus, seu potius possibilitatem se defendendi, pro quo Pirh. *loc. cit.* citat Less. L. 2. *c.* 29. *num.* 90. Nav. *in man. c.* 25. *num.* 100. Laym. *Theol. Mor. tr.* 6. *c.* 2. *num.* 7. Sic si ex citatione rei publicoque processu timeretur grave malum v. g. rebellionis, ut si reus esset valde potens. V. g. Dux vel Generalis exercitus, militibus gratissimus, posset causa in secreto & privato judicio tractata, dato patrono, qui rei causam ageret, eoque per testes aliasque sufficientes probationes convicto, is adeo jussu juberi, occidi, ut Pirh. citato Less. *ubi ante* & de Lugo, *de Just. d.* 37. *§.* 3. *num.* 3. Sic si crimen plene & juridice probari potest, sed reus in publico judicio condemnari nequeat, quia v. g. crimen ob scandalum aliudve grave incommodum deduci in judicium & publice probari non potest, potest reus juberi occulte occidi; eo quod, dum crimen plene probari potest, non potest se reus tueri in judicio, etiamsi consueto ordine juris procederetur; adeoque reo non adimitur justa sui defensio. Ita Pirh. citato Less. *ubi ante num.* 101. Verum hi casus proprie ad rem non faciunt; cum in eorum nullo condemnatio illa ad mortem innitatur soli privatæ scientiæ Principis, multoque minus fiat contra allegata & probata pro innocentia Rei, sed solum ostenditur posse quandoque talem condemnationem & occisionem nocentis fieri a supremo Principe, non servato publico juris ordine, in quo non est difficultas. Adducitur denique ex Lessio casus; quod Rex solus certo sciens adulterium Reginæ posset jubere occidi adulteram sine ullo processu judiciario ad vitandam infamiam regiam. Quod licet admittat Lessius *loc. cit. num.* 96. contrarium tamen verius censet de Lugo *loc. cit. num.* 91. cui inhærere videtur Pirh. *cit. num.* 56. *in fine*, eo quod Resp. non habeat potestatem in vitam & membra civium, nisi quando illi certo constat de delicto; adeoque etiam non nisi in dicto casu potestatem occidendi concedere potest Principi. Jam vero Reipubl. per testimonium unius, etiamsi ipsius Principis non constet certo de delicto, præsertim, si reus id positive neget. Verum non videtur ratio illa efficaciter evincere intentum. Non enim requiri videtur, ut de delicto ipsi Reip. immediate certo constet aut constare possit, sed sufficere, saltem in casu aliquo rarissimo, qualis est hic, ut certo de eo constet illi, in quem totam administrationem sui ipsa contulit, & cujus æquitati confidit; cum eo ipso, quod constet tali illius Præsidi, censendum videatur, constare moraliter & ipsi Reip. & consequenter hanc fuisse pro tali casu extraordinario voluntatem Reipubl. transferendi sui gubernationem in illum, & vel maxime id dicendum videtur in casu aliquo rarissimo, ex quo immediate salus Reip. dependeret; ut si Princeps supremus sola certa scientia novisset, colludisse aliquem cum hoste. Quamvis ad hæc dici posset, posse quidem supremum Principem qua gubernatorem, ac defensorem ex privata illa scientia in eo casu licite talem occidere ad amoliendum tale malum a Rep. sed non qua præcise Judicem ex Justitia vindicativa puniendo delictum. Et plus quoque non asserit Lessius, dum in eo casu Rex ex privata scientia dicitur posse condemnare & occidere adulterum ad vitandam infamiam Regiam, non enim dicitur per hoc, posse Regem tanquam Judicem condemnare ob delictum commissum, seu ad judicandum ex Justitia crimen læsæ Majestatis. Atque ita videtur absolute subsistere responsio, nimirum quod in nullo casu Princeps supremus possit, qua Judex, seu fungendo officio Judicis, condemnare, quem sola sua scientia novit reum, præcipue contra allegata, quibus probatur esse innocens.

5. Resp. Quarto, in eo tanquam certo convenire omnes, quod Judex tenetur ex præcepto tum caritatis, tum Justitiæ adhibere media omnia omnemque diligentiam ad liberandum eum a morte plene per allegata probata secundum leges convictum criminis, quem ipse solus privata scientia novit innocentem. Abb. *in c. pastoralis, §. quia vero, h. t. num.* 8. Zoel. *in comment. l.* 5. *ff. de Judic. n.* 49. Pirh. *h. t. num.* 8. cum communi. Talia autem media enumerari solent sequentia, nimirum examinando de novo exactius testes & instrumenta, circumstantias loci, temporis, ut vel sic falsitas testium deprehendatur. Dissimulanter permittendo, ut innocens e carcere fugiat, modo id sine scandalo fieri possit. Remittendo causam ad superiorem cum testimonio de innocentia rei sibi privatim certo cognita. Absolvendo eum per absolutam potestatem, dum Judex est Princeps supremus; cum is etiam quandoque pœnam vere debitam reo condonare possit,

seu

seu aggratiare. Unde etiam infert Pirh. cum de Lugo *l. c. num.* 41. in praxi rarissime contingere posse, ut Judex (intellige supremus) condemnare & occidere cogatur, quem novit certo innocentem.

6. Resp. Quinto, in causis civilibus, dum v. gr. agitur de debito, & in criminalibus minoribus, dum nimirum non agitur de pœna sanguinis, sed pecuniaria, exilii, amissionis officiorum, beneficiorum, bonorum, aut etiam infamiæ, Judex nullatenus contra allegata sufficienter probata positive absolvere potest, declarando non debitorem, innocentem, quem ipse privata solum scientia novit esse innocentem, non debitorem. Quin &, ubi nullum superest medium declinandi in ea causa officium Judicis (ad quod arripiendum videtur teneri saltem lege caritatis) aut eum liberandi a pœna post sententiam latam incurrenda, posse, ac consequenter teneri illum secundum allegata & probata condemnare contra propriam conscientiam, non quidem qua judicat non esse condemnandum, sed qua novit illum innocentem, accipiendo nomen conscientiæ pro scientia, ita probabilius & communius tenent Jurisperiti *in l. a divo ff. de re judicat.* Less. *loc. cit. dub.* 10. Card. de Lugo *loc. cit. sect.* 4. *num.* 45. Laym. *Th. mor. tr.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 1. Pirh. *h. tit. num* 9. & a fortiore AA. omnes, qui tenent, posse Judicem in causis criminalibus gravioribus damnare innocentem ad mortem, quem ipse solus innocentem novit. Ratio responsionis est, quod penes Rempub. sit potestas ob gravem causam concernentem bonum publicum disponendi de bonis subditorum externis, puta fortunæ, multoque magis de officiis eorum & dignitatibus, utpote magis ejus dispositioni & potestati gubernativæ obnoxiis (quin & de fama, etsi non de vita & membris, ut Less. *loc. cit. num.* 85. Pirh. *loc. cit.*) auferendo illa uni & transferendo in alium, ubi bonum commune alias graviter periclitaturum sic exigit. Hancque potestatem, dum caput unum supremum constituit aut patitur, eidem commiserit in casu tali exercenda. Jam vero talis causa gravissima concernens bonum publicum est, nimirum, ne, si liceret Judicibus juxta privatam notitiam absolvere, aut non condemnare, ubi ex allegatis & probatis liquet delictum, adeoque condemnandum subditum, pax & quies publica plurimum pateretur ex tali ordinis & formæ judiciorum publicorum perversione; ergo censendum est, permissum Judicibus a Rep. judicare secundum allegata & probata, etsi innocentem jacturam bonorum suorum ac famæ pati necesse sit. Addit nihilominus ex Lessio Pirh. probabile esse, quod per hujusmodi sententiam materialiter injustam condemnatus non privetur reipsa dominio bonorum suorum in foro conscientiæ, illudque transeat in eum, cui applicata (exceptis tamen bonis publicis Reip. ut sunt officia, beneficia, quorum non solum possessione, sed & dominio privatus censeatur) adeoque possit condemnatus ea a possessore recipere utendo occulta compensatione. Unde jam & illud sequi videtur, quod ubi ex post certo, ac præcipue palam, constiterit, sententiam fuisse materialiter injustam, teneri Magistratum seu Judicem, non tantum ejusmodi condemnatum revocare ab exilio, reddere famæ pristinæ, sed & bona ei ablata, quæ jam fisco cesserunt, aut alteri applicata, restituere, eum, quæ per occultam compensationem recuperare possum, ad ea mihi exhibenda seu restituenda possessor, etiam alias bonæ fidei, teneatur, ubi materialiter injuste ea mihi adempta noverit. Quod tamen illatum non parum ex eo pati videtur, quod non minor exinde Reip. timenda perturbatio, quam si bona cum titulo colorato per tempus ad præscriptionem requisitum possessa, evanescente dein dicto titulo, & apparente veritate, reddi deberent, ad quam perturbationem evitandam lex præscriptionis translativa stabiliter dominiorum, æque fundata in potestate Reip. quæ habet in bona subditorum pro tali casu, ab eadem introducta.

7. Resp. Sexto probabilius videtur in causis criminalibus, in quibus agitur de pœna mortis vel mutilationis membrorum, nulli unquam Judici licere condemnare convictum de crimine per allegationes & probationes publicas, quem Judex certo scientia privata novit innocentem; etiam dum nulla alia media suppetunt eundem liberandi, aut etiam deest potentia abdicandi a se officium Judicis. Less. *l. c. num* 78. *Sa. v. Iudex* Laym. *l. c. quæst.* 1. De Lugo *loc. cit.* Pirh. *h. tit. num.* 10. Reiffenst. *h. tit. num.* 46. Filiuc. Tolet. Bonac. apud Busenbaum *l.* 4. *tr.* 4. contra D. Th. 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. & *q.* 64. *a.* 6. *ad* 3. Cajet. 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. Nav. *in man. Prælator. c.* 25. *n.* 10. Sanch. *l.* 6. *consil. c.* 1. *du.* 17. *n.* 11. & 15. Dicastill. *l.* 2. *de Inst. tr.* 1. *du.* 4. *du.* 5. *nu.* 86. Jul. Clar. *in pr. crim.* §. *fin. q.* 66. *n.* 2. Covar. *var. resol. l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Azor. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *q.* 8. citantem plures alios, quorum sententiam satis quoque probabilem esse, &, si spectes numerum eam sectantium, communiorem esse fatendum est. Ratio vero, ob quam nostra responsio videatur verior hæc dari solet: occidere directe innocentem certo cognitum talem non minus intrinsece malum est, quam cognoscere non suam, quam quis certo novit esse non suam; ergo sicut propterea in nullo casu, etiam ubi ex tali copula dependeret vel maxime salus Reip. perque legitimos testes & argumenta plene probatum esset, esse suam, & Judex ecclesiasticus pronunciasset, esse matrimonium validum, licita est talis copula illi, qui privata scientia certo novit esse non suam, adeoque, stante tali ejus scientia, ad illam copulam Resp. non vult nec potest facere potestatem, ut ipse Sanch. fatetur, *de mat. l.* 2. *d.* 39. *num.* 8. ita etiam in nullo casu, adeoque nec ubi per allegata & probata innocens convictus est reus, est licitum, aut reddi potest a Rep. licitum occidere innocentem. Ad quam rationem diluendam sufficere non videntur, quæ adversarii ad eam respondere solent. Non primo, quod Judex qua talis seu in judicio teneatur adhibere fidem his, quæ ex publicis probationibus cognoscit, seposita & non attenta scientia sua privata, adeoque judicare secundum illa, & non secundum hanc. Nam id ad summum verum est in his, in quibus ipse scientiam privatam omnino certam non habet, stante enim scientia illius privata certa de innocentia, fidem seu assensum de opposito habere nequit, seu judicare nocentem, qualiacunque demum afferantur & probentur pro nocentia, quia semper occurrere illi necesse est, latere & his ipsis probari, quod falsum est; adeoque inconceptibile videtur, quod ait Sanch. *l. c. n.* 12. talem Judicem qua talem laborare ignorantia invincibili de innocentia illius, hoc ad summum verum, quod Judex in absentia privatæ scientiæ stantibus dictis probationibus, vincere non possit ignorantiam de innocentia. Dixi *ad summum*. Quia, cum dictæ probationes evidentes non sint & certæ, & reipsa probent, quod falsum est, intellectum necessitare nequeunt ad assensum. De cætero Judex instructus privata scientia de innocentia solum hoc formare judicium potest: vi illorum allatorum præcise apparet nocens, potestque Judex illis innixus, carens certitudine de opposito formare prudens judicium de illius nocentia, sufficiens ad eum condemnandum. Quod ipsum judicium etsi certum sit, & tale judicetur etiam ab eo, qui habet scientiam certam de innocentia, nunquam tamen is exinde devenire potest ad formandum judicium de liceitate condemnandi eam; adeoque condemnando illum agens contra scientiam suam privatam, agit etiam contra conscientiam suam dictantem: non licet occidere innocentem; quin & mentitur, dum pronunciat, Titium ob delictum, quod non commisit reum esse mortis, & damnari ad mortem, quia loquitur absolute contra mentem; secus, si diceret, damnari illum, quia de delicto convictus. Quidquid sit de eo, num stante adhuc illa scientia privata, vi judicii reflexi sibi Judex formare possit conscientiam de liceitate condemnationis innocentis hoc modo: quod prudenter judicatur esse licitum & honestum; imo conformius legibus positivis, hoc licite fit, sed quod nititur tum rationibus certo probabilibus, tum authoritate AA. summorum, judicari potest honestum; ergo. Jam subsumendo; sed tale quid est damnare innocentem secundum allegata & probata & Judice habente scientiam privatam de ejus innocentia. Non secundo, assignando hanc disparitatem inter Judicem & talem utentem non sua; quod Judex qua talis judicet ut persona publica, adeoque scientia tantum publica regulari debeat; conjux autem utitur matrimonio ut persona privata, adeoque non nisi scientia privata duci debeat. Nam præcise ex eo, quod sit persona publica, non cogitur in omnibus regulare se juxta solam scientiam publicam, quin nec debet, quia licite non potest, ut jam ostensum est, regulari illa in iis, in quibus agitur de vita hominis sed potius regulari sua scientia privata, etiam ut Judex, abstinendo ab injusta condemnatione innocentis, & id præcise, quia condemnare innocentem intrinsece malum est, adeoque adhuc paritas est, quia etiam conjux talis non potest regulari publico judicio Judicis de valore matrimonii, quia intrinsece malum est, cognoscere eam, quam scit non esse suam, & non ideo præcise, quia est persona privata. Sed neque, quæ directe objiciuntur contra responsionem, magni momenti sunt. Quale est primo illud, quod *Deuteron. c.* 17. dicitur: *in ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur.* Non enim hic præcipitur, ut condemnetur, contra quem duo stant testes, sed ne quis condemnetur, nisi duobus testibus convictus. Secundo, quod *c. pastoralis* §. *quia vero de off. deleg.* statuatur, quod Judex ordinarius debeat exequi sententiam delegati, etiamsi sciat, illam esse injustam Nam, præterquam quod ibi non sit sermo de pœna mortis,

loquitur textus de mero executore, qui nullam cognitionem causæ habet, hic enim exequi tenetur, etsi sciat injustam, hoc est, contra jus litigatoris; non vero tenetur exequi, si sciat latam per instumenta falsa, vel per dolum adversarii. Pirh. *h. t. num.* 13. cum Gl. *in cit. cap. v. etsi sciat*. Tertio, quod vel sic præberetur occasio pervertendi & eludendi judicium, dum post reum convictum Judex pecunia corruptus dicere posset, se non posse eum condemnare, quia sciret innocentem. Nam præterquam, quod Judici id dicenti in foru externo fides adhiberi non debeat, nisi id probet, idem, imo majus periculum est pervertendi judicia & perdendi innocentem, si is testimonio duorum testium pecunia corruptorum condemnari deberet ab eo, cui nota est ejus innocentia. Quarto, quod sit contra rationem, stare potius & credere uni, nempe Judici, qui tamen testis esse non potest, quam pluribus legitimis testibus. Nam contra rationem non est, Judicem plus sibi in iis, quæ evidenter novit, quam mille testibus contrarium asserentibus. Sed & aliud est, posse secundum privatam scientiam contra allegata & probata condemnare, aliud, posse & debere secundum propriam scientiam contra allegata non condemnare. Quinto, quod liceat ob bonum commune quandoque interficere innocentem. Nam directe id nunquam licet, sed solum per accidens & indirecte, v. g. dum hostem occidere non possum, nisi simul occidam non hostem & innocentem, ut contingit in expugnatione arcium. Vel etiam licet directe occidere innocentem ob necessariam vitæ meæ defensionem, v. g. fatiosum me invadentem, dum aliter non possum salvare vitam. Plura alia similia objecta & diluta videri possunt apud de Lugo *l. c. num.* 47.

8. Porro ex hac nostra responsione potissimum duo sequuntur. Primum, neque ministros seu executores exequi possunt sententiam Judicis secundum allegata & probata damnantis aliquem, quem ipsi sciunt innocentem. Less. *l. c. cap.* 29. *num.* 83. Pirh. *h. t. nu.* 14. Quod ipsum etiam adversarii admittete coguntur, dum ministri evidenter norunt manifestam injustitiam & intollerabilem errorem in sententia Judicis, ne alias excusandi sint carnifices occidentes Martyres. Pirh. *l. c.* citato S. Tho. 2. 2. *quæst.* 64. *ar.* 6. *ad* 3. Alterum, quod Judex (idem est de ministris seu executoribus) dum aliter declinare non potest condemnationem innocentis, teneatur dimittere officium suum; quia ea condemnatio est intrinsece mala. Pirh. *num.* 14. jam vero etiam vitam propriam potius perdere debeo, quam admittere, quod est, & quod esse judico intrinsece malum; idque etiamsi certus sim, idem committendum ab alio. V. g. condemnandum innocentem ab alio Judice, neque ipsi mea abdicatione officii non profuturum. Quamvis Judex in istis circumstantiis constitutus, vel dimittendi officii, vel condemnandi innocentem, sequendo sententiam oppositam, & ope judicii reflexi, de quo paulo ante, formando sibi conscientiam, nimirum intrinsece malum non esse, sed licitum & honestum, secundum allegata & probata condemnare innocentem, evadere posset amissionem sui officii, &, simul læsionem conscientiæ condemnando innocentem. De cetero etiam in sententia opposita, dum Judex directe judicans ac tenens, licitum esse condemnare innocentem convictum (posito, quod etsi posset legitime fungendo suo officio, non tamen ulla lege teneretur, hic & nunc exercere officium suum, & innocentem condemnare) teneri Judicem lege caritatis, etiam dimittendo officium suum, si aliud medium non suppetit, & spes est (multoque magis, si certum) innocentem hac via evasurum mortem, abstinere a condemnatione innocentis, & officium suum dimittere, habet Pirh. *loc. cit.* eo quod juxta ordinem caritatis teneatur quis ad tuendam vitam proximi innocentis facere jacturam bonorum suorum temporalium. Quod ipsum tamen cum Lugone *loc. cit. sess.* 4. *num.* 49. ita mitigat; nisi ista abdicatio cederet in gravissimum damnum Judicis. V. gr. si summæ dignitati vel regno esset renunciandum, addens etiam, rarius ministros inferiores, quam Judicem teneri in tali casu dimittere officium; cum nunquam eorum abdicatio illa sit profutura reo.

QUÆSTIO DCCCXCV.

Quid possit aut debeat Judex agere, stante pro utraque parte litigantium probabilitate?

1. RESP. primo, ubi certum est, opinionem unam absolute loquendo (hoc est, non tantum spectando majorem probabilitatem intrinsecam, neque etiam tantum probabilitatem extrinsecam, sed pensatis omnibus motivis tam intrinsecis quam extrinsecis) esse probabiliorem, hoc est, niti efficacioribus rationibus, seu unam partem litigantium habere probationes efficaciores, tam juris (quæ sumuntur ex legibus, consuetudine, doctoribus, ratione connexa cum re) quam facti (quæ nimirum petuntur ex fama, testibus, scriptura, signisque aliis) idque constet Judici, debet judicare seu pronunciare sententiam secundum probabiliorem, & nequaquam pro certo minus probabili. Debet enim, saltem ubi ipse non habet evidentiam vel certitudinem pro opposito, judicare secundum allegata & probata, adeoque sequi eam sententiam, pro qua certum illi est esse rationes efficaciores. Castrop. *tr.* 1. *d.* 2. *p.* 10. *n.* 2. testans, sic tenere DD. omnes.

2. Resp. secundo. Dum probationes & jura utriusque partis sunt certo æque probabilia, & ut talia appareant Judici (quod tamen rebus & rationibus accurate discussis a Judice, ad quod in eo casu is vel maxime tenetur, vix unquam aut non nisi rarissime contingit) & jus seu leges utrique parti æque favent, probabilius est, non esse Judici integrum judicare pro parte, pro qua maluerit, ut docent Jo. Sanch. *d.* 44. *num.* 5. Ledesm. *de matr. q.* 45. *a.* 1. *du.* 2. Dian. *p.* 2. *tr.* 13. *resol.* 3. *&c.* quorum sententiam Carden. *in crisi. diss.* 64. *cap.* 5. & alii censent probabilem valde; sed pro neutra parte determinate judicando, debere rem dividere, si utiliter divisibilis est, aut, si talis non est, aliter transigendo, utrique parti satisfacere, ita ut ei, cui res non adjudicatur seu tribuitur, alio modo satisfiat. Laym. *Th. mor. l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 16. ubi etiam in specie, quod Judex in isto casu nequeat judicare in favorem amici adjudicando ei totum. Castrop. *l. c.* citatique ab eo Sanch. *de mat. l.* 2. *d.* 41. *num.* 16. & *l.* 1. *in decalog. c.* 9. *num.* 45. Suar. *de caritat. distinct.* 13. *de bello s.* 6. *num.* 4. Coninck. *de mat. disp.* 34. *dub* 10. *num.* 49. Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp. unic. s.* 32. *num.* 118. *& s.* 23. *num.* 140. Salon. Bann. & alios. Rationem dat sequentem, quod Judex non sit dominus rei, sed distributor, adeoque teneatur illam distribuere pro qualitate juris, quod cum quælibet pars æquale habeat, adeoque neutra rem totam sibi vindicare possit, debet rem dividere, aut aliter utrique parti ad æqualitatem satisfacere, & certe ab æquitate alienum esse patet, dum duo dignoscuntur habere jus æquale, eum, qui justitiæ interpres est & minister, uni rem totam adjudicare.

3. Dixi primo, *dum jura utriusque partis sunt æqualia*. Quia dum non sunt partes, neque agitur de præjudicio tertii, aut de Justitia commutativa, sed tantum de favore uni adjudicando vel negando, & rationes pro concedendo & negando sunt pares, est locus favori; quia in arbitrariis utile est, habere Judicem gratiosum, *cap. consuluit de off. deleg. cap. nulli de accusat*. Dixi secundo; *si res est divisibilis*: quale quia non est beneficium, debet Judex, dum jura contendentium de eo sunt æqualia, vel maxime procurare compositionem (ad quam num Judex compellere possit invitos, dicetur paulo inferius) hanc enim fieri privata authoritate partium, nisi forte sub conditione ratihabitionis superioris, in lite beneficiali, etsi sit Simoniacum Ego *in foro benef. par.* 3. *quæst.* 445. *num.* 1. juxta *cap. nisi essent de preb.* licite tamen fit pro tentanda concordia per sententiam Judicis vel arbitrorum ecclesiasticorum a superiore deputatorum. V. g. imponendo illi, cui beneficium adjudicatur, dationem certæ pecuniæ vel alterius temporalis, vel etiam pensionem a beneficiato alteri solvendam ad vitam, si Judex alias pensionem imponere potest, non quidem in compensationem juris, sed ob bonum pacis. Castrop. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 31. *§.* 1. *n.* 5. & plures alii, quos citat & sequitur La Croix. *l.* 4. *n.* 556. vel etiam per interventum sortium, qualiter dirimere litem beneficialem, interveniente authoritate superioris potentis dare titulum, licitum est (in quo casu beneficium obvenit, non vi sortis, sed vi juris prætensi, sortibus tantum removentibus obicem) etsi de cætero, si fiat authoritate privata, sit simoniacum, quia est pactio in materia spirituali. La Croix. *nu.* 558. citans Suar. &c. Quod si autem

par-

partes nec in sortes nec in compositionem ullam consentire vellent, posse, manente æqualitate rationum, beneficium a Judice applicari, cui vult, h. t. La Croix. *nu.* 1495. addens rationem; quia sic habet consuetudo Ecclesiæ, adeoque etiam adjudicare poterit amico suo, & hic esse casus pro amico. Dixi tertio: *& jus utrique parti æque faveat*: fieri enim potest, ut probationes facti & rationes cum re ipsa connexæ, quin & petitæ a legibus sint utrimque æquales, leges tamen aliæ generales faveant magis uni parti quam alteri, & tunc, non obstante æqualitate in aliis, secundum has judicandum. V. g. favent magis possidenti quam non possidenti. Argum. *c. ex literis de probat.* ubi: quod, si ambarum partium testes sint idonei, possessoris testes præferuntur. Sic etiam in civilibus, (in quibus reus dicitur, qui possidet) juxta *reg. Iur. in 6. cum jura partium obscura* (qualia censentur, dum rationes utrimque certe sunt æquales) *reo favendum est potius quam actori*: nisi sint causæ piæ, vel matrimoniales, vel concernentes dotem, libertatem, pupillum, peregrinum, viduam; in harum enim causarum & personarum favorem, rationibus & cæteris paribus, secus, his inæqualibus, sive si opinio verior & magis probata appareat in contrarium. *l. si pars ff. de inoff. testam. cap. ex tenore de foro compet. & c. fin. de donationibus inter vir. & uxor* juxta illud Mascardi apud Castrop. *l. c. num.* 3. *favorabilibus causis debitores sumus, ut alii injustitia non fiat*) est pronuncianda sententia, etsi sint actores. Castrop. *loc. cit.* juxta *cap. fin. de sent. & re judicat.* Verum, ut patet, vel hoc ipso, quod leges faveant potius illis, jam probationes juris desumptæ a legibus, omnibus simul pensatis, non sunt omnino æquales, ac ita destruitur suppositio responsionis. De cætero, ubi uterque sustinet personam rei seu possessoris, ut si duo litigent super terminis confinium, aut super jure venandi, pascendi, ac uterque rationes pro sua possessione adducat, estque in antiquitate & titulo possessionis paritas, cuilibet pro indiviso, communiter seu cumulative adjudicandam, servando formam interdicti: *uti possidetis, ita possideatis*, ait Reiffenst. *h. tit. num.* 61. cum Engels *num.* 8. Illud circa hanc responsionem certum, etiam stante sententia opposita, seu posito, quod licitum sit, in illa probationum ac rationum æqualitate adjudicare parti, cui maluerit, non licere Judici pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio; cum inter propositiones damnatas ab Alexand. VII. 1665. 24. Sept. hæc sit in ordine 26. *quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

4. Resp. tertio, in eo dum non est certum, sed tantum probabile, rationes pro utraque parte & jura utriusque esse æqualia, num Judex possit, cui ex duobus contendentibus de hæreditate voluerit, adjudicare hæreditatem totam; in eo inquam AA. non conveniunt; affirmativam tanquam probabiliorem tenent Sayr. *in clavi reg. lib. 1. cap.* 11. *a num.* 4. Salas *tract.* 8. *de unic. serm.* 12. *num.* 115. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 45. Arragon. Medin. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit. nu.* 5. oppositum probabilius censent Suar. Goninck. *LL. cit.* Villalob. *Tom.* 1. *sum. tr.* 8. *diff.* 15. *num.* 2. & Bann. Elizald. &c. quos sequitur La Croix *lib.* 4. *num.* 1492. & quorum sententiam satis probabilem dicit Castrop. & cui inhærendum ob inconvenientia aliqua, quæ ex priore sententia sequi censent AA. hi posteriores quæ nescio, num plene diluantur, lubuit nihilominus fundamenta aliqua prioris sententiæ hic apponere. Et imprimis ei favere videtur, non tantum Gl *in c. per venerabilem de elect. v. favere* ubi: cum causa fuerit ambigua (qualis revera est, dum non nisi probabiliter constat de æqualitate rationum & jurium) Judicem, cui parti voluerit, juste favere posse, & *in reg. in Iudiciis* 12. *de reg. Iur. in 6. in fine utile est; in arbitrariis Iudicem gratiosum habere*: sed & ipsa *l. si quis servum §. si inter duos ff. de legat.* juxta quæ ait Jason. *lib.* 1. *post dotem ff. soluto matrim. num.* 105. hujusmodi causas decidi posse pro amico, & Decius *in cap.* 1. *de constit. in fine talibus bonum est, habere Iudicem propitium.* Quæ & similia licet posterioris sententiæ AA. interpretentur, locum tantum habere in casibus, ubi non agitur de præjudicio tertii; istam tamen limitationem neque jura exprimunt, neque ratio satis persuadet. Non enim, ut volunt adversarii, hic magis locum habet acceptio personarum, quam cum Judex rem indivisibilem v. gr. beneficium, stante certa rationum æqualitate, partibusque recusantibus compositionem & sortes, adjudicavit uni, v. gr. amico suo præ alio non inimico aut sibi inviso; nec minus in nostro casu ageret ut persona publica. Neque ex eo, quod in libitu Judicis sit, stante hujusmodi probabili tantum, adeoque incerta, æqualitate rationum & jurium, nunc adjudicare rem Titio præ Cajo, & alias in simili casu, in alia tamen materia, adjudicare rem Cajo præ Titio sequitur, evertendum & confundendum ordinem judiciorum, in quibus pro similibus causis similiter est decidendum; uti id sequeretur ex eo, si stante dicta æqualitate, judicare posset, rem competere uni præ alio, quod non facit, seu quod non judicat, dum pro potestate sua in tali casu directe rem adjudicat, seu tribuit uni præ alio. Adducitur quoque pro sententia priore ratio, nimirum hæc: Judex ex una parte in tali casu tenetur fungi officio suo, & non remittere causam in tali dubio ad superiorem Judicem. Argum. *Auth. quod Iudices coll.* 9. ubi expresse mandatur, ut Judices quicunque causas quantumcunque difficiles non amplius ad Imperatorem remittant, sed ipsimet examinent perfecte causam, & quod iis justum legitimumque videtur, decernant; ex altera vero parte, cum non sit major ratio favendi uni parti quam alteri, poterit, cui maluerit, favere absque eo, quod teneatur rem dividere, aut alio modo satisfacere parti, cui rem non applicuit, ad quod ideo tenetur, quia jura utrimque agnoscit certo æqualia; dum enim de æqualitate probationum & jurium non constat, sed ea est tantum sub opinione, quod res æque uni ac alteri debeatur, est & manet incertum, cui res adjudicari debeat, nihilque rationis est, quod divisionem illam necessario faciendam persuadeat, jus etiam dictam divisionem vel etiam compositionem non præcipiat, vel etiam consulat, uti facit in casu præcedentis respons. poterit jam Judex secundum AA. prioris sententiæ adjudicare rem, cui maluerit; cum in hoc sequatur opinionem probabilem de jure.

5. Resp. quarto, Judex certus suam opinionem esse probabiliorem, non potest sententiam ferre secundum judicium aliorum etiam peritorum, sentientium oppositum esse probabilius; eo ipso enim, quod certus est de majore probabilitate suæ opinionis, certus est, de obligatione ferendi sententiam secundum opinionem suam; hæc pars huius responsionis est certa, & constabit ex dicendis *responsione sequente*. Ubi vero certus non est de majore probabilitate opinionis suæ, potest auditis aliorum fundamentis, ob aliorum Judicium (præsertim ubi eos se peritiores æstimat) authoritatem judicare, quod opinio sua sit minus probabilis; cum, ubi non cogit evidentia veri possit quis existimare, judicium aliorum æque peritorum esse probabilius suo; ita La Croix *loc. cit. num.* 1490. adeoque deposita sua opinione de majore probabilitate, ferre sententiam secundum judicium & opinionem aliorum. Unde jam & illud sequitur, quod, si Judex superior mandaret inferiori, ut ferat sententiam secundum opinionem, quam inferior censet certo minus probabilem, ipse vero superior censet probabiliorem, non tenetur inferior obedire; secus, si inferiori incertum, num sua, num superioris opinio sit probabilior, quia probabiliter tantum censet, suam esse probabiliorem; tenetur enim tunc obedire, & sua opinione deposita, judicare juxta opinionem superioris. Carden. *in crisi* 2. *diss.* 3. *num.* 21.

6. Resp. quinto. Judex etiam directe tantum judicans, unam partem litigantium habere jus probabilius, stante hoc suo judicio, non potest secundum opinionem aliorum, quos judicat minus probabiliter sentire oppositum, ferre sententiam, sive non potest judicare pro parte probabili, dum censet contrariam esse probabiliorem; estque hæc responsio omnino certa, & opposita illi sententia ne quidem amplius probabilis ob damnatam hanc ab Innocentio XI. anno 1679. 2. Martii propositionem in ordine secundam: *probabiliter existimo, Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*: etsi eam tanquam probabiliorem alias tenuerint quamplurimi & gravissimi AA. puta Salas, Sayr. Aragon. Salon. Medin. Jo. Sanch. Garc. *de benef. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 362. quo ad Judices inferiores, & alii, quos citat & sequitur Castrop. *loc. cit.* & quorum sententiam probabilem judicavit Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 47. hoc nixos fundamento; quod, cum aliorum sententia forte in re sit verior, non sit ratio, cur me illi conformare non possim, & si alii Judices secundum eam judicando rite procedant, etiam me secundum illam rite judicare; quodque idipsum, nimirum ut Judex ferat sententiam, non secundum id, quod ipsi, sed quod pluribus & doctioribus videtur probabilius, ut Salas, sit populo & litigantibus, quin & Reipubl. convenientius. Sed neque rationes desunt responsioni nostræ, quales sunt; quod sit conformior juri

etiam civili, in quo L. rem non novam. C. de judiciis præscribitur Judici, ut juret, se ex majore præsidio (intellige rationum a se cogitatarum ut talium) diremturum litem. Item, quod, si secundum id, quod putat niti minoribus rationum motivis ferat sententiam, manifestius se exponat periculo inferendi grave damnum & injuriam parti, quam judicat habere pro suo jure firmiora motiva; ad quod periculum majus & damnum evitandum non juvat, quod sequendo minus probabilem, cogitare possit hanc forte a parte rei esse veriorem. Item quod vel sic pateret janua acceptioni personarum, dum hac ratione, prout vellet, favere possit amicis, quà amicis, & dantibus munera. Item, quod Judex exercite, nimirum ferendo sententiam, teneatur dicere, quid ipse sentiat de potiore jure unius partis, & non quid alii; cum Judex habeat se ut arbiter, qui tenetur dicere, quod ipse sentit. Per quod infirmatur idipsum; quod in suæ sententiæ confirmationem ex Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 9. *num.* 47. affert Castrop. *loc. cit. num.* 7. *in fine*, nimirum quod quilibet Doctor interrogatus respondere possit ex aliorum sententia, si responsum favet interroganti. Unde jam etiam, licet assentiri prudenter possim minus probabili, nimirum judicio privato, in iis, ubi de nullo præjudicio tertii agitur, non tamen judicio publico ferendo sententiam pro una parte litigantium. Porro responsio nostra locum habet tam in Judice inferiore quam supremo tametsi prævideat superiorem aliter judicaturum & sententiam suam reformaturum, non enim id impedit, quo minus ipse teneatur satisfacere officio suo judicando & procedendo, non contra, sed juxta conscientiam suam. Item tam in sententiis interlocutoriis circa præparatoria litis, circa examen testium, confessionem rei, concessionem termini &c. quam definitivis; tum quia damnatio memoratæ propositionis non distinguit inter sententiam interlocutoriam & definitivam; tum quia eædem rationes allatæ militant directe contra utramque sententiam, ac indirecte insuper contra sententiam interlocutoriam; cum sententiæ interlocutoriæ parent communiter viam ad definitivam; adeoque si id non liceat in definitivis ob rationem damni probabilius inferendi parti habenti motiva probabiliora, non licebit quoque in interlocutoriis. Carden. *l. c. num.* 62. La Croix *num.* 1482. Quin &, dum in criminalibus sequenda semper sunt benigniora & magis favorabilia reo secundum regulas juris, quæ sæpe est opinio minus probabilis, non est necesse procedere juxta talem opinionem directam minus probabilem, sed satis procedere secundum reflexam (quæ certa est aut certo probabilior) nata ex his præmissis: opinio, quæ magis favet reo, in praxi est tenenda, talis est hæc opinio; ergo hæc opinio in praxi est tenenda; quod judicium reflexum habere potest operans absque eo, quod eliciat aut elicuerit judicium directum minus probabile circa operabile. V. g. hoc: Judex tenetur admittere appellationem in causa capitis, posito hoc esse minus probabile quam ipsius contradictorium, vide de Lugo *de Just. disp.* 16. *num.* 50c. La Croix *loc. cit. num.* 1484. & *lib.* 1. *num.* 387. Illud hic notandum, quod opinio, licet spectata sorte ratione & authoritate, non videatur probabilior, si tamen usu seu praxi & moribus passim sit recepta, hoc ipso absolute loquendo evadat probabilior, imo quandoque certa, cum consuetudo recepta sæpe habeat vim abrogandi & inducendi legem, censeaturque esse legitima interpretatio legum, uti & recepta consuetudo omnium tribunalium sic seu secundum talem opinionem judicandi vim legis habere, ubi deficit lex, ait Moga *tr.* 2. *quæst.* 7. *nu.* 53. quod ipsum Cardenas apud La Croix *num.* 1488. dicit de opinione in aliquo tribunali recepta; quinimo, quod per solam binam judicaturam alicujus supremi tribunalis inducatur consuetudo & stylus judicandi, habet Card. de Luca *de benef. disc.* 67. *num* 7. Unde mirum non est, quod talis opinio, juxta quam passim & constanter in foro externo solet judicari, dicatur, si non certa, certo tamen probabilior. Notandum item, quod si pro una parte sit minor probabilitas extrinseca, & major probabilitas intrinseca, desumpta nimirum a melioribus rationibus intrinsecis, Judex bene intelligens stare potest pro parte munita dictis rationibus intrinsecis, cum hæ magis convincant ejus intellectum; Judex vero minus intelligens, seu non ita valens penetrare rationes intrinsecas, potest attendere præcipue ad authoritatem extrinsecam; cum enim non satis fidere possit suo proprio judicio, prudenter stat judicio aliorum, quos se peritiores judicat & doctiores.

QUÆSTIO DCCCXCVI.

Pro qua parte pronunciare debeat Judex, ubi ab uno producuntur probabiliora motiva pro proprietate, ab alio minus sufficientia pro possessione.

1. RESpond. primo. Cum Cajus legitime probat possessionem, Titio adducente rationes secundum se probabiliores pro proprietate, pronunciandum est pro Cajo; quia certum est, titulum legitimum possessionis legitime probatum prævalere; ideoque possessorem non posse spoliari ob jus alterius incertum proprietatis, quale adhuc manet, etsi probabilius jure proprietatis alterius. Si tamen Judex judicaret, proprietatem certo competere Titio, deberet pronunciare pro eo, non obstante certitudine de legitima possessione Caji; cum contra proprietatem certam nulla valeat possessio, nisi accedat præscriptio, ut cum Cardio. La Croix, *num.* 1485. Quod quidem certum est, ubi certo novit seu judicat, proprietatem certo competere Titio, non tamen extra dubium videtur, si non certo seu evidenter novit seu judicat, proprietatem certo ei competere; cum enim, quod ipse judicat non convictus ratione certa & evidente esse certum, possit reipsa esse falsum, videri possit prævalere in praxi certitudinem, & evidentiam possessionis incerto judicio de certitudine proprietatis; cum sine certitudine de proprietate spoliari quis non debeat jure possessionis evidenter cognita.

2. Respond. secundo. Neutro ex duobus probante legitimam possessionem, uno tamen præ alio adducente probabiliores rationes pro proprietate sibi competente, res ei adjudicanda est: cum, si pro neutra parte probetur possessio, sed ea sit utrimque æque incerta, sejuncta quasi possessione, seu non reflectendo ad eam, judicare debet secundum probabiliorem de proprietate, quam dein sequitur possessio. Cardin. *l. c. n.* 38.

QUÆSTIO DCCCXCVII.

An & qualiter Judici est sequenda sententia benigna præ rigida.

1. RESpond. Primo, pro faciliore hujus quæstionis resolutione supponenda breviter quædam cum Gobat *in Clypeo Clem. Judic. a num.* 5. quæ alias fusius a Theologis moralibus stabiliri solent in *Tract. de conscientia*. Talia sunt fere sequentia. Primo, regulariter & per se sequendo, licitum esse cuivis Judici tam fori interni, qualis est confessarius, quam fori externi in praxi sequi, quam maluerit ex duabus opinionibus vero certoque probabilibus, etsi altera earum probabilior; quod ipsum deducitur ex hoc principio generali; possumus in praxi amplecti opiniones practice probabiles, quod late stabilitum vide apud Perillum *in tract. de conscient. probab. a quæst.* 23. & de Lugo *in resp. moral. lib.* 1. *du.* 33. *num.* 4. Huic tamen ipsi principio necesse est adhibere inter limitationes alias, quas vide apud Gobat. *loc. citat. a num.* 20. trinas sequentes huc maxime facientes, & subjiciendæ paulo post resolutioni quoque deservientes, nimirum nisi usus opinionis probabilis ac benignæ esset noxius ei, propter quem ea uteris, vel alicui tertio, vel bono communi. Item nisi sententia alias seu alibi practice probabilis repugnet consuetudini receptæ loci, ubi exercetur judicium; cum Judex teneatur fungi officio suo conformiter consuetudini loci, ubi jus dicit. Coratius *Tract. de opin. comm. lib.* 2. *tit.* 9. *num.* 91. juxta illud *l. de quibus ff. de LL. id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est*. Et nisi opinio, quæ in se & secundum se probabilis est, ob peculiares temporis, loci, personarum circumstantias hic & nunc in individuo evadat non probabilis practice; cum actiones nostræ regulandæ juxta regulam suam proximam seu conscientiam, quæ est dictamen de actione hic & nunc licita vel illicita.

2. Secundo supponendum, opinionem probabilem generatim dici illam, quæ citra certitudinem nititur ratione firma & prudente, nec habet contra se rationem convincentem Gobat. *num.* 6. cum Sanch. *l.* 1. *Moral. c.* 9 *num.* 6. Et probabilem in ordine ad praxin, quæ ratione fulta tali asserit aut negat in genere vel individuo aliquid esse licitum vel illicitum, faciendum secundum leges vel non faciendum. Ad quam probabilitatem sententiæ conciliandam, tametsi Nav.

in man.

in man. c. 27. num 298. Verricelli *in qq. moral. Tom. 1. tr. 2. singul. q.* 5. & alii ab hoc citati sufficere asserant authoritatem unius probi, prudentis, & in materia, de qua agitur, insigniter versati, approbetque idipsum Gobat. *nu.* 7. ubi materia illa a paucis ex instituto ventilata, neque lex nova aut consuetudo dictæ sententiæ contraria inducta, licet de cætero a pluribus contrarium sentientibus discussa, non tamen solide respondentibus ad dictæ sententiæ fundamenta. Ubi tamen plurimi eandem materiam persequentes non tantum contrarium sentiunt, verum etiam opinionem illam singularis illius authoris tanquam improbabilem aut temerariam censurant & rejiciunt, non esse amplius habendam in numero probabilium, censet idem Gob. citans pro eodem Tann. *Tom. 4. d. 6. q. 4. nu.* 11. Bresler. *de conscient. l. 3. c. 3. num.* 30. Ovied. *l. 2. tr. 5. controv. 3. p. 1. nu* 8.

3. Tertio supponendum, opinionem speculative probabilem & probabilem practice non pariter ab omnibus explicari & sumi. Siquidem aliqui probabilem speculative intrinsece seu ex principiis propriis, & probabilem practice cum probabili extrinsece seu ob authoritatem eam sectantium confundunt. Alii probabilem speculative dicunt illam, quæ asserit aut negat aliquid secundum se & in communi esse licitum aut illicitum. Probabilem practice, quæ asserit aliquid in particulari seu hic & nunc esse licitum vel illicitum. Ita Sanch. *de mat. l. 2. d. 41. num.* 4. Quod si per hanc descriptionem aliud non intelligatur, quam quod speculative probabilis, quæ & quatenus prudenter pronunciat, aliquam actionem in genere secundum objectum suum consideratam esse licitam vel illicitam; & practice probabilius, quæ pronunciat aliquam actionem præcise secundum objectum individuum & per se sumptum hic & nunc esse licitam vel illicitam, minus placet; quia vel sic impossibile esset, opinionem de liceitate speculative probabilem non esse quoque practice probabilem; cum, quod dicitur in genere de omni, dici quoque de omni contento sub illo genere, necesse sit. Si vero per practice probabilem intelligatur ea, quæ, uti censet Ovied *in 1. 2. tr. 5. controv. 3. p. 1. nu.* 10. pronuntiat prudenter objectum hic & nunc, hoc est, aliquam actionem consideratam, non tantum secundum objectum suum individuale præcise, sed etiam secundum circumstantias objecto extrinsecas & accidentales, quibus illud hic & nunc afficitur seu vestitur, & sine quibus non potest moraliter redigi in praxin, bona est descriptio & distinctio utriusque probabilitatis, secundum quam jam optime intelligi potest, qualiter sententia aliqua enuncians de liceitate possit esse probabilis speculative, & practice improbabilis, ut habet communis casistarum, & exemplificat Gob. *a num.* 15. qui etiam *nu.* 18. asserit, generatim loquendo, illas sententias speculative probabiles non esse practice probabiles, saltem respectu omnium, quarum propria objecta semper habent admixtum periculum scandali aut magnam vim pertrahendi voluntatem in alia objecta prava. V. gr. In materia luxuriæ & in contractibus quibusdam, quibus subest magnum periculum usurarum palliatarum.

4. Quarto supponendum, opinionem probabilem aliam esse minus tutam, nimirum illam, quam, si sequaris, periculum est committendi aliquid vel omittendi, quod non esset committendum vel omittendum; & magis tutam, nimirum in qua sequenda non est tale periculum. Ovied. *loc. cit. num.* 20. Sanch. *lib. 1. moral. cap. 9. num.* 14. Azor. *lib. 2. inst. mor. cap.* 26. apud Gob. *num.* 21. Tametsi is cum Jo. Sanch. *in select. disp. 44. num.* 66. neget, ullam ex duabus vere practice probabilibus esse formaliter tutiorem altera; eo quod, etsi sequaris materialiter minus tutam, æque parum offendas Deum, quam sequendo oppositam. Verum licet hoc posterius ita sit quo ad liceitatem, aliud tamen est, dum agitur de valore v. gr. Sacramenti, vel damno tertii, ubi opinio tutior, cui nullum aut minus periculum subest, est eligenda.

5. Supponendum, sententiam communem censeri illam, quæ a pluribus eam materiam tractantibus ex professo communiter defenditur. Castrop. *p. 1. disp. 2. p. 1. num.* 10. Azor. *p. 1. l. 2. cap.* 13. Gob. *num.* 22. Defendi autem communiter adhuc censetur, etsi non ab omnibus aut etiam plerisque, sed a multis probis ac doctis defendatur; cum sæpe duæ opiniones contradictoriæ a DD. censeantur & dicantur communes, ut videre apud Cævall. qui in *speculo suo* recenset 800. communes contra totidem communes. In specie autem sententiam adhuc dici communem, quæ defenditur a decem vel octo gravibus doctisque viris, habet Nav. *in man. c. 27. num.* 289. Quin & a septem, ut Coratius *l. c. tit.* 3. Quidquid sit de eo, num recte a Jasone & aliis teste eodem Coratio ea dicatur communis, quam unus aliquis Doctor excellens una cum Glossa tuetur.

6. Denique supponendum, sententiam benignam dici illam, quæ obligationem aut pœnas negat, tollit, minuit. Rigidam illam quæ asserit, ponit, auget, & aggravat. Gov. *num. 6. in fine*. His suppositis, quantum quidem præsens quæstio respicit forum externum, concernitque Judices fori externi, utpote de quibus nobis hic solum agendum, illamque quæ spectat Judices fori interni seu confessarios, propriæque conscientiæ directionem, relinquendo casistis, ad eandem.

7. Resp. Tametsi ad sequenda benigniora non teneantur, absolute tamen loquendo non tantum recte, sed etiam consultius agant plerumque Judices fori externi, tam sæculares quam ecclesiastici, qui ex opinionibus (præsertim versantibus circa leges positivas) vere & certo practice probabilibus, nec ullo modo repugnantibus juri tertii, aut receptæ consuetudini vel stylo loci, in quo jus dicunt, sectando benignas judicant seu ferunt sententiam. Ita Gobat. *num.* 58. citans pro hac doctrina *sect. 8. sui Clypei*. Quamplurimos Theologos, qui etsi plerique loquantur de confessariis aliisque directoribus conscientiarum privatarum, non tamen desunt quorum verba æque dirigantur ad Judices fori externi, ut inter alios Azor. *p. 1. l. 2. c. 12. ad initium* ubi: quotiescunque res est, quæ apud juris interpretes ad odia, non favores spectat, inter duas opiniones, ea est amplectenda, quæ est benignior ac mitior. Item *sect.* 9. plures Jurisconsultos, ex Canonistis quidem Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 6. nu.* 3. Pet. Peckium *in Reg. Iur. in pœnis n.* 6. Macagnan. *tr. de com. opin. c. 8. num* 8. Abb. Felin. &c. ex Juristis Caball. *in resol. crim. cas.* 200. *num.* 145. Jason. &c. tenentes, in criminalibus tenendam semper opinionem, quæ vergit in mitiorem partem. Lancell. Farinac. Decium, Everh. Curtium Cephal. &c. contra plures alios, quorum tamen oppositam nullatenus reprehendendam aut cavillandam ait Gob. *num.* 147. Ac imprimis videtur responsio nostra Juri utrique conformior. Primo Juri canonico, dum dicitur *c. fin. de transact. in his, in quibus Ius non invenitur expressum, procedas (æquitate servata) in humaniorem partem inclinando semper, secundum quod personas & causas & loca & tempora postulare videris.* Jam vero jus illud non est expressum satis, ubi prudentes & periti gravi ratione ducti expressum inficiantur, intellige exercite, dissentiendo, & inter se de sensu illius controvertendo. Item dum *c. ex literis de probat.* dicitur: *promptiora sunt Iura ad absolvendum quam condemnandum.* Unde recte infertur, ergo qui tribunalibus præsunt, magis inclinati esse debent ad sententias benignas, sententiæ siquidem rigidæ, cum obligationem afferant, pœnamque augeant, sunt ad condemnandum seu condemnatoriæ. Item dum *Reg.* 30. *in* 6. sic habet: *in obscuris minimum est sequendum*: cum qua coincidit regula Juris civilis *ff. de Reg. Iur. semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*: id est, in iis, quorum sententia incerta est (qualis est, de cujus vero intellectu exstant opposita prudentum judicia juxta illud: quod multipliciter exponitur ejus veritas ignoratur. Neviz. *de opin. com.* Abb. Alex. apud Gob. *num.* 65.) sectamur, quod minime seu levissime reum gravat, ut Peckius, Dynus, Canis. *in cit. reg.* 30. Qui etiam in specie tradunt, hanc regulam locum habere in ultimis voluntatibus, contractibus, pœnis, arbitrorum ac Judicium sententiis. Item dum in *c. contra eum de Reg. Iur. in* 6. dicitur, interpretationem esse faciendam contra eum, qui legem potuit dare apertius, adeoque in partem benigniorem, & pro ut conformius fragilitati subditorum; si enim legislatores voluissent, leges suas intelligi in eo rigore, in quo ab aliquibus DD. explicantur, aperte illum rigorem expressissent. *c. 2. de transl. Epis.* Item *c. in pœnis de Reg. Iur. in* 6. ubi decernitur, in pœnis benigniorem interpretationem faciendam. Ac denique huc facit *Reg. Iur. in* 6. statuens odia restringi, favores oportere ampliari. Dein clarius adhuc conformatur responsio nostra Juri Civili, ut dum dicitur *l. 18. ff. de LL.* Benignius leges interpretandæ sunt; nimirum ubi duplicem admittunt interpretationem, & non constet de mente legislatoris recipienda interpretatio benignior. Bart. *in l. neque leges ff. de LL.* Item *l. semper in dubiis ff. de Reg. Iur. semper in dubiis benigniora præferenda l. ea quæ in partes ff. eod. in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justum quam tutius est.* Juridica autem eaque communissima, qua etiam utuntur Theologi, phrasi illud in utroque Jure esse, censeri ac dici dubium ambiguum, de quo exstant libereque defenduntur diversa classicorum DD. sensa, fuse deducit Gobat. *a nu.* 83. citatis præter Bertachin. Spiegel. Schadium Lexicographos *n. dubium*. Magon. *in paradox. Indicat. cap. 42. nu* 5. Maschard. *de probat. concl* 577. Nav. *in man. c. 27. nu* 187. Lugo *resp. mor. l. 1. du. 2. num.* 4. Gravet. *cons.* 584. Alex. *l. 2. cons. 22. num.* 9. & 10. Bartol. Bald. Abb. &c. Qui

etiam ex ea acceptione tanquam indubitata deducunt practicas resolutiones & decisiones gravissimarum quæstionum concernentium fortunas & honorem. Standum autem praxi communi juridica legali, habet Suar. *de LL. l. 6. cap. 2. num. 5.* Laym. *l. 1. tr. 4. cap. 17.* Menoch. *de præsump. l. 4. præsump. 89. num 36.* & alii. Accedunt & alii textus nullam dubiarum legum aut casuum mentionem facientes, sed indefinite loquentes, ut sunt sequentes. *l. Arrianus ff. de obligat. & action. Arrianus ait, ubi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum; ubi de liberando ex diverso, ut facilior sit ad liberationem. L. rapienda ff. de Reg. Iur. rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. L. placuit. de Iudiciis placuit in omnibus rebus præcipuam Justitiæ æquitatisque quam stricti juris esse rationem l. 91. ff. de Reg. Iur. in omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est.* Æquitatem autem dici, tum benignam interpretationem, habet Marta *de Iurisd. pag. 4. cas. 162. n. 1.* apud Gob. *num.* 80. Tum, ut idem, rectam rationem, quæ omnia, maxime tamen jus strictum & durum ad humaniorem interpretationem magisque naturæ convenientem revocat. Item dici legis mitigationem, habet Zasius. Et ad præsens propositum aptius, per æquitatem designari Justitiam dulcore misericordiæ temperatam, seu juri naturali potius quam rigori & apicibus Juris positivi conforme dictamen, ex S. Cypriano asserunt Jo. And. Speculator, Abb. *in c. ex parte de transact. in 6.* Rodriq. *qq. regul. Tom. 1. q. 11. a. 9. reg. 8.* Unde jam etiam pro responsione nostra deducitur inter cæteras subsequens ratio; nimirum, si propter æquitatem & humanitatem sæpe receditur a Jure communi, ut videre est *in l. Scævola ff. ad Trebellian.* aliisque pluribus apud Coratium *l. 2. tit. 9. nu.* 102. ac infinita prope judicantur propter æquitatem seu majorem humanitatem. Prateas *de Reg. Iur. l. 1. tit. 1.* cur non etiam ab opinione communi rigidiore recedere liceat. Quo etiam facit *l. Barbarius ff. de off. prætor.* Cui accedit & ratio affinis alia, quem ex Pasqualigo *in decis. mor. decis.* 9. adducit Gobat. *num.* 113. Quod opinio benignior seu minus rigorosa est secundum caritatem, ita tamen, ut non excludat aut lædat Justitiam, quæ in caritate fundatur, utpote virtute generaliore, secundum quam Justitia mensurari debet: ergo in complectendis opinionibus judicandoque procedendum potius secundum caritatem, quam secundum rigorem Justitiæ. Jam vero caritas dictat benignius agendum cum proximo, quantum fieri potest, diligendumque illum sicut seipsum, adeoque illi non faciendum, quod quis sibi fieri nollet; nemo autem secum procedi vellet adhibendo rigorosas opiniones relictis benignis. Rationes alias suasivas vide apud Gobat *a nu.* 109.

8. Facile quoque diluuntur, quæ in contrarium objici solent & sunt sequentia. Primo, quod Judex teneatur reo infligere pœnam, quam is magis timet juxta *c. quoniam §. fin. ut lite contest.* Nam magis atrox pœna tunc infligenda; quando aliter emendationi rei vel bono publico consuli nequit, & tunc utendum mitiore, ubi utrumque horum per eam haberi potest juxta *cap. ea vindicta* 23. *q.* 4. *c. ut famæ de sent. excom.* Servandaque communis regula *c. in pœnis de Reg. Iur. in 6. & l. interpretatione ff. de pœnis: interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ.* Secundo. Quod in dubiis pars tutior eligenda *c. ad audientiam de homicid.* Nam, præterquam quod ea regula non contineat præceptum sed consilium; ut Nav. *in cap. si quis autem de pœnit. dist. 7. num.* 34. Suar. *Tom. 5. in 3. part. dist. 40. sess. 6.* Dum certum est, multas leges continere potius consilium quam præceptum, præter hoc, inquam, in dubio benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius. *l. eaque in partes ff. de Reg. Jur.* Quod multis exemplis declarat Azor. *p. 1. l. 2. cap.* 11. Ostendit idipsum Gobat. *num.* 158. in Judicibus fori interni, quod perpendendo rem hanc, non in abstracto, sed in concreto cum suis circumstantiis, revera plerumque confessarii sequantur tutiora, dum procedunt juxta opiniones benigniores, certo practice probabiles. Uti & idem *num.* 112. testatur, se ex professo colligentem plures centurias istiusmodi opinionum magis benignarum, ut plurimum deprehendisse, eas firmioribus niti rationibus quam rigidiores, ita ut vere dicere posset, se inter sententias clementiores vix unam reperisse, quæ sibi visa non sit probabilior opposita illi rigidiore. Tertio, quod *cap. inquisitioni de sent. excom.* Pontifex manifeste judicet, Judici ecclesiastico sequendam tutiorem, dum prohibet mulieri, quæ bona fide nupsit alicui, petere ab eo debitum, *quando conscientia pulsat animum ex credulitate* (de latente impedimento, eo quod v. gr. ut Gl. *in cit. cap. v. probabili*, viderit maritum cum consanguinea sola in locis eo tempore suspectis) *probabili & discreta, quamvis non evidente & manifesta.* Cum tamen etiam stante illa credulitate habere possit opinionem probabilem de carentia impedimenti. Nam ibi loqui Pontificem de conjuge, quæ orto dubio nullam adhibuit diligentiam pro veritate inquirenda, adeoque si ea adhibita, hanc reperire non potuit, nihil reperiendo in alterutram partem, posse eam petere debitum, censet Barbos. *in cit. cap.* Socin. Valent. & alii apud Gobat. *num.* 151. referentem se ad seipsum *in Exper. Theol. tr. 10. cas. 16. num.* 643. Cætera objecta, quia concernunt potius Judices fori interni, conscientiamque privatam circa actiones proprias, consulto prætereo. Videri poterunt diluta a Gobat. *sect.* 10. 11. & 12.

QUÆSTIO DCCCXCVIII.

An non saltem, ubi rigidior est sententia communis, eam sequi teneantur Judices fori externi?

1. RESp. primo. Saltem in omnibus causis favorabilibus (quales sunt, in quibus agitur de matrimonio, libertate, dote, testamento; *c. fin. de sent. & re judic.* & generatim causæ piæ. Gob. *in clypeo num.* 143.) opinionem iis patrocinantem anteferendam & sequendam præ communi contraria. Citat pro hac responsione Coratius (etsi de cætero acerrimus propugnator sententiæ probabilioris rigidioris) *de opin. prob. tit. 9. num. 109. post medium.* Curtium, Marian. Everad. Abb. Felin. Host. Jason. &c. Fateturque hanc doctrinam esse communem & receptissimam, imo *num.* 112. magis communem. Sic specie, quod unius Doctoris classici opinio pro matrimonio prævaleat communi, habet Gail. *l. 2. observ. 94. num.* 19. Mascard. *de probat. concl.* 1138. *num.* 12. citatique ab his, Abb. Decius, Jason, Zasius pluresque Theol. apud Sanch. *de mat. lib. 1. dist. 18. num.* 7. Item pro valore testamenti Barbat. *cons.* 6. Host. Jasun. &c. quos citat Carillus *decis. 27. num.* 3. Et quidem de causa pia in genere sic absolute pronuntiat Marta *de jurisdict. part. 4. cas. 164. num. 2. communis DD. opinio non est attendenda, quando contraria favet piæ causæ.* Et sic semper, dum opiniones sunt diversæ, ea tenenda, quæ favet religioni. Gail. *l. c.* Jason. Natt. apud Gobat. *num.* 195. Item quæ favet potestati clavium jurisdictionique ecclesiasticæ *l. c. n.* 1.

2 Respond. secundo. Etiam absolute loquendo, non esse necessitatem sequendi rigidiorem communem præ opposita benigna minus vel non communi. Ita contra Coratium *l. 2. de com. opin. tit.* 8. allegantem pro se plurimos eosque principes Juris & ausum dicere, neminem præter Zasium a se lectum, qui id inficietur, Macognan. *tr. de opin. com. cap. 8. num.* 1. aliique tam Theologi quam Juristæ & Canonistæ insignes, dum ob authoritatem *cap. capellanus de feriis*, asserunt, singularem opinionem esse anteponendam communi, ubi nititur meliore & subtiliore ratione. Zasius *l. 2. ff. de orig. Iur. §. inovare.* Ubi quod nihil dici possit falsius quam quod Judex recedens ab opinione communi, absolute litem faciat suam. Dian. *p. 2. tr. 3. resol.* 3. expresse asserens, Judicem fori externi posse relicta communiore sententia, versante circa quæstionem juris sectari minus communem. Idque ipsum applicans decem diversis materiis, referensque pro se 13. qua Theologos, qua Juristas. Item omnes illi, qui pro regula generali absque ulla exceptione statuunt, quod possimus in praxi amplecti opiniones practice probabiles, modo non repugnent juri tertii &c. pro quo Terill. *tr. de sent. prob. quæst.* 22. nominat plusquam 180. sæculi 16. & 15. Præter quamplurimos superiorem sæculorum AA. Manet autem opinio vere practice probabilis, etsi opposita sit communis & communior. Adducit quoque pro hac responsione stabilienda Gobat. *num.* 144. Rotam, de qua Cantuccius *p. 2. decis. 12. num.* 2. testatur; quod solita sit semper amplecti æquitatem, omisso rigore, nisi in casu, in quo rigor est servandus, quem morem tanti fecerint ejusdem DD. Auditores, ut propter illum non raro censuerint, habendam non esse rationem receptissimæ alias sententiæ. Bartol. Abb. Jason. Felin. aliorumque Canonistarum & legistarum pronunciantis contra reum. Item supremam Curiam civilem Spirensem, quæ idem fecerit, quamvis obnitente integro Senatu mortuorum Jurisconsultorum, ut Mynsinger ejusdem Assessor. *centur. 1. observ.* 7. Confirmatur quoque responsio ex sequentibus. Quod juxta communem Theologorum Judex delinquat, dum circa materias speculativas pronuntia secundum sententiam minus

sibi

sibi visam probabilem, etsi sit communior. Item quod confessarius teneatur sequi opinionem probabilem pœnitentis. Dian. *p. 2. tr. 13. resol. 11.* cum pluribus aliis. Item quod sententia Rotæ (etiam non apprubata a Puntifice) præferenda sit upinioni communi & communiori. Tambur. *de jure Abbatiss. in præfat.* Cævall. Gratian. & alii apud Gobat. *num.* 196. Confirmatur item ex eo, quod si Jurisperitorum Principes, quos refert Gobat. *num.* 200. in pluribus materiis censuerint, præferendam minus communem communiori. Item tam Theologi quam Juristæ editis voluminibus clarissimi vix ulli reperiantur, qui non aliquoties adhæreant opinioni singulari aut minus communi, succenseti non debeat Judici, si a communi recedat ob prudentem & vere probabilem rationem amore humanitatis & clementiæ. Confirmatur denique ex eo, quod ipse legum conditor Justinianus, quo argumento utitur Gobat. *num.* 204. præsumptionem de veritate opinionis communis censuerit non tanti esse faciendam, quin liceat ab ea discedere, ubi unius sententia meliore nititur fundamento, dum Trebelliano alijsque viris expertissimis commisit conficiendos libros Digestorum ex discussis antiquorum prudentum responsis *l. 1. ff. de veter. Iur. enucleand. §. 6.* ait: *sed neque ex multitudine authorum, quod melius aut æquius, judicate; cum possit unius forsan & deterioris sententia & multos & majores aliqua in parte superare.* Ex quo Justiniani dicto & Honorii Papæ decreto hoc monitum conflandum, & a cunctis Judicibus accipiendum, ait Gobat. *num.* 209. Ne ex multitudine Authorum, quod melius aut utilius esse judicat, sed in his, in quibus non invenitur jus expressum, semper in humaniorem partem declinando.

3. Porro quod attinet ad leges & canones in oppositum congestos, bene dicit Gobat. eos vix aliud probare, quam quod ait Prateus, *Regulae. Iur. lib. 3. tit. 7. cap. 2.* esse temerarium a communi opinione deflectere ad singularem sine ratione; quæ ratio esse quandoque potest sola major clementia & æquitas, non deficiente tamen ratione, quæ opinionem vere probabilem reddat. Insuper dictis legibus obscurioribus opponendæ sunt leges aliæ a nobis adductæ longe magis perspicuæ. Quin &, cum generi per speciem derogetur, & id potissimum habeatur, quod ad speciem directum est *l. 80. ff. de Reg. Iur.* censendum est, legibus istis generalibus contrarium insinuantibus derogatum esse per leges allatas in præsidium clementium Judicum, ait Gob *num.* 194.

QUÆSTIO DCCCXCIX.

Qualiter combinetur hæc doctrina cum illa, qua dicitur Judicem teneri pronunciare juxta sententiam quam censet & habet probabiliorem?

RESpond. Optime combinari cum ea. Nam primo Judex sequi non tenetur probabiliorem, sed potest ea relicta sequi contrariam, dum non agitur de jure tertii. V. gr. in pœnis, & causis criminalibus debet procedere juxta benigniorem legis interpretationem, etsi ea sit minus probabilis: cum Jura sint promptiora ad absolvendum quam condemnandum. Item dum sunt causæ piæ, debet pronunciare in partem benigniorem. V. gr. subsistere legatum pium, dum id vere practice est probabile, etsi probabilius sit, id non subsistere. Dein dum agitur de præjudicio tertii. V. gr. Dum duo contendunt de re, & unus est in possessione, debet sequi opinionem magis favorabilem possessori, etsi minus favens speculative, nimirum versans circa proprietatem rei, sit magis probabilis; quia ita leges volunt, estque mos omnium tribunalium, ut quisque in possessione rei, quam bona fide detinet, conservetur, donec manifeste constet esse alienam. Et jam Judex decernens pro possessore, sequitur benigniorem; cum magis conforme sit clementiæ & humanitati, aliquem relinquere in legitima possessione, quam illum inde exturbare. Similiter dum duo æquale jus habent. Judex judicans rem divisibilem dividendam inter utrumque, vel, dum indivisibilis est, adjudicans totam uni & faciendam in re alia alii compensationem, sequitur benigniorem, utpote inclementer acturus, si rem totam uni absque compensatione adjudicaret. Item dum probabilius agnoscit, leges magis favere Titio quam Cajo, inclementer ageret, si rem adjudicaret Cajo. Item dum quæstio est facti, ut Titius melius probat factum. V. gr. factam sibi donationem, quam Cajus id negans, inclementer ageret, si damnaret Titium pronunciando pro Cajo. Porro illud hic notandum cum Gobat. *nu.* 216. & 217. Judicem, qui habet animum semper pronunciandi in favorem amicorum, ubi id facere poterit salva conscientia, versari in magno periculo æternæ salutis; eo quod animus ille sit in causa, cur sæpe judicaret leviuscule ex causa, se salva conscientia ferre posse sententiam pro amico, quam revera sine læsione juris alterius ferre nequit longeque adhuc periculosius processurum Judicem, qui ex destinato animo & quasi habitualiter semper damnat suos inimicos aut æmulos, dum reperit DD. classicos docentes, eos posse damnari; cum manifestum sit, talem Judicem sæpe sententiam illorum DD. ex odio inimici, studioque vindictæ, gaudio de præbita sibi occasione nocendi inimicia citra suam infamiam aliudve incommodum sequi.

QUÆSTIO DCCCC.

An & quando Judex possit rem, de qua litigatur, dividere, aut litigantibus imperare compositionem seu transactionem?

1. RESp. primo. Præter dicta supra dum agnoscit pro uno jus probabilius, & pro altero probabile, ne quidem pro rata hujus majoris & minoris probabilitatis rem inter eos dividere debet, sed totam adjudicare habenti jus probabilius; cum enim res ad unum vere pertineat, æquum est, ut tota adjudicetur uni habenti jus probabilius, adeoque & æquum, ut omnes in hoc, sive ut fiat, consentiant. La Croix *n.* 1483. inquiens sic leges disposuisse quamvis nullam citet. Sic etiam suadere non potest, dum censet, unam partem habere pro se opinionem moraliter certam, quantumcunque appareat probabilitas magna pro altera, sed tenetur adjudicare habenti moralem certitudinem. Cardenas *crisi 2. diss. 3. nu.* 10. La Croix *nu.* 1495.

2. Resp. secundo. In casu multum intricato, ubi non ita constat de inæqualitate aut æqualitate jurium litigantium, tametsi suadere possit partibus, ut amicabiliter componant, sive compromittendo in arbitros, sive transigendo inter se (intellige, dum materia talis est, ut in ea privata authoritate sine Simonia transigi possit) quin & ut a Judice primo loco suadeatur dicta compositio, sit consultissimum, juxta *c. studendum dist. 90. c. fin. de transactiom.* juncta Gl. *v. ad componendum cap. 1. de mutuis petit.* Ubi tamen partes tale Consilium respiciunt adhuc regulariter Judex compellere nequeat ad compromittendum alterve componendum. Abb. *in c. cum inter R. de elect. n.* 9. Felin. *in c. 1. de treuga & pace nu. 1. & a num.* 3. Laym. *Th. mor. l. 3. tr. 1. cap. 5. num.* 6. Barbos. *de off. & pot. Episc. p. 3. alleg. 79. num.* 9. Reiffenstuel. *h. t. num.* 36. juxta *Auth. ut litigantes jurent. §. fin. coll.* 9. Ubi, quod Judex nullum possit cogere ad pactum & transactiones faciendas cum adversariis; & si quis coactus id fecerit, nullum ei per hoc creetur præjudicium. Accedit, quod Judicis officium sit reddere cuique jus suum per legitimam sententiam. Contractus etiam, inter quos numeratur transactio; non reddantur in invitum. *L. invitum C. de contrah. empt.* Poterit tamen ad hoc compellere Judex ex gravi aliqua causa. AA. iidem. Arg. *c. placuit. dist.* 90. Ubi, quod longinqua inter se lite diffidentes primitus a Sacerdotibus moneri, ut ad pacem redeant, & si id contempserint excommunicentur. Item Arg. *c. final. de transact.* ubi summarium sic habet: *Iudex potest & debet se interponere pro transactione inter partes facienda, præterquam in casibus, in quibus Iura id non permittunt, ut super matrimonio &c.* Cum pertineat etiam ad officium Judicis, conari, ut quam citius lites finiantur, ut non evadant propemodum immortales *l. properandum §. 1. C. de Iudiciis.* Ubi non poterit id amica suasione, debebit id per compulsionem efficere urgente causa gravi, qualis eo ipso adesse videtur, quod partes diu litigarint, & discussis accurate utrimque allegatis de jure & facto, de facili cognosci & decidi nequeat, quæ pars probationes habeat probabiliores. Barbos. *l. c.* Abb. *in rub. de treuga & pac. num.* 1. Felin. *l. c. num.* 5. & alii justa *cit. cap. placuit.* Item dum imminet periculum armorum. Felin. *l. c.* Argum. *l. æquissimum ff. de usuf.* Item dum litigantes sunt personæ insignes, ex quarum dissensione perturbatur Resp. cum Judex procurare debeat pacem Reip. adeoque impedire, ne illa dissensio privata transeat in præjudicium Reip. Barbos. *l. c.* Felin. *nu.* 6. ubi plures istiusmodi casus enumerat. Unde jam illud, quod contractus non reddantur in invitum, procedit tantum regulariter, & non, dum causa gravis urget. Siquidem tunc jus ipsum aliter disponit, ut in *cit. c. placuit* ut & in similia cogit rem propriam. V. gr. frumentum tempore inopiæ, domum vel fundum ratione publicæ necel-

necessitatis vendere. Arg. *l. 1. §. cura ff. de off. praef. urb. l. si locus ff. quemadmod. servit. amitt.*

QUÆSTIO DCCCCI.

An Judex advertens, unam partem omittere aliquid, quo allegato evinceret, possit & teneatur id ei significare?

RESp. Non convenire in hoc AA. Judicem posse ac teneri ad hoc, censent Dicast. *l. 2. tr. 1. d. 5. nu.* 285. aliique apud Dianam dicentem, hanc sententiam esse probabilissimam. Contrarium, nempe non licere hoc Judici cum communiore & probabiliore tenent Sanch. *in decal. l. 3. c. 9. n.* 48. Castrop. *p. 1. disp. 2. par.* 10. *num.* 9. & apud eum Vasq. & insuper Binghab. *cent.* 2. *cas.* 94. apud La Croix. *num.* 1478. eo quod hoc sit officium advocati, non Judicis, & hic procedere teneatur ut persona publica, adeoque tantum procedere ex scientia publica tantum per partes hausta, ut D. Th. 2. 2. *q.* 67. *a.* 2. & solum juxta ea, quæ allegata sunt, non quæ allegari potuerunt. Castrop. præsertim, non a partibus, sed ab alio, cujus id officium nullatenus est. Mediam viam ingreditur Baldus, dum putat, Judicem ad hoc non teneri, posse tamen id ex caritate. Verum alia ratione distinguendum videtur, nimirum ut in casu, quo a litigantibus vel eorum advocatis aliquid omissum seu minus dictum est, Judex supplere possit ac debeat, si sit ex iis, quæ sunt de jure seu juris publici, allegando legem, statutum loci vel consuetudinem. Secus si sit ex iis, quæ sunt de facto, intellige, non noto Judici ut Judici. Gl. *in c. bonæ memoriæ de postulat. v. curavimus.* Abb. *in c. Raynutius de testam. nu.* 11. ubi: *ubicunque aliquod jus ex deductis in judicium competit parti, licet pars ignoret, potest & debet Judex ex officio supplere, quia illud est sibi notum & notorium ut Judici.* Item Laym. *Th. mor. l. 1. tr. 1. c. 5. nu.* 16. Pirh. *h. t. nu.* 19. Reiffenstuel. *h. t. num.* 73. Juxta, quod quoad primam partem expresse habetur in *l. unic. C. ut quæ desunt advocatis partium, Judex suppleat.* Ubi, quod dubitandum non sit, quod, si quid a litigantibus vel advocatis minus fuerit dictum, debeat illud Judex supplere & proferre, quod sciat legibus ac juri publico convenire, & quo ad secundam partem juxta quod Gl. *ibid.* pluribus id exemplificans, ac demum subjungens, id locum non habere in facto, nisi sit notum Judici, adeoque potest ac debet supplere, pro ut legibus & juri publico convenit, secus ac dicendum de facto nullatenus deducto in judicium. Sic itaque Judex ex officio repellere debet ab agendo, quem scit publice excommunicatum, etsi reus contra illum non excipiat *c. exceptionem de except.* Sic supplet ad meliorem veritatis investigationem inquirendo probationes & præsumptiones, non extrinsecus, sed quæ ex ipsa causa oriuntur & apparent, reque ipsa insunt, quamvis specialiter non allegantur nec probentur. Zoes. *h. t. ff. num.* 11. Argum. *c. 2. de præsump.* ubi, quod sic processerit Salomon in causa duarum meretricum. Item supplet de jure inducendo legem vel canonem vel arguendo ad causam, vel ducendo inconveniens. Argum. *L. Ofidius ff. de legat.* modo hoc faciat sedendo, non stando, ne officium advocati assumere videatur. Gl. *cit. in cap. bona memoria v. curavimus* & Gl. *in cit. l. unic. v. proferre.*

QUÆSTIO DCCCCII.

An & qualiter Judex judicare debeat secundum leges?

1. RESp. primo. Judex inferior debet judicare, non ex sensu proprio & arbitrio, sed secundum jura & leges publicas *c. 1. de const.* juncta Gl. *v. suo sensu c. de ister d.* 4. ubi, quod Judex non de legibus publica authoritate institutis (examinando, num illæ sint justæ) sed secundum illas earumque præscriptum judicare debeat. Idque quia Judex inferior dispensare non potest in lege superioris, aut etiam loquendo regulariter ejus rigorem temporare, uti id potest Judex superior, si ita bono publico expedire putet. Pirh. *h. t. nu.* 17. citans Less. *de Just. l. 2. c. 29. nu.* 46. Nihilominus etiam inferiorem posse quandoque ob mutationem circumstantiarum utendo Epiikia a litera & sensu, quem verba legis in stricta & rigorosa significatione habent, recedere, modo a mente legislatoris non recedat; cum occurrere possit casus specialis non prævisus a legislatore; adeoque ab eo in lege non comprehensus, in quo legislator, si adesset, spectata æquitate sine dubio judicaret, in eo procedendum non esse secundum legis suæ præscriptum tradit Less. *l. c. n.* 47. Pirh. *l. c.* Laym. *in c. 1. de const. num* 13. Et sic in specie, quamvis inferioribus Judicibus non liceat pœnas crimini alicui in lege statutas augere aut minuere, uti id potest Princeps supremus plenariam habens in Republ. potestatem, si id publico bono non obsit. *l. 1. §. quorum ff. ad S. C. Turpill.* Gl. *in c. licet de pœnis v. pœnam pecuniar.* D. Thom. 2. 2 *qu.* 67. *ar.* 4. cum nihil adeo perniciosum sit Reipubl. quam si Judices faciant ea arbitraria, quæ a lege certa sunt & determinata, ut Farinac. *in pr. crim. l. 1. tit. 3. qu. 17. nu.* 5. apud Pirh. *l. c.* quia tamen variæ occurrunt circumstantiæ & qualitates, ob quas redditur crimen magis aut minus excusabile, magis aut minus atrox, concedi quandoque Judicibus potestatem super hoc arbitrandi, pœnam decretam augendi vel (& hoc frequentius ac facilius) minuendi, tradit Farinac. *l. c. a num.* 8. Argum. *l. perspiciendum l. hodie l. aut facta ff. de pœnis* quod tamen in majoribus Magistratibus receptum esse consuetudine, & inferiores id inconsulto Principe, a quo constituti, maxime post latam sententiam, facere non debere, ait Pirh. *l. c.* citans Gail. *l. 2. de pace publica c. 9. num.* 22. De cætero casus plures, in quibus ex gravi urgenteque causa recedere liceat Judici a dispositione legis enumerat Felin. *in c. 1. de const. num.* 49 idipsum tamen *num.* 51. limitans, nisi superior præsens sit, & consuli possit. Quod tamen, etsi tutius, non tamen necessarium esse, dum causa id suadens est evidens (secus, si causa dubia, tunc enim superior, etiam absens, si fieri potest, consulendus *l. 1. C. de LL.* ait Pirh. *num.* 17. *in fine* citans Laym. *in cit. c. 1. num.* 15.

2. Resp. secundo. Dum causa in Judicium deducta in legibus non satis expressa & decisa videtur, judicandum juxta receptam consuetudinem, & si de ea non constet, recedendum non est a proprietate verborum, nisi exinde sequatur absurdum legis. Si sensus verborum multiplex & incertus, benignior sequendus, & si, quis benignior, non apparet, juxta similia in aliis legibus expressa procedendum. *l. non possunt ff. de LL.* vel recurrendum ad supremum Principem. Si vero circa sensum sit dubium legis variæ sint DD. sententiæ, a communi sententia, quam tenent plures & graviores, nisi ea per novas solidasque rationes ab uno vel pluribus DD. fuerit falsitatis convicta, non recedendum. Argum. *l. 3. C. de vet. jur. enucl.* ita fere Pirh. *h. t. num.* 18. citans Abb. in *cit. c. 1. a num.* 24. Felin. *ibid. num.* 54. cujus tamen limitationem secundam, quod authoritas glossæ præferenda sit etiam communi DD. rejicit, dicitque cum Gail. *l. 2. observat. pract. observ.* 153. *a num.* 8. glossæ non credendum, nisi lege vel solida ratione nixæ.

3. Resp. tertio. Judex non tantum in foro ecclesiastico, quod omnes Catholici fatentur, sed & in civili secundum canones, & non secundum leges civiles judicare debet de dispositionibus ad pias causas. La Croix. *l. 8. num.* 1422. remittens ad se *l. 3. part. 2. a num.* 811. V. gr. stare pro testamento ad piam causam signato tantum manu defuncti, aut condito sine institutione hæredis. Item pro legatis piis insertis testamento profano carente solennitatibus juris, pro quibus citat Tiraq. *de privileg. causæ piæ priv.* 4. 15. & 7. & remittit ad se *lib. 3. part. 2. num.* 1130.

QUÆSTIO DCCCCIII.

Quid Judices possint circa acceptationem munerum, & ad quid teneantur circa restitutionem eorundem, & quid sit circa sententiam a tali judice per munera corrupto latæ?

1. RESp. ad primum primo. Acceptare munera (intellige, in ea quantitate, quæ de se apta est inducere, & ut plurimum inducit, corruptionem Judicii) esse jure prohibitum omni Judici, docent de Lugo *de Just. d. 37. nu.* 129. Haun. *Tom. 5. tr. 2. num.* 21. Reiffenst. *h. t. num.* 9. Prohibitum illud esse jure positivo tam divino quam humano, ecclesiastico & civili, certum est, & constat ex illo Exod. 23. *v.* 8. *nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Item ex Deuter. *c.* 16. *v.* 19. Ecclesiast. 20. *v.* 31. *c. 1. de vita & honest. clericor. l. 18. ff. de off. Præsid.* Unde Judices id facientes peccant mortaliter, de Lugo *l. c. num.* 131. Haun. *num.* 59. Dicastil. *de restitut. d.* 6. *num.* 75. Idque quantumcunque persuadeat sibi Judex, se non ideo corrumpendum, proponatque se a Justitia non recessurum; cum de se aptissima sint munera ad inflectendum vi sua occulta animum in partem ea offerentium, adeoque periculum illud invertendi judicium lædendique justi-

justitiam semper secum trahant. Vide, quæ in hanc rem adducit La Croix. *L. 4. nu.* 1499. ex Innoc. III. Et quamvis, si dentur munera in finem illum, ut Judex majorem diligentiam adhibeat, quam teneatur, vel ut incitetur magis ad expediendum negotium, vel ob alium laborem extraordinarium, spectato jure naturæ, acceptari posse teneant de Lugo, *n.* 124. Dicastil. *nu.* 71. quin & nulla lege id prohiberi asserat Diana *p. 3. tr. 5. resol.* 45. cum aliis, hoc tamen posterius negat Moya, *tom. 1. tr. 6. dist. 4. q. 3. n. 3.* & alii, quibus inhæret La Croix ob mala & damna communiter tali receptioni etiam in illo casu, adjuncta. Illud plus probabilitatis habet, quod jure positivo id prohibitum non sit, si vere dentur munera Judici, non ut Judici, seu ratione hujus officii, aut occasione litis, sed ex amicitia aliave causa, uti sentire videntur Lugo, Haun. Sanch. quamvis La Croix dicat, illos tantum loqui de jure naturæ, quod illo id prohibitum non sit. Quidquid sit de eo, num jure positivo id quoque prohiberi potuerit ob periculum fraudulentorum prætextuum; cum aliud sit, potuisse prohiberi & de facto prohibitum. Illud certum, etiam jure naturæ illicitum accipere munus eo pacto, ut causa tua prius expediatur, postpositis aliorum causis cum eorum damno, qui diutius exspectarunt, & citius expediri debebant, secus si plurium causæ æque cito expediri exigant, sitque in arbitrio Judicis, quam prius expediat. Layman *l. 3. tr. 4. c. 4. n. 9.* ubi quod licet id ipsum periculo non vacet, non audeat tamen id, spectato jure naturæ, damnare; cum per hoc aliis non fiat injuria, istaque obligatio nova, quam in gratiam dantis munus suscipit citius expediendi eius causam, sit remuneranti utilis, & pretio æstimabilis. Quamvis id quoque iure positivo ob mala ex hoc ipso timenda illicitum dicat La Croix. Recte tamen addens, quod in his omnibus attendi possit hominum prudentum & piorum usus, qui leges illas positivas (quarum tamen nullam citat) potuerit interpretari. Ac denique illud quoque certum, præscindendo a lege positiva, acceptationem munerum quandoque esse illicitam iure naturæ quasi per accidens, ratione nimirum scandali, dum ipsimet dantes credunt Judices inflecti, sibique persuadent, Judices aliter non præstituros, quod ex Justitia deberent, alioquin non darent. Vel ratione periculi evidentioris hic & nunc invertendæ Justitiæ. Molin. *de just. tom. 1. tract. 2. d.* 88. Sanch. *Consil. l. 3. d. 2. n.* 24.

2. Resp. ad primum secundo. Quamvis in Conc. Mediolan. III. ut habet Thomasin. *de vet. & nov. Eccl. discipl. par. 3. l. 1. c. 73. n.* 11. statutum de Vicariis generalibus, ne quicquam muneris ne esculenta quidem, a partibus recipiant hisce expressis; *nullum neque munus, neque donum, neque cujusvis generis Xenia, ne esculenta quidem poculentave ab iis accipiant, qui coram illis causas vel habent vel agunt.* Quod ipsum confirmatum & extensum ad Judices alios in Concilio Mediolan. V. *cap.* 11. hisce expressis: *in ordinariis causis nihil quisquam vel minimum, nec sportularum quidem nomine, ne a sponte etiam dantibus, aut ulla quovis modo a Judice illius fori accipi licere &c.* Licet inquam statutum pro Ecclesia Mediolanensi, ea tamen statuta cum universaliter non obligent, munuscula minora, in quibus corruptionis periculum non est, adeoque cessat ratio prohibitionis, quæque ex urbanitate offeruntur, nec nisi inurbane reiici possunt, licite acceptantur. Lugo *l. c. n.* 132. Haun. *nu.* 62. Reiffenstuel *h. t. n.* 12. La Croix *nu.* 1505. iuxta *c. statutum de rescript. in 6. & L. 18. ff. de off. præsid. l. solent §. 3. ff. de offic. proconf.* ubi quidem dona & munera accipere Proconsuli prohibetur, non vero in totum a Xeniis abstinere iubetur, sed modum servare, ut neque morose in totum abstineat ab iis, neque avare excedat in quantitate & numero, allegato ibidem vetere adagio: *valde inhumanum, a nemine accipere; sed passim, vilissimum; omnia, avarissimum.* Porro Xenii nomine vi nominis significari munus hospitalitatis, seu quod hospitibus dari solet, sicque in esculentis & poculentis brevi, puta intra dies paucos (habita tamen ratione tam dantis quam recipientis & consuetudine locorum arbitrio boni viri taxandis) absumptibilibus, consistere, ait Reiffenstuel *num.* 13. Argumen. *l. plebiscito ff. de off. Præsid.* juncta Glos. *v. poculentumve*. Unde & a dono & munere differat, quo hoc se ad quantamcunque largitionem, ex qua fit lucrum extendat, *l. munus tribus ff. de V. S.* Xenia econtra, cum in dictis esculentis consistant, non reputentur lucra. Glos. *in c. cum ab omni de vita & honest. Cleric. v. præter expensas*. Secus dicendum de receptione Xeniorum excessivorum (etsi sint esculenta & poculenta) in nimia quantitate datorum, ne alias habeant rationem munerum; Xenia autem ad munerum quantitatem non sint deducenda, iuxta *citat. L. solent paragraph. final.* Ad hæc Xenia debent esse oblata ex mera liberalitate, & non exacta vel petita, nec directe, nec indirecte, ut textus & Glos. *in cit. sup. paragraph. final.* eo quod tunc liberalitas offerentis tollat suspicionem, quam alias etiam in re modica, instantia induceret petentis. Reiffenstuel *n.* 16. citatis Vivian. *in Rational. Jur. Can. in c. statutum de rescript. in 6. §. insuper* Gemin. *ibidem num.* 4. Franc. *num.* 2.

3. Resp. ad secundum. Ea quæ data sunt ad redimendam vexam vel sententiam injustam, aut aliter involuntarie, restituenda esse ante omnem sententiam, quia invitis dominis sunt accepta, adeoque non translato dominio, certum est. Uti etiam, quæ donata sunt voluntarie, si lex aliqua recipientes ea expresse redderet inhabiles ad acquirendum dominium, ut patet. Qualis non videtur esse lex eo ipso, quod prohibeat ea recipi. Quidquid sit de lege obligante ad restituendum ea, non obstante remissione illius, qui dedit, quæ, ut patet, diversa est a priore, & quales sunt, *L. 3. & seq. ff. ad leg. Juliam repetundarum & L. jubemus C. eod. sup. statutum §. si quid autem de rescrips. in 6.* de qua posteriore id affirmat La Croix. Et dato, hoc verum esse, adhuc hæc pœna inhabilitatis ad acquirendum dominium accepti muneris statuta *cit. c. statutum*, utpote quod tantum loquitur de Judicibus a Sede Apostolica delegatis, non est extendenda ad alios Judices, cum pœnæ sint restringendæ potius. Ita expresse Layman *in tit. c. statutum*. Reiffenstuel *h. t. nu.* 23. cum Glos. *ibidem c. v. modernum in fine*. De cætero quæ a Judice accipiuntur ex donatione jure naturæ valida, illicita tamen jure positivo, in foro conscientiæ non esse restituenda ante sententiam condemnatoriam, docent de Lugo *l. cit. n.* 134. Dicastil. *l. c. n.* 82. Haun. *n.* 60. Molin. Less. Vasquez aliique apud La Croix contra Medin. Sylv. &c. Eo quod leges non reddant inhabilem ad acquirendum dominium illorum. Quin etiam, si forte lex diceret, quod teneantur restituere ante sententiam, adhuc non teneri eos ad restituendum ante sententiam declaratoriam delicti, censent de Lugo, *nu.* 135. & Haun. Porro si Judex restituat munus donatum, & pars illud denuo donet liberaliter, posse illum id retinere, non obstante lege jubente restituere, etiam ubi a donante remissum, tenent Glos. *in tit. cap. statutum §. si quid autem v. remissione*. Layman *ibidem*, citans Molin. *de justit. tr. 2. dist. 84. n.* 14. eo quod aliud sit remissio, aliud donatio; cum facilius multa remittantur, quam pauca donentur, & ita facilius remissio illa præsumitur fraudulenter facta quam talis donatio. Nihilominus limitant idipsum dicti AA. nimirum, modo nihil in fraudem fiat, & Judex jam desierit esse Judex delegatus respectu donantis.

4. Resp. ad tertium. Sententiæ venales seu latæ ob acceptum pretium (quales etiam dicuntur, quæ latæ a Judice per munera corrupto) etiamsi alias essent justæ, juxta illud *can. qui recte 11. qu. 3. qui recte judicat, & præmium inde remunerationis exspectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit &c.* sunt ipso jure irritæ, ita ut appellatio neutiquam sit necessaria juxta *l. venales Cod. quando provocar. non sit necess. & Can. ei qui appellat. §. diffinitivo 2. qu. 6.* potestque Judex ita corruptus non solum accusari *Lege Julia repetundarum*, sed etiam litem suam facit, ita ut partibus teneatur ad cumpensationem damni, *l. si filius familias ff. de judiciis, & l. ult. C. de pœna judic.* quique Judicem corrupit pecunia causam amittit, *l. 1. & 2. C. eod.*

QUÆSTIO DCCCCIV.

Quid possit Judex circa exigendas sportulas pro labore suo.

1. RESp. primo. Sportularum nomine veniunt vasa quædam, in quibus aliquid deferri solet, & accipiendo continens pro contento, uti fit in præsente, intelliguntur salaria seu modici sumptus faciendi in judiciis nimirum certa quota pecuniæ a litigantibus præstanda, ut sumitur ex *Rub. l. 8. tit. 2. C. de sportulis & sumptibus in diversis judiciis faciendis*.

2. Resp. secundo. Pro sportulis Jure civili potest Judex delegatus exigere ab utraque parte litigantium duos aureos à principio litis, & alios duos in fine, modo summa super qua litigatur, excedat centum aureos, prout habetur *in Authen. de judicibus §. ne autem tollat.* 6. Judex vero ordinarius, etiam spectato jure civili, nequit exigere sportulas. Reiffenstuel *h. t. nu.* 18. Engels *nu* 12. Cujus discriminis hæc est ratio, quod Judex ordinarius jam aliunde nempe a Principe vel Republ. præsumatur habere constitutum sibi salarium seu stipendium in ordine ad exequendum officium, unde honeste vivere possit; adeoque eo contentus esse debet ac impostenum

rum

tum gratis administrare justitiam. Spectato vero Jure canonico, non solum Judex ordinarius, sed etiam delegatus prohibetur accipere sportulas. Argument. *c. cum ab omni de vita & honest. Cler.* Abb. *ibid. nu.* 9. Engels & Reiffenstoel *leg. cit.* eadem siquidem ratio jam allegata pro Judice ordinario ibi quoque suo modo locum habere videtur in Judice delegato, dum is regulariter est Clericus habens beneficium sufficiens ad honestam sustentationem. Dumque in causa sibi commissi contigerit extra suum domicilium proficisci, modicas expensas in itinere factas recipere potest a partibus, si pauperes non sint; potestque etiam, si necesse assumere Assessorem partibus non suspectum cum moderato salario eidem a partibus communiter præstando, ut habetur *in c. statutum §. insuper & §. assessorem de Rescript. in 6.* & Glos. *ibid.* Cur autem sic potius statuatur a Jure canonico quam civili, ratio videtur exprimi in textu *cit. cap. cum ab omni*, quia nimirum magis ecclesiasticum decet abstinere ab omni specie mali, puta avaritiæ, pro ut præcipit Apostolus 1. *ad Thess.* 5.

3. Resp. tertio. His tamen non obstantibus, quod spectat ad Judicem ordinarium tam ecclesiasticum quam sæcularem, si ia, uti & advocatus, a Republ. constituti sunt absque stipendio sufficiente, quamvis ex Justitia obligentur ad præstandam operam, quia tamen non tenentur ad præstandam eam gratis censet Layman apud La Croix, posse exigere aliquam mercedem. De Lugo etiam *n.* 125. & Hann. *n.* 58. excusant eos, si accipiant aliquid in supplementum salarii, ubi id consuetudine approbatum, quamvis Mol. Decastil. quibus inhæret La Croix censeant, id non facile permittendum; cum sint alii plures, qui illo stipendio contenti id æque benefacerent. Ratio autem quam addit, nimirum quo aliunde habeant alia, quæ defectum illum salarii suppleant, etsi forte videretur aliquo modo habere locum in iis, qui beneficia ecclesiastica habent sufficientia ad congruam sustentationem, non tamen ita in sæcularibus, habentibus sua bona patrimonialia, urget; cum nemo cogatur militare suis stipendiis etiam in Ecclesia, juxta Apostolum.

T I T U L U S XXXIII.

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.

Q U Æ S T I O DCCCCV.

Quid sit majoritas & unde nascatur.

1 Resp. ad primum. Majoritas, de qua hic, aliud non est, quam excellentia unius personæ ecclesiasticæ præ alia; unde oritur præcedentia, qua una aliam præcedit loco & honore sibi exhibendo, portione beneficiali percipienda, & similibus.

2. Resp. ad secundum. Oritur hæc majoritas, seu quod unus altero habeatur excellentior & dignior, ex sequentibus fere capitibus; nimirum ratione Ordinis (quo reducitur seu comprehenditur consecratio. Vallens. *h. t. n.* 2. Reiffenst. *nu.* 3.) antiquitatis, potestatis seu jurisdictionis & administrationis, privilegii. Ita fere Host. in *sum. h. t.*

Q U Æ S T I O DCCCCVI.

Quinam ratione Ordinis majores habeantur & præcedant.

Resp. Clerici majores & digniores sunt laicis, *c. Ecclesia S. Maria can. denique dist.* 4. Inter Clericos vero, qui Ordinem altiorem consecuti, v. gr. Episcopi Presbyteris, hi Diaconis, hi Subdiaconis, hi constitutis in ordinibus minoribus, ita ut cæteris paribus in sessione præbendaque consequenda, etsi posterius recepti, vel etiam primam tonsuram vel Minores posterius consecuti, pro ut statuitur, *c. statuimus h. tit.* Cujus decreti hæc est ratio, quod prærogativa Ordinis sit dignior prærogativa temporis seu antiquitatis. Vivian *in cit. cap.* Barbos. *ibid. num.* 1. & 2. Veruntamen dispositioni *citat. cap.* derogatum in pluribus Ecclesiis, in quibus prior tempore etiam prior jure censetur, *cap. qui prior. de Regul. Jur. in* 6. ita ut receptua prius in Canonicum alios in altioribus Ordinibus constitutos præcedat in choro & assecutione præbendæ. Quam consuetudinem tanquam repugnantem Ecclesiæ honestati, etsi reprobet Abb. *in cit. c. statuimus*, alii tamen cum Felin. *in id. c. nu.* 5. defendunt, quippe quæ & ipsa honesta & rationabilis est, habens pro se, non tantum *cit. reg. qui prior est tempore*: sed & expressum textum *c. fin. de consuetud. in* 6. ubi consuetudo tribuens antiquioribus Canonicis jus optandi præbendas vacantes, nulla habita ratione Ordinum approbatur. Quin & id ipsum, quod qui prius receptus in canonicum, præferendus sit aliis absolute, nulla facta mentione aut habita ratione altioris ordinis, statuitur in *c. quia sæpe de præbend. in* 6. & *c. dilectus extra eodem*, quos tamen textus non repugnare *cit. c. statuimus*, ostendit Pirbing *h. t. n.* 2. eo quod hi textus loquantur de assumpto in Canonicum, ita ut statim debeat ei assignari præbenda, vel saltem vacatura proxime. *Cap.* vero *statuimus* loquatur de Clericia minoribus Ecclesiarum Urbis (adeoque hæc constitutio sit localis) in quibus consuetum recipi in Canonicos Clericos in minoribus constitutos ea conditione, ut habeant quidem jus Canoniæ, nulla tamen eis assignata portione reddituum ante tres vel quatuor annos, intra quos serviunt Ecclesiæ, pulsando campanas, accendendo lampades, & in his receptis dein ad Canonicatus haberetur deinceps ratio ordinis suscepti, ut qui ex dictis minoribus Clericis prius essent promoti ad Ordines superiores, ante alios in Inferiore Ordine constitutos assequerentur præbendas, ut sic excitarentur ad Ordines altiores suscipiendos. Argum. *c. quævis de ætat. & qualit.* Porro ratione consecrationis major est & præferendus (intellige cæteris paribus) Episcopus consecratus electo nondum consecrato. Reiffenst. *h. t. num.* 5.

Q U Æ S T I O DCCCCVII.

Qui ratione dignitatis ordinantis præferendi ab aliis.

Resp. Is solus, cui Papa ipse contulit Ordines, cæteris paribus, plus honorandus & præferendus aliis (etiam in concursu & collatione beneficiorum, ut Wiestner *h. tit. nu.* 2.) *c. per tuas h. tit.* idque, non quod plus accipiat per talem ordinationem quam alius ab inferiore ordinatus, *can. cum tantum dist.* 4. *de consecrat.* Sed ut deferatur testimonio Papæ, qui eum dignum sua ordinatione judicavit, ut habetur *cit. c. per tuas.* Layman *ibid.* Pirh. *h. t. n.* 6. & ut in ordinato ordinantis dignitati super omnes dignitates humanas excellenti honor & reverentia exhibeatur. Wiestner *l. cit.* ubi etiam, quod ob eam causam ordinatus a Papa sine hujus licentia ab alio promoveri nequeat ad Ordinem altiorem juxta *c. in distribuendis de temp. ordinat.* Non tamen propterea liberatur ab obedientia, quam alias debet Episcopo suo, ejusque jurisdictione eximitur, ut dicitur *cit. cap. per tuas.* Pirbing *h. tit. num.* 5. *in fine.* Chok. *de jurisdict. Ordinar. in exempt. p.* 1. *qu.* 21. *nu.* 3. Unde non minus contra eum quam alios Clericos delinquentes procedere potest ordinarius, non minus suspendendo illum ab exercitio Ordinis a Papa ei collati, quam privando beneficio ab eodem obtento, ut probabilius tenent Abb. *in c. per tuas num.* 2. Felin. *nu.* 1. Laym. *in fine*, contra alios cum Glos. *in idem c. v. subdiaconatus*, sentientes contrarium, & pro se adducentes illud; quem quis non potest ordinare, etiam nequit judicare, *can. nullus primas* 9. *qu.* 2. Cui tamen regulæ locum non esse in casu, quo per accidens alicui collatus Ordo ab alio, dum is de jure ab ordinario conferri potuisset, bene dicit Wiestner *h. t. nu.* 3. Sed neque textus *cit. c. per tuas*, eximens ordinatum a Papa in ordine ad recipiendos Ordines altiores ab alio, derogat potestati Ordinariæ, quo ad alios casus ibi aut alibi in jure non expressos. Dixi primo: *is solus*, quamvis enim Abbas generatim dicat, inter æquales ordine præferendum illum, qui a majore ordinem accepit, v. gr. ordinatus ab Archiepiscopo ordinato ab Episcopo; cum tamen id non exprimatur *in cit. textu*, rejicitur ab aliis. Imol. Innoc. *in cit. c.* Pirh. *cit. n.* 6. Dixi secundo: *cæteris paribus*; hoc est, præferendum aliis ejusdem ordinis & dignitatis. Nam non convenit, ut ordinati a Papa v. g. ad diaconatum præferantur aliis in majore ordine v. g. presbyterio constitutis, etiamsi posterius ordinatis. Pirh. *l. c.* cum Gl. *in c. per tuas v. subdiaconus.* Host. *ibid. v. deferatur.*

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCCVIII.

An & qui præferendi sint aliis ratione antiquitatis.

RESp. Ratipne antiquitatis seu prioritatis temporis, cæteris paribus, & præscindendo a privilegio speciali, vel etiam spirituali jure, præferendus quis est aliis juxta *regul. qui prior est tempor. de reg. jur. in* 6. in sessione, processionibus, io ferendo suffragio, in subscriptionibus, & sigilli appositione. Hostiens. *inc.* 1. *h.* t. *n.* 5. Abb. *n.* 2. Fagn. *n.* 7. cum communi. Sic quemadmodum etiam io politicis prius io Senatum cooptati, prius adepti consulatum, in actibus publici. & privatis præferebaotur teste Tullio, Gonzal. *in cit. c.* 1. *nu.* 6. Item qui in castris prius militare cæperant, vel gradum aliquem consecuti. Abb. *l. c. n.* 3. uti idem observari solet in curiis Principum sæcularium inter Consiliarios & Assessores, *l. fin. C. de privileg. eorum qui in palat.* io Gymnasiis & Academiis inter Professores ejusdem facultatis, ita ut prout quis prius aut anterius cathedram vel lauream consecutus. Layman *in cit. c.* 1. Pirh. *h. tit. n.* 4. idque ut iidem, tum ad vitandas lites, tum quia antiquiores seu diutius versati in Republic. alicujus officiis aut ministeriis præsumuntur habere majora merita, esse sapientiores & peritiores, adeoque magis honorandi. Imo etiam, ubi sunt merita æqualia, decens adhuc est, majores natu precedere juniores, dum etiam antiquius dicitur, non solum, quod vetustius, sed etiam quod potius, venerabilius ac melius est. Tiraq. *de primogen. in præfat. nu.* 86. Sic quoque in ecclesiasticis prius ordinatus aut canonice institutus posterius ordinato aut instituto est præferendus juxta expressum textum, *c.* 1. *h. t.* Sic in Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis præferuntur in stallo, voce, optione, similibusque juribus ac prærogativis, qui in receptiooe & appreheodenda possessione (cujus anterioritas io materia præcedentiæ & præeminentiatum præcipue attenditur. Pignatel. *tom.* 4. *consul.* 185. *nu* 28.) de quo tamen pluribus paulo post, sunt priores. Sic Monachorum, Canonicorum, Regularium & Mendicantium ordines (præscindendo a speciali privilegio) qui institutionis & approbationis antiquitate, etiam gaodent præcedentiæ prærogativa. Tambur. *de jure Abb. tom* 1. *d* 25. *q.* 1. *n.* 12. Item ex pluribus ejusdem Ordinis religiosorum familiis in eadem civitate existentibus, præcedunt, quarum fundatio & introductio in urbem est antiquior. Tamb. *l. cit.* Barbos. *Jur. Eccles. l.* 1. *c.* 43. *n.* 192. In particularibus etiam Regularium conventibus & congregationibus plerumque alios præcedunt Patres & fratres professione antiquiores. Fagn. *in c.* 1. *h.* t. *nu.* 8. ita ut in cooventibus, in quibus Prælatura vacante nemo est, qui Capitulo præsit, solet (secluso privilegio vel consuetudine contraria) senior vocare Capitulares ad electionem novi Prælati. Item senior Capituli propositionem facere, Capitularium vota colligere, primum in electione votum dare. Abbas *in c.* 1. *h.* t. *nu.* 4. Dixi primo: cæteris paribus: Sic enim Episcopus antiquior, non ætate, sed tempore ordinationis seu institutionis præcedit alios Episcopos posterius institutos, non tamen Archi-Episcopum. Presbyter Presbyteros, non tamen Diaconus Presbyterum. Dixi secundo; præscindendo a speciali privilegio, quo v. gr. quandoque Ecclesiæ alicujus Canonicis debetur præcedentia supra Canonicos alterius Ecclesiæ etiam antiquioris, quo gaudet Professor aliquis de cætero tempore doctionis aut etiam promotionis ad gradum junior io Academia ratione lectionis, quam habet privilegiatæ &c. Quod dictum de privilegio, idem dicendum de consuetudine, utpote quæ in honoris prærogativa præcipue attendi debet, *cap. cum omnes de consuetudine*. Pirhing *hoc tit. num.* 3. *in fine*, citatis Hostiens. & Inooc. qualis autem consuetudo, quot actibus & quanto tempore introducta requiratur in materia præcedentiæ, vide apud me *in Vicar. Episc. quæst.* 632. *num.* 3.

QUÆSTIO DCCCCIX.

Quis præferendus ex duobus Canonicis (idem est de Senatoribus aliisque similibus) quorum unus prior est provisione, alter possessione.

1. RESp. Si prius provisus fuit negligens in præsentandis literis & apprehenda possessione, præferendum illi (nimirum in ordine ad stallum, vocem, optionem similiaque jura & prærogativas capitulares) posterius provisum, priorem tamen in accipienda possessione, conveniunt omnes. De cætero præscindeodo ab illa negligentia, non conveniunt AA. Nam primu aliqui cum Rocho de Curte *in c. fin. de consuetud. sec.* 4. *num.* 11. absolute tenent priorem in provisione, si per eum non steterit, quo minus assecutus fuerit possessionem, præferendum adepto prius possessionem. Rationem dant, quod collatio jus in re plenum tribuat, *c. fin. de concess. prabend.* Quodque faciendum reputetur factum, si quo mious fieret, non stetit penes eum, a quo fieri debuit. Argum. *l. si filius familias ff. de testam. milit.* unde & possessio serius, & post captam ab alio capta retrotrahatur per fictionem juris ad diem vel horam, quo capi debuit ac potuit. Quin talem, cui a Capitulo denegata possessio, Rota (ut videre est apud Barbos. *de Canonic. & dignit. c.* 18. *nu.* 13.) quoad prærogativas & emolumenta canonicalia habuerit pro admisso ad possessionem. Alii melius distinguunt, nimirum prius provisum impeditum a collitigante secum a capienda possessione, posterius adeptum possessionem, præferendum collitigatori posterius proviso, & prius adepto possessionem, ne is contra textum *c. Sedes de rescript.* ex ioiquitate sua commodum referat. Contrarium vero dicendum, si prius provisus, non a posterius proviso, sed ab aliquo tertio, movente illi litem aut aliud impedimentum fuerit impeditus a capienda possessione. Ita tenent Barbos. *l. c. nu.* 12. Gonzal. *in reg.* 8. *proœm.* §. 3. *nu.* 23. quos sequitur Wiestner *h. t. nu.* 9. & 10. testans id firmari ab iis pluribus Rotæ decisionibus & stare pro eo plurimarum Ecclesiarum praxin. Rationem daot, quod tametsi collatio etiam absque possessione det jus in re seu titulum beneficii, & jus ad percipiendum fructus, hi tamen percipi nequeant ante possessionem, seu plenam beneficii assecutionem, qualis dicitur, dum proprietati jungitur possessio. Unde posterius provisus, prius tamen adeptus possessionem (intellige bona fide, & absque eo, quod ipse impediverit prius provisum a consequenda possessione) quia vel sic prius plene obtinuit beneficium, præferendus est quoad prærogativam illam sessionis, optationis &c. utpote quæ juxta Glos. *in c. cum olim h.* 1. *v. Capitulo*, & Selvam *de benef. p.* 3. *q.* 4. *n.* 4. sunt fructus & commoda possessionis, fructusque spectent ad possessorem bonæ fidei, *l. bona ff. de acquirend. rer. domin. & c. consultationibus de jurep.* Ad hæc prior in possessione prius ecclesiæ servire, ejusque muoera & onera subire cæpit; prævenientem autem in servitio & oneribus præ aliis convenit honorari, *l. nemo C. de off. Magist.* Ad allatam iu oppositum dicunt, impedimentum a possessione solum in præjudicium illius, a quo fuit impeditus habendum pro possessore. Barb. *n.* 3. Gonzal. *gl.* 27. *n.* 46. Unde merito Rota deciderit, habendum pro admisso & Capitulari, cui injuste denegata a Capitulo possessio. Similiter retrotractionem possessionis habere locum tantum respectu illius, qui prius provisum impedivit a capienda possessione. Felin. *in cap. cum causam de testam. & attest. num.* 16. Gomes. *in Reg. de annal. possess. quæst.* 14.

2. Ex his jam deducuntur sequentia, primo privatum Canonicatu plene obtento ob crimeo, dum per viam novæ collationis dein restituitur, uon pristinum locum, sed ultimum debere occupare, & tantum præferendum iis, qui post ejus restitutionem sunt recepti, *cap. insinuatione de simon. & ibi* Felin. *n.* 4. Barbos. *n.* 2. Wiestner *h. t. n.* 12. Secundo ei, qui post resignationem sui Canonicatus obtinuit denuo alium in eadem ecclesia, deberi locum Canonicatus, non dimissi, sed de novo obtenti. Argum. *cit. C. ubi* Glos. *v. prima*. Barbos. *de Canonic. c.* 28. *n.* 16. Tertio permutanti canonicatum, permutatione non sortita effectum, deberi locum pristinum; cum canonicatum suum non oisi sub conditione admittendæ & perficiendæ permutationis voluerit dimittere, adeoque ea non secuta eum retinuerit. Barbos. *l. c. n.* 17. testans, sic decisum a S. Congr.

QUÆSTIO DCCCCX.

Quinam majores habeantur ratione privilegii.

RESp. Ii, quorum personas vel dignitates, cæteris omnibus paribus, aut etiam majoribus, Papa (idem est de Imperatore, Rege, aliisque Principibus sæcularibus respectu sæcularium) vult aliis anteferri. Argum. *can. renovantes & seq. dist.* 22. *c. antiqua de privileg.* ex quibus constat, hac via privilegii seu Papæ voluntate Patriarcham Constantinopolitanum, etsi antiquitate & origine Antiocheno & Alexandrino posteriorem, supra eos Principem locum obtinere.

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCCXI.

Quinam ratione dignitatis jurisdictionis & administrationis majores censeantur.

1. RESp. Imprimis ratione horum trium super omnes totius orbis potestates, etiam Imperatoris ac Regum supereminet Papa, veluti Sol supra Lunam cæteraque Sidera, *c. solitæ hoc tit.* post Papam hodiedum a tempore Bonifac. VIII. vel Clement. V. S. R. E. Cardinales juxta dicta supra ratione potestatis & officii, quo soli Papam eligunt, electoque in gubernanda universali Ecclesia veluti supremi Senatores Consilio assistunt, sunt Ejusdem Coadjutores in executione officii sacerdotalis, & cum eo judicant omnes, & ipsi a nemine, præterquam a Papa suoque Collegio judicantur, ut Abb. *in c. bonæ de postul. n. 7.* Jacubat. *de Concil. c. & art. 2. n n. 158.* sunt Superiores omnibus, etsi Cardinales non Episcopi Episcopis Ordine sint inferiores. Inter Cardinales supremus Hostiensis ratione officii, quo Papam consecrat, Imperaturem inungit. Unde & solus utitur pallio in Urbe. Campeg. *de Concil. c. 15. nu. 2.* Item dignitate, qua Decanus est Collegii Cardinalitii. De Luca, *in relat. Cur. Roman. d. 5. n. 29.* Hunc hoc ordine sequuntur Portuensis, Prænestinus, Sabinensis, Tusculan. Albanensis Episcopi; hos sequuntur Cardinales Presbyteri, hos Cardinales Diaconi. Ordine antiquitatis, juxta quem optare possunt Episcopatum vel titulum superiorem, de quo vide Cardin. de Luca *loc. cit.* Cardinales sequuntur Patriarchæ 4. majores; Constantinupolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Jerosolymitanus, de quorum inter se præcedentia non semper eadem videri potest Wiestner *h. t. nu. 19.* citatique ab eo. Post hos veniunt Patriarchæ minores & Primates, habita inter eos in Ordine ad præcedentiam ratione specialium privilegiorum cumpetentium illis ratione Ecclesiarum suarum, & ubi talia non sunt, habita ratione majoris antiquitatis, promotionis ad illas dignitates. Jacubat. *l. c. n. 262.* Campeg. *l. c. n. 6.* Wiestner *l. c.* Dein Archiepiscopi, post hos Episcopi, habita inter eos, non tam Provinciæ vel diœcesis, quam promotionis & consecrationis ratione, *c. fin. dist. 17.* Barbos. *ibi n. 1.*

2. Post Episcopos in Conciliis quidem generalibus veniunt Abbates conventuum regularium habentes in iis præeminentiam, jurisdictionem & administrationem cum usu mitræ & baculi. Abb. *in c. ex ore de privileg. n. 3.* Campeg. *l. c. n. 17.* Wiestner *nu. 25.* & inter hos Abbates præferuntur, quorum regula a Sede Apostulica prius approbata; & inter ejusdem regulæ seu Ordinis, qui prius prumoti ad dignitatem Abbatialem. Tamb. *de Jure Abb. disp. 24. q. 3. nu. 4.* Post hujusmodi Abbates in iisdem Conciliis sedent Generales Ordinum religiosorum, qui Abbates non sunt; verum hæc de loco, quem Abbates occupant in Conciliis, de quibus ulterius videri possunt Jacobat. *loc. c. art. 6.* Campeg. *c. 17. n. 19. & 23.* extra autem Concilia in ipsis diœcesibus tametsi aliqui asserant, primum locum post Episcopum deberi Abbatibus & Præpositis, Collegium vel Conventum, cui cum jurisdictione ordinaria præsunt, habentibus. Alii Canonicis Cathedralibus, alii Protonotariis Apostolicis. Nihilominus Vicarium Generalem Episcopi, spectato jure communi, sicut dignitate præcedit, non tantum Canonicos Cathedrales, etiam Dignitates, sed Prælatos omnes alios Episcopo inferiores, adeoque & præ omnibus honorandum, cum honorificatio sequatur dignitatem, & pro majore dignitatis præcellentia major honor debetur, ut diai *in Vicar. Episc. qu. 60.* ita quoque præ illis omnibus & etiam præ Abbatibus Archidiacono, dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, eum habere præcedentiam in Sessione, processiune, in choro, in Capitulo (intellige, dum non est Canonicus) & similibus, stabilivi fuse *l. c. n. 61.* ubi etiam *n. 2.* quem locum occupare debeat in Choro, Capitulo, dum est Canonicus, & ut talis intervenit. Item qualiter in his omnibus fruatur dicta præcedentia etiam Episcopo præsente, *quæst. 62.* Quas tamen dicta Vicarii præcedentia patiatur exceptiones dixi, *qu. 63.* & in specie, quem locum occupare debeat in ecclesia præsente aut absente Episcopo, *qu. 64.* De Vicario quoque capitulari Sede vacante, qualem habeat aut prætendere possit præcedentiam, vide apud me *in Vicar. Episc. q. 612.* ubi id ex prufesso tractavi; videri etiam potest Wiestner *h. tit. n. 24.* De cætero redeundo nunc ad Abbates, tametsi iis uti & similibus Præpositis de jure cedant honoratiorem locum Canonici Cathedrales, dum incedunt singuli, & Cathedralem non repræsentant. Felin. *in c. quamvis de preb. in 6. n. 6.* Abbas *in c. cum non liceat de præscript.* Tamb. *de jure.* Abb. *d. 25. qu. 2. n nu. 9.* eo quod Abbatialis dignitas major habeatur a Jure omnibus aliis dignitatibus Episcopali inferioribus, *c. si quis deinceps 16. q. 7. c. de ætat. & qual. c. fin. de off. deleg. in 6.* Canonici tamen Cathedrales collegialiter incedentes, & in omnibus actibus, in quibus Ecclesiam Cathedralem repræsentant, præcedunt Abbates. Felin. *in c. meminimus de accus. in 6.* Wiestner *h. t. nu. 23.* In quibusdam etiam Ecclesiis Germaniæ ex consuetudine (cui in materia præcedentiæ jus plurimum defert Bald. *in c. cum olim de consuetud. n nu. 1.* Felin. *in cap. statuimus h. tit.*) Præpositus & Decanus præcedunt Abbates, quin & Vicarium generalem extra tribunal suum in processionibus aliisque congressibus. Neque id mirum, cum eadem persona postponi & anteferri possit consideratione diversarum causarum & locorum, *cap. ad hæc de off. Archid. leg. 1. C. de off. Vicar.* Faciunt quoque aliqui differentiam inter Abbates ac similes Præpositos exemptos a jurisdictiune Episcopi & non exemptos, & hos ei postponendos, eos illi præferendos dicant justa ceremoniale Episcop. *cap. 23.* ex cujus præscripto Vicarius thurificandus post Abbates. Rationem quoque hujus addunt hanc, quod licet jurisdictio Vicarii se extendat ad totam diœcesin, hæc tamen ei auferri possit, eamque gerat jure Episcopi non proprio. Ita Zechus *de reb. eccles. cap. 29.* Tamb. *loc. c. qu. 4. n num. 8.* apud Wiestner *n. 5.* Adhæc Protonotarios Apostolicos participantes, ut vocant (de quorum numero & officio vide Wiestner *n. 26.*) habere præcedentiam supra Abbates, & sequi proxime Episcopos, habet Barbos. *de Jure Eccles. lib. 1. cap. 23. a n. 7.* quin & olim præcessisse Episcopos, habet Jacobat. *art. 5. num. 4.* apud Wiestner *cit. nu. 26.* Secus de Protonotariis non participantibus, qui tamen præcedunt clericos sæculares Prælaturam aut dignitatem nullam habentes. Barbos. *l. c. n. 15. & 34*

3. Quod spectat ad Archidiaconum, tametsi in quibusdam post Episcopum, adeoque etiam Vicario major vocetur *cap. ad hæc de off. Archid.* qualiter tamen de jure cummuni eum præcedat Vicarius Generalis Episcopi, tam in Ecclesia, choro, quam extra in processionibus & actibus promiscuis, etiam conviviis, idque etiamsi Archidiaconus alias haberet privilegium obtinendi primam Sedem post Episcopum, vide apud me *in Vicar. Episc. quæst. 61.* quales tamen idipsum patiatur limitationes, vide *ibid. quæst. 63.* Item an & qualiter præferendus Vicario Capitulari Sede vacante, vide *ib. quæst. 63. num. 4. & quæst. 612.* Tametsi antem Præpositos & Decanos Ecclesiarum Cathedralium & collegiatarum de jure præcedat. Archidiaconus, imo & Archipresbyter, tanquam Vicarii Episcopi nati, consuetudo tamen in multis ecclesiis est alia, præceduntque Præpositus & Decanus, & post hos Canonici Cathedrales (& inter hos Archidiaconi, dum eorum plures sunt in eadem Cathedrali) ordine fere antiquitatis. Porro alicubi in Cathedralibus major est dignitas, & præeminentiam habet Præpositus, alibi Decanus. Vide me *in foro benef. part. 2. quæst. 546. n n. 8.* ubi occasione reservationis per 3. *Reg. Cancell.* plura de prima dignitate, & in specie etiam *num. 9.* quod licet Præpositus ecclesiæ collegiatæ haberet Sedem supra Decanum, si tamen Decanus haberet alias præeminentias, Decanatus censeatur prima dignitas.

4. Canonicos Cathedrales sequuntur Canonici ecclesiarum collegiatarum, & hos Rectores Curati Plebani Ecclesiarum Parochialium Presbyteri. Barbos. *l. c. cap. 19. a n. 65.* Boerius *part. 1. n num. 23.* Et sic Parochum etiam in assoriandis funeribus propriæ Parochiæ, & in genere Rectores omnes curatos plebanos &c. in publicis processionibus, functionibus etiam Synodalibus, digniorem locum cedere debere Canonicis etiam Collegiatarum ecclesiarum, censuit S. Congr. Rituum apud Barbos. *de off. Paroch. c. 9. n. 9.* non secus, ac Capitula ecclesiarum collegiatarum etiam semper & ubique præcedere debent ecclesiis inferioribus, etiamsi post Parochiales ecclesias erectæ, & etiamsi in erectione earum inserta clausula: sine præjudicio alterius. Barbos. *l. c. nu. 10.* citans Seraphin. unde etiam eo ipso, quod Parochialis erigatur in collegiatam præcedit alias Parochiales. Corrad. *in pr. benef. lib. 5. c. 14. num. 67.* De Luca *de Paroch. d. 36. num. 7.* Quin & Ecclesia filialis, quæ prius præcedebatur a matrice, si erigatur in collegiatam, præcedit ipsam matricem, quia nimirum mutato statu, mutatur jus antiquum. Rota *decis. 313. num. 6. part. 2. recentiss.* apud Barbos. *l. c.* quæ contra moveri possint, vide apud me *in foro benef. part. 1. q. 448.* Respectu quorum autem & qualem Parochi inter se habeant præcedentiam, vide apud me *l. cit. num. 1. 3. & 4.* ubi id ex professo tractavi.

5. His addendum, quod Vicarius foraneus præcedentiam super Parochos aliosque Presbyteros ex eo, quod sit Vicarius foraneus, non habeat, nisi contrarium habeat cunsuetudo.

Pignat.

Pignat. *Tom. 3. consult. 64. n. 23.* Sic resolutum testans a Sacr. Congr. Episc. *in Nolana 15. Sept. 1600.* Idem dicendum videtur de Decano rurali.

6. Quod concernit regulares, qualiter hi inter se præcedant se invicem ratione Antianitatis seu antiquitatis Ordinum, aut introductionis in locum aliquem, dictum est supra. De cætero clerici sæculares præcedunt regulares, non tamen Canonicos regulares, dum ipsi Canonici non sunt: sic Parochi, Rectores & Clerici sæculares præcedere debent regulares, tam monachos quam fratres quorumcunque Ordinum, etiam mendicantium, in funerum associatione, processionibus, aliisque similibus actibus publicis, nec debent monachi aut fratres cum Parochis mixtim incedere, quamvis contrarium quandoque fiat ex sæcularium indulgentia. Barbos. *de off. Parochi cap. 9. n. 14.* ego *fori benef. p. 1. q. 448. n. 4.* Et inter regulares ipsos Canonici regulares & monachi præcedunt mendicantes, secluso speciali jure, & propria Ordinis alicujus festivitate. Barb. *jur. eccles. l. 1. c. 43. n. 161.* juxta declarationem Clement. VIII. Plura de clericorum, congregationum regularium & confraternitatum præcedentia vide apud Tamb. *de jure Abb. tom. 1. disp. 25. tota.* Barbos. *de offic. Episcop. allegat. 78. a num. 27.* Boer. *de ord. grad. p. 1. a num. 25.*

QUÆSTIO DCCCCXII.

Quis sit Judex controversiarum ortarum ratione præcedentiæ, & qualiter decidendæ.

1. RESp. ad primum controversias istiusmodi inter personas, conventus aliasque communitates ecclesiasticas, etiam exemptas, vel etiam inter confraternitates laicorum, in deductionibus funerum & publicis processionibus, ortas, ad sedandas rixas & tumultum, vitandaque scandala componere, omni appellatione amota, & non obstantibus quibuscunque, spectat ad Episcopum. Trident. *Sess. 25. cap. 13. de regular.* eo quod istiusmodi deductiones & processiones sint actiones spirituales ad finem supernaturalem ex sua institutione ordinatæ. Nav. *cons. 3. de foro compet. n. 6.* Wiestner *h. t. n. 8.* aut spirituali annexum vel præparatorium ad illud continent. De actionibus autem spiritualibus cognoscere & pronunciare, num modo & ordine debito sine scandalo ac tumultu peragantur, est potestatis ecclesiasticæ, non sæcularis, *c. decernimus de Judiciis*, & *Can. 1. dist. 96.* uti etiam cognoscere de hujusmodi connexis cum spirituali & præparatoriis ad illud, spectat ad Judicem ecclesiasticum; cum ad eundem finem referantur, idemque præparati & præparatorii sit Judex juxta Baldum *in l. ordinarii ff. de rei vindicat. a n. 2.* Attendenda sunt etiam in hoc privilegia Principum.

2. Resp. ad secundum primo. Compositioni huic (etsi amicabilis & extrajudicialis sit, & præjudicium, quod afferre posset petitorio & possessorio, reparari facile possit, & quia res dilationem non patitur, fieri soleat ac debeat, ut dicitur in Trident. *l. cit.* remota appellatione, intellige, quo ad effectum suspensivum) summaria tamen aliqua cognitio seu informatio extrajudicialis præmittenda ab Episcopo, & præcedentia attribuenda imprimis Ordini, cui favet consuetudo loci, dein ei, qui est in possessione, etiam per unicum actum acquisita, ac demum ei, qui est antiquior in loco, juxta constitutionem Gregor. XIII. *Exposcit* editam 15. Julii 1583. & ubi nec consuetudo, nec quasi possessio, neque antiquitas uni magis quam alteri favere apparet, ordo vel confraternitas dignior fundatione aliterve magis privilegiatus anteponendus. Wiestner *h. t. num. 28.* citatis Barbos. *alleg. 18. a n. 27.* Frances *de Eccles. Cathed. c. 25. a n. 376.* Salgado *de protect. regia p. 2. c. 9. a n. 18.*

3. Resp. ad secundum secundo. Similiter dum orta controversia instituto processu deducta in judicium, tam in petitorio, sive cum de ipso præcedendi jure est quæstio, quam in possessorio adipiscendæ possessionis, dum ei miscetur juris quæstio, vel etiam reus super ea conventus est persona; Ordo, Congregatio vel alia communitas ecclesiastica, de ea cognoscere spectat ad solum Judicem ecclesiasticum; eo quod in prioribus duobus casibus jurisdictionem; saltem in causa (quippe quæ ut dictum, aliquid spirituale est, aut ei connexum continet) fundatam habet juxta *cit. c. decernimus* & *Can. 1.* In posteriore vero etiam in reo, qui convenitur, & forum ecclesiasticum sortitur, eandem jurisdictionem fundatam habet. Quod si vero in judicio possessorio de præcedentiæ quasi possessione retinenda vel recuperanda agitur, vel persona aut communitas sæcularis convenitur, de controversia cognoscere & judicare posse quoque Judicem sæcularem, tenet Barbos. *cit. alleg. 78. n. 42.* & plures alii apud Frances *l. c. n. 373.* eo quod hujusmodi cognitio fere versetur circa factum, nimirum circa actiones, quibus quasi possessio præcedentiæ acquiritur, retinetur, turbatur, vel amittitur, quod, cum sit quid mere temporale, non apparet, cur reus laicus conveniri nequeat coram Judice sæculari. Wiestner *h. t. n. 32.* qui quoque *n. 33.* idem asserit, dum personæ sæculares, aut earum communitates contendunt de præcedentia competente illis, non ex alicujus confraternitatis prærogativa in ecclesia, aut fundationis, constructionis, aliuve titulo ecclesiastico, sed ratione nobilitatis, dignitatis, aut alterius muneris publici vel causæ mere temporalis sibi competente, nimirum, quod etsi ortam desuper litem in ecclesia aut supplicatione ad cogitanda scandala & tumultum possit componere Episcopus, de ea tam in petitorio quam possessorio cognoscere ac definire judicialiter competat Judici sæculari, eo quod jus ejusmodi præcedentiæ neque sit spirituale, neque huic, nisi mere per accidens connexum.

QUÆSTIO DCCCCXIII.

Obedientia debita majoribus quid sit, & in quibus consistat.

1. RESp. ad primum. Obedientia prout est virtus specialis, definiri potest, quod sit virtus moralis inclinans ad faciendum, quod jubetur a superiore, eo quod jubeatur, sive quia jubetur. Reiffenstuel *h. t. n. 9* ex Navar. *c. 23. Manual. n. 35.* ita ut objectum illius materiale proximum sit præceptum expressum vel tacitum superioris, formale vero motivum honestas relucens in positione vel omissione actionis, quia præcepta a superiore. Dixi obedientia, prout est virtus specialis: siquidem obedientia generalis complectitur quidem virtutum omnium actus cadentes sub præcepto, seu qui præcipiuntur & præcipi possunt, non tamen ut vel quia præceptos, sed elicitos aut imperatos ob honestatem cuilibet virtuti propriam.

2. Resp. secundo. Obedientia majoribus debita, prout sumitur hoc titulo, consistit fere in tribus, nimirum in reverentia iis exhibenda, in mandato ab ipsis accipiendo & exequendo (accipiendo nimirum obedientiam large pro executione cujuscunque rei cadentis sub præceptum, non autem pro obedientia speciali, ut vult Barbos. *ad c. 1. h. t. n. 11.* neque enim, ut bene Crimer. *in 1. Decretal. nu. 2517.* leges ecclesiasticæ, quin nec divinæ, id de necessitate exigunt, nimirum, ut res præcepta fiat ex motivo illo specialis obedientiæ) & judicio eorum subeundo. Glos. *in c. 1. dist. 93.* Hostiens. *in sum. h. t. n. 2.* Pirhing *n. 7.*

QUÆSTIO DCCCCXIV.

In quo consistat dicta reverentia.

1. RESp. in eo, ut minor assurgat majori; cedat illi primum locum in sedendo & eundo *cit.* Glos. *l. c.* item ut inferior non sedeat stante superiore Canon. non oportet, *dist. 93.* & hanc reverentiam debet inferior omnibus, qui respectu illius sunt absolute superiores, etsi de cætero nullam in eum jurisdictionem, nihilque ei præcipere habeant. Hinc ipsi quoque Principes & Domini sæculares tenentur exhibere reverentiam sacerdotibus, maxime Episcopis & similibus Prælatis; adeoque decens est, ut in conventibus publicis Episcopi ad dexteram, Principes ad sinistram collocentur. Jo. Andr. *in c. solita n. 8.* Abb. *nu. 7* apud Pirhing *h. t. n. 10.* Unde etiam, prout constat ex *cit. c. solita*. Innocent. III. Imperatorem Constantinupolitanum reprehendit, quod Patriarcham Constantinopolitanum juxta pedes suos in scabello ad partem sinistram sedere faciat; cum Reges alii & Principes suis Prælatis, ut debent, assurgant, & eis juxta se honorabiliorem Sedem assignent. Et hæc, quia potestas ecclesiastica tanto dignior est sæculari, quanto anima corpore, adeoque hæc illi subordinata; & his nequaquam obstante illo 1. *Petri cap. 2. subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus ab eo missis:* quod Imperator Eideo respondit, ut videre est apud Pirh. *h. t. n. 9.*

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCCXV.

Quinam & in quibus obedientiam debeant Papæ & Episcopis.

1. Resp. primo indubitatum est, omnes Christi fideles debere obedientiam Papæ tanquam supremo Christi in terris Vicario, adeoque ipsos Imperatores ac Reges subjectionem suam erga Summum Pontificem profiteri debent, nisi velint esse alieni ab ovili Christi, a quo dictum est Petro ejusque Successoribus *Joan. 21. Pasce oves meas*, item *Matth. 18. Quodcunque ligaveris super terram &c.*

2. Resp. secundo, Episcopis quoque suis obedientiam præstare debent omnes eorum subditi, etiam Reges & Imperatores juxta præceptum D. Petri; prout habetur *in cap. omnes Principes*, cum Episcopi in diœcesi sua majores sint quocunque Principe sæculari, *c. illud h. tit.* habeantque in omnes in spectantibus ad eorum officium pastorale jurisdictionem, uti patet in facto, quo S. Ambrosius excommunicavit Imperatorem Theodosium. S. Stanislaus Cracoviensis Episcopus Boleslaum Regem Poloniæ. His tamen non obstantibus, quod in quibusdam ex speciali privilegio Principes exempti sint a jurisdictione Episcopi, v. gr. in confitendo cuicunque sacerdoti approbato, ut Abb. *l. c. num.* 3. apud Pirh. *n.* 8. ubi hic etiam cum Glos. quod si Rex aut Princeps in regno vel provincia habeat plures Episcopatus, Episcopus ejus loci seu civitatis, ubi Rex principalem sedem fixit & ordinarie residet, sit ejus ordinarius, qui ei contrahenti matrimonium assistere possit aliaque Sacramenta administrare, quod nequeunt Episcopi aliarum civitatum, in quibus ordinarie non residet.

3. Resp. tertio. Obedire potissimum debent Abbates & Sacerdotes Episcopo diœcesano subjecti, vocanti eos ad synodum diœcesanam, de quo est *c. quod super his h. tit.* ubi etiam, quod si vocati venire contempserint, per censuram ecclesiasticam ad veniendum compellantur, & debitam ipsi Episcopo obedientiam ac reverentiam exhibeant. Quod tamen intelligendum de Abbatibus, sive sæculares, sive regulares sint, habentibus populum; de his enim loquitur *cap. Abbates caus.* 18. *qu.* 2. etiamsi sint exempti, *c. ex ore de privileg.* ita ut alii non habentes populum venire non teneantur, nisi subsit rationabilis causa, *c. Episcopus dist.* 18. Quamvia hodie ex Trident. *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* eaempti omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur. Intelligendum quoque de sacerdotibus, qui Parochialium aut aliarum ecclesiarum, etiam annexarum curam habent, qualescunque ii sint. Trident. *l. c.* (quamvis Layman *de jurisdict. ordinar. concl.* 5. & Pirhing *h. t. n.* 11. in diœcesibus amplis non omnes curati, aut etiam Parochi, sed præcipui, ut sunt Decani rurales &c. vocari ad synodum soleant) ita ut Prælati & religiosi, quorum ecclesiis cura animarum annexa non est, præsertim mendicantes, ad synodum diœcesanam venire non teneantur. Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 93. *n.* 7. Piasec. *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 2. *art.* 5. *n.* 3. Pirhing *n.* 13. *in fine*. Rectores autem ecclesiarum parochialium, qui nullius diœcesis sunt, tenentur accedere ad synodum diœcesani vicinioris. Fagn. *in cit. c. quod super his nu.* 10. juxta quod respondit S. Congr. apud eundem. Etsi autem capitulum cathedrale vocari quoque debeat ad synodum. Argum. *c. de his quæ fiunt a Prælat. & ibi* Abb. *n.* 3. *&* 4. non tamen necessario venire debent omnes Canonici, sed aliqui nomine omnium, præsertim Præpositus, Decanus, Barbos. *l. c. n.* 11. Pirhing *n.* 12. ex Declar. S. Congr. Idem dicendum de capitulis collegiatarum habentium jurisdictionem quasi episcopalem. Piasec. *l. c. n.* 5. Pirh. *l. c.* De cætero sacerdotes sæculares & beneficiati curam animarum non habentes ad synodum venire non tenentur, nisi synodus forte instituta specialiter ad cleri totius reformatinnem; tunc enim sacerdotes & clerici omnes civitatis & diœcesis venire tenentur, si vocentur, ita tamen, ut ecclesiæ debitis servitiis divinis non destituantur. Abb. *in cit. c. not.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 42. *q.* 3. Pirhing *n.* 12. *in fine*. Subditos quoque vocatos ad synodum non teneri venire, si in citatione expressa sit causa injusta, vel sit notorium, quod ob causam injustam indicta sit congregatio. Pirh. *n.* 13. ex Abb. *ad cit. c. quod super his.*

QUÆSTIO DCCCCXVI.

Num clerici teneantur Episcopo spondere obedientiam in scripto, vel juramentum.

Resp. Negative, si sermo sit de clerico seu simplice beneficiato nullam curam aut administrationem habente: sic enim expresse statutum in *cap. legebatur h. t.* Glos. magna *ibid.* fit enim injuria ei, a quo major cautio, v. gr. jurata, vel fidejussoria, exigitur, dum sufficit simplex seu verbalis promissio, ut dum debitum leve est, & obligatus ad solvendum idoneus est. Argum. *L. si vero, ff. de satis. tog. l. nec Magistratibus ff. de jurejur.* Abb. *in c. legebatur not.* 1. Felin. *in princip.* Pirbing *num.* 19. An vero Parochi & curati quoque tempore investituræ teneantur tale juramentum præstare Episcopo, id pendere ex consuetudine cujusque ecclesiæ, ait Pirhing, ex Abb. Quod si etiam simplices beneficiati, uti & regulares rebelles, & contumaces fuerint, vel de inobedientia suspecti, ad juramentum obedientiæ præstandum Prælato suo compelli possunt. Argum. *c. cum in ecclesiis h. tit.* Glos. *ibid. v. juramentum*. Abb. *in notat.* Pirhing *h. t. num.* 21.

QUÆSTIO DCCCCXVII.

An & qualem obedientiam Cardinali præstare debeant Capellani, Presbyteri, aliique clerici ecclesiæ titularis illius.

Resp. Teoentur ad obedientiam manualem (hoc est, sine scriptura & juramento. Glos. *in c. his quæ h. tit. v. obedientiam*) eidem exhibendam, prout statuitur *cit. cap. his quæ*. Cardinales enim, etiam Diaconi tantum, habent jurisdictionem ordinariam & quasi episcopalem in ecclesiis sui tituli, adeoque etiam in Parochias & Capellas pleno jure, sive in temporalibus & spiritualibus ecclesiæ principali seu titulari illorum subjectas, & in earundem clericos, ita ut eos corrigere, punire, & contumaces censuris ecclesiasticis coercere possint. Abb. *in cit. c. not.* 2. *&* 3. quin & visitare ecclesias sui tituli.

QUÆSTIO DCCCCXVIII.

Cui ex duobus superioribus contraria præcipientibus sit obediendum.

1. Resp. Primo. Si unus illorum altero major est (intellige quoad potestatem præcipiendi respectu talis subditi) huic præ altero obediendum. Hostiens. *in sum. h. t. num.* 6. *§. quid si duor.* Tusch. *Lit. O. concl.* 1. *num.* 3. juxta *Can. qui resistit q.* 3. & clarum textum *Can. quæ contra dist.* 8. *sicut enim in potestatibus societatis humanæ potestas major minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus*. His non obstantibus primo, quod *in Can. Archiepiscopus cum seq.* 9. *qu.* 3. dicitur, clericum teneri potius obedire Episcopo quam Archiepiscopo. Secundo, quod *c. pastoralis de off. ordinar.* habeatur, monachum magis teneri obedire Prælato suo quam Episcopo, ita etiam, ut hic eum ordinare nequeat invito Prælato. *Can.* 1. *&* 2. *dist.* 58. Nam illa parenthesi in responsione adjecta hæc omnia diluuntur. Etsi enim Archiepiscopus major sit Episcopo, non tamen major est ejus potestas respectu clerici suffraganeo ejus subjecti; imo extra casus quosdam, de quibus supra, *ad tit. de off. Jud. ord.* & in quibus tenetur talis clericus magis obedire Archiepiscopo quam Episcopo, nullam habet in eum potestatem seu jurisdictionem, *c. pastoralis. de off. ord.* simili modo, etsi Episcopus dignitate major sit Abbate, non potest tamen pro libitu suo disponere circa monachum; cum is vi voti obedientiæ immediate habeat supra caput suum Abbatem loco Dei, ut dicitur, *c. si religiosus. de elect. in* 6. adeoque (exceptis certis casibus) tenetur magis obedire huic quam Episcopo. Abb. *in c. cum ab Ecclesiarum de off. ord.* Neque contrarium responsioni infertur ex eo, quod Episcopus relaxare nequeat rationabiliter latam sententiam excommunicationis a plebano sibi subjecto sine hujus scientia & præmissa congrua satisfactione, *c. cum ab Ecclesiarum de off. ord.* Nam licet id non possit licite (unde dicitur id ab Episcopo fieri non debere) quia aliqua ratione turbatur ordo ecclesiasticus. Argument. *c. pervenit ad nos* 11. *qu.* 1. potest tamen id valide; cum Episcopus sit ordinarius diœcesis, & plebanus

non

non habeat in suos subditos jurisdictionem privative, seu excluso Episcopo, sed cumulative cum eo, ita cum Gl. fin. *in cit. c. cum ab Ecclesiarum*, & Abbas *ibidem num.* 11. Reiffenstuel *h. tit. num.* 26.

2. Resp. secundo. Si ex duobus illis superioribus mandantibus contraria neuter sit major altero, sed æquales etiam in dicta potestate præcipiendi, V. gr. duo Episcopi, quibus quis subjectus diversis titulis, tenetur illi obedire præ alio, cui potiore titulo obligatus. Hostiens. *in sum. h. t. nu.* 6. §. *Quid si domini* Tusch. *l. c.* eo quod major illa potestas in ordine ad præcipiendum, non tantum provenit ex majore dignitate Prælatorum, sed etiam ex majore seu potiore titulo, quo quis ad obediendum obstrictus. Reiffenst. *num.* 28. Sic etiam, si quia ratione duplicis beneficii vel officii subjicitur diversis Prælatis incompossibilia præcipientibus, tenetur magis obedire illi, cui principaliter subest. Argum. *c. cum clerici de V. S.* vel etiam sub quo majus officium vel beneficium, ratione cujus tenetur obedire, habet Argum. *c. cum in officiis c. relatum §. fin. de testam. & c. fin. de postulando.* Ex quibus & illud sequi videtur, quod clerici magis teneantur obedire Episcopo, quam cuicunque Principi sæculari contrarium præcipienti; cum non tantum Episcopus in sua diœcesi major sit quocunque Principe sæculari, sed etiam ratione jurisdictionis spiritualis, quam etiam in Principes aliosque eorum subditos exercet Episcopus, arctius eidem obstricti, quam Principi ratione jurisdictionis temporalis, aut etiam ratione bonorum temporalium, quæ sub eo habent, vel specialis officii, quo Principi deserviunt. Ita etiam, ut nisi potius obediant Principi, pertimescenda sit dictorum bonorum jactura juxta illud, *c. illud h. t. non debuerat pro temporali commodo inobedientiæ notam incurrere &c.*

3. Resp. tertio. Dum in omnibus est æqualitas, locus est gratificationi, ita ut, cui maluerit, obedire possit præ alio. Arg. *L. si quis gravi §. si cum omnes ff. ad S. C. Syllanum.* Hostiens. *l. c. §. sed quod si.*

QUÆSTIO DCCCCXIX.

An & qualiter, si subdito sit probabile, rem præceptam non esse peccatum, probabilius autem sit eidem esse peccatum; debeat aut liceat obedire.

Resp. Quia resolutio hujus quæstionis, non tam ad Canonistas quam Morales Theologos spectat, & ab iis tractari solet in *tr. de conscientia*, ad eos remitto, uti ad Crimer. qui eandem ad *lib. 1. decretal. a num.* 2512. fuse resolvit.

QUÆSTIO DCCCCXX.

Quænam pœnæ Jure Canonico decretæ sint inobedientibus.

1. Resp. Primo. Qui decretis seu statutis Episcoporum aliorumque Prælatorum seu superiorum ecclesiasticorum per contumaciam non obediunt, debent excommunicari, prout dicitur, *c. si quis h. tit.* siquidem ibi dicitur *ab ecclesia abjiciatur*; quod idem est, quod excommunicetur. Hostiens. *v. eod.* Per quæ eadem verba satis intelligitur, non esse hanc excommunicationem latæ sententiæ, sed ferendæ. Neque etiam infligenda nisi post inobedientiam conjunctam cum contumacia, quæ secundum se, vel saltem spectatis circumstantiis omnibus sit peccatum mortale. Abb. *in cit. c. num.* 2. Pirhing *h. t. n.* 27. cum communi. Tametsi autem Abbatissæ similesque Antistites ipsæ ferre nequeant excommunicationis sententiam in moniales, Canonicas sæculares, aut etiam clericos sibi subjectos contumaciter sibi inobedientes; eo quod potestas clavium, quo spectat potestas excommunicandi non competat fœminis, *c. nova de pænit. & remiss.* possunt tamen implorare officium superioris, ut sibi inobedientes excommunicet, *c. dilecta h. t.* ubi mandat Honorius III. cuidam Abbati, ut per censuras ecclesiasticas compellat Canonicas & clericos ad obedientiam debitam Abbatissæ cuidam. Dum autem *ibidem* dicitur Abbatissam ipsam subjectos sibi ab officio & beneficio suspendisse propter inobedientiam, de qua suspensione id intelligendum, dictum est supra ad *tit. de off. Jud. ord.* videri quoque poterit Pirh. *num.* 18.

2. Respond. secundo. Insuper inobedientes Canonicis institutis incurrunt inobedientiæ notam, seu quodammodo infamiam canonicam. Argument. *cap. illud h. tit.* Hanc tamen qualemcunque infamiam, sublato per pœnitentiam peccato, ex quo provenit, tolli: cum Abbas *in cit. cap. illud in fine*, observat Pirhing *h. t. nu.* 28. & alii communiter.

QUÆSTIO DCCCCXXI.

Qualiter procedendum in controversia superioritatis & subjectionis & qualiter ea componenda.

Resp. Quo ad primum aliud fere nihil statuitur de eo *in c. inter quatuor h. t.* quam quod nihil attendendum in præjudicium rei possessoris, antequam citetur & audiatur; cum citatio sit omnium actionum instituendarum basis & fundamentum judicii, *§. fori instit. de pœna temere litigant.* Quo ad alterum vero illud unicum statuitur *in cap. fin. h. tit.* quod dum dicta controversia agitur inter Archiepiscopos & Primates, ea componi per illos non possit sine consensu aliorum Prælatorum & Capitulorum Diæceseos vel provinciæ. Siquidem in *cit. c. fin.* ad controversiam, quæ erat inter Archiepiscopos Burdegalensem & Bituricensem contendentes de primatu, componendam mandatur delegatis, ut consensum Prælatorum Burdegalensis Provinciæ, necnon Cathedralium Capitulorum consensum ex una parte, ex altera quoque parte consensum Capituli Bituricensis requirant, eoque consensu utrimque obtento, provisionem promulgarent; eo vero ab aliquibus denegato, contradicentes ad Sedem Apostolicam remitterent. Cujus consensus requirendi & obtinendi in similibus causis arduis, concernentibus totam provinciam, & non solum habentes in ea jurisdictionem ordinariam, sed & Capitulorum Cathedralium, ratio est, quod omnium eorum vel maxime interest. Abb. *in cit. c. not.* 1. Navar. *ibid. num.* 2. apud Pirhing *h. t. nu.* 25. Adeoque dominus facere non potest compositionem super jure superioritatis in præjudicium subditorum sine eorum consensu; cum eorum intersit, non habere multos dominos, aut mutare dominium. Tametsi, dum agitur de rebus concernentibus singulos, singulorum quoque consensus requiri debeat, secus tamen est, si agatur de causa concernente universitatem ecclesiarum provinciæ vel diæcesis. Sufficit enim tunc, Prælatos & Capitula convenire, & majorem eorum partem consentire; cum hi præcipui repræsentent totum clerum, & res universitatis expediantur per Rectores & Majores universitatis. Pirhing *l. cit.* citans Innocent. *in cit. c. num.* 1. & Abb. *in gl.* 2. Sed licet alias regulariter sufficiat Prælatum requirere consilium Capituli, *c. novit. & seq. de his qui fiunt a Prælat.* in rebus tamen arduis & magni præjudicii concernentis statum provinciæ vel Episcopatus necessarius est consensus præstitus a capitulo cathedrali ob eo majorem Episcopi tanquam capitis cum eo tanquam corpore connexionem, quam aliorum capitulorum collegiatarum. Argument. *cit. c. fin. & ibi* Innocent. *num.* 2. Jo. Andr. *num.* 6. Abb. *num.* 1. *not.* 3. Quamvis autem securius sit ad tractanda negotia universitatis ardua & gravis momenti, vocare capitulares, etiam absentes; cum id aliqui necessarium putent, & in quibusdam ecclesiis id receptum de consuetudine, id tamen absolute necessarium non esse, præterquam in electione, censet Pirhing. Argument. *cit. c. fin.* ubi: *in ea præsentium*, cum Glos. *v. eod.* & Abbas *not.* 2. Layman *ibidem num.* 3. Non tamen etiam citanda capitula, ut personaliter compareant singuli, sed ut procuratorem mittant nomine omnium, ne alias debito servitio destituerentur ecclesiæ. Argument. *citat. cap.* habet idem Pirhing *cit. num.* 25. *in fine*, allegans Abb. *not.* 7. De cætero etsi unus solus ex collegio impedire possit compositionem, præsertim, si prætenderet actum procedere in præjudicium collegii, cum in actibus voluntariis, qualia est hic, omnes consentire debeant; ubi tamen compositio cederet in utilitatem Collegii, eam impediri non posse per contradictionem unius, addit ex Abb. *l. c. num.* 2. *not.* 6.

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCCXXII.

An, si Ecclesia aliqua ejusve Prælatus incidat in hæresin aut schisma, amittat jurisdictionem, & subjectæ alias ei Ecclesiæ & clerici solvantur ab ejus obedientia.

1. RESp. primo. Si Ecclesia aliqua cum clero & Capitulo labatur in hæresin aut schisma, jura omnia ecclesiastica & privilegia, saltem quo ad exercitium, & post declaratoriam sententiam incursæ hæresis aut schismatis, amittit, ita ut Ecclesiæ in spiritualibus ei prius subjectæ ab ejus jurisdictione & potestate ipso facto eximantur, sumitur ex *c. inter quatuor h. tit.* De hæresi colligitur ex *c. commisso §. privandi, de heretic. in* 6. de schismate ex *c. didicimus* 31. *cauf.* 24. *quæst.* 1. D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. Layman *in cit. c. inter quatuor. num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 34. Sed neque Ecclesia una cum Prælato suo labente in hæresin, jura manent penes Ecclesiam, sicut omnibus peste sublatis, ea adhærent loco, ut Abb. *in cit. c. num.* 5. Jo. Andr. *nu.* 4. Sed prorsus amittuntur quo ad possessionem & proprietatem, ut Felin. *in cit. c. num.* 3. Imola *num.* 10. Layman & Pirhing *LL. cit.* Quod si tamen vel unus capitularium maneat ad hæresi illæsus, penes eum solum remanent dicta jura. Layman *l. c. num.* 4. Argument. *L. sicut ff. quod cujusque universit. nom.* Idemque multu magis dicendum, si capitularibus omnibus deficientibus maneat Prælatus. Layman *de jurisd. ord. concl.* 84. Pirhing *l. c.* Econtra, si solus Episcopus seu Prælatus deficeret, non ideo Ecclesia amittit sua jura, sed ea retinet. Felin *num.* 3. cum delictum personæ non debeat redundare in detrimentum Ecclesiæ, *Reg. Jur.* 76. *in* 6. & si Prælatus jura Ecclesiæ alienare & perdere nequit per pactum sine consensu capituli, multo minus per delictum.

2. Resp. secundo. Redeunte tali Ecclesia ad fidem Catholicam & unitatem Ecclesiæ, recuperabit sua jura, vel jure postliminii, si ea jura vacent. Imola *in cit. c. nu.* 10. Felin. *num.* 4. Pirhing *num.* 36. Argument. *c. quia de elect.* Vel, si ea jura possideantur ab aliis, recuperabit illa per sententiam Judicis petendo restitutionem in integrum, adeoque Ecclesiæ ante schisma ei subjectæ, & ob hæresin vel schisma ei subtractæ, redibunt ad pristinam subjectionem & obedientiam. Argument. *cit. c. inter quatuor.* Secus dicendum, si dicta jura fuissent a Papa absolute, & non tantum sub conditione dependente ab Ecclesiæ defectione translata fuissent. Abb. Imol. Felin. Pirhing *LL. citat.* cum loquendo generatim privatus in integrum restitui non debeat cum præjudicio eorum, quibus jus jam quæsitum. Bartol. *in L. gallus §. & quid si tantum ff. de lib. & posthum. num.* 11. Argum. *L.* 2. *ff. de decurionib.* quemadmodum urbs ob crimen perduellionis a Principe privata jurisdictione, quam habebat in pagos vicinos, eaque alterius jurisdictiuni jam subjecta, restituta dein in integrum, jurisdictionem illam non recuperabit, si ea a Principe jam alteri fuit in perpetuum & absolute concessa.

QUÆSTIO DCCCCXXIII.

Quid intelligatur nomine Capituli, de quo agitur h. tit. *quam habeat majoritatem, & quæ ejus potestas, Ecclesia seu sede vacante.*

1. RESp. ad primum. Appellatione Capituli hic venit tutum Collegium Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, sive Canonici soli capitulares collegialiter congregati, constituti saltem in ordine Subdiaconatus. Clem. *de ætat. & qualit.* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 37. *quæst.* 1. Pirh. *h. t. num.* 41. ita ut portionarii, vicarii, aliique beneficiati inferiores ejusdem Ecclesiæ non sint de capitulo. Abb. *in c.* 1. *de elect. num.* 11. Quamvis quandoque in aliquibus Ecclesiis sint quoque de capitulo, unaque cum Canonicis membra Corporis Episcopi, ut Garcias *de benef. p.* 3. *c.* 2. *num.* 378. Ubi quoque illud notandum, aliud esse, esse de capitulo, aliud, habere vocem in capitulo ut videre est apud eundem *num.* 377. Sed neque Canonici necdum promoti ad ordines Sacros sunt de capitulo cum jure ferendi suffragium in electionibus aliisque actibus capitularibus; ad quod ne quidem ex concessione Capituli, aut etiam dispensatione Episcopi, admitti possunt, *cit. clem. de ætat. & qualit.* tametsi habere tale suffragium non sit de substantia Canonicatus, possintque carentes jure ferendi suffragium agere omnia, quæ fiunt extra Capitulum, V. gr. Esse Turparii, & conferre beneficia. De quo vide me *in foro benef. p.* 1. *q.* 405. *num.* 4. Comprehenditur tamen sub Capitulo, qui immediate Capitulo præest. V. gr. Decanus, tanquam præcipua ejus pars. Glos. *in c. post electionem de concess. præb. ver. mentio.* Abbas *ibid. num.* 9. nun secus ac nomine familiæ comprehenditur Paterfamilias, *L. familiæ ff. de V. S.* Non tamen Episcopus comprehenditur nomine Capituli, uti nec Abbas nomine conventus. Tametsi enim Episcopus seu Prælatus & Capitulum faciant unum corpus, seu unam ecclesiam sicut caput & membra, *cap. novit. de his quæ fiunt a Prælat.* accipiuntur tamen tanquam duo diversa, quorum unum in altero non continetur. Glos. communiter recepta *in cit. clem. v. in eisdem.* Abb. *in c.* 7. *de concess. præbend. num.* 9.

2. Resp. ad secundum. Capitulum Cathedrale, cui ante hac, & attenta prima origine, omnes, etiam regulares ad instar reliqui cleri ac populi erant subjecti, a cujus proinde jurisdictione modu non nisi per accidens & privilegialiter regulares quidam eximuntur, in omnibus locis & ecclesiis intra universam Diœcesin, etiam exemptas, habet jus reverentiale & præeminentiale ratione dictæ pristinæ, & de præsente adhuc habitualis superioritatis, quin & in pluribus casibus jurisdictionem actualem, etiam sede plena. Exemptio enim illa accidentalis & privilegiata per hoc, quod talis ecclesia dicatur in proprio territorio, etsi tollat seu impediat jurisdictionalia & ipsius juris territorialis exercitium, non tamen tollit aut impedit præeminentiam seu dictum jus præeminentiale. Ita Cardin. de Luca *de regular. d.* 64. *num.* 17. *& d.* 65. *num.* 10. Unde, dum Capitulum Cathedrale solenniter & collegialiter intervenit in exequiis in ecclesia regulari vel sæculari exempta, an & qualiter jus peragendi officium & celebrandi pontificaliter competat Prælato dictæ ecclesiæ, an vero Capitulo, vide apud me *in foro benef. p.* 1. *qu.* 447. *num.* 3. De cætero qualiter Capitula tam collegiata quam Cathedralia semper præcedere debeant ecclesias inferiores, etiamsi hæ prius erectæ, dictum est supra, & videre est apud me, *l. c. q.* 448. *n.* 2.

3. Resp. ad tertium. Capitulum Cathedrale (idem a potiore est de Capitulo Collegiatæ) sede episcopali plena de jure communi, & seclusa consuetudine, & speciali privilegio Sedis Apostolicæ nullam habet jurisdictionem ecclesiasticam in causis criminalibus aut etiam civilibus in singulos Canonicos & reliquos clericos, aut etiam alios ministros Ecclesiæ suæ etiamsi subditos ratione officii, adeoque non potest in illos ferre censuram. Glos. *in c. irrefragabili de off. Judic. Ord. v. per Capitulum.* Abb. *in cap. ex parte de rescript. nu.* 2. *& in c. cum contingat. de foro comp. num.* 4. Pirhing *h. t. num.* 42. Sed neque sine authoritate & consensu Episcopi potest condere leges proprias vel statuta de iis, quæ communem ecclesiæ statum respiciunt, aut sunt de negotiis arduis. Barbos. *Jur. eccl. l.* 1. *c.* 32. *num.* 16. Pirhing *l. c.* Argument. *c. cum consuetudinis de consuet. & ibi* Abb. *num.* 4. *& c. cum accessissent de constit.* Licet sine consensu Episcopi Capitulum statuere possit de iis, quæ pertinent ad particularia negotia & ad administranda bona communia Capituli pertinent, utpote in quibus administrationem habet seorsim ab Episcopo. Abb. *l. c.* Barbos. *num* 15. Pirhing *l. c.* Quid autem in particulari possit statuere circa distributiones certo modo inter Canonicos distribuendas, vide apud me *fori benef. p.* 1. *qu.* 415.

4. Resp. quarto. Potest tamen etiam Capitulum transgressoribus statutorum suorum statutis, quæ intra terminum potestatis suæ facere potest, statuere pœnam, & per subtractionem fructuum ex corpore eos compellere ad pœnam statuto decretam & adjunctam sulvendam seu subeundam. Felin. *in c. cum omnes de const. num.* 14. Layman *ibid. num.* 1. Pirhing *num.* 43. Argum. *c. cum aliquibus de rescrip. in* 6. juncta Glos. *v. firmitate.* Siquidem id necessarium est ad executionem legis vel statuti. Argum. *l.* 1. *ff. si quis jus dicenti non obtemp.* Porro idem dicendum de Capitulis collegiatarum Episcopo subjectarum. Pirhing *l. c.* citans Abb. *in cit. c. cum consuetudinis num.* 4. Non posse tamen Capitulum, etiam Cathedrale, condere statutum hujusmodi pœnale, quod obliget vi consuetudinis, utpote qua caret Capitulum, sed solum posse adjicere pœnam per modum pacti alicujus seu conventionis, vi cujus Capitulares se obligent ad servandum statutum sub certa pœna; cum etiam privati possint inter se stipulando pœnam stipulari, *L. si pacto C. de pactis.* Modo sit pœna, quæ pacto privatorum promitti, & in conventionem deduci possit, tradunt Butrio & alii apud Fagnan. *in cit. c. cum omnes num.* 39. quos sequitur Pirh. *citat. num* 43. Quibus tamen statutis non ligari Canonicos successores, nisi ab Episcopo fuerint confirmata, ex declarat. S. Congreg.

habet

habet Fagn. *loc. cit.* apud Pirh. *loc. cit. in fine*. Possant autem illiusmodi pœnæ conventionales decerni a majore parte Capituli, utpote quæ prævalet minori in iis, quæ competunt Canonicis, non ut singulis, sed tanquam Collegio. Gl. *in c. cum omnes*, *v. constitutum*, & Abb. *num.* 6. Pirh. *loc. cit.*

QUÆSTIO DCCCCXXIV.

Quæ sit jurisdictio & potestas Capituli Sede vacante?

RESp. de hoc videri me posse in *Vicar. Episc.* ubi quæstionem hanc integro tractatu elucidavi. Videri etiam potest Pirh. *h. t. a num.* 44.

TITULUS XXXIV.

DE TREUGA ET PACE.

QUÆSTIO DCCCCXXV.

Quid & quotuplex sit Treuga?

1. RESp. ad primum. Treuga (quod nomen gallicum esse ait Vallens. *hoc tit. num.* 1. Italicum seu barbarum Zoesius *eod. num.* 3. Vel etiam deductum a germanico *Tren*) est securitas rebus ac personis præstita ad tempus, discordia necdum finita. Gloss. *in c.* 1. *hoc tit.* Host. *in sum. ibid. num.* 1. accipiendo = *discordia*, pro ut comprehendit quoque diffidia privatorum, inter quos alias bellum non est, utpote quod non nisi authoritate publica Principis superiorem non recognoscentis geritur. Quamvis autem treuga & induciæ fere confundantur, seu sint Synonyma, strictius tamen accepta in hoc differunt, quod induciæ sint seu dentur ad breve tempus, treuga ad longum. Pirh. *hoc tit. numer.* 1. Differt autem a pace, quod hæc sit securitas præstita rebus & personis discordiæ finem imponens. Gloss. margin. *in c.* 1. *hoc tit.* 1. *vers. treuga*. Felin. *ibid. num.* 6.

2. Resp. ad secundum. Treuga alia est conventionalis, alia canonica seu legalis. Gloss. *in cap.* 1. *hoc tit. vers. frangere*. Conventionalis est, quæ fit ab hominibus, & ex conventione formam & modum recipit, sicut quilibet contractus; numeraturque hæc treuga inter jura gentium, *c. jus gentium dist.* 1. Cum omnium gentium usu & consensu secundum æquitatem naturalem constitutum, ut etiam hosti fides data sit servanda, *cap. noli*, *caus.* 23. *quæst.* 1. Unde tempore treugæ seu induciarum capta non fiunt capientium, nec capti servi, neque captis opus est jure postlimini; quia captio non est facta jure belli. *L. postliminium*, *§. inducia*. *L. non dubito*, *ff. de captiv.* Treuga canonica seu legalis est, quæ per legem constituta, de qua in *cap.* 1. *&* 2. *hoc tit.* ubi Papa sub pœna excommunicationis ferendæ ab Episcopo præcipit treugas a qualibet quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortu solis ab Adventu Domini ad octavam Epiphaniæ, & a septuagesima usque ad octavam Paschæ ab omnibus observandas. Verum hunc Canonem non esse usu receptum, adeoque hodie non tenere, notant cum Gloss. *ibid. vers. frangere*. Abb. *ibid. num.* 4. Pirh. *hoc tit. num* 4. & AA. communiter. De cætero treugas illas canonicas in Concilio Lateran. ab Alexand. III. statutas non procedere de bello juste & authoritate publica gesto, sed contra bella privata, quæ olim vigebant, nec legibus probata, nec omnino improbata, probat Gonz. *ad cap.* 1. *hoc tit. num.* 9. & 18. uti & *cap.* 2. *hoc tit.* loquitur de treugis canonicis ac securitate concedenda personis ibidem enumeratis in bello privato, ait idem Gonz. *in cit. cap* 2. *num.* 9. Et quamvis alii velint, esse ibi sermonem de bello publico, juxtaque illud personas ibi enumeratas, ut sunt presbyteri (& Host. alii clerici) Monachi eorumque conversi, aliique religiosi, peregrini, mercatores, viatores, rustici in agricultura existentes, animalia quoque, quibus arant, & semina in agros portantia, gaudere plena securitate; ait tamen Engels *h. t. num.* 3. nec illud esse usu receptum, pro ut, proh dolor, experientia ostendit.

QUÆSTIO DCCCCXXVI.

An & quomodo pax inita cum hostibus frangi possit?

1. RESp. primo. Pax (idem est de treuga & induciis) inita cum hostibus, etiam hæreticis & paganis, stabiliter servanda. *Si enim jure privata fidem fallere grave sit*, *l.* 1. *ff. de constitut. pecun.* multo gravius id erit in negotio publico, quale quid est pax & induciæ, *ergo fides, quando promittitur, etiam hosti servanda est*. *Can. noli existimare*, 23. *quæst.* 1. Pacta siquidem, etiam cum hoste inita, non solum jure gentium, sed & jure naturæ obligant, nihilque magis inconveniens Societati humanæ quam ea violare, *l.* 1. *ff. de pactis*, & *ibi* Baldus asserens, Principi aliisque supremis Magistratibus leges, non etiam pacta & conventiones subjectas.

2. Resp. secundo. Non minus treuga seu induciis quam pace violata ab una parte alteri quoque parti permissum est, fidem datam non servare. Cum pacis & induciarum conventioni utræque exinde obligationi tacite insit hæc conditio: si pacta conventa ab altera parte inviolata custodiantur. Argum. *cap. pervenit*, *de jurejur.* *L. qui fidem ff. de transact.* Procedit hoc ipsum, ita ut rupta ab una parte pace, statim bellum & arma reassumi possint, & hostis invadi ab altera parte, ubi induciæ vel pax violata facto publico, non vero, ubi ea violata facto privato, nisi forte ratihabitio publica accesserit, aut delinquentium deditio vel punitio, & pro damno illato debita & petita satisfactio denegetur. Gonz. *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 16. Cum, sicut induciæ & pax non nisi authoritate publica hinc inde statuuntur, ita etiam non nisi facto publica authoritate peracto rescindantur.

QUÆSTIO DCCCCXXVII.

An Princeps possit subditos diffidentes compellere ad pacem ineundam?

1. RESp. Si sint diffidia publica seu bella inter civitates vel populos, potest Princeps non solum ad inducias, sed etiam ad pacem faciendam cogere subditos suos. Auth. *de mandat. Princip.* *§. dein.* juncta Gloss. *vers. pacem*, *L. congruit*, *ff. de off. præsid* & *ibi* Bartol. *num.* 4. De cætero, dum privati inter se judicio contendunt, etsi Judex partes monere possit, ut componant inter se, non tamen ad hoc compellere, cum non possit alicui jus suum interdicere. Pirh. *hoc tit. num.* 108. citatis Abb. & Felino; nisi forte esset supremus Princeps, habens liberam dispositionem circa res, super quibus litigatur. Sic enim v. gr. Papa in beneficialibus cogere potest partes ad componendum. Vel nisi causa esset valde intricata, quæ diu durasset, & duratura videtur sine spe brevi finiendam controversiam AA. iidem. Vel denique, nisi ex discordia privatorum timeatur bellum, vel alia Reip. turbatio. Argum. *cit. L. congruit*.

tantum jure naturali, sed etiam civili, si paciscentes sint milites, ita ut, nisi revocentur (intellige, consensu mutuo) valida perseverent ad mortem usque, & instar ultimarum voluntatum sint mandanda executioni, juxta *L. licet C. h. tit.* & *ibi* Barbos. *num.* 7. Wiestner. *loc. cit.*

2. Resp. secundo. Valet nihilominus juramentum tali contractui adjectum, & sine perjurio tali pacto (quod alias ex justitia vim nullam obligandi habet juxta dicta *quæst. præced. resp.* 1. utpote nihil contrarium statuens huic dispositioni Juris Civilis rationabili) contraveniri nequeat. Decius *in L. pactum. Cod. h. t. num.* 3. Clarus §. *testamentum, quæst.* 94. *num.* 4. Molin. *loc. cit. d.* 131. *num.* 12. Suar. *de juram. l.* 2. *c.* 23. Guttier. *de juram. p.* 2. *c.* 59. *num.* 5. Pirh. *loc. cit.* Wiestner. *num.* 50. Eo quod hoc juramentum sit de re secundum se licita, nec adversetur bonis moribus ex eo, quod vel sic restringatur libertas testandi; cum adimpletio istius proveniat ex voluntate libera propria & non repugnet honestati naturali, ut patet in profitente religionem adimente sibi ipsi hanc libertatem testandi. Neque ex eo, quod juramentum necessitans ad observationem pacti hoc ipso inducat votum captandæ mortis alienæ; cum id non habeat ex natura sua, sed mere per accidens ob vitium & perversitatem paciscentium quorundam cupiditate habendi obcæcatorum: sitque hæc occasio, quæ per hoc præbetur voto captandæ mortis non propinqua, sed remota; tametsi ea occasio, etiam remota, & dicta cupiditas habendi non nisi aliquorum sufficiens esse potuit ratio legum civilium irritandi (intellige quo ad effectum pariendi actionem seu etiam obligationem justitiæ, etiamsi jurata sint) hujusmodi pacta, tanquam propterea adversantia bonis moribus civilibus, non vero naturalibus, cum de se non sint contra jus naturæ, & turpitudinem contineant, ob quam turpitudinem intrinsecam, & vim intrinsecam incitandi ad peccatum, quam impletio rei juratæ in se habet, juramenta desuper facta sint invalida, ut Suar. *cit. c.* 22. *num.* 1. Sanch. *de mat. l.* 1. *d.* 32. *num.* 1. Uti hæc ipsa confirmantur quasi a posteriore, nimirum, quod si istiusmodi turpitudinem naturalem, adeoque facta desuper juramenta essent invalida, invalidæ quoque forent donationes causa mortis; quin & pacta de mutua successione inter milites forent invalida contra *cit. L. licet*; cum in his quoque dictæ causæ locum habeant. Neque etiam ulla unquam consuetudine induci posset, ut istiusmodi pactationes invalidæ censeantur (consuetudo enim juri & rationi naturali adversans semper tanquam corruptela reprobatur, *c. fin. de consuetud.*) cujus contrarium patet in Germania nostra, ubi passim videmus hodiedum a filiabus, præsertim nobilibus, accepta dote, renunciari hæreditati paternæ & de futura conjugum successione disponi. Quin & usu introducta, & authoritate Cæsarea plerumque firmata pacta gentilitia inter familias principes & nobiles de mutua inter se successione pro ut testantur Gail. *l.* 2. *observ.* 126. *num.* 3. & 127. *per tot.* Pirh. *cit. n.* 34. Ubi etiam, quod exinde istiusmodi pacta inter personas illustres non sint irrita, quod in iis cesset omnis sinistra præsumptio & suspicio captandæ alterius mortis. Porro quod occasione hujus hic quoque tractari solet ab aliquibus de pactionibus inter personas ecclesiasticas de succedendo in beneficiis & dignitatibus graviter prohibitis a SS. Canonibus, non tantum ob votum, quod continent, captandæ mortis, sed etiam ob turpitudinem simoniacam, de hoc vide me in *foro benef.* in locis pluribus.

CAPUT SECUNDUM.

De Contractu.

QUÆSTIO DCCCCLII.

Quid sit contractus?

RESp. Contractus proprie & stricte talis, prout nimirum est species sub pacto tanquam genere contenta minus bene definiri videtur, quod sit ultro citroque obligatio; cum obligationis nomine potius veniat vinculum illud juris seu effectus moralis ex contractu resultans (in ordine ad quem definiri deberet contractus) quam causa ipsa efficiens hoc vinculum, in qua statui deberet ratio formalis contractus. Melius igitur diceretur, quod contractus sit pactum seu conventio duorum pariens in utroque reciprocam obligationem (puta, justitiæ commutativæ, alias enim etiam ex aliis virtutibus oriri potest mutua obligatio. V. gr. parentum erga filios, subditorum erga superiorem, mariti erga uxorem & contra) ad præstandum aliquid; nisi vel sic excluderetur aliqua ex præcipuis speciebus contractus, nempe donatio, quæ solum donatorem obligat ad extradendum, & donatario nullum imponit onus seu obligationem; nisi dicere malis, donationem & similes contractus lucrativos non esse stricte contractus, cujus tamen contrarium fuse probat Onnate, *de contractibus d.* 24. *num.* 13. ex eo, quod pariat obligationem Justitiæ commutativæ. Item contractus mutui, ex quo in solo mutuatario oritur obligatio, scilicet restituendi, quod mutuo datum est. Quod tamen minus apte dicitur de mutuo utpote ex quo oritur vicissim obligatio in mutuante non repetendi ante certum tempus. Alii cum Wading. *de contract. disp.* 1. *dub.* & §. 1. *nu.* 4. & Haun. *Tom.* 3. *de J.* & *J. tract.* 8. *num.* 12. Sic malunt definire contractum; quod sit conventio ultro citroque habita pariens actionem civilem in utraque parte, vel saltem in alterutra paciscentium. Verum vel sic non definitur contractus stricte acceptus, pro ut est species pacti, quo, ut dictum, *quæst.* 1. *h. t.* comprehenduntur solum illæ conventiones, quæ ultro citroque obligant, sed pro ut cum pacto accepto in genere fere confunditur, nisi quod de pacto in genere dici nequeat, quod pariat actionem civilem & obligationem. De cætero satis distinguitur ab aliquibus quasi contractibus v. g. negotiorum gestione, per hoc, quod licet hi pariant actionem & obligationem civilem, ea tamen non oriatur ex conventione ultro citroque habita, seu ex consensu duorum, quam ex dispositione legis, vel natura rei; uti idem est de obligatione & actione ex delicto vel quasi §. 1. *Institut. de obligat. ex quasi contract.* & *pr. Institut. de obligat. ex delicto.*

QUÆSTIO DCCCCLIII.

Qualiter dividatur contractus?

1. REspond. In lata sua significatione acceptus dividitur multipliciter. Nam primo alius est verus, nimirum dum obligatio oritur ex vero seu expresso utriusque contrahentis consensu, quem alii etiam explicitum & formalem contractum vocant. Alius est quasi contractus, quem etiam implicitum, virtualem & interpretativum vocant; dum nimirum unus alteri obligatur ex legis dispositione, etsi nulla inter partes intercesserit expressa conventio, sed solum interpretativa. Sic v. g. tutor hoc ipso, quod tutelam suscipiat, censetur se obligare, vel etiam ex legis dispositione obligatur ad ejus administrationem juxta leges & consuetudinem. Idem est de suscipientibus aliud quodcunque officium. Quamvis alii quasi contractum aliter explicent; quod nimirum sit conventio facta voluntate alterius, qui supplet voluntatem illius, qui postea obligatur, sive cui per hoc paritur obligatio. V. g. dum tutor contrahit pro pupillo, procurator pro suo principali.

2. Secundo, spectata origine, quo contractus introducti, alii dicuntur juris gentium, ut permutatio, emptio, venditio, locatio, conductio, societas, depositum, mutuum, & fere omnes alii, §. *sed jus Institut. de Jure nat. gent.* & *civil.* & *L. ex hoc jure, ff. de J.* & *J.* exceptis paucis. V. g. stipulatione, donatione propter nuptias, emphyteusi. Qui dicuntur esse juris civilis, quia ortum suum habent ex Jure civili.

3. Tertio alii sunt onerosi, dum nimirum ex conventione utrique parti contrahentium imponitur onus aliquod faciendi vel dandi aliquid. Vel etiam, ut alii, ex quibus oritur obligatio aliquid rependendi pro eo, quod datur vel præstatur, ut fit in venditione, locatione, permutatione &c. Alii lucrativi seu gratuiti, in quibus alter solummodo gravatur cum alterius commodo, ut fit in donatione, precario &c.

4. Quarto alii sunt bonæ fidei, non sic dicti, quasi contractus aliqui mala fide celebrari possint, sed ex eo, quod in iis, si oriatur dubium, magis locus sit arbitrio boni viri, nempe Judicis, ut is ponderatis circumstantiis, non tam secundum rigorem verborum & justitiæ, quam spectando æquitatem ex

æquo

æquo & bono secundum præsumptam contrahentium voluntatem pro uno contra alium pronunciare valeat. Unde & hi contractus bonæ fidei dicuntur esse latæ interpretationis. Quales sunt emptio, venditio, locatio, conductio, permutatio, census, cambium, depositum &c. Et alii, de quibus §. *actionem. Institut. de actionib.* quo etiam referuntur contractus a Principe initi, ut Gl. *in L. Princeps de V. S.* Quin &, ut ait Wiestner. *h. t. num.* 65. Verisimilius contractus innominati. Alii stricti juris, in quibus contrahentes astringuntur rigorose ad tenorem conventionis, sive ad id, quod expressum est, & natura contractus requirit. Argum. §. *in bonæ Inst. de action.* Molin. *d.* 259. *num.* 2. qui etiam *n.* 6. ait, id circa hos contractus accidere diversitatis, quod ubi dolus dat causam contractui, si is est bonæ fidei, sit irritus ipso jure; si stricti juris, subsistat, licet rescindi possit. Porro distinctionem inter contractus bonæ fidei & stricti juris procedere quoque de Jure Canonico, tradunt Covar. *in c. possessor p.* 2. §. 6. *n.* 5. Jason. *in L. etsi post tres ff. si quis cautionib. n.*28. Engels *h. t. n.* 20. Reifenst. *num.* 134.

5. Quinto alii dicuntur nudi, qui consistunt in sola conventione seu consensu quomodocunque manifestato & acceptato perficiuntur; ut emptio, venditio, conductio, societas, fidejussio, census, promissio &c. *pr. Instit. de oblig.* eo quod ad substantiam illorum determinate non requirantur verba, neque scriptura, neque rei traditio, neque præsentia contrahentium, §. 1. & §. *unde inter. Inst. de obligat.* Alii dicuntur vestiti, qui præter conventionem ad sui perfectionem & confirmationem requirunt quid aliud. V. g. verba, nimirum unius contrahentium interrogationem, & alterius congruam responsionem, qualis est stipulatio. *L. stipulationes* §. 5. *de V. O.* Quæ etsi olim exigeret certam verborum formam, jure tamen novo perficitur quibuslibet verbis utriusque consensum sufficienter exprimentibus, §. 1. *Institut. de V. O. L. omnes Cod. de contrab. stipul.* Vel rem ipsam, sine cujus traditione non intelliguntur perfecti, neque firmitatem habent, aut obligationem civilem producunt. Tales sunt mutuum, commodatum, precarium, depositum, pignus, permutatio, qui, ut patet, ipso nomine important traditionem seu præstationem rei. Vel literas seu scripturam, qua perficiuntur, ut donatio summæ exigentis insinuationem apud Judicem. Emphyteusis in rebus ecclesiæ uti & donatio, venditio, permutatio earundem, *c.* 5. & *c. tua, de his quæ fiunt a præl.* quin & in quibusdam locis rerum aliarum alienatio, & universim, dum contrahentes suum consensum suspendunt, quousque super contractu confectum sit instrumentum, ut Wiestner. *num.* 63. *in fine*, citatis Molin. *d.* 254. *a num.* 5. Haun. Pirh. De aliis modis, quibus vestiri possunt contractus, vide dicta supra, ubi de pacto vestito, ubi etiam, qualiter differant hi contractus inter se, spectando eorum effectum, nimirum quod vestiti pariant actionem in foro externo; nudi plerumque non nisi exceptionem.

6. Sexto alii sunt nominati, alii innominati. Nominati dicuntur, qui proprium & speciale in jure nomen habent. *L. juris gentium ff. h. t.* ut sunt emptio venditio, locatio, feudum, emphyteusis, stipulatio, acceptilatio, *cit. L. jurisgentium* & *l.* 1. *ff. h. t.* Innominati, qui proprium & speciale nomen in jure non habent, sed veniunt nomine generali conventionis, vel etiam permutationis; intellige, non illius, quæ specifice accepta ab innominatis contractibus distinguitur, sed communis; cum in omnibus contractibus, saltem onerosis, inveniatur quædam permutatio unius juris vel rei cum alia. Qui contractus innominati sua tamen etiam quasi nomina habent, dum ad quatuor genera reducuntur. *L. naturalis ff. de præscriptis verb.* Dicunturque contractus: *do ut des*: dum eorum, quæ dantur, neutrum habet rationem pretii v. g. do frumentum, ut des vinum, *do ut facias*: v. g. do frumentum ut agrum colas: colo agrum, ut des panem, *facio ut facias*: v. g. colo agrum tuum ut vehas mihi ligna. Sic quoque e contra sunt quidam contractus innominati quasi negativi, v. g. *do ut non facias*, do munus, ut non exigas debitum. Reducuntur quoque ad contractus innominatos ab aliquibus contractus, quibus fortuna miscetur, ut ludus, sors, sponsio, uti & ab aliis contractus Cambii & census, de quo vide Molin. *tract.* 2. *de J. & J. disp.* 253. *a num.* 1. Porro plures inter contractus nominatos & innominatos assignantur differentiæ; nimirum quod nominati, quamvis aliter non vestiti (de cætero enim satis vestiti solo suo nomine specifico, quod est nobile vestimentum, ut Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 117.) causent actionem in foro externo. Jason. *in L. jurisgentium, ff. hoc tit.* Secundum dicta supra de pacto in genere; innominati autem præter obligationem naturalem causent solum exceptionem, exceptis forte promissione dotis, & promissione solvendi debitum alienum, licet forte sint contractus innominati, ut ex jure probat Onnate *de contractib. disp.* 2. *a n.* 549. apud La Croix *l.* 3. *part.* 2. *num.* 586. Quod nominati sint plerumque bonæ fidei adeoque latæ interpretationis, innominati stricti juris. Quod nominati non admittant pænitentiam, adeoque parte una implente, quod suum erat, pars altera, intentata ei actione in foro externo cogi possit, ut suum quoque præstet. Secus est de innominatis, saltem jure civili, *l.* 36. *ff. hoc tit.* Quod quia per Jus canonicum libertas illa resiliendi, etiam quo ad hos contractus sublata sit (ut volunt Molin. de Lugo. Dicastil. Onnate aliique apud La Croix *loc. cit. num.* 602. contra Rebellum) eo quod sit contrarium obligationi naturæ, quam pariunt isti contractus non minus quam nominati, intelligendum volunt de Jure civili permissivo, quatenus lex non concedit actionem, nec cogit impleri contractum, licet positive non approbet, aut illam fractionem fidei reddat licitam. Verum, cum hac ratione hæc dispositio Juris civilis non sit irrationabilis (qualis foret, si illam non servationem pacti positive approbaret) non video, cur, si nihil in contrarium a Jure canonico expresse dispositum, non idem secundum illud dici posset; nimirum, quod neque Jure Canonico pariatur actio, & vi illius cogi quis possit ad standum tali contractui, præsertim, ubi is non evasit vestitus per præstationem rei factam ab una parte; cum Jura Canonica in iis, quæ æquitati non repugnant, non dedignentur conformari legibus; atque ita ait Engels, *h. t. num.* 13. Cum nonnullis aliis, valde probabiliter defendi posse etiam juxta Jus Canonicum esse locum pœnitentiæ in contractibus innominatis ante eorum impletionem ea altera parte factam. Quidquid sit de eo, quod ex Glingenberg. *l.* 3. *instit. tit.* 14. *qu.* 18. notat Reiffenstuel. *h. t. num.* 125. Quod etiam in foro Civili secundum hodiernam consuetudinem in contractibus innominatis locum non habeat pœnitentia, sed ex omni conventione seria ac deliberata, etiam pacto nudo, detur actio, uti & hoc ipsum observari in Regno Castellæ referat Molin. *Tom.* 2. *de J. & J. disp.* 258. *num.* 8. Ac denique quod nominati pariant actionem nominatam, v. g. actionem ex empto, locati, conducti; innominati vero, ubi quandoque eis competit actio, ea generali nomine dicatur actio præscriptis verbis.

7. Denique alii sunt & dicuntur puri & absoluti, alii non puri, sed modificati, qui fiunt sub modo vel conditione. Hæc autem est distinctio inter modum & conditionem; quod per modum intelligatur limitatio aliqua, quæ adjecta contractum non suspendit, sed tantum addit aliquid oneris vel favoris unius contrahentium. Per conditionem autem stricte talem circumstantia aliqua qua contractus suspenditur usque ad conditionis impletionem seu existentiam ejusdemque existentiæ notitiam. Siquidem, licet conditio existat a parte rei, non est tamen obligatio standi contractui (vel melius loquendo, etsi reipsa sit etiam obligatio, quia, ut dicetur paulo post, hoc ipso, quod existit conditio, contractus conditionalis transit in absolutum non tamen urget) priusquam de existentia conditionis constet. Conditiones autem aliæ sunt suspensivæ, quas ita intendunt contrahentes, ut nisi illæ existant, nullatenus velint existere contractum; vel etiam, etsi relinquant contractum conditionatum suspendi, tamen interim non velint executionem & obligationem absolutam. V. g. obligo me ad ducendum te, si pater meus per annum supervivat. Aliæ resolutivæ, quas ita intendunt contrahentes, ut velint, contractum, ex nunc valere, ita tamen velint servari dictas conditiones, ut, si non serventur, velint contractum resolvi & fieri nullum; ac ita dicuntur conditiones post contractum. Porro contractus modales seu sub modo alius est in diem; ut vendo equum, sed tradendum prius post annum. Alius causalis; ut vendo equum, quia egeo pecunia. Alius item demonstrativus; ut vendo tibi equum meum album. Alius item disjunctivus; ut, dono equum vel bovem. Alius conjunctivus; ut, vendo equum & ephippium. Alius item pœnalis; ut faciam hoc tibi, vel dabo 100. aureos pauperibus.

QUÆSTIO DCCCCLIV.

Quænam dicantur substantialia, naturalia, accidentalia, solennia contractuum.

RESP. Substantialia dicuntur, quæ ad formam essentialem illius spectant, ita ut sine illis contractus esse non possit, quæque non dependent ex voluntate contrahentium, adeoque per eam immutari nequeunt. Tale quid in omni contractu est consensus deliberatus. Naturalia dicuntur, quæ contractui tacite insunt, etsi expressa non sint, possunt tamen

blicam seu Reipubl. & fœdera dicuntur *l. conventionum ff. de pactis*. Item alia sunt expressa, quæ constant consensu, verbis, literis aut aliis signis expresso; alia tacita, quæ præsumpta solum voluntate paciscentium facta censentur; quemadmodum creditor reddendo debitori chirographum, censetur tacite pacisci de non petendo *l. 2. ff. de pactis* & Gl. *ibid. v. vel re* huic non obstante, quod redditio pignoris non sit tacita pactio de non petendo debito. *L. post pignus ff. eodem* cum disparitas sit in hoc, quod cum redditio chirographi nullam aliam præter remissionem debiti videatur afferre debitori utilitatem, hanc censeatur afferere, ne alias nihil agat, insuper contineat ipsam obligationem solvendi, adeoque eo reddito, censeatur tacite remissa obligatio; redditio vero pignoris plerumque aliam affert debitori utilitatem, & in pignore contineatur jus pignoris, non obligatio solvendi Reiffenstuel. *hoc tit. num. 13.* Rursus pacta alia sunt in rem seu realia, dum generaliter quis paciscitur. V. gr. de non petendo, complectendo omnes, ad quos res pertinet aut pertinebit, ita ut eam neque a te, neque ab hæredibus tuis petam, sed omnino remittam; alia in personam seu personalia, quibus paciscor, non universaliter, sed pro una alterave persona. V. gr. ut solutionem pecuniæ non petam a te; quo pacto non obstante, possum eam adhuc petere a tuis hæredibus *l. juris gentium §. pactorum ff. hoc tit.* num autem pactum sit reale, an personale, pendet ex mente & intentione paciscentium, quæ colligenda ex verbis aliisque circumstantiis; in dubio autem præsumitur reale, idque etiamsi persona pacto inseratur; cum in dubio id solum fiat, ut demonstretur, cum quo pactum fiat juxta *l. juris gentium & ibi* AA. cum Bartol. Item alia sunt obligatoria seu promissoria, quibus paciscentes ad aliquid faciendum obligantur. Alia liberatoria, quibus inducitur liberatio ab obligatione aliquid faciendi. V. g. remittitur actio ex jure competens. Pirh. *hoc tit. nu. 6.* Alia iterum sunt judicialia, alia extrajudicialia. Pirh. *loc. cit.* Alias sunt jurisgentium, quæ sola æquitate naturali conventionis nituntur; alia legitima, quæ non tantum naturali ratione nituntur, sed insuper civili aliqua ratione confirmantur *l. conventionum ff. hoc tit.* Denique divisione celeberrima pactum dividitur in nudum & vestitum seu potius legitimum. Abb. *in cap. 1. hoc tit. num. 4. & ibidem* AA. communiter. Pactum nudum seu simplex dicitur, quod in sola paciscentium conventione nixa tantum naturali æquitate consistit; seu quod, ut Bartol. *in cit. l. jurisgentium*, ut stat in nudis finibus conventionis, absque eo, quod speciale nomen aut causam habeat, aut aliquo extrinseco vestiatur seu confirmetur v. gr. lege, stipulatione, solenni scriptura &c. adeoque nullam obligationem pro foro externo seu actionem civilem parit, sed solam exceptionem *l. jurisgentium §. sed cum nullam ff. hoc tit. L. legem C. eodem* ac ita fere cum pacto jurisgentium coincidit. Pactum vestitum seu legitimum dicitur, quod præter conventionem partium aliquod aliud juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo competat juxta citatas leges & expressum textum *l. legitima conventio ff. hoc tit.* ubi: *Legitima conventio est, quæ lege aliqua confirmatur, & ideo interdum ex pacto actio nascitur vel tollitur, quoties lege vel senatusconsulto adjuvatur.*

QUÆSTIO DCCCCXXXVII.

Quibus in specie modis pactum vestiatur, & evadat legitimum?

1. RESpond. Variis, quos enumerat Gloss. *in citat. cap. jurisgentium §. sed cum nulla v. quis imo* Bartol. *ibidem* Molin. *de Justit. tract. 2. disp. 255.* & alii communiter, præcipui sunt sequentes. Primo vestitur pactum specifico nomine certi contractus, seu dum transiit in contractum specificum seu nominatum. V. gr. emptio, venditio, locatio &c. cum omnes contractus nominati hoc ipso sint vestiti & pariant actionem, dum sunt in genere suo perfecti *l. jurisgentium*.

2. Secundo per cohærentiam cum contractu nominato vel alio pacto vestito; dum nimirum in continente, & non ex intervallo contractui nominato alterive pacto vestito adjicitur pactum simplex. V. gr. vendo tibi meam domum, ut liceat eam inhabitare. Pacta enim talia simplicia in continenti apposita censentur inesse contractui; perinde autem est, sive pactum nudum præcedat, sive subsequatur pactum vestitum.

3. Tertio per interventum rei, nimirum dum ex parte unius facta est traditio rei, seu adimpleta promissio, ut contingere solet in contractibus innominatis v. gr. do ut des: tunc enim, non ex sola conventione, sed ex reipsa quoque tradita vel præstita consurgit obligatio, adeoque ei, qui ex parte sua jam implevit promissionem, competit actio, petereque potest, ut alter quoque impleat contractum, vel ut sibi restituat, quod accepit, vel quantum sua interest, prout actor maluerit, & ita resilire a contractu *l. naturalis §. & siquidem ff. de præscriptis verbis l. 1. L. dedi L. si pecuniam ff. de condict. causa dati causa non secut.* Modo tamen alter sit in culpabili mora, vel habeat animum deliberatum non implendi contractum. Secus enim esset, si revocationi non esset locus, si alter paratus implere contractum debito tempore. Molin. *de Just. tr. 2. disp. 258. num. 7.* Laym. *l. 3. tract. 4. cap. 2. num. 2.* Pirh. *hoc tit. num. 4.* dicens, id solum procedere spectato Jure Canonico & in conscientiæ foro. Porro actio, qua is, qui pactum implevit, repetit rem suam datam ob causam, causa non secuta vocatur *condictio dati ob causam causa non secuta*; actio vero, qua compellitur contrahens, ut præstet seu faciat id, de quo conventum, vel quanti alterius interest factum non esse, dicitur actio in *factum* seu *præscriptis verbis*.

4. Quarto vestiebatur olim per stipulationem *l. ex placito C. de rerum permut.* quæ olim, forma introducta a jure civili perficiebatur mutua interrogatione & responsione. V. g. promittis mihi dare equum pro bove? promitto: quamvis tamen cautum, ut valeat stipulatio concepta sub quacunque verborum forma *l. omnes C. de contrab. stipulat.* & *§. in hac re Instiut. de V. O.*

5. Quinto hodiedum plerumque & communius vestiuntur & confirmantur pacta per publicum instrumentum Notarii vel etiam simplicem scripturam manu paciscentis subscriptam aut obsignatam. Laym. Pirh. *LL. citat.* Molin. *disp. 255. num. 4.* Argument. *§. unic. institut. de literar. obligat.*

6. Sexto per adjectum juramentum pacta vestiri & confirmari, ita ut etiam in jure civili pariant actionem, tenent Covar. *in cap. quamvis part. 2. §. 4. num. ult.* Molin. *disp. 256. num. 4.* Less. *de Justit. l. 2. cap. 17. num. 25.* Laym. *l. 3. tract. 4. cap. 2. num. 2.* Engels *hoc tit. num. 8.* Reiffenstuel. *num. 25.* quorum sententiam probabiliorem dicit Pirh. *hoc tit. nu. 5.* eo quod, si ex contractu jure solum humano irrito (qualis v. gr. est alienatio facta a minore sine debita solennitate) detur jure civili actio (ut constat ex *Authent. sacramenta puberum C. si adversus venditionem*) dum juramento confirmatur, multo magis ex pacto nudo valido detur actio civilis, cum hoc ex se pariat obligationem naturalem in foro conscientiæ, non item contractus ipso jure irritus. Contrarium tamen cum Bartol. *in l. jurisgentium §. quinimo ff. hoc tit.* tenent alii, quibus inhærent Wiestner. *hoc tit. num. 10.* & Crimer. *ad l. 1. decretal. num. 2567. & 2568.* docentes, neque contractibus jure humano irritis, neque pactis nudis validis vi adjecti illis juramenti competere actionem; cum juramentum vim illam non habeat, neque ex natura sua, utpote cui relictum religionis solum & non Justitiæ obligationem parit, neque ex legis dispositione; cum lex nulla existat, quæ illam vim juramento tribuat; per hoc autem, sive ex dispositione illa legis, qua jura volunt talia pacta jure solum humano irrita firma manere & servari, per hoc inquam non firmatur in illis vis obligandi ex justitia, utpote quam nullam habent, neque vis ulla obligandi ex Justitia iis afferitur seu acquiritur; sed solum firmantur firmitate juramenti & religionis, in cujus reverentiam volunt leges tales contractus servari, uti hæc constare videntur ex *cap. si vero & cap. cum contingat de jurejurand.* dum in iis nulla alia exprimitur causa, cur velint Pontifices servari tales contractus irritos, quam reverentia juramenti. Sed neque jura tantum assistunt obligationi Justitiæ naturali, seu illam firmant, sed & obligationi juramenti, concedendo scilicet actionem petenti, quod juratum intuitu virtutis religionis. Ex quo juris beneficio, ut bene Crimer. *loc. citat. num. 2570.* male infertur obligatio justitiæ, aut etiam confirmari directe pactum jure nullum, bene tamen confirmari quasi indirecte, quatenus volunt jura servari id, quod juratum; in quantum etiam dici potest, non rescindibile tale pactum, non quod validum redditum sit tale pactum per juramentum, sed quod præstari debeat, quod iuratum. Unde iam dum alii negant pari per adiectionem iuramenti tali contractui irrito actionem, intelligendum id de actione petendi tanquam debitum ex iustitia; non vero etiam de actione petendi, quod iuratum est, seu quod alter debet ex obligatione iuramenti. Idem est, dum pacto nudo valido adjicitur iuramentum, nimirum quod nulla per hoc pariatur illi actio alia quam petendi, quod iuratum est, tametsi violato seu non servato tali pacto peccetur contra religionem, & simul contra iustitiam; quia tale pactum secundum se validum, secun-

dum se continet obligationem Justitiæ, secus ac accidit in pacto invalido, cui adjectum juramentum, quo pacto violatu, peccatur tantum contra religionem. De cætero, num ex eo, quod juramentum pacto sive valido sive invalido nullum tribuat vim obligandi ex justitia, dici debet pactum vestitum quidem, veluti adveniente sibi ab extrinseco vi illa obligandi ex religione, non vero confirmatum, ut vult Crimer. *num.* 2567. dictam faciendo distinctionem inter juramento vestiri & juramento firmari, ac citans pro hac distinctione Pirh. *ad titul. de jurejurand. num.* 131. id loquam non nihil quæstionis de nomine habere videtur. Cur enim ex eo, quod jura velint id, quod pactatum est, & alias ex dispositione juris humani necesse non erat præstare, accedente juramento firmetur, servandum seu præstandum, dici non posset pactum confirmatum, intellige quasi extrinsece.

7. Septimo pactum vestitur seu confirmatur auxilio seu assistentia legis, ita ut ex juris privilegio oriatur seu competat tali pacto actio civilis. Gloss. *in l. jurisgentium ff. h. t. v. igitur* sic ex simplice donatione, postquam acceptata, ante traditionem rei donatæ jure novo Codicis oritur actio civilis ad rei donatæ traditionem *l. si quis §. sed si quidem C. de donat.* Item ea simplice promissione dotis acceptata *L. unic. C. de rei uxor. act. l. ad exactionem Cod. de dotis promiss.* Item ex promissione nuda, qua aliquis constituit seu promittit, se soluturum debitum alienum, vel qua promittat solvere debitum proprium alio die vel loco, quam quo debebat, oritur obligatio & actio civilis, quæ dicitur *de constituto l.* 1. *&* 2. *ff. de constitut. pecun. §. de constituta Instit. de actionib.* Quamvis Molin. *distinct.* 255. *num.* 12. cum Bartol. putet in his & similibus dicendum non esse pactum vestitum ex juris privilegio, sed potius parere actionem, licet sit pactum nudum, quam esse quæstionem de nomine, bene dicit Pirh. *h. t. num.* 5. Quia, ut colligitur ex jam dictis vestiri pactum aliud non sit, quam tribui pacto vim pariendi actionem, quam de se non habebat.

8. Octavo denique pactum vestitur & confirmatur, ita ut actionem pariat, etiam de jure civili, ex eo, quod fiat in judicio, tunc enim proficit ad agendum. Pirh. *h. t. n.* 5. *in fine* juxta *l.* 4. *§. fin. ff. de fidejuss.* & quod in judiciis quasi contrahatur, habetur *l.* 3. *§. idem scribit. ff. de pecul.* quæ autem in judiciis fiunt, omnium contractuum solennitatem exsuperant *l.* 2. *l. omnes C. de testam.* Pirh. *l. c.* citans Wesenbec. *in paratit. ff. h. t. §. quæ autem.*

QUÆSTIO DCCCCXXXVIII.

An & quæ pacta confirmari possint per supervenientem ex post consensum & ratihabitionem superioris?

1. RESp. primo. Posse pacta dicto modo confirmari, constat ex *cap. quoties hoc tit.* ubi, quod, si conventiones aliquæ fiant. V. gr. in Ecclesiis, ne in dubium vocari possint ac debeant, postea pro securitate partium solidari, id est, per ratificationem confirmari cum causæ cognitione.

2. Resp. secundo. Pactum secundum substantiam omnino nullum, etiam spectato jure naturæ, per subsequentem superioris consensum non confirmatur seu ratificatur; non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit. *Regul. Jur.* 18. *in* 6. Sic etiam, si consensus superioris vel alterius requiritur ab initio ad substantiam actus per modum authoritatis & licentiæ veluti formæ informantis consensum inferioris, & integrandam quasi eandem cum eo personam, actus non confirmatur per dictum consensum ex post supervenientem, ut patet in tutore, qui si authoritatem seu consensum præstet post contractum a pupillo initum, is non confirmatur juxta *l. obligari §. tutor. ff. de author. tutor.* E contra pactum aliquo modo validum, saltem spectato jure naturæ, licet secundum jus positivum sit irritum, per consensum superioris vel alterius (dum nimirum is per modum simplicis consensus & tanquam solennitas, quæ etiam ex intervallo superveniens, a jure perinde habetur, ac si a principio in ipsa pactione intervenisset, requiritur) postea præstitum confirmatur. Pirh. *hoc tit. num.* 12. juxta *cap. quoties hoc tit.* ubi quod conventiones superioris consensum exigentes, ejus ratificatione superveniente solidentur & *ibidem* Laym. & Barbos. *num.* 1. *&* 2. Sic V. gr. alienatio rerum Ecclesiæ facta a Prælato sine consensu capituli ratificatur per consensum capituli postea adhibitum. Hostiens. *in sum. in cap. cum nos de his quæ fiunt a Prælat. v. ratum.* Abb. *ibidem num.* 3. Redoan. *de reb. eccles. non alienand. rub.* 30. *cas.* 6. *num.* 10. Sarmient. *de reb. eccles. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. juxta *idem c. cap. cum nos.* Ubi capitulo non consentiente, imo reclamante ab Episcopo facta concessio Ecclesiæ, concessio non tenere dicitur; nisi eam postmodum ex intervallo capitulum ratam habuisset. Idem est de alienatione facta a Rectore inferioris Ecclesiæ, quæ confirmatur, dum ex post consentit Episcopus. Argument. *cap.* 2. *hoc tit.* estque ratio, quia ejusmodi subsequens ratihabitio vim habet mandati, & retrotrahitur ad tempus præcedentis contractus Ecclesiæ utilis *cap. ratihabitionem de Regul. Jur. in* 6. Hostiens. *loc. cit.* Barbos. *in cap. quoties hoc tit. n.* 2. Sic quoque contractus alienationis rei immobilis factus a minore sine decreto Judicis, alienatio feudi a vasallo sine consensu domini directi facta, Judicis decreto & authoritate, domini directi consensu supervenientibus ratificari docent. Bartol. *in l. si quis §. justum ff. de acquirend. hæredit. num.* 5. Bald. *in l. cum ipsa C. de contrah. empt. nu.* 5. apud Wiestner. *hoc tit. num.* 39. Porro ejusmodi pactiones & contractus ex Capituli aut superioris consensu supervenientes ita ratificari, ut perinde habeatur, ac si eorum consensus in ipso contractu intervenisset, adeoque perinde, ac si is ab initio validus fuisset, negat Abb. *in cap. cum nos nu.* 5. asserens, illum non nisi a tempore supervenientis consensus validum reputari. Argum. *Regul.* non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Admittunt e contra alii, eo quod superveniens ille consensus fictione juris retrotrahatur ad tempus celebrati contractus, & hinc is non per solum tractum temporis, sed per legitimum consensum ratificetur & solidetur, ut Gloss. magna *in capit. regul* 18. *in* 6. ac ita tenent citati a Wiestner. *nu.* 40. Navar. & Suar. *Tom.* 4. *de relig. l.* 2. *cap.* 27. *num.* 20. De cætero omnia pacta & conventiones inferiorum seu subditorum ad sui confirmationem egent superveniente consensu aut ratihabitione superiorum, ut constat ex *cap. quia ex eo hoc t. in* 6. Quæ constitutio qualiter per subsequentes Pontifices revocata & dein iterum restituta, videre est apud Rodriq. *regul. qq. Tom.* 1. *qu.* 27. *art.* 3. Quæ autem in specie pacta inita a regularibus egeant vel non egeant superioris consensu, de hoc consulenda cujusque Ordinis consuetudo, statuta privilegia Apostolica post citatam Bonifacii constitut. facta vel concessa, ait Pirh. *hoc tit. num.* 14. *in fin.*

QUÆSTIO DCCCCXXXIX.

Quot sint pactorum effectus?

1. RESp. primo. Primarii pactorum effectus sunt duo; obligatio & actio. Est autem actio nihil aliud quam jus petendi seu prosequendi in judicio, quod sibi debetur, ut habetur *§.* 1. *Instit. de actionib.* Ad actiones inter cæterus spectant vindicatio rei, quæ est actio realis ad prosequendum in judicio rem suam, quoad dominium & possessionem; sive qua quis rem suam liberat de potestate alicujus, apud quem est; adeoque ad hanc actionem requiritur, actorem habere dominium & possessionem civilem rei, & is, contra quem agitur, detentionem corporalem illius. Huc reducitur actio publiciana, sic dicta a Publicio Prætore illius institutore *l.* 9. *ff. de publiciana in rem act.* qua quis, qui bona fide cum titulo aliquo rem possidet, non acceptam ab ejus domino, putavitque esse suam, receptam sibi reposcit in judicio ab illo, qui eam possidet sine titulo. Item evictio, quæ est actio, qua redditur ad authorem contractus pro interesse rei ab alio evictæ. V. gr. Sempronius, qui emit domum a Cajo, quæ tamen non erat Caji, sed Titii, & quam Titius dein iterum per sententiam Judicis evicit, Cajus tenetur de evictione, hoc est, obligatur Sempronio ad reddendum ei pretium, compensandaque damna inde emergentia Sempronio & lucra cessantia. Qualis etiam evictio sequitur ad permutationem, locationem aliosque contractus onerosus. Item actiones ædilitiæ (sic dictæ, quia leges circa illas primo latæ sunt ab ædilibus, id est, conservatoribus ædium sacrarum) quæ dantur dum res, de qua contractum, est vitiosa. Earum sunt tres. Prima dicitur *redhibitoria*, qua agitur, ut qui rem vitiosam tradidit, eam totam rehabeat, seu iterum habeat, & alter pretium quod dederat. Secunda dicitur *quanti minoris*, per quam agitur, ut si is, qui rem vitiosam tradidit, nolit eam recipere, tantum subtrahatur de pretio, quanti minoris erat æstimanda. Tertia dicitur *in factum*, per quam, si is, qui rem vitiosam tradidit utrumque detrectet, ad alterutrum compellitur. Habent hæ actiones locum quoque in locatione & permutationibus. Si læsio non sit facta ultra dimidium justi pretii, locus non est redhibitoriæ,

nec

nec rescinditur contractus, manet tamen actio *quanti minoris*, seu obligatio minuendi pretii *l. 2. C. de rescind. vendit.* Requiritur autem ad hanc, uti & ad tertiam actionem, ut vitium sit alicujus momenti, adfueritque, dum res erat apud transferentem, latueritque, & manifestari debuerit a transferente.

2. Obligatio vero est vinculum, quo astringimur ad aliquid faciendum vel omittendum. Est autem obligatio duplex, nimirum naturalis, dum astrictio illa & necessitas oritur ex nostro consensu, adeoque ex naturali æquitate servandi datam fidem, aut aliundo, puta ex naturali lumine dictante, nos teneri ad aliquid. Et civilis, quæ provenit ex authoritate legis approbantis contractum aut conventionem aliquam, quandoque etiam obligationem nullam naturalem habentem. V. gr. In certo casu simplicem promissionem ante acceptationem. Quod si vero in eadem conventione concurrat obligatio naturalis & civilis, obligatio dicetur mixta.

3. Respond. secundo. Sunt & alii quidam effectus pactorum etiam in foro externo. Nimirum primo exceptio *l. juris gentium §. sed cum nulla ff. hoc tit.* Est autem exceptio jus ad excludendam actionem, & ad se tuendum in possessione rei contra oppugnantem. Unde & exceptiones dicuntur arma defensiva repugnantium, sicut actiones arma offensiva oppugnantium; ita ut v. gr. licet promissarius non possit instituta actione petere quod sibi promissum, simplice & nuda promissione, possit tamen pacto illo seu promissione, uti, ut se defendat ab actoris petitione eumque repellere. Ut dum Titiur oude promisit Cajo centum aureos, isque vicissim debeat Titio centum ex venditione, Cajus Titium petentem centum aureos sibi debitos ex venditione repellere possit exceptione promissi acceptati. Item qui petit solutionem, excludi potest per exceptionem de soluto pretio. Si autem primus actor instet contra talem exceptionem, dicitur hæc exceptio exceptionis replicatio; si reus iterum contra hanc instet, dicitur triplicatio & sic consequenter *l. 2. ff. de except.* Porro exceptiones aliæ sunt dilatoriæ seu temporales, quæ non omnino tollunt, sed differunt actionem. Ut si clericus postulatus de debito excipit contra actorem vocantem illum ad forum sæculare de incompetentia fori. Et hæ exceptiones ad initium litis opponi debent, alias postea non audiuntur *l. 13. de except.* Aliæ dicuntur peremptoriæ, quæ actionem omnino perimunt. Dicuntur & perpetuæ, quia semper locum habent. Ut si postulatus de debito probet se nihil debuisse vel se solvisse *l. 3. & seq. ff. de except.* & *Inst. eod.* ubi varia insuper exceptionum genera recensentur. De quibus in genere dicendum, quod non admittantur post latam sententiam, ne lites protrahantur excepta exceptione falsi, id est, qua probatur, allegatum, cui innititur, falsum esse, quæ exceptio semper auditur. Secundo quod tribuant jus compeosandi, etiam pro foro externo, ita ut, si aliunde quid debeat paciscenti possit id compensare pro eo, quod is sibi ex nudo pacto debebat. Pirh. *h. 1. num.* 35. Tertio quod nudo pacto possit accedere fidejussor, qui efficaciter obligetur, ita ut contra eum detur actio. Argum. *l. fidejussor. ff. de fidejussorib.* ubi fidejussor conceditur pro obligatione, non tantum civili, sed etiam naturali. Quarto, quod id, quod semel solutum est ex tali pacto non obligante civiliter retineri possit a promissario, etiam pro foro externo, & restitui non debeat etiam in judicio. Quinto quod retineri possit pignus datum pro eo, quod ex nudo pacto erat debitum. Pirh. *l. c.* citatis Molin. *tr. 2. de Just. d. 257. num.* 1. Less. *l. 2. de Just. c. 17. n.* 23.

QUÆSTIO DCCCCXL.

An ex omni pacto oriatur obligatio naturalis?

RESp. Certum est, omne pactum, etiam nudum & nullo jure positivo irritum parere obligationem naturalem & in conscientia; ad hoc enim sufficit consensus verbis expressus acceptatus. Less. *l. c. num.* 19. Molin. *de contract. disp.* 255. Pirh. *loc. cit.* & alii cum communi tam Theologorum, quam Juristarum. Constat imprimis ex Jure Canon. dum *cap. 1. hoc tit.* ut explicat summarium, dicitur, pacta quantumcunque nuda servanda esse & *cap. 3. eodem studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur opere compleantur.* Jura vero civilia, etsi omnia talia facta non approbent adjuventque in tantum, ut actionem eis concedant, non tamen omnia improbant (sed neque decernere possunt, non præstanda ejusmodi debita ex pacto nudo, nisi id ratio boni communis exigat. Laym. *in cap. quæ ecclesiarum de constitut. num.* 7. Crimer. *num.* 2599.) Quin & positive istiusmodi obligationem naturalem comprobant, ut dum Ulpian. *l. 1. ff. h. t. Quid enim tam congruum est humanæ fidei, quam ea, quæ inter eos placuerit servare?* Item, dum ut dictum *in resp. ad quæst. præced.* tribuunt illis exceptionem, compensationem, retentionem &c. Est vero hæc obligatio naturalis quandoque justitiæ, quandoque fidelitatis, prout paciscentes se obligare intendunt, quæ intentio colligenda ex circumstantiis; ut si chirographum aut testes adhibiti, vel manus stipulatio accessit, conjectura sumi possit, intentionem paciscentium fuisse, obligare se ex justitia. Ita Laym. *Th. Mor. l. 3. tr. 4. c. 1. num. 1. juncto c. 12. nu* 1. De cætero sive obligatio sit Justitiæ sive fidelitatis, Princeps, etiam supremus, licet legibus solutus, juxta *l. Prin. ff. de LL.* obligatur tamen ex pacto, etiam cum propriis subditis inito. Argum. *c. 1. de probat.* ita, ut etiam ex plenitudine potestatis ab eo recedere non possit, quia obligatur adhuc jure naturali ac divino: ita Fagn. *in cap. Antigonus hoc* 1. & cum eo Reiffenst. *h. 1. n.* 28.

QUÆSTIO DCCCCXLI.

An pacta nuda pariant actionem, saltem secundum Jus Canonicum?

1. RESpond. primo. Quantum est de rigore, Jus civile pactis nudis non tribuit actionem positivam in foro externo, sed potius eam illis negat, idque ad evitandas lites, quæ certe nimium multiplicarentur, si pro singulis debitis civilibus permitteretur actio & recursus ad forum judiciale; cum pacta nuda & hujusmodi simplices promissiones sint frequentissima. Dixi tamen: quantum est de rigore; quia secundum hodiernos mores, etiam in foro civili, ex nudo pacto manente tali, modo deliberate facto & cum animo se obligandi, dari actionem, etiam ex communi interpretum, ait Clingenb. *l. 3. Institut. tit. 14. quæst.* 20. apud Reiffenstuel. *num.* 37. Quin & jam in multis tribunalibus sæcularium Principum lege statutum, ut detur actio, tradit de Lugo *de contract. disp. 22. s. 3. num.* 36. cui inhæret Pirh. *hoc tit. num.* 36. Idque ne forum externum discordet ab interno. AA. iidem. Talem vero actionem vocari posse actionem in factum, ait Reiffenstuel. *h. 1. num. 38. in fine* citans Gloss. *in l. quoties ff. de præscriptis verbis v. utilis actio* & Bald *in cit. cap. Antigonus num.* 5.

2. Respond. secundo. secundum Jus Canonicum ex pacto nudo. V. g. simplici promissione acceptata, oritur actio, seu jus exigendi in judicio, de quo inter paciscentes conventum. Gloss. *fin. in cap. Antigonus.* Abb. *ibidem num.* 5. Felin. *num. 5. & 6.* Fagn. *num.* 24. Pirh. *hoc tit. num.* 36. dicens esse communiorem ac probabiliorem Theologorum & Canonistarum ac citans pro ea Covar. *in cap. quamvis hoc 1. in 6. part. 2. §. 4. nu.* 14. Molin. *disp. 256. num. 3. & disp. 257. num.* 2. Less. *de Justit. l. 2. cap. 17. num. 22. & cap. 18. nu.* 55. & insuper apud Wiestner. *hoc tit. num.* 17. Gomez *l. 2. var. cap. 9. num.* 2. Guttier. *de juram. part. 1. cap. 34. num.* 2. Besold *l. 2. pandect. ad hanc rubr.* Canis. *in cap. 1. hoc tit. num.* 2. contra Salicetum *in L. legem C. de pactis quæst.* 7. Alciat. *l. 5. paradox. cap.* 3. Fachin. *controvers. l. 2. cap.* 100. Zoesium *ad hanc rub. ff. num.* 6. Conan. *l. 5. comment. cap.* 3. Gonz. *in cap. 1. h. t. num.* 8. Castrop. *tr. 32. disp. 1. part. 3. num.* 9. Haun. *Tom. 3. de J. & J. tract. 8. nu.* 42. quos sequitur Wiestner. *hoc tit. nu.* 18. Fere æque probabiliter sentientes contrarium nimirum secundum canones ex pacto nudo non oriri actionem, sed ex eo tantum competere remedium denunciationis evangelicæ & implorationis officii Judicis ad obtinendum id, quod naturaliter debetur, sicque peccatum evitetur. Pro prima sententia facere videtur textus *cap. 1. hoc tit. aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus ecclesiasticam sentiat disciplinam &c.* Siquidem *to conventus* importat conventionem in judicio, & *convenire* ex proprietate hujus vocabuli quis dicitur per viam actionis pro ut colligitur ex *L. quoties ff. siquis cautionibus* & notat Fagnan. *in cap. Antigonus hoc tit. num.* 16. apud Reiffenstuel. *num* 32. Ad quem quidem textum respondent adversarii, non esse sibi sermonem de nudo, sed de legitimo seu vestito pacto; eo quod super illo contractu inito inter Antigonum & Optantium Episcopos circa divisionem Episcopatuum confectum fuerit instrumentum utriusque manu subscriptum, intervenenitque actualis divisio ex parte Antigoni seu impletio conventionis. Item quod Antigonus adversus optantium non moverit actionem, sed solum injuriam sibi illatam, Patribus istius Concilii (nempe Carthaginensis I. ex quo Canon ille est desumptus) canonice denuntiarit, illorumque officium implorarit, & ab ipsis initæ pactionis violatori in pœnam constituta fuerit disciplina ecclesiastica sive excommunicatio; adeoque male ex illo tex-

tu inferri, unde paciscenti veram actionem sive conventionem judicialem indultam ita fere Wiestner. *hoc tit. nu.* 18. satis probabiliter in favorem oppositæ sententiæ. Verumtamen, quidquid sit de hoc, num dictum pactum fuerit vestitu dicta scriptura nec ne; vel etiam num non intervenerit actu, sed pura imploratio officii Judicum, sententia illa prior Canonistarum non fundatur in illo Canone & actis dicti Concilii, quod fuit solum provinciale, sed in textu *cit. cap.* 1. quod authoritate Papæ translatum in Corpus Juris Canonici, & quo proinde Papa, non tam nomine Patrum dicti Concilii quam suo, nullam de interventu scripturæ mentionem faciens, absolute pronunciat, ut inita pacta suam obtineant firmitatem &c. Sed neque priori sententiæ deest ratio, cur potius secundum Jus Canonicum actio competat nudis pactis obligantibus in conscientia, quam justa jus civile (tametsi de cætero jus canonicum non minus abhorreat multiplicationem litium, quæ est ratio, ob quam Jus civile istiusmodi pactis denegat actionem) nimirum quod agatur de obligatione, quæ est sub peccato etiam mortali, si materia est gravis; in Jure autem Canonico & foro ecclesiastico præcipue & omni meliore modo caveatur periculum peccati, & intendatur salus animarum, adeoque merito in hoc foro compellantur nude & simpliciter paciscentes ad pacta conventa observanda, non solum ope exceptionis, denonciationis canonicæ & implorationis officii Judicis; quæ media sufficere ad impletionem conventorum & impediendum peccatum ejusque continuationem per non impletionem pactorum, censent adversarii, & in specie Castrop. *loc. cit. num.* 9. Adducto exemplo, quod ad contractum metu levi impulsus, & in eo ultra dimidium justi pretii læsus, etsi actionem directam non habeat, possit tamen lædentem & metum inferentem denunciare Judici, ejusque implorare officium, ut contractum rescindat, & lædentem ad defectum pretii supplendum compellat, & hac ratione tollatur continuatio peccati, ut Sanch *de matr. l.* 4. *d.* 9. *num.* 5. Fachin. *l. c. l.* 2. *cap.* 25. Sed etiam concesso remedio ordinario actionis utpote efficaciore, Ac denique pro dicta sententia facere quoque videtur, quod, ut ipsi adversarii fateotur apud Wiestner. *num.* 19. ex pacto nudo deliberato possit competere actio vi consuetudinis, quæ in dubio SS. Canones interpretari potius quam corrigere censentur. Arg. *c. cum expediat de elect. in* 6. *l. præcipimus in fine C. de appellat.*

5. Nihilominus etiam fautores primæ sententiæ eam varie limitandam censent, nimirum. Primo, ut teneat tantum in causis ratione personarum vel materiæ spectantibus ad forum ecclesiasticum & in locis Ecclesiæ subjectis; in aliis vero sufficiat denunciatio canonica, ut ad vitandum peccatum Prælatos ecclesiæ cogat, promittentem stare promissis Ita Pirh. *h. t. num.* 37. citans *cap. novit. de judiciis*. Felin. *in cap.* 1. *h. t. num* 10. Molin. *disp.* 257. *num.* 3. Verum, si ideo pactis nudis concedatur actio secundum jus canonicum, ut evitetur peccatum, de quo evitando est cura Juri Canonico, cum Juri civili sit potior cura de conservanda Reip. tranquillitate, cur potius in his, quam illis pactis nudis conceditur actio? cum utrisque insit obligatio sub peccato, & cur potius in his quam in illis ad evitandum peccatum sufficit denunciatio canonica? Secondo ut solum teneat in iis pactis, in quibus paciscens intendit se obligare solum ex fidelitate, adeoque, cum frequentissimæ promissiones non fiant cum animo obligandi se ex Justitia, raro compelluntur paciscentes, etiam in foro ecclesiastico, ad observandas simplices promissiones. Pirh. *loc. cit.* citans Less. *loc. cit. cap.* 18. *num* 55. Laym. *Theol. Mor. tract.* 4. *cap.* 12. *num.* 1. Tertio ut non teneat, nisi in pacto exprimatur causa, ob quam promittitur (qualis v. gr. non tantum est, ubi quis promittit centum aureos propter obsequia sibi præstita, aut simile quid; verum etiam, ubi quis promittit se daturum centum gratis, vel se non repetiturum centum sibi debitos; quia jam ipsa liberalitas est causa expressa: item dum quis promittit se daturum centum mutuo; quia cum includatur causa onerosa scilicet, quod tantundem mutuanti sit reddendum) vel nisi de causa constet per confessionem debitoris, aut legitimam probationem creditoris seu actoris, ne alias debitor excipere posset, se promisisse quidem, sed sub conditione vel causa pendente in futurum. V. g. propter obsequium vel mutuum accipiendum, quæ tamen causa subsecuta fuerit. Molin. *disp.* 257. *num.* 6. de Lugo *de contract. disp.* 12. *l.* 3. *num.* 57. Laym. *l. c. cap.* 2. *nu.* 3. Qui tamen postremus addit, in promissione facta ecclesiæ non esse opus exprimere causam, eo quod præsumatur adesse sufficiens causa promittendi, nempe pietatis & religionis. Est autem in hoc adhuc differentia inter Jus canonicum & civile, quod secundum jus canonicum concedatur actio expressa causa, etiamsi neuter paciscentium sit executus, quod in contractu promisit; Jure civili vero, ut in casu expressæ causæ concedatur actio, requiritur, ut alter paciscentium impleverit, quod ex parte sua præstare obligabatur. Molin. *l. c. n.* 10. de Lugo Pir. *LL. cit*

QUÆSTIO DCCCCXLII.

Quinam pacisci possint?

RESp. Quisque pacisci potest, nisi natura vel lege prohibeatur; cum pacisci & contrahere sit de genere permissorum, ideoque omnibus non prohibitis concessum censetur. Pirh. *h. t. num.* 7.

QUÆSTIO DCCCCXLIII.

Quinam natura pacisci prohibeantur?

RESp. omnes, qui sufficientem usum rationis ad consentiendum non habent. Quales sunt furiosi extra lucida intervalla, & mente capti citra furorem, infantes nondum assecuti usum rationis. Ebrii ebrietate theologica, sive omnimodam mentis alienationem inducente. Item qui consensum explicare sufficienter nequeunt verbis aut aliis signis externis. Quales sunt muti simul ac surdi. Contrahere tamen possent tales, si forte scribere aut legere possent; eo quod surditas & carentia loquelæ jam adulto advenisset, aut signis aliis ad exprimendum consensum uti possent *L. in quibuscumque ff. de obligat. & actionib.* Licet capaces non sint stipulationis exigentis verba ore prolata *§. mutum Inst. de inutil. stipul.*

QUÆSTIO DCCCCLXIV.

Quinam lege seu Jure civili prohibeantur pacisci?

1. RESp. sequentes. Primo impuberes sine authoritate tutoris *l. obligari de author. tutor. §.* 1. *instit. tit. eodem.* Eo quod etsi jam in elligant quid agant, præsumantur tamen habere tam leve adhuc judicium, ut obligationis ex pacto profluentis gravitatem & præjudicium pro merito æstimare nequeant. Limitatur tamen hoc ipsum; nisi paciscendo conditionem suam faciant meliorem, dum non ipsi alteri, sed alter ipsis obligatur juxta textos citatos.

2. Secundo minorennes seu minores 25. annis, si curatorem habent, sine hujus authoritate & consensu æque ac pupilli pacisci nequeunt circa alienationem bonorum suorum *L. si curatorem C. de integ. rest.* Fachin. *l.* 3. *contravers. cap.* 9. Possunt tamen pacisci seque obligare alteri quo ad concernentia personam suam, si habeant curatorem. V. g. locale operas suas juxta *l. puberes ff. de V. O.* ubi: *puberes sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari* Intelligendo id de obligatione personali, ut concilietur hæc lex cum *citat. l. si curatorem*, quæ intelligenda de obligatione reali. Fachin. *l. c.* Cujac. *comment. ad l. puberes*. Engels *h. t. n.* 32. quos citat & sequitur Reiffenstuel. *h. t. num* 45. Si vero curatorem non habeant, pacisci quidem possunt, & obligari de rebus mobilibus non pretiosis, ita tamen ut læsi fruantur beneficio restitutionis in integrum, *l. si curatorem*. Non tamen valide disponere possunt de immobilibus aut mobilibus pretiosis, nisi accedat decretum Judicis, *lex qua C. de administ. tutor. vel curat. l. non solum C. de præd. minor.* etiam si veniam ætatis impetraverint *l. eos qui C. de his l. qui veniam impet.* cum minor etiam cum Curatore suo res istiusmodi alienare nequeat. Wiestner. *hoc tit. num.* 25. citans Gomez *Tom.* 2. *var. cap.* 14. *nu.* 13. Molin. *tract.* 2. *de Just. d.* 224. *num.* 20.

3. Tertio prodigi, quibus, ne omnia sua dissipent, interdicta est a Magistratu administratio bonorum, sine curatore suo inire nequeunt pactum, quo obligantur ipsi, & conditionem suam deteriorem faciant; bene tamen celebrare contractum, quo alii ipsis obligantur, & conditionem suam meliorem reddunt *l. is cui ff. de administ. Tutor. & Curat.*

4. Quarto filius familias seu sub patria potestate constitutus, etiamsi pubes sit, pacisci & se obligare nequit in præjudicium patris *l. filius C. hoc tit.* Hinc licet contrahere possit circa bona sua castrensia & quasi castrensia, quorum dominium & administrationem habet. Argum. *l. filiusfamilias ff. de obligat. & actionib.* obligare tamen sine patris consenso contractu seu pactione aliqua nequit bona adventitia, multo-

multoque minus profectitia, quorum dominium pater habet. Molin. *d.* 26. *num.* 3. Sanch. *de mat. l.* 6. *d.* 39. *num.* 7. Sed neque obligari potest contractu mutui, *l.* 1. *& seq. ff. ad S. C. Macedonian.* & *C. tit. eod.* quo Senatusconsulto sancitum est, ut ex mutuo pecuniario conventus filiusfamilias intentatam actionem possit elidere ope exceptionis dicti S. C. cujus condendi Originem & occasionem vide apud Wiestner. *h. t. n.* 29. Patitur tamen hoc ipsum varias limitationes seu exceptiones, nimirum ut ei exceptioni ope dicti S. C. locus non sit, si filius mutuum accipiens sit miles; cum tunc habeatur ut sui juris, & non egens patris consensu. *L. fin. C. de bonis, quæ* &c. Item si habeat bona Castrensia vel quasi talia, utpote quorum plenam administrationem habet, & respectu quorum paterfamilias reputatur. Item si se patremfamilias simulavit, & creditori persuasit. *L. cit.* vel publice credebatur, non filiusfamilias, sed sui juris. *L. si quis, ff. ad S. C. Macedon.* Item si legationis vel studiorum causa peregre degens mutuum accepit ad alimenta aliosque sumptus necessarios, quos patris pietas non recusaret. *L. Macedoniani C. ad S. C. Macedon.* Item si datum in mutuum, non in numerata pecunia, sed in rebus aliis, puta frumento, vino, nisi id factum in fraudem *cit. S. C.* ut iis distractis pecunia parata uteretur, *item, c. ad S. C. Maced.* Porro filiusfamilias non solum in foro civili & externo, sed etiam in foro conscientiæ ope exceptionis dicti S. C. liberari ab obligatione restituendæ pecuniæ mutuo acceptæ es recepta hodiedum sententia tam Theologorum quam Jurisconsultorum cum Innoc. *in c. quia plerumque, de immunitate, num.* 3. Abb. *ibid. num.* 26. tenent Guttier. *part.* 1. *de juram. cap.* 43. *num.* 6. Gomez *Tom.* 2. *var. cap.* 6. *num.* 2. Molin. *tract.* 2. *de Just. d.* 301. *num.* 2. Less. *de Just. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 8. quos citat & sequitur Wiestner. *h. t. num.* 35. contra Covar. *in c. quamvis,* 2. *in* 6. *part.* 2. §. 3. *num.* 4. Fachin. *controv. lib.* 2. *cap.* 63. Eo quod Resp. ex una parte ob justam & publicam causam contractum mutui ita irritare potuerit, ut etiam in conscientia non esset obligatio restituendi pecuniam mutuo acceptam; ex altera vero parte, nisi ita talem contractum a filiofamilias sine consensu patris initum irritasset, non sufficienter obtinuisset finem suum, quem habuit in condendo dictum S. C. dum non satis consultum fuisset saluti parentum, nec satis coercita filiorum levitas, & fœneratorum iniquitas. His non obstantibus, quod filiusfamilias ex mutuo creditori obligetur naturaliter. *L. quia naturalis, ff. ad S. C. cit.* & hinc quod eo titulo solutum, nequeat repetere. *L. sed si,* §. 4. & 5. *ff. eod.* cum alias naturaliter indebitum errore solutum repeti possit; & nequeat ab eo, cui solutum, retineri. *L. indebitum. L. quod pupillus, ff. de condict. indebit.* Nam quod filius naturaliter obligetur ad non repetendum, id inde non est, quod naturaliter debitum fuerit, sed quod soluti, etiam indebiti dominium fœneratori concesseris lege sic statuente ad evitandam multitudinem litium facile alias excitandarum istiusmodi repetitionibus eorum, quæ semel soluta. Wiestner. *nu.* 32. Neque exceptio hæc Macedoniana ex eo, quod deroget naturali obligationi contractus, alias ei competenti, censenda est odiosa, adeoque ad forum externum restringenda. Nam licet respectu fœneratorum odiosa, quatenus tamen eos absterret a mutuo dando, & ex fine suo principali vitæ & saluti parentum magno Reip. bono prospicere intendit, est favorabilis, lateque interpretanda. Castrop. *tract.* 32. *d.* 4. *part.* 3. *nu.* 7. Nihilominus in casu existentis adhuc in specie pecuniæ mutuo acceptæ apud filiumfamilias ad restitutionem illius, aut etiam, in quantum ex mutuo accepto factus est ditior, teneri filiumfamilias in conscientia (cum ex alterius jactura alium locupletari repugnet æquitati naturali. *Reg. Jure natura, ff. de Reg. Jur.* & *Reg. locupletari,* 47. *in* 6.) docent Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 15. *num.* 3. Castrop. *loc. cit. num.* 22. Engels. *h. t. num.* 39. licet hanc doctrinam improbet Haun. *Tom.* 3. *de J. & J. tract.* 9. *num.* 329. & contrarium jure civili statutum videri asserat Wiestner. *cit. num.* 32. De cætero non posse talem filiumfamilias renunciare exceptioni illi sibi competenti ex illo *S. C. Macedon.* per renunciationem simplicem, passim tenent omnes; eo quod non tam filiifamilias quam patris ac Reip. sit favor; posse tamen per renunciationem juratam, censent Cov. *l. c.* §. 3. *n.* 4. Less. *l. c. c.* 20. *n.* 8. Laym. *l. c. num.* 5. eo quod filiofamilias dare mutuo, & quod hoc nomine acceptum, solvi ab eo, ex natura sua non sit inhonestum. Contrarium tamen æque probabiliter sentientibus, Abb. *in c. cum contingat, de jurejur. num.* 22. Wading. *de contract. d.* 6. *dub.* 4. §. 1. *num.* 3. Menhaca, *de success.* §. 28. *num.* 53. quos citat Wiestner. *num.* 34. eo quod favori alieno, præsertim publico (qualis in præsente est favor patris ac Reip. cujus intuitu inductum *S. C. Macedon.*) a privato, qualis est filiusfamilias, renunciari nulla ratione possit, *c. cum tempore, de arbit. c. si diligenti, de foro compet. L. jus publicum, ff. ad S. C. Maced.* & quod per adjectionem talis juramenti æque, aut etiam magis, quam per simplicem mutui contractum, inducantur memorata incommoda ac pericula, ob quæ inducta exceptio Macedon. adeoque non major vis & obligatio ipsi, quam simplici promissioni astruenda. Aliis distinguentibus, & juramentum valere volentibus mortuo patre, omnique incommodorum periculo sublato, item patre vivente, si solutio sine ullo præjudicio & incommodo, & pater, ut in eam consentiat, facile induci possit. Alias autem patre vivente obligationem ejus suspensam manere, citat. pro hac sententia Wiestner. *num.* 35. Haun. *ubi ante, num.* 328. Gomez. *num.* 2.

5. Denique servus pacisci nequit, ut civiliter obligetur. *L. in personam, ff. de Reg. Jur.* cum jure civili pro nullo habeatur, adeoque in eum non cadit obligatio civilis, *L. quod attinet, ff. de Reg. Jur.* potest tamen regulariter pacisci, ut naturaliter obliget sibi alios, & ipse obligetur aliis, *cit. L. quod attinet* & *L. servi, ff. de O. & A.* Zoes. *in ff. ad hanc rub. num.* 14. Wiestner. *h. t. num.* 22.

QUÆSTIO DCCCCXLV.

Quinam Canone seu Jure Canonico pacisci prohibeantur?

1. RESP. primo. Religiosi sine superioris sui licentia pacisci & obligari nequeunt. Arg. *c. in quibusdam, de fidejussor.* Abb. *in c. ex rescript. de jurejur. num.* 1. & *ibid. num.* 6. Alex. Sanch. *lib.* 6. *mor. cap.* 31. *num.* 36. & alii communiter. Idque ob votum paupertatis & obedientiæ, vi quorum abdicarunt se omni dominio rerum temporalium, aut saltem libero ejus usu & administratione, quin & proprio velle & nolle. Limitatur responsio, primo, ita ut pro monasterio stipulari possint. Arg. §. *sed etsi quis. Inst. de inutil. stipul.* Abb. *in c. quando, de off. Ord. num.* 2. Sanch. *loc. c. c.* 31. *num.* 32. Navar. *comment.* 2. *de regular. num.* 32. eo quod, ut Castrop. *tract.* 16. *d.* 3. *part.* 15. *num* 5. tacite idipsum a jure permissum videatur; cum hujusmodi stipulatio spectet favorem & utilitatem monasterii. Secundo, ut pacisci possint circa actiones personales ex se non inhonestas, ita ut licet forte peccent ineundo tales pactiones sine licentia superioris, iis tamen sic initis teneantur, saltem Prælato non contradicente, aut eas irritante. Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *qu.* 5. Nav. *loc. cit. num.* 42. Castrop *loc. cit. num.* 3. Wiestner. *h. t. num.* 38.

2. Secundo. De monasteriorum & ecclesiarum suarum rebus immobilibus & mobilibus pretiosis sine consensu Capituli vel conventus & superioris pacisci prohibentur Prælati, Administratores, de quibus plenius alibi.

QUÆSTIO DCCCCXLVI.

An & qui pro aliis pacisci possint?

1. RESP. regulariter loquendo, nemo alteri pacisci potest. Constat ex jure civili, §. *si quis aliis,* & §. *alteri Instit. de inutil. stipul.* & *L. stipulatio ista,* §. *alteri ff. de V. O.* ubi stipulatio pro alio facta improbatur ex eo, quod nihil intersit ita stipulantis; cujus etiam ratio datur *ibid.* siquidem dicitur: *inventa sunt stipulationes vel obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest.* Procedit id quoque Jure Canonico, ita ut, si Titius simpliciter promittat Cajo, se daturum centum aureos Sempronio, eo id acceptante pro eo, nulla inde Titio oriatur obligatio; non civilis; quia Jus civile ita pacisci prohibet, non naturalis; quia deest consensus, nempe absentis, cui solvendi centum, & acceptatio, quæ per tertium suppleri nequit, cum is non sit ex iis, per quem alteri absenti & ignoranti jus acquiri potest. Abb. *in proæm. decretal. num.* 25. Zoes. *h. t. num.* 3. Jason. *in L. stipulatio ista,* §. *alteri, ff. de V. O.* Pirh. *h. t. num.* 6. contra Gl. *in c. quoties cordis,* 1. *quæst.* 2. Covar. *in c. quamvis, h. t. in* 6. *part.* 2. §. 4. *num.* 2.

2. Dixi *regulariter*. Limitanda siquidem varie est responsio. Primo, ut quis pacisci possit alteri, & in ejus favorem stipulari, ubi ad hoc habet mandatum. *L. si procuratorem, ff. mandati l. quod procur. de procur.* ubi: *procurator utiliter paciscitur & stipulatur in favorem sui principalis.* Idem est de Tutore pupilli, actore municipum, curatore furiosi vel adolescentis. *L. cum qui,* §. *item si, ff. de constituta pecun.* tales enim ratione officii sui ac legitimæ administrationis censentur habere mandatum & obligationem paciscendi in favorem eorum, quorum curam gerunt. Ex eo autem, quod ratihabitio subse-

quens

quens retrotrahatur & æquiparetur mandato juxta *Reg. 10. in- eis in 6.* non sequitur quemlibet pacisci posse pro alio. Nam dicta regula tantum locum habet, quando actus a principio de se erat validus, qualis non est pactio, dum extraneus directe paciscitur seu stipulatur pro tertio, seu dari quid tertio. Quia autem valeret de se pactio, qua stipulatur Titius per indirectum nomine Sempronii, nimirum, ut Cajus sibi Titio det 100. pro Sempronio, fiat inter præsentes, ac recipiat fundamentum ex persona Titii stipulatoris. Arg. *L. hujusmodi* §. 1. *ff. de legat.* hinc post ratihabitionem Sempronii absentis tenebitur Titius stipulator huic cedere actionem. L. *ignorante ff. de negot. gestis* Covar. *in c. quamvis, h. 1. in 6. part. 2, §. 4. num. 13.* apud Reiffenst. *h. 1. num. 53.* Secundo stipulari potest quis pro alio, si ei subjectus sit, *§. si quis alii. Institut. de inutil. stipul.* ubi: *si quis alii, quam ei, cujus juri subjectus sit, stipuletur, nihil agit.* Sic servus stipulari potest pro Domino, & huic stipulando acquirere, *§. item nobis. Inst. per quas person. nobis acquir.* & Gl. *in cit. §. si quis alii, v. Juri*, siquidem melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest. *Reg. 176. ff. de Reg. Jur.* Sic monachus pro monasterio stipulari potest, eique res oblatas, donatas, concessas acquirere juxta dicta *quæst. præced.* & *Auth. de monachis, §. illud. cap. 1. c. exiit §. adhæc, de V. S. in 6.* est enim in his casibus vox unius. V. gr. filii fictione juris vox alterius. V. gr. patris cujusvis juri seu potestati subjectus est. Arg. *§. sed & si quis. Instit. de inutil. stipulat.* Tertio pacisci quis potest pro alio, quando hoc ipsum paciscentis seu stipulantis interest, dum enim stipulantis interest, aliquid dari vel fieri, etiam ipsi acquiritur per talem stipulationem. V. gr. si tutor cedens administrationem contutori suo paciscatur, rem pupilli salvam fore; plura exempla vide apud Reiffenst. *h. t. num. 32.* & Gl. *in cit. §. si quis alii. Instit. de inutil. stipul. v. nihil agit.*

QUÆSTIO DCCCCXLVII.

De quibus rebus liceat seu possit pacisci?

1. RESP. in genere; de omni facto & re quacunque, sive præsente sive futura, non inhonesta, propria, possibili, certa, quæque in commercio hominum est & paciscentium, uti hæc omnia in particulari declarantur.

2. Dicitur primo: de re quacunque sive ea præsens sit sive absens, sive existens sive futura, & nondum existens, v. g. fructus nasciturі. Si tamen sit contractus de re quæ est in spe. V. g. venditio vini futuri in autumno, & vinum non crescat illo tempore, contractus est nullus. Secus, si vendam spem, quæ & qualis tunc est, venditio valet, etiamsi nullum vinum crescat. Ipsum tamen fallit in emptione hæreditatis in spe, ne detur votum captandæ mortis. *L. fin. hoc tit.*

3. Dicitur: *de re non inhonesta.* Hinc pacta continentia aliquam turpitudinem, lædentia pacem, existimationem & verecundiam, inita contra bonos mores aut leges ea prohibentes, vergentia in detrimentum animarum ea observantium, invitantia ad inferendam aliis injuriam, aliaque vitia committenda (ad quod postremum spectat pactum de remittenda actione vel accusatione injuriæ vel alterius delicti primo committendi. *L. si unus, ff. h. t.* quia invitat ad talia committenda; secus est de actione vel accusatione delicti in nos commissi remittenda. *L. cit. §. 4.*) invalida sunt & nullius momenti juxta L. *quæ pacta. C. h. t.* & *c. h. t. 2.* ubi: *nam juxta legitimas sanctiones pactum turpe vel rei turpis nullam obligationem parit.* Quapropter plura in specie pacta in utroque Jure reprobantur. Nihilominus, etsi contractus de re illicita sit irritus, ubi tamen unus partem suam, quæ illicita erat, implevit. V. gr. meretrix corpus suum prostituit, de quo prostituendo contractum fuerat, obligatur, saltem jure naturæ, & alter implere suam, si ea licita sit. V. g. solvere meretrici pretium, pro quo contraxerat. In his enim videtur intervenire quasi duplex pactum, unum absolutum faciendi rem illicitam v. g. concedo tibi usum corporis pro tanto pretio: & id est irritum, nullamque parit obligationem; unde etiam pretium jam datum ante usum illum corporis, meretrix obligatur illud reddere ante usum sui corporis. Alterum conditionale. V. g. si concessero tibi corporis mei usum, dabis mihi tantum; hic contractus, utpote qui prius perficitur posita conditione turpi, hac posita, infert obligationem (vi nimirum consensus subsequentis talem conditionem turpem) præstandi, quod sub tali conditione promissum; & hoc ipsum licitum est, adeoque in id consentire, illudque intendere poterat contrahens, nimirum dationem pretii pro actu, qui ob commodum vel delectationem ex eo habitam pretio æstimabilis est. Veruntamen etiam censent aliqui apud La Croix. *l. 3. p. 2. num. 692.* huic obligationi naturali, quæ ob & post expletum opus seu conditionem turpem alias oritura erat, resistere jus positivum; dum *L. flagitii, ff. de V. O.* negat actionem, etiamsi opus turpe sit expletum. Quod tamen ex hac ratione male inferri videtur; cum per actionis negationem elidatur solum obligatio civilis, seu actus reddatur civiliter nullus, non vero obligatio naturalis. Sunt enim hæc duo valde diversa; actum reddi irritum in ordine ad pariendam obligationem & actionem civilem; & actum reddi irritum etiam in ordine ad pariendam obligationem naturalem. De cætero notandum hic aliud esse pactum vel contractum de re illicita, adeoque invalidum; aliud esse illicitum, quia nimirum prohibitum, aut etiam quia ex malo fine contrahitur; potest siquidem esse illicitum, etsi sit de re licita; & hinc non statim ex eo, quod contractus sit prohibitus, est etiam irritus; multa enim, ut habet regula Juris, fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Sic emptio gladii ad occidendum aliquem est illicita ex fine malo, habet tamen pro objecto materiam non illicitam, nimirum gladium. Venditio frumentorum extra patriam prohibita, est illicita, & tamen habet materiam non illicitam, nempe distractionem frumentorum extra patriam, & hinc uterque hic contractus, etsi illicitus, est validus.

4. Dicitur tertio: *propria*, nempe illius, qui per contractum jus aliquod in alterum transferre debet; cum nemo plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habeat. *Reg. 79. de Reg. Jur. in 6.* Hinc nullus est contractus, si tam emptor quam venditor sciret rem esse alienam, aut etiam, si solus venditor id sciret; cum emens nolit transferre dominium pretii, nisi obtineat dominium mercis; si tamen emens sciret rem esse alienam, & venditor nesciret, dominium pretii transiret ad vendentem, non tamen dominium rei ad ementem; cum huic res auferri possit, *l. 28. ff. de contrah. empt.* sic statuente in favorem veri domini, ut is facilius rem suam vel pretium ejus recuperare possit. Potest nihilominus contrahi de re non propria pro tempore, quo erit propria. *L. si rem meam, ff. de V. O.* Sic rem, quam emi in annum sequentem, possum jam vendere alteri pro anno sequente tradendam. Possum etiam, dum res communis est, & spectat indivisim ad me & ad alium, valide contrahere pro parte vel jure, quod in ea habeo. *L. sed si communis, ff. de contrah. empt.* Sic etiam, licet quæ natura sui a dominio nostro exempta sunt, in obligationem nullo modo deduci possint, *§. idem juris. Inst. de inutil. stip.* & ita factum alienum nemo promittere possit, valet tamen pactum, quo promittit, se effecturum, ut alius quid faciat, vel det; cum talis proprium magis quam alienum factum spopondisse videatur, *§. si quis al. Inst. de inutil. stip.* His non obstante, quod res aliena legari possit, *§. non solum Inst. de legat.* Nam scienter legans rem alienam non obligat alterum, cujus ea est, ad eam tradendam, sed cogit hæredem, ut, si hæreditatem adire velit, rem illam ab alio redimat, & si id non possit, pretium præstet legatario, *cit. §. non solum.* Qui autem promittit rem vel factum alienum censetur illum velle obligare ad rem illam præstandam, quod non potest. Pari modo e contra res, circa quam contrahitur, debet esse aliena respectu illius, qui eam contrahendo acquirere debet, *l. 82. ff. de V. O.* & *Reg. 45. ff. de Reg. Jur.* finis enim contractus (intellige lucrativi: est acquirere aliquid, quod non habeo, qui cessit, si, quod acquiro, meum est, adeoque jam habeo. Potest tamen quis. V. g. dominus directus contrahere pro usufructu rei suæ, uti & pro recipienda re sua, ut habet communis.

5. Dicitur quarto: *Certa*, qualis erit, si ex actis vel dictis, vel lege, vel saltem ex circumstantiis constat, quid, qualis & quanta sit res. *L. stipulationum. ff. de V. O.* ita ut pactum seu contractus de materia incerta, quæ reduci nequit ad certitudinem, sit nullus, *l. 74. ff. de V. O.* eo quod, si de re conventa, quid, qualis & quanta sit, non constet per signa externa (utpote per quæ declarari debet consensus internus) dominium transferri nequeat. Sic v. g. contractus foret de re incerta, si diceretur: vendo fundum: emo vinum: item vendo bovem vel equum, itemdum verba sunt æquivoca; potest autem materia incerta reduci ad certitudinem per electionem v. g. relictam emptori, dum ei venditus est bos vel equus, *l. 75. ff. de V. O.* item per eventum conditionis, vel per declarationem aut arbitrium tertii a partibus electi, qui curare debet, ne arbitrando pro-

misso-

missorem gravet ultra verba, & ut minus gravet possessorem seu debitorem, item arbitrari debet, quod rationi & menti contrahentis conformius videtur.

6. Dicitur quintu: *de possibili*; nemo enim ad impossibile obligari potest. *Reg. 6. Jur. in 6.* intelligeodo per impossibile, non tantum impossibile de facto, seu quod naturaliter omnino, vel non nisi difficillime fieri potest. Arg. *c. sciscitatus, de rescrip.* (quo revocatur pactum initum cum moribundo, ut post obitum renunciet de suo statu; id enim noo est in potestate paciscentium) sed etiam impossibile de jore; quod enim licire & de jure fieri nequit, impossibile censetur. *Can. faciat, 22. qu. 2.* ubi Gl. *solum illud dicimus facere posse, quod juste fatere possumus*, & *L. filius, ff. de conditionib. institut.* ubi: *quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, generaliter, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.* Atque ita possibile cum honesto cniicidit. Nihilominus conditio impossibilis adjecta pacto vel contractui, etsi eundem, stando jure naturæ vitiaret, cum contractus non obliget, nisi posita conditione, quæ, si impossibilis, nnoquam poni potest; noo vitiat tamen eundem, stando jure positivo, utpote quod voluit in quibusdam contractibus. V. g. matrimonio, institutione hæredis, fideicommisso, donatione mortis caosa, conditionem impossibilem haberi pro oon adjecta; unde & contrahentes, quia præsumuntur voluisse contrahere secundum leges, præsumuntur quoque hac voluntate prævaleote eam habere pro non adjecta. Porro sub impossibili veniunt etiam ea, quæ moraliter sunt impossibilia, id est, quæ considerata humana imbecillitate censentur vires nostras superare. Dum autem materia pacti est partim possibilis, partim impossibilis, valet contractus, si materia est divisibilis, & consensus feratur divisibiliter. V. gr. si contractum de dandis 100. & non possis dare nisi 50. valet de 50. Secus, si materia est iodivisibilis, vel consensus fertur indivisibiliter. V. g. si emeris duos equos pro rheda, & venditor non potest tradere nisi unum.

7. Dicitur sexto: *quæ in commercio hominum est*, qualiter, quia in commercio privatorum oon sunt, quæ publica sunt, ut flumina, fora, theatra, & similia, non cadunt sub pactis privatorum, *§. idem Juris Inst. de inutil. stipul.* & *L. idem Julianus, §. fin. de legat.* item res Sacræ & Religiosæ, *cit. §. idem juris*, utpote quæ juris divini, & in nullius bonis sunt, *§. nullus, Instit. de rerum divis.* de quo amplius quid *quæst. seq.*

QUÆSTIO DCCCCXLVIII.

Num pactum circa res spirituales obtinendas valeat?

RESp. Irritum esse & nullius momenti. Arg. *c. fin. h. t.* ubi generaliter dicitur, quod in spiritualibus omnis pactio & conventio debeat cessare, & *c. quæsitum, de rer. permut.* ubi, quod pactio circa spiritualia vel conoexa spiritualibus labem semper continet Simoniæ. Quod certum est, ubi pro spirituali obtinendo datur temporale, & quidem juris divini Simoniam esse v. g. vendere Sacramenta & similia spiritualja. Gl. *in c. cum pridem h. t. vers. illicita.* Pacisci vero circa beneficia ecclesiastica aliaque similia spiritualibus annexa, de quibus solo jure ecclesiastico prohibitum pacisci, esse Simoniam juris solum ecclesiastici; idque etiamsi nihil temporale detur pro spirituali, ut contingit in permutatione beneficiorum facta sine interventu superioris, resignatione sub certa pensione sine authoritate Papæ, promissione beneficii pro dando suffragio in ecclesiastica aliqua electione &c. Verum de his, & similibus pactionibus, in re beoeficiaria illicitis & Simoniacis vide me susius ex professo agentem *in foro benef. p. 3. in indice v. Simonia & Simoniacus.* De cætero, ubi cessat probibitio Ecclesiæ probibentis aliquid tanquam continens Simoniam, dare vel promittere spirituale pro spirituali. V. gr. aliqua rosaria recitanda pro celebratione Missæ, juxta probabiliorem non videtur illicitum aut reprobatum per textum *cit. c. fin. h.* r. generaliter de cætero loquentis, cum, ut Gl. *ibid. v. cessare*, loquitur solum de pactione illicita & inhonesta intra materiam beneficialem, quo nimirum datur quid temporale pro spirituali, ut constat ex alia Gl. *in c. quam pio, 1. q. 2. v. pactio*, expresse dicente, quod in spiritualibus non removetur nisi pactio inhonesta (qualis de se non est pactio versans circa spiritualia) nam honesta pactio non removetur *can. quanquam, can. in ea synodo, dist. 100.* & *c. significatum, de preb.* ita Wiestner. *h. t. num. 56.* Reiffenst. *num. 66.*

QUÆSTIO DCCCCXLIX.

An valeat pactum in præjudicium juris Parochialis?

RESp. Negative. Nemo enim pacisci potest in præjudicium alterius non consentientis, cum id repugnet naturali æquitati & justitiæ; & præsertim, si per tale pactum præjudicetur juri publico; cum pactis privatorum juri publico derogari nequeat, *c. si diligenti, de foro compet. L. inter, ff. h. t.* & jus publicum pactis privatorum mutari nequit. *L. jus publicum ff. eod.* Sic ecclesia aliqua regularis aut sæcularis locando vel aliter concedendo rem suam nequit pacisci com conductore vel concessionario, ut sibi solvat decimas, aut sepulturam apud se eligat (ubi notandum, aliud esse, eligere libere sepulturam extra Parochiam, quod possunt Parochiani; aliud inducere illos ad paciscendum, ut relicta sua Parochiali, apud se eligant sepulturam, quod ipsum graviter prohibetur *c. plerique, h. 1. c. x. de sepult. in 6.*) cum id præjudicet juribus Parochialibus, uti hæc habentur in *cit. c. plerique.* Sed neque Ecclesia Parochialis seu Rector illius pacisci potest, cum ecclesia alia regulari vel sæculari, habente privilegium recipiendi Parochianos ad sepulturam, quod nolit recipere Parochiaoos ad sepulturam; cum id cedat in præjudicium Parochianorum, quibus denegari nequit sepultura in Parochiali, nisi in certis casibus. Pirh. *hoc tit. num. 18.* citans Franc. *in cit. cap. plerique, num. 3.*

QUÆSTIO DCCCCL.

Num valeat pactum de non succedendo, seu quo quis renunciat hæreditati paternæ futuræ?

1. RESp. primo negative. Similia enim pacta v. g. quo filia, dum io matrimonio collocatur paciscitur, se dote accepta, contentam fore, oullumque ad bona paterna seu hæreditatem regressum habituram, expresse reprobantur & irritantur. *L. fin. ff. de suis & legitim. hæredit.* & *L. pactum dotale. Cod. de collationibus*, ita ut talis filia vi hujus dispositionis, tali pacto non obstante, post mortem patris regressum habeat ad bona paterna, & ab intestato succedere non prohibeatur, modo dotem, quam accepit, cum fratribus, si quos habet, conferat. Idem, quod dictum de filia, dicendum de filio & quocunque hærede necessario, renuotiaoti ex simili pacto hæreditati. Laym. *in c. quamvis, hoc tit. num. 2.* Licet enim tale pactum, spectato jure naturali sit licitum, utpote cui per se & ex objecto suo nec votum captandæ mortis (uti est in pacto de succedendo) nec quicquam mali alterius, aut bonis moribus contrarium insit. Pirh. *hoc tit. num. 28. & 29.* leges tamen cæsareæ tale pactum ob bonum publicum reprobarunt; tam quia convenieus judicarunt, hæreditatem certis solummodo modis a jure approbatis, & non privatis pactionibus cum testatore, cujus adhuc viventis nulla est hæreditas, dari vel aufferri. *L. hæreditas, ff. de hæredit. & act. vendit.* tum etiam, quia liberos ad reverentiam & obsequia parentibus exhibenda, uti spe futuræ hæreditatis excitari & promptiores reddi, ita illa spe præcisa facile segniores reddi posse, prævideruut. Zoes. *in comment. ad ff. h. t. num. 36.* Argum. *L. si quando, §. illud ff. de in off. testam.* Sed &, cum hæc dispositio juris civilis æquitati naturali ac tationi consentanea sit, oullumque peccatum foveat, nihilque ei, secluso juramento, contrarium a jure canonico statutum reperiatur, recte dicitur, etiam secundum Canones non valere tale pactum. Arg. *c. 1. de novi oper. nunciat.* & juxta illud Pagn. *in c. cum esset, de testam.* ubicunque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a Jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum & civile, imo lex civilis servari debet in foro ecclesiæ.

2. Resp. secundo. Si tamen tali pacto adjectum a renunclante jurameotum, illud omnino servandum juxta expressum textum *c. quamvis, h. t. in 6.* ubi ait Pontifex; *si tamen juramento nec vi nec dolo præstito firmatum fuerit, ab eadem (nempe filia) omnino servari debebit; cum nec vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum*: sed solius jurantis, ob cujus favorem (ne scilicet a successione exclusus fieret deterioris conditionis, quam cæteri liberi, & ideo a paternis obsequiis facile retraheretur) quia principaliter inducta est illa juris civilis dispositio, favori dicto, tali adjecto juramento, valide renunciare poterit.

Argum.

Argum. *c. si de terra*, *de privileg.* & DD. communiter ut Wiestner. *h. t. num.* 46. Porro, cùm hic agatur de peccato & vitando perjurio, hæc constitutio Pontificia locum quoque habet in foro civili, & per Judicem sæcularem observanda. Gl. *in cit. c. quamvis pactum*. Alex. *cons.* 29. *L.* 3. Zoesius, *loc. cit. num.* 37. Reiffenst. *h. t. num.* 82. cum communi. Extendenda quoque dicta constitutio, ut locum habeat, sive filia renunciet hæreditati ante nuptias & constitutam dotem, sive post eas; cum ratio sic decidendi innitatur juramento. Pirh. *num.* 30. citans Covar. *in cit. c. quamvis in relect. p.* 3. §. 2. *num.* 1. Franc. *ibid. not.* 1. Item ut quod dictum de filia, idem hic locum habeat de filio, dum is dotis causa, vel donationis propter nuptias, vel ob aliam causam renunciavit hæreditati sibi debitæ. Item in alio hærede necessario descendente vel ascendente; cum filia solum exempli gratia exprimatur, & quia frequentius filiæ quam filii hæreditati renunciare solent. Pirh. *loc. cit.* Item in renunciante hæreditati fraternæ vel alterius consanguinei. Cum enim eadem in tali hæreditate, quæ in paterna, sit ratio juramenti, etiam est eadem juris dispositio. Pirh. *loc. cit.* cum Covar. *l. c. p.* 3. *in init. num.* 5. Item licet renuncians sit minor 25. annis, modo sit pubes. Covar. *loc. cit.* §. 1. *num.* 3. sive sit emancipatus, sive adhuc sub patria potestate. Pirh. *num.* 31. Covar. *cit.* §. 1 *num.* 5. Item etiamsi renuncians ignoraverit, pactum tale esse jure civili prohibitum; cum talis ignorantia non impediat consensum jurantis. Covar. *num.* 4. Item etiamsi post renunciationem factam a filio patri, vel a filia fratribus, renuncianti superveniant liberi; licet alias donatio revocetur propter supervenientiam liberorum. Covar. *loc. cit.* §. 3. *num.* 8. Pirh. *num.* 31. Item licet post renunciationem talem sint aucta bona paterna, ita ut nihil ex iis petere possit renuncians. Covar. *loc. cit.* §. 1. *num.* 2. Pirh. *loc. cit.* Item etiamsi mox a renunciatione renuncians ingrediatur religionem, ita ut vi illius renunciationis excludatur monasterium a succedendo, utpote quod non succedat nisi ex persona & jure professi, qui se jam ante per illam renunciationem abdicaverat se jure succedendi. Covar. §. 2. *num.* 3. Pirh. *loc. cit.*

3. Resp. tertio. Responsio hæc secunda patitur sequentes limitationes. Primo (quæ in ipso canone expressa) nisi vi aut dolo juramentum extortum; tale enim juramentum nullatenus est obligatorium, ubi vis vel dolus talis est, qui voluntarium impedire potuit, ut Abb. *in c. cum contingat, de jurejur. num.* 3. Talem autem dolum videtur passa filia, ubi callida persuasione decepta credidit modicas esse facultates paternas, & ideo modica dote contenta consensit renunciationi non nisi sub conditione, si tam modicæ sint facultates paternæ. Ubi vero dolus & metus tales sunt, qui quidem voluntarium & consensum non omnino impediunt, extorquent tamen illum, quia metus gravis injuste incussus, ut duni gravibus minis alias dotis non obtinendæ, vel etiam verberibus adacta; tenebitur quidem ad servandum juramentum, quia non est de re secundum se mala, & sine peccato servari potest. Laym. *Theol. Mor. tract.* 3. *c.* 7. *qu.* 5. Pirh. *h. t. num.* 32. cum communi. Non est tamen hoc pactum efficaciter obligatorium, eo quod jurans relaxationem illius petere possit, eaque per Ecclesiam concedi soleat, *c. verum*, *de jurejur.* Quin & Magistratus sæcularis (etsi directe relaxationem juramenti, quæ fit per modum absolutionis, concedere nequeat. Cum potestas nomine Dei relaxandi juramentum sit ecclesiastica & omnino spiritualis Laym. *loc. cit. num.* 11. & 9. Suar. *L.* 2. *de juramento*, *c.* 41. *num.* 16.) cogere tamen potest vim inferentem, ut juramentum remittat, vel eo id facere recusante, Judex id remittere potest. Pirh. *num.* 32. qui tamen ibid. in fine addit, citato pro hoc Gail. *L.* 2. *observ.* 148. *n.* 11. ob solum metum reverentialem patris non vitiari talem renunciationem juratam.

4. Secundo, nisi filia vel filius, etiam major 25. annis renuncians hæreditati accepta dote vel alia certa quota inde enormiter seu ultra dimidium læsus sit, tunc enim, ea læsione legitime probata, absolutionem a juramento petere potest, & ea obtenta, etiam rescissionem renunciationis, eaque illi concedenda a Judice. Covar. *p.* 3. *in cit. c. quamvis h. t. in* 6. §. 4. *num.* 11. Gail. *l.* 2. *observ.* 147. *n num.* 8. Fachin. *L.* 8. *controv. Jur. c.* 6. Pirh. *h. t. num.* 33. Reiffenst. *h. t. num* 84. Censetur enim juramentum in hoc casu enormis læsionis dolo extortum, & cum res ipsa tunc in se dolum habet, ut dicitur. *L. si quis cum aliter ff. de V. O.* censetur jurans non consensisse in talem læsionem. Consideranda autem in ordine ad talem læsionem bona paterna, quæ pater tempore datæ vel constitutæ dotis habebat, & non quæ postea habuit aut habere potuit. Covar. *loc. cit. num.* 15. Fachin. *loc. cit.* Menoch. *de arbit. cons.* 149. *n num.* 17. Idem est, dum, quæ renuncians accepit dotis vel alio nomine, non continerent legitimam; esset enim hæc enormis læsio. Abb. *in c. cum contingat*, *de jurejurand. num.* 25. & Covar. *loc. cit. n.* 5. Gail. *l.* 2. *observ.* 147. *num.* 12. Pirh. *num.* 33. Wiestner. *num.* 47.

5. Tertio, ut si quis renunciavit hæreditati, non simpliciter, sed in gratiam fratrum solummodo & ab his descendentium, iis deficientibus, vi juramenti non prohibetur patri ex testamento, vel etiam ab intestato succedere; cum in eo casu cesset causa finalis renunciationis. Arg. *c. cum causa de appell.* Franc. *in cit. c. quamvis n.* 10. Covar. *loc. cit. num.* 4. Gail. *loc. cit. num.* 10. Pirh. *loc. cit.*

6. Quarto, ut tale pactum nullatenus validetur aut confirmetur, per adjectum juramentum, nulla portione aut dote accepta, sed habeat filia aut filius in tali casu regressum ad bona paterna. Nam juri dotis, sicut alimentis, quibus dos succedit, nemo renunciare potest, adeoque tale pactum, utpote repugnans juri naturæ, quod præcipit liberos ali a parentibus, per juramentum, quod nequit esse vinculum iniquitatis, *c. quanto de jurejur.* confirmari nequit. Neque etiam per tale juramentum censetur renunciari juri petendi dotem congruam, aut etiam necessaria alimenta vel legitimam. Secus nihilominus foret, seu pactum tale renunciationis juratum observandum esset, si filius aut filia renuncians aliunde haberet, aut habere possit, sive ex propria industria, sive alio quovis modo alimenta sufficientia ad congruam sustentationem, ita Pirh. *num.* 32. citatis Covar. Molin. & aliis.

7. Quinto, si postmodum pater renuncianti filio aut filiæ reliquisset aliquid in testamento, vel donasset in vita, idipsum peti possit, non obstante renunciatione tali jurata; cum pater id faciens censeatur juramentum in tantum remittere. Franc. *cit. num.* 10. Gail. *loc. cit. observ.* 148. *num.* 11. Pirh. *num.* 32.

8. Sextu, nisi renuncians sit impubes, etsi pubertati proximus, & doli capax; cum talis ex juramento ob imperfectam ætatem non obligetur civiliter, quo minus petere possit & obtinere absolutionem ab illo & restitutionem in integrum. Argum. *Auth. Sacramenta puberum*. *C. si adversus vendit.* Pirh. *num.* 32. citans Covar. *in c. quamvis par.* 3. §. 1. *num.* 3.

9. Denique sic limitanda responsio, ut renunciatio facta semper censeatur cum minima læsione seu præjudicio renunciantis; cum renunciationes de non succedendo sint odiosæ & stricti juris. *L. pactum Cod. de Collat* adeoque extra expressum casum non extendenda. V. gr. filia renuncians hæreditati maternæ vel fraternæ. Gail. *loc. cit. num.* 12. Pirh. *num.* 33.

QUÆSTIO DCCCCLI.

Num pactum de succedendo in hæreditate valeat?

1. RESp. Primo pactum futuræ successionis, quo Cajus promittit Titio, se illum hæredem instituturum in testamento, vel quo duo paciscuntur, ut unus alterius, si supervenerit, sit hæres, jure civili expresse improbatur & irritatur. *L. pactum*, & *L. fin. h. t.* eo quod censeatur esse contra bonos mores. *L. stipul. ff. de V. O.* & *cit. L. fin.* quatenus nimirum talibus pactionibus libertas testandi adimeretur & restringeretur contra jura, quæ ultimam hominis voluntatem usque ad extremum vitæ Spiritum & exitum voluerunt esse ambulatoriam. *L. quod si ff. de adimend. Legat.* Ac insuper, non quidem de se seu ex objecto, sed vitio cupiditatis bonorum temporalium, inducunt votum captandæ mortis, seu ansam machinandi mortem promissori, adeoque per talia pacta grave incommodum creari bono communi censetur. Ac proinde ne quidem per adjectum juramentum tale pactum confirmatur, ita ut vi talis pacti jurati competat actio ex Justitia. Ita tenent Covar. *loc. cit. p.* 2. §. 1. *num.* 8. & *p.* 3. *ad init.* Gail. *loc. cit. observ.* 125. aliique apud Ipsum, item Laym. *Theol. Mor. l.* 4. *tr.* 3. *c.* 8. *num.* 4. & *in cit. c. quamvis num.* 2. Pirh. *hoc tit. num.* 34. Wiestner. *num.* 48. Unde jam institutio alterius hæredis contra juratam talem promissionem erit valida, neque contra talem promittentem perjurum, aut etiam hæredem ab eo institutum post mortem illius promissario competit actio. Pirh. *loc. cit.* Porro extenditur responsio ad paciscentes inter se de hæreditate alicujus tertii determinati obventura uni paciscentium ob easdem rationes; ut constat ex *L. fin. C. h. t.* Secus est, si paciscantur de hæreditate tertii indeterminati obventura, cum per hoc non adimatur libertas testandi, neque etiam præbeatur occasio mortis captandæ. Molin. *de Just. tr.* 2. *d.* 129. *num.* 38. Barbos. *in cit. L. fin. num.* 7. Bruneman. *ibid. num.* 8. quos citat & sequitur Wiestner. *h. t. n.* 49. E contra limitanda respons. ut valeant hujusmodi pacta, non tan-

debitæ. Dico, certo debitæ, quia ubi non constat, certo deberi, sed de eo ...tur, efficacius jus habet possessor illius, adeoque hæc propter bello appeti nequit: ita AA. communiter. Rebellio subditorum subducentium se obedientiæ 1. *Reg. c.* 20. *v.* 1. Contumelia publice irrogata Principi aut subditis ejus 2. *Regul.* 10. *v.* 4. Defensio seditiosorum & tactinsorum subditorum *Jud. cap.* 20. *v.* 1. Violatio pacti, fæderis 4. *Reg. cap.* 3. *v.* 5. Suppetiæ hostibus latæ 2. *Reg. cap.* 8. *v.* 5. Auxilium debitum ex fædere sociis justo bello infestatis. Genes. *cap.* 14. *v.* 14. Denegatio transitus necessarii & innoxii. *Num. c.* 21. *v.* 23. Item ob impeditam Evangelii prædicationem, concionatores illius affectos injuriis, ob Christianam religionem blasphematam, ob innocentes occisos, adactos ad idololatriam; eo quod tale bellum sit justa defensio fidei & proximi. Suar. *cit. d.* 13. *ſ.* 5. *in fine* Castropal. *cit. part.* 3. *num.* 6. Quamvis de cætero ob idololatriam aliaque vitia contra naturam exerceri solita a gente aliqua, nulla ratione sibi subdita Princeps eam bello aggredi nequeat. Suar. *n.* 3. Molin. *d.* 106. Bonac. *de restitut. disp.* 2. *quæst. ult. §.* 2. *num.* 13. Castrop. *loc cit. num.* 7. non enim Deus dedit omnibus potestatem vindicandi injurias suas, & nemo alium nisi sibi subditum punire possit; nullus autem ratione delicti subjici potest alteri, nisi illud in illum commissum jus ejus violet. Unde etiam Suar. *num.* 5. Molin. *disp.* 105. *in fine* Castropal. *loc. citat.* Coniock. & alii tradunt, non esse justum titulum debellandi barbaram gentem, ut melius & politico modo gubernetur; modo ejus vitia non sint aliis injuriosa.

QUÆSTIO DCCCCXXXII.

An dari possit titulus ex utraque parte belligerantium justus.

RESp. Etsi dari nequeat titulus utrimque justus materialiter, dum eadem res a parte rei non possit spectare ad duos, quorum quisque in ea jus habeat privative ad alterum; potest tamen dari utrimque justus formaliter dum v. gr. utraque pars ex ignorantia invincibili, adeoque bona fide credit, civitatem ad se spectare. Et contra dari potest bellum utrimque materialiter injustum, dum res, pro qua pugnatur, ad neutrum, sed ad tertium aliquem spectat; uti etiam utrique injustum formaliter, dum uterque judicat, rem ad se non pertinere v. gr. Titius censet pertinere ad Cajum, & hic ad Titium, & tamen utrique pro ea pugnatur; ita cum communi Castrop. *loc. cit. num.* 9. & 10.

QUÆSTIO DCCCCXXXIII.

An stante justitia belli, aliunde adhuc bellum possit esse illicitum?

RESp. affirmative, nimirum ubi spes victoriæ est minima, ut Cajet. 2. 2. *quæst.* 96. *a.* 4. Coninck. *d.* 31. *du.* 4. *num.* 73. eo quod temerarium tunc sit & subditi injuriosum, exponere se & illos gravissimis periculis, vel etiam, ut cum Suar. Castrop. *loc. cit. nu.* 17. ubi spes victoriæ non prævalet malis, quæ timentur, non est movendum bellum, seu est abstinendum a bello aggressivo; moralem tamen certitudinem victoriæ, ut vult Cajet. non requiri, sed sufficere spem probabilem; cum ea prævalere possit damnis, quæ timentur, quin & bono Reipubl. maxime expedire potest, bellum indici, ne hostes putent, Principem esse timidum, adeoque magis insolescant, tradunt iidem. Item ubi damna, quæ ex bello Reip. omnium prævalent utilitati speratæ victoriæ; cum Princeps, utpote a Republ. habens potestatem gubernandi, non pro suo libitu & utilitate, sed pro bono ipsius Reip. teneatur potius providere bono Reip. quam proprio; adeoque, si contrarium faciat, bellum jam etiam est injustum, non quidem respectu hostium, sed Reipubl. propriæ ita Suar. *loc. cit. ſ.* 4. *num.* 8. Molin. *disp.* 102. *in fine* Castrop. *num.* 18. Item illicitum esse bellum, & contra caritatem debitam bono communi, si credatur inde religionem Christianam minuendam, & hostes Ecclesiæ evasuros potentiores; adeoque tunc Principem Catholicum læsum debere potius cedere propriis suis commodis, tenent Victoria *de jure belli num.* 33. Suar. Castropal. *LL. citat.* Molin. *disp.* 107. &c. de cætero quis modus servandus in bello, quæque licita Ducibus ac militibus, quia fusiore egent tractatione, videri poterunt apud Castropal. fuse id prosequentem *p.* 4.

QUÆSTIO DCCCCXXXIV.

An ab adversario prius petenda satisfactio, & si hæc offeratur, abstinendum a bello?

1. RESpond. primo. Etiam, dum certa est justitia belli, non potest protinus hostis bello impeti, sed prius ab eo satisfactio petenda, & hæc si competens offeratur, acceptanda, omisso bello. Suar. *loc. citat. sect.* 7. *num.* 3. Valent. 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 16. *part.* 2. Molin. *disp.* 103. *numer.* 13. Castropal. *num.* 14. cum communi; bellum enim, non voluntate, sed necessitate suscipiendum, ut D. August. relat. *in cap. noli* 23. *quæst.* 1. oblata autem competente satisfactione, cessat omnis necessitas bellandi. Proceditque hoc posterius etiam jam bello inchoato, ut ab eo cessare debeat pars, oblata sibi satisfactione, si secure desistere potest. AA. iidem. Quia tamen ad illam satisfactionem pertinent plura, ut mox dicitur, de quibus in ipso belli congressu tractare, quia vix est possibile ob temporis angustias, erit quoque vix possibile abrumpere tunc bellum. Castropal. *citat. num.* 14. *in fine*. Porro ad debitam satisfactionem spectant, ut præter omnia, quæ sunt Principis, reddantur etiam expensæ factæ in illud bellum; compensentur etiam ei pericula & molestiæ, quibus se & suos exposuit, factæ ei injuriæ. Castropal. *loc. citat.* qui etiam ait, peti insuper ab eo posse, quidquid imposterum ei necessarium, ut secure & in pace vivat; cum is sit scopus belli.

2. Respond. secundo; Limitandam videri sponsionem ita, ut spectato Justitiæ rigore, non teneatur quis admittere oblatam satisfactionem in pecunia, tributis similibusque una cum petitione veniæ & omnimoda submissione, & sic a bello desistere, si pars rebellis ob injurias illatas sit digna morte, & hæc ei post partam victoriam licet inferri possit; ita tenent Castropal. *num.* 15. & quos citat Molin. *tract.* 2. *de Justit. disp.* 103. *post medium* Bannez, Lorca &c. eo quod Judex non teneatur acceptare satisfactionem oblatam a delinquente, sed pro gravitate delicti pœnam promeritam in aliorum exemplum illi infligere. Idque, etiamsi dicatur, Principem illum ratione injuriæ sibi illatæ evasisse Judicem non ordinarium rebellium, sed extraordinarium & in defectum, eo quod pars adversa non habeat superiorem (quod ipsum tamen sub lite esse, ait Castropal.) nam eo ipso etiam, quo Judex constitutus est extraordinarius, seu in defectum superioris, gerit vices illius, adeoque sicut ille superior non tenetur admittere satisfactionem oblatam, sed potest infligere pœnam, cum bellum sit actus Justitiæ vindicativæ. Dixi: *spectato Justitiæ rigore*; nam spectato jure caritatis teneri Principem eam admittere & remittere afflictis & humiliatis ulteriorem pœnam, tradunt iidem cum Coninck. *d.* 31. *du.* 2. *a n.* 16.

men ex voluntate contrahentium tolli citra destructionem substantialem contractus. Sic v. g. licet venditor ex natura venditionis teneatur emptori de evictione, si res ab aliquo tertio vindicata, seu tanquam sua reperita fuerit. *L. ex empto §. de action. empt.* Possunt tamen contrahentes expresse convenire de remittenda obligatiône præstandi evictionem, nisi forte quis sciens alienum vendiderit. *L. emptorem §. fin. eod. tit.* Et de his naturalibus intelligenda Regul. 85. Jur. in 6. contractus ex conventione legem accipere dignoscitur. Accidentalia contractus sunt, quæ ei præter ordinariam illorum naturam adjiciuntur v. gr. in mutuo accidentale est, ut solutio fiat in hac vel illa moneta, hoc vel illo tempore, loco &c. & talia fere sunt, quibus pacta vestiuntur. Et licet hæc quoque removeri possint a contractibus ex voluntate contrahentium, in hoc tamen a naturalibus differunt, quod hæc, seclusa conventione in contrarium, ex natura contractus ei tacite insint; illa vero, nisi adjiciantur, secundum & ex natura contractus ei non insint. Solennia dicuntur, quæ ex jure positivo requiruntur, ut contractus sit legitimus. Harum autem solennitatum aliæ sunt substantiales & intrinsecæ, ita ut sine illis contractus sit invalidus. Tale quid in contractu matrimonii secundum Trid. est præsentia parochi & testium. Aliæ extrinsecæ, sine quibus contractus quidem valide, sed non licite celebratur. Ita fere Engels *b. t. n. 14.*

QUÆSTIO DCCCCXLV.

Qualis consensus requiratur ad valorem contractus?

1. RESpond. Requiritur primo ex parte utriusque contrahentis consensus verus internus, seu animus, saltem implicitus (qualis est voluntas ineundi contractum, qualem homines communiter ineunt, ex quo contrahens ante hac sufficienter scivit, & nunc virtualiter adhuc scit oriri obligationem, & qualis intentio sufficit ad contrahendam obligationem ex voto, ad valorem Sacramentorum &c.) se obligandi, ita ut non sufficiat extrinsecus fingere consensum, volendo ponere & ponendo verba vel alia signa externa, per quæ solent celebrari contractus. Oviedo *de contract. disp. 1. num. 62.* de Lugo. Molin. Sanch. contra Dicastil. *de Justit. l. 2. tr. 3. disp. 1. num.* 461. Vasq. Pont. Palavic. &c. apud la Croix *l. 3. quæst. 2. num.* 608. constat ex *l. 3. ff. de A. & O. l. 1. §. conventiones ff. hoc tit.* ubi: *dixit Pedius, nullum esse pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem; nam & stipulatio: quæ verbis fit, si non habeat consensum, nulla est.* Estque ratio, quod contractus essentialiter causare debeat obligationem. obligatio autem ex contractu non aliunde quam a voluntate sese obligantis nasci potest. Non enim ad pariendam obligationem istam consensum hunc voluntatis supplent leges, dum contractus sine consensu interno externe tantum initi in foro externo habentur pro validis, & contrahentes coguntur implere, de quo contraxerunt. Siquidem in foro externo præsumitur adfuisse consensus, eum, quia delicta non præsumantur, quisque censetur loqui, prout sentit. Unde Judex adjudicando rem alteri, nullatenus vult supplere consensum, utpote quem non defuisse præsumit & judicat. Sed & ubi sciens consensum defuisse, & ficte contractum, adjudicat rem alteri, dominium non transfertur in eum vi contractus, sed per dispositionem Juris, quod Judex exequitur, punientis hac ratione fictionem, vel etiam per dominium altum, quod habet Resp. in bona privatorum, ubi sic exigit bonum commune, uti in præsente id exigit, ne commercia humana omnia fraudibus & litibus pateant. Sed neque sine consensu interno contrahens, si per hoc damnum non causavit alteri parti, aut si causavit illud, aliter reparare possit, tenetur ex Justitia, sed ad summum ex fidelitate quadam obligante ad conformanda facta verbis. Quanquam etiam dici possit teneri etiam illum mediate ex justitia ad præstandum id, quod promisit, quatenus immediate tenetur ex justitia fictionem illam deponere; cum quisque jus habeat, ut secum contrahatur serio & non ficte. Unde jam etiam, licet quis habere possit voluntatem se obligandi ad aliquid, & simul voluntatem & obligationem non implendi (cum voluntas illa faciendi id, de quo faciendo conventum est, non excludat voluntatem contrahendi obligationem) non tamen potest quis habere animum contrahendi, & simul expressum animum se non obligandi, æqualiter tendendo in contractum & in non obligationem; cum sic tendat in impossibile. Secus foret, si quis hic & nunc nollet obligationem, vellet tamen adhuc contrahere, quamvis inde oriretur obligatio. Siquidem tunc, quia prævaleret voluntas contrahendi, valeret contractus, adeoque re ipsa induceretur obligatio. De cætero, num ubi materia contractus est gravis, requiratur consensus in obligationem gravem, ita ut si quis ad eam se vellet obligare non nisi leviter, irritus esset contractus, non convenit inter AA. vide La Croix *n.* 61. cum de Lugo amplectentem sententiam affirmativam contra Sanch. Henriq. &c.

2. Secundo requiritur, ut consensus sit liber ab inadvertentia, ignorantia & errore circa substantiam *l. 15. ff. de jurisdict. l. 11. & 41. ff. de contrah. empt.* consensus enim errantis nullus est *l. 9. C. de Juris & fact. ignor.* Idque, sive ignorantia vel error sit vincibilis & crassus, sive invincibilis; sive Juris sive facti; sive antecedens dans causam contractui, sive concomitans, incidens aut subsequens, non dans causam contractui. Sive causatus ab altero contrahente, sive ab alio. In his enim omnibus, cum objectum sit incognitum, deest consensus in obligationem essentialis contractui, ad tale objectum. Sed neque consensus hic suppleri potest a Republ. aut etiam Deo; adeoque, si nihilominus imponatur obligatio rem præstandi, hæc non est ex contractu, sed ex præcepto, translato dominio per potestatem altiorem. Sed neque sufficit ad pariendam obligationem ex tali contractu, quod etsi contrahens aliter scivisset: V. gr. Quod emit pro vino, esse oleum, nihilominus contraxisset; cum ad contractum absolutum requiratur consensus exsistutus sub certa conditione. Sic itaque si emam rem inauratam, quam putabam esse auream, nullus est contractus, nullaque inde oritur obligatio, non obstante, quod expresse hoc exemplo adducto *l. 14. ff. de contrah. empt.* dicatur contrarium; cum plures in Jure Civili reperiantur sententiæ & leges contrariæ, utpote diverso tempore a diversis compilatæ, plures etiam, non tantum per Jus Canonicum, sed etiam per ipsummet Jus civile subsequens reprobatæ. Sic si Cajus vendat equum Titio, & is putet illum sibi donari, venditio est irrita. *L. in vendit. ff. de contrah. empt.* quia erratur in specie contractus, qui error versatur circa substantiam. Item si contraham pro 100. imperialibus solvendis in auro, & solvo 50. ducatos in auro, qui hoc tempore plus faciunt quam putavi, emptio nulla est, quia in tantum pretium non consensi, & error in pretio est in substantia juxta *L. in vendit. ff. de contrah. empt.* si emam 100 oves, quarum 40. non sunt vendentis, emptio tantum valet de 60. cum circa 40. sit error in substantia. Si tamen intentio ferretur in totum aliquod v. gr. in 6. equos rhedarios, & non vellem emere nisi sex illos simul, & unus non esset vendentis, tota emptio est nulla *l. si duos ff. eod.* De cætero contractus quandoque valet, dum error circa substantiam sit in minore parte non excedente medietatem. *L. cum eo ff. eod.* Jam vero in contrarium opponi nequit, quod vel sic detur occasio mendaciis & litibus, dum quisque allegare posset, se ignorasse, & errasse circa substantiam contractus. Nam tale assertum non admittitur in foro externo, sed quamdiu non probabitur oppositum, pronunciabitur pro valore contractus. Neque quod juxta leges sæpe ignorantia juris non juvet; nam etsi hæc ignorantia, dum non præsumitur, non excuset apud homines, reipsa tamen excusat in foro conscientiæ. Neque quod ignorantia vincibilis non excuset a peccato affectatæ ignorantiæ & neglectæ scientiæ, cum hujus peccati malitia satis erat cognita, excusat tamen ab illo peccato, quod committeretur, si sciretur.

3. Quod si inadvertentia, ignorantia vel error sit tantum circa qualitatem, non redditur contractus irritus. *L. alter. L. alioquin ff. de contrah. empt.* Dum enim circa substantiam nihil est involuntarii, non impeditur consensus jure naturæ se solo sufficiens ad contractum, qui nec jure positivo ob errorem in qualitate irritatur, si contractum sponsalium excipias, qui, quia post se trahit contractum difficillimum indissolubilem matrimonii, majorem requirit libertatem; adeoque specialiter ob errorem in qualitate, qua cognita non fuisset initus, jure rescinditur. In aliis autem contractibus, etsi qualitas ignorata, si cognita fuisset, impedivisset voluntatem contrahendi, ea tamen de facto incognita voluntatem illam & consensum non impedit, uti nec superveniens talis qualitas, quæ si antecessisset, & cognita fuisset, etsi impedivisset contractum, eum tamen initum non dissolvit. Procedunt hæc ipsa de valore contractus, dum error fuit tantum circa qualitatem, tametsi error causatus per dolum alterius contrahentis juxta communem. Arg. *L. si dolo. C. de rescind. vendit. L. dolo. C. de inutil. stipul.* Quæ hoc ipso, quod dent Jus rescindi talem contractum, supponunt esse validum. Tametsi autem contractus hujusmodi, si sint stricti juris, manere validus, tam juri naturæ quam positivo, si vero sint bonæ fidei, & alias ex voluntate contrahentium sint rescindibiles, censeant plerique esse rescindibiles; alii tamen cum Lugone idipsum de omnibus contractibus sentiunt; nimirum irritari posse,

posse, authoritate etiam & arbitrio (si non ipsius deceptoris, ut aliqui cum Dicastil. & Sanch.) saltem decepti, quia huic facta injuria, si reipsa dolus dederit causam contractui; teneturque deceptor causata incommoda (inter quæ est, si deceptus nolens teneretur stare contractui) removere, etsi alias deceptor, ubi alia via posset compensando damnum pro injuria illi satisfacere, non tenetur monere deceptum, ut, si is velit, contractum rescindat. Porro dum leges quandoque dicunt, istiusmodi contractus esse irritos & nullos, plus non volunt, quam esse annullabiles & irritabiles; cum vox *irritus* sæpe idem significet, quod irritandus & irritabilis, ut ostendit Oinate *de contract. d. 3. a nu. 167.* Dicat quoque de Lugo, ideo illos dici irritos & nullius momenti, quia pariunt jus debilissimum, utpote statim revocabile a passo injuriam, qui etsi per se loquendo obligaretur irrevocabiliter, per accidens tamen propter injuriam sibi illatam non ita obligatur. Idem esse, quoad hanc rescindibilitatem, si dolus fuit pure concomitans, seu non dans causam contractui, tenent Sylv. Angel. &c. Melius id cum Sanch. Dicastil. Lugone negant alii, eo quod; cum deceptus tempore contractus nihil de illa qualitate curasset, moraliter nulla censeatur esse mutatio, aut etiam illata injuria, saltem efficaciter damnosa. Item idem esse, si dolus illatus a tertio, censent Dicastil. Medin. &c. Negant melius alii, eo quod ius rescindendi oriatur ab injuria illata a contrahente hinc eo innocente, rescindi non possit, sed solum decepto manebit actio *quanto minoris* contra alterum contrahentem *l. 13. ff. de action. empti* & contra deceptorem actio ad id, quod interest *l. 2. ff. de proxeneticis*. De cætero circa hæc difficultas sæpe magna est, discernere, num error sit in substantia, an in qualitate. In contractibus gratuitis plerumque est in substantia, ut si quis donat Petro, putans esse Paulum, & hinc irrita donatio. Secus in onerosis, ut si quis vendat Petro putans esse Paulum, & venditio est valida. Vide de his pluribus La Croix *ex n. 621.*

Quod attinet consensum extortum vi vel metu, dicetur de eo commodius *ad tit. quæ vi metusve causa.*

QUÆSTIO DCCCCLVI.

A quibus & de qua re contractus celebrari possint?

1. RESp. Omnes, & de re quacunque contrahere possunt qui & de qua pacisci possunt. Proinde videnda, quæ in hoc puncto dicta sunt de pacto in genere. Quibus adde sequentia. Primo pupillum contrahentem cum tutore suo. V. g. vendendo illi prædium suum, ne quidem obligari naturaliter *l. 34. §. 7. ff. de contrah. empt.* nisi forte ex hoc conditio pupilli fieret melior, vel consentiret alter tutorum, ut Sanch. *de mat. l. 6. d. 38. n. 25.* Item alienantem, etiam cum consensu tutoris immobilia vel mobilia pretiosa, ne quidem naturaliter obligari, eo quod jus positivum irritet consensum pupilli & tutoris *l. 22. de administ. tutor.* Sanch. *l. c. nu. 26.* Lugo *d. 22. n. 294.* Nihilominus contractus, quibus pupillus habens curatorem contrahit de rebus mobilibus, quæ in quotidiano usu sunt, v. gr. donando aliqua vel expendenda in recreationem juxta conditionem suam, validos esse, etiam civiliter, nec rescindi posse per sententiam Judicis, eo quod prudenter præsumatur tacita licentia, aut saltem consuetudo derogarit legibus illam rescissionem permittentibus, tradunt de Lugo & Onnate apud La Croix *l. 3. p. 2. a. 678.*

2. Impuberes nullo contractu etiam inito cum consensu patris obligari civiliter *§. sed quo Inst. de inut. stipul.* non obstante, quod pupillus de consensu tutoris contrahens obligetur civiliter; cum pupillo detur actio contra tutorem male suadentem qualis actio non conceditur impuberi adversus patrem.

3. Tertio dicta & statuta de pupillis hac in parte etiam procedere de minorennibus habentibus curatorem *l. 3. C. de in integ. rest.* exceptis contractibus, quibus cogitur bona sua, etiam immobilia, distrahere, ut solvat debitum, ad quod in conscientia obligatur; vel donat aliquid alicui in dotem, ut Onnate apud La Croix *l. c. nu. 679.* Uti & non habens curatorem, contrahendo de mobilibus, etiam aliquantum pretiosis, & non occurrentibus in quotidiano usu obligatur naturaliter & civiliter *l. puberes ff. de V. O. L. si curatorem C. de in integ. rest.*

4. Quarto prodigiam non habentem curatorem, etiam notorie prodigium contrahere valide naturaliter & civiliter. Sanch. cum communi apud La Croix *n. 682.*

5. Quinto De servis, religiosis, clericis, filiis familias, uxoribus, in genere dici posse, quod contrahere possint circa res quarum Dominium & administrationem habent; in specie vero quid possint, videri potest apud Onnate *d. 4. a. s. 7.* & quo ad religiosos apud Castrop. *tr. 16. d. 3. p. 15. & 16.* De cætero & illud hic addendum; non eo ipso, quod quis absolute aut hoc vel illo modo contrahere a lege vel canone prohibeatur irritum esse contractum contra talem prohibitionem celebratum *c. ad Apostolicam de regular.* ubi: *multa prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Ut igitur quoque irritari seu reddi nulli censeantur contractus, necessarium fere est, legem vel canonem prohibentem continere clausulam seu verba irritantia contractum initum contra prohibitionem. Occasione cujus sit

QUÆSTIO DCCCCLVII.

Qualiter lege vel canone irritentur contractus?

RESp. Irritari illos dupliciter. Primo in ordine tantum ad obligationem civilem, ita ut paciscenti non oriatur actio in foro externo, per quam paciscens non stans contractui conveniri possit in judicio, & cogi ad impletionem contractus, non tamen impediatur obligatio naturalis, quam in foro conscientiæ dare aut præstare teneatur, de quo convenit. Secundo etiam in ordine ad impediendam obligationem naturalem, ita ut hæc a paciscente non contrahatur, eo quod intuitu boni publici legis vel canonis conditor contrahentis voluntatem reddiderit inefficacem, seu impediverit, ne is, quantumcunque velit, ullo modo se obligare posset. Wiestn. *h. t. n. 86.* citans Haun *de J. & J. tr. 8. n. 180.* & Wading. *de contract. d. 2. d. 2. n. 1.* Porro a canone dicta ratione impediri omnem obligationem, etiam naturalem, quam de cætero haberet talis contractus secundum se, patet in professione edita ante annum integrum novitiatus, aut 16. ætatis, irritata per Trid. *sess. 25. c. 15. & 16. de reg.* ita ut neque naturaliter obliget. Idemque fieri posse a lege, patet in contractu inito a prodigo sine curatore, & a pupillo sine tutore, quatenus per talem contractum conditio illorum evadit deterior *l. is cui ff. de V. O. l. pupillus ff. de O. & A.* ubi expressum, ne naturalem quidem obligationem contrahere pupillum & prodigum ex tali contractu. Cui non obstat *l. 1. ff. de novationib.* quia ibi, ut Gl. de pupillo pubertati proximo (qualis dicitur masculus ab anno 10. cum dimidio ad ann. 16. cum dimidio, & fæmella ab anno 9. cum dimidio ad annum 14. cum dimidio) quem sine tutore contrahentem contrahere obligationem naturalem docent quam plures quos citatos vide apud La Croix *l. 3. p. 2 n. 671.* Ubi tamen Canon vel lex irritat simpliciter contractum, & non exprimit idipsum, nempe nullam orituram ex tali contractu obligationem astringentem conscientiam, aut saltem generaliter dicendo, nullam inde nascituram obligationem, adhuc tales contractus obligare naturaliter seu in conscientia, censent Abb. *in c. 1. de in integ. rest. n. 19.* & *in cap. quia plerique de immunit. n. 31.* Sylv. *v. alienatio n. 12.* Nav. *de alien. rer. eccl. n. 17.* Rodriq. *qq. regular. q. 27. a. 10.* Azor *p. 2. l. 9. c. 1. q. 8.* Laym. *Th. Mor. l. 1. tr. 4. c. 16 nu. 9.* Pirb. *h. t. n. 87.* Wiestner. *h. t. n. 87.* dicens id verisimilius sustineri, eo quod contractus, qui jure naturali ac divino non irritantur (uti eodem irritantur contractus simoniaci, usurarii, & quicunque de re illicita, aut invitantes ad peccatum) spectato eodem jure naturali ac divino obligent in foro conscientiæ, in eodem obligare pergant post legem & canonem eosdem simpliciter irritantem, ne a jure naturali ac divino recessus ultra quod in lege vel canone expressum, extendatur, juxta *reg. c. cum expediat de elect. in 6.* & *l. præcipimus C. de appellat.*

QUÆSTIO DCCCCLVIII.

Quinam sint effectus contractuum?

RESp. Præter primarios supra de pactis in genere enumeratos sunt fere sequentes. *Translatio periculi & commodi*, quod cum spectat ad dominum rei, utpote cui res perit & fructificat, una cum dominio transfertur. Tametsi (quod speciale est venditioni) in ea perfecta (secus ea necdum perfecta, qualis censetur, dum venditio fit ad mensuram, & mensuratio necdum facta, item si fit ad degustationem, & ea nondum facta *l. 1. & 4. ff. de periculo & commodo*) dominium rei maneat apud venditorem, quousque res tradita, periculum tamen & commodum rei mox transit ad emptorem, nisi aliter conventum *§. cum autem Inst. de empt. & vendit. l. id quod ff. eodem* aut nisi venditor esset in mora tradendi; tunc enim pertineret periculum ad venditorem *l. 17. ff. eod.* vel nisi venditoris culpa res periisset, aut deteriorata. Siquidem venditor obligatur ad custodiam rei venditæ, etiam majorem, quam rebus suis præstaret *l. 2. & 3. ff. eod.* emptore interim obligatio solvere expensas factas in custodiam. *Damnum moræ*, quæ est culpabilis transgressio termini pro executione statuti, ex qua damnum

num emergens & lucrum cessans compensare tenetur moraliter, uti & periculum rei in se suscipere. *Traditio*, quæ non est jus, aut etiam juris datio, sed factum externum & conditio requisita (intellige, ordinarie, cum quædam dominia acquirantur sine ulla traditione jure ita disponente) ad translationem alicujus juris vel possessionis; aliaque vera, & alia ficta, sicut dici solet de apprehensione possessionis. *Interdictum possessionum*. Quod est adjumentum adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ possessionis, sic dictum, non quod per illud prohibeatur quid, sed quia datur ad interim, atque dum innotescat dominus rei, vel quia a prætore inter duos litigantes dicebatur. Varias hujus interdicti species vide apud La Croix. *l. 3. p. 2. num. 711. restitutio in integrum* de qua paulo post speciali titulo.

QUÆSTIO DCCCCLIX.

Num obligatio & actio primarii effectus contractus transmittantur ad hæredes?

RESp. Regulariter seu ordinarie transmitti; cum hæres repræsentet defunctum, reputeturque una eademque cum eo persona. *Novell. 48. pr.* succedatque in defuncti jus universum, tam quo ad commoda & actiones, quam quoad onera & obligationes. *l. hæreditas. l. hæredem ff. de Reg. Jur. l. cum hæres ff. de divers. temp. præscript.* Et hinc sine ulla expressione ipso jure obligatio & actio transmittitur ad hæredes, si in contractu contrarium, nimirum ne transmittantur, expressum non sit. *l. cum hæres ff. de acquir. possess.* Molin. *tr. 2. d. 3. nu. 18.*

QUÆSTIO DCCCCLX.

Pro quo tempore urgeat obligatio ex contractu orta?

1. RESp. primo. In contractibus puris, hoc est, sine die, tempore, conditione, modo, & sine alternatione celebratis, statim ex quo contractus perfectus, consurgit & urget obligatio, ita ut ex eo debitum mox peti possit. *l. cum qui § 1. ff. d. V. O. §. omnis Inst. eod. & reg. 14. ff. de Reg. Jur.* ubi: *in obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsente die debitur*, & juxta quod dicitur in *l. cedere ff. de V. S.* In stipulationibus aliove contractu puro inito, diem non solum cessisse, hoc est, adesse diem seu tempus, quo obligatio incipit, sed & venisse diem, id est adesse diem seu tempus, quo facienda executio. V. g. quo solvendum vel præstandum, de quo contractum. Uti e contra in contractibus conditionatis mox ab iis initis neque cessit, neque venit dies; & in contractibus in diem solum cessit dies, non venit. Nihilominus dum dicitur in contractibus puris statim deberi, & statim solvendum, intelligendum id est moraliter, ita ut spatium aliquod debitori a creditore permitti debeat ad commode solvendum, uti hoc æquitas postulat, & juxta quod dicitur. *l. 105. ff. de solut. quod dicimus aliquem debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est*. Et quidem, ubi solvenda pecunia, spatium 10. dierum permittitur a jure, *l. promissor. §. 1. ff. de pecunia const.* in aliis autem contractibus puris plerumque spatium illud majus minusve statuendum relinquitur Judicis arbitrio, spectatis tamen ab eo debiti quantitate, & debitoris qualitate aliisque circumstantiis. Gomez. *Tom. 2. Var. c. 11. nu. 1.* Zasius *in cit. l. promissor. nu. 15.* Præsumitur autem creditor non exigens solutionem consentire in dilationem, etiam pro foro conscientiæ, saltem ubi is facile petere posset, & a petitione non abstraheretur, metu, pudore, similive causa. Sylv. *v. mora n. 5.* Nav. *man. c. 7. n. 79.* Sanch. *de mat. d. 28. n. 2.*

2. Resp. secundo. In contractibus in diem, seu in quibus impletioni seu executioni statuta dies certa, v. g. dies prima Januarii, vel tempus certum. V. g. post duos menses, illico quidem perfecto contractu inducitur obligatio, & res fit debita, illiusque debitum transit ad hæredes, ante tamen adventum illius diei, & ante elapsos illos menses non urget. *cit. l. cedere*, ita ut, cum terminus ille appositus sit in gratiam debitoris. *l. cum tempus ff. de Reg. Jur.* Si creditor ante adventum illius diei petat solutionem, repelli possit exceptione *plus petitionis*; cum male agat, & plus petat, qui anteriore tempore petit. *c. unic. de plus petit. & §. si quis Inst. de action.* Sed neque ipso die statuto efficaciter peti potest (imo nec mox ab elapso die peti debet, cum juxta *cit. l. 105. ff. de solut.* creditor non protinus cum sacco parato venire debeat) cum actio efficax non sit, antequam debitor cesset solvere, hic vero dici nequeat cessare solvere, nisi totus dies prætererit; cum ante illam præteritionem nondum certum sit, non datum præstitumve die, in quem promissum. Wiestner. *h. t. nu. 69.* citans Wesenbec. *in §. omnis Inst. de V. O. num. 4.* & Laym. *l. 3. tr. 4. c. 4. nu. 1. concl. 2.* Qui tamen excipiant quantitatem annuam promissam v. g. 100. pro alimentis vel eleemosyna, ita ut ejus solutio facienda sit & peti possit in principio anni. Arg. *§. at si inst. de V. O. l. 1. C. quando leg. dies ced.* & juxta hos versiculos: *annua si debes, tunc inspicies caput anni. Anno si debes, in fine teneberis anni*. Sed & idem est, ubi dies & tempus incerta quidem, certo tamen aliquando futura. V. g. promitto centum in diem, quo morietur pater tuus. Inducitur enim tunc quoque obligatio statim etiam ad hæredes transmittenda, sed ante adventum illius non urget, *l. hæres ff. de condit. & demonst.* Si vero incertum, num dies illa aliquando ventura v. g. dabo 100. ubi navis ex India advenerit, contractus in diem resolvitur in contractum conditionatum, ideoque obligationem & actionem suspendit ad hujusmodi adventum, *l. stipulatio §. 1. de V. O.* Wiestner. *h. t. n. 70.* citans Gomez. *l. c. n. 21.* Laym. *l. c. n. 2.* Qui tamen cum Molin. tradit; quod si dies incerta apposita in gratiam solius promissarii. V. gr. promisi centum in diem, quo nupserit, non resolvi in conditionem, sed solum executioni præfixam, ita ut puella decedente ante nuptias actio petendi certum transmittatur ad hæredes. Argum. *l. in fideicommissi §. 3. de usuris & l. si ita relictum §. 2. de Legat.*

3. Resp. tertio. In contractibus conditionatis (qui communiter efferuntur per has particulas: *si, nisi, si non, sine hoc, casu quo, ceu, cum, dummodo, nec aliàs, nec aliter, quando &c.* Vel etiam ablativo absolute positum. V. g. uxore mea moriente ante me) si conditio est de præterito vel præsente, nullatenus differtur vel suspenditur obligatio, sed statim ea consurgit, si conditio jam impleta; si non impleta, nulla nascitur obligatio. *l. conditio ff. de V. O. & §. conditiones Inst. eod.* Si conditio est de re ex natura rei, vel de jure impossibili nulla oritur obligatio, juxta dicta supra de pactis in genere, except. ultima voluntate & contractu matrimoniali; cum in his ob specialem eorum favorem conditio impossibilis habeatur pro non adjecta, adeoque illi valeant. *§. impossibilis Inst. de hæred. Institut. & c. fin. de condit. appos.* Si conditio est necessario futura, obligatio statim consurgit, *l. impossibilis ff. de V. O. l. si pupillus ff. de novationib.* præsumitur enim frustra adjecta. Si tamen contrahens conditionem necessario futuram. V. g. si hoc anno erit eclipsis; ignoraret necessario futuram, suspendendam obligationem ex mente contrahentis ad diem futuræ eclipsis, notat ex Hann. *de Just. & Jur. tr. 8. nu 270.* Wiestner. *h. t. nu. 73.* Si conditio est de futuro contingente. V. g. si fiam Episcopus, obligatio ad rem promissam non paritur nisi conditione subsecuta *l. cedere l. is cui ff de A. & O. §. sub condit. Inst. de V. O.* Uti enim ante impletam conditionem contractus simpliciter non est, aut ad minimum suspenditur, ita & obligatio. Oritur tamen statim ex parte promittentis obligatio absoluta, & ex parte promissarii jus exspectandi conditionis eventum, etiam transmissibile ad hæredes, utpote quibus sic contrahens prospicere voluisse censetur, *l. si pactum ff. de probat.* Ita tamen, ut si in ultimis voluntatibus, ubi institutus hæres, legatarius fideicommissarius conditionatus moriatur ante eventum conditionis, nihil juris ad ejus hæredes transmittatur, etsi dein conditio postea adimpleatur, *l. unic. §. 7. C. de caduc. toll. l. si cum hæres ff. quando dies leg. ceder.* eo quod testator soli legatario, non vero etiam hæredibus illius gratificari voluisse præsumatur, & voluntatem suam semper revocare possit. *l. quod si ff. de adimend. legat.* Wiest. *num. 74. in fine*, cum Covar. *pract. 94. cap. 39. num. 4.* Gomez. *n. 36.* Hann. *num. 290.* De cætero contractum conditionatum impleta conditione evadere purum sine novo consensu, habet communior & probabilior sententia tam Theologorum quam Jurisconsultorum apud Sanch. *de mat. lib. 5. disp. 8. num. 6.* Eo quod consensus præstitus sub conditione non ex eo dicatur imperfectus & insufficiens ad inducendam obligationem absolutam, quod ex parte voluntatis desideretur aliquid, sed quod posita non sit conditio, sub qua præstitus, non secus ac e contra consensus præstitus sub conditione de præterito vel præsente est ad hoc sufficiens de præsente, quia conditio præsens est aut fuit. Favetque huic sententiæ illud *l. potior. ff. qui pot. in pign.* cum enim semel conditio exstitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset. Proceditque eadem sententia, seu consensus conditionatus transit in absolutum, etiamsi contrahentes ignorent impletionem conditionis, non secus, ac contractus initus sub conditione de præsente, vel præterito est perfectus, & reipsa absolutus, ubi conditio est præsens vel præterita, etsi contrahentes ignorent esse præsentem aut

præteritam juxta illud *l. cum præsent ff. de reb. cred. si conditio vera, stipulatio tenet, quamvis tenere contrahentes ignorent &c.* Neque enim conditionis existentia, neque voluntas se obligandi pendent a scientia, sed a sola existentia conditionis, consensus contrahentium est alligatus. Uti hæc confirmantur simili ducto a matrimonio, quod jam valet & perfectum est pro tempore, quo procurator contrahit, etsi principalis ignoret illud jam contractum nomine suo a procuratore *c. fin. de procurat. in 6.* Porro si pendente adhuc seu necdum impleta conditione, unus contrahentium revocet suum consensum, etsi injuste id faciat, quia agit contra jus, quod jam acquisivit alter, & obligationem suam exspectandi ad eventum conditionis, & non impediendi hunc eventum, impeditur quandoque contractus, ne in absolutum transeat subsecuta conditione, ut patet in contractu matrimoniali conditionato; cum matrimonium non contrahatur nisi consensu mutuo & moraliter simultaneo, qui aperte deficit tempore impletæ conditionis, uno consensum suum ante eventum conditionis revocante. Item in venditione, dum venditor rem sub conditione venditam Cajo ante eventum conditionis vendit & tradit Titio, valet venditio posterior. *l. quoties de R. V.* Et sic venditionis prioris conditionis transitus in absolutam impeditur revocatione consensus per venditionem secundam conjunctam cum traditione. E contra quandoque transitus contractus conditionati in absolutum non impeditur per hujusmodi revocationem, eo quod jura specialiter in aliquibus resistant illi consensus revocationi, eamque annullent, & revocati consensus defectum suppleant. Sic v. gr. re sub conditione vendita uni, & postea revocato hoc consensu, vendita alteri, non subsecuta traditione, venditio prior, superveniente conditionis existentia, de conditionata transit in absolutam, & valet, non obstante illa revocatione consensus ante existentiam conditionis *cit. l. quoties.* Idem est de voto castitatis vel ingrediendi religionem facto sub conditione, hac superveniente conditione transeunte in absolutom, & obligante, quantumcunque voveos ante eventum conditionis illud revocasset. Lugo *de Just. & Jur. d.* 22. *num.* 384 & Haun. *tr.* 8. *cit. nu.* 301. apud Wiestner. *num.* 79.

4. Quarto in contractibus sub modo aliquo initis. V. gr. dono tibi equum, ut ares agrum meum, obligatio in promissario vel donatario non suspenditur aut differtur, uti fit in contractu conditionato, usque ad impletionem modi; sed uti mox a præstito utrimque consensu consurgit & urget in donante obligatio dandi, ita etiam vicissim consurgit & urget obligatio reciproca in donatario aliquid faciendi vel omittendi, qua obligatio prior illa donantis, ut dictum supra aliquantulum temperatur. Unde etiam, licet donatum sub conditione peti nequeat, quousque conditio existat; donatum tamen sub modo peti confestim potest, & vicissim peti a donatario (si ita placet donanti) cautio præstanda de modo implendo, intellige, si modus ipse confestim impleri nequit. *l.* 1. *& l. quibus diebus §. fin. ff. de condit. & demonstrat.* Wiestner. *num.* 8. citans Gomez. *Tom.* 1. *c.* 12. *num.* 70. Molin. *d.* 208. *num.* 8. Porro, si modus adjectus contractui repugnet eidem, nulla nascitur aut urget obligatio, sed contractus est irritus. V. g. dono tibi equum, ut ares meum agrum, dum ista aratio est carior equo ipso; repugnat enim iste modus donationi, utpote qua transferri debet dominium rei in commodum donatarii. Et si modus ille adjectus sit impossibilis vel turpis, non suspenditur contractus, sed mox perficitur & parit obligationem, vel statim urget; quia cum talis conditio habeatur pro non adjecta contractus talis æquivalet contractui puro, uti dictum de contractu inito sub conditione. Sanch. *de mat. l.* 5. *d.* 19. Nisi tamen voluntas contrahentis esset restricta ad talem modum turpem tanquam ad causam motivam & finalem, foret enim tunc talis contractus irritus, quia ex parte donantis deest consensus, casu quo donatarius non vult aut potest vicissim obligare ad impletionem talis modi, qualiter se obligare nequit ad modum turpem implendum. Secus tamen esset, seu valeret contractus, & nasceretur, & urgeret obligatio in donante circa reciprocam obligationem donatarii, si modus adjectus fuisset causa impulsiva (qualis in dubio censetur fuisse, cum standum pro valore actus, ac dispositio omnis interpretanda, ut potius valeat, quam ut pereat. Tusch. *v. præsumpt. concl.* 620. Menoch. *de præsumpt. l.* 6. *præsump. n.* 4.) uti etiam quia modus præsumi debet adjectus tanquam causa tantum impulsiva, dum mens disponentis respicit solum favorem & commodum illius, pro quo disponit, v. gr. dono tibi 20. ut emas tibi vestem, valet contractus & urget obligatio, etiamsi non ematur vestis. Argum. *§. longe Inst. de legat. L. si sic ff. de legat. & fideicomiss.*

5. Quinto ex contractibus alternativis mox pariter & urget obligatio præstandi, quod alter elegerit. Hinc, si electio spectet ad debitorem (uti ea ordinarie ad hunc spectat) oritur in eo obligatio mox alterutrum ex promissis, quod maluerit præstandi; si autem electio spectet ad creditorem. V. gr. promissarium vel donatarium (uti fit, dum contractus dirigitur ad creditorem, & factus esse colligitur in favorem illius) oritur mox eadem obligatio in debitore seu promittente satisfaciendi electioni creditoris, seu dandi, quod is elegerit. Quod si pars una disjunctionis perierit neutrius contrahentium culpa, manet & urget obligatio determinate ad alteram superstitem, *l.* 16. *&* 36. *ff. de V. O.* Idque, sive ea sit æqualis, sive minoris aut majoris æstimationis quam perempta, ita, ut debitor non satisfaciat, si creditore invito, solvat æstimationem peremptæ, *l. Stichum ff. de solut.* ubi tamen electio spectat ad creditorem, in illius arbitrio esse rei deficientis æstimationem, vel superstitem admittere. Arg. *l. cum rei leg. §.* 3. *ff. de leg. & ibid.* Brunneman. *num.* 2. *&* 4. Si tamen ex culpa creditoris seu promissarii, aut mora illius nolentis eam recipere, cum offerebatur, res una perierit, exspirare in debitore obligationem, ita ut neque æstimationem rei peremptæ, neque superstitem præstare teneatur, habet Wiestner. *h. t. nu.* 83. *citata l. stipulatus ff. de V. O. & ibi* Zasio *nu.* 1. *&* 3. Gomez. ubi supra *cit. c.* 11. *n.* 40. E contra si perierit culpa debitoris, maneat creditori electio pretii rei peremptæ, vel rei superstitis. Cujat. *in cit. c. Stichum & ibid.* Brunnem. *n.* 2. Wiestn. *l. c.* Porro obligationem præstandi & jus eligendi alterutrum transmitti ad hæredes, censet Castrop. *tr.* 32. *d.* 1. *p.* 9. *nu.* 5. Gomez. *l. c. n.* 41. eo quod, cum hæres succedat in universum jus defuncti. *l. hæreditas ff. de Reg. Jur.* una cum transitoria ad hæredem obligatione principali, etiam accessoria huic facultas eligendi ad hæredem transmitti debeat, fundarique hanc electionis transmissionem ad hæredes in illo *leg. illud de opt. legat. illud aut illud utrum legatarius elegerit nullo a legatario electo, decedente eo post diem legati cedentem, ad hæredem transmitti placuit.*

QUÆSTIO DCCCCLXI.

Qualiter contractus firmentur?

RESp. Firmantur præcipue 4. modis; promissione, juramento, fidejussione, hypotheca vel pignore. Quæ dicuntur cautiones, nimirum promissoria, juratoria, fidejussoria, hypothecaria; suntque omnes, excepto juramento, speciales contractus, qui alteri contractui adjiciuntur. De cautione juratoria seu juramento, quatenus per illud confirmantur contractus, commodius ad *Tit. de jurejurando.* Videri etiam potest tantisper La Croix *l.* 3. *p.* 2. *a n.* 725.

TITU-

TITULUS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS

QUÆSTIO DCCCCLXII.

Quid sit transactio?

1. RESP. Transactio vi nominis importat actum, quo cessatur, receditur, & quasi transitur ab actione & obligatione, remittendo vel etiam implendo illam. Atque ita non tantum comprehendit omnem conventionem seu contractum, sed etiam distractum, seu contractus solutionem. Arg. *l. 1. §. conventionis ff. de pactis* juncta Gl. v. transigendique. Latiusque accepto hoc nomine venit qualiscumque negotii aut controversiæ inter aliquos compositio & ad finem deductio. *l. transacta ff. de. V. S.*

2. Resp. secundo. Proprie tamen stricteque, pro ut hoc titulo sumitur accepta transactio definiri solet: pactio seu conventio non gratuita de re dubia & controversa vel lite incerta, necdum finita. Abb. *in proœm. ad hunc rubr.* Sylv. *v. transactio in pr.* Host. *in sum. h. t. n. 1.* Molin. *tr. 2. de Just. & Jur. d. 556. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 2.*

3. Dicitur primo *pactio*, quod est loco generis. Omnis siquidem transactio importat conventionem duorum, qua quisque vel alter eorum cedit jure suo, quod habere videtur. Arg. *cap. veniens h. t.* His non obstante, quod, cum transactio priorem pactationem, obligationem & actionem tollat, potius videatur esse distractus quam contractus species. Siquidem est pactum posterius & contractus novus, per quem prius pactum tollitur. Wiestner. *h. t. nu. 4.* citans Wesenbec. *in ff. h. t. nu. 2.* Distinguitur autem per hoc ipsum a cessatione litis, quæ fit, non tam consensu duorum, quam per sententiam a Judice latam, quæ etiam in invitos fertur. *l. inter ff. de V. O.* Distinguitur item per hoc a jurejurando, quod licet controversiæ finem imponat juxta illud *ad Hebr. 6. v. 16. omnis controversiæ finis est juramentum.* habeatque etiam vim ac speciem transactionis. *l. jusjurand. ff. de jurejur.* & quandoque pendeat a conventione, non tamen est conventio.

4. Dicitur secundo; *pactio non gratuita*: per quod differt ab amicabili compositione (etsi alias hæc duo *compositio & transactio* sumantur pro eodem, ut ex *c. ex literis & c. veniens h. t.* notat Host. *in sum. h. t. num. 4.*) utpote quæ fit gratis, nullo dato, retento, promisso, præstito *cap. super eo h. t.* V. g. dum quis lite, quam juste movere poterat, cedit gratis, seu absque eo, quod quicquam a reo sibi detur præstetur aut promittatur. Dum creditor, cui liquido debentur 100. contentus est, deleri hoc debitum, solutis solum 50. est enim transactio contractus reciprocus (innominatus, *facio ut facias, do ut des l. 1. §. conventionis ff. de pactis*. Gl. magna *in l. sive apud acta C. h. tit.* Bartol. *ibid. §. quæro secundo.* Molin. apud Pirh. *h. t. nu. 6.* Quamvis, si firmetur accedente stipulatione vel acceptilatione, transeat in contractum nominatum, ut Molin. Pirh. *l. c.*) utrimque onerosus. V. gr. quo reus dat 400. ut ab actione & lite intentata, vel intentanda desistat. Quo actor dat reo aliquid, ut rem vel rei partem, de qua est controversia, sibi cedat. Molin. Pirh. *LL. cit.*

5. Dicitur tertio: *de re dubia*; hoc est, non tam in se incerta & dubia, quam quoad ius, quod in re aut ad illam transigentes se habere contendunt, utrumque incertum & dubium, an & penes quem eorum sit; ita ut, si tempore transactionis manifeste constet, actori nullum sibi jus in re, vel ad rem, de qua contenditur, competere, adeoque & litem desuper injuste & absque causa intentari, transactio nulla sit, non tantum in foro conscientiæ (eo quod nullum titulum justum habeat, vi cujus aliquid accipere possit, ut ab actione vel lite recedat, aut illud, de quo agitur retinere; adeoque teneatur id, quod eo nomine retinuit aut accepit, restituere) sed etiam in foro externo. *l. in summa ff. de condiction. indeb.* Gl. *in c. super eo h. t. v. dato.* Abb. *ibid. nu. 3.* Molin. *tr. 2. de Just. & Jur. d. 556. nu. 1.* Pirh. *h. t. nu. 3.* Si autem reo constet, actori certum jus competere, transactio, etsi ipso jure quoad forum externum non sit nulla, actore tamen instante, est rescindenda per actionem vel exceptionem doli. AA. iidem. Reiffenstuel. *h. t. num. 4.* Arg. *l. sub prætextu instrumentor. C. h. t.* Quod si tamen de hoc ipso, num actori vel reo de certo jure constiterit, dubium est, transactionem præsumi validam, ait Reiffenstuel. *l. c.* citans *Lauren. Jus Can. Lib. I.* Ciarlio. *controversiar. forens. c. 219.* Pasqual. *de patria potestat. p. 1. c. 2. num. 4. &c.* De cætero dixi: si tempore transactionis constiterit, alterutri transigentium de certo jure: nam si post transactionem bona fide factam per nova instrumenta & probationes constiterit, alterutram partem jus nullum in re vel ad rem, super qua transactum, habuisse, transactio rescindi non debet nec potest juxta *cit. l. sub prætextu*; neque quicquam tam in foro interno quam externo, quod eo nomine pars accepit aut retinuit, restituendum tenetur. Molin. *l. c. num. 14.* Pirh. *cit. num. 3.* Idque etiamsi ex post appareat, unam partem vi talis transactionis læsam graviter, ita ut ne dimidium quidem illius, quod ei reipsa competebat, acceperit. *l. Lucius §. ult. ff. ad S. C. Trebell & cit. l. sub prætextu.* Eo quod, ut Pirh. dum in jure dubio & controverso pars utraque committit se ultro & sponte incerto eventui, non secus, ac accidit in ludo, neutra dein conqueri possit de læsione, modo tamen pars altera non agat dolo, occultando v. g. fraudulenter ea, quæ manifestari debebant. Arg. *l. sub prætextu C. h. t.* His (nimirum, quod sub prætextu novorum instrumentorum ex post repertorum rescindi nequeat transactio) non obstante, quod transactione facta cum hærede, ubi ex post producitur testamentum aliud, & codicilli diversi, rescindi possit vi *l. Imperator ff. h. t. §. 1.* Id enim specialiter ita statutum, ne hæres aut legatarius pro exiguo sibi a transigente secum exhibito magna bona testamento relicta leviter jactet & amittat, & ne facile admittatur aliquid contrarium intentioni testatoris. Wiestner. *h. t. num. 13.* cum Brunneman. *in c. l. num. 1.* & Zoesio *in hanc rub. n. 20.* Quod si tamen etiam in ipsa transactione pars una injuste lædatur, eo quod jus dubium ei competens scienter minoris æstimetur, quam revera est, in foro conscientiæ debere hanc inæqualitatem reduci, tantum dando illi parti pro remissione hujus juris dubii, seu controversi, quanti illud juxta prudentis arbitrium valet, cum Molin. *cit. d. 556. nu. 15.* ait. Pirh. *h. t. num. 3.* Quia &, si constaret, læsionem fuisse ultra dimidium justi valoris dicti juris dubii, concedendam etiam in foro externo, non secus ac in aliis contractibus, rescissionem transactionis, docente Molin. *l. c. nu. 16.* Bartol. *in l. rem majoris C. de rescind. vendit. n. 7.* Fachin. *controv. lib. 2. cap. 26.* Arg. *l. si superstes. C. de dolo malo.* juncta Gl. *ibid. v. læsa* cum æquitas naturalis dictet, neminem cum alterius damno locupletandum. *l. locupletari ff. de Reg. Jur.* Contrarium tamen, nimirum non concedendam dictam rescissionem, & in praxi concedi non solere, tametsi læsio fuisset enormis, eo quod transactiones fiant ad lites finiendas, tenentibus. Bald. *in cit. l. rem majoris nu. 3.* Menoch. *consil. 401. & 157.* Manz. *tract. de transact. quæst. 12. num. 8.* Haunol. *de Just. & Jur. tract. 10. num. 247.* Gail. *lib. 2. observat. 70. a num. 7.* (qui etiam *num. 11.* testatur hanc sententiam pluribus Cameræ Imperialis sententiis approbatam) quos sequitur Wiestner. *h. t. num. 10.* Argum. *cit. l. Lucius & l. in summa §. 2. ff. de condict. indeb.* Siquidem transactio cum sit & fiat ad terminandas lites, finemque imponendum controversiis, ita ut instrumenta aliæque probationes ac jura omnia ex iis transigenti competentia, allata & imposterum afferenda omnino annullentur, & pro irritis habeantur. *cap. 1. h. t.* minus enim malum est, hujusmodi transactionem firmam permanere, etiam, dum quandoque ex ea illius firmitate præter intentionem legislatoris fieret locupletatio cum aliena jactura, quam perpetuatio & resuscitatio litium ex illa transactionis impugnatione & rescissione orta. Unde & jura æquiparant transactionem sententiæ & jurijurando. *l. non minorem C. h. t. l. jusjurandum ff. de jurejurand.* Sententia autem, quæ in rem judicatam transiit & jusjurandum ratione læsionis ultra dimidium non retractantur. *l. sub specie C. de r. judicat. l. non erit. §. 2. ff. de jurejur.* Nisi tamen læsio esset enormissima (hoc est, nimium excederet dimidium justi valoris) ideoque dolus præsumatur. Pirh. *l. c.* citans Mynsinger. *centur. 6. observat. 91.* vel nisi læsus esset minor. 25. annis aut Ecclesia. Pirh. *ibidem*, utpote quibus subvenitur per restitutionem in integrum juxta *l. 1. & 2. C. si advers. transact.*

6. Dicitur quarto: *de re controversa seu lite incerta*; eo quo transactio proprie talis non sit de qualibet re seu jure dubio, sed dubio propter litem, vel jam motam necdum finitam vel movendam (litium quippe eventus dubius

est) nimirum dum dubium seu controversia inter partes talis est, ut in judicium deduci potuerit aut possit. Pirh. *h. tit. num* 4. Unde jam etiam post latam a Judice sententiam definitivam super istiusmodi re seu jure dubio, quæ nemine appellante transiit in rem judicatam, transactioni locus non est amplius, eaque facta est irrita juxta *l. si causa C. h. tit. l. elegantes ff. de condict. indeb.* ubi : *si post rem judicatam quis transegerit & solverit, repetere potest idcirco, quia placuit transactionem nullius momenti esse*, cujus etiam ratio est, quod res judicata pro veritate suscipiatur *l. res judicata de Reg. Iur.* adeoque non manet amplius dubia, quod ad transactionem requiritur. Neque expedit, ut quæ publico judicio definita sunt, rursus per arbitrata privatorum tanquam indefinita & incerta transactione definiantur, quamvis res judicata pacto remitti possit. Pirh. *cit. num.* 4. cum Wesenbec. *ff. h. t. num.* 5. Dixi ; post sententiam, quæ transiit in rem judicatam ; si enim a sententia appellatum est, aut appellari adhuc possit, manet adhuc transactioni locus. *l. & post rem ff. h. tit. & ibi* Gl. *v. appellare*, quia cum appellatio suspendat sententiam, ea interposita, lis necdum finita, sed durare censetur. *leg. si causa*. Idem est, si adversus sententiam petatur restitutio in integrum (intellige, ab iis, a quibus ea peti & obtineri potest) *cit. l. si causa*. Item dum ignoratur, vel incertum, an judicatum sit. *leg. post rem ff. h. tit.* Pirh. *num.* 4. Reiffenstuel. *h. tit. num.* 6. Item dum dubitatur, an sententia lata valeat, ut dum pars adversa adducta aliqua probabili causa id negat. *L. eleganter §. quid ergo ff. de condict. indeb.* Bartol. *in l. post rem §. videmus*. Molin. *loc. cit. num.* 2. Pirh. Reiffenst. *LL. cit.*

QUÆSTIO DCCCCLXIII.

Quotuplex sit transactio?

RESP. est duplex ; alias realis, quæ transit ad successores rei vel juris, super quo transactum ; cum Domini absoluti bonorum & jurium pactionibus suis hæredes quoque obligare possint, quin & pacta realia, quibus res ipsa afficiatur & obligetur, celebrare. *l. jurisgent. ff. de pactis §. pactorum*. Alia personalis, quæ durat ad vitam transigentis, & ad ejus hæredes aut in officio successores non transit. V. g. ubi via transactionis ad litem super beneficio motam imponitur authoritate superioris onus vel pensio non ipsi beneficio, ita ut una cum eo transeat ad successores in eo, sed personæ beneficiati transigentis ad vitam illius solvendam alteri parti juxta *c. nisi de preb.*

QUÆSTIO DCCCCLXIV.

Qualiter seu sub qua forma fiat transactio?

RESP. spectato jure naturæ & canonico, nullam certam verborum formam requirit, sed sufficiunt quæcunque verba consensum reciprocum transigentium sufficienter exprimentia. Qualiter autem in jure civili quandoque fiat simplici acceptilatione, quandoque acceptilatione, quam præcedit stipulatio aquiliana juxta *l. 2. ff. h. t. & l. ut responsum C. eod.* vide apud Pirh. *h. t. n.* 35. De cætero fit vel pure, vel sub conditione. *l. si super C. h. tit.* in judicio vel extra judicium, interveniente scriptura, vel sine illa. *l. sive C. h. t.* Adjicitur quoque eidem quandoque pœna solvenda ab eo, qui a transactione recesserit. *l. pacto l. promissis l. ubi pactum C. de pactis*. Ubi autem præter pœnam adjecta est hæc clausula : *rato manente pacto* : hoc est, quod soluta pœna, nihilominus pactum servari debeat, ad utrumque, nimirum & ad pœnam solvendam & ad transactionem servandam, compelli potest. *l. qui fidem ff. h. t. l. cum proponas C. eod.* Pirh. *h. tit. nu.* 36. citato Molin. *de Iust. tract. 2. d.* 656. *nu.* 10. Idem est, dum præter pœnam adjectum est juramentum *l. qui major. ff. h. t.*

QUÆSTIO DCCCCLXV.

Quinam transigere possint vel non possint?

1. RESP. primo : Generaliter loquendo transigere possunt omnes, sive mares sive fæminæ, pollentes sufficiente usu rationis, & rerum suarum administrationem habentes. *l. in re C. mandati* & e contra transigere non possunt, qui bona aliaque jura alienare nequeunt. Sylv. *v. transactio*. Molin. *l. c. d.* 257. *nu.* 1. Wesenbec. *in paratit. ff. h. t. num.* 4. Pirh. *h. tit. nu.* 8. cum transactio sit quædam alienationis species. Arg. *leg. 1. §. 9. ff. si quid in fraud. patron.*

2. Resp. secundo in specie. Hæres fideicomisso gravatus restituere hæreditatem, non potest circa illam transigere. Molin. Pirh. *LL. cit.* Secundo vasallus transigere nequit sine consensu Domini directi, ita ut res feudalis per talem transactionem in alium transferatur. Wesenbec. Molin. Pirh. *LL. cit.* Tertio tutor & curator de bonis immobilibus & mobilibus pretiosis pupilli & minoris transigere nequit sine decreto Judicis. *l. non solum C. de prædiis minor.* AA. citati Gail. *lib. 2. observ. 72. nu.* 1. transigere tamen possunt sine dicto decreto in commodum pupillorum & minorum de rebus eorum mobilibus, quæ servando servari nequeunt. *l. interdum §. 4. ff. de furtis & l. pactum C. de pactis*. Idem est de Syndicis & administratoribus civitatum. Arg. *l. fin. C. de vendit. rer. civit.* ita ut & hi sine speciali superioris consensu de istiusmodi rebus ac causis civitatum transigere possint. *l. præses C. h. t.* cum ejusmodi rerum a lege habeant administrationem. Quarto procurator, sive Principis, sive alterius personæ, instructus solum generali mandato transigere nequit. *l. nulli ff h. tit. l. mandato ff. de procurator.* non enim illi decisio litis, sed causæ actio demandata. *l. transactioni C. h. t.* neque ex vi talis generalis mandati ad agendum defendendumque omnia censetur adhuc habere commissionem ad aliquem articulum requirentem speciale mandatum, qualis est transactio tanquam species alienationis. *c. qui ad agendum de procurat. in* 6. nisi tamen constitutus cum absoluta & libera administratione bonorum vel certæ alicujus causæ. *l. procurator. ff. de procurator. & cit. c. qui ad agendum*, vel nisi datus in rem suam v. g. quia creditor cessit illi debitum & jus omne, quod circa illud habuit, tunc enim circa illud transigere potest *l. jusjurand. §. fin. ff. de jurejurand.* Molin. *cit. d.* 557. *num. ult.* Pirh. *h. t. n.* 8. Quinto pupillus sine authoritate tutoris transigere nequit ; ubi tamen sic transigendo conditionem suam meliorem fecit, ratihabetur ejus transactio. Arg. *l. pupillus ff. de auth. tutor.* non secus ac aditio hæreditatis, quam alias sine authoritate tutoris adire nequit. Wiestner. *h. t. nu.* 15. citans Haun. *de Just. & Jur. Tom. 4. & Tom.* 10. *num.* 1000. Brunneman. *in l. obligari ff. de auth. tutor. num.* 1. Idem est de minore habente curatorem ; secus de non habente curatorem. *l. si curatorem C. de in integ. rest.* Wiestner. *num.* 16. Pirh. *h. t. n.* 8. Idem de prodigo, cui bonis interdictum. Arg. *l. is cui ff. de V. O.* Sexto pater sine decreto Judicis & aliqua cognitione causæ transigere nequit de bonis adventitiis filii jam emancipati. *l. de re ff. h. t.* contrarium probabilius dicendum, dum filius adhuc constitutus sub patria potestate ; cum pater tunc habeat liberam administrationem illorum bonorum filii, quin & ea alienare possit. Wiestner. *num.* 21. cum Brunnem. *in cit. l. de re nu.* 2. & Gail. *l. 2. observat. 72. nu.* 14. Septimo religiosus sine licentiá Prælati sui transigere nequit. Arg. *Can. non dicatis 12. qu.* 1. juxta dicta super de pactis in genere.

QUÆSTIO DCCCCLXVI.

Quid circa transigendum possint vel non possint ecclesiastici?

1. RESP. primo. Prælatus ecclesiasticus v. g. Abbas vel Prior conventualis, aliique ecclesiarum Rectores & Administratores, etsi generalem liberamque habeant administrationem rerum ecclesiarum & monasteriorum suorum, de rebus immobilibus eorum ac mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt, sine capituli & conventus consensu transigere nequeunt. *c. statuimus c. contingit. h. t. & ibi* Gl. *v. literas*. Host. *in sum. h. t. num.* 2. siquidem res tales sine dicto consensu alienare nequeunt. *c. tua de iis, quæ Prælati*. Secus est de rebus mobilibus non pretiosis, vel etiam immobilibus parum utilibus. Pirh. *h. t. n. 9. in fine*.

2. Limitanda responsio primo : nisi transigant super istiusmodi rebus, non ut eas perdant aut alienent, sed ut data v. g. aliqua pecunia ad terminandam litem super illis eas recuperent vel retineant, ac ita conditionem ecclesiæ suæ meliorem faciant. Gl. *in cap. nulli h. t. v. transigere*. Abb. *in c. 3. h. t. nu.* 3. Molin. *cit. d.* 557. *nu.* 8. Pirh. *h. t. num.* 10. Secundo : nisi habuerint a capitulo vel conventu literas cum clausula de ratihabendo quidquid Prælatus egerit in tali causa vel controversia. Arg. *cap. 3. h. tit. & ibi* Gl. Qui Prælatus habens mandatum generale cum tali clausula potest omnia, etiam alienare ; cum illud valeat tantundem, ac si expressum & specialem ad hoc consensum capituli haberet. Pirh. *h. t. nu.* 15. Sed neque in hoc casu capitulum talem transactionem revocare potest, ut expressum *in cit. cap.* 3. Quamvis, si capitulum læsum sit ex tali transactione, possit intra

qua-

quadrennium, non post illud, petere restitutionem in integrum. Gl. *in cit. c. v. aliquos annis*. Tertio: nisi necessitas urgeat, v. g. lites diuturnæ alia via terminari & scandala gravia vitari nequeant; tunc enim vi sententiæ Judicis id jubentis bona alioqui alienari prohibita per transactionem in alium trasferri possunt, intellige, etiam citra consensum capituli. Molin. *l. c. num.* 9. Laym. *Th. mor. lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 35. *quæst.* 1. *num.* 4. Pirh. *h. t. num.* 12. dum enim prohibetur alienatio istiusmodi rerum, id intelligendum, de alienatione voluntaria, non necessaria, quam administrator facere cogitur, ut iidem.

3. Resp. secundo: ad transigendum super dictis ecclesiæ rebus & juribus præter consensum capituli requiritur etiam consensus superioris, si quem habeat ecclesia v. g. Episcopi, Archiepiscopi, vel etiam Prælati alterios exempti habentis jurisdictionem quasi episcopalem (vel etiam, ut Pirh. *n.* 14. citans Abb. *in c. statuimus* non exempti, qui per consuetudinem legitime præscriptam jurisdictionem acquisivit in ecclesia) cui ecclesia subjecta *c. statuimus h. t.*

QUÆSTIO DCCCCLXVII.

Generalis: super quibus rebus dubiis transigi possit vel non possit?

Resp. de omnibus, præterquam iis, de quibus jure prohibitum est transigere. Host. *in sum. h. t. n.* 3. Pars prima constat ex *c.* 5. *h. t.* ubi, dum transactio dicitur salubris, satis ostenditur, illam ob bonum pacis habere locum, ubicunque prohibita non reperitur. Pars quoque altera patet. Nam primo in iis, quæ sunt jure naturæ vel divino prohibita, adeoque quoties transigendo committitur peccatum mortale, vel remanetur in eo, transactio nulla est. Abb. *in c. fin. h. t. n.* 10. Dein etiam transactio super iis, super quibus transigere jure positivo humano prohibitum, nulla est, juxta illud *Reg.* 64. *in* 6. *quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi* (quæ regula qualiter intelligenda, cum non omnia eo ipso, quod a jure humano positivo fieri prohibeantur, facta irritentur, vide dicta de pactis in genere) non enim pacto privatorum juri publico derogatur *l. jus publicum ff. de pactis*: hoc est, ut ea pacta valeant quæ jus valere non vult.

QUÆSTIO DCCCCLXVIII.

An & qualiter transigi possit super matrimonio rebusque ad illud spectantibus?

1. Resp. primo: super matrimonio (intellige dubio, num validum sit nec ne) dissolvendo transactin, vel etiam amicabilis compositio est nulla *c. fin. h. t.* siquidem matrimonium consummatum a parte rei validum jure divino est indissolubile, adeoque in dubio de ejus valore, dum reipsa validum esset, nulla compositione dissolvitur aut dissolvi potest: si vero invalidum reipsa esset ob impedimentum aliquod dirimens reipsa intercedens, de quo tamen neutri parti certo constat, sed dubitatur, adhuc transactiooi locus non est, utpote vi cujus absque dispensatione neque revalidari matrimonium potest, neque etiam ab invicem recedere, sed dubium secundum sanctiones Canonicas terminandum; causæ enim matrimoniales a legitimo Judice ecclesiastico sunt discutiendæ *c. accedentes de excess. Prælator.* & Trident. *Sess.* 24. *c.* 5. *de reform. matrim.* unde & super iis in arbitros compromitti nequit *c. causa de in integ. rest.* Quod si tamen valor matrimonii dubius esset ideo præcise, quia dubitatur de consensu legitime præstito, poterunt propria authoritate componere amicabiliter de remaneodo in matrimonio, intellige, casu quo illud reipsa fuisse validum, vel de eo de novo contrahendo, casu quo fuisset nullum, nimirum eliciendo utrimque de novo consensum legitimum. Sed neque in matrimonio rato necdum consummato locus est transactioni aut compositioni amicabili vergenti in ejus dissolutionem. Quod enim unus ingredi possit religionem, ac ita dissolvere matrimonium, non est ex mutua conventione, dum etiam id potest altero dissentiente, sed dispositione ex privilegio juris ingressum illum permittentis, etiam altero invito. Adde, quod in hoc casu non agatur de re vel jure incerto.

2. Resp. secundo: in sponsalibus de futuro dubiis, dum nimirum ea ab una partes asseruntur, ab altera parte negantur, valet transactio aut amicabilis compositio, per quam ratificentur vel dissolvaotur, utpote quæ etiam, dum semel valida fuerunt, pendent ex libero contrahentium assenso vel dissensu.

3. Resp. tertio: Valet quoque & licita est transactio super dote ejusque accessoriis. Gonz. *in c. fin. h. t. n.* 22. Wiestner. *h. t. n.* 37.

QUÆSTIO DCCCCLXIX.

An & qualiter de rebus relictis in testamento vel codicillo transigi possit?

1. Resp. primo: De iis disponi nequit, nisi inspectis & cognitis verbis testamenti, nimirum ubi testamentum conditum in scriptis. Ita expressè statutum. *l. de iis ff. h. tit.* & *L.* 1. *ff. testamenta quemadmod. aperiantur* (ubi præter dictam inspectionem requiritur authoritas Judicis, ad valorem talis transactionis) tum in odium hæredum testamenta occultantium. Gl. unic. *in cit. l.* & Bartol. *ibid. §. secundo opponitur*, tum ob favorem boni publici in eo consistentis, ut voluntates ultimæ defunctorum executioni mandentur, & nihil iis contrarium admittatur. *l. vel negare ff. testam. quemadm. aper.* Bartol. *loc. cit.* Pirh. *h. t. num.* 34. tum etiam ob favorem privatorum, quibus testamento aliquid relinquitur, dum alias istiusmodi transactiones habentur captiosæ & improbæ ex eo, quod facile inducatur quis, ut modico, in continenti præsertim præter exspectationem seu inopinato sibi porrecto, contentus, repudiet magna, quæ necdum cognovit. *l. cum hi ff. h. tit.* Zoes. *in ff. h. t. n.* 20. Pirh. *l. c.*

2. Limitanda responsio primo, ut locum non habeat, ubi testamentum conditum non est in scriptis, sed est nuncupatorium. Pirh. *loc. cit.* citans Hiltrop. *in process. judiciar. par.* 2. *tit.* 17. *§. de materia transact. num.* 9. foret enim tunc præsens quæstio de subjecto non supponente; secundo, ut non obstante *l. de his*, adhuc valeat transactio sine inspectione verborum testamenti, ubi partes alia via. V. g. per relationem Notarii vel testium scirent tenorem testamenti. Reiffenst. *h. tit. num.* 24. cum, qui scit, dicatur inspicere *l. incivile l. scire ff. de LL.* & sciens dicatur inspicere oculis iotellectualibus. Bartol. *loc. cit. §. quarto extra*. Jason. *in cit. l. de his num.* 55. Tertio, ut valeat istiusmodi transactio, ubi firmata joramento transigentium, renuncisotium, sive in genere vi legum & juris auxilio, sive in specie favori *cit. l. de his* eo quod talis transactio secundum se spectata, utpote nullam turpitudinem continens, illicita non sit jure naturali; jure autem positivo prohibita, etsi secundario in favorem testatoris & boni publici, principaliter tamen in favorem hæredis aut legatarii, cui is proinde renunciare potest, saltem accedente juramento, utpote cujus observantia non redundat in salutis æternæ dispendium aut tertii præjudicium, ita probabilius tenent Gutt. *de jurament. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 20. Molin. *cit. d.* 557. *num.* 14. & alii, quos numero & nomine potiores dicit Wiestner. *h. tit. nu.* 27. contra Abb. *in c. cum contingat. de jurejurand. num.* 30. Tiraq. *in præfat. ad l. si unquam C. de revocat. donat. num.* 145. Haun. *Tom.* 4. *de Just. & Jur. tract.* 10. *n.* 1013. & alios hac ductos ratione; quod favori alieno & publico, etiam cum juramento renunciare nequeat juxta *cit. cap. cum contingat*, quod verum est, ubi favor proprius non est principaliter intentus. De cætero responsio locum non habet instrumentis aliisque contractibus celebratis inter vivos, ita ut transactio super contentis in illis dubiis valeat absque dicta inspectione verborum. Glos. unica *in cit. l. de iis*. Bartol. *ibid. §. secundo opponitur*, cum tales contractus plene subjaceant contrahentium voluntati, adeoque in iis locus sit regulæ: omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.

3. Resp. secundo in specie: de alimentis futuris testamento vel codicillo, vel etiam donatione mortis causa relictis transigi nequit sine authoritate Judicis & causæ cognitione, ita statutum, *l. cum hi ff. h. t.* ob easdem rationes, ac potissimum, ne cui alimenta in debita ac congrua quantitate relicta, hanc ignorans facile induceretur ad transigendum super minore ac incongrua quantitate contra testatoris voluntatem, modico præsente & insperato ei obveniente contentus. Quod si tamen transactioni tali superinduceretur juramentum, valida persistit, ita præter AA. citatos pro *resp. præced.* Covar. *p.* 2. *in c. quamvis pactum §.* 6. *num.* 12. Fachin. *lib.* 3. *controver. jur. cap.* 21. Ciarlin. *controv. forens. cap.* 202. Surdus *de aliment. tit.* 8. *privileg.* 56. *nu.* 59. Layman *Th. Moral. l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 31. *num.* 6. Pirhing *h. t. num.* 34. *in fin.* Reiffenstuel *h. tit. num.* 26. qui insuper citat Abbas & Imol. *in cap. cum contingat de jurejurand.* contra Baldum *in l. pactum Cod. de collat. qu. ultim. num.* 57. juxta allata pro *resp. præced.* Quin & valida est & persistit talis transactio super alimentis testamento relictis, si per eam conditio alimentarii

non fiat deterior, sed melior, pro ut subjungitur *in cit. l. cum hi §. cum transactionem*. Pirh. Reiffenst. *LL. cit.* Wiestner. *h. t. num.* 29. V. g. si alimentarius alimenta, quæ relicta in testamento ei debentur singulis annis, vi transactionis consequeretur singulis mensibus, eo quod, cum jura specialiter & principaliter in prohibenda & irritanda transactione tali super alimentis consideraverint favorem alimentarii, amoliendo per hoc grave damnum ex ista incauta transactione oriturum alimentario, hoc damno cessante, locum non habeat dicta dispositio prohibens ac irritans; ne, quod ejus favore inductum, retorqueatur in ejus odium & dispendium contra *Reg. 61. in 6.*

4. Dixi autem primo: *super alimentis testamento relictis*: nam super illis donatis non causa mortis sed debitis vel constitutis ex alio contractu, etiam absque interveniente authoritate Prætoris seu Judicis, facta transactio est valida, *cit. l. cum hi* & Gl. *ibid. v. mortis causa*. Pirh. Reiffenst. Wiestner. *LL. cit.* cum cesset tunc favor testatoris seu ultimarum voluntatum, nihilque præsumatur fieri aut etiam fiat captiose contra mentem transigentium, qui censentur non minus quam in aliis contractibus, sibi bene prospicere per talem transactionem. Dixi secundo: *super alimentis futuris*: valet siquidem talis transactio sine Judicis authoritate super alimentis præteritis juxta *l. de alim. C. h. t.* & Gl. *ibid. v. transigi potest & v. præfide*. Nam alimenta præterita, hoc est, quæ præstanda erant legatario seu alimentario pro tempore jam præterito, quo in aliunde vixit & sustentatus est, ratione alimentorum amissa, cum nemo alendus sit in præteritum; rationem simplicis debiti subierunt. Molin. *cit. d.* 557. *num.* 15. Zoes. *ad ff. h. t. n.* 18. Wesenbec. *ibid. nu.* 5. Pirh. *h. t. n.* 34. Wiestner. *n.* 29.

QUÆSTIO DCCCCLXX.

An & super quibus criminibus transigi possit?

1. RESp. *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est: in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet citra falsi accusationem* ita expresse habetur. *l. transigere C. h. t.* Dicitur itaque primo: Quod liceat transigere (v. g. data adversario pecunia vel alio pretio æstimabili, ut ab accusatione desistat. Gl. *in cit. l. v. qualiter*) super criminibus capitalibus, quibus nimirum irrogatur pœna mortis naturalis; quin & juxta probabilem, quam tenent Jul. Clar. *l. 5. sent. §. fin. quæst.* 58. *nu.* 7. Mol. *de Iust. l. 3. disp.* 46. *nu.* 2. Pirh. *h. t. nu.* 30. & alii cum communiore, pœna mutilationis; eo quod hæc quoque dicatur proprie pœna sanguinis. Zoesio tamen tenente contrarium *ff. h. t. nu.* 25. eo quod beneficium illud transigendi a jure concessum sit, non ad conservanda membra, sed ad redimendam vitam, adeoque hic per pœnam sanguinis non sit intelligenda effusio sanguinis, quæ contingit in amputatione membri alicujus, etsi ea alias dicatur quoque pœna sanguinis, sed vi cujus vita amittitur. Ratio autem sic statuendi, quo ad crimina capitalia hæc fuit, quod cuilibet licitum sit redimere sanguinem suum seu vitam, qua pretiosius nihil habet juxta *l. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sent.* ubi: *ignoscendum censuerunt* (Principes) *qui sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit*. Extenditur hæc pars responsionis ita, ut non solum reo seu accusato liceat transigere, sed & accusatori, dum & is, si in criminis probatione deficiens calumniæ impactæ suspicionem non purgaverit, de capite periclitetur, utpote pœna talionis puniendus juxta *l. fin. C. de accusat. & l. fin. C. de calumnia*. Ut autem sit locus transactioni hujusmodi, debet fieri ante latam sententiam; post impositam enim reo pœnam criminalem, remissio illius, non ad partem offensam, sed ad solum Principem spectat. Pirh. *h. t. n.* 32. *in fine* citans Molin. *ubi ante nu.* 19. Porro transactio talis facta cum uno non impedit, quo minus Judex vel ad accusationem alterius, vel ex officio inquirendo contra eundem reum procedere possit. Pirh. *l. c.* citato Claro *ubi ante*, qui sic observari in praxi testetur. Atque hæc quidem de jure civili. Num autem etiam de jure canonico licita si talis transactio super crimine capitali, non conveniunt AA. negant idipsum, cum Gl. *in c. si quem 2. q. 3. v. in omnibus*. Host. *in sum. h. t. n.* 3. Jason. *in cit. l. transigere n.* 4. citatis aliis. Eo quod in jure canonico nunquam pro crimine aliquo imponatur pœna sanguinis seu mortis, & sic cesset ratio dispositionis istius juris civilis. Affirmant è contra alii cum Abb. *in cap. 1. de collusione deteg. num.* 8. quorum sententiam probabiliorem asserit Reiffenst. *h. t. num.* 35. eo quod in Jure Canonico statuantur pœnæ similes & æquipollentes pœnæ capitali. V. gr. traditio rei facta curiæ sæculari, carceris perpetui &c.

2. Dicitur secundo: *excepto adulterio*: non obstante, quod illud alias de Jure Civili sit capitale. *l. quamvis C. ad Leg. Iul.* ubi: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet*. Quamvis hunc textum DD. communiter intelligant de adulterio repetito, & alias jam semel punito. Ratio autem excipiendi adulterium hæc communiter assertur, quod licet frequentius, quam alia crimina capitalia committatur, ejus tamen accusatio paucis sit permissa, adeoque, si licitum de eo cum accusatore transigere, frequentissime maneret impunitum, ex qua impunitate gravissima oriantur mala & incommoda; nempe occasio illud repetendi, infectio clarorum natalium, successio prolis spuriæ in bonis conjugis innocentis. Molin. *de Iust. & Iur. tr. 3. d. 46. num.* 7. Pirh. *n.* 30. licere nihilominus hodie dum gratuitam compositionem seu cessationem ab accusatione adulterii, censent Molin. *l. c. n.* 21. Brunnem. *in cit. l. transigere n.* 7. apud Wiestner. *h. t. n.* 39. Tametsi autem *cit. l.* excipiatur solum adulterium, esse tamen & alia crimina capitalia super quibus transactiones hujusmodi sint prohibitæ, invalidæ & gravibus pœnis obnoxiæ, nimirum quæ sciens detegere tenetur, ut, bono publico sic exigente, puniri possint. V. g. crimen læsæ Majestatis (quod etiam ab eo, qui scit, & non revelat, contrahitur. Zoes. *in ff. h. t. n.* 4.) hæresis & similia, asserit Wiestner. *cit. n.* 39. *in fine*.

3. Dicitur tertio: *in aliis autem criminibus publicis* (id est, quorum accusatio cuilibet, etiam plebejo competit. Reiffenst *h. t. n.* 32.) *quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet*. Quod statuendi ratio hæc dari solet, ne crimina maneant impunita in præjudicium boni publici. Clarus *cit. nu.* 15. Pirh. *num.* 32. cumque hic cesset periculum capitis & sanguinis, transigentes non mereantur excusationem, & reus accusatorem pretio corrumpere, & accusator prævaricari & calumniari videatur. *l. fin. C. de prævaricat.* Clarus *l. c.* Molin. *l. c. num.* 13. Wiestner. *num.* 40. dum nimirum accepto pretio ab accusatione desistit. Quin & reus dans hoc pretium seu transigens hoc ipso pro confesso habetur juxta *l. 5. ff. de iis, qui notant. infam.* ubi; *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur &c.* adeoque puniri potest & debet pœna tali crimini ordinarie imposita, nisi probet se innocentem, & dedisse v. gr. pecuniam ad redimendam vexam, vitandasque molestias & sumptus litis. *l. C. servi ad Leg. Iul. de adulter. l. si ab eo ff. de calumn.* Molin. *cit. d.* 46. *num.* 13. Pirh. *LL. cit.* Idem est, nimirum, quod illicita & irrita sit transactio super criminibus privatis, & reus habeatur pro confesso, si agatur criminaliter seu ad pœnam publicam. V. g. furti. Contrarium vero est, seu licita est transactio; non secus ac gratuita compositio, si agatur civiliter, nimirum ad pœnam parti læsæ applicandam. Gl. *in cit. l. transigere v. in aliis autem publicis*. Molin. *l. c. num.* 24. Clarus *num.* 26. Pirh. *n.* 33. Diversitatis hujus ratio est, quod juri ac bono publico, ad quod tendit accusatio criminalis, præjudicari nequeat per privatos transigentes, possit autem per eos præjudicari commodo privato, ad quod tendit accusatio civilis: ita Pirh. *l. c.* citans Fachin. *l. 2. controv. Iur. cap.* 9.

4. Dicitur quarto: *circa falsi accusationem*, ideo autem hoc crimen, licet sit quoque publicum, & communiter non plectatur pœna sanguinis, excipitur, & super eo transactio permittitur reo; quia irrogat condemnato gravem valde infamiam & talem honoris jacturam, quæ pœnæ sanguinis æquiparatur. Clar. *num.* 18. Molin. *nu.* 16. quos citant & sequuntur Pirh. *nu.* 31. Wiestner. *h. t. n.* 42. Reiffenst. *num.* 32.

QUÆSTIO DCCCCLXXI.

An & qualiter transigi possit super decimis?

1. RESp. primo: De decimis præteritis non solum cum & ab ecclesiasticis, sed & cum & a Laicis transigi posse, etiam sine superioris authoritate, tenent communiter cum Gl. DD. *in c. ut super de reb. eccles. non alien.* teste Barbos. *de off. Paroch. cap. 28. §. 4. num.* 28. & apud illum Monet. *de decimis cap. 5. num.* 128. Rebuff. *de decim. q. 13. num.* 23. Fagund. *ad præcept. Ecclesiæ præcep. 3. l. 3. cap. 2. num.* 57. eo quod tunc non agatur de tollendo vel remittendo aliquo jure Ecclesiæ, sed solum de commodo illius, ad quem decimæ illæ spectant. Monet. *l. c.* Vide me *in foro benef. p. 2. q. 477. num.* 1.

2. Resp. secundo: Super jure decimandi primario seu percipiendi decimas jure ac nomine proprio ratione officii & mini-

ministerii ecclesiastici exhibiti (utpote quod quid mere spirituale est, fundatum in & connexum inseparabiliter cum officio Sacro & ministerio spirituali, & cujus proinde etiam omnino incapaces sunt laici, ut videre est apud me *l. c. q.* 473. *n.* 2.) acquirendo, retinendo, remittendo, etiam inter personas ecclesiasticas, dato vel accepto aliquo temporali, transigi non potest, estque talis transactio Simoniaca. Gl. *in cit. cap. statuimus h. t. v. super decimis* Abb. *ibid. n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 14. Wiest. *n.* 31. Quod hic dicitur de hoc jure decimandi spirituali, idem est de re quacunque alia Sacra & spirituali litigiosa. Pirh. *h. t. n.* 19. juxta *c. super eo h. t.*

3. Resp. tertio: Potest tamen etiam jus decimandi primarium & spirituale citra tale pactum Simoniacum, seu absque eo, quod detur temporale quid, acquiri & remitti per transactionem seu transigi inter personas ecclesiasticas *c.* 2. *& cap. veniens h. t. cap. ex multiplici de decimis* non secus, ac illud acquiri potest per præscriptionem & privilegium. V. gr. dum controversia est inter eos de jure percipiendi decimas ex pluribus prædiis, ita ut tunc transigatur, uni hæc, alteri alia prædia assignando, vel dum unum prædium litigiosum est, dividendo decimas; vel etiam ita transigi, ut decimæ integræ non solvantur, vel de rebus talibus non solvantur. Pirh. *ad tit. de decimis n.* 152. Pagund. *l. c. num.* 19. Ego *l. c. quæst.* 477. *num.* 1. Idque etiam sine interveniente authoritate superioris (per quem quis alias intelligatur, vide apud me *l. c.*) & aliis solennitatibus. In quo tamen casu transactio non erit perpetua, seu non transibit ad successores, sed ad summum ad vitam transigentium durabit, secus, si intercessit authoritas superioris. *c. de cætero c. veniens h. t.* & Arg. *cit. c. ex decimis* Abb. *ibid. n.* 2. Barb. Rebuff. quos citavi *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 15. *&* 18.

4. Resp. quarto; Transigi quoque potest cum laicis obligatis ad solvendas decimas super locum & tempus solvendarum decimarum propria authoritate. Fagund. *l. c.* Barbos. *l. c. §.* 4. *n.* 24. vel etiam, dum, qui debet decimas, allegat paupertatem, vel dum dubius est, an non præscripserit immunitatem a decimis in totum vel in partem, transigere desuper cum eo potest Parochus vel alius, ad quem spectat jus decimandi. Abb. *in c. statuimus h. t. n.* 7. Laym. *Th. mor. l.* 4. *tr.* 6. *c.* 6. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 14.

5. Resp. quinto: Potest etiam inter ipsos Laicos obtinentes jus illud decimarum secundarium (quod quale sit, vide apud me *l. c. qu.* 473. *num.* 3. & qualiter iis obvenire possit *qu.* 474.) transigi super eo privata etiam authoritate; cum etiam illud emptione acquirere, & venditione amittere possint, ut videre est apud me *cit. q.* 474. Plura de materia transactionis super decimis vide *cit. quæst.* 477. ubi etiam qualiter transactio illa facta absolute & indefinite extendat se ad decimas futuras, & quomodo transactioni super decimis non derogetur per privilegium Principis eximentis a solvendis decimis.

QUÆSTIO DCCCCLXXII.

An & qualiter transigi possit super beneficio ecclesiastico & jure præsentandi ad illud?

1. RESp. ad primum primo: super beneficio litigioso, etiam propria authoritate transigere amicabiliter, hoc est, transactione omnino gratuita absque eo, quod detur aut promittatur quid temporale, aut etiam spirituale, v. gr. cedendo gratis beneficium possessori, vel etiam instituto in illo, licitum est & minime simoniacum *c. super eo h. t.* Ut autem a possessore vel instituto in beneficio dicta compositione gratuita alteri colliganti cedi possit beneficium, necesse est intervenire authoritatem superioris, utpote sine qua nec acquiri nec dimitti potest beneficium ecclesiasticum juxta *c. admonet. & c. quod in dubiis de renunciat.* e contra, dum unus sponte vel etiam ad preces alterius gratis recedit a lite, & cedit beneficium alteri, qui in eo institutus est, opus non est authoritate superioris; quia in tali casu non obtinetur beneficium per amicabilem compositionem, cum jam ab eo, cui relinquitur, aliunde obtentum supponatur; sed ad summum per talem compositionem seu cessionem gratuitam redditur jus alterius certum, quod forte antea erat dubium; unde etiam, saltem pro majore securitate, ubi ipse possessor dubitat de canonica institutione sui in beneficio, adhibendam authoritatem superioris, suadent alii. De cætero ubi ei, qui cessit beneficium gratis, postmodum, nulla intercedente pactione, aut etiam intentione compensandi per hoc cessionem illam beneficii, offertur donum aliquod, non fore Simoniacum, colligitur ex *can. quam pio* 1. *q.* 2. *& c. dilectus de Simonia*. Pirh. *h. t. n.* 23. citans Abb.

2. Resp. secundo: Non tantum transactio, etiam facta interveniente authoritate superioris, qua, ut uni obveniat beneficium controversum, datur ab eo alteri quid temporale, est illicita & Simoniaca *cit. c. super eo* juncta Gl. *v. super re Sacra & c. fin. de rerum permutat.* Verum etiam transactio quæcunque onerosa super beneficio controverso absque authoritate superioris dum datur vel promittitur pro eo retinendo vel cedendo quid aliud spirituale. V. g. beneficium aliud, vel simile aliquod jus spirituale, est illicita & Simoniaca *cap. quæsitum cap. cum olim de rerum permut.* & colligitur ex *c. super eo* dum enim ibi omnis transactio onerosa repudiatur, & dicitur continere speciem Simoniæ, signum est, loqui Pontificem non tantum de ea transactione, quæ continet Simoniam veram, seu quæ est contra jus divinum, qua pro spirituali datur temporale, sed etiam de illa, qua authoritate privata conceditur beneficium pro alio spirituali, quæ tanquam Simoniaca probibetur a Jure Canonico, adeoque Simoniam juris humani continet, ita Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 51. *num.* 12. & cum eo Pirh. *h. t. nu.* 20. *&* 22. Proceditque responsio, etiamsi talis transactio juramento interposito aut fide præstita, quæ juramento æquivalet, fuerit confirmata. Argum. *c. constitutus h. t.* juncta Gl. *ibid. v. fide præstita*. Host. *v. eod.* Pirh. *h. t. num.* 21. juramentum enim de re illicita non obligat, & si principale, nimirum transactio, non tenet, neque juramentum ei accessorium valebit: iidem.

3. Resp. tertio: Potest tamen interveniente authoritate superioris transigi super beneficio litigioso, ita ut uni relinquatur beneficium, & alteri detur aliud beneficium, aut super beneficio relicto constituatur ei pensio, etiam ex conventione partium antecedente, modo ea conventio subordinetur authoritati superioris ab eo approbanda seu confirmanda. Suar. *l. c. n.* 19. *&* 20. Laym. *in. c. ult. de rerum permut. n.* 58. Pirh. *h. t. n.* 22. siquidem unum spirituale pro alio spirituali permutare de se non est Simoniacum; & licet talis pactio & permutatio privata authoritate facta circa beneficia & pensiones ecclesiasticas specialiter Jure Canonico prohibeatur, tanquam habens speciem Simoniæ *cap. quæsitum de rer. permut.* ubi tamen accedit seu intervenit authoritas & consensus superioris, nullatenus prohibita reperitur. AA. iidem. Tollit siquidem tunc ille interventus superioris suspicionem & præsumptionem Simoniacæ intentionis. Intelligendum tamen illud de pensione non mere temporali, quæ quamvis authoritate Judicis ordinarii v. g. Episcopi vel delegati constitui possit alicui ex aliis causis v. g. pro expensis factis in litem, constitui tamen ei nequit, ut recedat a lite beneficiaria in compensationem sui juris dubii. Suar. *loc. cit. num.* 22. Laym. *num.* 59. Pirh. *l. c.* juxta *c. cum pridem de pactis*. Sic enim daretur res temporalis pro spirituali, quale adhuc est jus illud dubium; sed de pensione ecclesiastica, qualis constitui solet & concedi ob spirituale officium. Quæ etiam dum datur in compensationem dicti juris dubii, adhuc datur spirituale pro spirituali, nempe remittitur jus illud dubium spirituale pro titulo spirituali pensionis, cui etsi annexum sit temporale commodum, sequitur tamen hoc ipsum accessorium naturam sui principalis, cum fructus illi seu pensio annexa sit titulo spirituali pensionis non secus, ac accidit in beneficio. Ita Suar. *num.* 19. Laym. *num.* 58. Pirh. *l. c.*

4. Resp. quarto: Potest quis habens jus liquidum, de quo sibi certo constat, in beneficio, dum injuste vexatur in judicio, redimere hanc vexam pecunia sine Simonia; cum sic non detur temporale pro spirituali jure beneficii acquirendo vel retinendo, sed pro repellenda injuria. Pirhing *h. t. nu.* 33. citans Suarez *ubi ante c.* 50. *nu.* 2. Layman *nu.* 22. Verum hanc redemptionem non esse proprie transactionem; cum non sit super re dubia, constat ex antecedentibus.

5. Resp. ad secundum: Quod dictum de beneficio, idem dicendum de jure patronatus seu præsentationis, item collationis beneficii; nequit enim desuper transigi interventu rei temporalis sine Simonia, ut constat ex *cap. præterea hoc tit.* Pirhing *h. t. num.* 23. Abb. & Jo. Andr. *in cit. cap. præterea*. Barbos. *ibid. in collect. num.* 1. Vivian. *de jurep. p.* 2. *l.* 9. *cap.* 3. Ciarlin. *controvers. forens. cap.* 107. Reiffenstuel *h. t. num.* 45. Est enim jus hoc spirituale, vel secundum se seu intrinsece, vel saltem spirituali annexum, ideoque spirituale censetur juxta *c. quanto de Judiciis* juncta Glos. *ver. connexa*, de connexis idem est judicium, *cap. translatis de constit.* Non tamen est Simoniacum nec illicitum transigere, etiam sine consensu superioris, super illo sine interventu ullius temporalis seu pretio æstimabilis; sed concesso vel remisso aliquo simili jure spirituali. Dare enim etiam in compensationem alicujus rei vel juris

ſpiritualis quid aliud ſpirituale, etiam ſine conſenſu ſuperioris (niſi forte talis tranſactio, quia contineret alienationem bonorum vel jurium Eccleſiæ alicujus, requireret hunc conſenſum) extra materiam beneficialem non eſt illicitum ſeu prohibitum jure eccleſiaſtico tanquam ſpeciem Simoniæ habens; adeoque multo minus ſimoniam juris divini continet. Pirh. *num.* 33. uti conſtat, iſtiuſmodi rerum ſpiritualium permutationes licere ex *cap. ad quæſtionem & cap. fin. de rerum permut.* juncta Gl. *v. temporalium*. Sic itaque dum jus patronatus controverſum eſt, tranſigere poſſunt patroni inter ſe, ut alternatim præſentent, vel etiam unus ad hoc, alter ad aliud beneficium privative præſentet: non ſecus, ut Suar. *loc. cit. cap.* 51. *num.* 8. Laym. *num.* 57. apud Pirh. *loc. cit.* Ac in ſimili caſu tranſigere poſſunt collatores, ut alternatim conferant, Viſitatores, ut alternatim viſitent &c.

QUÆSTIO DCCCCLXXIII.

An & qualiter reſignatarius teneatur ſtare tranſactioni factæ per reſignantem?

RESp. Tenetur illi ſtare. Pariſ. *de reſign. l.* 1. *q.* 16. *nu.* 68. citans Rebuff. *conſ.* 104. *num.* 21. dicens eſſe communem. Eo quod tranſactio potius fiat inter eccleſias & dignitates quam inter perſonas *cap. veniens h. tit. & ibi* AA. Quæ autem fiunt nomine dignitatis, tranſeunt ad ſucceſſores. *c. quoniam Abbas de off. deleg.* Pariſ. *num.* 69. modo tamen, ut Idem *num.* 70. citans Rebuff. *ubi ante*. Tranſactio facta in utilitatem eccleſiæ, & confirmata a Papa, vide me *in foro benef. p.* 3. *q.* 256.

QUÆSTIO DCCCCLXXIV.

An & qualiter tranſigi poſſit ſuper ſubjectione ſpirituali vel etiam temporali?

1. RESp. ad primum: Talis tranſactio, ſi fiat dato, vel etiam remiſſo (remittere enim idem quod dare *l.* 2. *ff. de calumniator.*) aliquo temporali v. gr. dando cenſum aliquem annuum pro exemptione a tali ſubjectione (intellige controverſa, alias enim non eſſet proprie tranſactio) eſt illicita, irrita & ſimoniaca *c. præterea h. t.* ſecus, ſi fiat dato vel remiſſo aliquo ſpirituali. Abb. *in cit. c. præterea num.* 2. pateteque ex dictis paulo ante. Nihilominus ſuperior eximendo gratis eccleſiam a ſubjectione ſibi debita, reſervare ſibi poteſt annuam aliquam penſionem, non quidem vi & prætextu alicujus tranſactionis, ſed in ſignum ſubjectionis antiquæ, *c. conſtitutus de religioſ. domib.* Gl. *in cit. c. præterea v. cenſum*. Vivian. *ibid.* apud Reiffenſtuel. *h. t. num.* 44. Sed neque ullatenus Abbas cum monacho ſuo tranſigere poteſt ſuper ſubjectione; cum non poſſit obligari monacho quin ad hoc. Pirh. *h. t. num.* 27.

2. Reſp. ad ſecundum: ſuper ſubjectione temporali, quæ ſervitus non eſt, tranſigi poteſt cum ſubdito, non ſecus, quam de aliis juribus. De ſervitute tamen proprie tali, dum ea certa eſt, Dominus cum ſervo tranſigere nequit, non tantum ex eo, quod ſuper juribus certis non detur tranſactio proprie talis; ſed etiam ex eo, quod dominus ſervo obligari nequeat, *l. interpoſita C. h. t.* Secus eſt de ſervitute dubia *l. fin. C. eod.* Hoſt. *in ſum. h. t. v. ſpirituali*; eo quod in hoc caſu jam dubium ſit, num ſit dominus, adeoque cum detur, aut dari poſſit inter illum & alterum dubie ſervum obligatio, de qua obligatione dubia tranſigi poteſt, & ſic naſci obligatio certa ſtandi tranſactioni.

QUÆSTIO DCCCCLXXV.

Ad quæ ſe extendat tranſactio?

1. RESp. primo. Facta ſpecialiter de re aliqua certa vel rebus pluribus in particulari extendenda non eſt ad res non expreſſas, niſi forte hæ cum expreſſis ſint connexæ aut iis acceſſoriæ. *l. ſi unus §. ante omnia ff. de pactis* juncta Gl. *v. noceat*, uti nec a perſona expreſſa ad non expreſſam extendenda eſt. Pirh. *h. t. num.* 37. *in fine*. Arg. *l.* 1. *C. h. t.* Sic etiam, ſi res certa petita non abſolute & univerſim, puta jure dominii, ſed ex certa cauſa ſeu titulo. V. g. venditionis, tranſactio deſuper facta non extendit ſe ad eandem petitam titulo donationis, adeoque impedire nequit, quo minus ex alio titulo. V. g. donationis peti poſſit, Pirh. *h. t. num.* 37. citans Abb. *in c.* 3. *h. t. num.* 6. Molin. *ubi ſupra d.* 558. *num.* 6. Laym. *Th. mor. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 31. *num.* 7. Extenditur nihilominus ad res non expreſſas, ubi hæ cum expreſſis ſunt connexæ iiſque acceſſoriæ, licet ea in judicium adducta non fuerint, *l.* 2. *§.* 1. *ff. ſi quis cautionibus l. fin. ff. de eo, quod certo loco*. Pirh. *h. t. num.* 37. Reiffenſtuel. *h. t. nu.* 49. citans Pariſ. *l.* 4. *conſ.* 4. *num.* 9. Qui enim de re principali tranſigit, de omnibus appendentibus tranſegiſſe intelligitur. Mantica *de tacitis convent. Tom.* 2. *lib.* 26. *tit.* 6. *num.* 10.

2. Reſp. ſecundo. Facta generatim ac indefinite tranſactio, V. g. ſuper tota hæreditate vel omnibus juribus epiſcopalibus extenditur ad omnia particularia ſub ea univerſitate contenta, tametſi in ſpecie non ſint cognita, *l. tres fratres de pactis l. ſub prætextu l. ſi de certa C. h. t.* Modo tamen translatio generalis ſalva verborum forma reſtringi poſſit ad res particulares, de quibus eſt petitio. Abbas. Pirh. *LL. cit.* Molin. *l. c. nu.* 5. Item modo aliquæ res incognitæ & occultatæ non ſint dolo unius tranſigentium, *l. qui cum §. qui falſariam ff. h. t.* Nihilominus tranſactio, quamvis generalis & indefinita, reſtringenda eſt ad ea, de quibus tractatus præceſſit, ſeu actum fuit inter partes *cit. l. qui cum §. tranſactio l. qui certa C. h. t.* juncta Gl. *v. quæſtionibus*, Laym. *l. c. nu.* 8. Pirh. *cit. nu.* 37.

QUÆSTIO DCCCCLXXVI.

Quis ſit effectus tranſactionis?

1. RESp. primo. Præter obligationem naturalem omnibus pactis legitimis communem effectus primarius tranſactionis eſt imponere finem litibus motis, & movendas impedire. Arg. *c.* 1. *h. t. & l. fratris tui C. h. t.* unde deducuntur ſequentia. Primo quod licet mutuo conſenſu tranſactio diſſolvi poſſit *l. ſi diverſa C. h. t.* altera tamen parte invita, etſi res adhuc ſit integra, & tranſactio ex neutra parte impleta, pænitere & reſilire non liceat *c. quamvis h. t. l. cum te C. h. t.* cum, ſi hoc liceret, litium finis nullus futurus ſit. Secundo, quod nequidem interveniente reſcripto Principis revocari poſſit. *l. cauſas C. h. t.* ubi: *cauſas vel lites tranſactionibus legitimis finitas imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet*. Tertio quod omnes probationes & inſtrumenta, etiam ex poſt de novo reperta ad litem ſopitam pertinentia aliaque jura, ſive de jure communi, ſive ſpeciali, etiam præſcriptionis & privilegii partibus competentia, in contrarium allata poſt finitam tranſactionem legitimam tollantur, ſintque prorſus irrita & inania. Pirh. *num.* 40. & 41. cum communi juxta quod ſtatuitur *c. ſicut grave h. t. l. ſub prætextu h. t.* Modo tamen tranſactio non fuerit dolo alterius partis extorta, aut probationes & inſtrumenta per fraudem occultata, tunc enim tranſactio non valeret. *cit. l. ſub prætextu* juncta Gloſſ. *v. obtineat*. Poteſtque eo ipſo pars altera uti priſtino ſuo jure ac ſi tranſactum non eſſet; ita tamen, ut tranſactio ſubſiſteret, ſi pars hæc, non obſtante dicto dolo vellet impleri & ſervari eam. Arg. *l. cum proponas C. de pactis*. Pirh. *h. t. num.* 41. citans Abb. Quod ſi de cætero per incuriam vel negligentiam aut imperitiam in tranſactione aliquis defectus ſeu error (ſive juris ſive facti, ut Hoſt. *in cit. c. ſicut grave v. incuria & v. imperitia*, item Abb. *num.* 5.) commiſſus, etiam ob quam invalida eſſet tranſactio (modo non ſit defectus juris naturalis, ſed juris poſitivi) Papa vel Princeps ſupplere poteſt; cum confirmare poſſit actus ipſo jure invalidos, non quidem confirmatione ſimplici, ſeu quæ ſit in forma communi (hæc enim valorem actui non tribuit, ſed ſupponit *c.* 1. & 2. *de confirmat. utis.*) ſed quæ ſit ex certa ſcientia ſeu cum plena cognitione cauſæ, uti hæc ſumuntur ex *cit. cap.* ſicut grave,

2. Reſp. ſecundo. Alter effectus tranſactionis eſt, quod tametſi, nudo facto, id eſt, abſque ſtipulatione, ſcriptura vel rei traditione fuit celebrata, jure civili non pariat actionem civilem *l. ſive h. t.* Parit tamen exceptionem litis finitæ. *cap.* 1. *de litis conteſt. in* 6. *l. cum proponas C. h. tit.* Cum litem decidat non ſecus, ac ſi res in judicio deciſa eſſet, *cap.* 1. *h. t.* Unde & vocatur deciſio cauſæ, & æquiparatur rei judicatæ juxta illud *l.* 20. *C. h. t. Non minorem authoritatem tranſactionum quam rerum judicatarum eſſe recta ratione placuit*. Siquidem nihil ita fidei congruit humanæ, quam ea, quæ placuerant cuſtodiri. Et licet hæc exceptio peremptoria ſit, poteſt opponi tam ante quam poſt conteſtationem litis, *c.* 1. & 2. *de litis conteſt. in* 6. Pirh. *h. t. num.* 42. qui etiam *num.* 43. ex eo quod tranſactio pariat exceptionem litis finitæ, hanc format illationem: quod licet, qui fuit advocatus vel procurator in aliqua cauſa, non poſſit in

eadem

eadem esse testis, *cap. ult. de testib. in 6. l. fin. ff. eodem.* Possit tamen esse testis transactionis factæ super eadem causa. Argum. *c. ex literis h. t.* Eo quod, cum lis finiatur per transactionem, desinat esse advocatus in ea causa, adeoque jam ferre possit testimonium super transactione, qui prius in causa principali præstitit patrocinium. Pro quo citat Abb. *in cit. c. ex literis n. 1.* Imol. *n. 2.* Dixi de Jure Civili non parit actionem: nam secundum Jus Canonicum, & ex consuetudine hodie recepta datur actio ex nudo pacto etiam, ut dictum supra: ergo & ex tali transactione. Pirh. *l. c.* Wesenbec. *in paratit. ff. h. t. n. 7.* Reiffenst. *h. t. n. 51.*

QUÆSTIO DCCCCLXXVII.

An & qualiter transactio rescindi possit.

1. RESp. primo: præter rescissionem, quæ fieri potest mutuo consensu juxta dicta *in resp. 1. ad præced. qu.* poterit ea rescindi beneficio restitutionis in integrum factæ ad implorationem Judicis, ubi transactione graviter & ultra dimidium læsa ecclesia vel minorennis, intellige, etiam citra dolum, *l. 1. C. si adversus transaction.* Glos. *fin. in c. cum causa de empt. & vendit.* cum communi. Idemque dicendum de minoribus aliis gaudentibus beneficio restitutionis. Arg. *rubricæ & l. 2. C. jam cit.* Secundo etiam quoad alios de cætero non gaudentes beneficio restitutionis, ubi graviter læsus unus transigentium ex proposito & dolo alterius, si is probetur, *l. 2. & seq. C. de dolo malo*, ubi, qualiter de dolo conceditur actio. Unde etiam, si instrumenta, quibus veritas probari potuisset, ab uno dolose subducta, datur actio ad rescindendam transactionem. *L. sub prætextu h. t.* Idem est, dum transactio extorta metu injusto cadente in virum constantem *l. interpositis C. h. t.*

2. Resp. secundo: etiam transactionem, bona fide citra dolum peractam, in qua pars ultra dimidium læsa, ea petente, rescindi posse, contra Glos. *fin. in cap. cum causa de empt. & vendit.* Jasonem *in l. si quis cum aliter ff. de V. O. n. nu. 13.* & alios tenent Abb. *in c. cit. cum causa n. 7.* Bartol. *in cit. l. si quis cum n. 4.* Pachin. *l. 2. controv. c. 6.* Engels *h. t. nu. 14.* Reiffenst. *h. t. nu. 56.* eo quod, ut Abb. *l. c.* taliter læsus non videatur habuisse animum taliter transigendi. Plura in favorem hujus sententiæ vide apud Reiffenst. *a nu. 57.* Vide quoque, quæ in oppositum allata sunt supra *q. 1. hujus tituli.*

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO.

QUÆSTIO DCCCCLXXVIII.

Quid sit postulare, & quinam postulare dicantur.

RESp. Postulare; latissime sumendo hoc nomen, est idem ac petere aliquid, seu suum desiderium alteri exponere, ut ab eo impleatur. Qualiter quoque in Jure accipitur, *Titulo* nimirum *de postulat. Prælatorum*, pro petitione & desiderio ad superiorem directo, ut nimirum personam sibi propositam ad dignitatem ecclesiasticam dispensative admittere velit. Pro ut vero hic sumitur strictius, describitur *l. 1. §. postulare ff. de postulando.* Quod sit desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Dicitur primo *desiderium suum vel amici sui:* ut intelligatur, etiam eum, qui pro seipso seu suam causam agit coram Judice allegando rationes, sive ex jure sive ex facto assumptas, dici postulare & postulantem; etsi proprie advocati, patroni causarum, oratores & causidici dicantur, qui pro alio seu causam alienam agunt. Dicitur secundo: *in jure*, hoc est, in judicio, ut Glos. *in l. cit.* Unde is, qui alteri sive scripto sive verbo consilium & rationes suggerit in causa aliqua extra locum Judicii, seu non assistendo ei in Judicio non dicitur postulare, aut advocatum agere, ut Bartol. *in l. 1. §. advocatos ff. de var. extraord. cognit. a nu. 3.* Sanchez *l. 6. mor. c. 13. n. 29.* apud Pirhing *h. t. n. 1.* Uti idipsum ex eo constat, quod cui prohibitum est advocare, non prohibeatur dare consilium gratis vel pro mercede. Bartol. *l. c. n. 4.* Sanchez *n. 30.* Item neque is advocatus est, qui jura partis allegat coram arbitratore; cum enim arbitramentum non sit judicium proprie, sed quidam contractus transactionis, *L. Pomponius §. recepisse ff. de receptis*, non est hoc interesse liti sed contractui. Bartol. *loc. c. n. 5.* Pirhing *l. cit.* qui tamen, citato Sanchez *ubi ante nu. 31.* Secus esse dicit de eo, qui causam actoris vel rei defendit coram arbitro, eo quod arbitrium sit instar veri judicii. Dicitur tertio: *vel alterius desiderio* contradicere: siquidem exponere amici sui desiderium spectat ad advocatum actoris, alterius vero desiderio contradicere spectat ad advocatum rei.

QUÆSTIO DCCCCLXXIX.

Qualiter advocatus a procuratore distinguantur.

RESp. tametsi data descriptione advocati non satis a procuratoribus distinguantur, quin & ut Pirhing generali appellatione advocatorum comprehendantur quoque procuratores & contra; cum tam hi quam ii stent in Judicio clientisque causam agant, notabile tamen inter eos eorumque officium est discrimen. Nam primo advocati officium publicum est, *l. 2. de Reg. Jur.* Pirhing *h. tit. nu. 2.* Wesenbec. *in paratit. ff. h. tit. n. 2.* & honorabile, multis gaudens privilegiis juxta *l. 4. C. de advocat. varior. judicior.* ubi: *Laudabile vitæque hominum necessarium advocationis officium maxime principalibus præmiis oportet remunerari* &c. econtra officium procuratoris magis privatum est & vile ac onerosum. Arg. *L. si quis 34. C. de decurionib.* juncta Glos. *fin.* ubi Consiliarii prohibentur sub gravibus pœnis fieri & constitui procuratores, ne existimationem suam servili obsecundatione damnent. Gail *lib. 2. observ. 34. nu. 5.* Unde etiam ad officium Procuratoris præstandum nemo invitus cogi potest, *L. invitus C. de Procuratoribus.* Secus est de officio advocati juxta paulo post dicenda pluribus; quamvis tamen Gail. *l. c. nu. 6.* subjungat, hodiedum officium Procuratoris in Camera Imperiali non esse vile sed honorabile; eo quod ibi sit Consistorium summi Principis, scilicet Imperatoris ac Statuum, nullusque ibi in numerum Procuratorum recipiatur, nisi Doctor vel Licentiatus, quin & quod hodiedum plerumque Advocati soleant simul constitui Procuratores; quia id facilius est partibus ad parcendum sumptibus aliaque incommoda vitanda, ut cum Zoes. *h. t. ff. n. 1.* & Engels *tit. de Procurat.* notat Reiffenst. *tit. eod. n. 12.* Idque non tantum in tribunalibus Judicum inferiorum, ut ex Gregor. Tholos. *Syntag. Juris cap. 6. a. 5.* Pirhing *h. t. num. 2.* sed & in summis, uti id receptum in Camera Imperiali testatur Gail. *l. c. observ. 34. n. 8.* Addens quoque, quod, cum tales fungantur duplici officio, inculpate utriusque muneris nomine salarium exigere & recipere possint. Argum. *l. iis scholaribus C. de erogat. militar. annonæ.* Secundo Advocatus pro alio præsente in judicio postulat, seu illi causam suam agenti patrocinium solum & defensionem præstat, jus ejus & merita causæ deducendo & argumentis stabiliendo. Procurator econtra administrat res ipsas, seu gerit negotia sui principalis, ejusque personam sustinet; & si est ad lites, nomine principalis absentis agit comparendo loco illius in judicio, sententiam excipiendo, & reliqua dirigit veluti administer & executor advocationis. Tholos. *l. c. n. 6.* Sylv. *v. Procurator.* Mynsing. *Instit. de his, per quos agere poss. §. Procurator. nu. 5.* Pirhing *l. cit.* Tertio Advocatus non obligatur ex mandato; hinc, si causam male agat colludendo v. gr. cum adversario sui clientis, prodendo illi hujus secreta & consilia, tenetur de prævaricatione, non actione mandati, *l. 1. C. de advocat. diversf. Judic. l. 1. ff. de prævaricatoribus* econtra quia obligatio inter Procuratorem & principalem parit actionem mandati, hic tenetur, si dolo vel male egerit causam sui principalis colludendo cum adversario, *L. si Procurator C. de Proc.* Quarto Advocatus non fit Dominus litis, *l. 1. C. de errorib. advocator.* Procurator vero ad lites & judicia per & post litis contestationem fit Dominus litis (id est, instantiæ litis, non causæ, ut Pirhing *n. 2.*) *cap. 1. de procuratorib. in 6.* de quo plura *Tit. seq.* Quinto Advocatus debet esse jurisperitus eique operam dedisse saltem per quinquennium, judicioque Doctorum Juris & juramento approbatus, *l. nemini l. jubemus C. de advocat. diversf. Judic.* Abb. *ad hanc rubric. n. 2.* quia

ex

ex officio agit causam veluti juris defensor & vindex. Pith. *l. cit.* econtra in Procuratore potius diligentia quam scientia requiratur, ut Wesenbec. *ff. de Procurat. n.* 10. cum negotii & causæ administrationem tantum habeat. Quamvis teste Gail. *l. c. n.* 6. ut dictum paulo ante in Camera Imperiali Procurator esse debeat Doctor vel Licentiatus. Adjicit denique & aliam differentiam Pirh. *l. c.* Wesenbec. *l. cit.* nimirum, quod quidquid filiusfamilias ex advocatione acquirit, acquirat non patri, sed sibi tanquam peculium castrense, *l. fin. C. de inoff. testam.* non vero acquisitum ex procuratione; quia id non tam sit quæstus seu lucrum ingenii & doctrinæ quam communis negotiationis.

QUÆSTIO DCCCCLXXX.

An & qualiter Magistratus possit & debeat dare partibus Advocatum, & is ad advocandum compelli possit.

1. RESp. ad primum. Advocatos idoneos partibus litigantibus petentibus tenetur Magistratus dare, *l. 1. §. ait prætor ff. h. tit.* imo personis miserabilibus, ut pupillis, viduis, mente captis, vel aliis debilibus, etiam non petentibus, Judex ordinarius, vel etiam delegatus ex officio dare tenetur Advocatos, *l. nec quicquam §. advocatos de off. proconf. l. providendum C. h. t. c. 1. de off. Jud.* juncta Glos. *v. implorando.*

2. Resp. ad secundum; potest Advocatus (qui in Advocatorum album relatus est, ut Wiestoer *tit. de procurat. n. 6.*) etiam invitus compelli ad suscipiendum patrocinium, *cit. l. 1. tit. & l. providendum C. eod.* quia ad publica munera etiam inviti compelli possunt, *l. penult. §. qui autem ff. de vacat. & excus. muner.* & toto *tit. ff. de munerib. & honorib.* Quin etiam, si renuat pro alio postulare, compelli potest sub pœnia privationis officii, *citat. l. providendum*, ubi: *careat foro*, & quidem, ut addit Glos. *ibi v. eod.* ipso jure; nisi habeat justam causam excusationis. Argum. *l. humanitatis C. de excus. tutor. l. si longius ff. de Judic.* Cogi tamen nequit, ut gratis præstet advocationem, sed dato a cliente salario pro modo litis proque advocati facundia & fori consuetudine, *l. 1. §. in honorariis ff. de var. & extraord. cognit.* Glos. *in l. 1. ff. h. t. v. non habebunt*, cum nemo suis stipendiis militare cogatur, *c. cum ex officii de præscript.* Si tamen cliens pauper est, salarium ei ex publico constituendum. Glos. *cit.* quemadmodum in Camera Apostolica Romæ in Curia Regis Catholici aliorumque Regum receptum testatur Vestrius *lib. 2. introd. c. 7.* Covar. *pract. c. 6. nu. 4.* quamvis etiam advocatus ex naturali caritate (etiam sub peccato gravi, ut Sylv. *v. advocatur*. Sotus *l. 5. de just. q. 8. n. 5.* nimirum in casu, quo pauper in gravi causa patrocinio alias destitutus esset) pauperi gratis patrocinari debeat, non tamen ex Justitia, nisi ubi advocatis istiusmodi essent constituta publice salaria. Haun. *de I. & I. tr. 2. n. 230.* Wiestner *h. t. nu. 17.* Adeoque etiam ad id a Judice compelli possit, nisi & ipse pauper sit. Pirh. *h. t. n. 3.* citans Sylv. *v. advocatus qu. 16. & 18.* Gail. *observat. 43. a n. 13.* qui etiam *nu. 10.* testatur, in Camera Imperiali sub pœna pecuniaria, imo privationis officii compelli advocatum gratis servire pauperi.

QUÆSTIO DCCCCLXXXI.

Quinam postulare & advocatum in judicio agere prohibeantur.

1. RESp. primo in genere: aliqui jure communi in totum, & tam pro se quam aliis postulare prohibentur; alii pro aliis, non pro se. Alii, tam pro se quam pro aliis, exceptis tamen aliquibus, postulare permittuntur, prout hæc habentur *l. 1. ff. h. t.* Item prohibentur aliqui lege, alii Canone, alii sententia Judicis. Pirhing *h. t. n. 3. in fine*. Advocare autem possunt omnes, quibus id Jure non reperitur interdictum. Hostiens. *in sum. h. t. n. 2.* Wesenbec. *paratit. ff. h. t. nu. 4.* Pirhing *l. c.* cum communi; cum enim edictum de postulando sit prohibitorium, sicut & illud de procuratore constituendo, *l. mutus §. 1. ff. de procurat.* quicunque non prohibetur expresse advocare, admittitur, *c. cum apud Sedem de sponsal.* juncta Glos. *ibid. v. prohibitorium.* AA. iidem.

2. Resp. secundo in specie: Jure civili in totum tam pro se quam pro aliis postulare prohibentur. Primo pagani & hæretici sub pœna perpetui exilii prohibentur advocare, *L. fin. h. tit.* ubi: *nemo vel in foro magnitudinis tuæ, vel in provinciali judicio, vel apud quemquam Judicem accedat ad Togatorum consortium, nisi sacrosanctis Catholicæ religionis fuerit imbutus mysteriis*; quod in Germania patet non observari. Secundo minores 17. annis, *l. 1. §. 3. ff. h. tit.* tum quia perfectum judicium non habere censetur, tum quia indecorum est, ut qui curatore adhuc eget, & proximus est iis, qui se regere non possunt, alios regat, *c. indecorum de ætat. & qualitat.* quamvis, ut Pirh. *h. t. n. 4.* ubi dictam ætatem compleverint, agere pro aliis possint. Tertio omnino surdus etiam pro se postulare prohibetur, *cit. l. 1. §. initium*; quia decretum Prætoris non potest audire, *ibid. §. 3. v. propter*. Quarto cæci omnino, etsi Judices esse possint. *l. cæcus ff. de Judic.* pro aliis tamen postulare non potest, *cit. l. 1. §. casum*, ubi & additur ratio: *quia insignia Magistratus videre & revereri non potest*: quæ ratio etiam probari videtur, quod neque pro se advocare possit. Quinto servi, quia legitimam personam standi in judicio non habent, *l. quod attinet ff. de Reg. Jur.* Huc denique reduci possunt potentiores, qui ratione officii vel dignitatis, vel Magistratus possunt esse terrori, hi enim propterea advocare nequeunt juxta *l. 1. C. ne liceat potentiori patrocinari.*

3. Resp. tertio: Jure civili pro aliis postulare prohibentur, etsi pro se postulare permittantur. Primo mulier, *ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis & officiis se immisceant, & ne virilibus fungantur officiis*: ut habetur *cit. l. 1. v. sexum*: quale officium virile est postulare pro alio, seu alienam suscipere defensionem, *l. alienam C. de procurator. l. 2. ff. de Reg. Jur.* Nisi tamen mater sit tutrix filii; tunc enim per seipsum stare potest in judicio in causa filii, & pro ipso postulare. Dum enim tunc lex ei deferat administrationem bonorum filii, concedere quoque debet, ut ad defensionem filii judicio assistere possit. Argum *c. ex parte de appellat.* Layman *in c. 2. de judic.* Pirhing *h. t. nu. 4.* Wiestner *n. 5.* Reiffenst. *n. 13.* Secundo insigni turpitudinis & infamia notati, ut qui in corpore suo muliebria passi sunt, nisi forte per vim fuerint constuprati, *cit. l. 1. §. removet*; est enim talis ipso jure infamis, *l. cum vir. C. ad leg. Jul. de adult.* Item qui de Capitali crimine, vel de calumnia publico judicio damnatus est; aut qui operas suas ad pugnandum cum bestiis in arena locavit mercedis causa, *cit. §. removet*. Sylv. *v. advocatus qu. 1. dicto 5.* Et hi quidem extra ordinem puniuntur, si pro aliis postularunt, nisi eos excuset necessitas officii, nimirum si id fuerint pro personis conjunctis, vel pro pupillis & minoribus, ut eorum Tutores & Curatores, *cit. l. 1. §. 6. & l. puto ff. h. t.* Tertio literarum & jurium imperiti, *l. nec cæterorum C. h. t.* si tamen talis aliquis minus peritus pro se postulare velit & advocati vices supplere in propria causa, admitti solet, eo quod sibi imputare debeat, si minus bene deducendo causam suam, ea cadat, & detrimentum patiatur. Licet autem olim cuilibet alias de jure non prohibito, studiorum & scientiæ suæ fiduciam habenti, aut saltem de factorum peritia noto, licuerit advocatum agere. Argum. *l. 2. h. t.* juncta Glos. *ibid.* Zoesius *ff. h. t. num. 3.* hodiedum tamen non permittitur advocati officium exercere, nisi de jurisprudentia competens testimonium acceperit publico Professorum Juris judicio approbatus, *l. nemini C. de advocat. var. Judic.* Quinimo hodie ex recessibus Imperii & de majorum tribunalium consuetudine advocare non permittitur pro aliis, qui gradum saltem licentiatus in jure & specialiter facultatem advocandi a Judice non obtinuerit, ita ut in multis locis non recipiantur libelli partium & scripturæ confectæ super causis, nisi advocati alicujus approbati & recepti manu sint subscriptæ. Engels *h. t. n. 8.* Wiestner *n. 7.* Reiffenst. *n. 10.* idque in favorem clientum sic constitutum, ne debita scientia destituti, & hinc causam non penetrantes temere se ingerendo huic officio, grave eis damnum inferant.

4. Resp. quarto. Jure civili pro certis tantum personis, puta, quarum tutelam curationemve gerunt, vel pro sibi conjunctis (ad quartum gradum usque, ut Pirhing *h. t. n. 4.*) quales sunt parentes, liberi, fratres, sorores, socrus, gener, nurus, vitricus, noverca, prævignus &c. advocare permittuntur, infamia qualibet, non tamen summa seu insigni, notati, *cit. l. 1. §. est æquissimum §. ut initio, & §. ait Prætor.* Qui, si tamen a Principe seu Senatu famæ sint restituti, pro omnibus advocare poterunt, *cit. l. 5. §. deinde adjicit, & seq.* Illud in genere addendum, quod prædictæ personæ per edictum Prætoris prohibitæ advocare ita prohibeantur, ut ne quidem adversario consentiente, admitti possint ad postulandum, *l. quos prohibet ff. h. tit.* eo quod hoc edictum prohibitorium tendat ad Magistratus dignitatem conservandam, *cit. l. 1. ad initium*, concernatque jus publicum, *leg. 5. §. hujus studii ff. de I. & I.* jus autem publicum

pactis

pactis privatorum immutari nequeat, *l. 38. ff. de pactis*, ita Pirhing *cit. num. 4. in fine*.

5. Resp. quinto. Jure civili respectu certarum causarum advocare non possunt. Primo Judices & arbitri in causa, in qua judicaturi sunt, *l. quisquis C. h. tit.* cum nemo in eodem negotio possit esse advocatus & Judex, etiam diverso tempore. Glos. *in cit. c. quisquis v. negotio*. Sylv. *loc. c. q. 2. dicto 4.* Pirhing *h. t. num.* 20. Item Tabellio. Tholos. *cit. c. 6. num. 27.* Wiestner *h. t. num. 7.* Secundo Fiscus vel Respub. non potest patrocinari contra privatum prætextu debiti, quod Fisco vel Reipub. debetur, *l. 3. & toto tit. C. ne Fiscus vel Resp. procurat.* &c. Item nequit quis patrocinari adversus donatorem suum, ita ut, si fecerit id, donatio propter hanc ingratitudinem revocari possit. Abb. *in c. fin. h. t. nu.* 2. Gail. *l. 1. observ. 88. n. 6.* Pirhing *h. t. nu. 13.* Item vasallus contra dominum suum directum, ita ut alias feudo privari possit, non secus, ac si contra dominum militasset, *l. 2. feudi tit 24.* advocati enim militare dicuntur, cum hominum vitam & bona defendunt, *l. advocati C. de advoc. diverf. Judic.* nisi vasallus (idem est de donatario) non sponte, sed præcepto superiorum (quod non facile faciendum) cogatur advocare. Gail. *l. c. n. 5. & 7.* Pirhing *n. 14.* Item nisi postulet pro persona sibi conjuncta contra dominum vel donatorem. Argum. *cit. c. fin.* per sensum contrarium, dum ibi dicitur: *pro extraneis*, censetur enim tunc, ac si propriam causam tueretur; neque quis fidelitatem contra seipsum aut suos promisisse creditur. Pirh. *l. c.* citans Durand. *in specul. l. 1. p. 4. tit. de advocat. n.* 30. & Sylv. *v. advocatus*, vel denique nisi pro personis miserabilibus postulet. Sylv. Pirhing *LL. cit.* Neque etiam advocatus agere debet advocatum contra Remp. vel dominum, a quo certum Salarium accipit, si vocetur ad causas ejus defendendas; eo quod ea conditione expressa vel tacita annuum salarium ei constitui soleat, ut contra dominum suum non advocetur, nisi Principis vel superioris præcepto cogatur. Ita Bartol. *in l. 2. C. de advocat. diverf. Judic. n. 2.* Gail. *l. 1. observ. 88. n. 7.* Laym. *in c. fin. h. t. nu.* 6. dicens sententiam receptam esse in praxi in Germania Pirh. *h. t. nu.* 15. contra Abb. *in cit. c. fin. n.* 3.

QUÆSTIO DCCCCLXXXII.

Quinam de Jure Canonico advocare non possint.

1. Resp. primo in genere: Quæ in Jure civili de prædictis omnibus statuta quo ad hoc, Jure Canonico approbantur, *c. infames 2. caus. q. 7.* Pirh. *h. t. n. 4.*

2. Resp. secundo in specie: Prohibentur imprimis excommunicati, *c. decernimus de sent. excomm. in 6.* juncta Gl. *v. patrocinando*. Sylv. *v. advocat. quæst. 2.* Pirh. *h. t.* Wiestner *n.* 8. eo quod illis interdicta sit cum fidelibus communicatio etiam forensis, *c. intelleximus de Judiciis*. Secundo Monachi aliique regulares prohibentur exercere officium advocati aut procuratoris in judicio tam ecclesiastico quam sæculari, præterquam in causis sui Monasterii, exigente id ejus utilitate, & simul accedente Abbatis seu Prælati eorum regularis consensu, ita statutum *in Can. Monachi & Can. de præsentium caus. 16. qu. 1.* Et licet per se hac dispositione comprehenderentur regulares omnes, etiam Canonici. (Canon enim seu constitutio disponens aliquid de Monachis, dum non fundatur in qualitate propria ac speciali Monachorum v. g. solitudinis, sed in generali ratione religionis omnibus religiosis communi, vi cujus a curis & negotiis sæcularibus abstracti divino cultui mancipantur, ob identitatem rationis etiam ad alios religiosos, saltem claustrales, extenditur. Abbas *in c. ex parte h. t. nu.* 16.) ad tollendum tamen omne dubium, expresse & signate extendit idipsum ad Canonicos regulares Innoc. III. *in cit. c. ex parte*. Porro ad hoc, ut advocare possit religiosus tam in judicio sæculari quam ecclesiastico, requiruntur dicta duo, utilitas Monasterii & licentia Prælati copulative. Glos. *in cit. c. ex parte v. imperante*. Abb. *ibid. num.* 2. Pirhing *num.* 17. Et quod attinet ad licentiam, non sufficit eam petitam esse, sed requiritur obtenta. Sanchez *l. 6. mor. c. 13. n.* 8. Pirh. *l. cit.* Argum. *cit. c. ex parte*, ubi: *ex mandato Abbatis*: quod ad minimum importat licentiam obtentam. Quamvis tamen quandoque sufficiat tacita & præsumpta licentia, dum v. gr. religiosus longius abest a Monasterio. Argum. *l. si longius §. filius familias ff. de Judic.* Sanchez *l. c. n.* 7. Pirh. *cit. c. nu.* 14. Hanc vero licentiam dare potest immediatus superior religionis, absque eo, quod [illegible] gatur consensus conventus aut Episcopi, seu ordinarii loci, nisi forte ei subjectum esset Monasterium. Pirh. *l. c.* cum Sanchez *n. 8. & 9.* Et in Societate Jesu hæc facultas concedenda a Præposito Generali, aut alio ab eo ad hoc concedendum habente potestatem, *constit. p. 6. c. 13. n. 7.* juncta declaratione; illud vero speciale est FF. Minoribus, quod ipsi non solum nequeant esse advocati in causis suorum conventuum, etiam de mandato superiorum suorum, sed insuper non possint personaliter assistere advocatis & procuratoribus, quando ipsorum negotia pro rebus temporalibus agitantur in Curiis. Reiffenst. *h. t. num.* 26. juxta *Clem. exivi §. proinde V. S.* ubi & hujus specialis dispositionis suæ Pontifex rationem reddit, quam recitat Reiffenst. *l. c.* Quod vero attinet utilitatem, etsi aliqui cum Abb. *in cit. c. ex parte n.* 3. Reiffenst. *h. t. n.* 25. & aliis apud Sanchez *l. c. num. 13. & 17.* sentiant non exigi necessario utilitatem directam Monasterii, nimirum ut agatur de rebus illius conservandis, vel in judicio petendis, sed sufficere indirectam, ut quia agitur causa amici vel fautoris, ex quo commoda & lucra obvenire possunt Monasterio, contrarium tamen tenent alii cum Imola *in cit. c. n.* 2. Sylv *v. advocatus q.* 7. in quorum sententiam inclinat Pirh. *h. t. nu.* 18. quibus ista explicatio nimis ampla videtur, eo quod vel sic religiosis fere semper liceret advocare in causis alienis; cum talis indirecta utilitas quam frequentissime occurrat. Ait tamen Pirh. cum Sanchez *cit. nu.* 17. & aliis apud illum, probabile esse, licere religiosis advocare pro amico, dum non agitur de quocunque commodo & lucro inde resultante Monasterio, sed ubi magna ejus indigentia ad lucrum illud procurandum, aut magnum a Monasterio damnum avertendum ad id obligaret; cum tunc utilitas necessitati æquiparetur. De cætero non licet religiosis, etiam de licentia Prælati advocare pro personis sibi sanguine junctis, nisi ad summum sint miserabiles personæ; cum ex una parte in eo nulla vertatur utilitas Monasterii, ex altera parte non deceat religiosos propter carnalem cognationem involvi sæcularibus negotiis, ita cum Abb. *l. c. n.* 4. & Sanchez *n.* 24. Pirh. *h. t. n. 19. in fine*. Quinimo ne quidem in causis miserabilium personarum externarum id licere religiosis, etiam cum licentia superioris, contra Sanch. *n.* 23. & Imol. *in cit. c. ex parte nu.* 3. sustinet Layman *in cit. c.* 2. eo quod prohibitio *hujus cap.* sit generalis, & hic casus nullibi in jure sit exceptus, admittit tamen, id cum mandato superioris licere pro una aut altera vice, si ageretur causa monasterii alterius vel Ecclesiæ, aliave causa pia, & defensor alius haberi nequiret, æquitate sic suadente.

3. Tertio: Sacerdotes sæculares neque in judicio sæculari, neque in ecclesiastico postulare seu advocatum agere permittuntur, *c. 1. c. fin. h. t.* ubi & ratio redditur, quod sacerdotis officium sit omnibus velle prodesse, & nulli nocere; quod posterius declinare nequit advocatus; dum enim patrocinatur uni, & alterum oppugnat, huic nocere necesse est; adeoque præstat, seclusa necessitate, ab eo juvari neutrum, *can. denique 14. qu. 1.* Quæ ratio, cum generalis sit, & textus hi loquantur generaliter, absolute prohibendo sacerdoti postulare in judicio, intelligendum id est de judicio tam ecclesiastico quam sæculari. Abb. *in cit. c. fin. nu.* 5. Pirhing *h. t. n.* 9. ubi in fine cum Abbate idem dicendum asserit de Episcopo. Neque hic audiendus Hostiens. qui putat nomen *sacerdotis* hic accipi pro quolibet clerico in Sacris constituto. Nihilominus hæc limitanda varie. Primo, ut advocare possit sacerdos in causa propria. Pirh. *h. t. num.* 9. Hostiens. *in c. 1. h. t. v. nisi propriam*. Secundo in causa Ecclesiæ suæ. Abb. *in cit. c. 1. not.* 2. Pirh. *l. c.* Tertio pro personis conjunctis enumeratis, *l. sed & hæ ff. de procurat. & c. infames §. permittitur autem, caus. 3. q. 2.* Sylv. *ver. advocatus qu. 2. dicto 3.* Pirhing *l. c.* Tametsi autem jura loquantur de conjunctis sanguine & affinitate carnali, posse tamen etiam ob paritatem & majoritatem rationis sacerdotem advocare pro fratre suo spirituali v. gr. Canonico ejusdem Ecclesiæ, ubi is alium idoneum advocatum habere non potest, tenent cum Glos. *in c. fin. h. t. v. pro seipso*. Layman *ibid. nu.* 2. Fagn. *in c. 1. h. t. n. 10. & 11.* Pirhing *l. cit.* Quarto pro personis miserabilibus, quales sunt pupilli, orphani, viduæ, pauperes, quin & divites, ubi seipsos defendere & aliunde idoneum advocatum habere nequeunt; horum enim defensio spectat ad Ecclesiam, & patrocinium suscipere opus est pietatis. Abb. *in cit. c. 1. n.* 2. aliique apud Fagnan. *l. c. nu.* 13. Pirhing *l. c.* Ubi tamen illud notandum cum Abb. in *cit. c. 1. h. t. n.* 1. & Fagnan. *ibid. n.* 18. ut sacerdos (idem est de aliis clericis in Sacris constitutis aut beneficiatis) in foro sæculari agere possit pro laicis, non sufficere, quod miserabiles sint personæ in habitu; cum dentur quandoque viduæ & pupilli divites, qui aliunde sufficiant ad causas suas agendas, sed sint miserabiles actu, ita ut nequeant per se aut alium idoneum suas causas promovere, undecunque hæc impotentia proveniat, sicque ecclesiastico auxilio egeant. Argum. *can. defensionis dist.* 87. Quinto, si neque ex redditibus ecclesiasticis, neque aliunde habeant, unde vivant, advocare pos-

possint, etiam coram Judice laico & causis sæcularibus, si apud tribunal ecclesiasticum advocandi occasionem habere nequeant. Pirhing *nu.* 10. cum Hostiens. *in cit. c.* 1. *§. sed & constituti in Sacris*. Abb. *ibid. nu.* 4. si enim clericus pro acquirendo victu exercere potest agriculturam. Argum. *c. clericus* 3. *dist.* 91. multo magis poterit exercere officium advocaturæ nobile; & si id pro miserabilibus personis potest, ut earum necessitati succurrat, multo magis id ei licebit ad succurreodum propriæ necessitati. Barbos. *in collectan. ad cit. c.* 1. *h.* 1. *n.* 4. Denique, ut etiam extra hos casus ex consuetudine Pontificis tolerantia approbata sacerdotes advocationis & procurationis munia in Curia Romana obire soleant, teste Gratian. *tom.* 1. *discept. c.* 57. *n.* 38. Fagn. *in cit. c.* 1. *n.* 22. Pirh. *h.* 1. *n.* 12.

4. Quarto clerici alii in Sacris seu majoribus ordinibus constituti, vel etiam in minoribus, si beneficium habeant ecclesiasticum, non possunt esse advocati aut procuratores in judicio sæculari juxta *c.* 1. *h. t.* uti de iis dicitur: *coram sæculari Judice advocati in negotiis sæcularibus* (intellige, extra casus permissos, *n. præced.* enumeratos) *fieri non præsumant &c.* Ex quibus a sensu contrario recte infertur, non prohiberi illis munus advocationis coram judice ecclesiastico. Abb. *in cit. c.* 1. *nu.* 3. Fagn. *n.* 7. idque in omnibus causis etiam sæcularibus, ut Pirh. *h. t. nu.* 8. Quin etiam, ut idem cum Abb. *l. cit.* & Hostiens. *in cit. c.* 1. *v. sæcularibus*, coram Judice sæculari, modo negotia seu causa censeatur ecclesiastica; qualia etsi alias ad forum ecclesiasticum spectent, censenda vel ratione personæ litigantis, dum ea est ecclesiastica, & si actor est sequi debet forum rei laici, & litigare coram Judice sæculari juxta *c. cum sit de foro compet.* vel ratione delicti, dum nimirum ob crimen fori mixti commissi a laico, Ecclesia, uti potest, vult eum convenire coram Judice sæculari, *cit. cap. cum sit*, vel ratione rei, de qua litigatur, dum ea est res Ecclesiæ, & sæculari dominio subjecta ut feudum. Decætero ratio prohibendi dictis clericis munus advocationis in foro sæculari fuit, quod dum sunt in Sacris, perpetuo, dum vero habent beneficium, saltem quamdiu hoc retineot, sint addicti servitio divino & Ecclesiæ, & congruam sustentationem ex beneficio habeant. Illud etiam speciale est clericis beneficiatis, quod, ut habetur, *c. fin. h. t.* si pro extraneo aliquo patrocinentur aut procuratores sint contra Ecclesiam, in qua beneficium habent, seu in qua sunt intitulati, possiot hoc ipso privari beneficio, exemplo liberti, qui si contra Ecclesiam testis sit vel agat, in servitutem revocari possit, *c.* 3. *de servis non ordin.* Abb. *in c. fin. h. t. n.* 3. Gail. *l.* 1. *observ.* 88. *n.* 3. Pirhing *h. t. nu.* 13. Limitandum tamen hoc ipsum: nisi clericus cogatur præcepto superioris patrocinari contra Ecclesiam, vel nisi patrocinetur pro seipso, vel sibi conjunctis, vel pro miserabilibus personis juxta dicta supra de Vasallo patrocinante contra dominum suum; vel nisi Ecclesia in clericum sit ingrata, ut Pirhing *nu.* 14. *in fine*. Quod si etiam clericus in pluribus Ecclesiis haberet beneficium, conveniens est, ut neutri Ecclesiæ patrocinetur. Si tamen in una esset Prælatus, in altera simplex beneficiatus, posset patrocinari pro Ecclesia illa ratione Prælaturæ contra aliam. Pirh. *h. t. n.* 15. cum Glos. *in c. fin. h.* 1. *v. contra Ecclesiam*. Quod idem esse si sint clerici alterius Ecclesiæ, cum Host. *in cit. cap. fin. v. maxime & ver. ejusdem Ecclesiæ*, ait Pirh. *cit. n.* 13. Item idem dicendum, si clericus contra Episcopum suum consilium vel auxilium præstet aliis, *c. grave de excess. Prælat.* Pirh. *l. cit.* cum Host. Tametsi autem alias clericus istiusmodi prohibeatur advocare in judicio, non tamen vetantur privatim seu domi suæ dare petentibus, etiam procuratori, consilium, etiam in scriptis. Pirh. *n.* 12. cum Abb. *ad Rub. h. t. n.* 1. & Sylv. *ver. advocatus nu* 1.

5. Quinto: Clerici in minoribus tantum constituti, carentes omni beneficio, non prohibentur advocare in causa & coram Judicibus sæcularibus, ut constat per sensum contrarium *cit. c.* 1. *h. tit.* dum nimirum ibi dicitur: clerici in minoribus constituti, si stipendiis ecclesiasticis sustententur. Glos. *hic ver. stipendiis*. Abb. *not.* 1. cessat enim in iis ratio prohibendi hanc advocaturam. Quamvis tamen Pirh. *h. tit. nu.* 7. cum Fagn. *in cit. c.* 1. *n.* 5. dicat, neque his clericis id licere, si habeant bona patrimonialia vel aliunde acquisita, unde congrue sustententur; eo quod clerici generatim, si non egeant, non debeant se immiscere sæcularibus negotiis juxta *c.* 1. *ne clerici vel monachi*. Neque tamen etiam hi clerici in causa criminali, cui imminet pœna sanguinis seu mortis, vel abscissionis membri alicujus, advocare possunt pro actore contra reum, *c. sententiam ne clerici vel monachi*, idque etiam propter periculum irregularitatis incurrendæ, ut cum Gl. *in cit. c.* 1. *h. t. v. stipendiis*, & Abb. *ibid.* Pirhing *h. t. nu.* 11. Etsi autem probabile sit, posse advocare clericus pro reo; eo quod ea ejus condemnatione, modo clericus satisfaciat suo officio, non evadat irregularis (cum pœna sanguinis ei inferatur, non ex facto seu patrocinio ei exhibito, sed ex dispositione Juris) tutius tamen esse, etiam ab advocatione rei abstinere, cum Glos. *in c.* 1. *dist.* 51. *v. ad sacerdotium*, & Abb. *l. c. n.* 5. censet Pirh. *cit. n.* 11. *in fine*, & Reiffenst. *h. t. n.* 22. eo quod facile contingere possit, ut clericus advocatus, vel ob suam imperitiam & defectum practicæ judicialis succumbat, sicque ex culpa ejus innocens occidatur, vel econtra propter ejus astutiam absolvatur reus nocens.

QUÆSTIO DCCCCLXXXIII.

Quinam per sententiam Judicis advocati, vel etiam procuratoris munus exercere prohibeantur.

1. RESp. Interdicitur illis hoc munere quandoque ob contumaciam vel aliud delictum aliamve causam; quandoque ad certum tempus, v. gr. quinquennium, quandoque in perpetuum, *l. moris ff. de pœnis*, *l. puto*, *l. Imperator h. tit.* Tales autem in specie sunt causæ & delicta; primo qui patronum non invenienti jussus a Judice præstare patrocinium id sine justa causa (qualis v. gr. esset, si adversarius clientis esset cognatus, dominus, amicus suus) recusavit, *l. providendum C. h. t.* Quod tamen intelligendum videtur de semel recepto in album advocatorum. Wiestner *h. t. num.* 16. Sicut enim juxta dicta supra tenetur Judex ex officio personis miserabilibus, etiam non petentibus, dare advocatum, *l. ne quicquam §.* 5. *ff. de off. procons.* Gail. *l.* 1. *observ.* 43. *nu.* 10. Ita talia advocatus jussus tenetur patrocinari, ubi non est justa causa recusandi. Covar. *pract. c.* 6. *n.* 4. Barbos. *ad cit. c. providendum a n.* 7. citatis aliis.

2. Secundo. Qui mala fide & colludendo cum adversario ei causam clientis sui prodidisse convictus fuerit. Men. *de arbit. cas.* 323. *n.* 9. apud Wiestner *h. t. n.* 19. Argum. *l.* 1. *& l. accusator ff. de prævaricator.*

3. Tertio. Si advocatus aut procurator pacti sint de quota litis seu rei, de qua litigatur, sibi honorarii loco danda, *l. si qui C. h. t. l. sumptus ff. de pactis*, *l.* 1. *C. de procurat.* ita ut tales pactiones sub pœna privationis officii prohibeantur, ne advocati & procuratores inde occasionem sumant malitiose litigandi, & per fas & nefas victoriam obtinere conentur. Sylv. *v. advocatus n.* 12. Farin. *pr. crim. q.* 106. *n.* 6. Pirh. *h. t. nu.* 21. Idem esse de certa quantitate pecuniæ alteriusve rei in litem non deductæ danda in eventum victoriæ tantum, contra Odofred. *in cit. l. si qui nu.* 2. Guido. Papam *decis.* 102. *n.* 6. & alios teneat Fulgos. *in l. salarium ff. mandati*. Sylv. *l. c.* Sotus de *just. l.* 5. *q.* 9. *art.* 4. quos citat & sequitur Wiestner *h. t. n.* 24. adducta *leg. si remunerandi §. fin ff. mandati*: ubi reprobata & irritata videtur talis pactio. Quinimo juramentum tali pactioni de danda certa quota litis vel etiam alterius rei in litem non deductæ in eventum victoriæ tantum adjectum nullum esse, utpote adversans bonis moribus, tenent aliqui, quod tamen negat Wiestner *n.* 25. eo quod, cum hujusmodi pactio ex natura & fine suo advocatum ad majorem diligentiam excitet, dictaque occasio calumniose agendi per accidens quandoque per hoc præbita sit remota, non sit contra bonos mores naturales, sed civiles tantum (unde nec juramento confirmatur in ordine ad pariendam actionem) dictum quoque juramentum per se non afferat salutis dispendium, aut præjudicium tertii, obliget jurantem. Licere tamen cum advocato pacisci de certa & moderata quantitate pecuniæ vel alterius rei non deductæ in litem ei danda loco justæ mercedis, laboris, ut impigre fungatur suo munere, sive victoriam obtineat sive non, tenent Farinac. *l. c. num.* 31. Salicet. *in cit. l. si qui nu.* 3. cum communi, & constare id ex *l.* 1. *§. si cui cautum ff. de var. & extraord. cognit.* ait Pirh. *l. c.* ubi etiam addit, licere pacisci, ut præter justum salarium detur advocato certum præmium nomine palmarii (modo id moderatum sit & speciali lege non prohibitum) si victoria obtineatur, citatque pro hoc, *cit. §. si cui cautum*. Sylv. *l. c.* Nav *l.* 1. *cons.* 4. *de pactis & in man. Prælator. c.* 25. *n.* 30. Layman *Th. mor. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 26. *n.* 10. Quod longe diversum quid est ab eo, quod pactio fiat de certa pecuniæ alteriusve rei quota in eventum tantum victoriæ danda citra aliam mercedem aut salarium. Porro effectus interdictæ in his casibus postulationis est, quod non possit advocare, etiamsi adversarius id admittat, *l. quos prohibet ff. h. t.* Pirh. *n.* 23.

QUÆ-

QUÆSTIO DCCCCLXXXIV.

Quodnam sit officium advocati , & ad quid teneatur.

1. RESp. Ad officium illius & obligationem spectant sequentia. Primo & ante omnia attendere ad causæ sibi propositæ qualitatem; inspiciendo nimirum ejus æquitatem , probabilitatem, dubietatem; ita ut , si cognitis ejus fundamentis & juribus , cognoscat certo injustam a principio , nullatenus eam defendendam suscipere , vel si non nisi in progressu injustam , quæ ab initio ei justa aut probabilis videbatur deprehenderit mox eam deserere teneatur , admonito desuper cliente , ut a lite desistat , *l. rem non novam §. patroni C. de Judiciis* , restituta clienti , si quam ab eo accepit , mercede (quamvis pro quota laboris , quem impendit in causa examinanda , & quamdiu justam putavit inculpabiliter , defendenda , retinere posse videatur .) Menoch. *de arbit. cas.* 323. *n.* 5. Wiestner *h. t. n.* 20. ne alias sciens patrocinando causæ iniquæ agat contra propriam conscientiam , cooperetur clientis peccato urgentis causam suam injustam , lædatque partem adversam , adeoque teneatur ad restitutionem illius damni , quod contra justitiam per ejus patrocinium pars adversa incurrit ; quin & quod causavit clienti , eum non admonendo , ut desisteret a prosecutione causæ suæ, vel etiam eum decipiendo , dicens , habere eum causam justam , ita communiter . AA. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *nu.* 3. Quin & ad eandem restitutionem pro rata ignorantiæ , qua causam iniquam defendit , obligetur . Ut cum D. Thom. *l. c.* Pirhing *h. t. n.* 22. Sed neque , causa jam cœpta , in tali casu clientem deserenti obstat juramentum , quo operam illi ad finem litis addixit : cum non extendat se ad casum certu apparentis iniquitatis causæ . Imo obstaret id alteri juramento , quo se advocatus in susceptione officii & relatione sui in matriculam obstrinxit ad non patrocinandum causæ iniquæ , *cit. l. rem non novam* . Obligari tamen talem advocatum deserentem suum clientem ob deprehensam in progressu causæ ejusdem injustitiam ad non prodendum id , revelandaque secreta istius causæ adversario , eique deserviendo , censet Pirh. *cit. nu.* 22. cum aliis . Et quamvis id negent alii , periculosum tamen idipsum esse , & viro honestatis studioso cavendum censent Farinac. *in pr. crim. q.* 4. *n.* 16. & Menoch. *l. cit.* apud Wiestner *nu.* 20. Quod si etiam causa ei appareat utrimque probabilis & anceps , ejus tamen probabilitas tam exigua , ut spes evincendi litem sit moraliter nulla , non poterit ejus patrocinium suscipere , ne clienti sit causa inutilium impensarum . De quo tamen vide paulo post dicenda . Si vero probabilitas indeque orta spes victoriæ sit non modica , etsi minor ea , quæ pro adversario militat , licere tam jure naturæ quam canonico adhuc suscipere ejus patrocinium , modo advocatus moneat clientem de minore probabilitate & periculo , tenent Navar. *in man. cap.* 25. *num.* 28. Gutrierez *qq. can. l.* 1. *c.* 13. *n.* 24. Castr. *tr.* 1. *d.* 2. *p.* 11. *n.* 2. Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 9. *n.* 51. Jo. Sanch. *d.* 44. *n.* 54. Azor. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *q. ult. &c.* Less. *de J. & J. l.* 2. *c.* 31. *n.* 52. Zoes. *In ff. h. t. nu.* 14. Pirh. *h. t. n.* 22. Wiest. *h. t. n.* 22. Reiffenst. *n.* 28. contra Sotum, *de Just. l.* 5. *q.* 8. *art.* 3. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 15. *p.* 14. *concl.* 1. & 2. Eo quod non semper verum sit , quod videtur probabilius , & quod advocato apparet minus probabile , aliis & ipsi Judici appareat probabilius ; quodque advocati munus sit causam proponere , & quæ pro ea faciunt , allegare (quod cum in casu minoris probabilitatis pro se facere possit cliens , etiam ejus loco , eo desuper admonito & consentiente , facere potest advocatus , ut recte Castrop. Sanch. uterque LL. paulo post citandis) relinquendo Judici informato ferre pro una vel altera parte sententiam . Quæ ratio æque urget , sive res , de qua litigatur sit levis , sive magni momenti , sive causa sit criminalis , sive civilis , ut recte Castrop. *l. cit. nu.* 5. cum Thom. Sanch. Vasq. Salas, Ant. Perez. & aliis contra Bannez. Salon. Arragon. & alios apud eundem Castropal. *n.* 4. Urget item , ut Castrop. *cit. n.* 5. contra Thom. Sanchez *n.* 54. etiamsi causa sit probabilis , modo sit vere adhuc probabilis . Vide tamen dicta *paulo supra* .

2. Secundo servare debet modum in patrocinando , alias a professione advocandi removendus , *Can. infamis §. arceantur* 3. *qu.* 7. *& l. quisquis. vult C. h. tit.* Nimirum modestiam , veritatem & fidelitatem . Modestiam quidem non agendo procaciter , hoc est , non obstrependo intempestivis vociferationibus , aut prorumpendo temere ad convitia & scripturas famosas juxta *cit. §. arceantur* , ubi : *advocatus , si adeo procax fuerit , ut non ratione , sed probris putet agendum , opinionis sua imminutionem patiatur &c.* juncta Glos. *cit. c. quisquis vult v. opinionis* , quæ etiam ait , juxta quosdam , talem procacem advocatum reddi ipso jure infamem . Quin etiam puniendus talis procax advocatus juxta excessus qualitatem Judicis arbitrio pecuniaria aliave pœna ut Tholos. *cit. c.* 6. *n* 30. Veritatem , non mentiendo , aut etiam suadendo clienti , & instruendo , ut & qualiter contra agnitam veritatem articulos & interrogationes adversæ partis eludat . Jo. Andr. *in c. præsentium de testib. in* 6. Caccialup. *tr. de advocatis qu.* 4. *nu.* 13. apud Reiffenstuel *h. t. num.* 34. Item non producendo falsa instrumenta , allegando jura falsa , falsasque Glossas , ne vel sic utendo falsis pro veris , incurrat crimen falsi , juxta *c. dura sæpe & seq. de crimine falsi* , *& l.* 1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis* . Etsi autem ad defendendum clientem nulla unquam liceat uti falsitate , veritati tamen huic non repugnat , occultare ea , quæ processum impedire , & adversario clientis prodesse possunt . D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *ad* 3. Fidelitatem pro viribus omni studio ac diligentia , quam accepto salario clienti promisit , fovendo ac defendendo ejus causam , proponendo in judicio rationes , jura eaque omnia , quæ pro cliente faciunt , *l. properandum §. illo procul. C. de Judic. l. advocat. C. de advocat. divers. judic.* Item non prodendo adversario instrumenta seu documenta secreta causæ , debiliaque argumenta clientis , quod si fecerit , dicetur falsarius , *l.* 1. *§. is , qui deposita ff. ad leg. Cornel. de falsis* , puniendusque ut falsarius , *l. si quis aliquid §. si quis instrumentum ff. de pœnis* . Reiffenstuel *h. tit. num.* 38. citans S. Joan. Capistran. Quin & tenebitur ad restitutionem damni , imo & salarii , *cit. §. si quis instrum. & Can. si quis de cleric.* 12. *qu.* 2. Pirhing *l. cit.* Uti etiam ad id tenebitur , si quovis modo culpa sua causam amittat , sive ob suam in jure imperitiam , sive ob negligentiam . Hostiens. *in sum. hoc tit. num.* 4. & 5. Sylv. *v. advocatus qu.* 11. Pirhing *citat. num.* 22. Item non deserendo causam , quamdiu ea dubia est , sed ad exitum & sententiam definitivam eam producendo , *cit. l. properandum* . Et quamvis in secunda instantia invitus patrocinari non cogatur , nisi aliter conventum . Glos. *in l. invitus C. de procurat. ver. extendere* . Pirhing *l. cit.* Nihilominus eum , qui postquam uni operam suam promisit , etiam impendere cœpit , causa manente dubia & probabili deserta alterius patrocinium suscepit , prævaricationis , imo falsi crimine teneri juxta *l.* 1. *§.* 6. *ff. ad Leg. Cornel. de fals.* afficiendumque pœna extraordinaria juxta *l.* 1. *C. de advocat. divers. voluntat.* plures magni nominis AA. ut ait Wiestner *hoc tit. num.* 19. Item non inserviendo utrique parti simul in eadem instantia ; quia vel sic necesse erit revelare secreta utrius partis alteri , eamque ex propriis suis documentis oppugnare ; adeoque vix possibile , ut perspectis diligenter utriusque causæ meritis , agat bona fide respectu utriusque partis . *l.* 1. *C. de furtis* . Pirhing *l. cit.* Aut neutri parti specialiter assistendo causam malitiose protrahere contra *c. quisquis vult C. h. tit.* Quin & dicitur prævaricator , saltem improprie ut Reiffenstuel *h. tit. num.* 39. adducens *l.* 1. *ff. de prævaricat.* una cum Glos. *ibid. v. prævaricator.* Nihilominus contrarium , nimirum licere advocato in eadem causa & instantia , modo absit scandalum , & pro utraque parte stet probabilitas , patrocinari , tenet Castrop. *loc. cit. num.* 3. eo quod officium advocati sit allegare solum merita & jura causæ , & rogare Judicem , ut decernat , cui ea magis faveant , quod facere potest respectu utriusque partis . Et quamvis , ut addit idem Castrop. ita esse sibi videatur de Jure naturæ & canonico , speciali tamen jure Regni Castellæ nulli advocato licere unius partis causa suscepta , alteri parti in eadem patrocinari . Idque , ut Salas , Burgos , de Paz. & alii apud illum , neque in eadem , neque in diversa instantia . Non tamen prohiberi in diversa instantia patrocinari utrique parti , uni in causa principali , alteri in causa appellationis , quamdiu non constat de injustitia alterius partis , ait cum Sylv. *loc. cit. qu.* 13. *num.* 7. Jo. Andr. Præpos. *in cap. disciplina dist.* 46. Castropal. *l. c. nu.* 3. dicentes id certum esse .

3. Tertio obligatur ad servandam moderationem in petendo & recipiendo salario . In quo consideranda magnitudo causæ , quantitas laboris , facundia advocati , & consuetudo fori seu regionis . Qualiter autem pacisci nequeat cum cliente de quota litis , liceat tamen econtra pacisci de salario (idem est de reddendis sumptibus) dictum est supra . Hujus vero differentiæ ratio hæc redditur , quod vi talis pactationis super quota litis nihil sit habiturus , nisi victoriam obtinuerit . Ad eam obtinendam spe hujus lucri & timore excidendi omni mercede incitetur potenter ad agendum calumniosis malisque artibus cum gravissimo litigantium damno ac deprædatione . Unde & ipso jure , ut vult Glos. *in cap. si qui advocatorum C. h. t. v. arceantur* , arceantur a professione & officio advocandi , vel saltem per Judicis sententiam declaratoriam hujus delicti , ut Farinac. *qq. crimin. p.* 3. *q.* 106. *num.* 5. & 6. apud Reiffenstuel *hoc. tit. num.* 43. Quæ ratio ces-

cessat in pactatione super salario & sumptibus reddendis, utpote quæ debentur advocato fideliter servienti, sive vicerit, sive non vicerit. Engels *h. t. nu.* 10. Reiffenstuel *hoc tit. num.* 44.

QUÆSTIO DCCCCLXXXV.

An licitum advocatis tempore durantis litis cum cliente celebrare contractum alium. V. gr. emptionis, venditionis &c.

RESP. Id expresse prohiberi per textum *l. quisquis vult. C. h. tit.* juncta Glos. *v. contractum*, non secus, ac prohibetur idipsum medico respectu infirmi. Argum. *l. medicus ff. de var. & extraord. cognit.* Eo quod sicut in Medico talis contractus præsumitur extortus metu mortis, dum nimirum in casu repulsæ a medico irato relinqueretur infirmus, ita & in advocato contrahente cum cliente res se habeat, dum vel is hac ratione metu amittendæ litis cogeretur sua per contractum erogare in advocatum.

QUÆSTIO DCCCCLXXXVI.

Num licitum sit advocato lites redimere.

RESP. Prohibitum est omnibus adeoque & advocatis, lites redimere seu emere, & dato modico in se derivare, *L. per diversas C. mandati & c. fin. de alienat. Judic. mutand. caus.* Idque ne advocati aliique litigiosi homines alienis rebus inhiantes, facile suscitatis & multiplicatis intricatis aliorum actionibus ab ipsis principalibus forte nunquam intentandis Reipub. tranquillitatem perturbarent, reosque multipliciter vexarent. Unde & *cit. L. per diversas & l. ab Anastasio C. eod.* ad ejusmodi incommoda amolienda cautum, ut qui litem data pecunia redemit, seu cessionem ejus in se transtulit, non nisi ad quantitatem datæ pecuniæ agere possit, ita ut, si debitor reus succubuerit, non plus teneatur tali emptori solvere, quam is pro pretio dedit venditori. Hæc tamen ratio, quia cessat in actionibus liquidis, hoc est, in quibus adversarius fatetur debitum, quod alias per ejus negationem redderetur dubium, eæ vendi & quovis modo in alium (adeoque etiam in advocatum, intellige, extra tempus litis durantis) transferri possunt. *L. venditor actionis ff. de hæredib. & action. vendit. L. nominis L. certi Cod. eodem*, uti etiam lites gratis seu ex pura liberalitate cedi possunt aliis, *citat. L. per diversas §. final. & l. ab Anastasio*, modo fraus omnis absit, qualis contingeret in tali donatione, si actio ex parte venderetur, & ex parte donaretur, aut clam aliquid daretur pro pretio. Quin & certæ quædam cessiones litium non gratuitæ fieri permittuntur, *citat. l. per diversas*. V. gr. quæ fiunt inter cohæredes pro actionibus hæreditariis, inter creditorem & debitorem pro debito, inter legatarios & fideicommissarios pro debitis actionibus vel rebus sibi relictis, modo tamen tales cessiones & alienationes litium fiant ante judicium inchoatum, saltem per citationem, & sufficientem causæ instructionem parti notificatam, cum alias lite pendente nihil sit innovandum.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS.

QUÆSTIO DCCCCXXXVII.

Procurator quis sit.

RESP. Procurator sic dictus, veluti pro alio Procurator, cujus usus, ut dicitur, *l. 1. ff. h. tit. §. usus autem*, per quam necessarius, ut qui rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint agere vel convenire, *l. ead.* definiri solet: qui aliena negotia mandato domini administrat. Dicitur primo: *qui*, subintelligendo hic genus nempe administrator, vel gestor, ut Pirhing *h. tit. num. 1.* cum Wesenbec. *in paratit. ff. h. tit. nu. 2.* quippe quod generale est, qui rerum alienarum curam seu administrationem gerunt. Dicitur secundo: *aliena negotia*: cum nemo proprie loquendo procuret propria negotia, seu sit sibi ipsi procurator; sed potius ea tanquam dominus administrat, & de iis disponit. Unde etiam per hæc a ratione procuratoris proprie talis excluditur procurator in rem suam, de quo *quæst. seq.* Anchoran. *in cap. 1. h. tit. in 6. num. 4.* Layman *ibidem num. 3.* Pirhing *loc. citat. num. 6.* cum (spectato saltem ultimato effectu, ut Wiestner *hoc tit. num. 8.*) propriam potius quam alienam causam agere videatur. Unde nec illi, nec contra alium datur actio mandati. Pirhing *loc. citat.* cum Gloss. *in cit. leg. 1. v. aliena*. Intelligendo vero per negotia tam judicialia quam extrajudicialia (respectu quorum alias mandatarius dicitur) ut definitio conveniat tam procuratori ad lites, quam ad alia negotia. Dicitur tertio: *mandato domini*: per quod distinguitur primo a negotiorum gestore (qui alias etiam quandoque vocatur procurator, *l. si quis 58. ff. de solution.*) quod is sit, qui absque mandato aliena negotia gerit utiliter, *l. 2. ff. de negot. gest.* Glos. *in cit. l. 1. v. aliena*, juncta Glos. margin. Secundo a curatore & tutore similibusque, qui non authoritate privati domini, sed legis, Magistratus, vel testatoris gerunt aliena negotia. Tertio a defensore; quod licet omnis procurator ob defensionem, sive rei, sive actoris, quam suscipit, defensor quoque dici possit. Argum. *l. si mater §. hoc jure ff. de except. rei judic.* is tamen proprie dicatur defensor, qui sine mandato defendit reum, *L. servum hoc. tit.* isque procurator, qui stat ex parte actoris. Glos. *in cit. lib. 1. h. t. v. procurator.* Quamvis alias tam is, qui ex parte rei, si ab eo mandatum habeat, quam qui ex parte actoris intervenit, proprie procurator dicatur. Pirhing *h. tit. num. 2.* Dicitur quarto: *administrat*: per quod distinguitur imprimis a nuncio: quia hic non gerit aliquid ipsemet, nec est Dominus litis, id est, instantiæ litis sicut procurator, *l. procuratorib. & l. nulla h. tit.* juncta Glos. *v. dominus litis*. Sed agit ut nudus minister seu executor & instrumentum, penes quem non est potestas administrandi, sed nudum factum exequendi. Pirhing *h. tit. num. 4.* citans Durand. *in specul. lib. 1. part. 3. tit. de procurat. §. formis procurat. num. 5.* Dein etiam ab advocato; quia omnia agit nomine principalis litigantis, & litem dirigit, ut administrator domini: advocatus autem ex officio suo causam agit, & jus ejus ostendit ac defendit, veluti Justitiæ jurisque custos ac vindex, & sic proprie non administrat domino sed potius meritis causæ. Ita fere Pirhing *l. cit.* citato Wesenbec. *ff. h. tit. num. 10.* in quibus vero præterea differat ab advocato, dictum est *tit. praced.*

QUÆSTIO DCCCCLXXXVIII.

Quotuplex sit Procurator.

1. RESP. Variæ sunt procuratorum species. Nam primo alii sunt judiciales & constituti ad lites alieno nomine in judicio prosequendas. Alii extrajudiciales seu ad negotia alia extra judicium gerenda constituti *l. servum ff. hoc. tit.* juncta Glos. *v. verum est & v. extendere*. Differunt hi præterea inter se, quod procurator ad negotia libere potest sibi substituere alium procuratorem, procurator ad lites non nisi post litis contestationem & in certis casibus, de quibus inferius. Item quod procurator ad negotia possit esse minoris ætatis, nimirum 17. annorum expletorum, ad lites non nisi major 25. annis deputari possit, de quo *quæst. seq.* Item quod procurator ad negotia possit etiam agere in judicio in iis, quæ speciale mandatum non requirunt; procurator vero ad lites gerere nequeat ulla negotia domini extra judicium. Pirhing *h. t. num. 6.* Item quod procurator ad lites tenentur de dolo & culpa, etiam levi, imo secundum aliquos etiam de culpa levissima, *l. a procuratore C. mandati*, juncta Glos. *v. omnem culpam*; eo quod censeatur exactam industriam & rei gerendæ peritiam profiteri & tacite promittere: procurator autem ad negotia regulariter tenetur tantum de dolo & culpa lata sicut alii mandatarii, nisi hic & nunc negotii qualitas exactam diligentiam requirat. Pirhing *loc. citat.* cum Layman *Theol. Moral. l. 3. tr. 4. c. 26. num. 7.*

2. Se-

2. Secundo: procurator alius est generalis, alius specialis, prout nimirum quis ad omnia bona & negoria administranda, vel lites omnes tam præsentes quam futuras prosequendas, aut ad certum tantum negotium, vel litem expediendam constitutus est, *l. 1. §. 1. h. t.* Ubi illud notandum, procuratorem ad lites constitutum simpliciter non exprimendo præsentes vel futuras, censeri constitutum ad omnes, sive tam ad has quam ad illas; quia locutio indefinita æquipollet universali. Abb. *in cap. non injuste h. tit. num. 2.* Porro procurator generalis alius est constitutus cum clausula *cum libera*, hoc est, cum plena ac libera potestate agendi & administrandi omnia, & facere in causis & negotiis, quæcunque ipse dominus; puta, exigere & solvere debita, novare, aliud pro alio permutare, alienare. *L. procurator. & l. seq.* Glos. *in l. procurator v. procurator tutor.* Bartol. *ibidem.* Pirhing *h. tit. num. 6.* Wiestner *num. 7.* Reiffenstuel *nu. 18.* Non tamen donare. Iidem Argument. *l. filius familias ff. de donat.* ubi in simili, quod filius familias donare non possit, quæ sunt peculii, etsi illius liberam administrationem habeat, nisi ex justa causa, vel patris permissione. Alius procurator generalis constitutus simpliciter sine dicta clausula, & hic transigere nequit, *l. mandato ff. hoc tit.* nec pignus sine speciali mandato remittere. *L. si consensit §. mandatum ff. quibus modis pign. hypoth. solv.* nec alienare res immobiles aut mobiles, nisi fructus resque alias, quæ facile corrumpuntur, *cit. l. procurator. inter ff. h. t.*

3. Tertio alius est procurator constitutus in rem alienam, qui aliena negotia de mandato domini administrat in ejus utilitatem; alius datus in rem suam, qui quidem administrat negotia aliena nempe Domini, sed in commodum proprium. *L. servum §. fin. h. t.* dum nimirum Dominus jura & actiones sibi competentes v. gr. contra debitores suos vendit aut alio modo cedit alteri, ut is quidem mandato & nomine domini in judicio prosequi, exercere & exigere possit, non tamen in commodum domini, sed in commodum proprium, ita ut actiones directæ semper remaneant penes cedentem; actiones vero utiles transeant in cessionarium (fere ad modum, quo in cessione seu collatione feudi dominium directum manet penes dominum, dominium vero utile transfertur in feudatarium) & hic eas nomine proprio exerceat, directas vero nomine procuratorio seu nomine cedentis & domini. Quia autem hoc ipsum, quod acquisitis sibi jam actionibus utilibus, exerceat actiones directas nomine Domini sui, cedit in utilitatem propriam, dicitur procurator in rem suam. Pirhing *cit. num. 6.* & ex eo Reiffenstuel *h. tit. num 20.* citantes Glos. magn. *in cap. 1. h. tit. in 6.*

4. Quarto procurator alius est verus, qui nimirum legitimo mandato procuratorio institutus est. Alius falsus, qui vel nullum, vel non sufficiens, aut ad negotium gerendom impertinens, vel revocatum, vel aliu modo extinctum mandatum habet, *l. licet C. h. t.* Wesenbec. *ad hanc rub. n. 3.* Pirh. *h. t. nu. 6.*

QUÆSTIO DCCCCLXXXIX.

Quinam constituere possint procuratorem.

1. RESp. primo generaliter: procuratores constituere (uti & constitui) possunt omnes, qui specialiter non prohibentur; quia edictum de procuratoribus prohibitorium est, *l. mutus §. 1. ff. h. tit. cap. 1. h. t.* juncta Glos. *v. reputari*. Edictum siquidem prohibitorium dicitur illud, quod generaliter permittendo v. gr. Christianis suscipere Ordines, inire matrimonium &c. certis tantummodo personis interdicit: sicut econtra edictum permissivum illud est, quod generaliter vetando v. gr. abstinere a carnibus, certis tantummodo personis, vel in certis tantum casibus id, quod generaliter prohibitum, permittit. Glos. *cit. v. reputari*. Host. *in sum. h. t. n. 8.* Menoch. *de præsumpt. l. 6. præsumpt. 16. a n. 2.* Wiestner *h. t. n 10.*

2. Resp. secundo in specie de aliquibus, de quibus forte dubitari magis poterat; constituere possunt procuratorem. Primo muti & surdi, nimirum scriptura, nutu aliove signo externo, *l. mutus §. 1. h. t.* juncta Glos. *v. procedere*. Secundo universitas aliqua, etiam Scholarum, constituere potest procuratorem, qui nomine illius agat in judicio, *c. quia in causis h tit.* Quia tanquam persona ficta habetur loco Domini. Glos. *in cit. c. quia in causis v. de jure communi*. Quamvis in jure Civili procurator ab Universitate constitutus proprie dici soleat actor & Syndicus, *l. 1. §. quibus autem ff. quod cujuscunque universitat. nom.* Tertio minor non habens curatorem (uti eum habere non cogitur Pirhing *hoc tit. num. 14.*) constituere potest procuratorem ad negotia extraiudicialia, cum etiam contrahere possit, *cit. l. mutus §. is cui.* Quin & in causis spiritualibus & dependentibus ab illis minor 25. annis, major tamen 14. annis, sicut in judicio agere, sic ad agendum & defendendum procuratorem constituere potest suo arbitratu, *cap. si annum in Judic. in 6.* Quarto procurator ipse post litem contestatam constituere potest non quidem vi mandati, sed quia jam dominus litis factus est. Pirhing *loc. cit.* cum Mynsing. *centur. 1. observ. 43.* Wesenbec *h. tit. num. 10.* Quinto filius familias ad negotia extra judicialia; quia etiam contrahere potest; quin & in judicio ad defendendum, *l. filius familias ff. h tit.* Sexto Rector ecclesiæ seu beneficii, sicut pro juribus ecclesiæ agere potest in judicio sine superioris consensu in rebus seu causis non arduis, ita & procuratorem constituere potest, tam ad agendum quam ad defendendum. Abb. *in cap. petito §. sed opiniones h. t.* Septimo Prælatus in causis, in quibus per se solum in judicio agere potest & conveniri: cujusmodi sunt causæ non arduæ, utpote in quibus liberam & generalem administrationem habet (etsi de cætero rerum & jurium monasterii sui non sit Dominus, sed procurator & administrator, *c. fraternitatem de donationib.* cum longe tamen majore potestate quam tutores respectu suorum, ut cum Abb. Guttier. *de tutel. p. 1. c. 1. num. 9* Pirhing) constituere potest procuratorem sine capituli consensu. Abb. *in cap. edoceri de rescript. num. 6. & 8.* Pirhing *h. tit. num. 15.* cum, qui in judicio agere potest per se, possit id etiam per alium, *l. 1. ff. h. tit.*

QUÆSTIO DCCCCXC.

Quinam procuratorem constituere prohibeantur.

1. RESp. sequentes. Primo pupilli & minores (intellige, quoad causas non spirituales) habentes curatorem sine authoritate tutorum & curatorum constituere nequeunt procuratorem ad lites aut etiam alia negocia. Argument. *L. nemo ff. de Reg. Jur.* Et quantum ad lites attinet, cum ipsi non habeant legitimam personam standi in judicio, etiam ad hoc alium legitimare nequeunt. Pirhing *cit. num. 14.* cum Wesenbec. *in paratit. h. t. num 4.* Possunt tamen hoc ipsum cum authoritate eorundem, etiam ante litis contestationem, *L. neque C. h. t.* Pirhing *loc. cit.* Nihilominus, si sine authoritate tutorum & curatorum datus ab iis procurator obtinuerit pro illis (secus, si contra illos) sententiam, hæc valebit. Argument. *L. non eo minus h. tit.* eo quod, ut dicitur *cit. L.* minoribus ætas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit.

2. Secundo filius familias dare nequit procuratorem ad agendum in judicio; quia nec ipse suo nomine agere potest, exceptis quibusdam casibus, ut in actione injuriarum similibusque, *L. filius familias ff. h. t.*

3. Tertio: Servus, uti per se agere nequit ad lites seu in judicio, *L. servus C. de Judic.* ita nec per alium, *L. servum ff. h. t.* juncta Glos. *v. vetamur*. Potest tamen constituere procuratorem ad negotia peculiaria gerenda. Wiestner *h. t. n. 11.* quin & ubi de statu suo litigat, ad omnia negotia, etiam ad lites, *cit. l. servum*, juncta Glos. *v. procuratorem*; eo quod interim pro servo habendus non sit. Pirhing *citat. num. 14.*

4. Quarto: Captus ab hostibus, non procuratorem, sed tantum actorem & curatorem constituere potest; cum quamdiu est in potestate hostium, sui juris non est, nec rerum suarum dominus, *L. ab hostibus ff. ex quibus caus. majorit.* Idem est de bannito; cum is amissis suis bonis, censeatur civiliter mortuus. Reiffenstuel *h. t. n. 29.* citato Vallens. *h. t. §. 3 num. 4.*

5. Quinto tutores & curatores nequeunt constituere procuratorem in causa pupilli aut minoris ante contestationem litis, sed tantum actorem; post contestatam vero litem etiam procuratorem; quia tunc prius facti sunt domini litis. Idem est de Syndicis Universitatum & Civitatum, *L. neque L. procuratorib. C. h. t. L. nec civitas ff. eod.* juncta Glos. *v. potest*.

6. Sexto: Religiosus sine licentia sui superioris constituere, vel etiam sibi substituere nequit procuratorem, *Clem. Religiosus h. t.* exceptis tamen iis casibus, in quibus per se agere personaliter potest in judicio, ut dum Prælatum suum accusat, *c. ex parte c. cum olim de accusat.* quin etiam tunc melius esse, agere per alium, ait Pirh. *h. t. nu. 15. in fine*, cum Glos. *in cit. Clem. v. constituere*.

7. Septimo: Conventus seu Capitulum in bonis seu rebus com-

communibus, sicut non potest agere sine consensu Prælati; quia huic, non illi, a Jure concessa administratio. Abb. *in c. edoceri de rescript. num. 7.* Pirhing *num. 15.* ita nec procuratorem constituere. Abb. & Pirhing *LL. cit.* Secus tamen, si bona Capituli sint omnino divisa quo ad administrationem a bonis deputatis ad mensam Prælati. Iidem *LL. cit. arg. cit. c. edoceri*, in quo casu id adhuc non poterunt, si causæ sint arduæ.

8. Octavo: Prælatus in rebus & causis arduis, quæ concernunt statum ecclesiæ. V. gr. libertatem, subjectionem, alienationem bonorum: uti etiam procuratorem generalem & perpetuum ad gerenda omnia negotia tam intra quam extra judicium, constituere nequit sine consensu Capituli. Abb. *cit. nu. 7.* Pirh. & Wiestner *h. t. nu. 15.*

9. Nono: Excommunicatus publicus seu notorius & denunciatus non toleratus, sicut stare non potest per seipsum in judicio ad agendum, *c. decernimus de sent. excom. in 6.* ita nec constituere procuratorem ad agendum, *c. consulti h. tit.* Potest tamen illum constituere ad defendendum, dum nimirum ab alio convenitur, *c. intelleximus de Judiciis*, cum defensio sit juris naturalis, adeoque nulli reo denegari debet, sive per se sive per alium fiat. Gail. *lib. 1. observat. 9. num. 8.* Quin & debet, ita ut per se respondere non possit, ut probabilius tenent plures, quorum opinionem veram dicit Abbas *in cit. cap. intelleximus num. 6.* etsi contrariam opinionem Glossæ *in cap. querelam, hoc tit.* pluribus firmasset in antecedentibus; eo quod τὸ *debet*, quo utitur textus *cit. cap. intelleximus: & debet per alium in judicio respondere:* ex propria sua significatione importet non solum debitum honestatis, sed absolutam necessitatem. Unde jam in specie, licet procurator constitutus ab excommunicato papale rescriptum impetrare pro principali suo non potest, juxta *c. 1. de rescrip. in 6.* Nihilominus procurator constitutus ad impetrandum tale rescriptum a communitate aliqua cujus majores seu jurati (id est, Officiales, Præsides, Consiliarii, Senatores juramento fidelitatis obstricti communitati) sunt excommunicati, non sit repellendus ab impetratione talis rescripti, tanquam constitutus ab excommunicatis, nisi hi ipsi præsides excommunicati in literis excommunicationis fuerint expressi, vel nisi eorundem excommunicatorum authoritate institutio procuratoris facta, vel nisi communitas sciens illos excommunicatos, una cum illis procuratorem constituerit, uti hæc expressa in *cap. consulti hoc tit.* cujus fusiorem explanationem vide apud Pirhing *h. tit. a num. 10.*

10. Decimo: Procurator ipse constitutus ad lites non potest ante litis contestationem sibi substituere alium, nisi forte datus in rem suam, vel a domino mandatum habeat de substituendo sibi alio. Glos. & DD. in *cap. 1. §. licet h. tit. in 6.* De cætero in causis in quibus proceditur summarie & de plano; adeoque non requiritur contestatio litis, quam primum cæptum est tractari de meritis causæ, & negotium principale discutitur, poterit sibi substituere alium; quia ex tunc censetur factus dominus litis, non secus, ac alias per contestationem litis, ut tenent indubitanter Bartol. *in l. ab executore §. procurator ff. de appellation.* probans id ex *l. 2. Cod. de consortibus ejusdem litis.* Barbos. *in cit. cap. 1. §. licet num. 7.* citans alios, quos sequitur Reiffenstuel *hoc tit. num. 37.* Procurator vero constitutus ad negotia extrajudicialia, etsi *eod. cap. 1.* dicatur posse libere & quandocunque voluerit deputare & sibi substituere alium; eo quod, ut Vivian. *in ration. Jur. in cit. cap. 1. §. procurator.* Gemin. *ibidem* in negotiis extrajudicialibus regulariter non agatur de tam gravi præjudicio, sicut in judicialibus, tamen hoc ipsum limitandum primo: nisi industria personæ censeatur electa. Argum. *cap. is cui ab Apostolica de off. delegat. in 6.* Layman *in cap. 1. h. t. in 6. v. procurator.* Reiffenstuel *h. t. num. 41.* cum communi. Secundo: nisi specialis negotii qualitas videatur non permittere, ut substituatur alius absque speciali constituentis mandato, uti id contingit in causa matrimonii contrahendi propter magnum, quod ex substitutione tali in negotio tam arduo principali imminet periculum, *cap. fin. hoc tit. in 6.* Idem ob paritatem rationis & naturalem æquitatem locum habere in aliis negotiis magni momenti seu in quibus agitur de gravi præjudicio, eo quod tunc censeatur electa industria personæ, tenent Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 38. nu. 3.* Layman *Theol. Moral. l. 3. tr. 4. c. 26. nu. 7.* Engels *hoc tit. num. 10.* Reiffenstuel *num. 35.* Et in specie, etiam quod procurator constitutus ad vendendum rem aliquam non possit substituere alium, nisi in mandato exprimatur pretium & forma venditionis, habet Barbos. *in collectan. ad cit. c. 1. §. procurator.* Tertio, ut procurator generalis ad negotia etsi ad unum alterumve negotium sibi substituere possit alium, non tamen cum simili potestate ad omnia, ut in simili dictum supra de delegato. Layman *ad citat. cap. 1. ver. procurator.*

QUÆSTIO DCCCCXCI.

Quinam possint constitui procuratores.

1. RESP. primo in genere: Regulariter constitui possunt procuratores, & idonei ad hoc reputantur, qui non expresse prohibentur juxta textum *c. 1. §. 1. h. t. in 6.* est enim edictum de procuratoribus juxta dicta *quæst. ante hanc penult.* prohibitorium. Unde jam

2. Resp. secundo in specie: Esse possunt procuratores filii familias (etsi is alias regulariter non possit per se & suo nomine agere in judicio absque authoritate sui patris, *L. cum non solum C. de bonis quæ liberis*) modo alias ad id habiles, etiam patre invito, tam ad negotia quam ad lites, tam ad agendum quam defendendum; cum id nullo jure sit prohibitum, quin & positive concessum, *l. filius familias §. ipse quoque ff. h. t.* juncta Glos. margin. *cap. qui generaliter §. nedum h. tit.* Id tamen intelligendum, si nihil per hoc, quod filius sit procurator, depereat patri, ut Glos. *in cit. c. filius familias v. filius familias.* Item procuratores etiam in causis spiritualibus, tam ad agendum quam defendendum in judicio, esse possunt laici, ut constat ex *cap. indiscrete h. t. in 6.* Sic laicus a clerico constitui potest ad resignandum & acceptandum nomine illius beneficium ecclesiasticum juxta *c. accedens de præbend.* Glos. *in clem. 1. de renunc. v. procuratorem.* Tametsi enim laici causas & negotia ecclesiastica tractare prohibeantur suo nomine, & quasi in iis jus habeant tanquam principales, v. gr. ut Judex & Assessor &c. (in quo sensu intelligendus est textus, *c. decernimus de Judiciis*, *& cap. Messana de elect.* cum similibus, ubi generaliter vetatur, ne laici negotia ecclesiastica tractare præsumant. Hostiens. *in sum. h. t. nu. 9.* Vivian. *l. c. in cap. 1. h. t. in 6.*) nullibi tamen vetantur intervenire in illis ut procuratores seu tractare illa alieno nomine, nudumque in illis tractandis ministerium exhibere, absque eo, quod jus ullum aut titulus spiritualis in eis radicetur. Quod autem laicus nequeat esse procurator ad eligendum Prælatum ecclesiasticum, ut cum communi docent Franc. *in citat. cap. indiscrete num. 3.* Jo. Andr. *in Reg. 74. Jur. in 6.* Passerin. *de election. cap. 10. num. 44.* ubi, quod procurator constitutus ad eligendum Prælatum ecclesiasticum habere debeat easdem qualitates, quas principalis elector, adeoque esse non possit laicus; hujus inquam rationem quidem aliquam dat Pirhing *h. tit. num. 19.* nimirum, quod dare suffragium in capitulo plus videatur, quam nudum ministerium, cum sit actus capitularis, adeoque proprie clerici, verum insufficientem: cum etiam procurator, qui est ecclesiasticus, dando suffragium in electione, certe plus non exhibeat quam nudum ministerium loco electoris absentis, ex ejus voluntate nominando eligendum.

QUÆSTIO DCCCCXCII.

Quinam in specie prohibeantur esse constitui procuratores Jure Canonico.

1. RESP. primo sequentes: imprimis de Jure Canonico excommunicatus, *cap. intelleximus de Judiciis, c. decernimus de sent. excom. in 6. c. post cessionem de præbat.* ubi: *si quis in excommunicatione susceperit munus procuratoris, a Judice per exceptionem repelli potest.* Si enim ut actor stare nequit in judicio, nec pro se respondere, multo minus id poterit pro alio.

2. Secundo religiosus sine licentia sui superioris, etiam per alium religiosum, sui vel alterius monasterii, non nisi pro suo in eadem lite consorte, constitui potest procurator; ut habetur *Clem. Religiosus h. t.* juxta dicta *tit. præced. de advocato*, quæ eadem cum proportione hic quoque locum habent. Excipiuntur tamen casus sequentes, nimirum quod ipse superior religiosus, sicut dare ad hoc potest licentiam subditis, ita ipse suscipere & obire possit munus procuratoris sine alterius licentia in utilitatem monasterii. Glos. *in cit. Clem. v. Religiosus.* Abbas *ibid. num. 4.* Sanchez *lib. 6. moral. c. 13. num. 18.* Pirhing *h. t. num. 22.* Wiestner *num. 24.* Item religiosus quisque ad accusandum vel denunciandum Prælatum sine licentia illius constitui potest procurator; quia id jure ei concessum. Sanch. Pirh. *LL. cit.* uti & ad suscipiendum munus procurationis pro consorte litis communis religiosus alia non eget licentia, quam quæ ei vi *citat.*

Clem.

Clem. conceditur. De cætero cum licentia superioris potest constitui procurator in negotiis concernentibus ipsum Prælatum v. g. electionis, confirmationis, defensionis, quia tunc vertitur utilitas monasterii. Sanch. Pirh. Wiestner. *LL. cit.* Item ob eandem rationem in negotiis cujuscunque religiosi, ejusdem saltem Ordinis, cum intersit religionis ejus membra defendi. Sanch. *n.* 20. Pirh. *l. c.* Quæ utilitas proprii Ordinis seu Religionis quia non reperitur in patrocinio præstito religioso alterius Ordinis, non videtur Prælatus suo Religioso ad hoc posse dare licentiam. Sanchez *num.* 21. Pirh. *l. c.* Quanquam sint, qui defendant contrarium; quin etiam, ut Sanch. *num.* 22. qui id extendant ad negotia Episcopi.

3. Tertio infames infamia Juris vel facti, neque ad lites, neque ad alia negotia pro personis ecclesiasticis, sed tantum pro laicis Jure Canonico admittuntur esse procuratores. Argum. *c. indicatum dist.* 89. & *Can. quia Episcopus caus.* 5. *q.* 3. juncta Gloss. *v. quia Episcopus*. Abb. *in cap. Imperatorum de jueam. column. num.* 9. Jure tamen civili infamem non prohibentur esse procuratores §. *fin. Institut. de except.* eo quod munus procuratoris non sit dignitas, a qua arceatur etiam hoc jure infames, sed onus, & quidem vile reputatum, ut Pirh. *h. t. n.* 23. *in fine*.

4. Quarto clerici, præsertim Sacerdotes, etiam in foro ecclesiastico *cap. final. de postulando* juxta dicta de advocatis cum proportione *tit. praeced.* constitui tamen possunt, etiam Sacerdotes, procuratores ad lites, non minus in causa Episcopi sui ad defendendum, quam pro ecclesia sua propter conjunctionem & reverentiam, quam debent Episcopo. Argum. *cap. in nostra hoc tit.* Jo. And. *ibid. num.* 2. Abb. *nu.* 1. Pirh. *h. t. n.* 25.

5. Quinto minores 17. annis licet ad negotia extrajudicialia deputari possint procuratores, non tamen ad lites minores 25. annis *cap. qui generaliter hoc tit. in* 6. Cum enim minor 25. annis habens curatorem stare nequeat in judicio *l.* 5. & 2. *Cod. qui legit. person. standi* &c. *L. exigendi* §. *fin.* *Cod. hoc tit.* multo minus id poterit pro alio. Hinc si talis admittatur ad judicium, illud ipso jure nullum est, etiam nulla opposita exceptione. Pirh. *citat. num.* 25 citans Franc. *in cit. c. nu.* 3. ubi etiam, cur potius sufficiat ad munus advocati ætas minor, nempe 17. annorum, hanc rationem reddit cum Gloss. *in cit. cap. v.* 17. *annorum*. Quod procurator teneatur actione mandati, & condemnetur, si contra eum sententia feratur, secus ac est in advocato. De cætero tametsi Jure civili contrarium esse, nimirum majorem 17. annis admitti ad procurandum etiam in judicio seu ad lites, tanquam probabilius affirment & desumant ex §. *Justa autem* & §. *fin. Instit. quibus ex caus. manumitti*. Zoel. *in ff. hoc tit. num.* 11. Harprecht. *Inst. de iis, per quos agere poss. num.* 123. apud Wiestner. *h. t. nu.* 23. iis consentientem, Haunol. tamen *Tom.* 5. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 404. usu saltem quo ad hoc etiam in Jure civili servari Jus Canonicum testatur.

QUÆSTIO DCCCCXCIII.

Quinam præterea Jure Civili prohibeantur esse procuratores?

RESpond. sequentes. Primo impuberes, cum ab omnibus officiis civilibus arceantur. *L. fæmina ff. de Regul. Jur.* Secundo servus: quia legitimam personam standi in judicio non habet *l.* 1. & *tot. tit. Cod. qui legit. person.* &c. quamvis ad negotia dari possit procurator. Pirh. *hoc tit num.* 24. Tertio mutus & surdus; etsi ad negotia dari possit procurator. *L. mutus ff. hoc tit.* Quarto fæmina, præsertim in judiciis. *L. alienam Cod. hoc tit.* & *L. fæmina* & *L. quia absentes Cod. hoc tit.* cum officium procuratoris sit virile, & a pudore fæminei sexus alienum. *l.* 2. *ff. de Regul. Jur.* Nisi forte in rem suam aut proprium lucrum cessis sibi actionibus, agant *l. absente Cod. hoc tit.* vel cognita causa pro parentibus morbo vel ætate impeditis, & ob defectum aliorum idoneorum procuratorum. *L. fæminis ff. hoc tit.* vel nisi sit tutrix filiorum; tunc enim in causa filiorum per se ipsam stare potest in judicio. Pirh. *hoc tit. num.* 24. cum Jo. And. *in cap.* 2. *de Judic. in* 6. Cum enim tunc lex ei deferat administrationem bonorum, concedere etiam videtur, ut pro eorum defensione stare possit in Judicio, & fungi munere procuratricis. Pirh. *loc. cit.* Arg. *cap. ex parte de appellat.* Extra quem casum mater esse non potest procuratrix, aut stare per se in judicio pro filio pupillo, sed debet ei tutorem petere, ut Gloss. *in L. fæminis ff. hoc tit. vers. habeant* juxta *summarium L. alienam Cod. hoc tit.* Vel nisi sit Abbatissa, huic enim esse procuratricem in causa sui monasterii conceditur. Wiestner. *hoc tit. num.* 23. juxta *cap. cum dilecta* §. *quia vero de confirmat. utili*. Quarto milites nequeunt esse procuratores in aliena causa, etiam adversario volente. *L. neque fæmina ff. hoc tit* Sed neque ad negotia. Argument. *L. milites Cod. de locat* & nequidem pro personis sibi conjunctis, puta, parentibus, fratribus, uxore *l. militem C. h. tit. L. filiusfamilias* §. *veterani ff. hoc t.* Quorum ratio datur, quia publice interest milites per privatorum negotia a militia avocari *cit. L. milites*. Possunt tamen esse procuratores in rem suam, vel etiam nomine cohortis suæ *citat.* §. *veterani L. stipendia Cod. hoc tit.* uti etiam in causis & negotiis alienis, dum sunt veterani, honestam missionem consecuti *citat.* §. *veterani*. Quinto, qui Reipubl. causa absfuturi, aut inituri Magistratum, aut perpetuo morbo tenentur, aut inviti judicium non patiuntur *l. neque ff. hoc tit.* Sexto criminis rei, pendente accusatione, antequam probent suam innocentiam. *L. eum C. hoc tit.* Redemptores litium alienarum. Argument. *L. litem C. h. t.* Engels *h. t. num.* 6. Reiffenstuel. *num* 55. qui etiam idem dicit de prodigis, quibus administratio bonorum a Judice est interdicta. Septimo potentiores prohibentur esse procuratores ad lites *l.* 1. *C. ne liceat potentioribus* &c. & in specie Fiscus & Resp. ob potentiam & terrorem *l.* 3. & *toto tit. C. ne Fiscus & resp.*

QUÆSTIO DCCCCXCIV.

An quis cogatur seu compelli possit ad constituendum procuratorem?

1. REsp. primo: Si litigans ipse comparere vult, & est idoneus ad standum in judicio, regulariter cogi non potest, ut loco sui mittat procuratorem. Et in hoc fere convenire AA. ait Wiestner. *h. t. nu.* 18. Nisi tamen usus & consuetudo alicubi aliter habeat sic, ut Idem ex Haunol *Tom.* 5. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 391. In Camera Imperiali (uti & in quibusdam aliis curiis) ex ordinationis præscripto causæ non aliter quam per procuratores agi possunt.

2. Respond. secundo: Ubi vero quis citatus ad judicium & legitimum impedimentum habet per se comparendi, & est causa gravis & ardua non tenetur pro se mittere procuratorem, ut constat *cap. querelam hoc tit.* Secus est, si impedimentum justum quidem est, leve tamen, ita ut accessum ad judicium non impediat, tunc enim, si litigans ipse comparere non vult, mittere loco sui cogitur procuratorem, ut colligitur ex *citat. cap.* per sensum contrarium. Abb. *ibidem not.* 3. Pirh. *hoc t. n.* 17. Item dum impedimentum grave est, seu absolute impediens accessum, & causa quoque, super qua litigatur, ardua, impedimentum tamen non est perpetuum vel diu duraturum, & causa differri non potest; tenetur enim tunc impeditus mittere procuratorem, ne jus alterius partis pereat aut lædatur. Gloss. *in cap. cum dilecti de dolo* & *contumac.* Abb. *in citat. cap. querelam num.* 7. Pirh. *loc. citat.* Et in tali casu procedit textus *cit. cap. cum dilecti* ubi citatus ad judicium, quia non venit, etsi ex causa justa remanserit, nec procuratorem misit, juste condemnatus est in expensas. Nam præterquam (quam rationem condemnationis justæ reddit Gloss. *in cit. cap. cum dilecti v. detentus*) quod absentiæ causam justam non allegaverit, vel saltem non probaverit agebatur ibi de damno ecclesiæ incurrendo per diuturnam vacationem; adeoque specialis ratio urgebat in absentia mittere procuratorem. Innoc. *in cit. cap. querelam num.* 1. Gonz. *ibidem numer.* 10. Pirh. *loc. cit.* Wiestner. *hoc tit. num.* 20. Quin etiam aliqui inviti, & alias non impediti venire ad judicium, coguntur loco sui mittere procuratorem ad agendum & defendendum, dum nimirum per se litigare nequeunt, quales sunt personæ illustres. *L. quicunque Cod. hoc tit.* Pirh *loc. cit.* cum Wesenbec. *ff. hoc tit. num* 4. qui etiam cum Hostiens. *ad citat. cap. querelam vers. gravibus causis* & Abb. *ibidem num.* 9. ait, gravem & arduam causam censeri illam, quæ est valde intricata, ut per procuratorem facile explicari nequeat. Item causa matrimonialis, vel quando agitur de majore parte bonorum, vel quæ infamiam inducit, vel ubi vertitur periculum animæ.

QUÆSTIO DCCCCXCV.

An & qualiter procurator non nisi certus constitui possit?

REsp. Constitui debet procurator certus, ita ut alia constitutio sit nulla *l.* 2. *ff. h. t.* Gl. magna *in c.* 1. *h. t. in* 6. Sic dum procurator constituitur Titius &c. ejus hæredes, non valet mandatum quo ad hæredes, quia hi incerti Tusch. *L. M.*

concl. 53. Anch. *conf.* 22. *n.* 7. incertitudo siquidem vitiat dispositionem. Tusch. L.I. *concl.* 65. *n.* 1. Sic incertitudo personæ, quæ datur in tutorem, vitiat dationem *l. duo sunt ff. de testament. tutel. l. tutor incertus ff. eod.* ubi: *tutor incertus testamento dari non potest*: quod ipsum Gl. *ibidem* extendit ad procuratorem constitutum hæredem, hæredem institutum, & ad similes personas. Neque his obstat, quod procuratori constituto concedi possit potestas substituendi sibi alium, etiam certa persona non expressa juxta *c.* 1. *§. licet h. t. in* 6. Nam etsi persona ab ipso substituenda respectu primi constituentis procuratorem sit incerta, hic tamen non nisi certam sibi substituere potest, & sic incertitudo reducitur per illum ad certitudinem, quod ubi fit seu fieri potest, incertitudo non vitiat dispositionem, ut Tusch. *cit. concl.* 65. *nu.* 2. Uti id patet in procuratore ad eligendum, nulla ei designata persona, quam eligere debeat, quæ constitutio valet, non obstante, quod eligendus debeat esse certus, & tamen is, qui constituit procuratorem, de ea sit incertus.

QUÆSTIO DCCCCXCVI.

An quis invitus constitui possit procurator.

Resp. Negative *l. invitus C. h. t. c. licet h. t. in* 6. Quia munus procuratoris privatum est, quod nemo invitus cogitur suscipere. Gl. *in cit. c. licet v. eod.* vide dicta supra de advocato hoc in puncto. Porro invitus non tantum dicitur is, qui contradicit, sed is quoque, qui consensisse non probatur *l. filius familias §. invitus ff. h. t.* Et licet hæc ita sint in constitutione procuratoris privatorum, contrarium tamen est in procuratore regio, seu Principis. vel Reip. quia publica munera & onera etiam inviti suscipere coguntur. Pit. *h. t. n.* 37. *in fine.*

QUÆSTIO DCCCCXCVII

An & qualiter quis in constitutione sui in procuratorem consentire & eam ratam habere debeat?

1. Resp. ad primum: Juxta jam dicta, non secus constituti quam constituentis consensus requiritur ad constitutionem procuratoris. Obtinet enim idipsum in omnibus contractibus, qui mutuo consensu perficiuntur.

2. Resp. ad secundum: Præberi potest hic consensus vel expressus voce vel scripto, per nuncium vel per literas, nimirum dum absens constituitur procurator. Vel tacitus facto aliquo significatus. V. g. Dum principalis præsens ac sciens permittit alium agere vel defendere causam suam in judicio; cum scientia & patientia domini gignat præsumptionem mandati. Pirh. *h. t. n.* 34. cum Mynsing. *centur.* 5. *observ.* 80. *n.* 4. Vel si quis tradita sibi a Domino instrumenta causæ in eum finem, ut sit procurator, ea acceptat. Pirh. *ibid.* citans Hiltrop. Idem est, dum quis scienter instrumentum mandati recipit & non contradicit. Pirh. *l. c.* juxta *Clem. instrumenta h. t.* Et quia sine ulla protestatione, quæ in eo continentur, recipiendo tale instrumentum mandati, sciens, quæ in eo continentur censetur consensisse in omnia in eodem contenta, & obligasse se ad eadem exequenda. Abb. *in cit. Clem. n.* 3. cogi poterit ad serviendum in munere procuratoris domino in causis omnibus & negotiis, ad quæ se instrumentum extendit. Pirh. *cit. nu.* 34. *juncto num.* 35. Quod si vero ab absente constitutus procurator, sive ad lites sive ad alia negotia submissum sibi instrumentum procuratorium suscipere recusavit, poterit dein, mutata voluntate, illud acceptare, modo constituens in eadem voluntate perseveraverit, si constituens nihil de illo a se designati procuratoris dissensu intellexit, aut probabiliter suspicari potuerit; cum voluntas semel habita præsumatur, nisi, quod sit mutata, probetur *c. licet h. t. in* 6. Gl. *ibi in fine* & Anchar. *not.* 3. Pirh. *n.* 36. Uti hæc a simili patent in electione, ubi si electus primo electionem sui sibi præsentatam repudiet, & mox acceptet intra tempus a jure præfinitum, & electores interim non mutent voluntatem, valebit acceptatio. Gl. communiter recepta *in cit. c. licet v. placebit.* Idem est de acceptatione collationis juxta *c. si tibi de præb. in* 6. Secus est, si constituens præsens intelligat dictum dissensum, tunc, si procurator pœnitentia ductus consentire de novo velit, potest constituens dicere, se jam mutasse voluntatem, adeoque jam contractus mandati non subsistit. Laym. *in cit. cap. licet num.* 2. Pirh. *l. c.*

QUÆSTIO DCCCCXCVIII.

An & qualiter plures constitui possint procuratores super eadem causa vel negotio, & qualiter procedere possint?

1. Resp. primo: Duo vel plures procuratores constitui possunt super eadem causa & negotio, vel simpliciter, vel in solidum; & quidem vel simul & eodem tempore vel diversis temporibus.

2. Respond. secundo: dum constituti sunt in solidum (hoc est, ita, ut singuli seorsim sine aliis litem vel negotium prosequi possint) eodem tempore seu simul, non possunt procedere simul, cum facile contingere posset, ut se mutuo in causa impediant, ut dum unus fateretur, quod alter negaret, ac ita expeditio litium retardaretur cum detrimento boni publici. Vivian. *in ration. Jur. Pontific. in cit. cap. si duo §. cæterum.* Pirh. *hoc tit. num.* 43. Is vero, qui prius causam seu negotium tractare cæpit aliosque prævenit, præferendus est aliis, eosque excludit, ita ut hi se immiscere non possint *cap. non injuste h. t. cap. si duo hoc tit. in* 6. *l. pluribus ff. hoc tit.* Potest autem dicta præoccupatio fieri per quemlibet actum, etiamsi is de jure effectum non habuerit, secus ac contingit in duobus Judicibus simul in solidum delegatis, in quibus præoccupatio jurisdictionis cum exclusione alterius non inducitur per actum invalidum. V. g. per citationem rei ab uno eorum factam prius, sed illegitime. Argument. *cap. penult. de foro comp.* Pirh. *hoc tit. num.* 42. *notand.* 2. citans Francum. Sed neque, ubi is, qui prævenit alios per contestationem litis, & sic factus jam est dominus litis, etiam nullo sibi substituto, cessat a prosequenda lite ob impedimentum, vel quia non valuit eam prosequi, adhuc alter in solidum ei adjunctus procurator non poterit eam prosequi, nisi in constitutione seu mandato adjecta clausula, per quam exclusioni alterius propter præventionem factam ab alio ejus collega sit derogatum, uti statutum *cit. cap. si duo.* Cur autem contrarium sit in Judicibus delegatis, quorum alter, si is, qui prævenit, nolit, aut propter impedimentum non possit prosequi causam, in eadem prosequenda succedat illi, etiamsi id in commissione non fuerit expressum juxta *cap. cum plures de offic. deleg.* hanc Laym. *in cit. cap. si duo §. quæres* & ex eo Pirh. *hoc tit. num.* 45. *in fine.* Dat rationem; quod Judices in solidum delegati habeant ab ipsa lege seu canone communionem aliquam, idque ut causæ & lites celerius expediantur, quam communionem a lege cum non habeant procuratores plures in solidum dati (eo quod per pluralitatem procuratorum non tam promoveatur quam impediatur negotiorum expeditio) eam ab homine, nempe constituente, habere debent; ab eo autem eam non habeant, dum in constitutione seu mandato clausula illa: *ut non fiat melior conditio procuratoris præoccupantis*: aut similis adjecta non fuit, quippe quæ alteri tribuit potestatem agendi solum in habitu, & tunc etiam in actu seu quo ad exercitium, si is, qui prævenit, non possit vel nolit ulterius agere. Franc. *in cit. cap. non injuste num.* 2. Pirh. *hoc tit. num.* 42. Ubi vero vi dictæ clausulæ adjectæ alter comprocurator, alio qui prævenerat, cessante, eandem prosequi jam loco illius suscepit, nequit prior ille, cessante suo impedimento illam reassumere, nisi secundus ille fuerit impeditus, pro ut pariter statutum *in cit. cap. si duo §. cæterum.* Cujus reassumptionis hanc rationem reddit Gloss. fin. *ibid.* Quod in hoc casu alter, qui posterius seu causam prosequendam susceperat, non possit sibi substituere alium, ideo, quia ipse non fuerat litem contestatus. De cætero, dum plures in solidum constituti procuratores, sive in spiritualibus, sive in temporalibus causis, etiamsi dati cum clausula, ut non sit melior conditio præoccupantis, Judex non potest eligere magis idoneum. Franc. *in cit. c. si duo §. sane n.* 3. *in fine.* Pirh. *h. tit. n.* 44.

3. Respond. tertio: Si duo vel plures in solidum diverso tempore constituti sunt procuratores, per constitutionem posterioris vel posteriorum in eadem causa censetur tacite revocatus prior procurator *cap. non injuste hoc tit. l. si quis §. Julianus ff. hoc tit.* idque, etiamsi posterior mandatum recipere noluerit. Argum. *§. posteriore Instit. quibus mod. testam. rumpat.* ubi, quod per posterius testamentum rumpitur primum, etiamsi ex secundo hæres aliquis non extiterit aut esse noluerit. Gloss. *in citat. cap. si duo vers. simul.* Item etiamsi in constitutione procuratoris non fiat mentio prioris, dum uterque est specialis, vel uterque generalis. Pirh. *hoc tit. num.* 40. citata Gloss. marg. *in cit. c. non injuste v. temporalibus.* Si tamen prior procurator datus sit generalis ad omnia negotia, posterior specialis seu ad certam causam, per hoc speciale mandatum non

dero-

derogatur priori generali, sed tantum præscribitur modus, ut prius admittatur specialis, & in defectum illius generalis juxta *L. quoniam C. de convent. Fisc. debit.* Laym. *in cit. cap. non injuste num.* 3. Pirh. *cit. num.* 40. sed neque per constitutionem posterioris generalis revocatur prior specialis, cum per genus non derogetur speciei. Argument. *cap.* 1. *de rescript.*

4. Respond. quarto: Si plures simul constituti sunt, non adjecta clausula: *in solidum*: sed simpliciter, unus sine altero procedere non potest, nec admitti debet; quia omnibus simul procurare, & non aliter concessum est, ita expresse *cit. cap. si duo hoc tit. in* 6. Sicut idem de pluribus Judicibus delegatis simul simpliciter datis statutum *in cap. causam & cap. prudentiam de off. deleg.* ita ut tunc præventioni per litis contestationem (post quam proprie quis agere dicitur, ut Gloss. *in c. si duo v. litis contestationem*) locus non sit. Pirh. *cit. n.* 42. Quod si tamen in causa beneficiali aut alia spirituali, quæ celeriorem expeditionem postularet (in quibus proinde potest Judex, dum plures procuratores non in solidum sed simpliciter constituti, unum ex iis magis idoneum eligere, ne propter eorum concursum negotia intricentur, qui solus causam prosequatur, ita ut alter dein amplius admitti non debeat, ut statuitur *cit. cap. si duo hoc tit. in* 6. §. *sane* juncta Gloss. *v. admittantur*) unus in causa processerit, aliis comprocuratoribus se non opponentibus, valebit processus, eo quod Judex videatur illum elegisse, cum quo processit. Franc. *loc. cit.* Pirh. *num.* 44.

QUÆSTIO DCCCCXCIX.

In quibus causis institui possit vel non possit procurator?

RESp. generatim: ad omnia negotia & causas constitui potest procurator, ad quæ illum constitui non reperitur esse probibitum; quia ut dictum jam aliquoties, edictum procuratorium est prohibitorium, quin & de plerisque causis id concessum variis Juris textibus. V. g. in causis omnibus civilibus tam ad agendum quam defendendum in judicio. Arg. *l.* 1. *h. t.* ubi sermo de causis civilibus. Item tam in causis pecuniariis *l. in pecuniis C. h. t.* tam in liberalibus seu statum concernentibus *l. servum ff. eod.* tam in spiritualibus, quam temporalibus *c.* 1. *h. t. in* 6. in matrimonialibus *c. procurator. & c. fin. h. t.* in beneficialibus, ut videre est ex utroque indice *p.* 1. *&* 2. *mei fori benef.*

QUÆSTIO M.

An ergo etiam & qualiter in causis criminalibus intervenire possit procurator.

1. RESp. primo: In causis criminalibus, sive crimina sint publica, sive privata, dum agitur de pœna capitis vel alia corporali, quæ major sit relegatione, non admittitur procurator, sed partes, sive tam accusator quam reus per se comparere debent *cap. veniens de accusat. Canon. in criminalibus* 5. *quæst.* 3. *L. unic. ff. an per alium causa appellat. L. accusatore ff. de public. Judic. Jul. Clar. pract. crimin.* §. *fin. quæstion.* 32. *a num.* 5. cum communi. Ratio autem, cur procurator non admittatur ad reum defendendum, sed rei personalis præsentia in judicio requiratur, partim est, quod ex pallore & mutatione vultus, ex titubatione vocis & inconstantia sermonis vehementer argui possit de crimine. *L. de minore* §. 5. *ff. de qq.* Partim quod contra reum absentem difficulter sententia mandari possit executioni, dum is in potestate Judicis non est, & ad evitandam pœnam facile fuga sibi consulere possit, ut ex Hiltrop. *in process. judic. part.* 5. *tit.* 21. *num.* 73. Pirh. *hoc tit. num.* 31. Militatque hæc posterior ratio pro eo quoque, quod neque ex parte accusatoris admittatur procurator, dum & accusator (qui ubi in probatione defecisse & calumniose accusasse deprehenditur, tenetur ad pœnam talionis, seu talem, qualem accusatus subire debuisset, si convictus esset. *L. ultim. Cod. de accusat.*) hac ratione facile elabi posset *capit. tua hoc tit.* ubi ob pœnam talionis marito accusanti uxorem criminaliter ad pœnam legalem (quæ olim erat pœna capitis. *L. quamvis Cod. ad leg. Juliam de adult.* etsi postea mutata in pœnam verberationis & detrusionis in monasterium in fœminis adulteris. *Auth. sed hodie Cod. eodem* non permittitur procurator. Verum, cum hodiedum per consuetudinem sublata sit pœna talis, imposita solum mulcta aliqua pecuniaria, & onere præstandi sumptus accusatori in accusando deficienti, adeoque jam cesset memorata ratio, admittitur plerumque ex parte accusantis criminaliter, etiam in criminibus capitalibus procurator Jul. Clar. *l. c. n.* 3. *&* 23. Wesenbec. *in paratit. ff. h. t. num.* 5 Pirh. *cit. num.* 31.

2. Limitatur tamen etiam ipsa responsio, ut quando reus præsens est in judicio vel carcere, permittatur procurator, non quidem ad respondendum interrogationibus factis reo a Judice in examine vel tortura, ad quas reus personaliter respondere cogitur, tum ob primam partem probationis allatæ pro responsione; tum quia reus ipse de facto proprio exactiorem habet notitiam; sed ad opponendum exceptiones, præstandaque alia pro defensione rei opportuna. Gloss. *in cit. cap. in nostra vers. præsentia*. Bartol. *in l. accusatore* §. *ad crimen. num.* 10. Abb. *in citat. cap. veniens num.* 22. Jul Clar. *loc. citat. num.* 16. Scaccia *de Judic. l.* 1. *capit.* 101. *num.* 44. Wesenbec. *loc. cit. num.* 5. Pirh. *hoc tit. num.* 33. Reiffenstuel. *num.* 64. Nihilominus tamen etiam reum absentem & impeditum personaliter comparere defendi posse per procuratorem, cum Cujacio & Fachin. *l.* 1. *controv. cap.* 4. *v. ego*. Argum. *cap in nostra hoc tit. l. servum* §. 2. *ff eodem l. reos. Cod. de accusat.* Sentiunt plures, citatam *l. accusatore* contrariam in speciem explicantes de criminis capitalis reo præsente. Rationem etiam dant, quod Reipubl. intersit, innocentes a quocunque defendi. Verum hanc interpretationem rejiciunt alii inhærentes absolute responsioni de non admittendo procuratore pro reo capitalis criminis apud Menoch. *de arbitr. l.* 2. *quæstion.* 80. *a numer.* 1. Nisi forte ad allegandam & probandam causam absentiæ juxta *l. absent ff. hoc tit.* juncta Gloss. *vers. potest* vel ad opponendum exceptiones dilatorias, vel declinatorias ipsum crimen principaliter non respicientes, contra Judicem, adversarium testes &c.

3. Respond. secundo: In causis criminalibus, dum agitur civiliter, sive ad pœnam relegationis, vel aliam minorem. V. g. pœnam pecuniariam, admittitur procurator *l. licet* §. 1. *ff. hoc tit. l. unic. ff. an per alium caus. appellat.* juncta Gloss. *v. relaxationem*. Wesenbec. *loc. citat.* Clarus *loc. cit. num.* 4. (qui idem asserit, dicendo esse communem, de casibus, in quibus agitur ad pœnam privationis beneficii, depositionis ab Ordine seu dignitate) Berojus *in cit. cap. veniens num.* 39. Pirh. *hoc tit. num.* 32. Wiestner. *hoc tit. num* 37. qui tamen ait *nu.* 41. oppositam sententiam, quam cum Abb. *in cap. veniens d. accusat. num.* 18. tenent aliqui, eo quod etiam in his causis adhuc militet prior ratio pro responsione præced. adducta, etsi periculum elusionis sententiæ in iis tantum non sit, potiorem videri ponderatis textibus juris, utpote absolute & generaliter a judicio criminali removentibus procuratorem; etsi prior sententia, spectata praxi tribunalium, AA. & juribus sit præferenda. Ratio responsionis est, quod jam cesset ratio, cur procurator non admittatur, dum agitur criminaliter, seu ad legalem & publicam capitalem vel aliam corporalem pœnam. Dum enim executio fieri debet non in persona, sed bonis, nihil interest fisci vel partis læsæ, sive reus per se, sive per procuratorem compareat, & pœna relegationis etiam satis adimpleatur, dum reus absens ex metu talis pœnæ perpetuo exulare compellitur. Sic dum maritus uxorem accusat de adulterio apud Judicem ecclesiasticum (cujus cognitio alias, dum agitur criminaliter, spectat ad Judicem sæcularem) in ordine ad divortium & separationem tori & cohabitationis, potest accusationem facere per procuratorem *c. si tua h. t.* ubi datur ratio: quia hujusmodi accusatio, etsi sit de crimine, non tamen est criminalis, sed veluti mixta inter civilem & criminalem. Additur tamen etiam, securius esse, si partes principales in judicio sint præsentes.

4. Resp. tertio: in causis criminalibus famosis, sive in quibus condemnato irrogatur infamia, admitti procuratorem, dum infamia est in consequentiam pœnæ pecuniariæ, aut saltem debitæ ex contractu v. gr. mutui, depositi, pro socio &c. constat ex textu *l.* 1. *ff. an per alium caus. appellat.* ubi: *plane, si pecuniaria causa est, ex qua ignominia irrogatur, potest & per procuratorem agi*. Dum vero infamia sola & principaliter infligitur; etsi plures (in quorum sententiam inclinat. Wiestner. *hoc tit. num.* 44. dicens eam satis probabiliter teneri a præcipui nominis DD. & interpretibus recentioribus, quorum tamen rationes, quas adducit *num.* 43. id certe non evincunt) negant admitti posse procuratorem; contrarium tamen, nimirum admitti in iis etiam ex parte rei procuratorem, probabilius defendit Haunold. *de Just. & Jur. tract.* 2. *num.* 418. Tum quod nullus textus Juris id aperte vetet, tum quod non sit periculum elusionis sententiæ, ob quam in causis capitalibus & pœnam afflictivam corporis irrogantibus non admittitur procurator, cum etiam reo absenti per procuratorem defenso per condemnationem ipsius æque infa-

infamiam inuri possit. Argument. *l. servum §. 2. ff. hoc tit. l. absentem vers. quid igitur l. reos Cod. de accusat.* De cætero plura de procuratoribus in causis criminalibus ad *l. 5. decretal. tit. 1.*

QUÆSTIO MI.

An & qualiter contrahendo matrimonio & causis matrimonialibus intervenire possit procurator?

RESp. Matrimonium contrahi posse per procuratorem valide ac licite, constat ex *c. fin. h. t. in 6.* receptaque praxi Ecclesiæ, passim matrimonia taliter inter principes & magnates absentes celebrata approbante. Posse quoque ad causas matrimoniales agendas adhiberi procuratorem, habet communis cum Gloss. *in cit. c. fin. v. matrimonium* contrahendum. Esseque matrimonium sic celebratum non minus Sacramentum, quam celebratum ab ipsis principalibus sine interventu procuratoris, cum communi tenent Nav. *in Can. fratres dist. 5. de pœnitent. num. 45.* Sanch. *de matrim. l. 2. dist. 11. num. 27.* Pont. *l. 1. cap. 10. num. 7.* contra Cajetan. *opusc. de matrim. quæst. 1.* Victoriam & alios, quorum opinionem probabilem censent Rebell. *de obligat. Justit. part. 2. l. 2. quæst. 5. concl. 2.* Eo quod Christus contractus matrimonialis naturam non immutarit, elevando illud ad rationem Sacramenti; illud vero celebratum per procuratorem validum sit in ratione contractus, adeoque etiam in ratione Sacramenti. Porro tam ad has causas tractandas, quam illud contrahendum in procuratore, requiruntur tria. Primo, ut ad hoc habeat speciale mandatum *citat. cap. fin* cum causa matrimonialis, a qua totus vitæ status dependet, sit maxime ardua & periculosa; adeoque jam non sufficiat mandatum generale, etiam in quo expressis quibusdam specialibus, additur clausula: *& ad alia omnia*: cum illa comprehendat solum specialia similia, non autem majora expressis, quale est matrimonium. Gloss. *in citat. cap. fin. v. specialiter.* Neque etiam mandatum generale ad contrahendum cum quacunque, sed in mandato necesse est exprimere certam ac determinatam personam, cum qua contrahendum citat. Gloss. *v. eodem l. generali ff. de ritu nuptiar.* Covar. *in epitom. l. 4. decretal. part. 2. cap. 4. num. 8.* Barbos. *in collectan. ad cit. cap. final. num. 2.* Sanch. *de matrim. l. 2. dist. 11. nu. 4.* & plures alii apud illos. Rationem quoque addit Pirh. *hoc tit. num. 27. in fine.* Quia ad substantiam matrimonii requiritur, ut contrahentes in certam & determinatam personam consentiant. Secundo, ut procurator contrahat per se ipsum, ita ut sibi substituere nequeat alium, nisi id expresse habeatur in mandato *cit. cap. fin.* eo quod alias in negotiis arduis censeatur electa fides & industria personæ. Barbos. *loc. cit. num. 6.* Sanch. *num. 3. & 4.* Pirh. *num. 28.* cum communi. Tertio, ut consensus constituentis in matrimonium duret pro eo tempore, quo procurator contrahit, ita ut, si interea seu pro tempore contractus is revocasset consensum, matrimonium nomine illius contractum foret nullum, etsi dictæ revocationis notitia nulla ad procuratorem pervenisset *citat. cap. final.* juncta Glossa *v. ignorent.* Cujus etiam differentiæ inter hunc & alios contractus (qui celebrati per procuratorem etiam post revocationem procurationis ante ejus intimationem & notitiam regulariter valent. *L. mandatum ff. mandati Clement. unic. de renunciat.* hæc *in cit. cap. fin* redditur ratio; quod jus seu Respubl. in aliis contractibus & actibus ab humano jure dependentibus supplere possit consensum contrahentium, quin & citra consensum illorum dominia & jura transferre, mutuus vero formalis ac verus consensus, utpote de jure naturali ac divino ad essentiam matrimonii requisitus nulla potestate humana suppleri possit. Sanch. *citat. num. 3. & 6.* Barbos. *loc. citat. num. 7.* Covar. *loc citat. num. 9.* Laym. *in citat. cap. fin. num. 3. & 4.* Pirh. *hoc tit. num. 29.* ubi etiam cum Covar. *num. 10. & 11.* Quod idem fit dum procuratorium mandatum revocatum tacite, nimirum per datum aliud mandatum posterius contrahendi cum alia, vel etiam per ipsum matrimonium contractum cum alia præsente vel absente per literas. Item quod revocatio dicta mandati procuratorii valeat, etiamsi constituens jurasset se illud non revocaturum, quamvis ut perjurus puniri debeat. Franc. *in cit. cap. fin. num. 6.* Barbos. *num. 9.* Sanch. *loc. cit. num. 8.* Dicta tria quoque requiruntur ad sponsalia de futuro contrahenda per procuratorem, cum sint via, ac dispositio quædam ad matrimonium, adeoque ejus naturam & conditiones quodammodo participantia. Argument. *l. oratio ff. de sponf.* ajunt Sanch. *loc. cit. num. 3. & 5.* Laym. *ad cit. cap. fin. in fine.* Pirh. *num. 30.* De cætero plura de matrimonio contrahendo per procuratorem, & inter ea etiam hoc quod fuse hic disputat Wiestner. *a nu. 30.* cum valeat matrimonium celebratum per procuratorem dum interea principalis seu constituens incidit in amentiam, enucleanda reservantur *ad l. 4. decret.*

QUÆSTIO MII.

An & qualiter, in re beneficiaria, puta circa præsentandum, eligendum, acceptandum beneficium, resignandum & ad similia intervenire possit procurator?

RESpond. De hoc fuse a me actum in foro benefic. ac proinde videri de hoc posse fusos indices tam 2. quam 3. partis.

QUÆSTIO MIII.

Mandatum procuratorium quid & quæ ejus forma?

1. RESp. ad primum. Mandatum procuratorium est illud, quo quis ad aliena negotia tractanda per eorundem dominum legitime constituitur *l. 1. ff. h. t.*

2. Resp. ad secundum. Primo ad formam illius spectat, quod tria in eo contineri & exprimi debeant juxta *l. procuratorem ff. hoc tit.* nempe primo nomen constituentis & constituti, sive de cætero constitutus in eo procurator, sive Syndicus, sive actor, sive œconomus, modo de intentione constituentis constet *cap. petitio hoc tit.* Secundo mentio causæ commissæ in genere vel in specie, & num ad agendum vel defendendum. Tertio, quod constituens ratum habere velit, quod per procuratorem actum fuerit. Insuper ad exactam formam mandati ad lites spectat, ut in eo exprimatur, quo anno, mense, die, in cujus Notarii & testium præsentia constitutus, ut ex speculatore Reiffenstuel. *h. 1. num. 73.* Quamvis, ut addit, hæc posteriora non ita necessario ac tria priora requirantur. In summa, quo ad formam hujus mandati observandus est stylus cujusque curiæ, ubi procurator constituendus. Pirh. *hoc tit. num. 53.* cum Durand. *in specul. l. 1. partic. 3. tit. de procurat. §. 3. ratione formæ.*

3. Resp. ad secundum secundo; in specie mandatum procuratorium datum a Prælato (intellige in rebus arduis & gravibus, quæ non possunt expediri sine consilio & consensu Capituli) pro forma requiritur subscriptio Capituli. Argum. *c. 1. hoc tit. in fine & ibidem* Imol. *num. 2.* Pirh. *hoc tit. num. 50.* quamvis ex Hostiens. *in cit. c. 1. v. jure* subsistit. Addat, quod regulariter nec de jure nec de consuetudine tanta solennitas requiratur ad facienda mandata procuratoria, sed sufficiat, quod per manum publicam Notarii fiant, vel sigillo authentico sint firmata *citato vero c. 1.* contineri casum specialem, in quo Papa requisivit subscriptionem capitularium. Requiri quoque subscriptionem testium, ut subsistat mandatum procuratorium, ait Pirh. *l. c.* quales tamen esse nequeunt capitulares, si authoritatem & consensum præstent gerendis a procuratore; cum quis nequeat esse testis in actu, cui authoritatem præstat. Secus tamen esse, si adhiberentur tantum, ut tanquam testes fidem facerent instrumento, ut Innoc. *in cit. c. 1. v. presbyterorum.*

QUÆSTIO MIV.

An & qualiter mandatum hoc probandum, ut procurator admitti possit?

1. RESp. primo: hoc mandatum regulariter non præsumitur, sed est ab allegante probandum. Mascard. *de probat. concl. 1008 a num. 8.* Pirh. *hoc tit. nu. 53.* Est enim quid facti, utpote dependens ex animo constituentis; facta autem non præsumuntur *cap. 1. de const. in 6. l. 1. c. de probat.* Tusch. *lit. F. concl. 10. num. 1.* Barbos. *axiom. 93. a num. 27.* cum commun. Adeoque procurator probare debet se esse talem *l. actor. C. de probat.* Alioquin nihil operatur actus ab eo gestus vigore mandati asserti non probati. Argum. *c. cum in jure de off. deleg.* quin etiam, si mandatum probare nequit, teneri illum ad expensas damna & interesse alterius partis, utpote quam injuste vexavit, ex Alex. *cons. 136. num. 1. vol. 6.* citante alios habet Reiffenst. *h. t. num. 76.* & poniri illum insuper posse pœna falsi, ex Mascard. *l. c. n. 2.* referente, sic decisum a Rota *decis. 12. de procur. in antiq.*

2. Resp. secundo optima illius probandi ratio est exhibere instrumentum illius, & hinc mandatum communiter in scriptis dari solet. Nihilominus tamen etiam probari potest per

per testes. Gloss. *in c. 1. h. t. v. portitoribus*. Abb: *ibidem n. 5.* Jason. *in L. cautio C. eodem n. 6. & seq.* Pirh. *h. t. num.* 53. parem enim vim probandi habent testes & instrumentum *c. cum Joannes de fide instrum. L. in exercendis C. eodem*. Probari quoque potest, saltem præsumptive productione instrumentorum & jurium subservientium causæ, si ea alicui tradita fuerunt a domino, quippe quorum traditione, ut dictum supra, censetur constitutus procurator. Argum. *cap. coram §. 1. de off. deleg.* Bald. *ibid. nu.* 2. Pelin. *num.* 9. Gail. *l. 1. observ.* 133. *nu.* 4. Mascard. *concl.* 1021. *num.* 1. & 3. qui tamen *a n. 5.* idipsum sic limitat, ut locum non habeat in persona domestica, vel alia, quæ non fuit solita procurare; cum ea præsumatur habere instrumenta apud se potius custodiæ causa, quam intuitu mandati. Porro cum ex eo, quod dominus scivit & passus sit, aliquem suo nomine agere, inducatur præsumptive mandatum procuratorium. *L. qui patitur ff. mandati*. Innoc. *in c. in Genesi de elect.* Jo. And. *in cap. qui ad agend. de procuratorib. in 6. num.* 1. Abb. *cons.* 7. *num.* 4. *vol.* 2. juxta dicta a nobis supra, ubi hæc scientia & patientia probatur, videri quoque satis probari mandatum.

QUÆSTIO MV.

An & qualiter procurator egeat mandato?

1. RResp. primo: procurator nisi instructus sit mandato sui principalis, & de hoc fidem faciat, non admittitur in judicio ad agendum; idque, etiamsi cautionem præstet, dominum gesta a se rata habiturum *cap. alia hoc tit. l. 1. & L. licet C. hoc tit.* Barbos. *in cit. cap.* 1. & alii passim. Cum, si careat mandato, dominus seu principalis non teneatur ex eo, quod contra ipsum actum & conclusum in judicio *cit. L. licet*. Quin potius ipse procurator conveniri debeat. *L. Plautius §. falsus ff. hoc tit.* juncta Gloss. *vers. in casu*. Et nisi de tali mandato constaret, posset principalis succumbens protestari & negare, talem a se constitutum procuratorem ac ita processum eludere. Dixi *ad agendum*; quia quilibet potest suscipere defensionem rei, etiam absque mandato & invito actore, modo satisdet de judicato solvendo, & legitimam personam standi in judicio habeat. *L. Pomponius l. is cui l. Titius ff. hoc tit. L. exigendi C. hoc tit.* & *ibi* Gloss. *v. potest*, cum intersit absentes omnes, etiam ignorantes defendi per quemcunque. *L. servum §. publice ff. hoc tit.* & ne ignorantes damnum patiantur, nemine eos defendente; & naturali rationi consentaneum sit, alterius etiam ignorantis conditionem per alium fieri meliorem. *L. solvendo ff. de negot. gestor.*

2. Limitanda præterea responsio primo, nimirum ut personæ conjunctæ, etiam ad agendum in judicio pro personis sibi conjunctis sine mandato (exceptis tamen iis casibus, in quibus speciale mandatum requiritur. Gloss. in *L. exigendi Cod. hoc tit. v. non cogitur*. Pirh. *hoc tit. num.* 49. Wiestner. *nu.* 49. citans Brunneman.) admittantur. *L. sed & ea persona ff. h. t.* modo non appareat de contraria voluntate principalis; cessaret enim tunc præsumptio mandati, quæ fundatur in illa conjunctione & affectione (quæ facit, ut mandatum nulli promptius credatur. Faber. *in citat. L. sed & §. fin.*) dum de contraria voluntate Domini constat. Item modo præstent cautionem de rato, seu principalem ratum habiturum, quidquid ab iis nomine illius gerendum. *L. Pomponius ff. hoc tit.* Pirh. *hoc tit. num.* 48. Tales autem personæ conjunctæ sunt liberi (licet sint in potestate) parentes, fratres, sorores, affines & liberti *cit. l. sed & ea*. Imo omnes conjuncti, etiam in linea transversali usque ad quartum gradum. Hostiens. *in summ. hoc tit. numer.* 13. cum prædictæ personæ exempli tantum gratia sint enunciatæ. Abb. *in capit. nonnulli de rescript. num.* 50. vel potius, ut Pirh. *cit. num.* 48. cum Laym. *in cit. cap. nonnulli §. sunt & alii num.* 5. dicendum, pertinere ad Judicem arbitrari, quæ persona ita sanguine vel amicitia alteri conjuncta videri debeat, ut citra omnis fraudis suspicionem admitti possit ad agendum sine mandato; cum *in citat. l. sed &* consideretur affectio conjunctorum. Sic etiam in specie maritus sine mandato uxoris agere potest tanquam ejus Procurator. Argument. *cap. constitutus hoc tit.* juncta Gloss. *v. uxoris nomine*. Pirh. *loc. cit.* non quidem pro bonis dotalibus v. g. dum uxor ei in dotem dedit instrumenta debitorum suorum) cum horum veluti Dominus ex juris dispositione, stante matrimonio, in iis agat nomine proprio *l. 2. Cod. de act. & oblig.* Sed pro paraphernalibus, non tantum apud eum existentibus, & quorum administratio ei commissa ab uxore. Argum. *L. fin. Cod. de pact. convent.* & *ibi* DD. idque etiam sine cautione ratihabitionis præstandæ ab uxore. Dum enim *in citata L. final.* habetur, quod uxor tradendo marito instrumen-

ta debitorum paraphernalium, censeatur ei relinquere administrationem & constituere eum Procuratorem ad agendum circa ea suo nomine sine ratihabitione, multo magis id dicendum, dum ipsa quoque bona paraphernalia ei tradit administranda. Verum etiam pro bonis paraphernalibus penes uxorem existentibus, & administrationi mariti non commissis ita cum Gloss. *in cit. l. sed & v. liberti*. Pirh. *loc. cit.* modo tamen ut idem in hoc casu caveat de rato. De cætero ubi maritus mandatum (intellige expressum) accepit ab uxore, agere non potest, nisi quantum & quatenus in eo continetur. *L. maritus C. hoc tit.* Gloss. *ibid.* uti & *in c. constitutus vers. uxoris nomine*.

3. Limitanda responsio secundo: ut etiam sine mandato in judicio agere possint litis ejusdem consortes pro se invicem, modo caveant de rato ac de solvendo judicatum, si petatur, & absentes non sint inviti. *L. 2. Cod. de consortib. ejusd. litis* & *ibi* DD. Gloss. *in L. sed & v. libertis*.

4. Limitanda tertio; ut Canonici & clerici singuli sine mandato agere possint tanquam Procuratores pro rebus & juribus ecclesiæ suæ, si ea Prælatus perdat aut defendere vel recuperare negligat; cum singulorum intersit, res & jura ecclesiæ suæ salva & illæsa conservari *c. 1. de rest. spoliat. c. cum olim de testib. & attest.* juncta Gloss. *v. per exceptionem* & Abb. *ibid. n. 6.*

QUÆSTIO MVI.

An & qualiter dum constat de mandato, Procurator cavere debeat de ratihabitione præstanda a Domino?

1. REspond. primo: Dum mandatum certum est, quia vel actis insertum, vel quia actor ipse præsens personam Procuratoris confirmavit *§. fin autem Institut. de satisdat.* vel etiam aliter legitime probatum, uti necessaria non est ratihabitio principalis, ita nec cautio de ea præstanda a Procuratore actoris *l. 1. C. hoc tit. L. unic. de satisdando*. Si vero probabiliter dubitetur, an mandatum habeat, an non, ut in judicio proferat mandatum ex parte aliqua mutilum aut insufficiens. V. gr. si sigillum instrumenti incognitum sit, non nisi præstita dicta cautione admittitur *l. 1. Cod. hoc tit. l. non solum §. qui alieno ff. hoc tit.* & Gloss. *ibidem v. debet* idque merito statutum bene dicit Reiffenstuel. *h. t. num.* 84. ne ob solum dubium super mandato Procuratoris, principalibus non raro longe absentibus, lites nimirum protrahantur. Et si Procurator videtur insufficiens ad absolvendum, cautionem fidejussoriam ab eo exigere potest reus. Abb. *in cit. cap. 1. num. 5.* Pirh. *hoc tit. num.* 54. Si denique evidenter constet Procuratorem nullum habere mandatum, eo quod nullum omnino exhibere possit, non admittitur adversario invito, etsi cautionem de satisdando præstare vellet, nisi sit ex personis, quæ sine mandato agere possunt. Gloss. *in cit. cap. 1. vers. portitoribus* & Gloss. *in cap. non solum vers. debet*. Proceduntque hæc ipsa, dum Procurator nude asserens, se habere mandatum, aut constitutum a Domino Procuratorem, & nihil omnino probet, negetque idipsum adversarius; cum per hoc non efficiatur res dubia de mandato, sed absolute censetur & reputetur non habere mandatum; quia præsumptio est contra illum, adeoque neque cum cautione admittendus in tali casu. Abb. *in cit. cap. 1. num.* 3. Bartol. *in l. 1. hoc tit. num.* 12. Pirh. *citat. num.* 54.

2. Resp. secundo: Procurator rei, etsi constet de ejus mandato, non admittitur sine satisdatione, nisi forte Dominus ipse satisdationem præstiterit *§. si vero Inst. de satisdat.* cum, si neque a Domino, neque a Procuratore ejusmodi satisdatio præstaretur, adversario non satis cautum esset de executione. Gl. *in l. non solum v. debet* Wesenbec. *ff. h. t. in 6.* apud Pirh. *c. n.* 54. Satisdatio vero de judicato solvendo tria complectitur, ut dicitur *l. judicatum ff. judicatum solvi* nimirum promissionem seu cautionem de solvendo; eo quod per sententiam condemnabitur, de deferendo causam rei, de dolo malo non committendo. Addit tamen bene Pirh. ex Gregor. Tholos. *Synt. Jur. l. 49. c. 4. num.* 9. hujusmodi cautiones in praxi non solere exigi a Procuratoribus; sed solum ut faciant fidem de mandato Procuratorio.

QUÆSTIO MVII.

An & quomodo seu ad quæ requiratur mandatum Procuratorium speciale.

1. RESp. speciale mandatum requirentes casus & causæ sunt plures enumerati, a Gloss. in c. qui ad agendum h. t. in 6. v. vel pacisci eorum 24. allegat Durand. in specul. tit. de Procurat. §. 1. num. 4. præcipui sunt sequentes. Primo ad causas criminales criminaliter intentatas; cum hæ in nullo mandato generali comprehendantur. Clem. 2. h. t. Wesenbec. ff. h. t. num. 9. Pirh. h. t. num. 60. Wiestner. num. 58. Dixi criminaliter intentatas; dum enim ageretur de crimine civiliter tantum, etiam vi mandati generalis ad negotia constitutus admittitur. Pirh. l. c. cum Gloss. marg. in c. generaliter h. t. in 6. & Franc. ibid. n. 1.

2. Secundo ad contrahendum matrimonium cap. fin. hoc tit. in 6. Sed neque ad contrahendum matrimonium substituere potest alium; quia ob gravitatem negotii electa censetur industria personæ juxta dicta supra. Ad causas tamen matrimoniales tractandas, puta, dum agitur de valore vel nullitate matrimonii, jam contracti sufficere mandatum generale ad causas omnes motas & movendas, cum nullo jure reperiatur cantum contrarium, tenet Sperell. fori ecclesiast. decis. 25. num. 14. citans Rotam decis. 25. de procurator. in novis & Bellamer. decis. 5. num. 6. Lotter. de re benefic. l. 2. quæst. 20. a numer. 129. dicens Rotam semper amplexam hanc sententiam. Reiffenstuel. hoc tit. num. 96. contra Gloss. in cap. qui ad agendum v. vel pacisci hoc tit. in 6. Wiestner. citat. num. 58. & alios apud Sperell.

3. Tertio ad præstandum juramentum calumniæ cap. ult. de jurament. calumn. Clem. 2. hoc tit. Item ad juramentum de veritate dicenda. Argum. cit. Clem. gloss. ibidem v. jurandumque, Imol. ibid. §. 1.

4. Quarto ad deferendum contrariæ parti juramentum decisivum litis; hoc enim ut possit, debet ei esse commissa administratio causæ sub clausula: cum libera, vel habere debet ad hoc speciale mandatum; Franc. in §. procurator cap. qui ad agendum not. 3. Pirh. h. t. num. 66. vel si constituens promittat se ratum habiturum quidquid egerit Procurator; hoc enim æquivalet mandato cum libera Pirh. l. c. c. qui ad agendum §. fin. h. t. in 6. L. jusjurandum quod §. fin. L. jusjurand. & ad ff. de jurejurand.

5. Quinto ad transigendum litis finiendæ gratia. L. mandato ff. h. t. cit. c. qui ad agendum. Secus est de Procuratore in rem suam. Pirh. cit. nu. 66. uti nec pacisci potest de rebus Domini sui sine speciali mandato vel libera potestate administrandi cit. c. qui ad agendum juncta Gl. v. pacisci; multoque minus debitum remittere.

6. Sexto ad donandum, ita etiam, ut Procurator habens liberam & amplissimam potestatem administrandi bona adhuc donare nequeat. L. contra juris §. si filii ff. de pactis. L. Procurator. cui ff. hoc tit. Paris. de resignat. l. 9. quæst. 7. numer. 28. quin etiam potestas donandi non censetur data in datione totius potestatis. Bald. in L. ultim. qui instituit. pacific. num. 29. Unde licet instructus tali mandato cum libera possit permutare, alienare, aliaque omnia agere perinde ac Dominus l. Procurator ff. hoc tit. juncta Gloss. vers. in casu. Adhuc donare liberaliter non poterit capit. 2. de donat. Pirh. hoc tit. numer. 66.

7. Septimo ad ineundum compromissum cap. per tuas de arbitrit juncta Gloss. v. generale mandatum si tamen arbitrium ab utraque parte receptum fuerit, seu ratum haberi cœpit, valet, eo quod tunc vires acceperit ex mutuo partium consensu & approbatione; debetque mandari executioni, & si per Procuratorem instructum mandato generali compromissum cit. c. per tuas.

8. Octavo ad fidejubendum.

9. Nono ad impetrandum rescriptum ad lites, nisi impetrans sit de personis conjunctis c. nonnulli §. sunt & alii c. ex parte de rescript.

10. Decimo ad petendam absolutionem ab ea excommunicatione, dispensationem v. g. super defectu natalium.

11. Undecimo ad petendam restitutionem in integrum Argum. cap. coram falcois de in integr. restitut. Gloss. ibidem v. mandatum. L. illud nullum §. fin. ff. de minor. Abb. in c. coram falicis num. 4. Id tamen intelligendum, si ea petatur per se, & ab ea ordiendo. V. gr. contra contractum, ex quo se quis graviter læsum deprehendit contra sententiam, quæ jam per lapsum decendii transiit in rem judicatam. Secus enim est, dum ea petitur incidenter, sive dum incidit in causam Procuratori generaliter commissam, ut dum petenda super certo solum articulo. V. gr. ad proponendam exceptionem vel probationem ante omissam, ex cujus omissione quis graviter læderetur, vel etiam dum ea petitur in continenti, aut intra decendium. Gl. in cap. suscitata de in integ. rest. v. postulavit. Abb. ibid. nu. 5. cum incidenter multa permittantur alias non permittenda uti etiam ratione incidentiæ ampliatur jurisdictio c. causa de in integ. rest. & L. quoties c. de Jud. ubi Judex potest incidenter cognoscere de causa, de qua principaliter cognoscere nequibat.

12. Duodecimo ad opponendum contra personam electi vel provisi de beneficio crimina vel defectus. V. gr. quod sit homicida, irregularis, illegitimus &c. opponere enim crimina in talem personam est quid gravissimum, utpote ex quo periclitatur fama & status illius, constituensque Procuratorem ad hoc, ubi in probatione deficeret, venit graviter puniendus juxta cap. 1. §. fin. de elect. in 6. quæ rationes, quia locum non habent in personis eligentium vel providentium (quippe si contra illos objiciendo crimen excipiatur, ex ejus probatione non puniuntur sed repelluntur cap. 1. de except.) & quia eorum mentio non fit in Clem. 2. h. t. non tamen etiam necesse est, ut in mandato ad opponendum contra electos &c. exprimantur nominatim crimina seu defectus, sicut requiritur in appellatione. Pirh. h. tit. num. 63. cum Gl. in cit. Clem. v. in mandato & Abb. num. 1. uti nec ad opponendum per Procuratorem contra eos crimen in forma exceptionis, seu ad eos repellendos, requiritur speciale mandatum. Gl. in cit. Clem. v. in persona. Abb. ibid. nu. 2 Imol. §. gl. in personam. Pirh. h. t. n. 63. Reiffenst. n. 94.

13. Decimotertio ad appellandum contra electionem, postulationem, provisionem alicujus capit. Procurator. de elect. in 6.

14. Decimoquarto in re beneficiaria; ad præsentandum ad beneficia. Corrad. pr. benefic. lib. 4. cap. 2. num. 23. vide me in foro benefic. part. 2. quæst. 99. num. 1. Ad acceptandam præsentationem a præsentato. Garc. de benefic. part. 4. cap. 1. numero 21. etiamsi Procurator seu acceptans esset persona conjuncta. V. gr. pater, frater &c. quia in causa spirituali, qualis est hæc, conjuncta persona non admittitur sine speciali mandato. Garc. part. 5. cap. 9. num. 203. vide me loc. citat. quæstion. 122. num. 1. Ad eligendum, in quo casu instructus speciali mandato de certa persona eligenda potest sibi substituere alium, secus si habeat generale mandatum, neque alia forma quam Scrutinii vide me loc. citat. quæst. 267. num. 2. Ad conferenda beneficia, ita ut etiam Vicarius Episcopi instructus alias amplissima potestate id adhuc nequeat sine speciali mandato. Pirh. hoc tit. num. 64. vide me loc. cit. part. 3. quæst. 681. Ad resignandum beneficium, ita ut etiam constitutus cum libera & amplissima potestate adhuc ad hoc sit insufficiens. Castrop. Azor. Paris. & alii plures a me citati loc. cit. part. 3. quæst. 681. Procurator denique pensionarii sine hujus speciali mandato declarare nequit, non solventem pensionem incurrisse pœnas statutas non solventibus pensionem vide me l. c. p. 3. q. 593.

QUÆSTIO MVIII.

Ad quæ se extendant alia mandata procuratoria?

1. RESp. primo; datum ab actore Procuratori mandatum simpliciter ad agendum extendit se quoque ad respondendum & defendendum principalem, si a reo reconveniatur. L. servum §. æquum ff. hoc tit. Gloss. in L. mutus ff. hoc tit. v. denegetur. Abb. in cap. accedens h. t. num. 5. Pirh. h. t. n. 56. Reiffenst. num. 88. Wiestner. num. 52. Procurator siquidem ad agendum non admittitur, nisi promittat defendere Dominum suum in causa reconventionis. L. unica C. de satisdando & si constitutus ad agendum nolit defendere ac respondere pro Domino, potest repelli ab agendo, eique actio denegari. L. mutus §. pœna ff. hoc tit. Gloss. in cap. accedens v. respondendum. Unde recte infertur, concessu mandato ad agendum, hoc ipso in consequentiam concessum quoque mandatum ad defendendum, utpote sine quo nec agere potest. Argum. cap. prudentiam §. fin. de offic. delegat. L. ad rem mobilem ff. hoc tit. Quod si etiam constitutus ad agendum non simpliciter sed expresse ad agendum tantum, ut accidit in cap. constitutis hoc tit. defendere adhuc poterit, non in vi talis mandati, seu ut Procurator, ut Hostiens. in sum. hoc tit. num. 13. Saltem simpliciter ut defensor. Abbas in cap. accedens num. 5. Pirh. hoc tit. num. 58. Reiffenst. Wiestner. LL. cit. eo quod præcise ad defensionem rei non requiratur speciale mandatum, sed possit id quilibet alias idoneus sine mandato, præstita tamen satisdatione seu cautione de solvendo judicatum. L. exigendi C. h. t. Wiestner. loc. cit.

2. Resp.

2. Resp. secundo: Procurator vi mandati generalis ad negotia (non addendo in eo: *judicialia & extrajudicialia*) potest etiam agere & defendere in judicio, exceptis casibus, in quibus requiritur mandatum speciale *c. qui generaliter h. t. in 6.* & *ibi* Gl. & DD. communiter; siquidem ex una parte verbum *negotia* in propria, etsi lata, significatione, complectitur negotia tam judicialia quam extrajudicialia; ex altera parte verba generalia generaliter sunt intelligenda. Pirh. *nu. 5. h. t.* Reiffenst. *n.* 86. juxta *c. forus de V. S.* ubi: *negotium multa significat, modo actionem causæ, quod est jurgium litis* &c. Constitutus tamen Procurator ad negotia stricte accipiendo hoc nomen pro specie distincta a judicio, seu negotiis extrajudicialibus, intelligitur constitutus tantum ad extrajudicialia. Pirh. *l. c.* uti e contra datus expresse ad negotia judicialia seu ad lites & causas prosequendas non censetur datus ad negotia extrajudicialia; quia sunt species distinctæ negotiorum, quarum una non comprehenditur nomine alterius. Franc. *in c. qui generaliter n. 1.* Pirh. *l. c.* Wiestn. *n.* 54. Reiffenst. *h. t. n.* 87. mandatum autem procuratorium ad unam speciem extendi non debet ad alteram *l. si Procurator C. h. t.*

3. Resp. tertio: mandatum ad judicia seu lites extendere se ad lites non tantum præsentes, sed & futuras, tenent Durand. *in specul. tit. de procurator. §. ratione formæ n. 9.* & Wesenbec. *ff. h. t. n. 9.* apud Pirh. *h. t. n.* 60. eo quod propositio indefinita in materia non odiosa æquivaleat universali. Arg. *c. quia circa de privileg.* Secus in rescriptis ad lites, utpote odiosis, adeoque strictæ interpretationis *c. ult. de rescrip.* Contrarium, nempe procuratorem in dubio videri datum tantum ad lites præsentes tenentibus cum Gl. *in l. omnium ff. h. t. n. non dantur* Imol. *in c. pen. h. t. n.* 14. Franc. *in c. qui ad agendum h. t. in 6. n.* 3. eo quod cederet in grave præjudicium Procuratoris, si vi mandati generalis ad lites obligatus esset etiam ad causas futuras. Franco tamen idipsum limitante, nisi causæ futuræ orirentur ex præteritis, vel nisi tempore, quo constitutus Procurator principalis nullas haberet lites; quia tunc necessario intelligendum de futuris.

4. Resp. quarto: mandatum ad prosequendum judicium petitorium extendi ad exercenda judicia præparatoria & possessoria; quod dum aliquid mandatur, omnia mandari censeantur, sine quibus id, quod mandatum est, expediri nequit juxta *l. 2. ff. de jurisd. omn. Jud.* habet Pirh. *cit. num.* 60. citato Wesenbec. *ubi ante*.

5. Respond. quinto: mandatum generale ad omnia, etiam ea, quæ speciale mandatum requirunt, adhuc se non extendit ad ea, quæ speciale mandatum requirunt, ut expresse dicitur *cap. qui ad agendum hoc tit. in 6.* & sic *L. non solum §. fin. & L. Pomponius §. 1. ff. hoc tit.* prohibetur expresse Procurator ea agere, quæ speciale mandatum requirunt, *nisi nominatim ei mandatum sit*. Nominatim autem exprimi censetur, quod nomine proprio vel circumlocutione tali, quæ vim habet nominis proprii, designatur. Argum. *cap. licet ex quadam §. sestet de testibus. L. ubi autem §. 1. ff. de V. O.* Limitatur tamen responsio in ipso textu *cit. cap. ad agendum*: nisi in eo aliqua, quæ speciale mandatum requirunt, sint nominatim expressa; tunc enim ad iis similia vel minora, etiamsi ea expressa non sint, extenditur mandatum, non tamen ad iis majora seu graviora. *Clem. 2. hoc tit. cap. sedes de rescript.* Sic v. gr. quia juxta *c. ult. de juram. calum. in 6.* & dicta supra gravior est potestas opponendi crimen, quam potestas jurandi de calumnia in animam Domini, mandatum generale faciendi omnia, etiam quæ speciale mandatum requirunt, & nominatim ad jurandum de calumnia, non extenditur ad opponendum de crimine. Sed & sublimitatur responsio, ita ut ad hoc, ut tale mandatum omnia, etiam quæ speciale mandatum requirunt, exprimens nominatim aliqua requirentia speciale mandatum, extendat se ad similia vel minora istis nominatim expressis, requiratur, ut illa nominatim expressa exprimantur per modum permissionis, non vero per modum exceptionis; quia exceptio non auget, sed diminuit illud, cui opponitur. Sic v. g. procurator generaliter constitutus ad faciendum omnia, excepto, quod transigere possit, non potest facere similia transactioni. Pirh. *h. t. n.* 64. cum Gl. *in cit. c. qui ad agendum §. Sed si aliquis h. t. in* 6. His non obstante, quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptis; non enim ex hoc sequitur, quod non excepta comprehendantur in regula, in qua secundum se non continentur, sicut in mandato generali non comprehenduntur requirentia speciale mandatum. Franc. in *cit. §. sed si quis num.* 1. Pirh. *cit. n.* 64.

QUÆSTIO MIX.

Quinam sint effectus mandati procuratorii?

Respond. Præcipui sunt sequentes. Primus: quod ratum sit, quod vi mandati geritur a procuratore; cum factum procuratoris vi mandati censeatur factum domini juxta *Regul. 72. Jur. in 6. qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum*. Atque ita, si procurator fines mandati recte custodierit, seu juxta illud processerit, factum illius nocet aut prodest domino; si autem extra fines mandati quid egerit, non præjudicat. *L. si procurator. C. h. t.* cum excedens fines mandati censeatur facere aliud quid, quam ipsi injunctum. *L. diligenter ff. mandati*. Alter est, quod fiat dominus litis. Tertius effectus est potestas appellandi. Quartus potestas substituendi sibi alium. Quintus, quod pariatur duplex actio, nimirum actio mandati directa, & actio mandati contraria, de quorum effectuum singulis particulatim in sequentibus.

QUÆSTIO MX.

An, quando & qualiter procurator efficiatur dominus litis?

Respond. Per contestationem litis, dum nimirum procurator ipsemet agit, concipiendo verba in suam personam, & non ut nudus minister sui principalis intervenit, fit dominus litis, *cap. 1. §. licet hoc tit. in 6. l. 5. C. de sentent. & interlocutor.* per contestationem enim litis partes veluti inter se contractum ineunt sibique mutuo obligantur. Argum. *L. licet Prætor. §. idem scribit. ff. de peculio*. Atque ita, dum dicto modo agit & contrahit, actiones & obligationes sibi acquirit, quas dein, uti & omne commodum litis, finito per sententiam definitivam officio, principali suo cedere debet. Argum. *l. in causa §. si ex parte ff. hoc tit.* Molin. *de Just. & Jur. Tom. 2. disp.* 551. Laym. *in cit. cap. 1 §. licet hoc tit. in 6.* Wiestner. *hoc tit. num.* 60. Item citationes omnes ad ipsum, & non ad principalem illius dirigendæ; quin & verba sententiæ condemnatoriæ concipienda in personam procuratoris præsentis *l. 1. Cod. de sentent. & interlocut.* modo tamen verba sententiæ quadrent in procuratorem; multæ siquidem sententiæ non patiuntur tenorem & verba sua referri ad procuratorem, & tunc verba earum concipi in personam domini absentis necesse est. Abb. *in cap. querelam de elect. numer.* 50. Butrio *ibidem num.* 45. Bartol. *in cit. l. 1. num.* 5. Sic contingit in causis matrimonialibus, ubi sententia condemnatoria ad ducendam uxorem, reddendum ei debitum, ferri in procuratorem nequit. Item in causis spiritualibus *citat. cap. querelam* v. gr. beneficialibus, dum beneficiatus per sententiam privatur beneficio, hæc non convenit procuratori, quippe qui laicus in eo titulum non habet. Item in criminalibus, ubi venit infligenda pœna relegationis, aliave afflictiva corporis. Item in causis ecclesiarum, monasteriorum, communitatum, pupillorum, sententia contra ipsam Ecclesiam, monasterium &c. ferri potest. Wiestner. *num.* 61. citato Bartol. *ubi ante*. Uti etiam in ipsum dominum ferri debet ubi is in principio litis præsens hanc ipse contestatus est. Wiestner *loc. cit.* cum Gloss. *in cit. l. 1. v. non fuit*. Atque hæc de rigore Juris Civilis ita observanda, ut sententia dicatur ipso jure nulla, quæ lata est in personam domini, qui nunquam in jure præsens fuit. Jus vero canonicum parum de illa solennitate Juris Civilis curat, ut ait Gloss. *in cap. suscitata de in integr. rest. v. monasterium*. Abb. *in c. querelam num.* 2. dum secundum Canones, etiam in causis civilibus quandoque fertur in personam procuratoris, ut *in cit. c. querelam c. constitutus de religios. domib.* quandoque in personam domini, ut *cit. cap.* suscitata *cap. licet causam de probat.* ita ut in foro ecclesiastico sententiæ, sive in dominum, sive in procuratorem conceptæ ratæ habeantur teste Tusch. *v. sententia conclus.* 236. *a num.* 27. Wiestner. *num.* 61. Quin & apud eundem Gail. *l. 1. observ.* 111. *num.* 2. in Camera Imperiali, in qua lites omnes per procuratores agitantur, ex ordinationis præscripto sententiæ omnes, exceptis causis injuriarum ad evitandam infamiam, feruntur in dominum.

QUÆSTIO MXI.

An & qualiter ad officium procuratoris spectet appellare?

1. RESp. primo: ad officium procuratoris ad lites constituti spectat appellare, ita ut a sententia contra ipsum lata, non tantum possit, sed & debeat appellare, si ita expedire ipsi videatur; vel si justa causa impediatur. V. gr. infirmitate, paupertate, mètu &c. saltem domino mature denunciare debet (coram testibus. *L. si procuratorem §. quod & actionem ff. mandati*) ut ipse appellet, si velit, ita statuitur *cap. non injuste §. potuit hoc tit.* eo quod hoc ipsum tacite ei injunctum censeatur, ne, si sententia transeat in rem judicatam, causa amissa a domino ipsi imputetur, Abb. *in citat. cap. non injuste num.* 13. Pirh. *hoc tit. num.* 67. Et sic in specie appellare potest procurator generalis, si inducias sibi concedi petat ad consulendum super re aliqua principalem ex justa causa absentem, pro ut habetur in *cap. dilectus hoc tit.* In quo vero casu dictæ induciæ ei concedendæ non sint, & consequenter ab iis negatis appellare nequeat, vide apud Pirh. *hoc tit. num.* 70. De cætero non tenetur procurator prosequi appellationem a sententia definitiva; eo quod, cum causa appellationis agitetur in alio loco, sit aliud judicium, procurator non censeatur se obligasse ad eam, finita prima instantia prosequendam. Pirh. *loc. cit.* cum Abb. *loc. cit. num* 5. obligatur tamen ad eam prosequendam, si constitutus ad agendum, defendendum, appellandum. Pith. *hoc tit. num.* 68. in fine citans Barbos. *in cit. cap. non injuste num.* 9. Item si generaliter constitutus ad omnes causas & lites, quia causa appellationis est judicialis: iidem *loc. cit.* Item, etiamsi non constitutus generaliter ad omnes causas, sed ad hanc solam causam, tenetur adhuc prosequi sententiam interlocutoriam; quia censetur idem negotium cum causa principali, modo causa agitanda sit in eadem civitate vel loco, & non alio remoto. Abb. *loc. citat. in fine*. Pirh. *num.* 68. citans insuper Camill. Borell. *in summ. decision. tit. 66. de procurator. a numer.* 338.

QUÆSTIO MXII.

An & qualiter ad officium procuratoris spectet sibi substituere alium?

RESpond. Procurator ad negotia datus potest libere, quandocunque vult, substituere alium. Datus etiam ad lites, dum contestatio litis non est necessaria, adeoque procurator fit dominus litis, quamprimum tractari cœptum de meritis causæ & negotium principale discutitur, ut Franc. *in cit. §. licet num.* 1. Barbos. *ibidem num.* 7. Pirh. *num.* 72. substituere quoque potest alium. Datus tamen ad lites, ubi opus est contestatione litis, ante eandem non potest sibi substituere alium, nisi datus sit procurator in rem suam, vel nisi a domino (etsi nulla persona certa illi expressa) potestatem habeat substituendi *c. non indiscrete §. licet & §. procurator. hoc tit. in* 6. Post contestatam vero litem (nisi forte expresse prohibitus, vel constitutus tantum usque ad contestationem litis a se factam, adeoque ultra procedere nequiret Gloss. *in cit. §. licet v. procurator.* Franc. *ibidem num.* 6. Pirh. *num.* 73.) substituere sibi potest alium; quia jam factus dominus litis *L. quod quis. L. aeque L. nulla C. hoc tit.* & quamvis idipsum negent aliqui cum Gloss. *in cit. cap. non indiscrete v. ab alio* dum dominus ipse contestatus est litem; admittunt tamen illud alii apud Pirh. *hoc tit. num.* 72 eo quod procurator, etiam prius post litem a domino contestatam datus per subsequentem processum in causa fiat dominus litis; cum ferenda in eum sit sententia, ut Gloss. *in L. nihil C. hoc tit.* juncta: Gloss. marg. Sed quidquid sit de hoc, etiam post contestatam a se litem, licet jam factus sit dominus litis in causa principali, adeoque substituere possit alium ad appellandum. *L. ab executore §. fin. ff. de appellat.* sicut poterat ipse appellare. *L. invitus C. hoc tit.* non tamen potest substituere alium ad causam appellationis prosequendam; quia sunt diversæ instantiæ. Pirh. *num.* 73. cum Franco *ubi ante num.* 5. Uti etiam procurator generalis alium cum simili potestate substituere nequit; sed solum ei unam alteramve particularem committere *l. 1. §. magistrum ff. de exercit. action.* & Bartol. *ibidem* Pirh. *hoc tit. num.* 76. Porro, dum ex speciali mandato & facultate a domino accepta substituit alium, & substituens moritur, antequam substitutus acceptat mandatum, potest substitutus prosequi causam per ipsum substituentem inchoatam, quia censetur ab ipso principali constitutus. Si vero ex legis dispositione sit substitutus, ut dum procurator post litis contestationem substituit, tunc mortuo substituente, re adhuc integra expirat mandatum substituti, cum tunc substituens sit instar principalis mandantis, habens a lege potestatem substituendi, mandatum autem re integra exspirat morte mandantis. Pirh. *nu.* 77. cum Franc. *in cit. §. licet num.* 6.

QUÆSTIO MXIII.

Quid sit actio mandati directa, & ad quæ ea competat domino?

RESp. Competit hæc actio domino seu mandanti adversus procuratorem seu mandatarium suum ad tria sequentia. Imprimis, ut is gesto, quod mandatum ei fuerat, negotio, aut lite producta ad finem, reddere debeat domino rationem omnium, quæ gessit; dein eidem restituere, quidquid ex lite consecutus fuit, sive juste, hoc est, debitum occasione negotii plausibiliter & bene gesti, sive injuste, hoc est, indebitum, quod per errorem aut injuriam Judicis est consecutus, prout de his duobus textus est in *l. qui proprio §. procurator. ff. hoc tit.* Ac denique ut domino obligatus maneat ad compensandum omne damnum & interesse, quod per dolum, culpam aut negligentiam illius domino illatum fuit. *L. si procurator l. licet in popularibus C. hoc tit. L. procuratorem L. a procuratore C. mandati* quo posteriore loco, cum dicatur, *a procuratore dolum & omnem culpam, non etiam improvisum casum præstandum esse*; volunt quidam cum Gloss. *ibidem v. & omnem culpam* intelligendum etiam de levissima culpa, quia etiam hæc est aliqua culpa, & quia procurator tacite promisit industriam suam, ob quam solam eligitur, ut Cynus & Dynus *in additione ad citat. glossam.* Pirh. *hoc tit num.* 64. Reiffenstuel. *num.* 112. Et licet domino juxta dicenda, paulu post noceat quandoque culpa & negligentia procuratoris, ita ut is, non obstante hac culpa sui procuratoris, legitime condemnetur, per hoc tamen non negatur, quo minus domino competat & maneat actio mandati contra procuratorem ad recuperanda damna & interesse ob dictam negligentiam sibi causata *L. si procuratorem §. si tutores ff. mandati.* Abb. *in cap. 1. ut lite non contestata num.* 22. Pir. *loc. cit.* Quod si vero procurator non sit solvendu, concedenda est domino petenti restitutio in integrum contra adversarium. Argum. *L. eleganter §. penult. ff. de dolo.* Gloss. *in cap. 5. de integr. restitut.* Abb. *in cit. cap.* 5. *num.* 16. Gail. *l. 1. observ.* 45. *num.* 6. Pirh. *l. c.* Wiesln. *hoc tit. num.* 68. Quin etiam, ut Gail. *l. c. num.* 7. Felin. *in cit. cap.* 1. Pirh. *l. c.* si procurator per negligentiam non appellet, & non sit solvendo, non currit domino tempus decendii; nisi a tempore latæ sententiæ.

QUÆSTIO MXIV.

Quandonam igitur noceat & præjudicet domino dolus, culpa & factum procuratoris?

1. RESp. primo: Procuratoris generalis seu habentis mandatum generale rerum omnium, dolus, negligentia, factum nocet & præjudicat domino. *L. procuratoris ff. de tributor. action.* juncta Gloss. *ibidem v. procuratoris.* Abb. *in c. 5. ut lite contest. nu.* 16. sibi enim imputare debet dominus, quod negligentem & dolosum procuratorem constituerit, juxta *l. cum mandato ff. de minor.*

2. Resp. secundo: Procurator quoque specialis si fines mandati implevit, nihil omittendu, quod in eo illi mandatum, & non excessit, nihil agendo, quod in eo non mandatum, eatenus præjudicat domino, ut patet; quia egit & omisit omnia ea voluntate sui principalis.

3. Resp. tertio: Si mandatum non implevit omittendo aliquid, quod ipsi mandatum, quodque alias ipse dominus ex mandato Judicis vel legis præscripto facere debuisset, imputatur illa omissio & præjudicat domino; quia is obligatus erat id facere per se vel per alium, & in effectu non fecit. Pirh. *hoc tit. num.* 78. citans Bartol. *in L. unic. §. si procurator. ff. si quis jus dicenti non obtemp. num.* 1. & Abb. *in cap. 1. ut lite non contest. num.* 17. excusat tamen, quo minus omissio imputetur domino, impedimentum moraliter inevitabile procuratori fortuito obveniens. Argum. *c. cum a matribus c. qui petunt tutor.* Bartol. *loc. cit.* Felin. *in cit. cap.* 1. Abb. *ibidem num.* 5.

4. Respond. quarto: Si etiam omisit aliquid in mandato non expressum, ad quod ipse procurator, & non dominus ex Judi-

Judicis, vel Legis præscripto, vel etiam vi Mandati, etsi illud ipsum in Mandato non expressum, obligatus. V. gr. omisit intra præfixum terminum peremptorium comparere, exceptionem domino competentem opponere, testes aliasque probationes adducere, appellare intra decem dies a sententia, ac propterea ea transiit in rem judicatam, ut dominus postea volens appellare non admittatur, præjudicatur & nocetur per hoc domino, qui sibi, ut dictum paulo ante, adscribere debet, quod negligentem & imperitum procuratorem constituerit. Bartol. *loc. cit.* Abb. *loc. cit. num.* 19. & 20. Pirh. *num.* 80. Quod si tamen procurator malitiose tale quid omisit, etsi præjudicet domino, succurritur tamen illi. Iidem LL. *cit.* quamvis negligentia talis sit, quæ cadat in delictum, vel pœnam mereatur (exemplum habetur *in cit. l.* 1. *ut lite non contest.* procurator ad judicia constitutus a domino jussus contestari litem, id contumaciter recuset) & agatur de re magni momenti seu præjudicii. V. gr. de mulctæ impositione, omissio illa non nocet domino, & is non venit puniendus, sed procurator. *L. unic. §. si procurator, ff. si quis jus*. Bartol. *ibid. num.* 1. Abb. *loc. cit. num.* 18. Pirh. *num.* 79. nisi tamen dominus sciat & toleret talem contumacem negligentiam procuratoris, *cit. cap.* 1. *in fine*. Vel res sit exigui momenti, ita ut tunc etiam domino ignoranti omissio vel contumacia procuratoris obesse possit. Bartol. *loc. cit.* Abb. *loc. cit. num.* 18. & 19. Pirh. *num.* 79. juxta *c. cum qui, hoc tit.*

5. Resp. quinto: Si procurator excessit limites mandati, positive faciendo aliquid præter vel contra illud, quod in mandato tacite vel expresse contentum est. V. g. dum mandatum habet ad proponendas exceptiones dilatorias, ipse autem proponit peremptorias. Dum constitutus ad eligendum eligit indignum non nominatum sibi a domino, id inquam non præjudicat domino (intellige, quo ad extrinseca seu non concernentia processum judicialem, ut puta quo ad pœnam seu impositionem mulctæ, ita ut dominus ob culpam & contumaciam a procuratore commissam puniendus non sit, quod voluit textus ille. *L. unica, §. si procurator Juris jus dicenti non obtemperaverit, hoc edicto ipse punitur, non dominus*: similesque, & non quod noceat domino quo ad intrinseca, seu quæ respiciunt processum judicii. Abb. *loc. cit. num.* 16. Bartol. &c.) nisi is illud ratum habuerit tacite vel expresse. *L. si procurator. C. h. t.* ubi: *si procurator ad unam speciem constitutus officium mandati egressus est, id, quod gessit, nullum domino præjudicium facere potuit*. Tusch. *vers. mandatum, conclus.* 39. *num.* 11. Brunneman. *in cit. L. si procurator, num.* 1. apud Wiestner. *h. t. num.* 67. Pirh. *num.* 81. citans Bartol. *in l.* 1. *§. si procurator. ff. si quis in jus, nu.* 5. Abb. *in cit. cap.* 1. *num.* 23. Felin. *ibid. num.* 8. & 12. Addit tamen ibidem Pirh. ex Felin. *loc. cit. num.* 10. teneri nihilominus principalem ad pœnam conventionalem, in quam ejus procurator injustus consensit. V. gr. dum Legatus missus ad componendam pacem consentit in pœnam statutam patti transgredienti fœdera pacis. Quod si vero dominus contumaciam sui procuratoris, sive ea consistat in omittendo, sive in faciendo, ratam habuerit, aut sciens eam non purgaverit, posse excommunicari juxta *cit. cap.* 1. *ut lite non contestata, §. fin.* habet Reiffenstuel. *h. t. num.* 123.

6. Resp. sexto: In specie impetratio suspecti Judicis per procuratorem facta ita præjudicat domino, ut hic eum amplius revocare nequeat. Argum. *c. cum olim, de caus. possess. & propriet.* Item confessio procuratoris facta in judicio, *c. suborta, de sentent. & re judicat.* Gloss. *ibid. vers. per confessionem*. Pirh. *h. t. num.* 82. Reiffenst. *num.* 125. eo quod ex necessitate officii respondere debeat ad exhibitas positiones partis adversæ, adeoque ad hoc speciale vel generale mandatum habere censeatur, ut Pirh. Quod si autem ea confessio fiat, seu procurator intentionem actoris fateatur ultronee citra necessitatem (qualiter ea fieri censetur, ubi fit ante contestationem litis sub ipsum ingressum in judicium, sive post oblatum libellum, ut Pirh. *num.* 82.) non præjudicat domino, quia talis confessio censetur potius prodigalitas, donatio ac renunciatio juris, quæ sine speciali mandato non competit procuratori. Argum. *L. certum, §. sed an. ff. de confessis*. Abb. *in cit. cap. ut lite contestat. num.* 29. uti etiam dicta confessio non nocet domino, ubi dominus, uti potest, revocat probando procuratoris errorem sive facti, sive juris. Arg. *c. fin. de confessis*, Abb. *l. c. num.* 31. Pirh. Reiffenst. *LL. cit.*

QUÆSTIO MXV.

Quid sit actio mandati contraria, & ad quæ ea competat procuratori?

RESp. Actio hæc competit procuratori contra dominum ad repetendas omnes expensas, quas occasione mandati sibi commissi, & cujus fines non excessit, bona fide fecit, quamvis in constitutione sui de iis nihil sit actum. *L. qui proprio, §. item contra, ff. hoc tit. cap. cum pro causa, hoc tit.* Proceditque idipsum, etiamsi in lite succubuerit, aut aliud negotium ab eo ex commissione gestum inutiliter, seu bonum exitum non habuerit, citra tamen ejus culpam. *L. etiam. Cod. mandati. L. qui mutuum, §. fin. ff. eod.* Abb. *in cit. c. cum pro causa, vers. propter hoc*, eo quod ad tales expensas dominus constituendo procuratorem se obligasse censeatur; cum bona fides contractus mandati exigat, ut procurator ex procuratione sua damno nullo afficiatur. *L. si vero. L. si quis ff. mandati*, & officium suum (intellige, potissimum ex rogatu alterius susceptum) nemini debeat esse damnosum juxta *L. sed si ff. testam. quemadmodum aperiat.* Nihilominus expensas culpa procuratoris factas is repetere nequit, *cit. L. etiamsi*, uti nec mulctam, quam ex suo delicto incursam solvit, recuperare debet, *cit. L. qui proprio, §. item contra*. Quod si autem absentis negotium ultronee suscepit sine mandato, & gessit utiliter, dum illud geri pro domino in principio secundum communem hominum æstimationem consultum erat, adhuc repetere potest impensas factas, etiamsi negotium præter exspectationem optatum exitum non habuerit. *L. si quis. L. sed ultro, ff. de negot. gest.* Eas tamen repetere in hoc casu nequit, ubi illius pertractationem suscipi necessarium aut utile Domino non fuit. Wiestner. *hoc tit. num.* 66. cum Gloss. *fin. in cit. cap. cum pro causa*, cum negotiorum gestor sibi imputare debeat, quod administrationi tali improvide & ultronee se immiscuerit. *L. sed an ultro, ff. de negot. gestor.* Porro procedunt hæc ipsa de repetendis expensis non tantum in Procuratore extraneo, sed & in Prælato & Rectore ecclesiæ, qui & ipse repetere potest expensas, quas in mandati seu negotii sibi commissi executione de propriis bonis fecit, *Can. quicunque*, 12. *quæst.* 2. *cit. cap. cum pro causa, & cit. L. qui proprio*. Wiestner. *hoc tit. num.* 65.

QUÆSTIO MXVI.

Quot modis finiatur officium Procuratoris?

RESp. potissimum quinque; nimirum revocatione facta a principali, renunciatione seu mutuo consensu constituentis & constituti. Finita lite per sententiam definitivam; per mortem Domini constituentis, per mortem constituti seu ipsius Procuratoris.

QUÆSTIO MXVII.

Qualiter finiatur per revocationem, & in specie an & quando Procurator revocari possit?

1. RESp. primo: Procurator constitutus tam ad judicialia quam extrajudicialia libere, hoc est, etiam sine causa justa, ad solum beneplacitum Domini ab eo valide revocari potest, re adhuc integra, est communis & constat, quo ad judicialia quidem ex *cap. quamvis, hoc tit. in* 6. quo ad extrajudicialia; ex *L. si procuratorem, §. mandati actio, ff. mandati*; quia tunc nihil interest Procuratoris, quod revocetur, & dum alteri non præjudicatur, consilium, quod de re sua iniit, mutare cuivis permissum. Argum. *L. in re mandata, Cod. mandati*. Proceditque idipsum, etiamsi constitutus per mandatum juratum seu cum juramento de non revocando, tametsi revocans fiat perjurus. Gloss. *in c. fin. hoc tit. in* 6. *vers. revocatus*. Pirh. *hoc* 1. *n.* 102. Et sic in specie qualiter Procurator constitutus ad resignandum beneficium cum juramento de non revocando revocari possit, vide in *foro benef. part.* 3. *quæst.* 265. *num.* 6. & *quæst.* 697. *num.* 2. Item ad permutandum, *ibid. quæst.* 868. Re vero non amplius integra, revocari nequit sine justa causa, est item communis,

nis, & constat ea iisdem textibus, quia jam interest illius, ne revocetur, nimirum quia damnum alias pateretur, aut in bonis ratione factarum expensarum, aut in fama sua: & eo ipso, quo incipit interesse mandatarii seu Procuratoris, res censetur non amplius integra esse. Gloss. *in §. recte. Institut. de mandato*. Porro causæ sufficientes revocaodi Procuratorem, re non amplius integra, fere enumerantur, *cap. quamvis, hoc tit. in* 6. ætas aut valetudo minus apta negotiis gerendis aut etiam liti prosequendæ. Item occupationes, aliaque impedimenta ita distrahentia illum, ut negotiis Domini, aut liti utiliter agendæ par non sit. Item inimicitiæ cum Domino, (etiam non capitales, ut Gloss. *in cit. c. quamvis, vers. inimicum*. Affinitas vel necessitudo cum adversario contracta a Procuratore ad lites; vel si factus ejus hæres, ita ut sit probabilis suspicio collusionis, vel eum magis adversarii rebus, quam oportet, affectum, & utilem fore; quin & si post litem contestatam Procurator absque legitima causa se opponat, & operam suam iogerat invito Domino; cum hoc ipso reddat se suspectum; quamvis tunc ad famam suam tuendam petere possit, ut causa revocationis suæ cognoscatur, pro ut statuitur. L. *qua omnia, §. sed si, h. t.* His generaliter suppositis

2. Resp. secundo in specie: Procurator ad lites, sive sit actoris, sive rei, licet ante contestationem, etiam sine justa & rationabili causa revocari potest. *L. ante litem, ff. hoc tit.* juncta Gloss. *ibid.* & L. *qua omnia, ff. eod. c. quamvis, hoc tit. in* 6. quia per mandatum ante litis contestationem nullum jus quæsitum Procuratori, neque per revocationem adversario aut alteri fit præjudicium. Quod ipsum tamen limitandum, nisi Procurator revocationi se opponat ad se purgandum, servandamque suam existimationem illæsam, dum nimirum Dominus eum tanquam suspectum vult revocare, vel, ut habetur L. *in causa, ff. hoc tit.* nisi Dominus vellet revocare eum ex parte solum, & non in totum; vel denique nisi datus sit Procurator in rem suam. Pirh. *hoc tit. num.* 89. Post contestationem tamen litis eum revocare nequit sine justa & rationabili causa, illiusque cognitione & probatione, *cit. cap. quamvis*. L. *post litem, ff. hoc tit.* Sed neque Procurator volens revocari potest post litem contestatam, adversario, cum quo litigatur, invito, seu non volente consentire isti revocationi, nisi prius cognoscatur causa revocationis. Gloss. *in cit. c. quamvis, vers. suspectum*. Potest tamen Procurator, etiam post litis contestationem, etiam sine causa tevocari in causa appellationis. Barbos. *in cit. c. quamvis, num.* 6. aliique apud illum. Pirh. *hoc tit. num.* 90. cum per contestationem litis efficiatur Dominus litis solum quo ad istam instantiam & non causæ, utpote cujus Dominus est & manet ipse principalis, etiam post contestatam per Procuratorem litem. Franc. *in cit. c. quamvis, notat.* 3. cum Bartol. apud Pirh. *loc. cit.* De cætero Procurator, licet ex justa causa, sine tamen culpa sua, revocatus post contestatam litem potest petere refusionem expensarum, si quas fecit, quin & salarium. Pirh. *hoc tit. numer.* 89. *in fine*, citans Bartol. *in L. post litem, n.* 2. Laym. *ibid. n.* 2.

3. Resp. tertio: Procurator ipsumque mandatum Procuratorium revocari potest duplici modo, nimirum vel expresse, puta verbis (hæc enim absque scriptura ad hoc sufficiunt, etiamsi Procurator constitutus sit per instrumentum. Abb. *in c. quamvis, notat.* 5. Pirh. *hoc tit. n.* 92. ita tamen, ut idem Argum. *c. quamvis*, revocatio probari possit per duos testes, dum eam negat Procurator) aut etiam per scripturam. Vel tacite, nimirum facto aliquo, ex quo præsumitur, Dominum non velle eum ulterius Procuratorem. V. gr. constituendo alium procuratorem, de quo magis in particulari paulo post. Porro non censetur procurator tacite revocatus per hoc, quod ipse principalis compareat & interveniat, & præsens esse velit in judicio; dum id velle potest, non ad agendum per seipsum, sed ad exstimulandum suum Procuratorem, & videndum, an omnia recte agantur, præsertim, si procuratorem suspectum haberet de collusione, quam probare non posset, uti hæc colliguntur ex *cit. c. quamvis*, vel etiam ad promovendam causam suam; dum nimirum ipse præsens testes ad probationes, quas forte Procurator omitteret, adducere, aut etiam curare posset, ut quos ipse testes nominasset, vel quas voluisset probationes, procurator adduceret. Pirh. *num.* 90. siquidem, ut Gloss. *fin. in cit. c. quamvis*, beneficium juris concessum Domino, ut adesse possit, interpretari oportet, ut aliquid conferat. Sed neque tacite, aut ullatenus revocatus censetur procurator per hoc, quod Dominus ipse præsens causam suam tractet per scriptum, si procurator constitutus sub hac clausula: *quoties dominum abesse contigerit*: quia talis manet procurator absente domino quasi actu, & eo præsente quasi habitualiter. Si tamen procurator simpliciter sine tali clausula, præcise tamen & principaliter ob causam absentiæ constitutus, tunc reversus ad judicium tractansque suam causam censetur absolute ipso facto revocare suum procuratorem, etiam post contestatam litem, *cit. cap. si quem, hoc tit. in* 6. Pirh. *hoc tit. num.* 102. cum Ancharan. *in cit. c. quamvis, hoc tit. in* 6. Quin etiam censetur quoque revocatus procurator, constitutus simpliciter, & non præcise propter absentiam, si dominus superveniens ipse per se causam tractet, præsente & non impedito procuratore; nisi protestaretur, se nolle per hoc procuratorem revocare, aut si idem ex aliis conjecturis appareat, *c. si quem hoc tit. in* 6. Contrarium est, seu non censetur dominus revocare procuratorem, dum etiam sine tali protestatione personaliter tractet causam suam absente aut impedito procuratore. Pirh. *num.* 101. cum Anchar. *loc. cit.* Quod si vero procurator, aut etiam adversarius post litis contestationem domino volenti causam per seipsum agere opponat se & contradicat, tunc ne quidem, ut dictum *Resp. praeced.* potest tevocari, nisi causa prius cognita. Gloss. *in c. si quem vers. sive post*. Anchar. *loc. cit. q.* 1. Pirh. *loc. cit.* Porro hæc eadem locum habent in substituto a procuratore, habente ad substituendum, uti & ad revocandum substitutum, potestatem, ita ut hic eum revocare censeatur, dum illo præsente tractat per se causam, vel etiam, ut Pirh. *cit. num.* 102. *in fine*. si alteri præsenti & acceptanti committat vices suas. Secus tamen est, si procurator non habeat a domino una cum potestate substituendi potestatem substitutum a se revocandi; tunc enim ne quidem expresse poterit illum ante litis contestationem revocare, etiamsi is necdum usus mandato acceptato; secus, ac contingit in delegato Sedis Apostolicæ, postquam vices suas subdelegavit alteri, potestatem ei demandatum revocare potest, uti hæc statuuntur in *c. is qui hoc tit. in* 6. Hujus discriminis hac allata ratione a Gloss. *in cit. c. is qui vers. aliud*; quod delegatus ille habeat potestatem subdelegandi a lege, procurator vero potestatem illam substituendi sibi alium ante contestationem litis habeat præcise a domino, a quo proinde potius, quam a procuratore substituente substitutus censeatur. Unde etiam substitutus satisdare debet, non substituentem, sed ipsum principalem ratum habiturum, quod egerit, ut cum Gloss. marg. *lit. E.* & Franco *in cit. c. is qui notat.* 3. Pirh. *num.* 99. *Dixi ante litis contestationem*: quia post eam, cum jam effectus sit dominus litis, hanc potestatem substituendi non ab homine, sed a lege habet juxta *c.* 1. *§. licet, hoc tit. in* 6. Adeoque jam a se constitutum pro libito revocare potest, re adhuc integra, sive si substitutus necdum usus sit mandato, seu judicium necdum in eum translatum. Pirh. *num.* 100. cum Gloss. *in cit. c. is qui vers. aliud.* & Franco *num.* 4. Non tamen post contestatam per substitutum litem, aut judicium aliter inchoatum, nisi causa revocationis prius cognita.

QUÆSTIO MXVIII.

An & qualiter per resignationem revocetur procurator constitutus ad lites & negotia ratione beneficii resignati?

Respond. Videndum me *in foro benefic. part.* 3. *quæst.* 245.

QUÆSTIO MXIX.

An & qualiter acta per procuratorem, aut etiam lata sententia, post revocationem illius valeant?

1. Resp. primo: Revocatio procuratoris tam judicialis quam extrajudicialis, quamdiu procuratori non intimata, regulariter loquendo, valent acta per illum, *c. ex parte, de rescript. c. ex insinuatione, hoc tit.* Felin. *in cit. c. ex parte, num.* 7. Barbos. *in cap. fin. hoc tit. in* 6. *num.* 8. *Dixi regulariter*: quia matrimonium contractum per procuratorem revocatum est nullum, etsi is suam revocationem ignoraverit. Idemque est in actibus hujusmodi aliis, in quibus requiritur consensus domini verus & perseverans. Item in specie non valet acceptatio beneficii

ficii facta per procuratorem ad hoc constitutum post revocationem illius, etsi is eam ignoraverit. Felin. *loc. cit. num.* 10. & 11. & alii apud Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 159. vide me *in foro benef. part.* 2. *quæst.* 797. *num.* 4. De cætero, quod, ut valide censeatur revocatus procurator, præsertim constitutus ad resignandum, qualiter ei fieri debeat intimatio, vide apud me *in foro benef. par.* 3. *quæst.* 698. *num.* 4. & *seq.*

2. Respond. secundo: Sententia lata contra procuratorem in præjudicium domini post factam a domino coram testibus revocationem, & per latam hujus revocationis notitiam ad procuratorem est nulla, *c. ex insinuatione, h. t.* Pirh. *hoc tit. nu.* 91.

3. Respond. tertio: Rescriptum quoque impetratum a procuratore revocato, cui revocatio est intimata, est ipso jure nullum, nec valet processus vel sententia vi talis rescripti lata, *c. in nostra, hoc tit.* Si tamen revocatio pervenerit ad notitiam adversarii vel Judicis (intellige, non quomodocunque, sed per intimationem illis factam ab ipso principali seu constituente procuratorem. Jo. And. *in cit. c. mandato, gloss.* 2. Abb. *ibid. in fine.* Pirh. *hoc tit. num.* 98.) Nam si revocationem illam ignoraverit tam adversarius, cum quo litigatur, quam Judex, acta per procuratorem, etiam ante litis ingressum vel contestationem revocatum, valent in præjudicium domini revocantis, qui sibi imputare debet, quod revocationem non intimaverit illis, quibus, lege ita statuente, intimari debuisset. Non autem valent in præjudicium adversarii, cui significari debebat revocatio, *c. mandato, hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 2. Pirh. *num.* 97. & 98. Proinde jam ad nullitatem eorum & judicii non sufficit, quod revocatio procuratoris post litem contestatam facta sit ipsi procuratori, sed requiritur quoque & sufficit, ut vel ad Judicem, vel ad adversarium notitia revocationis pervenerit, *c. mandato, hoc tit.* & Argum. *L. si procuratorem, ff. hoc tit. L. unic. Cod. de satisdand.* Pirh. *loc. cit.* Dico *vel ad Judicem, vel ad adversarium*: tametsi enim consultum sit, & utrique, tam adversario, quam Judici fiat intimatio revocationis, sufficit tamen & valebit seu effectum quo ad dictam nullitatem inducendam habebit revocatio, si vel soli Judici, vel soli adversario significetur. Argum. *c. ex parte, de rescript.* Pirh. *num.* 98. quanquam Gloss. *in L. si procuratorem, ff. hoc tit. vers. mutata* volunt & Gloss. *in L. unic. Cod. de satisd. vers. noluerit*, & Bartol. *ibidem* existiment, quod si intimatiu revocationis facta soli adversario, & non Judici, acta & sententia, *ipso* jure valeant, ita tameo, ut per oppositam exceptionem rescindi possint officin Judicis, ne adversarius ex propria deceptione commodum referat. Porro ratio, quod alias acta cum procuratore & per illum post revocationem valeant, nisi vel Judex, vel adversarius reddatur certior de illa revocatione, hæc datur: quod postquam pars litigans per procuratorem agere cæpit in judicio, interfit vel Judicis vel partis adversæ, mandatum Procuratorium non revocari, nisi idipsum iis intimetur, ne alias frustra in Judicio fatigentur, si acta per procuratorem se insciis revocatum essent nulla, & ne alias daretur occasio eludendi sententiam, dum nimirum constituens procuratorem, ubi timeret sententiam contra se ferendam, occulte revocando procuratorem acta judicii redderet nulla. Pirh. *hoc tit. num.* 97. cum Vivian. *in ration. Juris, ad cit. c. mandato*, & Gloss. *ibid.* De cætero si revocatio procuratoris facta, antequam ejusdem constitutio parti adversæ vel Judici intimata fuit, acta quæcunque cum tali procuratore revocato & per illum irrita censeri debent tanquam facta cum procuratore falso, *c. ex insinuatione, hoc tit.* Laym. *in cit. c. mandato, num.* 2. Pirh. *hoc tit. num* 98. *in fine.*

QUÆSTIO MXX.

An & qualiter contra gesta per falsum seu revocatum procuratorem excipi possit, & qualiter ea sustineantur?

1. RESp. ad primum: gesta falsi seu revocati procuratoris per exceptionem adversæ partis prorsus redduntur invalida, potestque illa opponi quandocunque, *c. in nostra, §. fin. hoc tit.* ubi dicitur: *falsi procuratoris exceptio non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici, utpote qua probata, judicium nullum & nullius momenti controversia reputantur.* Idem fere habetur. *L. licet Cod. hoc tit.* ubi, quod exceptio falsi procuratoris reddit judicium retro nullum, & potest quandocunque opponi, item *c. ex insinuatione, hoc tit.* ubi sententia lata, cum procuratore revocato certificato de hoc non præjudicat Domino, imo retractatur. Ubi vero neque Dominus, cujus erat quasi procurator, neque adversarius contra talem procuratorem excipiunt, gesta per illum valebunt, idque per consensum partium. Argum. *c. si autem, & c. plerumque, de rescript.* ubi, quod rescripta Justitiæ per subreptionem dolosam obtenta non vitientur ipso Jure, sed solum ope exceptionis, est enim illa non exceptio tacita ratihabitio. Unde

2. Respond. ad secundum: per ratihabitionem Domini sustinentur gesta a falso procuratore juxta textum *c. licet verum, ff. de Judic.* ubi: *etsi quis, cum procurator non esset, litem contestatus sit, deinde ratum Dominus habuerit, videtur retro res in judicium recte deducta*, ubi Bartol. *in summario: ratihabitio retrotrahitur, & confirmat judicium agitatorum per falsum procuratorem.* Idque sive sententia lata contra eum, qui ratum habet, sive in commodum illius. Gloss. *fin.* & Bartol. *in tit. L. licet verum*, quin & Jason *in L. licet. Cod. hoc tit. num.* 10. testetur, id esse communis sententiæ. Intelligendum tamen id de procuratore falso, qui talis erat ex defectu mandati, non vero qui talis erat ex defectu personæ, quo inhabilis erat ad exercendum officium procuratoris; cum licet ratihabitio retrotrahatur & æquiparetur mandato juxta *Reg.* 10. *Jur. in* 6. supplet tamen ea solum defectum consensus, qui prius non fuerat, non vero defectus alios. Quod vero possit Dominus processum & sententiam latam in favorem falsi procuratoris, & sic in commodum suum, ratificare, id intelligendum, si pars adversa non excepit, seu non opposuit de falsitate mandati. Barbos. *ad cit. c. in nostra, num.* 7. citans quamplurimos. Gail. *l.* 1. *observ.* 47. *num.* 4. sic conclusum in Camera Imperiali dicens, Si enim pars opposita prævenerit & exceperit de falso procuratore, antequam gesta per eum ratificaverit Dominus, non valebunt, nec a vi subsequentis ratihabitionis confirmabuntur, quia jam excepit contra vere gesta sine omni mandato, qualiter gesta non censentur sine mandato si ratihabitio jam prævenerit exceptionem, ita Jason. Porro censetur Dominus rata habere gesta per procuratorem falsum, & ratificare sententiam contra eum in præjudicium sui latam, ubi ab ea appellavit. *L. cum minor. §. falsus, ff. rem ratam haberi.* Gloss. *fin. in L. licet Cod. hoc tit.* cum, si noluisset eam ratificare, non debuisset ab ea appellare, sed opponere exceptionem falsi procuratoris, juxta *c. in nostra, hoc tit.*

QUÆSTIO MXXI.

Qualiter exspiret officium Procuratoris renunciatione & mutuo consensu?

1. REspond. primo: certum est finiri officium & mandatum procuratorium mutuo consensu, Domini nimirum se constituentis & procuratoris constituti. *L. mutari, ff. hoc tit.* & *ibi* Gloss. *vers. vel ipse* juxta *c.* 1. *de Reg. Jur.* omnis res per quascunque causas nascitur, per eas & dissolvitur.

2. Respond. secundo: Potest procurator libere resignare officium suum ante litam contestatam, nisi Dominus pro eo præsente non contradicente, vel etiam absente, sed postea expresse vel tacite ratumhabente satisdederit seu fidejusserit de judicato solvendo; tunc enim compelli potest procurator ad exercendum suum officium susceptum, judicium sobeundum & litem contestandam, ne decipiatur is, qui satisdedit. *L. si defectus* L. *mutus, §. qui non cogitur, ff. hoc tit. Clem.* 1. *hoc tit.* & *ibi* Gloss. *vers. cogi.* Pirh. *num.* 89.

3. Respond. tertio: post litem tamen contestatam, adeoque re noo amplius integra, renunciare nequit officio suo invito Domino. Mandatum enim suscipere cuilibet liberum est, susceptum tameo est consummandum, *§. mandatum. Instit. de mandato. L. invitis. C. hoc tit. L. filiusfamilias, §. procuratorum, ff. hoc tit.* ne, si procurator libere & sine justa causa renunciare posset officio, Dominus inde detrimentum capere cogatur. Potest nihilominus renunciare ex justa causa probata Domino invito, *cit. L. filiusfamilias, §. fin.* & LL. *seq.* ubi & causæ tales enumerantur, capitales inimicitiæ inter ipsum & Dominum exortæ, si dignitas procuratori accesserit, si causa Reip. absuturus sit; si infirmitate impediatur ulterius exequi officium, in summa similes causæ iis, ob

quas

quas supra dictum posse procuratorem revocari post litem contestatam. Pirb *hoc tit. num.* 90. De quibus omnibus erit Judicis dijudicare, siqoidem ubi Dominus seu principalis simplicem Procuratoris renunciationem in vel extra judicium factam acceptare recusat, opus est authoritate Judicis, qui citata parte seu Domino, factaque legitima allegatione causæ renuntiationis a Procuratore summarie cognoscat eaque probata, Procuratorem e suo officio absolvat. Gail. *l.* 1. *observat.* 46. *numer.* 2. cum communi.

QUÆSTIO MXXII.

Qualiter finiatur officium Procuratoris lata sententia?

RESpond. expirat illud finita instantia judicii, videlicet lata sententia definitiva. Licet enim, ut dictum supra, ex officio suo Procurator possit ac debeat a lata sententia appellare, vel saltem si ipse ab hoc justa causa excusetur, tempestive Dominum monere, ut ipsemet ad beneficium appellationis convolet, non tamen tenetur invitus appellationem prosequi. L. *invitus. C. hoc tit. c. non injuste, hoc tit.* Gravandus enim non est ultra, quam suscepit in se negotium, suscepit autem judicium, quod per sententiam jam finitum est. Pirh. *num.* 107. cum Wesenbec. *hoc tit. num.* 11. & communi.

QUÆSTIO MXXIII.

Qualiter officium Procuratoris exspiret morte Procuratorem constituentis?

1. REsp. primo: morte Domini contingente re adhuc integra, exspirat potestas & officium procuratoris, *§. item si adhuc. Institut. de mandato, L. inter causas, ff. mandati. L. mandatum. Cod. eod.* Sic mandatum Procuratorium ad lites exspirat, si Dominus moriatur ante contestationem litis, nisi Dominus adhuc vivens, sciente & non contradicente procuratore, intra vel extra judicium satisdederit, seu fidejusserit de judicato solvendo, *§. si vero Institut. de satisd. L. si defunctus, ff. hoc tit.* quia & per hanc fidejussionem res non manet amplius integra, ut Wiestner. *hoc tit.* citato Gail. *l.* 1. *observ.* 74. *num.* 10. Brunneman. *in cit. L. si defunctus, num.* 1. Secus est, seu exspirat, si satisdatio illa facta a Domino, procuratore ignorante vel contradicente. L. *si defunctus*, & *ibi* Bald. Abb. *in c. mandato hoc tit. num.* 6. Sic quoque non exspirat dictum officium, sed transit obligatio ad hæredes Domini, & sententia ferenda tanquam in procuratorem hæredis, si Dominus moriatur post litem contestatam, quia per eam res desinit esse integra. L. *si defunctus, ff. hoc tit.* Pirh. *hoc tit. num.* 108. Item mandatum procuratorium ad negotia, si moriatur, antequam aliqua necessaria præparatoria ad negotium demandatum facta sunt, alias secus; quia iis factis res quo ad negotia desinit esse integra. Pirh. *loc. cit.* cum Gloss. *in cit.* L. *mandatum, vers. finitur*, & Gloss. *in Clem. ultima, hoc tit. vers. pro Ecclesia.*

2. Limitanda tamen responsio, ita ut re etiam non amplius integra, quandoque exspiret officium procuratorium morte principalis, ut est casus in *Clem. ult.* ubi statuitur, Procuratorem a Prælato vel Rectore ecclesiæ, vel alio beneficiato pro beneficio suo (contrarium est, ut colligitur ex eadem *Clem.* si Prælatus vel beneficiatus, non pro seu in causa ecclesiæ vel beneficii sui, sed in propria causa constituerit Procuratorem. Gl. *hic vers. pro ecclesia.* Pirh. *hoc tit. num.* 109.) constitutum per mortem (intellige cum Abb. *hic num.* 6. etiam civilem, quæ contingit per translationem aliamque amotionem) constituentis revocari etiam post negotia vel causas ecclesiæ vel beneficii jam cæpta & lite contestata. Cujus constitutionis hanc ex Vivian. in *ration. Juris, ad cit. Clem.* ratio redditur a Pirh. *num.* 109. Reiffenst. *num.* 134. Wiestn. *num.* 78. & aliis: quod, cum Procurator administret & agat, sive in sive extra judicium, nomine ac vice Domini constituentis, *l.* 1. *ff. hoc tit.* in vi juris, quod habet Dominus in rebus suis ac potestatis, quam habet ipse tractandi per se negotia & causas suas; hoc vero jus & potestas Prælati ecclesiastici vel beneficiati una cum persona ipsius extinguatur ac desinat per mortem ipsius, nec transeat ad aliquem jure hæreditario, qui unam eandemque cum defuncto personam repræsentet, uti contingit in civilibus; adeoque non sit in rerum natura, qui habeat jus seu titulum in ecclesia vel beneficio illo vacante, & potestatem illam, necesse sit interea officium Procuratoris ab eo constituti exspirare, sive res sit adhuc integra sive non. Accedit & alia ratio, nimirum quod si Procurator administrare & agere possit nomine talis defuncti, id cederet in præjudicium juris Capituli vel alterius habentis administrationem Sede vacante. Item ratio specialiter concernens Procuratorem ad judicia, quam affert Gloss. *in cit. Clem. vers. revocari*, quod Sede vacante (vel etiam beneficio vacante) non debeat agi in judicio de rebus & juribus ecclesiæ aut beneficii, cum careat tunc defensore, *c.* 1. *& ult. ne Sede vacante.* Porro procedunt hæc ipsa de exspiratione officii Procuratoris (nisi forte Capitulum succedens in administratione Sede vacante confirmet Procuratorem, modo negotium tale sit, quod cadat sub potestatem Capituli, & ab eo Sede vacante expediri possit. Gloss. *cit. vers. revocari*) dum Prælatus super juribus & bonis pertinentibus ad mensam suam privative seu distinctis a bonis Capituli, Procuratorem constituit principaliter, etsi cum consenso vel consilio Capituli. Abb. *loc. cit. num.* 4. Pirh. *hoc tit. num.* 111. Secus vero, si Procurator constitutus fuit a Prælato & Capitulo simul super negotiis aut causis communibus utrique, vel etiam Capitulum principaliter, cum authoritate tamen & consensu Prælati, constituerit procuratorem super juribus & negotiis vel causis pertinentibus (saltem principaliter) ad solum Capitulum. Gloss. *cit.* Abb. *loc. cit. num.* 3. *&* 5. imo, ut ait Pirb. *cit. num* 111. *in fine* cum Gloss. magn. *in cit. Clem. lit. A.* etsi omnes Capitulares, a quibus constitutus procurator, sint mortui, & alii substituti, durat officium procuratoris; eo quod non a singulis, sed a toto Capitulo seu universitate constitutus, quod unum idemque remanere censetur, etiam aliis subrogatis. De cætero non exspirare officium Procuratoris per excommunicationem principalis, sed solum suspendi quo ad exercitium usque ad illius absolutionem, habet Gloss. *fin. in cit. Clem.* & Abb. *ibid. num.* 9. Pirh. *hoc tit. num.* 110. An vero & qualiter in specie exspiret mandatum ad resignandum beneficium morte mandantis, vide apud me *in for. benef. part.* 3. *quæst.* 693.

QUÆSTIO MXXIV.

An officium Procuratorium exspiret morte ipsius Procuratoris?

RESpond. exspirare, sive res sit integra sive non. L. *tam ex contractibus, ff. de Judic.* L. *si quis, §. morte ff. mandati*, non enim transit hoc officium ad hæredes Procuratoris; cum videatur esse electa industria personæ. Pirh. *hoc tit. num.* 112. cum Vvesenbec. *ff. hoc tit. num.* 11. & communi.

TIT U.

TITULUS XXXIX.

DE SYNDICO.

QUÆSTIO MXXV.

Quid sit Syndicus ?

RESp. Syndicus, derivato hoc nomine a voce Græca quæ causam significat, describi potest, quod sit Procurator ab universitate, communitate seu collegio aliquo constitutus ad ejus negotia pertractanda, potissimum vero causas ac lites in judicio prosequendas. Sumitur ex *c. unico hoc tit.* juncta Gloss. *vers. generaliter*. Licet autem hæc nomina; actor, procurator, Syndicus, sæpe inter se confundantur, tam in Jure Canonico quam civili, ut constat ex *c. quia in causis, de Procuratorib.* & *l. 1. §. 1. ff. quod cujusq. universit. nom.* Unde & pleraque dicta *tit. praced.* de procuratoribus Syndico quoque applicari possunt, patiuntur tamen etiam suam distinctionem. Procurator siquidem nomen genericum est, complectens etiam sub se Syndicum tanquam speciem, strictius vero magisque proprie procurator dicitur, qui a privato & pro negotiis causisque privatis constituitur. Syndicus, qui a communitate aliqua, puta statibus seu nobilitate patria, civitate, universitate studiorum, collegio studiosorum, ecclesia, monasterio &c. constituitur ad causas talium communitatum communes & publicas in judicio pertractandas. Unde & officium Syndici publicum est, Procuratoris privatum, ideoque etiam invitis imponi potest. Argum. totius *tit. ff. de muner. & honor.* Item necessarium, cum enim communitas seu collegium ipsum nec convenire nec conveniri possit in judicio. L. *sicut §. 2. ff. quod cujusq. univers. nom.* necessarium omnino est, ut constituatur Syndicus, qui eam repræsentet, ejusque causas in judicio prosequatur. Wesenbec. *in paratit. ff. eod. num.* 8. Pirh. *hoc tit. num. 1. in fine*. Differt quoque ab actore publico, quod hic specialiter ad unam alteramve vel certas quasdam causas, Syndicus generaliter ad omnes præsentes & futuras universitatis causas constituatur. Host. *in sum. hoc tit. n. 7. & 9.* Wesenbec. *loc. cit. num.* 3. Ab administratore universitatis & curatore civitatis, quod hi fere ad bona & negotia extrajudicialia harum communitatum pertractanda, Syndicus ad earum causas judiciales prosequendas deputetur. Ab œconomo ecclesiæ, quod ei pecuniæ resque similes domesticæ, aut etiam spirituales dispensandæ ac disponendæ committantur.

QUÆSTIO MXXVI.

Qualiter Syndicus constituendus ?

1. RESpond. primo: ad constituendum Syndicum, tametsi omnes de communitate, qui jus suffragii habent sint citandi seu vocandi; quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari, sufficiatque, & sit necesse, ut eorum, qui interesse volunt, possunt ac debent, duæ ex tribus partibus sint præsentes, sufficit tamen, ut major pars præsentium consentiat. *L. nulli, ff. quod cujusq. univers. nom.* juncta Gloss. *vers. duæ partes*. L. *quod major. ff. ad municip.* Host. *in sum. hoc tit. num.* 10. Wesenbec. *loc. cit. num.* 4. Pirh. *hoc tit. num.* 2.

2. Resp. secundo: probabilius est, non esse absolute necessarium, ut omnium constituentium Syndicum nomina in instrumento Syndicatus subscripta sint (ut volunt aliqui, dum communitas parva est, secus si magna) sed sufficere, quod instrumentum sigillo universitatis muniatur. Abb. *loc. cit. num.* 9. Pirh. *cit. num.* 2. Nihilominus necesse esse, ut omnes subscribant, dum ad alienandum Syndicus constituitur. Abb. *num.* 3. Pirh. *loc. cit.*

3 Resp. tertio: ad constituendum Syndicum super bonis & juribus communibus Rectori seu Prælato & collegio seu universitati requiritur consensus Prælati v. gr. Abbatis respectu Monasterii, Episcopi respectu Capituli. Non vero requiritur, si bona ac jura sint separata, pertinentque tantum ad universitatem seu Capitulum, *l. 1. §. 1. ff. quod cujusq.* Abb. *in c. unic. hoc tit. num.* 5. Pirh. *hoc tit. num.* 3. ubi etiam ex eodem, quod collegia inferiora. V. g. scholarium, constituere possint Syndicum sine consensu superioris, Monasteria cum suo Prælato sine consensu Episcopi; quia communitas de jure communi habet potestatem constituendi sibi Syndici, *cit. l. 1. §. 1. c. quia in causis, de procurat.*

QUÆSTIO MXXVII.

Quinam constitui & esse possint Syndici ?

1. RESp. primo in genere: quod qui esse possunt Procuratores, esse quoque possint Syndici; quique Procuratores esse non possunt, multo magis ab officio Syndici sunt arcendi. Pirh. *hoc tit. n. 4. in fine*.

2. Respond. secundo in specie: constitui potest Syndicus, tam ex ipsa universitate quam extraneus, & si satius sit constitui aliquem ex ipso corpore; eo quod is præsumatur majore cum fide & cura acturus causas suæ communitatis. Pirh. *numer.* 4. cum Vvesenbec. *ff. hoc tit. num.* 5. ubi etiam, quod ipse Superior seu Rector universitatis possit constitui Syndicus. Item quod plures ejusdem communitatis, dum ea ampla est, constitui possint Syndici, quorum singuli intelligantur constituti Syndici in solidum, etsi id in instrumento non exprimatur.

3. Respond. tertio: Laicus potest esse Syndicus etiam in causis spiritualibus ad agendum & defendendum in judicio; cum hac ratione non exerceat proprie munus spirituale. Argum. *cap. 1. de procurat. in 6.* Gloss. *in c. unic. hoc tit.* Abb. *ibid num.* 3. Pirh. *hoc tit. num.* 6. etsi laicus ob administrationem rerum & jurium spiritualium esse nequeat administrator aut œconomus ecclesiæ, dum ei committitur cura rerum ecclesiasticarum tam spiritualium quam temporalium. Arg. *c. judicatum, dist. 89. c. in nova caus. 16. quæst. 7.*

4. Resp. quarto: tametsi non conveniat, ut religiosi sint Syndici, etiam in causis sui Monasterii, ne a divinis officiis abstrahantur negotiis sæcularibus & forensibus implicati, ac proinde consultius sit ab ipsis constitui procuratorem aliquem generalem seu Syndicum, cui causas in judicio tractandas & jura sua defendenda committant, constituto ei salario, pro ut statuitur, *cap. unic. hoc tit.* procedit id ipsum tamen de honestate solum & decentia majore, non de necessitate. Gloss. *in c. unic. hoc tit. vers. generaliter*; absolute enim loquendo esse possunt Syndici sui monasterii, ita exigente ejusdem utilitate, dum nimirum monasterium ob inopiam Syndico salarium dare nequit, aut etiam non ita facile alium ad hoc munus idoneum & fidelem extraneum reperiri potest, in quo casu etiam monachus ad suscipiendum syndicatum imperio Abbatis compelli potest. Argum. *cap. monachis, 16. quæst. 1. cap. cum deputati, de Judic.* Abb. *in cap. unic. tract. 4. numer.* 4. Laym. *ibidem numer.* 1. Pirh. *hoc tit. num.* 6.

QUÆSTIO MXXVIII.

Quæ sit potestas Syndici ?

1. RESp. primo: Eandem consequitur potestatem respectu universitatis, quam procurator respectu privati sui principalis. L. *item, §. fin. ff. quod cujusq.* Insuper omnia expedire potest, quæ alias in procuratore requirunt speciale mandatum (etsi tutius sit, ut cum Vvesenb. *loc. cit. num.* 8. Pirh. dari Syndico mandatum speciale in iis, quæ id alias requirunt) v. g. transigere, juramentum deferre & præstare nomine universitatis; cum intelligatur semper constitutus cum libera potestate, etsi id expressum non sit. Pirh. *hoc tit. num.* 7. cum Gail. *l. 2. observ. 72. num.* 11. donare tamen, & debitum liquidum remittere non potest; cum id sit species dilapidationis, & mandatum, quantumvis generale cum libera ad casum donationis se non

exten-

extendat. Gail. *num.* 12. *&* 13. Ex mutui etiam contractu inito a Syndico vel administratore aliter teneri non potest civitas vel Ecclesia, quam si pecuniam mutuo acceptam in suam utilitatem versam, sive in ea causam, io quam eivitas vel Ecclesia de suis bonis tantundem fuisset impensura, ostendatur. Argum. *L. in pupillo*, *ff. de solut.* Vvieſtner. *hoc tit. num.* 5. citans Menoch. *de arbitr. caſ.* 432. *num.* 28. & Haun. *de J. & J. tract.* 2. *numer.* 470. Sed neque Syndicus cavere de ratu, nisi probabiliter de ejus constitutinne vel mandato dubitaretur, *cit. L. item*, *§. fin* juncta Gloss. *verſ. de rato*. Neque satisdare de solvendo judicatu; quia publica authoritate statuitur. Gloss. *cit.* præsumiturque universitas semper esse solvendo.

QUÆSTIO MXXIX.

Qualiter finiatur officium Syndici?

RESP. Iisdem fere modis, quibus finitur officium & mandatum procuratoris, *cit. L. item*, *in fine*, intellige, generaliter constituti; sic enim non secus, ac procuratoris generaliter constituti officium non finitur, finita instantia, ita etiam officium Syndici; cum & is constitutus semper intelligatur generaliter ad causas universitatis, etiam appellationis nomine universitatis interpositas prosequendas. Potest etiam Prælatus Syndicum ab ipso & capitulo constitutum revocare; quia solus potest agere, adeoque & per seipsum causam tractare revocato Syndico. Pirh. *nu.* 3. Abb. *in c. unic. hoc tit. n.* 6. Morte tamen constituentium non exspirat ejus officium; cum communitas semper permanere intelligatur, *c. ficut*, *§. in Decurionib. ff. quod cujusq. univer.* Vvesenb. *ff. eod. num.* 9. Pirh. *hoc tit. n.* 7. *in fine*.

TITULUS XL.

DE IIS, QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

QUÆSTIO MXXX.

Quid sit vis?

RESP. Vis, coactio seu violentia (intellige, præcisa, absoluta & simpliciter dicta, de vi enim conditionata seu compulsiva, quæ a metu non distinguitur, paulo post) definiri solet a Juris Consultis ex L. *vis autem*, *ff. quod metus causa gestum*, quod sit majoris rei impetus, qui repelli non potest. V. gr. dum alicui per inevitabilem violentiam aliquid extorquetur, vel dum quis omnino invitus ad locum aliquem attrahitur, vel in eo detinetur, aut ex eo extruditur, aliudve pati cogitur. Vis talis seu coactio liberum consensum omnino tollit, & causat simpliciter involuntarium. Unde & vis seu violentum definitur a Philosopho, 3. *Ethicor. c.* 1. cujus principium est foris seu extra, nihil conferente vim passo, ut dum virgini tam voluntate quam corpore omnino reluctanti iofertur stuprum; Judæo pariter invito affunditur aqua baptismalis. Non sufficit autem ad hoc, ut quis vim hanc passus censeatur quo ad actum externum io ordine ad culpam evitandam, quod animo & voluntate dissentiat, sed requiritur, ut insuper externis corporis facultatibus resistat, & quantum potest, actum externum impediat. Azor. *l. t. c.* 9. *quæst.* 3. Pirh. *hoc tit. num.* 7. Differt proinde a vi conditionata & compulsiva seu metu, quod is non tollat simpliciter voluntarium, quamvis causet seu admisceat voluntario involuntarium imperfectum seu conditionatum, dum quis compellitur ad faciendum vel omittendum, ita ut absolute quidem velit facere vel omittere, quod tamen alias nollet, & non faceret, si vis exterior abesset.

QUÆSTIO MXXXI.

Quotuplex sit vis illa absoluta?

1. RESP. Est varia, ut Gloss. *in c. ad audientiam*, *verſ. causa*, *hoc tit.* nimirum alia est vis ablativa, qua res mobilis alicui eripitur, generatque actionem: *vi bonorum raptorum*, *§.* 1. *Institut. de vi bonor. raptor.* Alia expulsiva, qua quis ejicitur ex possessione rerum immobilium, vel quæ immobilibus cohærent, & inducit interdictum *unde vi*, *lib.* 1. *ff. de vi & vi armata*. Alia turbativa, per quam quis turbatur in possessione sua, eo quod alter se possidere contendat, infertque interdictum: *uti possidetis*, in rebus immobilibus: interdictum vero *utrobi* in rebus mobilibus. Alia vis inquietativa, qua inquietatur quis in usu suæ rei, seu prohibetur quid facere. V. gr. ædificare, arare &c. & hinc nascitur interdictum: *quod vi aut clam.* de quibus interdictis concessis vim patientibus contra eam inferentes proprii in Jure Civili exstant tituli.

QUÆSTIO MXXXII.

Vis publica & privata qualiter differant?

RESP. De his pluribus agi io Jure Civili, non tamen pariter hodiedum ac olim ab invicem discernuntur hæ duæ species. Siquidem olim per vim publicam intelligebatur illa, qua præditus potestate aliqua Civem Romanum ad populum, dein ad Imperatorem appellantem necaret, vulneraret, torqueret, aut in publica vincula abduci juberet. Per vim privatam illa, qua quis armatis hominibus aliquem de possessione sua, domo, agro dejiceret, obsideret, expugnaret, vel ad hæc homines accomodaret. Vel etiam, ut alii, per vim publicam intelligebatur ea, quæ a publico Magistratu cuicumque, vel quæ Magistratui a privato, etiam sine armis, inferebatur; privata quæ inferebatur privato. Wiestn. *hoc tit. n.* 4. cum Deciano, *tract. crim. l.* 8. *num.* 6. Brunneman. *in l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de vi publica*. Hodie vero de vi publica tenetur, qui vim infert aut inferre tentat cum armis: de privata, qui facit id sine armis, *§. recuperandæ Institut. de interdictis*, *verſ. qui autem*, *& §. item lex Julia Instit. de public. Judic.* vide hæc pluribus prosequentem & exemplificantem Vvieſtner. *n.* 5.

QUÆSTIO. MXXXIII.

An & qualiter gesta per vim absolutam valeant?

RESP. Talia gesta ex parte vim passi uti vacant omni culpa, sic quoque carent valore, & sunt ipso jure & facto irrita, ut cum D. Thom. 1. 2. *quæſ.* 6. *art.* 5. TT. & Juris Consulti communiter; eo quod consensus spectet ad substantiam actus humani, ita ut absque eo actus nullus sit, nec dici possit humanus, multoque minus validus io ordine ad pariendam obligationem aut etiam culpam; consensum autem non habeat vim passus, utpote quæ causat simpliciter involuntarium.

QUÆSTIO MXXXIV.

Qualiter procedendum, dum quis queritur apud Judicem sibi vim illatam in bonis fortunæ?

RESP. Imprimis allegans vim hanc sibi illatam, ubi de ea non constat liquido in judicio, seu ea non est notoria, debet eam probare legitime, id est, per testes (qui etiam in defectu aliorum, & ob difficultatem probandi esse possunt domestici & familiares; quin etiam unus testis cum juramento partis, si agatur de modico præjudicio) vel testibus deficientibus, per judicia violentam præsumptionem inducentia io ordine ad damnum com-

compensandum , ita ut juramentum solum vim passi non sufficiat nec admittatur , *cap. fin. hoc* tit. juncta Gloss. *vers. per testes . L. si quando . Cod. unde vi* juncta Gloss. *vers. patefacta .* Abb. *in cit. cap. 2. fin. num. 2.* juncto *n.* 9. Laym. *ibidem num. 1.* Pirh. *hoc tit. num.* 9. Wiestn. *num.* 8. Reiffenst. *num.* 12. Facta hac ratione fide de vi illata , dum adhuc ablata singula , ut sunt utensilia aliaque minuta probare est difficile , Judex audito nihilominus spoliato super rerum ablatarum quantitate vel æstimatione illarum , si perpensis circumstantiis personæ , ut num ea fuerit dives , nec ne ; loci , num verisimile , quod in eo res tot , quot prætendit , habuerit , aliisque , immodica videatur , sua taxatione moderari , & ad quantitatem visam sibi justam , & congruentem dictis circumstantiis reducere debet ; ac tum spoliato deferre juramentum , de non illato sibi minore damno , quam quod a Judice taxatum , pro ut hæc habentur , *cit. cap. fin.* juncta Gloss. *vers. pro personarum .* Gonz. *ibidem num.* 8. quo juramento præstito ab actore seu spoliato , condemnare tenetur reum seu spoliatum ad eam quantitatem vel æstimationem præcise , super qua juratum , & nec ad majorem , nec ad minorem , ne alias vel suam sententiam injustitiæ , vel spoliatum perjurii arguat , juxta *Auth. post jusjurandum . Cod. de Judic.* juncta Gloss. *in addit.* Gloss. *in cap. fin. cit. vers. taxatione .* Abb. *ibidem num.* 3. Pirh. *hoc tit. num.* 9. Wiestner. *num.* 8. Atque ita se res habet in juramento veritatis , quod illud subsequi debeat taxationem Judicis : secus vero est in juramento affectionis , utpote post quod adhuc Judex taxare potest quantitatem damni illati , & in minus , quam juratum est , condemnare reum , absque eo , quod actorem arguat perjurii ; cum sæpe contingat , ut ob immoderatam affectionem , quam quis habet erga rem suam , pluris illam æstimet , quam revera valeat , juxta *L. videamus , §. item videndum , ff. de in litem jurando , &* ibi Gloss. *vers. ex magna causa .* Gloss. *in cit. auth. in addit.* Abb. *in cit. cap. fin. num.* 4. Imol. *num.* 4. Pirh. *loc. cit.* De cætero hic procedendi modus tam Jure Civili quam Ecclesiastico approbatus , tametsi minus æquus videri posset ex eo , quod , cum tali juramento spoliati lis terminetur , hic in propria causa pronunciare videatur . Siquidem ita statui in odium facinorosorum improba ista sua violentia , non tantum privatis iniuriam inferentium , sed & hoc ipso graviter tranquillitatem Reip. turbantium , necesse erat , ne , si deficientibus probationibus , ad juramentum non admitteretur rebus suis spoliatus , irreparabile sæpe damnum cogi pateretur . Porro licet *cit. cap. fin.* agatur tantum de rebus per vim ablatis , idem tamen in rebus ablatis sine violentia , puta , furto , aliova maleficio , item in rebus cum sigillo depositis , & sine sigillo redditis , item in rebus debitis , quæ ob moram creditoris interierunt , ita ut juramentum deferri possit passo damnum super quantitate istiusmodi rerum ablatarum aut deperditarum in defectum aliarum probationum ob easdem rationes , nimirum ob difficultatem probationis rerum amissarum , & in odium furantis vel aliter delinquentis . Abb. *in cit. cap. fin. a num.* 6. Laym. *ibid. n.* 3. *in fine .* Brunneman. *in cit.* L. *si quando , a num.* 6. Pirh. *cit. num.* 9. Wiestner. *num.* 9.

QUÆSTIO MXXXV.

Quid sit metus ?

RESp. Eum definiri ab Ulpian. *l. 1. ff. quod metus caus.* quod sit mentis trepidatio instantis seu mox futuri periculi causa . Sive est passio seu motus animi imminens aliquod malum fugientis . Sic ex metu agere dicimus , dum ad tale malum avertendum quid facimus vel permittimus , quod alias non faceremus . V. gr. dum ad evitandum naufragium quis projicit merces , ad declinandam mulctam , quis interest concioni , æger ob mortem evadendam curat seu permittit sibi membrum aliquod abscindi . Atque ita metus quandoque oritur a causa necessaria . V. gr. morbo aliove simili principio naturali , quandoque a libera . V. gr. homine intentante malum ; licet id quod movet & impellit ad tale quid volendum & agendum , plerumque fit extra nos , principium tamen dictæ volitionis & actionis est in nobis volentibus & agentibus , quod nollemus & non ageremus , si imminentis mali periculum abesset . Ex quo jam patet , in quo metus incussus a vi illata differat , dum operans ex metu operandi principium in se habet , & simpliciter invitus non est , sed potius volens ; invitus tamen secundum quid seu conditionaliter , quia nollet id agere vel pati , si dictum mali periculum abesset ; adeoque metus voluntarium ac liberum non tollit , sed solum imminuit , uti & culpam . Porro metus a causa libera seu homine quandoque incutitur juste . V. gr. metus pœnæ , torturæ , supplicii ob crimen commissum ; quandoque injuste , dum innocenti ab homine improbo malum intentatur , idque quandoque eo fine , ut , promissio , contractus vel alius actus aliquis extorqueatur , quandoque ex alio fine .

QUÆSTIO MXXXVI.

Quotuplex sit metus ?

1. RESp. Metum a quacunque causa incussum celebriore divisione dividi in gravem & levem tam a TT. quam ab utriusque Juris-Consultis , ut constat ex *cap cum dilectus , hoc tit. & L. metum autem ff. hoc tit.* Metus gravis est , qui cadit in virum fortem & constantem , *c. ad audientiam , hoc tit.* sive quem vir fortis & constans prudenter & rationabiliter concipit . Unde & justus dicitur , id est , sufficiens ad percellendum virum fortem , & a proposito dimovendum , etsi alias injustus in ordine ad inferentem illum injuste , qui etiam ex eo justus dicitur , quia eum jura ac leges excusant , dum ex eo contra illas quid agitur . Dicitur etiam probabilis , quia eadem jura ac leges eum approbant . Ad istiusmodi metum gravem duæ in genere requiruntur conditiones . Prima , ut malum , quod timetur , sit in se grave , & non tantum in vana æstimatione metuentis . Altera , ut metuens non levem conjecturam , sed certitudinem moralem habeat de imminentia proxima & eventu talis mali . Quarum conditionum alterutra deficiente , metus levis censetur . Argum. *cap. cum dilectus , hoc tit.* Præter has binas conditiones tametsi cum Sanch. *l. 4. de matrim. disp. 1. a num.* 12. alii statuant tres alias , nimirum ut metum incutiens sit potens exequi , quod minatur , soleat minas suas exequi , & is , cui metus incutitur , non possit alia ratione evitare malum , quod intentatur . Verum hæ tres conditiones commode ad secundam conditionem reducuntur ; cum nemo prudenter æstimet malum certo eventurum , dum scit minantem illud non posse aut solere exequi , vel videt viam illud evadendi . Sperell. *fori Eccles. decis. 79. num.* 43.

2. Malum istiusmodi grave imprimis est offensa Dei seu peccatum , utpote malorum omnium maximum , quod movere potest , & merito debet virum prudentem & fortem ad omne malum aliud præeligendum . Azur. *l. 1. c. 9. quæst.* 2. Mala quoque gravia causantia metum justum seu a jure approbatum sunt sequentia . Mors corporalis , mutilatio seu abscissio alicujus membri , atrocia verbera , aliusque gravis cruciatus corporis , *cap. 1. c. cum dilectus , hoc tit. L. si per vim . Cod. hoc tit. L. si donationis . Cod. eod.* Carcer diuturnus , exilium , servitus & amissio libertatis . *L. nec timorem . L. qui in carcerem . L. ego ff. hoc tit.* Stuprum inferendum virgini . *L. isti §. 2. ff. eod.* Amissio status honorifici . Gloss. *in cit. L. vers. metum .* Jactura omnium bonorum aut majoris vel notabilis partis eorum ; Magni patrimonii . Abb. *in c. Abbat , hoc tit.* Covar. *de matrim. & sponf. part. 2. cap. 3. §. 4. num.* 18. Cynus , Jason & alii , quos citat Azor. *loc. cit quæst.* 4. & 5. dicens esse communem tam TT. quam Juris Canonici & Civilis interpretum . Quia patrimonium , cum necessarium sit ad vitæ sustentationem & communes usus , ac bona sint quodammodo vita hominis . *L. advocati , de advocat. divers. Judic.* juncta Gloss. *vers. vitam* ; adeoque eorum jactura æquiparetur quodammodo morti . Tiraq. *de nobilit. c. 31. num.* 369. Circa quod tamen notandum cum Castrop. *tract. 2. disp. 1. part. 7. num.* 2. Pontio , *de matr. l. 4. c. 4. num.* 10. ex *L. Titio , §. 1. & L. si ita legatum , ff. de condit. & demonst.* ad hoc , ut jactura bonorum censeatur inferre metum in ordine ad vitiandum contractum ex metu initum requiri , ut bona sint propria & aliquo modo debeantur ; cum alias eorum amissio habere non possit rationem pœnæ , sed potius præmii , dum ea promittuntur alicui , si hoc vel illud fecerit . Infamia Juris . V. gr. dum quis deprehensus in delicto promittit aliquid , ne prodito , & delato ad Judicem crimine , amittat famam , contrahatque infamiam Juris . *L. nec timore , §. 1. ff. hoc tit.* Azor. *loc. cit. quæst.* 6. Pirh. *hoc tit. num.* 6. cum fama præferatur opibus . Prov. 22. versic. 1. Idem est de

infa-

infamia facti, dum ea gravis, & facile ei occurri nequit Pirh. *loc. cit.* Wiestner. *hoc tit. num.* 15. & alii communius. Dumque id negat Azor. *cit. quæst.* 6. cum D. Thom. Durand. & alijs, intelligendi sunt de ea infamia, cui facile occurri potest. Ac denique excommunicatio injusta. V. gr. dum Episcopus facile indignari & sævire in alios solitus, pronusque ad excommunicandum minatur excommunicationem Titio, nisi vendat sibi rem certam, officium deponat &c. non vero justa, utpote quæ facile vitari potest deposita contumacia. Cum sit pœnarum Ecclesiasticarum gravissima, juxta *cap. cum non ab homine, de Judic.* inferatque infamiam gravem apud eos, qui injustitiam illius ignorant, & esto, non liget quo ad Deum, ligat tamen quo ad Ecclesiam; cum in foro externo gerere se debeat ut vere excommunicatum, *c. nobis, de sent. excom.* quod grave malum est, & ita tenent. Mascard. *vers. metum, conclus.* 1055. *num.* 50. Paris. *de resignat. l.* 13. *quæst.* 1. *num.* 120. Castrop. *tract.* 2. *disp.* 1, *part.* 7. *numer.* 4. Sanch. *loc. cit. disp.* 5. *a num.* 4. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 17. *num.* 35. Pirh. *cit. num.* 6. Azor. *loc. cit. quæst.* 7. citans insuper Covar. ubi ante. Jo. And. Abb. Felin. &c. qui dicant esse communem, contra Glass. *in c. cum dilecti, hoc tit. vers. violentia.* Socio. Senior. *in c. Sacris de sentent. excom. num.* 501. Barbat. *in c. ab excommunicato, de rescript.* Sotum, *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 2. Porro metum gravem causari quoque a dictis malis, tametsi ea non immineant metuenti, sed ejus liberis, parentibus, uxori *L. isti quidem, ff. hoc tit.* Azor. *loc. cit. quæst.* 9. *loc. cit.* imo fratribus, sororibus, vel conjunctissimo sibi amico, utpote quorum mala nostra reputamus. Anchar. *in c. cum dilectus, hoc tit. num.* 7. Franc. *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *num.* 8. Sanch. *loc. cit. disp.* 4. *num.* 8. Less. Pirh. Wiestn. *LL. cit.* Castrop. *loc. cit. num.* 12. Idem de metu incusso domesticis juxta *c. quicunque de sentent. excom.* & *Clem.* 1. *de excess. prælat. vers. servientes*, tradit Sanch. *loc. cit. disp.* 1. *num.* 10. Pont. *de mat. l.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Castrop. *cit. n.* 12.

3. Resp. secundo, Metum gravem subdividi in gravem absolute, qui est de malo, quod quemlibet virum constantem percellere, & a proposito dimovere potest, & gravem respective, qui est de malo, quod etsi virum constantem non percellit, est tamen formidabile fœminæ, puero, homini natura meticuloso, quin & comparatione facta inter ipsos viros & fœminas alii & aliæ minore malo terrentur, quam alii. Paris. *loc. cit. num.* 58. Menoch. *de arbitr. l.* 2. *centur.* 2. *casu*, 135. *num.* 4. & 5. Molin. *de primog. l.* 2. *c.* 3. *num.* 10. Tiraq. *de leg. connub. l.* 9. *gl.* 1. *num.* 160. Castrop. *loc. cit. num.* 10. Sanch. *loc. cit. disp.* 3. *num.* 4. Pirh. *loc. cit.* Neque his obstat, quod dicitur in *L. metum* 2. *ff. hoc tit.* metum non vani hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicimus: unde recte inferri videtur, gravitatem metus, non per ordinem ad personam aut ex imaginatione patientis, sed ex ipsa mali gravitate desumendum. Nam ut bene distinguit Castropal. *num.* 11. id verum est de metu, in ordine ad annullandos contractus, sic enim, ne detur occasio litibus, recte statuit tam Jus civile quam canonicum, ut solus metus de malo absolute gravi, seu quod virum quemlibet seu constantem movere potest, rescindat contractus; alius autem metus pro levi & nihilo habeatur ad hunc finem; non vero verum est de metu in ordine ad causandum involuntarium; hoc enim etiam a metu mali levis, si sub gravi malo apprehendatur, causari potest; quia si grave malum in tantum ad sui fugam movet, in quantum ut tale apprehenditur, etiam malum leve, si ut grave apprehenditur, ad fugam sui movere poterit. De cætero qualis & quantus metus esse debeat, ut censeatur hic & nunc justus, Judicis & prudentum judicio definiendum; cum id certa regula definiri nequeat, statuant Jura. *L. metus autem, ff. ex quibus causis major.* ubi: *non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed hujus rei disquisitio Judicis est*, & ita tenent. Glass. *in c. penult. hoc tit.* Covar. *de sponsal. part.* 2. *c.* 3. §. 4. *num.* 8. Menoc. *loc. cit. num.* 3. Castrop. *loc. cit. num.* 13. citatis aliis.

4. Resp. tertio: dividi insuper solet a Juris utriusque interpretibus metus in quinque species, ut videre est apud Azor. *loc. cit. quæst.* 10. Dum alium vocant *minarum*, circa quem notandum, quod quamvis ad hoc, ut minæ justum metum inferant, Abb. *in c. causam, de off. deleg. n.* 1. Cov. *l. c.* §. 6. *n.* 4. Sanch. *l. c. d.* 1. *n.* 21. Azor. *c. q.* 10. *in fine*, communiter requirant, ut is qui minatur, solitus sit minas exequi, & id sciatur ab eo, cui minatur juxta quod dicitur. *L. metum. Cod. hoc tit. metum non jactationibus tantum & contestationibus, sed atrocitate facti probare convenit*, & *ibi* Bartol. *num.* 1. Salycet. *numer.* 2. Nihilominus ad gravem & justum metum inducendum necesse non esse, ut malum, quod minando verbis intentat, solitus fuerit exequi, sed sufficere, quod malum verbis serio intentatum, idque exequendi animum habere, & executurum esse, non vane ac leviter existimetur, etsi id eum alias solitum fuisse exequi ignoretur, tenent Pontius *loc. cit. cap.* 2. *num.* 8. Castrop. *loc. cit. part.* 7. *n.* 9. quos sequitur Wiestn. *hoc tit. num.* 17. Alium vocant *facti*, qui oritur ex periculo præsentis mali, aut probabiliter proxime imminentis, intellige tamen, a causa necessaria. Alium *perfidiæ*, qui concipitur ex eo, quod quis metuat perfidiam alterius. V. gr. medici, ne sibi ægroto vel suis medicinas adversas præscribat, si non faciat, quod medicus a se petit. V. gr. ducat ejus filiam, si convalescat. *L. medicus, ff. de var. & extraord. cognit.* Alium metum *potentiæ*, qui incutitur subditis a Principe Magistratu aliave superiore potestate humana. Alium denique *reverentialem*, quo libertus patronum, filius patrem, uxor maritum, clericus Episcopum, regularis superiorem suum reveritus metuit. Azor. *loc. cit.* hunc metum per se seu semper censeri gravem, & cadere in virum constantem, tollereque consensum & libertatem ad contractum requisitam, sentiunt Menoch. *loc. citat. cap.* 136. Nav. & alii apud Sanch. *de matrim. l.* 4. *disp.* 6. *num.* 4. ducti textu illo. *Reg.* 4. *de Reg. Jur.* & similibus: *velle non creditur, qui obsequitur Imperio patris vel domini*: Verum quia vel sic nullus, ut recte Castrop. *loc. cit. num.* 5. fere esset contractus filii, uxoris, clerici, subditi &c. cum facile probare possent, se ex pudore & metu reverentiali non ausos contradicere, suadente vel etiam imperante patre, marito &c. contraxisse, communius tenent alii, non sufficere ad hoc metum reverentialem, nisi adsint minæ, verbera, alteriusve mali intentatio, ita Molin. *de primog. l.* 2. *c.* 3. *num.* 9. Duaren. Donell. Fachin. apud Castrop. *loc. cit.* & plures alii apud Sanch. *cit. disp.* 6. *num.* 7. vel etiam preces importunæ ac diuturnæ, ut Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 17. *num.* 35. Pirh. *hoc tit. num.* 6. Sanch. *loc. cit. disp.* 7. *num.* 7. Castrop. *loc. cit. num.* 7. qui tamen recte addit, non sufficere alias preces illas importunas ac diuturnas, si non procedant a talibus, a quibus dependentiam habemus, ut sunt superiores, quippe in quo casu grave malum sit & intolerabile subdito habitare cum superiore, cujus voluntatem continuo despicit, ex quo despectu necessario sequitur, superiorem illum implacidum, offensum & rigidum se illi præbere cum continua exprobatione, indignatione, rixis &c. non vero sufficere, si preces sint aliorum, qui ad nos non attinent, vel etiam, qui potius nobis subjecti sint, ut sunt amasii sollicitantis identidem puellam, filii rogantis patrem pro donatione aliqua, quin & subditorum quandoque importune valde rogantium principem pro officio aliquo; eo quod licet & tales preces sint quoque molestæ, hæc tamen molestia facile vitari possit. Atque ita ex his jam conficitur, metum illum reverentialem sumptum præcise pro pudore & verecundia, quam subditus pati timet, si neget petitum a superiore, non sufficere, ut metus dicatur gravis & cadens in virum constantem. Sed tum demum evasurum gravem, si accedat torvitas vultus, indignatio, asperitas verborum, importunitas precum, alias non sufficientia in persona, quæ reverentiam non habet. Castrop. *loc. cit. num.* 6.

QUÆSTIO MXXXVII.

An contractus aliique actus gesti ex metu levi sint validi ac firmi?

1. RESP. contractus aliosque actus gestos ex metu levi undecunque orto, & qualitercunque juste an injuste incusso non esse irritos in foro externo, habet communis DD. quia neque jure naturæ irritantur, cum sint simpliciter liberi ac voluntarii; neque jure positivo, utpote quo metus levis pro non metu & pro nihilo reputatur. *L. continet*, 1. *L. metum. L. nec timorem, ff. hoc tit. cap. cum dilectus eod.* Sed & in foro conscientiæ irriti non sunt ipso facto propter easdem rationes; non tamen ita firmi, quin, licet nec Jure civili nec canonico rescindendi veniant vi actionis: *quod metus causa*: utpote quæ datur tantum ad actus gestos ex metu gravi. *L. nec timorem, ff. hoc tit. cap.* 1. 2. 3. *eod.* rescindantur tamen eo ipso, quod metum passus velit, ita ut pro foro interno, qui ex tali metu contraxit, promisit &c. contractum adimplere non teneatur, & qui tali metu contractum extorsit, ea, quæ vi illius accepit, restituere obligetur. Abb. *in*

c. ve-

c. veniens de jurejurand. num. 3. Nav. *in man. cap.* 17. *nu.* 30. Covar. *Reg. peccatum* 2. *part.* §. 3. *num.* 7. Sanch. *de mat. l.* 4. *disp.* 9. *nu.* 4. Less. *l.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 46. Rebell. *de oblig. l.* 1. *quæst.* 5. *num.* 9. & 16. Molin. *tract.* 2. *de Just. & Jur. disp.* 267. *num.* 5. Castrop. *tract.* 2. *disp.* 1. *part.* 12. *num.* 2. contra Pont. *de mat. l.* 4. *cap.* 10. *num.* 5. & alios quosdam. Sic qui ex metu levi reverentiali vel alio fidejussit, etiam fidejussione solenni, non tenetur in conscientia solvere ex fidejussione. Uti nec solvere debita patris vel mariti qui metu levi adactus promisit se ea soluturum. Castrop. *l. c. num.* 3. Ratio horum & responsionis est, quod metu adactus consentiens, consentit per injuriam sibi illatam, adeoque libertatem suam oppressam recuperare potest, & stando jure naturali, tueri se exceptione injuriæ sibi illatæ; & qui hanc injuriam seu injustitiam intulit, tenetur illam resarcire quantum potest; adeoque, si potest, tenetur rem in pristinum statum reducere, quod faciet, si metu coactum restituat suæ libertati, seu in eo statu, in quo is potest contractum initum probare vel reprobare. Less. *num.* 48. Sanch. *l. c. a num.* 13. Castrop. *num.* 3. Ubi etiam, quod si non restituatur, quod quis ex metu donavit, donans possit uti occulta compensatione, & si juravit, se non repetiturum, petita prius relaxatione juramenti, quam concedere potest Episcopus. Idemque cum Sanch. & Less. ait dicendum, nimirum non teneri stare promissis, qui invitus & involuntarie (intellige secundum quid) importunis sæpeque repetitis precibus, quarum molestiam minore incommodo repellere nequivit, promisit aliquid; secus si molestiam illam facile repellere potuit, uti ordinarie possunt Prælati & Principes concedentes beneficia & officia precibus agitati, ac proinde censendi non sint concessisse per injuriam sibi illatam.

4. Neque in contrarium dicas primo: quod, cum passus levem metum repellere eum facile potuisset, sibi adscribere debeat, quod ex eo gesta firma permaneant. Nam esto talis metus facile repelli potuerit, id tamen non impedit, quo minus eam passo illata sit injuria per incussionem metus ad hoc vel illud ab eo extorquendum, ad quam injuriam reparandam, etsi jura non subveniant pro foro externo, concedendo actionem & exceptionem intuitu quietis publicæ per lites ex tali concessione orituras nimiumque multiplicandas graviter & facile turbandæ; habet tamen ad hoc metum passus satis præsidii ex eo, quod forum internum eam reparationem præcipiat, dum juris naturalis dictamine metum inferens ad dictæ injuriæ amotionem astringitur.

3. Neque secundo: quod si per metum levem inferatur injuria eaque reparanda juxta forum internum, forum externum denegando ad hoc actionem & exceptionem, & sic se non conformando foro interno, videatur fovere injustitiam. Nam Ecclesia & Resp. negando forensem actionem ex motivo majoris boni, nempe tranquillitatis publicæ dici non potest cooperari injustitiæ, aut eam fovere, sed solum permittere illam ob bonum commune; uti nec exinde dici potest negare faciendam esse restitutionem, sed solum negare faciendam compulsione Judicis in vim institutæ actionis: *quod metus causa*. Quin etiam permittat, quod, licet metu levi illatu læsus non habeat civilem actionem & exceptionem metus, possit tamen implorare officium Judicis, & hic ex officio tales contractus rescindere, ne inferens metum ex malitia sua commodum aliquod reportet, & illum patiens injuste damnum patiatur, ut cum Gloss. *in cap. cum dilectus h. t. v. metum* Abb. *ibid. nu.* 9. Anchar. *nu.* 2. Bartol. *in l. metum* 6. *ff. h. t.* Sanch. *de mat. l.* 4. *disp.* 9. *nu.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 17. *dub.* 6. *in fine*. Castrop. *cit. part.* 12. *num.* 4. Atque ita satis forum externum conformari interno censent iidem.

4. Neque tertio: quod si per levem metum acquisita restitui deberent ratione illatæ injuriæ, deberet ea restituere, non tantum inferens metum, sed ad quemcunque possessorem, etiam bonæ fidei, ea pervenissent; cum passus injuriam semper jus habeat recuperandi rem suam. Nam etsi Garcias, *de nobilit. gl.* 17. *nu.* 29. Less. *l. c. n.* 39. & *d.* 5. *n.* 33. negant, possessorem talem teneri sic acquisita restituere; eo quod vere in eum translatum sit eorum dominium: Castrop. tamen *l. c. nu.* 4. cum Sanch. *l. c. nu.* 6. probabilius censent, teneri illum ratione rei acceptæ ex jure naturali ea restituere, quoties translator dominii, seu is, cui facta injuria, voluerit sibi rem suam reddi; eo quod esto dominium in talem possessorem translatum sit, id tamen sit infirmum & revocabiliter translatum ob injuriam commissam. Neque denique a matrimonio, quod levi metu contractum firmum permanet, quia ex natura sua est contractus irrescindibilis, ad alios contractus, qui etsi validi, rescindi possunt, valet instantia.

QUÆSTIO MXXXVIII.

An & qualiter contractus aliaque gesta ex metu gravi a causa necessaria, vel etiam libera, juste tamen incusso sint valida, aut invalida?

1. RESP. Ad primum gesta ex metu gravi incusso a causa naturali seu necessaria. V. gr. promissiones, juramenta, vota facta timore mortis in infirmitate, tempestate, incursu bestiarum, esse valida, nec rescindi posse, certum est, & constat ex *c. sicut nobis de regular.* ubi votum emissum a constituto in lethali infirmitate censetur validum, jubeturque servari. Idem habet locum in metu inferni. Sanch. *l.* 4. *de mat. disp.* 12. *a nu.* 4. adducens exemplum de eo qui metu inferni contrahit matrimonium cum concubina. Et ratio est, quia tali metu non irrogatur injuria, nec tollitur voluntarium; quin & ab eo, qui metum hunc patitur, libere eligitur obligatio v. gr. voti, tanquam medium aptum ad evitandum malum majus. Barbos. *in cit. c. sicut nobis num.* 2. Sanch. *loc. cit. disput.* 9. *num.* 7. Wiestner. *h. t. num.* 28.

2. Resp. ad secundum: Neque contractus, transactiones, resignationes, aliaque similia gesta & extorta metu gravi a causa libera juste incusso sunt invalida, aut rescindi possunt, est item communis (si matrimonium & religiosam professionem exceperis, de quibus controvertunt AA.) & constat ex *l. metum* 9. & *l. si mulier. ff. h. t.* ac ita tenent cum Gl. *in c. Abbas v. coactus* & *ibidem* Abb. *num.* 8. Sylv. *v. metus q.* 6. Paris. *de resign. l.* 13. *qu.* 1. *num.* 122. Gutt. *de juram. part.* 1. *cap.* 57. *num.* 5. Sanch. *loc. cit. disp.* 8. *num.* 8. Castrop. *loc. cit. part.* 10. *num.* 5. Less. *loc. cit. num.* 41. & alii: Et est ratio; quia nimirum contractus validos rescindendi tota ratio est injuria, quæ abest, dum metus juste incutitur. Sic itaque, qui crimen admisit, timensque accusationem sui promittit aliquid, ne accusetur, tenetur promissioni, nec petere potest rescissionem promissionis prætextu metus, utpote quem sibi ipse intulit, seu cujus ipse causam dedit, *l. accusationis C. h. t.* Neque his obstat primo textus *cap. fin. de appell.* ubi; quod ei, qui ex justo metu non appellavit, succurratur, ut postea, etiam post lapsum fatale tempus datum ad appellandum, audiatur; quia nomine metus justi non intelligitur ibi metus juste incussus, hoc est, quem juste & sine injuria quis patitur, quia ejus intentationi delicto vel culpa sua causam dedit, sed metus non vanus, probabilis, cadens in virum constantem, qui, ne appellatio interponeretur, injuste incussus erat, *ut in cit. cap.* notat Abb. *num.* 1. Barbos. *a num.* 3. Pirh. *ad tit. de appellat. num.* 87. Wiestner. *h. t. num.* 29. quod diligenter notandum, ne termini illi *metus justus* & *metus injuste incussus* confundantur; cum etiam metus justus seu cadens in constantem virum injuste incuti possit; quemadmodum Azor. dum *l.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 15. ait, contractus ex justo metu gestos firmos esse, tam in foro interno quam judiciali, in hoc tamen metum passis concedi tam actionem; *quod metus causa*, nimirum post traditionem vel solutionem rei, qua repetitur, quod datum vel solutum ex tali metu; quam exceptionem, quæ datur in promissionibus ante traditionem rei, qua qui promisit vel obligavit se alteri, excepit se ex metu hoc fecisse, petitque ideo se liberari ab obligatione datæ fidei. Neque secundo obstat textus, *l. nec timorem ff. h. t.* ubi, quod deprehensus in adulterio, si ex metu aliquid dederit ne prodatur, juvetur actione: *quod metus causa*, quia ibi non agitur de proditione, qua adulter juste ad Judicium deferri poterat, sed de proditione, qua prodendus illis, quia illum juste occidere non poterant, a quibus tamen haud vane timebat se occidendum.

QUÆSTIO MXXXIX.

Quid igitur in hoc puncto dicendum de matrimonio & professione contractis ex metu juste incusso.

1. RESp. etiam matrimonium (idem est de professione) ex metu injuste incusso, V. gr. metu accusationis & pœnæ infligendæ extortum ab eo, qui juste aliquem ad Judicem deferre aut punire poterat, probabilius tenent Sanchez *lib. 8. de matrim. disp.* 13. *nu.* 3. referens plures alios, Less. *loc. citat. num.* 40. Castropalao *loc. citat. part.* 10. *num.* 3. contra Guttierez *de Juram. part.* 1. *cap.* 57. *num.* 9. Covarruvias 4. *decret. part.* 2. *cap.* 3. §. 4. *num* 15. & alios id absolute negantes. Item contra Sotum 4. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *artic.* 3. Bonacin. *de matrim. quæst.* 3. *part.* 8. *proposit.* 1. *a num.* 11. & alios admittentes, valere matrimonium, si metus sit incussus a lege ad illam finem extorquendi matrimonium; secus, si incussus non a lege, sed a Judice, vel alio propria authoritate. Ratio responsionis eadem est, quæ ad *quæst. præced.* nempe quia nulla per hoc irrogatur injuria, & sufficiens relinquitur libertas. Siquidem qui extorquet matrimonium, non incutit metum, sed metu aliunde incusso offert matrimonium vel professionem in remedium mali, quod timetur; dum enim deprehensus in delicto merito timet, ne accusetur, is, qui petit matrimonium, ne a se accuseris, offert matrimonium, ut timorem accusationis jam a te conceptum extinguat, ac consequenter injuste non procedit; cum non timorem incutiat, sed remedium afferat. Ad hæc, minans accusationem, quam juste facere potest, nisi cum eo celebretur matrimonium, non cogit seu obligat ad subeundum aliquod malum, nempe accusationem, quod alias non tenebatur deprehensus ille in delicto subire. Ita fere Castropal. *cit. num.* 3.

2. Neque his obstat primo textus, *cap. veniens, il* 2. *de sponsal.* quia ibi matrimonium, quod quidam adolescens repertus in lecto cum filia, coactus fuit cum illa inire a parentibus, irritatur, non quia minati fuerant illum accusare, quod juste poterant, sed quia minati fuerant ei mortem aliudve grave malum, quod juste inferre non poterant; quia alias dici non poterat, uti dicitur in textu, coactus; cum delinquens vi talis metus, quem ipse sibi concivit, non dicatur coactus. Neque secundo: quod nemo nisi a seipso cogi seu obligari possit ad matrimonium vel professionem. Nam etsi nemo ad id obligari possit nisi a seipso absolute, potest tamen ad hoc obligari quoque ab alio sub conditione libere amplectenda, nimirum dum vult, ut si tu velis illum cedere alicui juri, quod adversum te habet. V. gr. accusationi, ob eam cessionem ineas cum illo matrimonium, vel emittas professionem: in quo tamen casu, non tam alter, quam is, qui vult cessionem illam, cogit seipsum ad ineundum matrimonium.

3. Neque etiam dicas, quod metus sufficiens ad alios contractus rescindibiles rescindendos (qualis est metus etiam juste incussus, vi cujus extorquetur quid excedens ultra dimidium justum pretium declinationis mali, quod timetur v. gr. cessionem accusationis, quia hoc ipso fit alteri injuria) sit sufficiens ad reddendum matrimonium invalidum, ut pro certo & ab omnibus recepto supponit Covarruvias 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 6. *num.* 4. & cum eo Sanchez *lib.* 4. *distinct.* 6. *num.* 2. Navar. Lopez & alii apud Castropalao *loc. cit. num.* 2. jam vero pro cessatione ab accusatione postulans & extorquens matrimonium vel professionem extorquet rem etiam in infinitum excedentem justum pretium cessationis ab accusatione, ne inquam hæc dicas. Nam cum metus juste incussus, etiam cum tali enormi læsione, non reddat alios contractus rescindibiles propter metum, sed ratione talis læsionis, non irritabit matrimonium ratione metus: sed neque ratione læsionis; quia neque alii contractus irritantur aut rescinduntur læsione, nisi ea, quæ versatur circa eorum substantiam, qualis in reliquis contractibus bonæ fidei est quælibet læsio in pretio; in contractu vero matrimonii læsio versans circa substantiam solum contingit, quando est error in persona, vel conditione servili, ut si contrahatur cum Titia, quam quis putat Cajam, vel cum serva, quam quis putat liberam, ita cum Sanchez *loc. citat. num.* 15. Castropalao *loc. citat. num.* 4. qui etiam *p.* 11. inde deducit primo valere matrimonium condemnati ad mortem cum meretrice, vel filia occisi, cui oblata libertas sub conditione ducendi illam; quia extorquetur tunc matrimonium metu mortis jam per delictum incusso, & non ab offerente libertatem sub ista conditione, citatur pro hoc ab eo Sanchez *l. c. disp.* 18. *a n.* 9. idemque extendit Castrop. *l. c. nu.* 1. cum Sanchez *nu.* 18. Valent. Bonac. Coninck Navar. &c. quos citat ad condemnatum injuste ad mortem, modo ad eam condemnatus non sit eo fine, ut extorqueretur matrimonium. Secundo, valere matrimonium ægri, cui medicus non vult mederi, nisi ducat suam filiam; quia tunc matrimonium expetitur tanquam pretium curationis, quod pretium licet sit excessivum, non tamen annullat matrimonium secundum dicta paulo ante, citat pro hoc Sanch. *disp.* 12. *n.* 15. Conninck Bonac. Limitat tamen hoc ipsum cum Pont. *l.* 4. *c.* 19. *a nu.* 2. & aliis: nisi medicus ex justitia vel caritate obligatus esset mederi pretio communiter taxato.

QUÆSTIO MXL.

An retineri possit, quod quis metu juste incusso extorsit, dum metum incutiens non habuit animum inferendi malum, quod minatus.

RESp. Non convenire in hoc AA. negant enim id aliqui cum Molin. *de just. tr.* 2. *d.* 514. *in fine*, eo quod passus metum non det aliter, quam quantum necessarium est ad evitandum malum comminatum; dum autem minans absque eo non esset illaturus malum, datio illa non est necessaria ad illud avertendum. Contrarium probabilius censent Sanch. *l.* 4. *d.* 9. *nu.* .. Less. *l.* 2. *c.* 17. *dub.* 6. *n.* 42. Castrop. *cit. p.* 10. *num.* 5. eo quod, dum ex metu accusationis dat alteri pretium, ne accusetur, det illud, ut cesset accusatio, non utcunque, sed certo, secure ac irrevocabiliter, quod ut obtineatur, necesse est, pretium vere donatum irrevocabiliter. Quin & petitur pretium a minitante accusationem, non solum ne accuset, sed etiam ne accusare possit, sive ut cedat juri accusandi, ad quam impotentiam & cessionem impertinens est, illum habere, vel non habere animum accusandi; uti etiam impertinens ad istam dationem, quod non fuisset illam facturus, si scivisset, alterum non habuisse animum accusandi; quia non dedit, ut alter animum deponat, sed ut certo & secure deponat, vel potius nunquam suscipiat illum animum.

QUÆSTIO MXLI.

Num valeat contractus, & in specie matrimonialis, ad quem cogit Judex, juste quidem secundum allegata & probata, injuste tamen a parte rei seu quo ad rem?

RESp. Neque in hoc convenire AA. affirmant Sanch. *l.* 4. *d.* 14. *num.* 8. & Bonac. *de mat. qu.* 3. *part.* 8. *nu.* 14. eo quod compulsio illa & coactio sit juridica & justa formaliter. Contrarium probabilius tenent Castrop. *cit. part.* 11. *num.* 3. Pont. *l.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. quos sequitur Wiestner. *h.* 1. *num.* 37. eo quod quamdiu Judex procedit secundum allegata & probata, falso tamen probata, justa quidem sit compulsio ex parte Judicis, non tamen justa ex parte patientis; cum is injuste cogatur, quia ipse non dedit causam tali coactioni, adeoque jus irritans contractum ex injusta coactione, hunc casum non excludat. Quemadmodum irritum est matrimonium, ad quod formaliter juste compellit parens adolescentem inventum cum filia, intentata ei morte, nisi eam ducat, dum erronee putat, licitam sibi esse talem compulsionem, aut etiam illationem mortis.

QUÆSTIO MXLII.

An & qualiter metus incussus ex alio fine, quam ad extorquendum contractum aliumve consensum invalidet illum?

1. RESp. talem metum, sive juste sive injuste incussum, non invalidare contractus aliosque actus similes excepto matrimonio, consentiunt omnes. Sed neque reddere matrimonium invalidum, aut etiam alios contractus rescindibiles, tenent Butrio *in cap. cum locum de sponsal. num.* 12. Covar. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 3. §. 4. *num.* 15. Sperell. *fori eccl. decis.* 6. *num.* 4. Perez *de matrim. d.* 17. *s.* 9. *num.* 3. Sanch. *l.* 4. *distinct.* 12. *a num.* 3. Reiffenstuel

h. 1,

b. tit. num. 28 &c. dicentes esse certissimam & communissimam; eò quod tales contractus jura naturali subsistentes, utpote absolute voluntarii & liberi, nullo jure positivo infirmentur, & quod ad eos ineundos nemo compellat, sed eligantur sponte tanquam medium ad evadendum malum sibi alio fine intentatum, licet intentatione talis mali eis fiat injuria. Sic ubi quis ratione debitorum incarceratus vel incarcerandus ad declinandum squallorem carceris offert matrimonium, in quod alias consensurus non fuisset; aut donat rem aliquam, eam alias non donaturus, valet matrimonium & donatio, ita ut hæc quoque rescindi nequeat; quia iste metus carceris juste incussus non fuit ad extorquendum matrimonium vel donationem illam, sed hæc & illud sponte electa tanquam medium declinandi carcerem, ut Abb. *in cap. cum locum de spons. num.* 9. Jo. And. *ibid. num.* 2. Sanch. *loc. cit. num.* 6. &c. Sic parens dum in ultionem injuriæ, & non ad extorquendum matrimonium, occideret juventum cum sua filia juvenem, is ad injuste incussum sibi metum mortis, & mortem declinandam ultroneè promitteret patri, se ducturum filiam in matrimonium, rescindibilis non est ita promissio, & matrimonium inde secutum validum. Barbos. *in cap. veniens el.* 2. *de sponsal. num.* 4. Sperell. *loc. cit. num.* 5. qui tamen *num.* 10. notat, quod quantum attinet ad praxin fori externi, in dubio præsumatur, metum non ex alio fine, quam ad extorquendum matrimonium aliumve contractum fuisse incussum.

2. Nihilominus contrarium (saltem quo ad metum injuste incussum) tanquam verisimilius sibi visum tenent de Lugo *de Just. & Jur. dist.* 22. *num.* 175. citans alios. Palatios *in* 4. *dist.* 29. *dist. unic. ad finem §. nono.* Veracrux *speculi part.* 1. *ar.* 8. *§. charissime* apud Wiestner. *h. t. num.* 35. inclinantem in hanc sententiam, in quam etiam inclinat Pirh. *h. t. num.* 41. Adducunt hi AA. pro se textum *cap.* 1. *h. t.* ubi pro irrito habetur ingressus & professio religionis, quam mulier jamjam occidenda a militibus jussu mariti in ultionem adulterii suasu eorundem militum emiserat ad evadendam mortem. Item textum, *l. nec tenorem §.* 1. *ff. h. t.* ubi ad edictum Prætoris (quo is *L.* 1. *ff. h. tit.* edixerat se, quod metus causa gestum, ratum non habere) pertinere dicitur; si quis in flagitio deprehensus ex mortis vel alterius mali, non jure sive injuste inferendi metu aliquid dederit, vel se obligavit. Qui tamen textus non satis efficaciter videtur probare intentum; cum intelligi possit etiam de eo, qui metu mortis sibi injuste incusso ad extorquendum aliquid, dedit. Nec non adducunt rationem; nimirum, quod licet metus v. gr. mortis, injuste incussus non sit ad contractum aliumve actum extorquendum, per eam tamen incussionem gravis injuria sit irrogata passo metum, ratione cujus injuriæ inferens illam resarcire teneatur totum damnum ex tali metu secutum (quale est promissio & erogatio rerum suarum) adeoque procurare reductionem metum passi in statum talem, in quo nihil damni illius patiatur, quod si non aliter, quam per rescissionem istius, quod metu tali gestum, obtineri possit, hanc facere, & quod ex illo contractum vel re gesta acceperit, restituere teneatur. Ad quod tamen facile respondebunt adversarii, teneri injuste incutientem metum resarcire omnia damno ex eo provenientia per se ac necessario v. gr. si ex isto metu gravem contraxisset infirmitatem, in cujus curationem multos sumptus facere debuisset, ad hos refundendos tenebitur incutiens injuste illum metum. Secus vero quo ad resarcienda damna inde provenientia per accidens ac libere, quale damnum est, dum donatio non expetita nec intenta ab inferente metum arripitur libere tanquam medium ad effugiendum malum majus. Alias enim teneretur quoque inferens metum refundere metum passu id, quod is erogavit in tertium quendam. V. gr. Sempronium, ut is liberaret se a malo intentato sibi a Cajo; quod non videtur esse verum.

QUÆSTIO MXLIII.

An & qualiter metus incussus directe ad extorquendum contractum aliumve consensum seu actum eundem invalidet?

1. RESp. actus istiusmodi (si alias rescindi possint) tam in foro conscientiæ quam externo judiciali sunt validi, etsi obnoxii rescissioni faciendæ a patiente metum ope actionis: *quod metus causa*: si res non sit integra, ut sibi res, si quæ translata, reddatur, vel si est adhuc integra, tueri se ope exceptionis. Gl. *in cap.* Abbas *h. tit. v. coactus* Butr. *ibid. num.* 7. Jason. *in l. Titia ff. de V. O. num.* 6. Gutt. *de juram. part.* 1. *cap.* 57. Sanch. *lib.* 4 *de mat. disp.* 8. *nu.* 4. Suar. *lib.* 6. *de voto cap.* 27. *num.* 17. Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 6. *num.* 2. Lugo *tom.* 2. *de Just. & Jur. dist.* 22. *num.* 115. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub* 6. *num.* 42. Castrop. *tr.* 3. *disp.* 1. *part.* 8. *num.* 4. Pirh. *h. tit. num.* 10. contra Molin. *tom.* 2. *de Just. & Jur. disp.* 267. & 326. Covar. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. *§.* 5. *num.* 6. & alios apud Sanch. *cit. disp.* 14. *num.* 1. tenentes, omnes indiscriminatim tales actus ipso jure invalidos esse. Item contra Vasq. 1. 2. *disp.* 27. *in fine* Azor. *lib.* 1. *cap.* 11. *quæst.* 7. *§. nono.* Pontium *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. & *cap.* 7. *num.* 4. apud Castrop. idem tenentes de actibus lucrativis, quales sunt promissio, donatio, testamentum, legatum, commodatum, precarium &c. utpote in quibus nullus est alius titulus transferendi dominium præter voluntatem, quæ cum non sit liberalis, sed metu coacta, non videatur sufficere ad transferendum dominium, non secus ac solutio usurarum exinde est ipso jure naturæ nulla. Contrarium tamen tenentes de contractibus onerosis, ut sunt venditio, emptio, locatio &c. utpote in quibus non dependentibus a mere gratuita voluntate, titulus est sufficiens ad transferendum dominium, nimirum dati & accepti. Ratio primæ partis responsionis, quod nimirum sint validi, & imprimis jure naturæ, est, quod non obstante injuria per metum illata, tales contractus habent, quidquid ad rationem contractus validi necessario requiritur, nimirum consensum & justum titulum. V. g. dati, accepti, empti, venditi, donati, promissi &c. neque enim hunc titulum neque consensum tollit metus, cum relinquat simpliciter voluntarium, & tollat tantum spontaneum; uti hæc patent a simili in contractibus stricti juris, quibus dolus (non versans circa substantiam, cui metus in jure æquiparatur, *l. dolo C. de inutil. stipulat.* non tamen dolo versanti circa substantiam, quippe qui excludit seu tollit voluntarium) causam dedit. V. gr. dum quis duxit pauperem, quia putavit divitem: qui omnes definiuntur esse validi. *Instit. de except. in princip. & cit. l. dolo*, ita ut jam nequidem deceptor possit resilire a tali contractu, si deceptus velit stare contractu. Arg. *cap.* 1. *de eo, qui duxit in matrim. & L.* 13. *ff. act. empt.* Quod etiam a jure positivo non irritentur, vel ex hoc ipso patet, quod Leges & Canones, *cap. Abbas L.* 1. *& l. metum ff. h. tit.* &c. dicant & statuant actus tales esse irritandos, polliceantur adversus eos restitutionem & rescissionem, actus siquidem ipso jure positivo nulli a jure rescindi nequeant; cum rescissio essentialiter supponat valorem illius quod rescinditur. Quin &, quod *l. si mulier. ff. h. tit.* diserte dicatur, eum, qui metu coactus adit hæreditatem, effici hæredem, sed per Prætorem restituendum & quidem ex ratione, quod quamvis, si liberum fuisset, noluisset, tamen coactus voluerit. Ratio autem, cur leges potius ad instantiam metum passi irritandos, quam irritos statuant tales actus, est, quod regulariter & per se magis faveant metum passo, relinquendo nimirum hac ratione in ejus potestate, ut, si velit, quia judicat eum sibi utilem, servari illum vel adimpleri, ad ejus impletionem & observationem agere possit; secus, ad ejus rescissionem.

2. Sed neque responsioni seu validitati talium actuum obstat primo, quod si actus tales sint validi, hac ratione inferens metum videatur habere commodum ex malitia sua. Nam hoc commodum exiguum est, & pro nihilo reputatur; cum tales actus ad voluntatem metum passi rescindere, & percepta restituere teneatur & cogatur; adeoque dominium admodum infirmum (quod in eum tam in contractu oneroso quam lucrativo vere translatum, ut cum Gl. *in cap. unic. h. t. in* 6. *not.* 1. & *in cap. super hoc de renunc. v. resignat.* & communiore Nav. *in cap. accepta de rest. spoliat. opposit.* 5. *num.* 21. Less. *loc. cit. num.* 44. Castrop. *cit. part.* 8. *num.* 5. Sanch. *cit. d.* 8. *num.* 5. & 11. referens plures) amittere, &

rem ad pristinum statum reducere, naturæ dominii non magis obstante dicta obligatione restituendi ad nutum & voluntatem metum passi, quam dominio, quod quis habet in bonis suis, obstet, quod vi promissionis suæ factæ alteri aliqua ex eis donare ac cedere teneatur, ut bene Castrop. *loc. cit.* ubi etiam censet, rem per metum extortam etiam in tertium traoslatam posse ab eodem a metum passo vindicari juxta *l. si cum exceptione §. in hac actione ff. h. t.* & *l. metum autem §. volenti ff. eod.* ubi, quod volenti (nimirum per metum adacto) detur actio in rem & in personam addita etiam *ibidem §. licet* ratione quia res in bonis ejus est, qui vim passus est, non quidem, qaia proprie res est illius, sed quia, qui habet actionem ad rem, rem ipsam habere videatur. *Reg. qui actionem de Reg. Jur.*

3. Neque secundo obstat huic validitati, quod metum passus non teneatur rem tradere. Nam non omnino non obligatur; cum obligetur ad hoc, nisi exceperit, sed tantum non obligetur firmiter. De Lugo *cit. §. 22. a num. 76.* Pirh. *h. tit. n. 12.* Wiestner. *n. 33.* Paulo aliter respondet ad hanc instantiam Castrop. *cit. nu. 5. §. ad tertium*; nimirum, quod licet metum inferens non potest metu extortum recipere ratione injuriæ, potest tamen illud recipere ratione contractus, ita metum passus tenetur illud ratione contractus tradere, etsi ratione injuriæ excusetur a tradendo; cum possit incutientem metum exceptione injuriæ repellere. Stant enim simul hæc duo, aliquem ex uoo capite obligatum esse ad aliquid faciendum. V. gr. ex contractu debere centum, & ex alio capite deobligatum esse ab illo faciendo, dum ratione injuriæ sibi illatæ potest debitor debitum illud retinere & creditorem exceptione injuriæ repellere, quousque is satisfactionem præstet.

4. Neque tertio: quod solutio usurarum ideo sit ipso jure nulla, quia in ea deficit voluntas liberalis, & sit coacta. Nam præcise ex eo non est nulla, quia est involuntaria secundum quid, sed quia in ea deficit titulus; cum detur pretium mutui, quod pretio dignum noo est.

5. Neque quarto; quod donatio ex metu facta ex eo capite videatur non esse donatio; quod, qui ex metu donat, non vult io nullo casu ad se reverti, quod donat, sed potius contrarium. Siquidem *l. donationis ff. de donat.* dicitur: *donat quis ea mente, ut statim velit accipientis fieri, & in nullo ad se reverti, & tantum ut liberalitatem & munificentiam exerceat; hac est vera donatio.* Nam qui etiam coacte donat, vult simpliciter & absolute fieri accipientis, & nunquam sibi reddi, quod sufficit ad veram donationem, at simplici affectu vult contrarium, unde & talis donatio dicitur involuntaria secundum quid, non secus, ac projiciens merces in mare absolute vult projicere & a se abdicare, & nunquam recipere, simplici tamen affectu vult eas noo projicere, sed potius recipere. Lex vero citata loquitur de donatione pura & perfectissima, hoc est, carente etiam dicto involuntario secundum quid, de qua etiam loquitur Aristoteles *l. 4. topic. c. 4.* dicens, donum esse irreddibile, hoc est, datum aoimo & affectu, ne unquam sibi reddatur.

6. Neque denique quod leges: v. g. *l. 1. C. de rescind. vendit. l. qui in aliena §. 7. de acquir. hareditat. l. quia in carcerem h. t.* gesta ex metu irrita & oullius momenti esse dicant. Accipitur enim τὸ irrita, uti & alias pro mox irritabilibus, quæ propterea sunt vix ullius momenti, uti manifeste patet ex eo, quod aliæ leges dicant, posse ac debere rescindi, adeoque supponunt, non esse jam antecedenter irrita & nulla. V. gr. *c. ad audientiam h. t.* ubi dicitur: *quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, si quidem possunt ac debent rescindi cap. Abbas h. t.* ubi dicitur reonunciationem factam per metum debere in irritum revocari, *l. ult. C. h. t.* ubi dicitor: *venditiones, donationes transactiones, quæ per potentiam extorta sunt, præcipimus infirmari.* Similes legum aliarum in speciem contrariarum explicationes vide apud Pirh. *h. t. n. 11.*

7. De cætero procedit responsio nostra etiam, dum metus non est incussus ab ipso contrahente, sed a tertio quodam, etiam ipso contrahente inscio. Less. *l. c. num. 39.* Castrop. *l. c. p. 9. nu. 1. in fine* Sanch. *l. 4. d. 8. & 12. nu. 29.* referens alios juxta expressum textum, *L. cum exceptione ff. h. t.* ubi: *in hac actione non quaritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit; sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum vel vim, & ex hac eum, qui convenitur, etsi crimine careat, lucrum tamen sensisse*, item *arg. c. veniens de sponsal.*

QUÆSTIO MXLIV.

An ergo omnes contractus & actus ex metu injuste incusso ad illos extorquendos jure positivo sint validi?

1. RESP. Negative; sed excipiuntur sequentes, quos Gl. *in c. Abbas h. t. v. coactus*, complectitur sequentibus versiculis (etsi de omnibus id certum non sit; quin & omittantur aliqua, de quibus id certum, ut mox videbimus) *Tutor, Judicium, dos, Sacrum, copula, votum, Hac sex vi facta de jure scias fore nulla. Catera Jus patitur, sed postea restituuntur*, ubi per τὸ *Sacrum* intelligitur rerum sacrarum seu ecclesiasticarum promissio traditio per τὸ *copula* matrimonium, per τὸ *votum* religiosa professio.

2. Primo itaque juxta commonem irritum est matrimonium metu injuste incusso extortum, *c. cum locum cap. cum veniens de sponsal. & mat.* etiam adjecto juramento initum, *c. significavit. de eo, qui duxit in mat.* cum enim matrimonia valide contracta & consummata oulla potestate humana sint dissolubilia, soleantque matrimonia minus libere inita tristes plerumque habere exitus, merito ad eorundem valorem jura requisiverunt, non solum voluntarium & liberum, sed & spontaneum, id est, ab omni coactione & metu illud extorquendum injuste, directe vel indirecte incusso liberum. Quod autem ita statuere potuerit Ecclesia potius de invaliditate matrimonii, quam sacramentorum aliorum ita ex metu susceptorum, hæc est, quod ex Christi institutione determinata eorum materia & forma authoritati Ecclesiæ non sint subjecta; matrimonium vero, cum licet sit sacramentum, constet tamen contractu humano civili ducente originem ex jure oaturali, qui firmus oon est, nisi juxta leges humanas celebratus. Sic itaque, cum neque jurejurando astringatur qui taliter matrimonium inivit, poterit etiam ante juramenti sui relaxationem libere ad aliud matrimonium traosire. Azor. *lib. 1. cap. 11. quæst. 13.* cum communi. Unde etiam recte deducitur quod tradit *ibidem* Azor. cum Scoto, Richardo & aliis, ut ait antiquissimis TT. metu adactum ad consumandum tale matrimonium, debere potius eligere mortem; eo quod copula talis illicita sit, nec metu mortis evadat licita. Sed neque his obstat textus, *c. inter cætera 22. q. 4.* qui est desumptus ex S. August. ubi dicitur, matrimonium metu contractum sed jurejurando firmatum, validum esse. Nam præter hujus textus ioterpretationes varias, quas afferunt Gl. Abb. Sot. Covar. ad eundem probabilius respondet Azor. cum Major. tempore S. August. vel necdum prodiisse illam Ecclesiæ constitutionem, qua matrimonia metu extorta habentur pro invalidis, vel saltem more & usu non receptam. Porro num matrimonium taliter initum sit quoque Jure divino irritum, non conveoit inter AA. ut videre est apud Sanch. *l. 4. d. 14. per tot.* pro affirmativa citantur a Reiffenst. *h. tit. num. 48.* D. Thom. Scot. Bonavent. Covar. &c. certe rationes, quas affert pro ea, minus efficaces videntur, uti & responsiones ipsius ad argumenta uppositæ sententiæ, quamvis etiam non desint AA. qui matrimonium taliter extortum, uti & professionem religiosam, etiam jure naturali, irrita esse afferant, ut videre est apud Wiestner. *h. tit. num. 50.* Verum de hoc suo loco, oimirum *ad lib. 4. decretal.*

3. Secundo; de sponsalibus idem sentiunt Covar. *4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. n. 1.* Azor. *l. c. q. 7.* dicens communem Canonistarum, Summistarum & TT. Sanch. *l. 4 d. 19. num 3.* id tanquam probabilius defendens. Gutt. *de mat. c. 76. n. 42.* Salas *tr. 3. d. 3. s. 3. num. 27.* Reginald. & alii apud Castrop. *l. c. p. 9. nu. 3.* qui ipse inclinat in oppositum, nempe non irrita, sed solum irritanda istiusmodi sponsalia, pro ut tenent Less. *l. 2. c. 17. du. 6. num. 37.* Henriq. *l. 11. de mat. c. 9. nu. 6.* Ochagav. Pet. Ledesm. &c. ostenditque parum efficaciter probari contrarium ex *cap. ex literis de sponsal. impub.* in quo potissimum se fundant adversarii.

4. Tertio professio religiosa *cap. 1. h. t. & cap. fin. qui clerici v. vovent*, eo quod religiosi status assumptio propter ejus perpetuitatem & difficultatem noo minorem libertatem, quam matrimooium requirat. Covar. *l. c. cap. 3. §. 5. num. 5.* cum communi. Addit etiam Pirh. *h. t. num. 26. in fine* quod regularis, qui exivit ex monasterio, allegans professionis oullitatem, non cogatur redire ad monasterium, donec discutiatur justitia causæ, ob quam professio sit nulla. De cætero hodie post Trid. *sess. 25. cap. 19. de regular.* præ-

prætendens se per vim vel metum emisisse professionem audiri non debet, nisi intra quinquennium causas nullitatis deduxerit coram suo superiore & ordinario. Porro extendendum hoc ipsum ob rationis identitatem ad vota simplicia Scholasticorum & Coadjutorum in societate, utpote quorum emissione assumitur verus status religiosus juxta Constit. Gregor. XIII. ascendente. Extendunt idem ad alia quoque vota quæcunque cum Gl. in cap. Abbas h. tit. v. coactus Abb. ibidem num. 11. Nav. man. cap. 12. num. 52. Sanch lib. 4. moral. cap. 3. n. 12. Less. l. c. c. 40. num 18. Gonz. in cap. cum dilectus h. 1. num. 10. Zoes. h. t. num. 7. Roissenst. num. 57. Pirh. h. t. num 29. ubi etiam rationem hanc affert; quod, cum votum sit opus consilii, & non præcepti, habetque aliquam perpetuitatem, plenam requirat libertatem. Additque procedere hanc sententiam, etiamsi vovens habeat animum se obligandi, modo cessante metu non ratificet votum. Contrarium tamen probabilius tenentibus Sylv. v. votum 2. q. 12. Suar. l. 1. de voto c. 8. a nu. 4. Pont. l. 3. c. 19. nu. 9. Perez. de matrim. d. 17. s. 12. nu. 13. Wiestner h. t. nu. 44. citans pro hoc Castrop. tr. 12. d. 1. p. 5. n. 13. qui tamen tr. 2. d. 1. p. 9. num. 2. expresse asserit contrarium. Ratio horum AA. est, quod nullitas & irritatio actus, utpote odiosa, astruenda non sit sine textu claro juris, vel urgente ratione. Jam vero nullibi in jure nullitas voti ex metu emissi statuitur. Siquidem cit. cap. cum dilectus h. t. ex quo potissimum contrariæ opinionis sumitur fundamentum (nimirum a sensu contrario ex eo, quod ibi dicitur votum observandum, si metus non intervenit, recte inferri videatur, non observandum, seu nullam inducere obligationem, si metus intervenit) sermo est de voto solenni religiosæ professionis, ut constat ex ejus historia allata ab ipsomet Gonz. l. c. n. 9. vel etiam, ut volunt alii, sermo est, de promissione solum jurata, quæ non nisi improprie votum dicitur. Vel si ibi intelligi velint verum votum simplex, idque ex metu editum non servandum, subintelligendum: facile obtenta relaxatione, ut cum Castrop. Wiestner. Sed neque Deus acceptando tale votum coactum videri potest ipsam injuriam approbare; cum hanc plectat, & relaxationem hujusmodi voti a se acceptati facile permittat. Nihilominus Castrop. & Suar. l. c. nu. 10. excipiunt votum ingrediendi religionem; eo quod, si tale votum metu extortum esset validum induceret obligationem ad actum ipso jure nullum, nimirum ad ingressum in religionem & professionem, quæ nisi sit spontanea & ab omni metu injuste incusso libera, est ipso jure invalida. Quam rationem quamvis Wiestner. num. 45. dicat efficacem non esse ex eo capite, quod votum dictum obliget ad professionem, non metu extortam, sed metu cessante, libere emittendam, & juxta matrimonium & professionem, non ob quemcunque metum antecedentem, sed in ipso ejus contractu, & hujus emissione intervenientem, vel non cessantem irritarent. Revera tamen satis efficacem esse, suadetur ex eo, quod quamdiu quis vi voti (quod se fecisse dolet, & cuperet non fecisse) facti ex metu injuste incusso obligatus ad emittendam professionem, hanc emittit, metus idem moraliter saltem, censeatur influere in ipsam emissionem professionis, ac ita eam non relinquere omnino spontaneam & liberam, adeoque ea adhuc censeatur invalida, nisi forte, qui ex metu voverat, votum suum dein approbet explicite vel implicite, non desiderando aut petendo relaxationem illius, dum facile eam obtinere potest.

5. Quarto absolutio ab excommunicatione, suspensione, interdicto, vel etiam revocatio sententiæ, qua earum aliqua lata, juxta expressum textum c. unic. h. tit. in 6. idque odio illorum, qui in contemptum potestatis clavium & libertatis ecclesiasticæ præjudicium Judices ecclesiasticos ad censurarum inflictarum relaxationem compellere nituntur, cum pro ea ultroneo a contumacia recessu & humili prece instare deberent. Præterquam autem, quod incusso metu extorquentes dictam absolutionem aut revocationem non consequantur liberationem a censura, excommunicationem novam seu de novo incurrunt, prout ut statuitur cit. c. unic. & declaratur amplius. Gl. ibid. v. excommunicationis Laym. ibid. nu. 1. Pirh. h. 1. num. 31. not. 4. ubi, quod jam excommunicatus possit iterum excommunicari ex alia causa. Argum. cit. cap. unic. & ibid. Gl. v. excommunicatus, eo quod etsi vi secundæ excommunicationis istius non constituatur quidem extra Ecclesiam, cum per primam jam sit potius extra illam; ea tamen faciat, ut maneat extra Ecclesiam, donec fuerit absolutus non solum a prima, sed & a secunda excommunicatione, ut Gl. fin. in c. ita quorundam de Judæis. Porro extenditur dicta constitutio ad absolutionem a minore excommunicatione; cum hæc sit vera excommunicatio, & textus loquatur generaliter, violeturque & contemnatur quoque per talem extorsionem absolutionis ab ea authoritas & libertas ecclesiastica. Felin. in ca. si quem de sent. excom. Suar. de cens. d. 7. s. 6. n. 13. Laym. loc. cit. n. 3. Wiestner. h. t. n. 47. cum communi. Item ad absolutionem ab excommunicatione injusta Gl. l. c. post Jo. Monach. Archid. Sayrus l. 2. thesau. ca. 21 nu 3. Wiestner. l. c. Reiffenst. h. t. num. 67. si quidem, ut dicitur Can. sententia. caus. 11. qu. 3. sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est, & injustitiæ censuræ, non violentiis, sed remediis jure proditis occurrendum. Arg. c. Sacro de sent. excom. v. caveant. Item dicta revocatio extenditur ad sententiam latam de excommunicatione incurrenda, nisi pareatur, vel hoc illud va fiat, ita ut, si ejus revocatio metu extorqueatur ante impletam conditionem, dicta constitutio locum habeat c. unic. Suar. l. c. nu. 13. Laym. l. c. nu. 1. in fine. Ac denique etiam locum habet, ubi absolutio & dicta revocatio extorta fuit a tertio aliquo. Wiestn. l. c. citatis Sayro ubi ante Ugolin. de censu. tab. 1. c. 2. §. 4. num. 1. E contra dicta constitutio locum non habet in dispensatione ab irregularitate sic extorta, ita ut illa valeat, etsi postmodum sit irritanda. Lugo Tom. de Just. & Jur. d. 22. s. 7. n. 129. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. nu. 66. Item ubi Judex ecclesiasticus tali metu nihil motus absolutionem ab excommunicatione vel revocationem sententiæ denegavit; cum in textu dicatur extorserit, hoc est, cum effectu. Pirh. Wiestner. LL. cit. cum Gl. in cit. cap. unic. v. extorserit. Item ubi censura lata invalide; cum sententia nulliter lata, utpote habens se, ac si lata non fuisset, proprie revocari aut relaxari nequeat. Argum. c. ad dissolvendum de sponsal. impuberum, adeoque vere in effectu absolutio & revocatio extorta non fuerit. Suar. de cens. d. 23. sec. 4. nu. 12. Pirhing hoc tit. num. 31. Layman Wiestner LL. cit. Reiffenst. nu. 67.

6. Quinto dotis promissio, etiam absoluta absque determinatione quantitatis (in quo casu id negant. Alex. de Nevo, in cap. cum locum de sponsal. Bartol. in l. si mulier.) stipulatione non firmata, & ejusdem solutio, uti & promissio & solutio Arrharum metu extorta, est ipso jure irrita. Glos. in cap. Abbas h. tit. vers. coactus. Abb. ibid. in nu. 9. Pet. Barbos. ff. soluto matr. part. 4. num 27 Sanchez l. 4. de matr. d. 12. num. 23. Azor. l. 2. c. 11. qu. 7 Less. cit. dub. 6. n 37 Castrop. l. c. num. 4. juxta expressum textum l. si mulier § si dos hoc ait. si dos metu promissa sit, non puto nasci obligationem, nec solam promissionem dotis ullam esse, ubi summarium ait: contractus dotis factus metu est ipso jure nullus. Ratio, quæ movet Juris-Consultum ad sic statuendum, non quidem eadem, quæ fuit irritandi matrimonium ipsum metu extortum, utpote quod ideo irritum, quia semel valide contractum non est irritabile; cujus contrarium est in promissione & solutione dotis; sed propter dotis tanquam accessorii ad matrimonium tanquam principale ex alio capite, si metu contrahatur, irritatum, accessionem & connexionem, ita ut irritato principali irritetur quoque accessorium propter irritationem principalis, tametsi utriusque irritationis non sit eadem ratio.

7. Sexto contractus aliaque gesta ab incarcerato cum detrudente ac detinente injuste ad extorquendum aliquid ab eo sunt ipso jure nulla. Abb. in cap. 2. h. tit. num. 19. Castropalao l. cit. part. 9. num. 3. & alii paulo post citandi, juxta l. qui in carcerem ff. h. tit. ubi: qui in carcerem aliquem detrusit, ut aliquid ab eo extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius sit momenti. Id est, nullius vigoris, ut illas particulas explicat Farinac. in pr. crimin. part. 1. quæst. 35. nu. 4. quamvis easdem particulas ita accipiat Pirhing h. tit. num. 36. in fine; quod gesta illa sint nullius momenti, nimirum non in se, sed quoad effectum, quia rescindi possunt. Extenduntque hoc ipsum ad ea, quæ pater incarcerati cum incarcerante gessit. Brunneman. in cit. l. qui in carcerem n. 1. Roland. a Valle, l. 3. cons. 57. num 57. Non tamen extenditur ad gesta ab incarcerato cum alio, non ad instantiam incarcerantis. Castropalao l. cit. citatis Farinac. ubi ante nu. 3. Pont. l. 4. de matr. c. 10. n. 9. Paris. de resign. l. 13. q. 1. n. 120.

8. Septimo dationem & prorogationem jurisdictionis esse irritam, tenent cum Glos. in c. 2. h. t. v. coactus. Abb. ibid. n. 12. & 17. Anchar. n. 3. Bald. in l. decernimus Cod. de Sacro-Sanctis eccl. nu. 5. Azor. l. c. qu. 7. Salas 1. 2. tr. 3. disp. 3. sec. 1. num. 27. Pont. l. c. cap. 8. n. 14. Reiffenst. h. t. n. 63 &c. Contrarium tenentibus cum Card. in c. Abbas v. quintus. Sanchez l. 3. v. 39. n. 13. Less. l. 2. c. 18. nu. 37. Castropalao cit. part. 9. nu. 6. Pirhing h. tit. num. 33. de Lugo de J. & Just. d. 22. num. 131. eo quod nullus textus juris talem dationem aut prorogationem irritam declaret; adeoque de iis idem dicendum, quod de aliis per metum gestis aut concessis dicitur,

regulariter ea valere, nisi specialiter excipiantur. Addit tamen de Lugo irritandam esse hujusmodi prorogationem. Sed neque his obstat textus *l. 2. ff. de Judic.* in qua potissimum se fundant adversarii. Nam (qui est casus specialis dictæ legis) dum a partium litigantium jussarum consentire in Judicem, cui alias non subsunt, consensu dependet collatio & prorogatio jurisdictionis, hic consensus metu extortus nullus est, & consequenter etiam collatio & prorogatio jurisdictionis est nulla, uti & omnia ex illa acta ex quo tamen, ut recte Castrop. *loc. cit.* non sequitur, etiam in quocunque alio casu, ubi directe datio & prorogatio jurisdictionis metu extorquetur, eam fore invalidam contra *Reg. quæ a jure de Reg. Jur. in* 6. non permittentem speciale trahi ad generale, & in consequentiam quamvis, ut ex Lugo *loc. cit.* notat Wiestner. *h. t. num.* 49. Si verba citati textus accurate expendantur, dum ubi dicuntur litigatores restitisse, ne a Judice non suo judicarentur, videatur consensus eorum omnino defecisse, adeoque merito propter hunc defectum consensus litigatorum, a quibus proroganda jurisdictio, hæc prorogatio ipso jure nulla pronunciatur, etiam independenter a metu.

9. Octavo constitutionem procuratoris ad negotia metu extortam ipso jure nullam esse, censent. Pont. *loc. cit. n.* 15. Paris. *l. c. l. 9 quæst. 7. nu.* 42. Sarmiento *de redditib. p. 3. c. 4. nu.* 8. & alii apud illos melius id negant, solumque rescindendam tenent Covar. 4. *decret. p 2. c. 3. §. 5. nu. 9. in fine*, Sanch. *de mat. l. 4. d. 12. num.* 12. Castrop. *cit. part.* 9. & alii apud illum. Azor. *l. c. quæst.* 10. eo quod nullus textus juris reperiatur, in quo dicta nullitas affirmetur, & in specie in *c. accedens de procuratorib.* quod pro se adducunt adversarii, nullum verbum de illa, sed solum cavetur, ut constitutio procuratoris fiat libere. Porro posse constitutionem procuratoris factam ex metu ad resignandum clam revocari (intellige cum effectu) absque eo, quod intimetur procuratori, vel etiam resignatario, eo quod talis diminutus consensus, quo constitutus, qualibet revocatione tolli possit; sic inquam, cum Paris. *l.* 13. *qu.* 1. *nu.* 48. & Ruino *cons.* 171. *n.* 11. habet Castrop. *l. c. nu. 5. in fine*. Excipienda nihilominus constitutio procuratoris ad contrahendum matrimonium, ita ut ea metu extorta irrita sit, ut cum Host. *in cap. cum locum de sponsal.* Jo. And. *ibid. nu.* 1. Covar. cæterique AA. jam citati, excepto Azor. *loc. cit. in fine*. Sicut enim principalis ex gravi metu consentit in constitutionem procuratoris ad contrahendum matrimonium, ita etiam consentit ex eodem metu in matrimonium per procuratorem contrahendum (neque enim alio modo consentit in matrimonium suo nomine celebrandum per procuratorem, quam in illius constitutionem, cum id contrahatur vi consensus in illam præstiti) adeoque, sicut illud ideo est irritum, ita & illa nulla est, cum matrimonio valido jam deservire nequeat.

10. Nono promissio & traditio rerum Ecclesiæ metu gravi extorta est irrita, uti & juramentum ei adjectum de rebus illis non repetendis. *Can. si quandoque 15. quæst. 6. cap. pervenit. de jurejurand.* Gl. *ibidem v. per metum*. Abb. *in cap. Abbas h. tit. num.* 10. Pirh. *h. t. num.* 29. Wiestner. *nu.* 46. cum communi. Requirit enim istiusmodi alienatio ad sui valorem justam causam & solennitates jure præscriptas *c. 1. de reb. eccl. non alienand.* Sed neque juramentum esse potest vinculum iniquitatis, *cap. quanto de jurejur.* adeoque, quod præstitum super rebus ecclesiæ non reperendis contra obligationem impositam *c. si quis de reb. eccl. non alien.* obligatorium esse non potuit. Gutt. *de juram. par. 1. cap. 1. n.* 9. Dum autem in *cit. c. pervenit*. Episcopus dicitur absolutus a juramento de rebus ecclesiæ injuste ablatis non repetendis, non intelligitur ea absolutione dissolutum vinculum juramenti, quod nullum erat, sed nullitas illius declarata. Gl. *ibid. v. absolvimus*.

11. Decimo senteotia per metum extorta censetur irrita ab Host. *in sum. h. tit.* Salas *loc. cit. num.* 17. Verum rectius contrarium, nempe esse validam & tenere, nisi per exceptionem elidatur, docent cum Gl. *in can. injustum 11. quæst. 3. v. non valent*. Archid. *ibidem a num.* 2. Azor. *cit. cap. 11. num.* 8. Castrop. *cit. p. 9. num. 7. in fine*. Sed & si daretur, collationem jurisdictiunis metu extortam esse pro jure irritam, inde tamen non sequeretur, jurisdictionis legitime ac valide obtentæ exercitium, quale est latio sententiæ, esse irritum, ut bene Reiffenst. *h. t. num.* 73. cum juxta regulam communem illa, quæ metu fiant, teneant, nisi specialiter excipiantur.

12. Undecimo Authoritas tutoris præstita ex metu nulla est, uti & actus, cui ea adbibetur; idque favore pupilli, ne illi hoc modu præjudicetur. Argum. *l. 1. §. fin. de auth. Tutor.* ubi dicitur: Tutor, si invitus retentus sit per vim, non valet, quod agitur; neque enim præsentia corporis sufficit ad authoritatem: sive ut censeatur præstitisse authoritatem, sed requiritur ejus consensus ad hoc, ut gesta coram isto valeant, ut cum Bartol. *in cit. l.* Pirh. *h. t. num.* 35. De cætero, quod dicitur hic de vi, id etiam intelligendum de metu; cum, ut in simili ob favorem matrimonii dictum, metus gravis & coactio æquiparentur, *cap. cum locum de sponsal.*

13. Duodecimo confectio testamenti per metum extorta, aut si testes inviti ad ejus confectionem metu detenti, est irrita. Castrop. *loc. cit. num.* 2. Reiffenst. *h. tit. num.* 71. cum Host. *in sum. h. t. n.* 6. & Abb. *in c. 2. h. t. num.* 16. Argum. *l. si testamento §. fin. ff. de testam.* Etsi autem alias testium consensus non requiratur, sed solum ut præsentes intelligant, quid agatur, quod fieri potest, licet non tantum per metum, sed etiam vi detineantur, ut patet in testibus matrimonialibus; in testibus autem testamentariis dicta præsentia coacta non sufficit, quia rogati ad hoc esse debent, *l. heredes §. in testamentis ff. qui testam facere poss.* Sanch. *l. 4. d. 39. in fine*. Pirh. *h. t. n.* 36.

15. Decimotertio juramentum metu extortum, etsi valeat *c. verum de jurejur. cap. ad aures h. t.* Pirh. *h. t. num.* 15. Castrup. *l. c. num.* 8. ubi id exemplificat juramento de resignatione beneficii de beneficio resignato non repetendo juxta, *cap. si vero de jurejur. & ibi* Gl. Azor. *l. 1. cap. 11. qu.* 12. ubi quod tale juramentum, quo alicui aliquid promittitur valeat, sit communis Canonistarum & TT. adeoque dum v. g. quis latroni promittit pecuniam, ne occidatur, debeat juramentum servare, & pecuniam promissam solvere, nisi a juramento absolvatur; & in genere promissio ex metu facta & juramento confirmata servanda sit, quoticscunque servari potest sine jactura salutis æternæ. Potest tamen jurans petere relaxationem juramenti; imo etiamsi non petatur, Judex ex officio suo juramentum relaxare potest, eoque relaxato, promissionem ex metu factam per restitutionem in integrum rescindere. Argum. *cit. cap. ad aures*. Pirh. *loc. cit.* quin & qui metu adactus juravit se daturum pecuniam, potest sine relaxatione juramenti eam repetere per actionem; quod metus causa juxta *cap. debitores de jurejur.* quia vi juramenti, quo juravit, se eam daturum, & vi cujus tenebatur eam dare, non obligatur ad eam non repetendam; ubi vero jurasset se eam non repetiturum, non deobligatur nisi prius obtenta hujus juramenti relaxatione; quam tamen relaxationem non concedendam notat Laym. & ex eo Pirh. *h. tit. nu* 18. ubi ea videtur cessura in contemptum religionis Christianæ; ut si captus a Turcis pretium redemptionis jurato promisit. De cetero, ubi talis jurans postea sponte solvit promissum, posse eum adbuc solutum repetere, eo quod probabilis conjectura sit, solutionem non esse sponte factam, sed metu perjurii incurrendi, tanquam probabilius defendunt. Abb. *in cap. ad aures num.* 3. Navar. *lib. 1. cons. 4. num.* 10. Sanch. *de mat. lib. 4. disp. 18. num.* 10. Pirh. *h. tit. num.* 19. Attamen si juramentum apponatur actui, qui nullus est, & a jure reprobatus, non valet Castrop. *loc. cit.* adducens, *c. cum contingat. de jurejur. cap. quamvis pactum de pactis in 6. cap. licet eod. in 6. auth. puberum C. de pactis cap. si adversus vendition.* Quod tamen Azor. *cit. quæst.* 12. dicit intelligendum de iis actibus, qui jure naturali aut divino sunt irriti; eo quod hi actus non firmentur tali juramento. V. gr. simplex promissio de fornicandu. Secus de iis, qui mero jure humano civili vel canonico irritantur, vel potius sunt irritabiles; eo quod hi firmentur tali juramento, ita ut jam non rescindantur aut rescindi queant, nisi prius obtenta relaxatione juramenti ab Ecclesia. Verum de his alibi.

15. Decimoquarto, electionem metu extortam non esse ipso jure naturali invalidam; quia metus non tollit omnino libertatem, etsi eam imminuat, neque etiam jure positivo, sed solum irritandam, cum nullo textu juris exprimatur nullitas illius ipsu jure, affirmat Castr. *cit. p. 9. nu.* 6. Econtra tamen jure positivo esse non solum cassandam, sed & irritam, defendunt cum Gl. *in c. bona de elect.* & Innoc. *in c. quod sicut eod.* Covar. 4. *decret. p. 2. cap. 3. §. 5. nu.* 8. Nav. *c. accepta de restit. spoliat. opposit. 5. nu. 8. & 13.* Paris. *de resign. l. 13. quæst. 2. nu.* 14. Azor. *l. 1. c. 11. quæst.* 12. citant hi AA. pro se *c. periculum de elect. in* 6. ubi: *cessat electio, dum libertas adimitur eligendi*. Quod nescio, an congrue satis accipiatur ab adversario pro ademptione omnimoda seu omnis libertatis & consensus. Supponi enim videtur in textu illo, præbere electores non ficte & solum verbis, sed vere consensum, etsi metu extortum. Rationem quoque hujus nullitatis

hanc

hanc affert Azor. quod per electionem conferatur jurisdictio (intellige, suo modo, nimirum in quantum per eam datur jus ad prælaturam, cui competit jurisdictio) collatio autem jurisdictionis per metum extorta sit irrita ipso jure ; verum id dictum paulo supra, hoc ipsum negant alii. De cætero Azor. ipse suam responsionem limitat, ita ut procedat, dum electores unam certam personam eligere, seu in eam consentire metu adiguntur, non vero, ubi metu adiguntur ex pluribus personis, quin imo ex duabus tantum eligere unam. Atque ex his infert, quod ubi civitas obsessa vel occupata a tyranno metu cogitur eligere Magistratum, non valere electionem si cogatur eligere unam personam, secus, si ex pluribus seu certo genere eligere unam. Uti & valere ait matrimonium, dum quis metu adigitur ex pluribus Caji filiabus ducere unam, pro quo a Covar. contrarium docente citantur Abb. Felin. Innoc. Jason. &c. Verum hoc ipsum, nimirum valere tale matrimonium negant cum Covar. Castrupalao *cit. part.* 9. *nu.* 9. Sanch. *lib.* 4. *disp.* 12. *num.* 20. Pont. *l.* 4. *cap.* 14. *n.* 14. Salas 1. 2. *disp.* 3. *s.* 1. *num.* 27. Rebell. *part.* 2. *l.* 2. *quæst.* 11. *s.* 2. *num.* 11. *&c.* eo quod tale matrimonium vere sit coactum, dum cogitur ducere unam, quam alias ducturus non fuisset ; adeoque ex eo non minus quam ex alio matrimonio timendi sint infelices exitus. Idemque sentit de tali electione, qua cogitur quis ex pluribus sibi determinatis eligere unum, eam fore irritam, si alias electio coacta unius sibi in specie determinati esset irrita ; quia etsi plus libertatis haberet, dum plures exponuntur personæ, foret tamen adhuc absolute coacta.

16. Denique de resignatione beneficii quid dicendum, num hæc extorta per gravem metum sit irrita, nec ne, vide tractatum a me fuse & ex professo *in foro benef. p.* 3. *a q.* 701. *per plures sequentes*. Vide etiam Castrup. *tr.* 2. *disp.* 1. *p.* 9. *nu.* 9.

QUÆSTIO MXLV.

Qualiter subvenlatur metum passo ?

1. RESp. primo : Dum contractus aliusve actus ob metum gravem injuste incussum irritus est ipso jure, adeoque nulla est aut fuit obligatio illum implendi aut servandi, si necdum impletus est, absque omni etiam ope exceptionis, aut Judicis imploratione omittere illum seu non implere potest metum passus. Si vero jam celebratus, declarata ejus nullitate restituenda sunt omnia, si quæ data aut cessa.

2. Resp. secundo : dum contractus vel actus ex metu gestus de jure subsistit, & venit solum irritandus, varie subvenitur metum passo. Ac primo quidem, dum nimirum necdum impletus est. V. gr. promissio, donatio, venditio &c. rei traditione, subvenitur illi exceptione metus, seu quod metus causa, qua, qui metum passus, repellere potest metum inferentem, dum is petit adimpletionem contractus, & metu probato, Judicis officio absolvitur, ne præstare aut extradere cogatur, quod promisit, donavit, vendidit, *l. metum §. sed quod Prætor. ff. h. t.* Gl. *in c. Abbas h. t. v. coactus*. Imol. *ibid. nu.* 7. Laym. *nu.* 3. Pirh. *h. t. nu.* 43. cum communi. Secundo dum contractus jam impletus est rei traditione vel cessione, conceditur metum passo, non tam jure civili, quam prætorio, actio, quæ a primis prætoriani edicti verbis dicitur *actio quod metus causa l.* 1. *ff. h. tit.* utpote quæ ex æquitate a Prætore ei concessa ut licet in venditionem reique venditæ, aut pignoris vel Syngraphæ traditionem consenserit, quia tamen id metu gravis mali sibi intentati fecerit, petere possit a Judice, ut rescisso contractu in integrum restituatur, reddita sibi ab emptore vel donatario re sua, vel alio dato pignore, Syngrapha &c. Datur autem hæc actio non solum adversus eum, qui metum intulit, sed etiam adversus eum, ad quem metu extorta pervenerunt, etsi is metus incussi seu injuriæ illatæ particeps non fuit, modo doceatur, rem ad eum pervenisse, & penes eum existere. Atque ita habet duplicem actionem (vel etiam, ut Pirh. *h. t. num.* 13. dici potest habere unam actionem mixtam virtualiter duplicem) quarum illa, quam habet adversus metum inferentem ejusque hæredes ad resarciendum ipsi damnum, sive quantum interest, metum illatum non fuisse, est personalis. Altera vero, quam habet adversus tertium illum, ad quem res devenerunt, est & dicitur actio realis seu in rem scripta, seu utilis rei vindicatio, quæ ex prætoria æquitate conceditur quasi domino seu metum passo, vi cujus is potest prosequi rem illam, ac repetere, ad quemcunque possessorem, etiam bonæ fidei, a metum inferente, quocunque tandem titulo translata, pervenerit, *l. item si §. Pedius ff. h. t.* Sanch. *l.* 4. *d.* 8. *num.* 7. *& d.* 9. *num.* 6. Pirh. *h. t. num.* 44. Unde & metum passus dicitur & manet quasi dominus ; quia licet traditione rei metum inferens revera acquisivit dominium illius, contra eum tamen & quemcunque alium possessorem habet dictam actionem in rem utilem, ac si revera mansisset dominus, ideoque res dicitur in ejus bonis esse juris fictione ; quia nemo exclusus a re, vel ea omnino privatus censetur, cui a Prætore conceditur & offertur remedium restitutionis in integrum, *l. nemo ff. de in integ. rest.* Poterit nihilominus tertius ille possessor, post rem restitutam metum passo agere contra venditorem, sive eum, a quo rem per contractum onerosum accepit, qui tenebitur ei de evictione non secus, ac si rem alienam vendidisset. Lugo *Tom* 2. *de Just. & Jur. disp.* 22. *s.* 7. *num.* 183. Quin etiam in foro conscientiæ ante repetitionem metum passi, & Judicis sententiam tertius ille possessor, si injustæ coactionis particeps non fuit, non tenetur rem restituere. Non ratione rei acceptæ, cum aliena non sit, sed ejus dominium in ipsum translatum, etsi revocabiliter ; non ratione injustæ acceptionis seu detentionis, quia neque injuriam intulit, neque ejus particeps fuit. Lugo *l. c. num.* 173. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 17. *num.* 39. Pirh. *cit. num.* 44. Eadem hæc locum habent, dum metu ad hoc incusso a tertio aliquo quis vendidit, donavit &c. & tradidit sua alteri, qui inscius hujus illatæ venditori, donatori injuriæ, ea possidet bona fide, ita ut contra eum detur dicta actio realis, contra inferentem metum actio personalis ad resarciendum omne damnum, quod occasione metus sibi injuste incussi passus est. Ita Sanch *l.* 4. *disp.* 8. *num.* 7. Brunneman. *in l. item si ff. h. t. n.* 13. Wiestner. *h. t. num.* 57.

3. Respond. tertio : Si instituta intra annum utilem actione : *quod metus causa* : is, a quo res metu extorta, vel is, in quem ea translata, conventus & jussus a Judice, ejus sententiæ pareat, remque cum suis fructibus restituerit, pœnam nullam incurrit ; si vero in mora fuerit, parendi & restituendi, accusata hac ejus contumacia, in quadruplum condemnandus *cit. l. item si §.* 4. *& §. item actio. Inst. it. de actionib.* pœna hac immediate orta non ex metu incusso, sed ex dicta contumacia. Zoes. *in comm. ad ff. h. tit. num. ult.* Brunneman. *loc. cit. num.* 9. Pirh. *loc. cit.* Wiestn. *h. t. num.* 56.

QUÆSTIO MXLVI.

Quid, rescisso contractu ex metu inito, restituendum ?

RESp. Restituendam ante omnia rem ipsam venditam, donatam &c. dein non tantum fructus ex ea ab inferente metum perceptos, sed & quos ex ea metum passus fuisset percepturus, aut etiam percipere potuisset, si res ei extorta non fuisset, *l. sed & partus ff. h. t.* idque non ideo, quia metum inferens rei metu extortæ dominium non habet, sed quia metum passus restituendus est in integrum, *l. non interest. C. h. t.* sive in eum statum, in quo fuisset, si metum passus non fuisset. Sanch. *cit. d.* 8. *n.* 11. Zoes. *in ff. h. t. num.* 29. omneque damnum ex delicto proveniens, quale est jactura dictorum fructuum, resarciri debet a delinquente, seu injuriam inferente. Unde etiam, si is, qui rem illam metu extortam bona fide possidet, nullam injuriam intulit, non tenetur fructus illius bona fide perceptos & consumptos restituere, nisi ad summum, in quantum inde factus est ditior, de Lugo *l. c. n.* 119. Pirh. *n.* 13. *h. t.*

QUÆSTIO MXLVII.

An, ut actus metu extortus declaretur nullus, aut si jure validus est, irritetur, metus probandus & qualiter ?

1. RESp. ad primum : metus ab allegante illum, est probandus, quia regulariter non præsumitur ; cum illatio illius sit quid facti. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *cap.* 26. *q.* 1. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 126. *n.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 1056. *a nu.* 1. Paris. *de resign. l.* 13. *quæst.* 1. *num.* 71. citans plures alios, ac præcipue, quia continet delictum (agimus enim hic de metu injuste incusso) quod non præsumitur, sed eget probatione, *can. in cunctis* 11. *qu.* 3. *Can. nullum ante* 30. *q.* 5. *l. in bello ff. de captiv. & postlimin. l. merito ff. pro socio*. Metus autem, cum clam inferri soleat, consistatque in mente,

cum dicatur instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio, reputatur difficilis probationis. Bald. in l. si quis hoc genus C. de Episc. & Cler. Alex. l. 4. cons. 98. num. 6. Mascard. l. c. concl. 1057. num. 2. & 6. Paris. l. c. num. 75. citans Menoch. de arb. cas. 216. n. 25. &c.

2. Resp. ad secundum primo: qualiter metus probandus sit, etsi id in specie nullo jure proditum sit; non tamen etiam videtur id totum commissum arbitrio & determinationi Judicis, ut volunt cum Covar. p. 2. de sponsal. cap. 3. §. 5. num. 10. aliqui, uti & licet res alias probandi ratio jure speciali expressa non sit, non tamen ideo ea tota pendet ab arbitrio Judicis. Hoc verum, vi l. metus ff. quibus caus. major. ubi dicitur: non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed hujus rei disquisitio Judicis est: spectare ad Judicem disquirere qualitatem metus, an levis, an gravis, an juste, an injuste incussus, an ad rescindendum actum sufficiens. Sperell. fori eccles. decis. 5. no. 72. Wiestner. h. t. nu. 59. Reiffenst. n. 79.

3. Resp. Ad secundum secundo; metus gravis mali intentatione incussus probari potest per testes. Paris. l. c. num. 80. Sic inquiens communiter scribere AA. post Abb. in cap. super hoc de renunc. & in cap. 2. de restit. spoliat. ita etiam ut magis credatur duobus testibus deponentibus de metu, quam mille deponentibus de spontanea voluntate, eo quod illi deponant de minis, tormentis & similibus, quæ sensibus percipiuntur, hi de voluntate interna soli Deo nota. Jason. in l. interpositas C. de trans. n. 5. Azor. l. c. Paris. l. c. n. 85. & 86. citans Felin. in c. in nostra de testibus col. 2. Alciat. de præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 7. num. 5. Card. Paris. cons. 53. n. 62. vol. 4. Mascard. de probat. concl. 1053. n. 1. &c. Adhibendam tamen quo ad hoc posterius distinctionem, ait Wiestner. h. t. no. 62. ita ut si duobus testibus de coactione deponentibus, simulque de modo, loco, tempore, aliis e contra etiam in pari numero id inficiantibus, his potius quam illis fides sit adhibenda; eo quod, cum in hoc casu in utramque partem deponentes testificantibus de rebus sensibus suis & cognitioni expositis, quo ad hoc sint pares; cæteris autem paribus, sit fides potius adhibenda iis, quorum depositiones excludunt delictum, utpote quod in dubio, quale tunc est, non præsumitur, citat pro hoc Sanch. lib. 4. disp. 27. num. 3. Decium in cap. fin. de appell. num. 28. Verum non video, quomodo isti posterioris pure inficiando, quod alii affirmant de metu, & deponunt de modo, loco & tempore, illis dici possint pares, nisi & ipsi hanc suam negationem probent contrariis, ostendendo esse falsum, quod illi de loco tempore, modo affirmant, supponendum enim alias, priores verum testificari. Illud certius, quod subjungit Wiestner. citatis pro hoc Sanch. ubi ante num. 2. Jason. loc. cit. Deciu no. 25. nimirum præferendos illos, qui spontaneum fuisse consensum testantur, asserendo hanc in rem actus & gesti circumstantias, & ex his ortas verisimiliores præsumptiones, dum deponentes de coactione metus circumstantias non exprimunt. Debere autem testes dicere speciem & qualitatem metus, ac deponere de metu in specie & non in genere, tradit Paris. de resign. loc. cit. num. 106. juncto num. 110. citatis quamplurimis. Sic etiam Tondut. in qq. benef. part. 2. cap. 120. num. 25. ait cum communi, metum in specie probandum, & respectu illius actus, de quo contenditur. Quin & testes deponentes de metu debere post reddere rationem sui dicti juxta cap. cum causam de testib. juncta Gl. v. de causis. Ne alioquin, si simpliciter deponerent super metu, non allegatis actibus seu indiciis externis metum denotantibus, deponerent pariter de actu mere interno, ait Reiffenst. h. tit. num. 90. citatis Mascard. & Menoch. Unde jam

4. Resp. ad secundum tertio: probatur quoque metus per conjecturas & indicia. Gl. in cap. cum dilectus h. tit. v. metum. Azor. loc. cit. Tondut. loc. cit. part. 3. cap. 147. num. 8. Paris. loc. cit. num. 99. citans Mascard. de probat. concl. 1052. Alex. cons. 156. num. 1. lib. 5. &c. & sic fundet ratio allata, quod nimirum metus plerumque fiat clam, & sit intrinsecus, adeoque difficilis probationis; talia autem levioribus argumentis & fere per indicia & conjecturas probari solent. Mascard. de prob. concl. 1057. num. 4. Conjecturæ vero istæ & indicia legitime, exacte & plene probanda. Paris. loc. cit. num. 102. citans Mascard. Alciat. Boer. &c. cumque conjecturæ illæ in jure non sint definitæ, remittuntur arbitrio Judicis. Azor. loc. cit. Paris. num. 103. citans Menoch. de arb. cas. 136. num. 1. Mandos. in cap. 1. de off. deleg. a num. 23. ita ut vis & effectus probationum hoc casu dependeat ex arbitrio Judicis. Tundut. l. c. num. 10. Gail. l. 2. observ. 93. num. 6. & 7. juxta lib. 3. ff. ex quibus caus. major. cum totum negotium præsumptivum resideat in arbitrio Judicis. Paris. num. 104. citans Card. Paris. cons. 66. num. 6. vol. 4. Mascard. de probationib. concl. 1052. num. 10. Ex quibus autem conjecturis in specie probetur metus, videndum apud Farinac. in fragm. v. metus. Plures quoque earum passim enumerant AA. V. gr. dum quis contraxit in carcere; cum, quæ in vinculis acta sunt, satis arguant, ea esse gesta ex metu. Menoch. de arb. loc. cit. num. 3. Bartol. Decius &c. apud Reiffenst. h. t. num. 82. extendentem idipsum cum Mascard. concl. 1056. num. 4. citante alios ad casum, quo quis clausus & vinculis astrictus in privata domo contraxit juxta l. excurritur ff. ex quib. caus. maj. in integ. restituatur ubi vinculorum acceptio latius accipienda dicitur, ut inclusi quoque in aliqua parte domus veluti latumiis, vinctorum numero habeantur; cum nihil intersit parietibus, an compedibus quis teneatur. Item dum ante ostium domus, in qua celebratur contractus, exstant armati, qui facile vim inferre possent. Menoch. l. 3. præsump. 4. num. 8. & alii apud Reiffenst. num. 85. Item dum quis contraxit intentato sibi gladio evaginato, præsertim in loco solitario. Arg. c. 1. h. t. & Abb. ibid. num. 2. Item dum de cogendo ad contractum aliquem præcessit tractatus, conventio, similisve machinatio. Mascard. loc. cit. num. 44. Item dum quis actum a se celebratum statim fugit, ne eum cogeretur exequi. Mascard. l. c. num. 46. Sperell. l. c. num. 59. Argum. c. constat. multos 1. qu. 1. juncta Gl. v. si statim & cap. ad id de spons. Item dum tempore celebrati contractus contrahens lachrymabatur, nisi forte alia causa fuisset lachrymarum. Menoch. l. 3. præsump. 126. num. 17. vel in contrahente notabatur insolita alteratio, l. de minore §. tormenta ff. de quæstionib. c. affertur de præsumpt. Mascard. cit. concl. 1056. num. 47. Sperell. cit. decis. 5. num. 54. & 56. Quibus & similibus legitime pleneque probatis conjecturis, accedente juramento, poterit Judex actum, tanquam metu extortum irritare, ut Mascard. l. c. a n. 44.

5. Resp. Denique, metum non posse probari contra Judicem, dum is procedit jure, eo quod tunc metus non censeatur injustus. Paris. loc. cit. num. 215. citans Card. Paris. cons. 5. a num. 168. vol. 4. si vero Judex procedat de facto contra jus, metus allegari potest, & is censetur justus, seu sufficiens. Paris. num. 216. citans Bartol. in l. si per impressionem ff. h. t. cons. 50. n. 11.

QUÆSTIO MXLVIII.

Metus quamdiu censeatur durare, & qualiter purgetur?

1. Resp. ad primum: præsumitur durare, quamdiu durat causa illati metus. Bartol. in l. 2. §. quæ o quid. Mascard. de probat. concl. 1056. a num. 36. Menoch. l. 3. præsumpt. 126. num. 2. id pluribus exemplificantes. Idque licet in actu externo appareat libertas. Castrop. tr. 2. d. 1. p. 24. num. 9. Paris. de resig. l. 23. quæst. 1. num. 323. Sanch. lib. 4. de mat. disp. 18. num. 7. &c. Durat autem causa timoris, quamdiu durat subjectio, qua quis subjicitur metum incutienti. V. gr. quamdiu durat officium Judicis, si is metum incussit, vel matrimonium si vir incussit timorem, vel quamdiu durat potestas patria, si pater metum intulit. Mascard. concl. 1055. nu. 36. Castrup. l. c. Sanch. l. c. referens plures. Sic si incarceratus coactus præstare cautionem de solvendo, licet postea liberatus a carcere solvat, solutio censetur facta ex metu; eo quod si non solvisset, potuisset iterum incarcerari & durius haberi. Castrop. l. c. cum Parisio sic, ut iidem, si maritus verberavit uxorem, quia consentire nolebat alicui instrumento, dum dein ex intervallo consentit, dicitur consensisse ex metu. Sic ex metu ingressus religionem, ibique per plures annos perseveravit, manente eadem causa metus, seu non cessante impedimento impediente reclamationem, perseverantia censetur facta ex metu; iidem Sanch. l. 4. d. 18. no. 8. Pont. l. 4. c. 17. n. 3. Castrop. l. c. Nav. comment. de regular. c. statuimus nu. 19. quæst. 3. nu. 91. Dum autem item Castrop. cum Menoch. l. 6. præsump. 37. & Azor. l. 3. c. 22. quæst. 18. dicunt, ut metus censeatur cessare, debere adesse actum aliquem, quo demonstretur (& quidem integre ac liquide, ita ut nullam aliam interpretationem recipiat. ut Jo. Garc. de nobilit. gl. 16. num. 46. Nav. l. 1. ad h. t. cons. 4. num. 9. & alii apud Castropalum iis consentientem) voluntatem spontaneam esse; eo quod id, quod factum ab initio ex metu, etsi postea fuerit confirmatum, nullas vires habeat, cum præsumatur adhuc ex metu confirmatum, juxta L. si per impressionem Cod. h. tit.

& Ma-

& Mascard. *concl.* 1095. *num.* 34. hæc inquam intelligenda videntur, remanente eadem cauſa metus. Unde etiam verum eſt, quod dicunt Sanchez *cit. diſt.* 18. *num.* 10. Navar. Pont. &c. ſolutionem illius, quod quis per metum juravit ſe ſoluturum, reſcindendam etſi ſpontanea ſit; quia non præſumitur ſpontanea, ſed facta ex metu incurrendi perjurii, durante nimirum juramenti obligatione ortum ducentis ex metu; quia hac ratione remanet adhuc cauſa metus.

2. Reſp. ad ſecundum: metus interveniens in contractu præſumitur ceſſaſſe & purgatus ex contrariis conjecturis & indiciis, ex quibus præſumebatur illatus. Menoch. *loc. cit. a num.* 33. Sic ex ſpontanea cohabitatione cum inferente metum cenſetur is purgatus: cum, qui fugere facile potuit inferentem metum, & ſic declinare coactionem, & non fugit, cenſetur voluntarie ſeu ſpontanee conſentire. Sic in ſpecie, muliere longo tempore ſponte cohabitante ei, cum quo in vita contraxerat matrimonium, cenſetur convaleſcere matrimonium, vel potius conſurgere novus conſenſus ſpontaneus ad ejus valorem requiſitus, *cap. ad id de ſponſal.* Sanchez *lib.* 4. *diſt.* 18. *num.* 3. Mascard. *citat. concl.* 1095. *nu.* 35. citatis pluribus. Caſtropalao *loc. citat.* Quod autem tempus requiratur, ut cohabitans cenſeatur potuiſſe & noluiſſe coactionem fugere, cum a jure determinatum non ſit, prudentis judicio metiendum, ait Caſtropalao juxta, *capit. de cauſis de off. deleg. & l.* 5. *ff. de jure delib.* Unde etiam, ut idem cum Mascard. *loc. citat. num.* 39. & Pont. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 57. non præſumitur metus purgatus, ſi mulier in domum viri traducta, ibi modico tempore habitet, & dein mox ad parentes revertatur: eo quod tunc adhuc præſumatur, non habitaſſe ibi ſpontanee. Item per ſpontaneam rei ex metu promiſſæ ſolutionem, *leg.* 2. *Cod. hoc. tit.* Menoch. *loc. citat. num.* 35. citans alios. Item per ſpontaneam rei ex metu promiſſæ ſolutionem, *leg.* 2. *Cod. hoc. tit.* Menoch. *loc. cit. num.* 35. citans alios. Item dum in præſentia conſanguineorum vel amicorum celebratus contractus. Sanchez *lib.* 4. *diſt.* 27. *num.* 2. Felin. *in cap. cauſam de offic. delegat. col.* 3. *verſ. quarto declaratio.* Caſtropalao *loc. citat.* Verum ex eo potius præſumitur metus ab initio non interveniſſe quam eum, qui intervenerat, purgatum ſeu ceſſaſſe, *L. tranſactionem Cod. de tranſact. & ibidem.* Bartol. Mascard. *Concl.* 1056. *num.* 23. qui tamen *num.* 24. & 25. uti & Caſtropalao idipſum limitant; ut dicta præſentia non ſufficiat ad probandum non intercurriſſe metum, quando ea non ſuffeciſſet ad reſiſtendum potentiæ incutientis metum, vel ſi interveniſſet enormis læſio. Fortius eſt, dum actus celebratus in præſentia Judicis vel Magiſtratus, eo quod favorem Judicis poſſit agens metum repellere, ut Bartol. *L. fin. ff. h. t.* Sanchez *cit. diſt.* 27. *num.* 2. Mascard. *de probat. concl.* 105. *num.* 5. & alii apud Caſtropalao *l. c.* qui tamen cum Pariſ. *loc. cit. num.* 194. ait: per hoc non tam induci claram probationem, quam præſumptionem abſentiæ metus: cum fieri poſſit, ut quis ita metu ſit conſtrictus, ut non tantum non audeat diſſentire, ſeu contractum repellere, ſed neque metum aut coactionem manifeſtare, & ſic actus etiam coram Judice celebrari ex metu.

QUÆSTIO MXLIX.

An & qualiter metus mortis alteriuſve gravis mali excuſet a præceptorum tranſgreſſione & culpa.

1. RESP. Primo tametſi culpam ſemper minuat metus, utpote libertatem ad culpam contrahendam requiſitam extenuans, raro tamen, vel potius nunquam, eam euſque diminuit, ut tranſgreſſio legis (intellige divinæ naturalis) alias ſub lethali obligantis, evadat ſolum venialis. Sylv. *v. metus quæſt.* 7. Sanchez *de matrim. l.* 4. *diſt.* 5. *num.* 6. Caſtropalao *tr.* 2. *d.* 1. *p.* 13. *num.* 2. citans Salas &c. multoque minus metus etiam graviſſimi mali omnem a tranſgreſſione legis talis removet culpam, cum relinquat ſemper tranſgreſſionem abſolute voluntariam ac liberam. Unde jam metus mortis in iis, quæ intrinſece mala ſunt, adeoque lex vetans eo pro omni caſu pergit obligare, nunquam excuſat a culpa. Caſtropalao *l. c. num.* 3. cum communi juxta *cap. in ſacris h. tit.* ubi: cum ob nullum metum peccatum fieri debet. Talia autem ſunt indubitate mendacium, perjurium, idololatria, quæ in nullo abſolute caſu, etiam per potentiam aut conceſſionem divinam licere poſſunt, adeoque multo minus ullo metu honeſtari. Item adulterium, fornicatio, pollutio voluntaria utpote adhuc intrinſece mala & jure naturali prohibita, tametſi, abſolute loquendo, hic & nunc Deus ad hæc poteſtatem facere poſſet, ſeu concedere acceſſum ad non ſuam, aut etiam alienam, ejectionem & fruſtrationem ſeminis, non ſecus, ac licet occiſio innocentis ſit intrinſece mala, eam tamen Deus hic & nunc etiam præcipere poſſit, utpote abſolutus corporum ac vitæ Dominus. Unde, quamdiu de tali conceſſione non conſtat, nullo metu mortis inſtantis, ad quam certo evadendam unicum ac certum remedium eſſet fornicatio vel pollutio, evadit licita. Item occiſio directa ſeu per ſe intenta innocentis, quam ex nullo metu licere, habet, ut ait Caſtropalao *l. c. num.* 4. Catholica ſententia contra aliquot Juriſconſultos, puta Jaſon *in §. ſi minus Inſtit. de actionib. num* 17. Jo. Anan. *in c. interfeciſti de homicid. num.* 18. Card. *in c. ſacris h. t.* cenſentes licere occidere innocentem, dum a Tyranno alias tibi mors inferenda. Item comeſtio carnis humanæ juxta Valentiam 2. 2. *diſt.* 9. *quæſt.* 3. *part.* 1. *col* 3. quam ſententiam probabilem cenſet. Azor. *tom.* 1. *l.* 7. *c.* 33. *quæſt.* 4. contrarium, nimirum non eſſe eam intrinſece malam, quin graviſſima aliqua neceſſitate, qualis v. gr. eſſet mors alias ſubeunda, honeſtari poſſit. Rectius cenſent Caſtropalao *loc. cit. num.* 5. citatique ab eo Navar. Cajet. Sanch. Leſſ. Bon. cur. & plures alii; qui tamen cum Leſſio, *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 11. id ita limitat, ut omnino quis abſtinere deberet a dicta comeſtione, & potius mortem ſubire, ubi tyrannus intenderet, ut tali comeſtione abſtinentiam ab ea tanquam inutilem, ſuperfluam & nullatenus malam profitereris; cum illa profeſſio ſit jam abſolute intrinſece mala.

2. Reſp. ſecundo metus mortis excuſat a culpa non obſervationem legis divinæ poſitivæ, dum ea non reſpicit bonum commune, ſed propriam & ſpecialem utilitatem operantis, v. gr. de materiali integritate confeſſionis, de confeſſione præmittenda ſumptioni Euchariſtiæ; eo quod tunc in eo rigore videatur lex divina non obligare; uti hujus exempla habemus in Scriptura, Machabæis etiam die Sabbati pugnantibus, & Davide manducante panes propoſitionis, etiam citra talem metum ſola fame adducto. Ita Suarez *lib.* 3. *de LL. cap.* 30. *num.* 6. Sanchez *l.* 1. *in Decal. cap.* 18. *num.* 12. Vaſquez 1. 2. *diſt.* 162. *cap.* 2. Caſtropalao *loc. cit. num.* 7. ubi etiam cum Sanchez *de mat. l.* 4. *diſt.* 16. *num.* 6. juxta *c. cum locum cap. veniens de ſponſal.* Quod citra diſpenſationem quis cum ſimplice voto caſtitatis contrahere licite poſſit matrimonium metu mortis alteriuſve graviſſimi mali, non tamen conſummare, eo quod matrimonium ratione talis metus ſit invalidum, adeoque vel ſic committeretur fornicatio. Item cum Sanchez *l. c. num.* 10. Soto & aliis contra Azor. *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *quæſt.* 2. non teneri aliquem cum diſcrimine vitæ ſuſcipere Euchariſtiam & Baptiſmum ratione præcepti divini poſitivi, quo utriuſque hujus Sacramenti perceptio præcipiatur, quia alias teneretur quoque quis cum tali periculo præmittere confeſſionem Euchariſtiæ, & integre confiteri; quod eſt contra communem. Secus eſt, ſive metus mortis non excuſat a tranſgreſſione legis divinæ poſitivæ, dum ea reſpicit bonum commune, utpote quod præponderare debet cuicunque damno privato. Talia fere ſunt, quæ ſpectant ad communem & generalem ritum & adminiſtrationem Sacramentorum, V. gr. conſecratio in duplici ſpecie, in pane triticeo apud Latinos, abſolutio data rite diſpoſito. Ita Suarez *Tom.* 5. *in* 3. *part. diſt.* 6 *ſec.* 3. *num.* 3. Caſtropalao *citat. num.* 7. Ac proinde etiam ob metum talem non licet in adminiſtratione Sacramentorum ſimulationem adhibere v. gr. abſque intentione conſecrandi proferre verba conſecrationis ſuper omni pane exiſtente in foro ad inſtantiam hæretici comminantis mortem, ni feceris, verba abſolutionis circa indiſpoſitum, ut Caſtropalao *loc. citat. n.* 8. citans Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſt.* 67. *ſec.* 4. *in fine.* Vaſquez *de Euchariſt. diſt.* 209. *num.* 41. contra Jo. Sanchez *in ſelect. diſt* 35. *num.* 6. cujus ſententiam ait redolere audaciam & temeritatem. Revocat quoque huc excommunicationem factam ab eo, qui poteſtatem non habet excommunicandi contra Thom. Sanchez *loc. citat. num.* 8. eo quod fictio & ſimulatio talis poteſtatis eccleſiaſticæ in re ſeu opere ſit mendacium. Verum hac ratione non eſſet tranſgreſſio legis divinæ tantum poſitivæ, ſed & naturalis. Neque his obſtat, quod ex tali metu liceat celebrare matrimonium etſi illud ſciatur nullum; eo quod in hoc inter illud & alia Sacramenta ſit diſparitas, quod illius materia & forma ſit contractus legitimus, qualis, cum non ſit hic contractus ex metu celebratus, utpote in favorem ſic ſine ſua culpa contrahentis ab Eccleſia irritatus, non apponatur materia aut forma indebita ſacramenti; in aliis vero ſacramentis materiæ ac formæ

ſint

sint determinatæ: adeoque si hæ proferantur super materia indebita, V gr. absolutio super carente dolore, verba consecrationis super aqua, peccatur graviter. Ita Castrop. citans pro hoc Thom. Sanch. *in decal. nu.* 4. Pont. *de mat. l.* 4. *c.* 16. *n.* 4. Valent. &c.

3. Resp. Tertio. Idem de præceptis seu legibus humanis potissimum ecclesiasticis, respicientibus ritum aliquem communem. V. gr. confessione Eucharistiæ non sine vestibus sacerdotalibus, consecrationem calicis non sine admixtione aquæ obligare cum periculo vitæ, censet Castropalao *l. c. nu.* 9. & licet contrarium apud eundem teneant Bonac. *disp.* 2. *de peccat. qu.* 2. *p.* 2. *nu.* 9. Salas *de LL. d.* 11. *s.* 1. *nu.* 8. Vasquez, Valent. Becan. & in specie Suarez *de LL. l.* 3. *cap.* 30. *num.* 5. citans pro se Navar. Ledesm. Medin. asserant, cessante scandalo & contemptu, ad vitandam mortem posse aliquem dicere Missam sine vestibus Sacris. Nihilominus hos ipsos AA. hanc suam sententiam ita limitare asserit; nisi bonum commune postulet non discedere a ritu communi, quod ipsum bonum commune semper adesse in similibus actionibus existimat Castropalao. De legibus vero humanis & præceptis respicientibus non tam bonum commune quam singulorum utilitatem, ut sunt præcepta de jejunio, de auditione Missæ, de solutione decimarum, de non communicatione cum excommunicato &c. ea non obligare cum vitæ discrimine aut etiam alterius gravissimi mali, habet communis juxta *cap. consilium de observat. jejun. cap. inter de sent. excom. c. quoniam multos* 11. *q.* 3. eo quod neque Ecclesia, neque Resp. censeatur habere proxime intentionem obligandi sub tanto rigore, & minus conformiter suavi jugo Christi. Quin etiam, ut Salas, *tr.* 3. *d.* 3. *sec.* 1. *n.* 33. Castropalao *cit. num.* 9. concessa non sit Reipub. aut Ecclesiæ potestas obligandi subditos cum tanto discrimine, nisi ubi bono communi id necessarium fuerit. Neque his obstat textus, *c. Sacris h. t.* ubi Papa indicat, coactum seu vi constrictum communicantem cum excommunicato non incurrere excommunicationem; secus vero, si metu adactus cum eo communicet, eo quod metus solum extenuet libertatem & culpam, non tollat. Nam loquitur Pontifex de ea excommunicatione cum excommunicato, quæ cedit in contemptum religionis vel legis ecclesiasticæ; vel etiam de communicatione, qua quis communicat in crimine cum excommunicato criminoso. Ita Castropalao *l. c.* aliæ explicationes dicti textus videri possunt apud D. Thom. *in* 4. *distinct.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Navar. *c.* 27. *num.* 33. Suarez *l.* 3. *de LL. c.* 30. *in fine.* Sanchez *in decal. l.* 2. *c.* 18. *nu.* 4. Covar. *in c. alma* 1. *p.* §. 3. *num.* 9.

TITULUS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

QUÆSTIO ML.

Quid sit restitutio in integrum.

1. RESP. Generatim & minus stricte loquendo, est alicujus in pristinum statum, seu in quo ante fuerat, repositio. Strictius vero, prout hic accipitur, loquendo definiri potest cum Molin. *tr.* 2. *de Just. disp.* 573. *num.* 1. Pirbing *h. tit. num.* 1. & aliis, sumpta fere definitione ex *cap. auditis h. t.* juncta Glos. *final.* & *l.* 1. & *seq. ff. eod. m*, extraordinarium juris remedium, quo graviter læsus ex naturali æquitate, causa cognita per officium Judicis reducitur in eum statum, in quo fuit ante læsionem. Dicitur primo *remedium Juris*; non quidem communis sed prætoriani, quippe quod præter vel etiam contra jus commune merum seu strictum per Prætorem inductum ex aliqua æquitate naturali.

2. Dicitur secundo *extraordinarium*: utpote constitutum in subsidium & defectum remedii ordinarii Juris, dum nimirum læso nulla suppetit actio, qua agere valeat contra lædentem. Argument. *L. in causa cognit.* §. 1. *ff. de minor.* ubi quod videndum, num forte aliqua actio possit competere circa in Integrum restitutionem: nam si communi auxilio & mero jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium &c. Quod ipsum tamen limitandum ita, ut cui suppetat remedium ordinarium, non concedatur extraordinarium, nisi illud extraordinarium sit pinguius ordinario. Abbas *in c. ex parte de rescrip. num.* 9. & *in c. cum dilecti de except.* juxta ea, quæ notantur *in cit. c. ex parte* & *cap.* 1. *h. t. in* 6. consistente hac majore favorabilitate & pinguitate hujus remedii extraordinarii inter cætera in eo, quod petens restitutionem in integrum necesse non habeat probare læsionem ultra dimidium, quæ est difficilis probationis, uti necesse habet, qui utitur remedio alio ordinario, v. gr. sibi competente ex *l.* 2. *de rescind. vendit.* Item quod reus seu lædens conventus vi *L. cit.* habeat electionem, vel supplendi pretium, vel rem restituendi. Covarruv. *l.* 1. *var. resol. c.* 3. *num.* 11. §. *tertio.* Pirhing *h.* 1. *num.* 4. Item quod utilius esse possit læso, restitui in integrum, quam sumptuosis actionibus & litibus involvi. Wesenbec. *in paratit. ff. de minorib. num.* 7. Pirhing *l. c.* Unde & specialiter pinguius est remedio appellationis in hoc, quod facilius & efficacius per illud succurratur minori, dum neque novam inchoare instantiam, neque novum & superiorem Judicem; quandoque remotum, adire necesse est. Layman *in c. ex literis h. t. num.* 4. Pirhing *h. t. nu.* 31. Wiestner *num.* 27. Atque ita, dum in hoc casu læso utrumque remedium tam hoc extraordinarium & aliud ordinarium competit, in ejus electione erit, recurrere ad illud, quod sibi consultius videbitur. Argument. *L. etiam Cod. si tutor. vel curator intervenerit.* & ibi Barbos. *num.* 3. Brunnem. *num.* 5. citans alios. Wiestner *h. tit. num.* 5. Sed neque restitutio in integrum, etsi dicatur remedium extraordinarium, excludit exceptionem, dum ei, cui hæc de jure communi competit, ea non obstante, detur quoque restitutio in integrum. Gl. *in cit. c. in causa v. competere.* Bartol. *ibid n.* 2. id probans ex *L. si minor.* §. *minores ff. de minorib.* & *ibi* Glos. *fin.*

3. Dicitur tertio: *Læsus* nullas exprimendo in particulari causas læsionis; unde, sive dicta læsio acciderit, dolo, calliditate adversarii, metuve ab eo incusso, sive culpa tutoris vel administratoris, sive negligentia procuratoris, v. gr. omittentis producere in judicio probationem, sive inconsulta facilitate, ætate, errore, absentia ipsius læsi in judicialibus vel extrajudicialibus, conceditur adhuc beneficium restitutionis in integrum, *lib.* 1. & *seq. ff. hoc tit.* ubi etiam hæ causæ enumerantur. Ubi tamen læsio seu damnum advenerit fortuito, ut si res empta casu incendio perierit, vel animal mortuum fuerit, non est locus restitutionis in integrum, *l. verum* §. *sciendum ff. de minorib.* ubi id pluribus exemplificatur. Quia tunc minor non fuit læsus ex contractu vel quasi contractu, nec tempore contractus celebrati, sed postmodum casu superveniente; ad restitutionem autem faciendam non attenditur læsio, quæ ex post contingit citra levitatem & imprudentiam minoris, utpote qui prudenter & circumspecte contraxit, aliudve negotium gessit. De cætero, si ex solutione facta aut mutuo dato minori, etiam cum authoritate curatoris, is postea notabiliter lædatur, cum facilitate & culpa illius pecunia in solutum vel mutuo data fuit deperdita, aut male consumpta, nec inde minor factus ditior, restitui debet adversus hujusmodi damni eventum. *Leg.* 1. *cap. si advers. solut. L.* 1. & 2. *Cod. si advers. creditor, l. ait prætor* §. *sed ejus, ff. de minorib.* §. *at ex contrario. Institut. quibus alien. lic.* Glos. *in l. verum* §. *sciendum ff. de minor. ver. itemnon restituitur*, eo quod, ut Pirhing *h. tit. num.* 43. cum Molin. *citat. disp.* 573. *num.* 17. ex ipsa solutione minori facta vel mutuo datu is exponitur periculo læsionis & jacturæ, seu periculo male & imprudenter impendendi illam pecuniam propter ejus facilitatem & imbecillitatem ætatis; quia tali læsioni censetur causa data ipsa solutione & mutui datione, ac ita in ipsa acceptione pecuniæ incæpisse læsio. Secus est, seu restitutio non datur, & debitor manet omnino liber; si Judicis decreto facta solutio, *cit.* §. *at ex contrario*, juncta Glos. *ver. securitas*; quia tunc debitor solvit ex necessitate.

4. Dicitur quarto: *graviter læsus*: siquidem ad hoc, ut quis in integrum restitui debeat, tametsi non requiratur, ut aliqui volunt, enormis læsio, seu tanta, ut dimidium partis excedat, *l. minoribus ff. de minor.* requiritur tamen & sufficit læsio gravis seu notabilis, ita ut levis & modica non sufficiat, *l. scio ff. hoc tit.* juncta Glos. & DD. *ibidem c.*

ad

ad nostram de reb. Eccles. non alien. juncta Glos. *ver. entrare.* Abb. *in cap. 1. hoc tit. num.* 2. Beroius *ibidem num.* 8. Pirhing *citat. num.* 4. cum communi, cum non deceat in minimis adire Prætorem, quin nec ætas permittat pro modica aut minima læsione contractus aliaque bona fide gesta rescindi contra illud: *de minimis non curat Prætor*, cujus authoritate hoc remedium restitutionis in integrum potissimum in utilitatem minorum qui si prætextu etiam minimæ læsionis restitui possint in integrum, nemo id sciens facile cum iis contraheret metu talis rescissionis per dictam restitutionem; ac ita omne fere commercium cum iis adimeretur. Quin & ut loquitur Covar. *loc. cit. §. ego sane.* si pro minimis concedenda restitutio in integrum, mille Judices in quavis civitate his restitutionibus concedendis non sufficerent. Neque his obstat, quod *l. si proprietarius ff. de damno infecto*, juncta Glos. *ver. eadem*, statuatur, cautionem damni infecti, etiam pro modico damno exigi, item quod *L. quinque pedum, Cod. finium regundorum*, etiam pro modica occupatione & vili cespite terræ reddi judicium competat, & concedatur etiam pro minimo damno & injuria & gravamine illato a Judice, *cap. de appellationibus & l. & a majoribus Cod. de appellat.* Nam ordinaria Juris communis remedia etiam pro modicis & minimis conceduntur, ut recte probant dictæ instantiæ: Secus vero accidit in iis, quæ non nisi ex speciali privilegio contra jus strictum permittuntur, quale quid est dicta restitutio, *gl. in citat. cap. scio ver. summum.* Bartol. *ibidem* uti *& in l. proprietarius num.* 2. Abbas *in citat. cap. de appellationibus num.* 3. Layman *ibidem num.* 3. Pirhing *hoc tit. num.* 4. Porro gravitas læsionis spectanda non est absolute, sed respective arbitrio viri prudentis & discreti Judicis, attenta qualitate contractus & conditione personæ læsæ, an dives, an in dignitate constituta. Glos. *in cap. 1. hoc tit. ver. detrimentum.* Abb. *ibidem num.* 8. Beroius *num.* 82. Pirh. *loc. citat.* Quin & attendenda summa integra, num quantitas in qua facta est læsio, respectu illius censenda sit magna, an levis. Sic si prædium valens mille florenis venditum sit 980. vel 970. levem adhuc censendam læsionem, adeoque insufficientem ad concedendam restitutionem in integrum, econtra si valens centum venderetur 90. eam adhuc fore notabilem læsionem & sufficientem ad dictam restitutionem censet Pirhing cum Abb. *loc. cit.* & Molin. *tr. 2. de Just. disp.* 573. *num.* 9.

5. Dicitur quinto: *Causa cognita*: requiritur enim imprimis causa justa ad concedendam dictam restitutionem, nimirum aliqua ex enumeratis *nu.* 3. hanc namque dicta æquitas importat, utpote quæ non permittit, ut dictum, citra causam justam rescindi bona fide gesta. Dein cognitio dictæ causæ, ita ut, si de ea non constet manifeste, probanda sit legitime in judicio seu coram Judice per allegantem illam læsionem, & non sufficit sola affirmatio læsi: *Clem. unic. hoc tit.* juncta Glos. final. Abb. *in cap. 1. hoc tit. num.* 2. Beroius *ibidem num.* 5. Oddus *tract. de restit. in integr. quæst.* 4. *num.* 3. Pirhing *hoc tit. num.* 3. ubi etiam citatis iisdem AA. quod probari nequeat per juramentum læsi, sed necesse habeat probari per testes vel alia legitima documenta, eo quod licet, dum damnum provenit ex delicto, V. gr. vi aut metu injuste illato, sufficiat probari illud per juramentum, præcedente taxatione damni facta per Judicem juxta dicta ad *tit. præced.* dum tamen læsio provenit ex contractu aliove actu cæteroquin legitimo, dicta probatio non sufficiat; cum non sit præsumptio delicti adversus eum, cum quo contractum vel actus gestus.

6. Dicitur sexto: *Officio Judicis*: supponit enim restitutio in integrum, utpote remedium rescissorium essentialiter actum, ex quo secuta læsio, fuisse de jure validum; quia ubi actus ipso jure fuit invalidus seu nullus, nullamque vim ligandi habet, V. gr. dum Ecclesia sine debita solennitate rem suam immobilem alienavit, pupillus sine authoritate tutoris contraxit; ac ita damnum passus, rescissioni seu restitutioni locus non est, *l. in causæ ff. de minorib.* & Argument. *l. nam si offic. de injusto &c.* adeoque tunc cessant partes & officium Judicis, alias necessario interponendum in dicta rescissione: utpote quæ propria authoritate fieri nequit, *cit. l. in causæ*, ubi: *ubi contractus non valet, pro certo Prætorem se non debere interponere.* In casu tamen, quo probabiliter dubitatur, num contractus aliusve actus sit ipso jure invalidus, alternative seu disjunctive peti potest, ut vel Judex actum pronunciet invalidum & nullum, vel, si forte jure valeat, restituat in integrum, *cap. constitutus hoc. tit.* Innocent. *ibidem num.* 2. Abbas *num.* 9. Layman *num.* 2. Pirhing *h. t. num.* 2. Quamvis tamen etiam, ut observat Galesius *de restitut. in integr. c. 1. n.* 39. apud Wiestner *h. t. nu.* 3. in Rota Romana contra sententiam invalidam (intellige, citra dubium talem) peti consueverit restitutio in integrum.

7. Dicitur denique: *in statum pristinum*: intelligendo id de honoribus, ordine, dignitate, possessionibus aliisque juribus habitis ante læsionem, hæc omnia veniunt per *τὸ in integrum* juxta *l. 1. Cod. de sententiam passis*, ubi: *ut autem sciat, quid sit in integrum restituere, honoribus & ordini suo & omnibus cæteris te restituo &c.* de quibus enucleate magis infra, ubi de effectu restitutionis in integrum. Huc etiam spectat remotio damni non solum præsentis seu actu illati, sed etiam periculi de eo futuro, ut Reiffenstuel *h. tit. nu.* 8. utpote sine quo periculo erat ante læsionem. Atque ex his jam patet responsio ad id, quod alias specialiter quæri solet: quæ requirantur ad hoc, ut restitutioni in integrum sit locus.

QUÆSTIO MLI.

Quæ forma petendæ & faciendæ restitutionis in integrum.

RESP. Ea fere est, quod fieri debeat certis personis, implorato ad hoc officio Judicis competentis intra legitimum tempus, instituta coram eo petitione, & exposita probataque causa, nec non citato adversario. Ita Zoes. *h. t. n. 6. & 7.* Wesenbec *in paratis. l. ff. h. tit. nu. ult.* Pirh. *h. t. n.* 69. constant hæc partim ex dictis *quæst. præced.* partim constabunt ex dicendis.

QUÆSTIO MLII.

An, & quando & qualiter hoc beneficium competat minoribus.

1. RESP. primo. Competit minoribus 25. annis, *capit. constitutus hoc tit. l. 1. ff. de minorib.* ubi & hujus constitutionis ratio hæc redditur: *nam cum inter omnes constet, fragile esse & infirmum hujusmodi ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, auxilium eis Prætor hoc edicto pollicetur &c.* Computanda autem hæc ætas 25. necdum completorum de momento in momentum, reputando quandoque diem bissextilem cum præcedente pro uno die, ita ut minor graviter læsus die ultima anni 25. nondum de momento in momentum completa, petere adhuc possit restitutionem in integrum *L. denique divus §. minorem ff. de minoribus*, eo quod licet in favorabilibus dies inchoata habeatur pro completa, ut Fagnan. *in capit. ad nostram de regular. num.* 31. in odiosis tamen (quale quid est non gaudere amplius beneficio restitutionis in integrum) contrarium requiritur, nempe ut dies a Jure concessus sit completus de momento in momentum. Porro conceditur dicta restitutio minoribus utriusque sexus, sive sint pater familias, sive filius familias, & etiamsi contractus aliusve actus sit gestus cum consensu patris vel authoritate tutoris vel curatoris; quin & interveniente decreto Judicis, uti hæc habentur, *l. 1. ff. de filiofamil. minor. l. 3. §. sed & utrum ff. de minor. l. 2. C. si tutor vel curator interven.* aliisque similibus *ff. eod.* uti *& ff. h. t.* Siquidem, ut Pirh. *h. t. num.* 5. cum Less. *l. 2. de justit. c. 17. nu.* 63. consensus tutoris vel curatoris & decretum Judicis id solum operantur, ut actus Jure sit validus, non tamen excludunt beneficium restitutionis in integrum.

2. Resp. secundo. Fruuntur minores hoc beneficio restitutionis non solum quo ad damnum, quod in rebus suis passi sunt, sed etiam quo ad lucrum, quod percipere potuissent, dum illud per incuriam suam vel injuriam adversarii neglexerunt, *l. ait prætor. §. 6. & l. non omnia ff. de minorib. & cap. constitutus h. t.* ubi duo fratres, qui damnum partim passi ex consensu suo in venditionem portionis hæreditatis maternæ ad se pertinentis factam a patre, partim etiam lucrum amiserunt, alteram partem portionis ejusdem hæreditatis pertinentem ad patrem, ab eodem quoque venditam, jure retractus, uti poterant juxta municipalem consuetudinem loci tanquam proximi consanguinei, non revocando ad se intra annum & diem magno suo lucro, petierunt, & obtinuerunt a Papa super utroque damno, nimirum illo & lucro restitui in integrum. Abb. *in idem c.* & Layman *nu.* 4. Pirhing *h. tit. nu.* 8. Wiestner *nu.* 12.

QUÆ-

QUÆSTIO MLIII.

Num restitutio in integrum competat quoque minorum hæredibus & fidejussoribus.

1. RESp. ad primum: Competit eorum (uti & aliorum, quibus in jure hoc remediu succurritur) hæredibus & successuribus universalibus, ita ut intra totum tempus, quo minor, etiam ipsi restitutionem in integrum petere possint, *L. non solum ff. h. tit. l. minor §. final. ff. de minoribus* Gomez. *tom. 2. var. cap. 14. num. 6.* Oddus *tr. de restit. in integr. quæst. 50. num. 3.* apud Wiestner *hoc tit. num. 13.* Reiffenstuel *h. tit. num 106* citans insuper Menoch. *lib. 1. cons. 33. num. 44.* Nicol. Noalis, *de transmiss. casu 44. a num. 1.* Maurit. Bolan. *Tom 5. tractatuum tr. de restitut. in integr. cap. 15. num. 1.* Dynum &c. Procedereque id ipsum, etiamsi hæres vel successor minoris sit majorennis, habet textus *cit. l. minor.* dum ibi dicitur: *non solum a minoribus, verum & successoribus minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi majores.* His non obstante, quod privilegium personale (quale est hoc restitutionis) extinguatur cum persona, *Reg. in omnibus ff. de Reg. Juris & regul. privilegium de Regul. Jure in 6.* cum regulæ hæ procedant de privilegio concesso personæ, non vero de competente personæ ratione damni in rebus aut juribus emergentis aut lucri cessantis, quale est dicta restitutio. Wiestner *loc. cit.* cum iisdem. Oddo *nu. 4.* Gumez, *num. 6.* Reiffenstuel *hoc tit. num 107.* ubi etiam ex Bolan. *loc. citat. cap. 3. a num. 2.* quod hoc beneficium restitutionis concessum minoribus dici possit mixtum, etsi magis sit reale; eo quod causa remota concedendi illud sit quidem ipsa persona minoris, causa tamen proxima sit gravis læsio. Per quod tamen non negatur, quod detur quandoque restitutio in integrum ex causa mere personali; adeoque non transmissibilis ad hæredes vel successores, ut est privilegium seu restitutio in integrum quo ad illud, quod pupillus in bonis tutorum præferatur omnibus creditoribus personalibus, *l. ex pluribus ff. de administ. tutor.* uti etiam est in aliis casibus, in quibus beneficium restitutionis in integrum competit adversus jus aliquod non transmissibile, seu concessum ex causa non transmissibili, puta, quia concessum ex speciali favore personæ, qualia plura talia privilegia non transmissibilia ait enumerari a Noalis, *loc. cit. num. 23. & cas. 23. num. 2.*

2. Resp. ad secundum: Restitutio in integrum regulariter non competit fidejussori minoris. Gomez. *loc. cit. num 9.* Oddo *quæst. 41. num. 6.* Mulin. *citat. disp. 573. num. 20.* Gales *tr. de restit. in integr. cap. 10. num. 89.* Wiestner *h. tit. nu. 15.* juxta *l. in causa ff. de minor. L. 1. & 2. Cod. de fidejuss. minor.* Estque ratio, quod creditor minoris ideo videatur requirere fidejussorem pro promissione facta a minore, & ex hac orta obligatione, ut sibi prospiciat in eventum petendæ & obtinendæ a minore restitutionis in integrum. Quod quia fidejussor non ignorat, æquitas non permittat, ut fidejussori succurratur dicto remedio restitutionis in damnum creditoris, cui se obtulit in obligationis securitatem. Ita in *L. ex causa.* Ac proinde his non obstante, quod alias cessante debito seu obligatione principalis, cessent quoque obligationes fidejussoriæ, utpote principalis obligationi accessoriæ; cum ideo specialiter in hoc casu sublata obligatione minoris per restitutionem in integrum perseveret nihilominus obligatio fidejussoria illi accessoria; quia pro illo scienter fidejussor se obligasse præsumitur in casum dictæ restitutionis in integrum. Neque etiam in contrarium urgent, *L. minor ff. de procurat. l. si tutor. §. 1. ff. de administrat. tutor. l. si pupillus, ff. de acquirend. hæred.* quibus restitutionem pupilli & minoris ejusdem fidejussoribus prodesse dicitur; cum procedant in specialibus casibus judicialibus, vel de iis, in quibus restituto minore, creditor indemnis servari potest absque eo, quod fidejussorem conveniat, eo quod habeat alium, quem convenire possit. Wiestner *cit. num. 15.* cum Brunneman *in cit. l. in causa num. 2.* Patitur nihilominus & alias responsio exceptiones, ita ut fidejussori minoris (idem est de fidejussore Ecclesiæ) prosit quoque dicta restitutio minoris, ut si ipse fidejussor sit quoque minor, *L. minor. ff. de minor.* Item si minor restituatur adversus dolum creditoris, *L. si en Cod. de fidejussor. minor.* eo quod æquitas exigat, dolum potius obesse creditori quam fidejussori, & huic potius subveniri quam illi. Gales *loc. citat. num. 99.* Odd. *num. 14.* Wiestner *num. 16.* juxta *l. si Titius ff. de fidejussor.* Item si fidejussor sit hæres minoris; in quo tamen casu non est fidejussor, sed ut repræsentans eandem cum minore personam juvatur. Item si eum, pro quo fidejussit, deceptus existimavit non esse minorem, *l. si ex causa §. 2. ff. de minor. l. ex persona ff. de fidejussor.* Item in judicialibus, si minor uti defensor in judicio intervenit, & fidejussorem dedit, restitutio minoris etiam hinc fidejussori proderit. Arg. *l. si minor ff. de procurator.* Menoch. *de arbitr. cas. 179. a num. 4.* Plures similes casus seu exceptiones videndi apud Odd. *a num. 18.* & Galesium *a num. 92.*

QUÆSTIO MLIV.

An & qualiter restitutio in integrum competat Ecclesiis, personis Ecclesiasticis, & aliis locis piis.

1. RESp. ad primum: competit ea ecclesiis, *cap. 1. & 3. hoc tit. cap. 1. & 3. h. tit. in 6. Clem. unic. hoc tit.* Etsi enim ecclesia non gaudeat jure pupilli. Glos. *in cap. auditis h. tit. ver. jure minoris*, & patet ex eo, quod contra ætatem pupillarem non currat præscriptio, *l. licet in rem Cod. de præscript. 30. ann.* currat autem contra ecclesiam, *cap. illud autem & seq. de præscript.* Nihilominus gaudet & fungitur jure minorum, iisque æquiparatur, *cap. 1. & 3. hoc tit.* ita ut quæ in eorum favorem disposita sunt, etiam illi indulta censeantur. Abbas *in cap. 1. h tit. num. 15.* Gonzalez *ibidem num. 11.* Covarruvias *lib. 1. var. capit. 4. num. 2.* Molin. *tr. 2. de Jure & Jur. disp. 574. num. 2.* Pirhing *hoc tit. num. 9.* Adeoque semper jura minoris illæsa servari debeat, sicut minor ob fragilitatem & infirmitatem ætatis, ita ecclesia ob negligentiam, imperitiam vel prodigalitatem suorum administratorum læsa in contractibus aliisque actibus petere & obtinere possit restitutionem in integrum. Estque hoc beneficium restitutionis competens ecclesiæ longe majus eodem competenti minoribus in hoc, quod non sicut illud ad certos annos ætatis, nimirum 25. restrictum, sed competat ei semper, quotiescunque læditur. Pirhing *h. tit. num. 10. in fine*, cum Glos. *in cap. 1. hoc tit. ver. jure minoris* Extenditur hoc privilegium restitutionis in integrum ad ecclesiam exstruendam, saltem jam ædificari cœptam. Argument. *l. 7. ff. de stat. hom.* ubi dicitur, eum, qui in utero est, pro nato haberi, si de ejus commodo agatur. Pirhing *h. tit. nu. 14.* Layman *in cap. 1. hoc. tit. in 6. num. 3.* exemplificans id hoc exemplo; quod dum quis legavit pro ecclesia ædificanda mille florenos, de quibus in judicio litigatum, & appellatio a testatore interposita ob negligentiam procuratoris deserta, peti potest nomine ecclesiæ restitutio in integrum. Quin & tenet idem, quod ecclesia necdum cœpta ædificari possit tamen illi ut causæ piæ concedi restitutio in integrum, saltem eo modo quo majoribus & non privilegiatis ob justam & evidentem causam.

2. Resp. ad secundum: Clericis seu personis ecclesiasticis ecclesiæ deservientibus; quin & ipsis Prælatis earum læsis ex contractu aliove actu in bonis patrimonialibus non competit restitutio in integrum. Glos. *in Clem. unic. h. tit. v. ecclesia.* Card. *ibid. num. 12.* Abb. *in cap. Ecclesia S. Mariæ de const. num. 7.* Felin. *ibid. num. 10.* Covar. *loc. cit.* Odd. *loc. cit. quæst. 4. num. 52.* Fagnan. *in cap. consuetudinis de consuetudin. num. 30.* Pirhing *num. 13.* Ratio vero disparitatis, cur potius ecclesiæ ipsi in bonis ac juribus propriis & penes eam manentibus subveniatur dicto remedio quam personis ecclesiasticis in eorum bonis propriis est favor religionis & cultus divini, ad quem hæc bona ex fidelium ea offerentium intentione deputata sunt, dum ex iis sustentandi ecclesiarum ministri alendique pauperes. Quæ ratio locum non habet in bonis ecclesiasticorum privatis ac patrimonialibus, dum ea ipsi in quosvis usus non secus ac laici pro libitu suo impendere possunt. Argum. *l. in re mandata C. mandati.* Addit & aliam rationem Wiestner *h. t. num. 18. in fine*, citando Jacob. a S. Georg. *in l. minoribus C. si tutor v. curator. num. 2.* Nimirum, quod cum clerici ac Prælati ecclesiarum plerumque magis sollicite in administratione bonorum suorum patrimonialium quam ecclesiæ suæ curare soleant, ne in iis lædantur, Jura magis sollicita fuerint in conservandis illæsis ecclesiis quam bonis clericorum privatis. Neque his obstant varii textus Juris utriusque puta, *Can. similiter 16. qu. 1. c. non minus de immunit. Ecclesiar. Clem. ult. eod. Auth. item nulla C. de Episcop. & cler.* uti neque Glos. *in c. ecclesia de const. v. person* Glos. *fin. in c. ul. de vita & honest. cleric.* quibus indicatur eodem privilegio gaudere bona clericorum & ecclesiarum. Nam hæc intelligenda non universaliter, sed pro certis solum casibus a Jure expressis. V. gr. de privilegio fori, immunitatis a tributis,

butis, collectis & actionibus potestatis laicalis. Abb. & Felin. *LL. ultim. cit.* Wiestner *l. c.* Reiffenst. *h. t. nu.* 34. Porro responsionem extendit Fagnan. *l. cit.* apud Reiffenst. *n.* 33. ad reditus ecclesiarum clericis debitos. Quod ad summum tenere videtur de redditibus jam cessis seu perceptis a ministris ecclesiæ. Item extendit illam Wiestner *loc. cit.* ad bona, quorum titulo sacris initiati sunt clerici. Bona tamen adjicit limitationem (quam & applicat bonis patrimonialibus Prælatorum) nisi læsio in dictis bonis redundet in præjudicium ecclesiæ, qualiter in illud redundare videtur, dum in casu, quo bona illa ex contractu aliove actu alienata aut perdita, ecclesia eos ex bonis suis alere deberet, ut convenienter statui suo vivere possent.

3. Resp. ad tertium. Competit quoque hoc restitutionis beneficium omnibus aliis locis piis, puta, collegiis clericorum & religiosorum, hospitalibus authoritate Episcopi fundatis, confraternitatibus & congregationibus ad pietatis & religionis augmentum institutis. Abb. *cap. 1. h. t. num.* 15. Marant. *de ordin. judic. p. 6. in actu suspens. appell. n.* 85. Pirh. *h. t. nu.* 13. cum communi; cum ad hæc loca omnia extendantur privilegia ecclesiis concessa, *L. omnia Cod. de Episc. & Cler.*

QUÆSTIO MLV.

An etiam locis seu collegiis & congregationibus profanis ipsique Reipub. competat restitutio in integrum.

1. RESp. ad primum. Non competere illam istiusmodi collegiis profanis, ut sunt tribus seu collegia laica opificum, mercatorum &c. Abb. *l. cit.* Marant. *l. c. num.* 87. Molin. *cit. disp.* 574. *nu.* 4. Layman *in c. ecclesia nu.* 3. Pirhing *h. t. n.* 13. & 15. Exceptis tamen collegiis studiosorum, quæ petere posse restitutionem in integrum, non quidem tanquam ecclesia aut locus pius, sed quia in iis esse solent multi natu minores, ait cum Abb. Pirhing *n.* 13. & Reiffenstuel *h. tit. num.* 38.

2. Resp ad secundum: competit tamen ea Reipub. sæculari juxta expressum textum *L. Resp. C. quibus ex causis majores*, ubi; *Resp. minorum jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest &c. & l. Remp. C. de jure Reip.* ubi: *Remp. & pupillum extra ordinem juvari moris est.* Reip. autem nomine non solum veniunt supremæ superiorem non agnoscentes, sed etiam inferiores communitates, quæ bona communia habent, ut sunt civitates, oppida (saltem plures homines habentes, secus enim est, si pauci solummodo, puta 6. vel 10. tantum degunt) si bonorum suorum ac jurium administratores & Syndicos habent, ac perinde per illos tanquam minores reguntur. AA. iidem paulo ante citati uti & Bartol. *in cit. l. Resp.* addit etiam rationem Marant. *num.* 97. Nimirum, quod in iis multi sint pupilli, viduæ, aliæque personæ miserabiles, quorum contemplatione merito illud beneficium talibus universitatibus sit concedendum. Extenditur quoque dictum beneficium ad supremum Principem caput Reip. non quidem quo ad illius bona particularia & propria, sed quo ad bona principatus, Coronæ, fisci. Molin. Pirh. *LL. cit.*

QUÆSTIO MLVI.

An & qualiter restitutio in integrum competat majoribus.

1. RESp. primo: competit quoque quandoque ea majoribus 25. annis, ut patet ex toto titulo: ex quibus causis major &c. & in specie rudibus seu imperitis, qui jura ignorant, nec consulere potuerunt peritiores, ut militibus, dum in expeditione versantur, uti & militum uxoribus maritum comitantibus, *l. 1. & fin. de uxorib. milit.* rusticis, mulieribus, aliisque ex necessitate & non ex voluntate agere non valentibus. Pirhing *h. t. nu* 16. citatis Molin. *ubi supra n.* 5. Marant. *n.* 86 88. & 89. Wiestner *h. t. n.* 26.

2. Resp. secundo: diverso tamen modo conceditur illis quam minoribus, Ecclesiæ, Reip. dum ad eam bis concedendam sufficit, minores, Ecclesiam, Remp. saltem supremam, ostendere læsionem gravem, etiamsi hæc acciderit eorum culpa & negligentia. Ad eam, vero concedendam majoribus requiritur, ut præter læsionem gravem etiam justam causam illius ostendant. V. gr. absentiæ Reipub. causa (secus est de absentia commodi aut negotii privati causa, multoque magis de absentia data opera, *L. & qui l. non unam ff. ex quibus caus. major.*) aut etiam propter religionem aliumve justum metum mortis, detentione apud hostes, justi erroris seu probabilis ignorantiæ, & ut loquitur Prætor. *L. 1. ff. ex quibus causis major. si qua alia mihi justa causa videbitur in integrum restituam.* Abbas *in cap. ex literis nu.* 5. & 11. *& in c. cum ex literis h. t. nu.* 12. Layman *Theol. Moral. l. 3. tr. 4. cap. 11. n.* 6. Item dum minor & Ecclesia ex officio Judicis restitui debeat, etiam dum nemo petit; restitutio autem majoris non tam conceditur ex officio Judicis quam ad instantiam læsi. Abb. *in c. ex literis num.* 11. Layman Pirhing *LL. cit.* Ac denique, dum majoribus non succurritur restitutionis auxilio, quando iis suppetit appellationis aut aliud remedium ordinarium; minoribus etiam & ecclesiis, cum suppetit aliud remedium ordinarium pinguius juxta dicta supra. Procedendo nunc ad varios in specie casus, in quibus restitutioni in integrum locus.

QUÆSTIO MLVII.

An & qualiter adversus emptionem & venditionem competat minoribus, ecclesiis aliisque iis æquiparatis restitutio in integrum.

RESp. Competit ea illis primo, dum in ipso contractu emptionis & venditionis quo ad substantiam læsi sunt, eo quod absolute loquendo non expediebat contractum hunc institui, seu rem emi vel vendi, *L. in causa §. interdum L. ait Prætor. §. 1. ff. de minoribus L. fin. C. si adversus vendit. & L. fin. C. si adversus solut.* Pirhing *h. t. nu.* 17. Wiestner *nu.* 35. cum communi. Intelligendum id, ubi grave damnum emerserit, aut lucrum cessavit ex tali venditione aut emptione. Dum vero absolute expediebat quidem fieri ab iis emptionem aut venditionem, & sic quo ad substantiam læsi non sunt, læsi tamen sunt quo ad quantitatem pretii (intellige graviter, etsi non ultra dimidium) dum justo pluris emerunt, aut justo minoris vendiderunt, tunc non esse in potestate minoris petere restitutionem in integrum, quæ fit per rescissionem contractus, sed sufficere, si justitia pretii compleatur & ad æqualitatem reducatur. Ita ut si justo pluris emit minor, venditor restituat incrementum pretii usque ad limites justi pretii. Si justo minori vendidit minor, emptor ei superaddere possit & supplere justum pretium. Vel etiam, si forte pro tanto pretio, etsi justo non emisset, possit rem a minore emptam eidem restituere, recepto ab eo pretio, valde probabiliter tenent Covar. *l. 1. var. c.* 3. *num* 14. Odd. *de rest. in integ. q.* 52. *a num.* 26. Pirhing *h. tit. num.* 17. citans Abb. *in c. constitutus h. t. n. ult.* Molin. *cit. d.* 573. *num.* 12. Layman *Th. mor. ubi. ante num.* 1. Less. *cit. c.* 17. *nu.* 63. citans pro hoc *L. si res §. mulier ff. de jure dot.* ubi uxore in æstimatione servi circumventa a marito, hujus arbitrio relinquitur ut vel servum præstet vel justam æstimationem. Additque duplicem rationem Pirhing nimirum, quod minor vel Ecclesia restitui non debeat, nisi in quantum læsa, sufficienter autem, dum læsa est tantum est in quantitate pretii, restituatur & servetur illæsa, si pretii defectus suppleatur, vel quod ultra valorem rei venditæ acceptum, restituatur minori. Deinde si de facili contractus cum minoribus & ecclesiis initi omnino rescindendi sint, id ipsum cedat in incommodum, dum nemine volente cum iis contrahere, interdiceretur eis commercio, ut dicitur, *L. quod minor §. non semper ff. de minor.* Contrarium, nimirum posse adhuc in hoc casu peti, & ad hanc saltem petitionem concedendam restitutionem contractus, censent Castropalao *ad L. non interest. C. quod metus causa gestum num.* 4. Pinello *ad L. de contractu C. de rescind. vendit p. 3. c. 1. nu.* 11. Fachin. *controvers. l. 2. c. 89. §. cæterum tr. 32. d. 1. p. 19. §. 2. nu.* 9. citant hi pro se *L. quod si de minor. §. 4. ff. de minor.* qua minore in vendendo fundo circumscripto emptor fundum cum fructibus restituere & pretium recipere jubetur. Item *L. patri §. 1. ff. eod.* ubi: *si minore pretio vendiderit adolescens, emptor juberi debet prædia cum fructibus restituere* &c. Item *cap. 1. h. t.* (de cujus tamen varia interpretatione videri potest Pirhing *h. 1. n.* 9 ubi possessiones seu prædia ecclesiæ in damnum ejusdem concessa laicis sub modico censu jubentur redire ad jus & proprietatem ecclesiæ, intellige, non obstante, quod census ille augeri potuisset, manente jure & proprietate prædiorum penes dictos laicos. Addunt & hi AA. rationem: quod, cum restitutio sit reductio in pristinum statum, quæ non fit per solam suppletionem pretii, sed rescisso omnino contractu, per quam putant se sufficienter respondisse ad rationem primam

mam allatam pro opposita sententia. Respondet quoque ad textum illum iuris pro eadem allatum cum Fachin. *loc. citat.* Wiestner quod speciale sit restitutioni inter conjuges, ut quantumvis non sit minor, suppletio duntaxat pretii defectu sit facienda ad mutui amoris conservationem exigentem, ut inter eos gesta non rescindantur, si alio mediu, nempe dicta suppletione pretii, conjugi læso subveniri possit. Dum autem minor aut ecclesia ex contractu ultra dimidium justi pretii. V. gr. res, cujus pretium justum erant mille, vendita 480. paratum habeant remedium ordinarium, *L. rem majoris, Cod. de rescind. vend. c. cum dilectus, c. causa de emptione & vendit.* Adeoque remedium restitutionis præcise necessarium non sit, posse tamen etiam eo extraordinario tanquam pinguiore illi succurri probabilius censent Abb. *in cit. c. cum dilectus n.* 4. Beroius, *l. cit. nu.* 55. Covar. *loc. c. n.* 11. Wiestner *h. t. nu.* 11. juxta dicta a nobis supra. De cætero, nti contractu venditionis vel emptionis (idem est de contractu locationis, conductionis, permutationis, transactionis similibusque) justa de causa adhibitis solemnitatibus a Jure præscriptis, debitaque circumspectione, opportuno tempore, justo interveniente pretio jam perfecto, superveniret alius emptor vel conductor majus pretium offerens (idem est, dum alius superveniret venditor, qui rem omnino parem minore pretio venditurus minori vel Ecclesiæ) non esse locum restitutioni in integrum, rescisso tale contractu, probabilius sustinent Molin. *cit. d.* 375. *nu.* 9. Less. *l. 2. de Justit. c. 17. n.* 69. Gutt. *l. 5. pract. civil. q. 38. n.* 9. quos citat & sequitur Wiestner *h. t. num.* 8. eo quod læsio regulariter attendatur secundum tempus contractus, & non secundum superveniens, ita ut, si post contractum jam perfectum valor seu pretium rei augeatur vel minuatur, non causet læsionem, ac proinde nec restitutionem. Menoch. *de arb. cas.* 149. *n.* 19. Beroius *lib. 1. cons.* 83. *num.* 27. Odd. *tr. de rest. in integr. qu.* 57. *num.* 18. Ad hæc restitutio in integrum ex prætoriana æquitate inducta ad supplendam alienam vel propriam negligentiam vel culpam in damno emergente vel lucro cessante. V. gr. exemptione, locatione &c. qualis negligentia aut culpa nulla in dicto casu intervenit, lucrumque ex post haberi potuisse est mere accidentarium.

QUÆSTIO MLVIII.

An & qualiter minor vel Ecclesia restituatur in integrum adversus donationem factam.

RESp. Restituitur adversus donationem factam cum excessu non tantum mere liberaliter, sed etiam ex causa, puta, remunerationis, constituendæ dotis ante vel propter nuptias, *l. final. C. si adversus donationem, l. unic. Cod. si adversus dot.* Secus si facta cum debita moderatione, habito respectu ad facultates & qualitates donantis donatarii, & consuetudinis loci. Zoes. *in ff. de minor. n.* 5. Wiestner *h. tit. num.* 31. Secus etiam est, dum donatio a minore facta (intellige, etiam liberalius, nisi forte per hoc necessitati propriæ vel suorum subtraxisset) ecclesiæ, monasterio, hospitali alterive causæ piæ; cum Prætoris edicto non rescindantur actus a minore gesti pie ac laudabiliter, & ut suppono, non leviter sed prudenter, licet eorum postea pœniteat minorem, & potius leviter & imprudenter se gereret, dum adversus eos restitui in integrum cuperet. Odd. *loc. c. num.* 29. Rebuff. *de rest. in integr. art. 1. gl. 2. num.* 6 Bald. *de dote p. 6. privileg.* 63. *num.* 2. Wiestner *h. t. num.* 32. Porro adversus donationem factam causa mortis, dum ea revocabilis est, qualis de se esse solet; uti nec contra testamentum factum a minore restitutioni locus est; dum enim tam hoc quam illa semper libera voluntate revocabilis est, remedium hoc restitutionis in integrum omnino superfluum est, *l. cum hic status §. 3. ff. de donat. inter vir & uxor. l. omnium C. de testam.* Ubi tamen dicta donatio causa mortis foret irrevocabilis, eo quod facta patre consentiente, ita ut non nisi eo consentiente revocari possit juxta *l. Senatus §. 4. ff. de mortis caus. donat.* jam adversus eam succurritur, non secus ac adversus donationem factam inter vivos, ope restitutionis in integrum, utpote a qua improvide facta alia via se expedire nequeat. Odd. *q.* 58. *n.* 38. Wiestner *n.* 34. citans insuper Rodericum Suarez *alleg.* 20. *n.* 8. & 11.

QUÆSTIO MLIX.

An & qualiter minori vel ecclesiæ competat restitutio in integrum adversus aditionem vel repudiationem hæreditatis.

1. RESp. primo: competit iis restitutio in integrum, dum hæreditatem, quæ lucrosa apparebat propter debitorum & legatorum multitudinem damnosam; vel econtra, quæ apparebat damnosa & inutilis, locupletem & sibi utilem comperiunt, *l. ait Prætor §. 9. l. si minor §. 2. ff. de minor l. final. C. si minor ab hæred.* ita tamen, ut ad concedendam restitutionem contra repudiatam hæreditatem (cum tunc concedatur non ad evitandum damnum, sed ad acquirendum lucrum) requiratur, ut res adhuc sit integra, V. gr. res necdum distractæ, & in tertium possessorem translatæ, *l. fin. C. de repud. hæred.* Wiestner *h. t. n.* 37. citans Zoes. *in ff. de minor. n.* 10. Oddum *q. 4. n.* 62.

2. Resp. secundo: dum tamen Ecclesia vel minor adivit hæreditatem lucrosam, quæ postmodum casu seu fortuito periit, restitutioni in integrum locus non est. Rebuff. *de rest. in integr. art. 1. gl. 2. num.* 7. Wiestner *num.* 38. juxta *l. verum §. sciendum ff. de minor. & ibid.* Bald. *num.* 2. ubi dicitur, non restituendum minorem, qui sobrie rem suam administrans occasione damni non inconsulte (hoc est, non ex injuria & negligentia) accidentis, sed fato, velit restitui, addita etiam ratione: nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas, seu fragilitas ætatis; cui, cum imputari nequeat, dum non ex actione aut voluntate ipsius minoris, sed mero casu fortuito damnum evenit, restitutioni in integrum locus non est; quamvis neque ei locus est in hoc casu ex alio capite; nimirum, quia læsio non contigit in ipsa aditione hæreditatis, ejusque aditæ tempore, quod requiritur, ut concedatur restitutio juxta Menoch. *de arbitr. cap.* 144. *num.* 19. Beroium, *l. 1. cons.* 83. *num.* 27. Gravett. *cons.* 151. *num.* 7. & dicta a nobis supra. Neque his obstat *l. ait Prætor ff. de minor.* ubi restituendus dicitur minor, si pecuniam a paterno debitore solutam perdiderit. Subintelligitur enim sua injuria vel negligentia, & non mere casu. Neque *l. Divus §. 1. hoc tit.* ubi restituendus dicitur, si læsus sine sua culpa minor, ubi ejusdem læsio provenit ejusdem incuria, ignorantia, errore, quæ ob ætatis fragilitatem in minoribus pro culpa non reputantur, ut Bartol. *in l. Nerva ff. depositi*, nisi tamen (uti responsionem hanc limitant Bald. *in cit. l. verum §. si locupleti nu.* 5. Odd. *quæst. 4. num.* 32. Wiestner *nu.* 39.) interitus ille hæreditatis aliudve malum etsi inopinatum prævideri tamen haud difficulter & rationabiliter timeri potuisset a minore vel Prælato ecclesiæ, si eam, quam majores resque suas & negotia gerentes diligentiam adhibuisset, eo quod tunc adhuc læsio illa ex quadam ætatis fragilitate aut Prælati negligentia accidisse censenda sit, ac ita restitutionem illam mereatur.

QUÆSTIO MLX.

An & qualiter restitutio in integrum concedenda minori vel ecclesiæ adversus sententiam contra illos latam.

1. RESp. Primo: concedenda est illis restitutio, dum contra illos in judicio pronunciatum & lata sententia definitiva ob necessariam probationem vel exceptionem eorum tutoris, curatoris, procuratoris imperitia aut negligentia omissam. De minore habentur, *L. in causa §. final. l. minor ff. de minorib. l. fin. ff. h. tit. l. etiam in his C. si tutor. vel curat. intervenerit.* De ecclesia vero, *cap. veniens, cap. cum venissent, c. auditis h. tit.* Ac ita quidem competit illis dicta restitutio, ut si notabilis illa eorum læsio in judicio seu per sententiam (idem est de læsione alia extrajudiciali) contigerit ob negligentiam administratoris, curatoris necessarii, in optione minoris vel ecclesiæ sit, vel convenire administratorem aut hæredes illius ad compensationem damni, vel petere restitutionem in integrum. Glos. *in c. præsentium de pignorib. v. necessitate.* Molin. *cit. d.* 573. *n.* 5. Pirhing *hoc tit. num.* 19. Et de minoribus læsis ex negligentia curatoris, *cit. l. etiam & l. fin. Cod. si tutor. vel curat.* Si vero contigit læsio ex negligentia procuratoris voluntarie assumpti, restitutio in integrum peti nequeat, nisi prius actum contra procu-

tato-

ratorem, & is non ſit ſolvendo ſeu reſarciendo damnum, *L. cum mandato ff. de minor.* juncta Gloſ. *v. audiri* & Gl. marg. Molin. Pirhing *LL. cit.* Porro vis & effectus iſtius reſtitutionis contra ſententiam eſt, ut minor & eccleſia non tantum admittantur ad probationis & exceptionis omiſſæ productionem & allegationem, ſed & ſententiæ executio ſuſpendatur; cum pendente cauſa reſtitutionis, regulariter nihil circa rem litigioſam debeat innovari, ſed omnia in ſuo ſtatu relinqui, *L. unic. C. de integr. reſtitut. poſtul. cap. ſuſcitata h. t.* Pirhing *h. t. num.* 27. Oddus *quæſt.* 43. *num.* 2. niſi tamen ſit præſumptio malitiæ contra petentem reſtitutionem ex eo, quod condemnatus in continenti nullam, ne quidem aliqualem læſionem probare poſſit: tunc enim ſententia mandata eſt executioni. Pirhing *l. cit.* Wieſtner *nu.* 40. ex Oddo *l. c. a num.* 86. præſtita tamen idonea cautione (fidejuſſoria nimirum vel pignoratitia) ab adverſario, pro quo lata ſententia, quod petenti & obtinenti reſtitutionem, ſi ei fuerit cauſa adjudicata omnia reſtituentur, quæ medio tempore occaſione ſententiæ adverſarius perceperit. Argument. *cit. cap. ſuſcitata*, Pirhing *num.* 27. Quamvis tamen etiam, ut habet idem, *n.* 29. cum Abbas *l. c. num.* 8. quibuſdam caſibus, poſtulata reſtitutione in integrum non ſtatim fieri debeat executio ſententiæ recepta cautione, dum nimirum executio revocari nequit, quia v. gr. condemnatus cum infamia, relegandus aut in carcerem detrudendus; cum tunc reſtitui nequeat; impoſſibile enim eſſet, ut incarceratus non fuerit in carcere, & illam ignominiam paſſus, ideoque fruſtratoria foret illa cautio.

2. Reſp. ſecundo: Reſtituitur quoque minor & eccleſia adverſus ſententiam contra ſe latam, dum ipſi in cauſa fuerunt; quia ex propria negligentia probationes neceſſarias in judicio allegare omiſerunt, de minore habetur *in L. minor. ff. de minorib.* de eccleſia *c. auditis h. tit.* Unde jam a potiore licet contra minorem & eccleſiam non ſecus ac contra majorem currant termini peremptorii ſeu excluſivi probationum, ita ut iis elapſis non admittantur amplius ad probandum ſeu allegandas probationes omiſſas, poteſt tamen & tunc adhuc petere reſtitutionem in integrum adverſus lapſum temporis vel termini peremptorii ad probandum conſtituti. Argument. *cit. cap. auditis h. t.* & Abbas *ibid. n.* 6. & ſic non niſi beneficio reſtitutionis in integrum admitti ad probandam. Abb. *l. c. n.* 2. Pirhing *h. t. nu.* 22. juxta *c. coram & cap. auditis h. t.* & de minore Argument. *L. 1. C. ſi ſæpius in integrum reſtit. poſtul.* ubi, quod minor, ſi poſt ſententiam contra ſe latam intra decendium non appellavit, per reſtitutionem in integrum ſit admittendus ad appellandum, quod intelligendum de præſcriptionibus & terminis judicialibus, qui etiam contra minores & eccleſias & omnes currunt (ſecus ac præſcriptiones extrajudiciales temporales, quæ ipſo jure non currunt contra minores & Eccleſiam, niſi ſint 30. vel 40. annorum) ait Pirhing *l. cit.* cum Bartol. *in cit. L. ſi ſæpius* & Abb. *l. cit. num.* 6. De cætero in petenda & obtinenda reſtitutione in integrum ob omiſſas probationes poſt concluſionem in cauſa neceſſarium non eſſe probare læſionem, ſed ſufficere allegare omiſſionem neceſſariæ probationis intra terminum præſcriptum; cum hoc ipſo appareat de læſione, ait Pirhing *num.* 21. & 28. Argument. *cit. c. auditis h. t. in* 6. ubi etiam, quod contrarium ſit, dum allegatur læſio ob omiſſionem productionis privilegiorum, & ea debeant prius oſtendi Judici, antequam reſtitutio concedatur. Argument. *c. 2. h. t.* ubi: *inſpectis privilegiis*. Uti, & ſi allegetur læſio in alio actu extrajudiciali, ea prius probanda. Argum. *L. in cauſa ff. de minor.* Abb. *l. c. n.* 7. Secundum dicta a nobis ſupra.

3. Reſp. tertio: dum petitur reſtitutio in integrum contra ſententiam definitivam, fieri debet conteſtatio litis utraque parte præſente, & dein cognoſci, an concedenda reſtitutio nec ne, & ſi judicatum eſt, eſſe concedendam, poteſt, ſi partes petant, ad cauſam principalem denuo cognoſcendam procedi. Argum. *c. tum ex literis h. t. prope finem*, juncta Gloſ. *fin.* Abb. *ibid. num.* 15. Pirhing *h. t. num.* 26. quia reſtitutio in integrum, ut iidem, vim appellationis habet eique æquivalet; adeoque ſicut in cauſa appellationis debet fieri conteſtatio litis partibus præſentibus juxta *L. unic. Cod. ne liceat in una*, ita & in cauſa reſtitutionis in integrum.

4. Reſp. Quarto: poteſt peti & obtineri reſtitutio in integrum etiam adverſus ſententiam latam a Papa alioque ſupremo Principe, *c. tum ex literis hoc. tit.* Abb. *in c. ſuſcitata h. tit.* Bellamer. *ibid. num.* 52. Curtius Jun. *in L. ſi cauſa Cod. de tranſact. num.* 6. Rebuff. *de reſt. in integ. art.* 5. *gl.* 5. *num.* 43. Oddus *quæſt.* 72. *a. num.* 62. Pirhing *hoc tit. num.* 24. Wieſtner *num.* 41. contra Hoſtienſ. *in c. ſuſcitata v. impediri*. Bald. *in L. ſi cauſa nu.* 2. Menoch. *adipiſcend. remed.* 831. Covar. *pract. cap.* 25. *num.* 7. &c. Siquidem hæc reſtitutio non petitur a tali ſupremo Principe ob ſuſpicionem iniquitatis & injuſtitiæ; ſed neque prætextu erroris vel lapſus ex parte judicantis, ſed tenentis ſe ex parte minoris vel eccleſiæ, aut etiam alterius juſtæ cauſæ, ob quam dicta reſtitutio juſte peti poteſt, ſublato omni alio remedio appellationis a tali ſententia; quamvis etiam peti poſſit a tali Principe allegata enormi læſione, ut ſententia reſcindatur ex ſola gratia & benignitate Principis, eo quod non ſit locus appellationi; quæ petitio innixa ſoli gratiæ eſt ſupplicatio proprie dicta juxta *auth. qua ſupplicatio, Cod. de precib. Imperat. offerend.* Abbas *in c. ex literis hoc t. num.* 3. ubi quod contra ſententiam etiam inferiorum poteſt ſupplicari, quando ex cauſa aliqua non admittitur appellatio. Pirhing *h. tit. num.* 31. *not.* 2. Quod tamen intelligendum reſpectu Judicum inferiorum late loquendo, ait *ibid. not.* 4. eo quod ſupplicationem ſtricte talem ſolus Princeps admittere poſſit; cum per eam retractetur ſententia, & præjudicium inferatur juri quæſito alterius, quod inferior Judex facere nequit extra caſus a Jure conceſſos, *l. 2. & 3. Cod. ſent. reſcind. non poſſ. & num.* 32. ubi, quod per talem ſupplicationem ſtricte talem non ſuſpendatur executio ſententiæ ſicut per appellationem & reſtitutionem in integrum, ſed cautio præſtanda de reſtitutione, ſi ſupplicans cauſam obtinuerit. Nihilominus tamen etiam tenebitur talis Princeps ex æquitate ſuccurrere & ex officio exhibere remedium extraordinarium reſtitutionis in integrum (quæ eſt ſupplicatio late ſumpta participans partim ex gratia, partim de Juſtitia, dum præter læſionem gravem ad impetrandam illam requiritur alia juſta cauſa, v. gr. imbecillitas ætatis, favor publicus Eccleſiæ, abſentia Reip. cauſa) ſi ea petatur Pirh. *h. t. num.* 25. & 28.

5. Reſp. quinto: non tantum contra ſententiam bis confirmatam concedi poteſt a Principe reſtitutio in integrum, ut habetur *c. tum ex literis h. t.* Pirhing *h. tit. num.* 26. *in fine*. Sed etiam contra tres ſententias conformes in eadem cauſa & ſuper eodem articulo latas poteſt peti, & concedenda eſt reſtitutio in integrum, dum ea petitur prætextu erroris & imprudentiæ ætatis. Saliceto *in l. unic. C. ne liceat in una ter provocar. in fine*. Franc. *in c. ex ratione de appellatione nu.* 70. *ad finem*. Marant. *de ordin. Judic. p.* 6. §. *de appellat. num.* 112. Menoch. *de arb. cap.* 9. *num.* 3. contra Bald. *in cit. l. unic. num.* 10. Ripam. *in l. ſi ſe §. condemnatum ff. de re judicat. num.* 23. Covarruvias *pract. cap.* 25. *num.* 7. &c. eo quod licet tres ſententiæ conformes inducant præſumptionem pro Judicibus, quod recte & juſte judicarint: cum in eodem articulo a tribus diverſis Judicibus gravari non ſit veriſimile (unde & propter præſumptionem calumniæ poſt tres conformes denegatur appellatio, ita & reſtitutio in integrum, ſi ea petatur prætextu injuſtitiæ & iniquitatis ſententiarum) non tamen tollant præſumptionem erroris ex juvenili imprudentia orti, ut etiam ratione illius reſtitui, & reſtitutus amplius audiri non debeat. Ac proinde, ut Wieſtner *h. tit. num.* 42. citatis Mynſing. *centur.* 3. *obſerv.* 84. & Oddo, *qu.* 72. *n.* 68. & 74. ſi minor poſt tres latas conformes in continente Judicem de bono ſuo jure & lapſu ætatis prætenſo ſummarie informet ſuſpenſa executione ſententiæ, plena erroris indeque ortæ læſionis probatio reſervetur ipſi judicio reſtitutionis in integrum.

6. Reſp. ſexto: Tametſi minori aut eccleſiæ adverſus ſententiam contra eos latam, a qua non appellarunt, petentibus reſtitutionem in integrum, dum hæc eis negata fuit, eandem in alio judicio petere non liceat, nec Judex eam concedere debeat, *c. fin. hoc tit. l. 1. & ſeq. C. ſi ſæpius in integr. reſtitut. poſtul.* eo quod dum a ſententia lata ſuper reſtitutione in integrum, etiam contra minores & eccleſiam tranſeat in rem judicatam, ſi ab ea intra decendium appellatum non fuit, *c. coram h. t. l. 1. Cod. ſi ſæpius in integr.* & hinc ſi iis ſemel in judicio reſtitutio in integrum negata, ulterius non audiuntur, ſive petant reſtitutionem ob læſionem ſive contra ſententiam denegatæ reſtitutionis: idque merito, ne ſi contra ſententiam denegatæ reſtitutionis directe daretur reſtitutio, dicta ſententia foret illuſoria & nullus finis litium. Pirhing *hoc. tit. num.* 34. citatis Hoſtienſ. & Abbate. Nihilominus reſtitui debent adverſus denegatæ reſtitutionis ſententiam, a qua non appellarunt, *cit. c. final. & l. 1. cap. ſi ſæpius*, Quia hæc eſt nova cauſa & diverſæ reſtitutionis ab ea, quæ prius dijudicata & negata. Quippe prior illa denegata petebatur ad totam cauſam dijudicatam per latam ſententiam, a qua non fuerat appellatum. Hæc ſecunda reſtitutio petitur & fit ſolum ad appellandum a ſententia denegata reſtitutionis. Dum autem reſtitutio fit ad appellandum tantum, prior ſententia non tollitur, ſed ſolum ejus executio ſuſpenditur, & ſi talis reſtitutus non proſequatur

appel-

appellationem intra terminum Juris, confirmatur prior sententia. Quin & post negatam per sententiam restitutionem in integrum, in ordine ad totam causam, adhuc ea concedenda illis, dum postea emergunt novæ causæ, V. gr. reperiuntur nova instrumenta aut probationes seu defensiones antea ignoratæ, *citat. cap. final.* & *l. 1. 2. 3. Cod. si sæpius restitut. in integr.* quia in nova causa (præsertim si ea prius cognita denegatum sed nec denegandum fuisset) potest aliquid iterum peti, non obstante exceptione rei jam judicatæ ex alia causa, *L. cum quæritur & duab. seq. ff. de except. rei judicata.* Tum etiam, quia, quæ de novo emergunt, novo egent auxilio, *L. de ætate §. ex causa ff. de interrogat. action.* Exemplificat hoc ipsum Pirhing *hoc tit. num. 36.* ut si ecclesiæ læsæ in judicio ob procuratoris negligentiam potenti restitutionem in integrum hæc ei denegata ex hoc capite, quod prius erat agendum contra procuratorem ad resarciendum damnum qui putabatur ad hoc sufficiens, hæc restitutio denuo petita ei concedenda, dum postmodum deprehenditur procurator impotens ad hoc.

7. Porro quod hic dictum de restitutione minoris contra sententiam latam, extendi quo ad majores 25. annis, ut iis quoque concedatur restitutio in integrum adversus rem judicatam sive sententiam latam, ut causa denuo cognoscatur, modo præter læsionem gravem subsit justa causa eam petendi, eaque plene probetur, asserit Pirhing *num. 30.* Argum. *c. ex literis h. t.* vel saltem semiplene probata. V. gr. per juramentum vel unum testem in causa favorabili, qualis est causa matrimonii. Pirh. *nu. 32.* Reflectendum tamen etiam ad ea, in quibus hanc restitutionem concessam majoribus distingui a restitutione concessa minoribus & Ecclesiis isque æquiparatis, dictum est supra, ubi ex professo tractata hæc quæstio.

QUÆSTIO MLXI.

An & qualiter minoribus & Ecclesiis concedatur restitutio adversus præscriptionem.

RESp. Tametsi, ut dictum *Resp. 2. ad quæst. præced.* præscriptio minor 30. annis non currat adversus minores, adeoque hac ex parte quæstio sit de subjecto non supponente, habere tamen etiam potest contra eos locum, casu quo inchoata contra majorem, cui successit minor (idem dicendum videtur de Ecclesia, dum ea successit majori seu non æquiparato minori) contra minorem completur exacta ætate pupillari, & tunc contra illam ei succurri posse per rescissionem illius seu restitutionem in integrum, docere passim DD. apud Zoes. *in rubr. cap. si adversus usucapion.* & Brunnem, *in L. unic. citat. rubr. num 22.* ait Wiestner *h. tit. num. 44.* De cætero num contra præscriptionem completam ex causa justa, saltem invincibilis ignorantiæ facti, concedatur quoque restitutio in integrum majoribus ex clausula: 25. *annis majores* non convenit inter AA. Affirmant cum Bartol. *in L. Æmilius. ff. de minor. num. 5.* alii, quorum sententiam plurium tribunalium praxi receptam testantur & sequuntur Gales. *de restitut. in integr. capit. 8. num. 199.* Oddus *quæst. 90. a num. 199.* negant, econtra Castropalao *in L. fin. Cod. de long. temp. præscrip. num. 4.* Pinello *in auth. nisi C. de bonis matern. a num. 58.* Vasquius *illustr. controv. lib. 2. c. 15. a n. 2.* Wesenbec *in ff. ex quibus caus. major. num. 10.* Zoesius *ibid. num. 6.* & alii, quos citat Wiestner *hoc. tit. num. 30.* utriusque sententiæ argumenta vide apud eundem; cum hæc controversia minus proprie ad hunc locum spectet.

QUÆSTIO MLXII.

An & qualiter minori concedenda restitutio in integrum adversus resignationem beneficii ecclesiastici.

1. RESp. primo: Quamdiu res adhuc est integra, seu beneficium resignatum necdum collatum alteri, concedenda est illi dicta restitutio, dum nimirum ex ea resignatione ab eo facta improvide, valide tamen, graviter læsus est, V. gr. pingue beneficium permutando cum tenui, quod pinguius aut æque pingue putabat. Vel simpliciter dimittendo beneficium spe melioris obtinendi, eo quod regula generalis sit, minores graviter læsos esse restituendos; a qua regula nusquam excipitur resignatio beneficiorum ecclesiasticorum, dum etiam in ea locum habeat infirmitas ætatis & immaturitas judicii. Neque etiam quo ad hanc restitutionem in beneficialibus habeatur pro majore, etsi alias speciali Juris favore in beneficialibus habeatur pro majore in ordine seu ad effectum, ut ratione beneficii agere possit in judicio per se vel procuratorem. Ac ita tenent Glos. *in cap. ex parte de restitut. spoliat. v. quamvis minor.* Abb. *ibid. a num. 14.* Covarruvias *lib. 1. var. resolut. cap. 5. a num. 1.* Paris. *de resignat. quæst. 7. a num. 43.* Castropalao *tr. 32. disp. 1. part. 19. §. 2. num 20.* Zoesius *h. tit. num. 4.* Engels *ibidem num. 21.* Reiffenstuel *num. 83.* Wiestner *h. tit. num. 61.* qui nescio, an recte pro contraria opinione citet Azor. *part. 2. lib. 7. cap. 20. quæst. 28. in fine*, cum ibi expresse dicat: *quando minor beneficium suum dimisit, & in ea dimissione læsus est graviter, quia ex beneficio vivebat, si res sit adhuc integra, hoc est, si beneficium nondum collatum alteri, restituitur in integrum sola gratia & favore ætatis, &c.* Qui favor tamen non excludit omnimode æquitatem & justitiam, cui saltem ex parte seu aliqualiter inniti restitutionem in integrum, dictum est supra. Secus est seu restitutioni dictæ locus non est, ubi læsio nulla in resignatione contingit; cum minoribus non nisi læsis hoc remedio succurratur, *L. non omnia ff. de minoribus & l. minoribus Cod. de restitut. in integr.* ut si minor resignavit beneficium, quia potius erat ei oneri quam commodo, vel quia duo habebat, ex quorum uno competenter vivere poterat; vel quia resignavit in gratiam consanguinei vel amici sui; vel quia initurus religionem aut matrimonium resignavit Azor. *loc. cit.* quamvis inter illa ab eo allata exempla sint aliqua, in quibus vere graviter lædi potuit ex sua levitate & imprudentia, V. gr. dum non satis consulto resignavit in favorem consanguinei, unde deinceps non satis competenter vivere posset, dum ingressurus religionem resignavit ante tempus tali resignationi a Tridentino statutum; vel etiam ante maturam satis deliberationem vel firmiter conclusum talem ingressum, a quo postea resiliit. Idem est de contracturo matrimonium; dum illud inconsulta sua facilitate inire statuens resignavit, & postmodum non iniit.

2. Resp. secundo: Probabilius quoque videtur concedendam adhuc restitutionem, etsi res non sit amplius integra seu beneficium resignatum jam collatum alteri. Ita tenent Gomez *in Reg. Cancell. de annal. poss. quæst. 5.* Covarruvias *loc. citat. num. 3.* Zoesius *loc. citat. num. 5.* Molin. *tr. 2. de Jur. & Justit. disp. 573. num. 16.* Engels *hoc tit. num. 22.* Reiffenstuel *hoc tit. num. 85.* Wiestner *num. 63.* contra Glos. Abb. Azor. *LL. cit.* Castropalao *tr. 13. disp. 6. part. 2. §. 3. num. 13.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 11. num. 2. &c.* Ratio responsionis est eadem, quæ præcedentis. Quia nimirum hic casus non excludit gravem læsionem, & manet generalis regula, paratum esse remedium restitutionis in integrum minoribus quocunque contractu vel actu graviter læsis, etiamsi res jam distracta ad alium, etiam tertium possessorem devenerit, *L. si ex causa, l. si ret pupillaris ff. de minoribus* exceptis casibus in jure expressis, inter quos non est, si beneficium resignatum jam collatum alteri, adeoque non obstat responsioni, quod minor juxta *l. quod si minor. §. 2. ff. de minor.* non restituatur adversus repudiatam hæreditatem, re non amplius integra, seu hæreditate jam distracta; præterquam, quod in hoc casu repudiatæ hæreditatis longe dispar sit ratio; dum dispositio illa *l. quod si minor. §. Scævola & l. ult. de repud. hæredib.* solum procedit de lucro captando ex re, quæ nondum fuit minoris, nimirum hæreditate nondum adito, sive de mera omissione acquisitionis lucri, non autem de damno vitando, nimirum ex amissione rei jam habitæ, ut dum minor deceptus vel propria imprudentia & levitate

captus

captus cedit rem suam, nimirum beneficium a se pleno jure obtentum & possessum. Sed aeque responsioni obstat, quod per resignationem acceptatam collationemque factam alteri titulus & omne jus, quod minor in eo beneficio habebat, extinctum; adeoque ei sine nova canonica institutione nequeat id beneficium denuo obvenire. Nam dici posset, ideo opus non esse in hoc casu restitutionis, dum illa in pristinum statum reducit, nova collatione; quia beneficii resignati titulus & jus, quod in eo habuit resignans, non omnino absolute ob eo dimissum translatum in alium, sed sub tacita conditione, quae ex Juris dispositione inesse videtur, nisi minor in integrum seu restitutionis in beneficio in pristinum statum reponatur, ita Wiestnet. *hoc tit. num. 63. in fine*. Vel si dictæ responsio minus apta videntur, & absolute nova collatione opus sit, dicendum, ipsam restitutionem esse virtualiter novam collationem, seu beneficium hac via a Jure de novo conferri.

QUÆSTIO MLXIII.

An & qualiter restituendus minor adversus professionem religiosam?

RESpond. tametsi contra professionem valide emissam locus restitutionis in integrum nunquam sit, etsi ejus professum postmodum pæniteat. Abb. *in capit. ex parte de restit. spoliat. num.* 16. Barbos. *ibidem num.* 4. Fagnan. *in c. significatum de regular. numer.* 36. Oddus *tractat. de restit. in integ. quæst.* 60. *num.* 23. cum communi; eo quod in emissione ejus factam cum debita libertate servatisque aliis ad ejus valorem requisitis (tametsi alias ex falsa causa minor ad ingrediendam religionem fuisset inductus, ut Pirh. *hoc tit. num.* 47. citato Molin. *disp.* 573.) nemo lædatur; cum ea, utpote assumptione status perfectioris nuimæque magis conducentis quis faciat conditionem meliorem. Abb. *loc. citat. num.* 16. Felin. *in citat. cap. ex parte num.* 10. Covar. *loco citat. cap.* 5. *numer.* 1. *in fine*. Sed neque quis prætendens ejus invaliditatem ob ætatis vel plenæ libertatis defectum aliamve causam post exactum ab ejus emissione quinquennium non sit audiendus juxta decretum Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. *de regular.* Nihilominus minor quin & major prætendens se impeditum legitime, quo minus intra dictum quinquennium reclamare potuerit, contra lapsum dicti quinquennii restituendus est in integrum in ordine ad proponendas in judicio causas prætensæ nullitatis professionis suæ. Naver. *commentar.* 4. *de regular. nu.* 71. & 76. Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *disp.* 37. *numer.* 22. Mirand. *in man. Tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 1. Rodriq. *qq. regul. quæst.* 17. *art.* 16. Portel. *in dubiis regul. vers. professio num.* 45. Fagn. *in cap. perlatum de iis quæ vi vel metus caus. num.* 33. & 38. Barbos. *de offic. Episcop. allegat.* 104. *num.* 108. Less. *l.* 2. *de Justit. & Jur. cap.* 41. *num.* 65. Diana *part.* 3. *tractat.* 2. *resolut.* 53. relatis aliis contra Cævall. *qq. pract. quæst.* 900. *in fine* ita declaratum asserens a Congreg. Cardin. Interp. Trident. Paris. *de resign. l.* 13. *quæst.* 5. *num.* 46. id receptum in praxi testans. Ratio responsionis nostræ est, quod beneficium restitutionis in integrum contra præscriptionem temporis minoribus quidem ratione fragilitatis ætatis, ipsis vero etiam majoribus ratione ignorantiæ vel alterius impedimenti ex clausula generali indultum est generaliter. Neque id beneficium excipitur specialiter, seu adimitur per Tridentinum, dum post quinquennium illud elapsum reclamantem contra professionem audiri vetat. Aliud enim est allegare causas nullitatis professionis, aliud allegare causas, ob quas quis intra quinquennium reclamare non potuerit. In ordine ad prius post quinquennium efficiendum via ordinaria petentem audientiam rejiciendum dicit Tridentinum in ordine ad secundum, seu ad proponendas causas omissæ intra quinquennium reclamationis audientiam non negat, & consequenter etiam non dicit rejiciendum post quinquennium petentem audientiam in ordine ad implorandum & obtinendum remedium extraordinarium restitutionis in integrum, ut eo remedio extraordinario mediante, veluti via extraordinaria exponat causas nullitatis professionis, ejusque declarationem obtineat. Siquidem leges generaliter adimentes actionem loquuntur de actione ordinaria seu competente jure communi stricto, non de extraordinaria seu specialiter indulta, ut Gloss. *in l. postquam Cod. de pactis vers. nulla*. Molin. *de primog. cap.* 13. *num.* 65. Odd. *quæst.* 15. *a num.* 44. apud Wiestner. *hoc tit. num.* 49. Quemadmodum etiam licet leges statuant, ut non admittatur probatio contra præsumptionem Juris & de jure (qualis de ratificata professione, etsi ab initio invalida, inducitur per hoc, quod per quinquennium habitus professorum delatus, exercitique actus professis competentes ac proprii, ac interea omissa omnis reclamatio) in judicio ordinario; non tamen vetant eam admitti in judicio extraordinario restitutionis in integrum, cui ei etiam locus sit adversus rem judicatam etiam a summo Principe. Illud tamen hic notandum cum Fagnan. *in cap. consuluit qui cleric. & vovent. num.* 35 Barbos. *in collectan. ad citat. cap.* 19. *Trident. num.* 9. Wiestner. *hoc tit. num.* 50. *&c.* quod potestas concedendi hanc restitutionem in integrum contra lapsum quinquennii in ordine ad deducendas causas nullitatis professionis sit penes solum summum Pontificem; proindeque ex stylo Curiæ recurrendum ad Papam, vel ad Congregation. Cardinal. Interp. Concilii, aut ad præpositam negotiis regular. quæ prius cognitis, saltem summarie, causis nullitatis professionis & justo impedimento reclamandi intra quinquennium, restitutionem dictam authoritate Papæ solet concedere, ac ubi causæ nullitatis justæ fuerint, professionem nullam declarare.

QUÆSTIO MLXIV.

An & qualiter restituatur minor adversus matrimonium & matrimonio accidentalia?

1. RESpond. ad primum: contra substantiam matrimonii locus esse nequit restitutioni in integrum; cum matrimonium semel valide contractum & consummatum nulla potestate humana dissolvi queat (in quo est maxima disparitas inter matrimonium carnale & spirituale seu professionem religiosam, cujus vinculum authoritate apostolica solvi potest) quantumcunque ex eo contractu per incuriam & levitatem suam sit læsus minor, ducendo ingnobilem, pauperem, corruptam &c. Sed neque contra matrimonium invalide contractum dictæ restitutioni est locus; cum ea essentialiter supponat actum validum, qui rescindatur juxta dicta supra. An vero contra matrimonium & contra lapsum anni & dimidii cohabitationis, detur restitutio, si ex justa causa metus durantis petita fuerit, vide apud Castropal. *tractat.* 26. *disp.* n. p. 7. *num.* 13.

2. Respond. secundo: Est tamen locus restitutioni in matrimonia accidentariis. Covar. *l.* 1. *variar. cap.* 5. *num.* 8. Odd. *tract. resol. in integ. quæst.* 60. *num* 3. cum communi, patetque ex *l. unic. C. si advers. dot. restit. petatur* ubi, quod minor ejusque hæres possint ac debeant restitui in integrum, si circa dotem immoderatam promissam in contractu matrimonii graviter læsus sit, ut corrigatur excessus ille. Item ex *c. ex literis hoc tit.* juncta Gl. *v. ad plenum*, ubi facta legitur restitutio contra sententiam matrimonialem, factam nimirum in causa divortii, dum pars ex ea se graviter læsam probavit.

QUÆSTIO MLXV.

An & qualiter minor restituendus adversus confessionem propriam, ex qua graviter læsus?

1. RESpond. primo: Ubi in judicio falsum incaute, aut ex aliquo metu injuste incusso confitendo graviter læditur aut lædendus est minor aut Ecclesia, eo quod ejus Prælatus, etiam agens sine consensu capituli, aut procurator falsus aliquid, quod plene probare non potest, in integrum restitui debet minor & Ecclesia, ut confessionis falsitatem & errorem suum probare permittatur. *L. certum §. in pupillo ff. de confessis* ubi: *dum generaliter dicitur; minorem a sua confessione restituimus, id sane locum habet, ubi per errorem aut levitate falsum confessus* & *capit.* 2. *hoc titul. in* 6. ubi, quod Ecclesia graviter læsa adversus confessionem a se in judicio factam beneficium restitutionis in integrum infra quadriennium, a tempore confessionis computandum, petere valeat, qui proinde textus etiam militant pro responsione, cum sint generales, & ratio etiam est, quod cuilibet, etiam majori in criminalibus suam innocentiam in quamvis partem litis decen-

defendere sit concessum *l. 1. §. 27. ff. de qq.* Extenditur responsio primo, ut etiam contra confessionem juramento firmatam, si falso facta per imprudentiam Prælati aut procuratoris, non obstante juramento, peti possit restitutio. Barbos. *in cap. si adversus hoc tit. in 6. num.* 3. Pirh. *hoc tit. num.* 57. Secundo, ut procedat non tantum in causis civilibus, sed etiam criminalibus, & contra eam detur restitutio. Barbos. *num.* 4. Pirh. *loc. cit.* Licet autem minorem ad obtinendam dictam restitutionem, non teneri probare falsitatem vel errorem, sed sufficiat probare læsionem, cum Gloss. *in capit. 2. hoc tit. in 6. vers. confessionem* dicant Mascard. *de probat. conclus.* 1281. *num.* 24. Pirh. *cit. num.* 57. eo quod, si minor vel Ecclesia non solum læsionem, sed etiam errorem facti in confessione commissum probare teneretur ante sententiam & intra quadriennium, nullum haberet privilegium; cum jure communi, probato errore, quilibet major admittatur, post latam sententiam ad revocationem propriæ confessionis ex clausula illa generali: *si qua alia causa*: Gloss. margin. *ad cit. cap. si adversus vers. confessionem.* Anchar. *ibidem §. opponitur.* Pirh. *cit. nu.* 57. Non deesse tamen AA. qui velint minorem non aliter esse restituendum contra propriam confessionem, nisi prius docuerit, saltem mediantibus gravibus præsumptionibus, confessionem ex errore processisse, aut ex metu aliove respectu, vel juvenili præcipitantia dixisse falsum, ait Reiffenstuel. *hoc tit. numer.* 100. idque Argument. *L. verum §. sciendum ff. de minor.* ubi, quod minoribus per restitutionem in integrum non passim subveniatur, sed tunc demum, si *causa cognita capti probentur*; & ne, si generaliter ac indistincte minor restituendus adversus suam confessionem, etiam veram, detur causa mentiendi & lites prorogandi, pro quo citat Engels *hoc tit. numer.* 26. & his favere ait Fachin. *l. 1. controvers. Juris cap. 72. in fine.* De cætero dicta restitutio contra confessionem falsam seu falsi non ideo est frustranea, & minime necessaria, quod probata falsitate, confessio illa non noceat, & quod, si Ecclesia per viam communem & ordinariam velit errorem suum, qui in facto consistit, circa confessionem suam revocare, id semper possit, etiam extra quadriennium, donec causa finita sit, juxta *cap. 2. hoc tit. in 6. §. final* cum facile contingere possit, ut illius falsitas seu error commissus in foro externo probari non posset, etsi probari possit ex illa falsa confessione consurgens læsio, adeoque expediat magis petere ac concedere restitutionem in integrum adversus eam confessionem, ut Gl. *in cit. c.* 2.

2. Respond. secundo: Restituendus quoque est minor contra confessionem suam, qua confessus verum, ubi non tenebatur respondere seu verum fateri, puta, non interrogatus legitime, sed metu injusto adactus, aut dolo inductus, aut præcepto Judicis, nulla delicti infamia, aut indiciis præcedentibus; eo quod etiam veri delicti confessio indebite & contra Juris ordinem facta non debeat nocere. Molin. *de J. & J. tract. 3. disp. 36. num.* 4. Wiestner. *h. t. n.* 59.

3. Respond. tertio: Quod si tamen legitime interrogatus confessus est verum, v. g. delictum suum, non restituitur. Argum. L. *auxilium ff. de minor.* ejusmodi enim confessione non censetur læsus, quod jure communi poterat ac debebat *l. fin. C. h. t.* Gomez *Tom. 3. var. c. 1. n.* 66. Wiestner. *hoc tit. num.* 58.

QUÆSTIO MLXVI.

An & qualiter restituatur minor adversus delictum & pœnam?

1. RESpond. primo: Non restituitur adversus delictum dolo commissum, pœnamque sive corporalem sive pecuniariam inde debitam *l. 1. Cod. si adversus delictum. L. si ex causa §. nunc videndum ff. de minor.* ubi etiam talia delicta enumerantur, furtum, homicidium, adulterium, damnum & injuria dolo illata circa depositum, commodatum aliumve contractum animo doloso contra leges gestum. Quia malorum mores (modo sint doli capaces; ætate enim infans, aut proximus infantiæ non censetur dolo delinquere. Argum. *l. infans ff. ad l. Cornel. de sicariis.* Jul. Clarus *l. 5. pract. crim. §. fin. qu. 60. num.* 2.) infirmitas animi non excusat *cit. l.* 1. & contra leges committens earum beneficio est indignus *l. auxilium ff. de minor.* magisque interest Reip. puniri delicta, quam minoribus sic delinquentibus subvenire. Zoes. *ff. h. t. a n.* 26.

2. Respond. secundo: Restituitur tamen, ut habeatur pro confesso vel transacto, nimirum ad hoc, ut post factam inficiationem seu negationem (propter quam alias crescit pœnam, ita ut negans seu inficiens teneatur actione dupli ci vel quadruplici, ubi confessus vel transigens convenitur in simplo tantum) habeatur pro confesso vel transacto, ac ita non teneatur, nisi ad simplum, si civiliter conveniatur, etsi dolo deliquerit *cit. L. si ex causa §. nunc videndum*; *ibidemque* Gl. & Bartol.

3. Resp. tertio; ubi tamen minor deliquit citra dolum, solummodo per culpam latam (hoc est, omittendo aliquid de debita diligentia, non autem committendo quid mali, ut Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 102.) restituitur. Argum. *cit. l.* 2. & *ibi* Gl. Clar. *l. c. num.* 4. cujus exemplum habetur *l. ult. C. si adversus delictum* dum mater ætate minor, quæ neglexerat filiis petere tutorem, restituitur, ne privetur successione filii morientis in ætate pupillari.

QUÆSTIO MLXVII.

An & qualiter peti possit & concedi restitutio in integrum adversus lapsum temporis?

RESpond. Ab Ecclesia adversus lapsum temporis, in quo se læsam asserit, in integrum restitutio peti potest, ita habet textus *Clement. unic. hoc tit.* Lapsus autem temporis, de quo hic fere contingit in sequentibus. Ut si ecclesia intra decennium non appellavit a sententia contra se latam. Si intra terminum a Judice constitutum peremptorium non produxit testes vel probationes necessarias. Si intra annum, vel saltem biennium, appellationem non fuerit prosecuta; qui sunt lapsus temporis judicialis. Præter quos datur quoque lapsus temporis extrajudicialis, contra quem etiam minoribus conceditur restitutio. Cujus exemplum habetur *in capit. constitutus hoc tit.* juncta Gloss. *vers. consuetudinem*, ubi ea conceditur minoribus adversus lapsum anni & diei, intra quem jure retractus poterant oblato pretio emere, vel potius redimere & recuperare rem quampiam avitam & id omiserunt facere intra dictum tempus, ita ut post lapsum illius restituantur quo ad illud jus emendi seu recuperandi, si alioquin graviter læderentur. Adversus vero lapsum quadriennii dati ad petendam restitutionem in integrum obtineri non posse restitutionem, ne, si concedatur restitutio ad restitutionem petendam, detur processus in infinitum, affirmant Pirh. *hoc tit. num.* 50. *in fine* citans Franc. *in cap. 1. hoc tit. in 6, num.* 7. Barbos. *ibidem a num.* 23. item Reiffenstuel. *nu.* 75. citans insuper Gloss. fin. *in l. interdum ff. de minor.* Barbos. *in Clem. unic. hoc tit. nu.* 2. Verum non video, qualiter hinc sequatur dictum absurdum seu processus in infinitum; cum petere restitutionem contra lapsum istius quadriennii aliud nihil sit, quam petere se reponi in illum statum, in quo erat intra illud quadriennium, in quo nimirum poterat petere restitutionem v. gr. contra factam a se venditionem. Tenduntque hæ restitutiones ad diversa, una ad recuperandam capacitatem seu possibilitatem petendi restitutionem adversus venditionem, qua obtenta adhuc in potestate sit petere restitutionem adversus contractum, vel cedere juri suo; altera immediate ad rescindendam venditionem. Unde jam etiam aliud est, post lapsum quadriennii petere restitutionem in integrum v. gr. adversus venditionem, aliud petere restitutionem adversus lapsum quadriennii.

QUÆSTIO MLXVIII.

A quo probandum lapsum esse quadriennium datum ad petendam restitutionem, aut illud non cucurrisse ob incidens impedimentum petendi?

1. RESpond. primo: Dum dubitatur, num quadriennium illud elapsum, non minor vel ecclesia, sed is, contra quem petitur restitutio, lapsum illum probare debet. *L. si minorem Cod. hoc tit.* & *ibi* Brunneman. *numer.* 2. Molin. *citat. disp.* 573. *num.* 3. Barbos. *in cap. 1. hoc tit. in 6. num.* 18. Oddus *quæst.* 39. *num.* 3. Pirh. *hoc tit. numer.* 50. contra Anton. de Butr. *in cap. constitutus hoc tit. num.* 7. Salicet. *in cit. L. si minor.* Ratio est, quod sicut, qui allegat ætatem (v. g. asserens se contraxisse intra ætatem minorem) & in ea fundans intentionem suam sive agendu, sive excipiendo, eam probare debet. Mascard. *de prob. concl.*

concl. 667. *num.* 2. Sic adversarius minoris petentis se restitui, fundans se in lapsum quadriennii, hunc probare debet. Unde

2. Respond. secundo: Dum constat quadriennium elapsum, & minor vel ecclesia allegat, illud de jure non potuisse currere ob impedimentum; vel etiam post lapsum quadriennii rationabilem causam concedendi sibi restitutionem, onus probandi impedimentum vel causam rationabilem incumbit minori vel ecclesiæ, utpote se fundanti in iis. Uti id colligunt ex *cit. c.* 1. *hoc tit. in* 6. verbis: *nisi probetur*. Jo. Monach. *ibidem num.* 4. Barbos. *n.* 18. Pirh. *loc. cit.* Wiestner. *hoc tit. n.* 78.

QUÆSTIO MLXIX.

Intra quod tempus petenda restitutio in integrum?

1. Respond. primo: beneficium restitutionis in integrum certo tempore circumscriptum est, ne jura maneant semper incerta. Et quidem olim petenda intra annum utilem; hodiedum huic petitioni statutum quadriennium continuum. *L. final. Cod de temp. in integr. rest. cap. eccles. hoc tit.* Ubi quod ecclesia post quadriennium non admittatur ad petendam restitutionem contra sententiam vel contractum, nisi prævaricationis vel fraudis commentum erga ecclesiam factum, vel alia rationabilis causa illud suadeat. Ita ut, licet minor, quamdiu est in minore ætate, petere possit restitutionem, major tamen factus non nisi intra quadriennium. Quod minoribus currere incipit a primo die inchoati anni 16. ætatis usque ad horam ultimam anni 29. cessante tamen legitimo alio impedimento interea occurrente, de quo paulo post, ita habetur *citat. l. final.* Minoribus tamen, qui veniam ætatis impetrarunt, a die, quo dicta venia obtenta & iis intimata *l.* 2. *Cod. de iis, qui veniam ætat. impet.* præterquam tamen, quod contra gesta ab iis ante impetratam veniam restitutionis tempus non finiatur ante 25. annum ætatis expletum. *L. ea quæ Cod. de temp. rest. in integ.*

2. Respond. secundo: hæredi quoque minoris indultum quadriennium ad petendam restitutionem. Si etiam is minor est, inchoatur ab impleto 25. ætatis ejusdem anno non attenta vel computata ætate defuncti *citat. l. ea quæ §.* 2. Si vero is major est, inchoatur a die aditæ hæreditatis, vel acceptæ possessionis bonorum *citat. l. ea quæ §. final.* & *l. ex persona Cod. eodem*. Quod si majori ante quadriennium, quod is factus major habebat ad restitutionem petandam. V. gr. anno ætatis 27. vel 28. defuncto succedat minor, hic ad illam petendam tantundem habebit temporis, non ab adita hæreditata, sed a completo suæ ætatis anno 25. computandi, quantum habuisset defunctus, nimirum duos vel tres annos *citat. L. ea quæ §. final.* Majori autem illi succedens major habebit solum tantum temporis computandi ab adita hæreditate, quantum adhuc superérat majori defuncto. V. gr. duos vel tres annos. Glos. fin. *in cit. l.* & Brunnem. *ibidem a n.* 2. citatus a Vviestner. *hoc tit. n.* 67. *in fine*.

3. Respond. tertio: quadriennium illud quoque indultum majoribus gaudentibus beneficio restitutionis in integrum, uti & ecclesiis locisque ecclesiis æquiparatis, Reipublic. &c. incipit currere a tempore, quo læsio contigit, sive a die celebrati contractus, aut gesti alterius actus, vel præscriptionis completæ, unde accepta læsio, simulque cessavit legitimum impedimentum petendi restitutionem. *Clement. unic. hoc tit.* juncta Gloss. *v. a tempore*. Barbos. *ibid. num.* 5.

4. Respond. quarto: tempus illud quadriennii tam minoribus quam majoribus & ecclesiis indultum, tametsi sit continuum hoc respectu, quod currat semper non interpolatum a diebus feriatis, non tamen est continuum, ita ut currat etiam juste impedito, sed tempus absentiæ alteriusve impedimenti, quo quasi quiescit, ab eo subtrahendum, seu non computandum. Pirh. *hoc tit. num.* 50. cum AA. paulo post citandis. Debet enim esse utile (quale dicitur, quod utiliter præterfluit seu labitur eo spatio, quo datur & est facultas seu copia agendi *cap. quia diversitatem de concess. præbend.* & *L. annus ff. de calumniatorib.*) tam quo a principio quam quo ad progressum, adeoque totum. Hinc minoribus a die inchoati anni 26. majoribus & ecclesiis a tempore læsionis non incipit currere, nisi sublato impedimento justo petendi restitutionem. Neque etiam finitur dictum quadriennium, nisi suppleto, seu addito illo tempore, quo ab initio vel in decursu quadriennii duravit impedimentum. Argument. *l. fin. C. de temp. in integ. rest.* juncta Gloss. *v. supervacuam in fine & v. excipiatur*. Bartol. *ibidem §. & breviter*. Mysing. *centur.* 1. *observ.* 51. Molin. *cit. disp.* 573. *in fine & disp. seq. num.* 1. Pirh. *hoc tit. num.* 50. Reiffenst. *num.* 59. Unde jam etiam, quia tale justum impedimentum non petendi restitutionem est ignorantia justa læsionis Argument. *l. annus ff. de calumniat.* ubi: *quia qui nescit, is videtur experiendi potestatem non habere*. Et quadriennium illud non currat legitime impeditis *cap.* 1. & *cap.* 2. *in* 6. *hoc tit.* ubi: *si petere negligenter omittat*: negligens aut dici nequeat in petendo restitutionem, qui læsionem omnino ignorat. *L. genero ff. de his, qui infam. notant.* quadriennium illud neque minoribus, neque ecclesiis, neque majoribus currere, nisi a die scientiæ læsionis censent Bald. *in l. falsam C. si ex fals. instrum. num.* 3. Alex. *cons.* 84. *num* 2. *vol.* 2. Tusch *lit. R. concl.* 298. *num* 9. & 16. Menoch. *recuper. remed.* 15. *nu.* 115. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 4. Pirh. *hoc tit. num.* 52. ubi expresse: si ab initio de læsione non constet, sed postea appareat, tempus quadriennii incipit currere a tempore læsionis, non factæ, sed apparentis. Engels *hoc tit. num.* 15. Reiffenstuel. *n.* 63. & alii, quos magno numero referunt Gales. *tract. de rest. in integ. in c.* 2. *in* 6. *num* 98. Odd. *eodem tract. qu.* 20. *num.* 39. quam sententiam tametsi frequentiore DD. suffragio & tribunalium, præsertim ecclesiasticorum, praxi receptam, ita ut propterea Oddus *loc. cit. num* 37. moneat ab ea in judicando & consulendo non facile recedendum testetur Vviestn. *hoc tit. nu.* 72. ipse tamen adhæret opinioni contrariæ, quam tuentur Covar. *in reg. possess. p.* 3. *§.* 3. *n.* 4. Tiraq. *de retract. gentil. §.* 3. *gl.* 4. *num.* 44. Zoes. *in ff. de minor. num.* 62. Perez *in C. de temp. in integ. rest. num.* 6. eo quod jura simpliciter statuant quadriennium minoribus ab anno 25. Completo, majoribus a die cessationis impedimenti v. g. absentiæ, captivitatis &c. nulla habita aut facta mentione scientiæ vel ignorantiæ (ad quod tamen facile respondebunt adversarii; quod etsi ignorantia signanter non enumeretur inter impedimenta, quæ exempli gratia exprimuntur in legibus, non tamen per hoc ex eorum numero rejiciatur; cum non minus impediat facultatem agendi quam alia) & si ecclesiæ ignoranti tempus restitutionis non inciperet currere, nisi a die scientiæ læsionis, sæpius etiam adversus præscriptionem centum & mille annorum restitui possit; cum tot anni elabi possint, antequam ei sua læsio innotesceret; adeoque vis omnis & jus præscriptionum (quod alias in eo, contra quem præscribitur præsumptive supponit ignorantiam, dum nemo, nisi supine negligens & prodigus res suas penes alium esse scienter patiatur, ut DD. communiter *in L. verius ff. de probat.*) eliderettur, & consequenter possessor rei ab ecclesia translatæ nullo unquam tempore plene securus esse posset, sed semper obnoxius restitutioni in integrum ab ecclesia contra se obtinendæ. Ac ita quoque nullus finis litium foret contra *L. omnes & L. cum notissimi Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Quod consequens ne admittere cogantur aliqui ex fautoribus prioris sententiæ, apud Oddum, volunt ecclesiam in causa ignorantiæ tantum post 30. vel 40. annos restitui posse. De cætero licet ecclesia & minores æquiparentur, eodemque jure fruantur, non tantum in hoc, quod sicut minoribus conceditur quadriennium a die inchoatæ majorennitatis, ita & huic detur quadriennium a die perfectæ læsionis, v. gr. quo contra eam completa præscriptio, ut Argument. *l. final. Cod. ex quibus caus. major.* cum Baldo notat Redoan. *de rebus ecclesiar. non aliena ad. quæst.* 23. *num.* 8. Verum etiam juxta sectatores prioris sententiæ in eo, quod sicut ecclesiæ, ita etiam minoribus, etiam post attactum annum 26. ætatis non currat illud quadriennium, nisi a die obtentæ notitiæ de læsione; non tamen dici possunt æquiparari in hoc, quod sicut minor toto tempore quo durat ejus minorennitas restitui potest, ita ecclesia, utpote semper habita pro minore, semper restitui possit. Neque enim id recte desumitur ex voce illa *semper*, qua utitur textus *cap. requisivit h. t.* Dum ea dictione solum significatur, quod ecclesia quandocunque, quotiescunque & quocunque contractu vel actu lædatur, instar minoris illæsa servanda beneficio restitutionis in integrum intra quadriennium a die læsionis (intellige juxta priorem sententiam, ubi dies læsionis & scientiæ ejus coincidunt) computandum, ut cum Gl. *in cit. cap. requisivit v. jure minoris* notant Fagnan. *ibid. n.* 12. Gonz. *n.* 2. Reiffenst. *h. t. n.* 71.

QUÆSTIO MLXX.

An & propter quas causas concedenda restitutio in integrum post lapsum quadriennii?

1. RESpond. ad primum. *Ecclesia* (idem est de Republ.) *quæ ad retractandam sententiam vel contractum per beneficium restitutionis in integrum postulat se admitti, si quadriennii spatium sit elapsum, & negligenter omiserit; non est ad beneficium hujusmodi admittenda, nisi prævaricationis vel fraudis manifesta probetur super hoc intervenisse commentum, aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum*, ita habet textus *cap. 1. hoc tit. in 6.* Quin etiam posse restitutionem quandoque ex causa rationabili Judicis officio extraordinarie dari, non tantum ad aliud quadriennium, sed etiam ad longissimum tempus, nempe 30. annos cum Covar. *l. 1. resolut. cap. 3. num. 12. §. sed ut rem* ait Pirh. *cit. num. 51.* Hoc tamen beneficium obtinendæ restitutionis in integrum, etiam post lapsum quadriennii ob justam causam specialiter conceditur ecclesiis & Reipubl. & non extenditur ad minores. Molin. *tractat. 2. de Justit. disp. 574. num. 3.* Pirh. *hoc tit. n. 52.* ubi etiam rationem disparitatis affert: quod favor publicus causa restituendi ecclesiam & communitatem semper manet; tum quia ecclesia & Respubl. per administratores gubernatur, quorum delictum seu negligentia (intellige in petenda intra quadriennium restitutione) non debet imputari ecclesiæ juxta *Regul. Jur. 76. in 6.* Ideoque isti tanquam personæ fictæ citius & amplius succurritur, minor autem, qui ob ætatis imbecillitatem restituitur factus jam major, non habens amplius curatorem, majorem favorem non meretur, quam alii majorennes; adeoque iis non subvenitur restitutione post quadriennium, nisi tantum in causis, ob quas majores alii restituerentur, ut Laym. *in cit. c. 1. n. 5. §. adde 1.*

2. Resp. ad secundum: causæ justæ & rationabiles concedendi restitutionem in integrum post lapsum quadriennii præter eam, quæ exprimitur in ipso textu, nempe prævaricationem, seu collusionem & fraudem intervenientem; dum nimirum collusum cum Prælato vel administratore ecclesiæ, vel is fraude circumventus, ne restitutionem intra quadriennium peteret, sunt fere sequentes. Primo valde enormis læsio. Gloss. *fin. in c. 1. hoc tit. in 6.* Abb. *in cap. 1. extra eod. n. 2.* Covar. *loc. cit. num. 10.* Redoan. *loc. cit. num. 16.* Fagn. *in cap. requisivit hoc tit. n. 14.* Less. *cit. cap. 17. num. 66.* Molin. *loc. cit.* Pirh. *hoc tit. num. 51.* Wiestner. *hoc tit. num. 69.* Argum. *cap. penult. de reb. Eccles. non alien.* ubi in tali casu ecclesiæ restitutio post quadriennium, imo & decennium, ut putat Hostiens. *ibid.* Quænam autem in ordine ad hunc effectum censenda sit enormis læsio, Judicis arbitrio relinquitur; & juxta Covar. *loc. cit. num. 11.* Molin. *num. 3. in fin.* Pirh. *loc. cit.* sufficere videtur ea læsio, quæ dimidium justi pretii non excedit. Secundo dum Prælatus seu administrator, ex cujus mala administratione vel contractu læsa est ecclesia, supervixerit toto tempore quadriennii vel ultra; eo quod verisimile & credibile non fuit, eum retracturum fuisse, quod temere egit; tunc enim poterit ecclesia seu successor post mortem illius petere restitutionem. *Can. si sacerdotes 16. quæst. 3.* juxta Gloss. *v. non ex die & v. moriendo.* Gloss. *fin. in cap. hoc tit. in 6.* Barbos. *ibidem n. 44.* Abb. *in cap. requisivit num. 2.* Fagnan. *ibidem num. 14.* Redoan. *de reb. eccles. non alien. quæst. 23. num. 15.* Pirh. *hoc tit. num. 51.* Wiestner. *num. 69.* Tertio frequentes & repentinæ mutationes Prælatorum interea factæ; cum tunc præsumatur, non potuisse eos ob breve regimen ecclesiæ vel monasterii seu juribus perquirendis, & antecessorum suorum gestis, an utilia, an damnosa fuerint ecclesiæ, discutiendis invigilare. Gloss. *fin. in cit. cap. 1.* Redoan. *loc. cit. num. 16.* Fagnan. Wiestner. *LL. cit.* Quarto gravis metus, ob quem ecclesia non fuit ausa petere restitutionem v. g. contra Judicem, qui sententiam iniquam tulit. Abb. *in cap. tum ex literis hoc tit. num. 10.* Pirh. Wiestner. *LL. cit.* Quamvis dici posset cum Barbos. *in cit. cap. 1. hoc tit. in 6. num. 45.* in his omnibus non tam concedi restitutionem post lapsum quadriennii, quam propter istiusmodi impedimenta non cucurrisse quadriennium, seu tempus istorum impedimentorum non computandum in quadriennio illo alias concesso.

QUÆSTIO MLXX

Intra quod tempus causa restitutionis in integrum sit finienda?

RESpond. Restitutionem in integrum non tantum petendam, sed etiam causam seu litem illius finiendam esse intra quadriennium, etsi generatim doceant Abb. *in Clement. unic. hoc tit. num. 6.* Mascard. *loc. citat. conclus. 1282. num. 1.* Pirh. *hoc tit. numer. 55.* Argum. *cap. 1. hoc tit. in 6.* juncta Gloss. *v. quadriennii spatium* & *l. fin. C. de temp. rest. in integ.* Idque de Jure verum esse, ita ut super restitutionis causa post elapsum quadriennium lata sententia sit nulla, dicant Bald. *in cit. l. fin. num. 3.* Oddus *quæst. 19. num. 95.* apud Wiestner. *hoc tit. num. 74.* id tamen hodiedum de consuetudine non procedere, sed solum hoc tempus quadriennii in ordine ad petendam restitutionem observandum tam pro foro civili quam ecclesiastico, referunt Barbos. *in cit. Clem. num. 4.* Gales. *tract. de rest. in integ.* apud Wiestner. *hoc tit. num. 76.* & insuper Rebuff. *Tom. 2. ad leges Gallia ar. 2. gl. 1. n. num. 4.* apud Reiffenstuel. *hoc tit. num. 78.* Quin & inhærendo isti dispositioni & rigori Juris, suas patitur exceptiones, seu dantur casus, in quibus restitutione intra quadriennium petita, non tamen interea finita, minori vel ecclesiæ non noceatur. Ac primo quidem, si non per petentes restitutionem, sed per Judicem vel adversarium, v. gr. appellantem, stetit, quo minus restitutionis causa intra illud tempus terminetur. Argum. *l. petenda C. de temp. in integ. rest.* Gloss. *in cap. 1. hoc tit. in 6. v. finiri* & *ibid.* Barbos. *nu. 7.* Secundo, dum causa ultra quadriennium differtur cum consensu adversarii, contra quem minor vel ecclesia restitui petit Wiestn. *num. 75.* citans Gl. *in cit. l. fin. v. finiendam.* Tertio si testes super articulis concernentibus causam restitutionis ex locis remotis sunt vocandi, aut dicta causa ob aliud impedimentum necessarium expediri nequit. Wiestn. *l. c.* cum Oddo *l. c. a n. 96.*

QUÆSTIO MLXXII.

Ad quod tempus detur restitutio adversus lapsum temporis?

RESpond. Datur solummodo ad tempus tantum, quantum se læsum esse probabit ecclesia vel minor, & non ad longius. Abb. *loc. cit. num. 2. & 5.* Pirh. *hoc tit. nu. 54.* cum communi, & juxta quod habetur expresse *Clem. unic. hoc tit.* V. gr. si læsa ecclesia in decendio ob neglectam a procuratore suo appellationem, restituitur tantum ad decendium, ut interea appelletur; si læsa ob non allatas probationes vel testes adductos intra terminum peremptorium v. g. unius trimestris, restituitur tantum ad trimestre, ut interea eos adducat. Ratio hujus est, quod restitutio in integrum sit repositio alicujus in statum pristinum, non vero in meliorem conditionem, uti contingeret, si restitueretur ad plus temporis, quam in quo fuerat læsus. V. g. si ei concederetur ad quadrimestre.

QUÆSTIO MLXXIII.

An restitutio competat minori contra alium minorem aut ecclesiam?

RESpond. affirmative. Ac primo quidem, quod minor agens de vitando damno orto sibi ex contractu aliove actu leviter ac imprudenter a se gesto contra alium minorem (vel etiam ecclesiam) capientem lucrum sit restituendus, habetur ex *l. verum §. item quæritur ff. de minor.* Deinde quod ecclesia quoque contra aliam ecclesiam sit restituenda, habetur ex *cap. cum venisset cap. auditis hoc tit.* ubi duæ ecclesiæ super subjectione & exemptione litigantes, dum utraque per amissam a se probationem necessariam læsa videretur, ambæ ad eam contra se mutuo allegandam sunt restitutæ. Neque his obstat, quod privilegiatus contra privilegiatum suo privilegio non utatur seu fruatur. *L. assiduis. Cod. qui potiores in pign. habeant.* Nam regula illa solum locum habet, ubi utriusque par est causa, secus, si dispar. V. gr. unus læsus, & alter lædens, unus agit de vitando damno, alter de captando lucro, tunc enim læsus contra lædentem restituendus. *L. verum §. final.*

de

de minor. ubi in summario dicitur : si sint duo privilegiati pari privilegio præfertur ille, qui certat de damno vitando. Bartol. *in auth. quas actiones C. de SS. eccles.* Abb. *in c. auditis n.* 8. Laym. *ibid. num.* 6. Quia, & ut passim notant AA. penitius rem inspiciendo, io hoc casu non concorrunt duo in actu secundo privilegiati ; cum restitutionis beneficium concedatur tantum læsis ; non etiam lædentibus ; adeoque etiamsi minor lædens habeat quoque privilegium, ut restituatur contra alium lædentem se, io hoc tamen casu, ubi ipse est lædens, habet se sicut alius non privilegiatus respectu læsi. Dum vero utriusque minoris vel ecclesiæ causa par est, & sic uterque revera privilegiatus existeret respectu ejusdem causæ, ut dum uterque certat de damno vel lucro, neuter contra alterum restitueretur, sed melior esset conditio possidentis juxta *Reg. in pari causa de Reg. Jur. in* 6. Bartol. *l. c. §. venio ad quæstiones.* Covar. *in c. possessor. p.* 2. *§.* 2. *n.* 4. V. g. si minor (in quo casu utrimque agitur de damno vitando) pecuniam suam temere credidisset alteri minori, qui eam prodige consumpsisset, creditor contra minorem debitorem non restitueretur *cit. §. fin.* tum quia ut dictum, melior est conditio possidentis, qualis est minor ille consumens, si inde factus non est ditior *L. si minor. ff. de minor.* tum quia reo, qualis in hoc casu est ille non consumens, magis favetur quam actori *l.* 125. *ff. de Regul. Jur.* Item (in quo casu agitur utrimque de lucro) dum hæreditate lucrosa ab uno minore vel ecclesia repudiata, alteri minori vel ecclesiæ jam quæsita esset, repudians non restitueretur contra possidentem, cum hic de lucro jam quæsito non amittendo ageret, ille tantum de acquirendo : ita Oddus *l. c. q.* 18. *n.* 38. & 40. Sanch. *de matr. l.* 6. *d.* 4. *n.* 25. Wiestner. *h. t. n.* 20. & alii passim.

QUÆSTIO MLXXIV.

An minori vel ecclesiæ competens beneficium restitutionis prosit quoque majori vel laico eorum consorti seu socio litis?

RESpond. affirmative, dum causa vel res circa quam minor & ecclesia læsa restituitur est individua. V. g. si prædii dominium major vel laicus ita simul babeant cum minore vel ecclesia, ut id vendere, vel io eo servitutem constituere neuter sine altero possit, adversus ejus venditionem aut servitutis constitutionem restituto minure vel ecclesia, restitui quoque censetur major vel laicus. Argum. *L. si communem ff. quemad. servit. amitt. l. loci ff. si servitus vendicetur.* Privilegiatus siquidem concurrens cum non privilegiato hunc ad se trahit, dum res est individua, & privilegiatus commodum ex suo privilegio percipere nequit sine alio. Argument. *cit. l. si communem.* Wiestner. *hoc tit. num.* 22. citans Molin. *tractat.* 2. *de Justit. disp.* 573. *num.* 3. Gomez *Tom.* 2. *variar. cap.* 14. *num.* 10. quamvis addat, non omnes consentire in allatis exemplis. Contrarium est, dum causa vel res est dividua. V. g. si minor & major, ecclesia & laicus servitutem aquæductus vel itineris habentes in fundo alieno, simul remittant, & dein minor aut ecclesia adversus hanc remissionem restituantur, non etiam simul restituitur major vel laicus *l. unic. C. si in communi* cum in hoc casu res sit dividua, quia minor & ecclesia sine majore aut laico illam servitutem habere possunt, adeoque & sine illis restitutionis commodo plene frui.

QUÆSTIO MLXXV.

An minori & ecclesiæ competat quoque restitutio in integrum ratione lucri cessantis?

REspond. Affirmative. De minore habetur *l. ait Prætor §. hodie ff. de minor* ubi : *hodie certo jure utimur, ut & in lucro minoribus succurratur* &c. intellige, per restitutionem in integrum, ut aperte colligitur ; *ex cap. constitutus hoc tit.* & de ecclesiis tradit Gloss. *in c. auditis hoc tit. v. restituimus.* Abb. *in cap. constitutus num.* 5. Exemplum lucri cessantis est, dum minor vel ecclesia repudiavit legatum vel hæreditatem lucrosam, de quo supra ; vel etiam ubi ex acceleratione imprudente vel negligentia (v. g. commissa in exspectandis aut inquirendis aliis emptoribus) minor vel ecclesia res suas minori pretio vendidit, locavit &c. Pirh. *hoc tit. num.* 75. Secus tamen, sive non sint restituendi ratione cessantis ex eo lucri, quod postmodum alius offerat majus pretium, si minor vel ecclesia res suas prudenter, congruo tempore ac loco eo pretio, quod tunc prudenter acceptari poterat, vendiderunt. Molin. *tract.* 2. *de Justit. disp.* 573. *an ultim.* Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 17. *num.* 69. Pirh. *num.* 38. juxta dicta a nobis supra. Illud tamen hic iterum notandum, quod restitutio in integrum ratione damni illati sit magis privilegiata & plena, utpote quæ conceditur, etsi res non sit amplius integra. V. g. res vendita jam pervenerit ad tertium possessorem ; quam restitutio in ordine ad lucrum cessans, utpote quæ non datur, dum res non est amplius integra v. g. hæreditas repudiata jam distracta vel devoluta ad alium.

QUÆSTIO MLXXVI.

An & qualiter minor & ecclesia restituendi, servato indemni illo, contra quem restituuntur?

REsp. Ita restitui debent, ut nec damnum patiantur amplius, neque etiam vi restitutionis lucrum reportent cum jactura illius, adversus quem restituuntur *cap. requisivit hoc tit.* juncta Gl. *fin.* & expresse *l. unic. C. de reparat.* cum jure naturæ æquum sit, neminem cum detrimento & injuria alterius fieri ditiorem. *Reg.* 206. *Jur. in ff.* Unde restitutio in integrum, cum sit repositio in pristinum statum, utrique parti, tam ei qui restituitur, quam ei, contra quem fit restitutio, communis esse debet, reponendo utrumque in pristinum statum *l.* 1. *& ult. Cod. de sentent. pass.* Proinde, sicut minori vel ecclesiæ restitui debent res alienatæ v. g. venditæ, ita etiam emptori restitui debet pretium emptionis omnesque expensæ, quas bona fide & utiliter circa rem restituendam fecit, & quibus ea reddita melior (secus est de sumptibus voluptatis causa factis ab emptore L. *fine §. item respondit ff. de administrator.*) una cum laboris personalis æstimatione *cap.* 1. *hoc tit.* Abb. *ibidem num.* 3. Berojus *num.* 25. Abb. Pirh. *LL. cit.* De cætero, si æstimatio expensarum & laboris major sit, quam est valor meliorationum tempore restitutionis faciendæ, sufficit, restitutum restituere valorem præsentis meliorationis. V. gr. emptor in fundum a minore emptum meliorandum expedit 100. sed melioratio hæc facta non valet tempore restitutionis nisi 50. minor restitutus non tenetur reddere nisi 50. Argum. *L. in fundo ff. de rei vindicat* & *ibi* Gloss *vers. plus pretio.* Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 4. Berojus *ibidem num.* 38. Molin. *tractat.* 2. *de Justit. disp.* 365. *num.* 11. Pirh. *hoc tit. numer.* 76. ne alias minor aut ecclesia de novo damnum incurreret seu læderetur, adeoque non restitueretur io integrum ; & cum io hoc casu alterutra pars, nempe restitutus vel adversarius, contra quem impetratur restitutio, damnum pati debeat, id io pari causa potius spectare ad eum, qui sumptus illos imprudenter faciendo, damno causam dedit, dicendum sit. Berojus Molin. Pir. *LL. cit.* Unde jam, ut impensæ factæ in meliorationem integræ repeti possint a restituto, probanda sunt duo, nimirum tantum fuisse expensum, & tanti valere meliorationem. Dum e contra valor meliorationum major est, quam expensæ & æstimatio laboris, sufficit reddi expensas & æstimationem laboris *c.* 1. *h.* 1. & *cit. l. in fundo* siquidem augmentum seu melioratio rei est accessoria ipsius rei, & fictione juris censetur semper fuisse in bonis ac dominio ejus cui restituenda ; ideoque, re restituta, & ipsa restitui debet, modo alter, qui meliorationem fecit, servetur indemnis, adeoque ei expensæ & laboris æstimatio reddatur. Pirh. *h. t. n.* 77. citato Laym. *in c.* 8. *h. t. n.* 7. Ubi tamen in Provincia aliqua consuetudo obtineret, ut melioramenta solvantur secundum valorem, quem habent tempore restitutionis, sive is major sit, sive minor valore expensarum & æstimatione laboris, potest is, qui melioramenta suis expensis fecit, sive is habuerit io re meliorata plenum dominium. V. gr. emptor, sive solum utile, ut Vasallus, Emphiteuta, fideicommissarius, repetere pretium integrum melioramentorum, quo ea valent tempore restitutionis ; ne alias venditor locupletetur cum jactura emptoris, Vasalli &c. quippe qui rem melioratam, quæ ejus erat, una cum melioramento restituere cogitur, minus sibi restituto, quam ea valeat. Pirh. Laym. *LL. cit.* cum Molin. *l. c. d.* 465. *n. ult.* Arg. *l. fin. §. fin. ff. de fundo dotal.* ubi, quod maritus fructus perceptos in melioramentis factis in fundum dotalem lucretur tanquam ex re sua.

QUÆSTIO MLXXVII.

An igitur etiam vi restitutionis in integrum restituendi sint quoque minori vel ecclesiæ læsis fructus percepti v. g. ab emptore, si exstent adhuc, vel inde sit factus ditior?

1. RESpond. non convenire in hoc AA. nam affirmant id Abb. Berojut, Covar. apud Pirh. *hoc tit. numer.* 71. nixi hac ratione, quod v. gr. emptor æquipararetur possessori bonæ fidei, hic autem fructus adhuc exstantes, aut quantum inde est factus ditior teneatur restituere, vel computare pro sumptibus in rem factis juxta *L. sumptus ff. de rei vendicat.* Item citatis *L. quod si minor. L. patri* quibus jubetur emptor restituere prædia una cum fructibus inde perceptis; quas tamen leges explicari posse de fructibus perceptis post rescissionem contractus per restitutionem in integrum, ait Less. *l. 2 de Justit. cap. 17. dub. 10. numer. 71.* vel etiam, ut Pirh. *nu. 75.* intelligendæ sunt de venditione facta minore pretio. Addit etiam Molin. *tractat. 2. de Justit. disp. 573. numer. 6.* uti & notavit Covar. *L. 1. variar. resolut. capit. 3. num. 7.* apud Pirh. *citat. num. 71. in fine* non omnia veterum Jurisperitorum responsa Corpori Juris inserta, ut tanquam indubitata recipiantur, seu authoritatem juris habeant (cum non raro etiam contraria eorum responsa in eo existant) sed ut, quod magis rationi & naturali æquitati conveniens videtur, sectemur.

2. E contra negant idipsum Molin. *loc. cit. num. 4.* Less. *loc. cit.* Laym. *Theol. Mor. l. 3. tract. 4. capit. 11. num. ultim. & in cap. 1. hoc tit. num. 8.* fundant se potissimum *in cap. penult. de reb. eccles. non alien.* & in ea ratione, quod emptor v. gr. non tantum sit possessor bonæ fidei, sed verus etiam dominus fundi, quippe in quem per contractum emptionis sit translatum a venditore dominium; ad dominium autem pertineant omnes fructus ex fundo percepti, hosque pro libitu consumere potest, ita ut, sive ii adhuc extent sive non, sive iis consumptis sit factus ditior, sive nondum denuo in alium idem transfertur dominium, eos simul transferre, aut eorum valorem nullatenus teneatur. Ad quod tamen dici potest, quod licet emptor persoluto pretio sit factus dominus fundi & fructuum inde perceptorum; quin tamen hoc dominium, ubi in contractu hoc læsus est minor vel ecclesia, non acquisivit irrevocabiliter, sed est revocabile, nimirum per restitutionem in integrum, vi hujus restitutionis tam fundum quam fructus esse restituendos.

2. Denique alii pro variis casibus dant diversas responsiones. Ac primo quidem si per contractum vel quasi contractum gratuitum. V. gr. donationem læsus est minor vel ecclesia, vi restitutionis in integrum restituenda est res una cum fructibus inde perceptis, deductis tamen expensis factis in eorum collectione; eo quod tunc restituendus non tantum læsus sit per carentiam rei ipsius, sed etiam fructuum, ac ita tenent Molin. *loc. cit. num. 6.* Less. *num. 70.* Pirh. *num. 72.* Reiffenstuel. *hoc tit. nu. 130.* conveniuntque in hoc, ut iidem, utriusque sententiæ AA. Secundo si læsus est per contractum onerosum ob inæqualitatem contractus v. g. quia pretium minus justum accepit minor, restituendi una cum re fructus non omnes, seu non totaliter, sed secundum proportionem diminuti pretii. V. g. si res valens 600. empta sit 300. emptor, restituere debet dimidiam partem fructuum, si empta 400. tertiam partem, eo quod sicut debetur majus pretium usque ad verum valorem sic etiam debeantur fructus correspondentes illi parti justi pretii, quæ defuit; cum non solum in venditione rei, sed etiam in illa portione fructuum læsus fuerit venditor. Ita Molin. Less. *LL. citat.* Pirh. *num. 73.* haberetque hoc ipsum locum, ubi læsus est ratione lucri cessantis, dum nimirum propter nimiam festinationem minor minoris rem vendidit, justo tamen pretio spectatis illis circumstantiis, etsi imprudenter, quia venditione dilata majore pretio vendere potuisset, ita ut si emptor id probabiliter providere potuisset eo tempore, una cum re fructus correspondentes illi defectui pretii sint restituendi; cum jam etiam quo ad illos læsus sit minor, tradit cum Lugo *de contractib. disp. 22. sect. 12. num. 329.* Pirh. *num. 75.* Tertio si læsus fuit per contractum onerosum, non quidem in quantitate pretii, sed in ipsa substantia. V. g. venditionis; eo quod absolute non expediebat rem illam minoris vel ecclesiæ alienari; quia v. g. domus vel castrum paternum & avitum familiæ ob memoriam retineri oportebat; fructus ante rescissionem contractus per restitutionem in integrum perceptos regulariter non esse restituendos, tradunt Molin. Less. *LL. cit.* de Lugo *loc. cit. numer. 328.* Pirh. *num. 74.* eo quod restitutio non detur nisi ad id, in quo quis læsus; in hoc autem casu læsus non fit minor, nisi tantum in alienatione rei (supponitur enim accepisse justum pretium) non vero quo ad fructus; cum sicut emptor ex re empta fructus percepit, ita etiam venditor ex accepto pretio rem aliam æque vel magis frugiferam sibi comparare poterat, vel pretium ad censum dare, ac inde tantundem aut plus fructuum percipere, quod si non fecit, negligentiæ suæ adscribat (nisi forte non ita statim ac facile ad manum erat occasio rem similem comparandi, aut censum constituendi) adeoque in restitutione repeti non possit nisi res ipsa. Adde, quod, cum in ipsa acceptatione pretii æqualis seu correspondentis fructibus ex re illa percipiendis in ordine ad carentiam fructuum nihil imprudenter factum sit, locus non sit restitutioni in ordine ad fructus ex re aliena ab emptore perceptos. Unde jam etiam juxta hanc sententiam dicti fructus restituendi non sunt, etsi necdum per triennalem possessionem præscripti, qua alias, accedente titulo, ac bona fide, bona mobilia etiam ecclesiarum præscribuntur juxta probabilem. Argument. *l. unic. Cod. de usucap. transform. & Auth. quas actiones Cod. de SS. Eccles.* Item etsi necdum consumpti, aut ex iis consumptis emptor sit factus ditior quorum utrumque ad non restituendos vi restitutionis in integrum fructus requirere videtur Reiffenstuel. *hoc tit. num. 132. & 133.* Porro contrarium dicendum, nimirum restituendos una cum re fructus perceptos non tantum post rescissionem contractus, sed etiam post petitionem hujus rescissionis seu restitutionis in integrum; eo quod inchoato restitutionis processu, possessor seu emptor respectu rei restituendæ, ex qua fructus percipit, censeatur fictione juris esse in mala fide. Reiffenstuel. *hoc tit. numer. 531.* Argument. *l. sed etsi §. etiam si ante ff. de petit. hæred.* possessor autem malæ fidei, uti & quilibet alius post contestationem litis fructus dein omnes restituere tenetur *l. certum est Cod. de rei vindicat.*

QUÆSTIO MLXXVIII.

In quibus casibus præter jam hinc inde insinuatos minores non gaudeant beneficio restitutionis in integrum?

1. RESpond. fere in sequentibus. Primo dum ante contractum vel actum ab iis gestum jam impetrarant a Principe veniam ætatis *l. 1. Cod. de iis, qui veniam ætat.* ubi & ratio additur; tum quia hac ratione fictione juris reputantur majores; tum ne alias contrahentes cum illis viderentur decepti authoritate Principis. Hiltrop. *in process. Judic. part. 3. tit. 10. a num. 128.* Pirh. *hoc tit. nu. 42.* Reiffenstuel. *num. 26.* Hæc tamen impetratio veniæ ætatis carebit effectu, & gesta post eam vires non habebunt, si eam non præcesserit causæ cognitio super morum probitate & mentis solertia impetrantis hanc veniam, & rescriptum Principis super venia ætatis impetratum insinuetur Judici competenti, isque impetranti concedat administrationem rerum suarum *l. 2. Cod. de iis qui ven. ætat. l. ea quæ Cod. de temp. in integr. rest.* Non conceditur autem illa venia masculis (saltem non illustribus) ante annum 20. ætatis completum; fœminis ante annum 18. *citat. l. 2.* Et licet vi illius veniæ consequantur administrationem liberam rerum suarum, non tamen possunt alienare vel hypothecare bona sua immobilia sine decreto Judicis *cit. l. 2. & 3. tit. eodem.*

2. Secundo: Si minor effectus jam major ratum habuit, quod in minorennitate gessit *l. 1. & 2. Cod. si major factus rat. hab.* tum quia per hanc ratihabitionem sequentem finguntur omnia gesta ab eo in majorennitate, tum etiam, quia per eam censetur renunciasse juri suo & favori, cui quilibet pro se principaliter inducto renunciare potest. *L. si quis C. de pactis.* Contingit autem illa ratihabitio non solum expresse verbis, nimirum, vel per scripturam, sed & tacite seu ipso facto. V. g. dum minor pecuniam remve aliam ex contractu in minore ætate inito, ex quo læsus est, exigit, recipit, retinet; vel etiam dum quadriennium a tempore majoris ætatis elabi passus est. *L. fin. Cod. de temp. rest. in integr.* Pirh. *hoc tit. numer. 40.* Hiltrop. *ubi ante a num. 128.*

3. Tertio. Dum minor, tam adepta pubertate, contractum

tractum a se factum juramento sponte facto confirmavit. *Auth. sacramenta puber. capit si adversus venditionem* ubi: *Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur.* Quod ipsum etiam extendi ad impuberes pubertati proximos doli capaces, cum & hi juxta *cap. 1. de delictis pueror.* obligentur ex delicto, & sint capaces perjurii, teneantur implere sponsalia a se jurata. Pirh. *num. 44* testatur teneri a pluribus; eo quod jam tale juramentum, utpote non vergens in salutis æternæ dispendium, nec in detrimentum tertii, observari debeat juxta *c. quamvis, de pactis in 6.* Uti & propterea, etiamsi contractus fuisset ipso jure invalidus v. gr. alienatio rerum immobilium facta a minore sine curatore vel Judicis decreto, juramentum desuper factum servandum. Molin. *disp. 573. num. ultim.* Less. *loc. tit. cap. 17. num. 65.* Pirh. *hoc tit. num. 44.* cum Gloss. *in tit. auth. vers. contractibus.* Secus tamen est, seu non impeditur restitutio in integrum, ubi juramentum illud dolo vel metu adversarii extortum. Argum. *c. cum contingat, de jurejur.* & *c. licet, eod. in 6.* Pirh. *nu. 44.* Reiffenst. *hoc tit. num. 29.* citans Covar. *in c. quamvis pactum, de pactis in 6. part. 3. §. 4. numer. 3.* De cætero contrarium in hoc puncto dicendum de Ecclesia, cujus Prælatus juravit, se contractum a se sponte factum irrevocabiliter servaturum, ita ut eo juramento (utpote invalido, quia factum in præjudicium Ecclesiæ) non obstante, Ecclesia ex tali contractu graviter læsa possit ac debeat in integrum restitui officio Judicis, eodem Prælato vel alio petente. Gloss. *in 1. c. hoc tit. in 6. vers. contractum.* Abb. *in cap. 1. extra eod. num. 16.* Pirh. *hoc tit. num. 45.* ubi etiam cum Franc. *in c. hoc tit. in 6. num. 5.* & aliis apud Barbos. *ibid. nu. 33.* hanc dat rationem disparitatis inter Prælatum nomine Ecclesiæ & minorem nomine proprio ita jurato contrahentem, quod juramentum tale præstitum a minore contineat solum ipsius præjudicium, adeoque, cum non vergat in dispendium salutis æternæ, ab eo servandum, juramentum autem factum a Prælato, utpote vergens in præjudicium Ecclesiæ, quæ est corpus quoddam fictum distinctum, cujus Prælatus administrator est, eandem obligare non potest, *c. sicut, c. intellecto, de jurejur. cap. 1. de his quæ fiunt, a maj. part. Capituli.*

4. Quarto: Dum minor fingens & asserens se majorem, ut alium, alias secum non contracturum, induceret ad contrahendum; Secus, si id asseruit per errorem; *l. 2. & 3. Cod. si minor major. se dixerit*, cum Jura errantibus & deceptis, non vero fallentibus subveniant, *cit. l. 2.* Secus est, si adversarius sciverit esse minorem. *L. de tutela, hoc tit.* cum scienti non fiat injuria. Item si dolo adversarii, contra quem petitur restitutio, vel per errorem ex sua facilitate minor se majorem dixerit, *l. 1. & 3. C. si minor. se major.* Mynsing. *centur. 4. observ. 20.* Hiltrop. *in process. judiciar. part. 4. tit. 10. num 122. & 127.* Pirh. *hoc tit. num. 41.*

5. Quinto: Non restituitur minor contra omissam vel remissam executionem pœnarum, nimirum ubi per ipsum intra tempus a Jure statutum omissa vel penitus remissa fuit executio pœnarum debitarum alteri, qui in minorem peccavit. *L. auxilium §. 1. ff. de minor.* ubi, quod injuriarum judicium semel omissum (intellige, sive pacto aut dissimulatione, sive anni cursu, ut Gloss.) repeti non potest per restitutionem in integrum, & minor non sit restituendus, si omiserit in 60. dies accusare mulierem adulterii jure mariti. Rationem hujus affert Reiffenst. *hoc tit. num. 104.* quod hujusmodi res non ad rem familiarem, sed potius ad ultionem spectent. *L. sepulchro, ff. de sepulch. violat.* sed an non spectat ad rem familiarem, dum injuria illata minori resarcienda venit pœna seu multa pecuniaria.

QUÆSTIO MLXXIX.

A quo petenda & obtinenda restitutio in integrum?

1. Respond. primo: Judex, a quo restitutio hæc petenda & obtinenda de jure, non est solus Princeps supremus, sed eam concedere possunt etiam inferiores, ordinariam jurisdictionem cum rerum administratione in aliquo territorio habentes, *c. causa, hoc tit. L. in causæ, §. fin. ff. de minor. L. fin. Cod. ubi & apud quem cognit.* Quales sunt Episcopi, eorum Vicarii generales (de quibus tamen negant idipsum plures, eo quod hæc restitutio non comprehendatur in eorum mandato generali; affirmant alii probabilius. Vide me *in Vicar. Episc. quæst. 208. num. 1.*) aliique Prælati quasi Episcopalem, ac Magistratus sæculares imperium aliquod merum aut mixtum exercentes, quin & minores Judices ordinarii contentiosam jurisdictionem habentes, qui cum administratione alicui universitati præsunt, etsi merum imperium non habeant. Gloss. *in c. causa, hoc tit. vers. habentibus.* Abb. *ibid. notat. 1.* Gloss *in L. fin. Cod. ubi & apud quem, vers. jurisdictio.* Pirh. *hoc tit. num. 62.* eo quod restitutio in integrum sit actus imperii mixti, qui nobili officio Judicis expeditur. Bartol. *in cit. L. fin. num. 3.* Dicitur autem *de jure* quia hodiedum obtinuisse in pluribus provinciis, ut restitutionem in integrum, quasi non tam sit Justitiæ quam gratiæ, solus Princeps, aut supremum ejus consilium (precum duntaxat, quibus pro ea supplicatur, an veritate nitantur, examine inferioribus commisso, decreto autem ipsius Principis nomine concepto & publicato) concedat teste Zoes. *in ff. hoc tit. num. 5.* referunt Pirh. *hoc titul. num. 68. in fine.* Wiestner. *num. 85.* Verum præscindendo a tali consuetudine, & inhærendo juri communi.

2. Respond. secundo: Regulariter loquendo restitutio in integrum petenda a Judice illius, contra quem seu in cujus præjudicium petitur restitutio, eo quod actor (qualis in præsente est petens restitutionem) forum rei (qualis est, contra quem ea petitur) sequi debeat juxta *c. clericus, & c. cum sit generale, de foro compet.* idque etiam obtineat in agitanda causa restitutionis in integrum juxta, *L. quoniam. Cod. ubi & apud quem*, juncto summario & DD. *ibid.* Abb. *in cap. 1. hoc tit. a num. 1.* Covar. *l. 1. var. resolut. cap. 4. in princ.* Pirh. *hoc tit. num. 59.* Engels. *num. 7.* Reiffenst. *num. 18.* Dicitur: *regulariter loquendo* seu ordinarie. Nam primo, dum Ecclesia læsa est contractu celebrato cum laico, non tenetur petere restitutionem a Judice laico illius lædentis, sed potest eam petere adversus laicum coram Judice Ecclesiastico proprio; eo quod dum Ecclesia agit ex jure & privilegio speciali, illud deducere potest in judicio coram Judice Ecclesiastico. Ac ita tenent Abb. *in capit. 1. hoc tit. num. 18.* & *in c. constitutus, hoc tit. num. 1.* Covar. *l. var. cap. 4. num 2.* Gutt. *qq. Can. l. 1. cap. 34. num. 10.* Odd. *quæst. 32. n. 123.* Marant. *de ord. Judic. part. 6. §. actus secundus, nu. 101.* Molin. *tract. 2. de Just. disp. 573. num. 25.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. quæst. 23. §. item, num. 3.* Pirh. *hoc tit. num. 69.* Argum. *c. 2. hoc tit. & c. ad nostram de reb. Eccl. non alien.* ubi Monasterium læsum ex contractu inito cum laico jubetur restitui in integrum per Judicem Ecclesiasticum, quem fuisse Judicem ordinarium istius laici ob competentem ei in illum jurisdictionem temporalem, adversarii dicunt sine fundamento pure divinando. Nequaquam tamen idipsum extendendum cum Abbate & aliis quibusdam ad privata & patrimonialia bona clericorum seu Ecclesiasticorum, dum in iis a laico læsi sunt; cum privilegia, Ecclesiæ ejusque bonis concessa privatis eorum bonis non competant nisi in casibus in jure expressis. Covar. *loc. cit. num. 3.* Gutt. *num. 12.* Molin. Pirh. *LL. tit.* cum Gloss. *in clem. unic. hoc tit. vers. ab Ecclesia.* Secundo, dum contractus celebratus, vel res gesta in loco, ubi reus non habet domicilium, potest læsus ex eo contractu vel re gesta petere restitutionem a Judice illius loci, si reus, seu is, contra quem ea petitur, ibi præsens fuerit; siquidem ratione contractus sortitur quis forum, ita ut in loco contractus conveniri possit, dum ibi existit, etsi ibi non habeat domicilium. Neque est ratio, cur Judex loci contractus sit competens ad actionem ex eo contractu intentandam, & non sit competens ad rescindendum contractum, & concedendum restitutionem in integrum, ita Pirh. *loc. cit.* citans Covar. *ubi ante, num. 1.* & Molin. *tract. 2. de Just. disp. 573. num. 23.*

3. Respond. tertio: De causa restitutionis in integrum etiam principaliter cognoscere, eam pertractare, & concedere quoque possunt Judices delegati, non tantum quibus talis causa aliqua restitutionis in integrum specialiter delegata est (uti id fieri posse favore minoris cum Bartol. *in L. fin. C. & ubi apud quem*, tradit Pirh. *hoc tit. nu. 62. in fine.*) Verum etiam, qui alias ad universitatem causarum sunt delegati, si simul etiam administrationem rerum & jurium in territorio aliquo habent. Argum. *cit. L. fin.* ubi: *vel si generaliter dati* (hoc est, ut Gloss. *ibid. vers. dati*) *sint Judices*; eo quod hujusmodi delegati ad universitatem causarum æquiparentur Judicibus ordinariis.

Si

Si vero tales Judices delegati, etiam ad universitatem causarum, aut etiam ordinarii talem administrationem rerum seu bonorum in aliquo territorio vel imperium, saltem mixtum, non habent, sed tantum potestatem judicandi simpliciter (quales sunt, quibus Princeps indulget, ut possit causas v. gr. appellationum aliasve audire & definire, & jurisdictionem ordinariam exercere. V. gr. curatores & tutores dare, emancipare &c. quia honorem & dignitatem, non administrationem habent) non nisi incidenter solum (v. gr. si Ecclesia vel minor facta omissione necessariæ allegationis vel exceptionis in termino peremptorio læsi implorent auxilium restitutionis) causam restitutionis tractare, & hanc concedere possunt, *cit. L. fin.* juncta Gloss. *vers. non habent*, & Argum. *c. in causa*, per sensum contrarium. Abb. *ibid. num.* 7. Gales. *num.* 89. Pirh. *hoc tit. num.* 64. & 66. Wiestner. *num.* 84. eo quod simplex jurisdictio non exercetur per liberum seu nobile Judicis officium, sed per mercenarium, seu actioni mere civili deserviens. Restitutio autem in integrum sit actus imperii mixti, quod non nisi nobili officio Judicis exercetur. Pirh. *cit. num.* 64. cum Laym. *Theol. Moral. l.* 2. *cap.* 5. *nu.* 7. & 8. Quod incidenter cognoscere possint causam restitutionis, & hanc concedere, inde est, quod delegatus ad causam principalem censeatur etiam delegatus ad quamlibet, quæ cum ea coincidit, & est veluti accessoria. Unde & ad negotia incidentia seu accessoria non requiritur nova commissio; & qui est Judex causæ principalis, est etiam Judex causæ incidentis cum illa, juxta *L. quoties. Cod. de Judic.* & *ibi* Gloss. vide me, *in Vicar. Episcop. quæst.* 208. *numer.* 2.

4. Resp. quarto: Etsi in arbitros compromitti possit, ut ipsi pronuncient restituendum, seu determinent, num restitutio a Judice petenda sit nec ne Gloss. *in cit. L. fin. vers. compromissarios*. Bartol. *ibid. numer.* 5. Pirh. *hoc tit. num.* 67. per se tamen principaliter restituere non possunt; cum nec imperium, nec simplicem jurisdictionem, sed nudam cognitionem ipsis a partibus delatam habeant, *l.* 1. *Cod. de recept. arbitr.* possunt tamen & ipsi cognoscere de causa restitutionis in integrum, ubi incidenter mota, seu incidit in causam principalem, de qua compromissum, *c. penult. hoc tit.* juncta Gloss. *vers. incidenter*, *cit. L. fin. ubi & apud quem*. Neque enim hac ratione excedunt limites compromissi; cum hujusmodi restitutio non sit causa diversa ab ea, quæ eis commissa, sed ex ea oriatur, & veluti accessoria cohæreat.

5. Resp. quinto: Adversus sententiam propriam, uti & æqualis seu æqualem jurisdictionem habentis; etiam definitivam restituere potest Judex ordinarius Ecclesiam & minorem; quin & ex justa causa majorem. *L. in causa, ff. de minor.* Abb. *in c. causam, num.* 7. Gloss. *in L. minor. ff. de minor. vers. non restituat.* Pirh. *hoc tit. num.* 68. Item omnis, qui sententiam tulit. Abb. *in c. cum ex litteris, hoc tit. num.* 3. Pirh. *loc. cit.* quamvis ut idem *num.* 65. Judex delegatus (intellige, etiam ad universitatem causarum) restituere nequeat principaliter contra suam sententiam definitivam, eo quod postquam semel protulit sententiam, sive bene sive male, functus sit suo officio, cessetque ejus jurisdictio; nisi tamen talis potestas restituendi ei commissa specialiter ab habente jurisdictionem ordinariam cum administratione, vide me *loc. cit. num.* 5. Item adversus sententiam inferioris restituere potest superior. Sic Princeps restituere potest contra sententiam vicarii vel delegati sui. L. *minor.* §. *sed etsi ff. de minor.* L. *adversus*. *Cod. si adversus rem judicatam*, & *ibi* Bartol. Item Episcopus contra Vicarii sui generalis sententiam. Non tamen vice versa minor restituere potest contra sententiam latam a Judice superiore, *cit. L. minor.* cum æquum non sit, ut per minorem superioris sententia rescindatur. Zoes. *in ff. hoc tit. num* 6. cum communi. Sic delegatus Principis contra sententiam definitivam latam a Principe restituere non potest, nisi forte id ei specialiter ab eo commissum. Gloss. *in cit. c. adversus in addit.* & Bartol. *in fin.* etsi, ut idem Bartol. *ibidem in annot.* restituere possit adversus sententiam aliquam interlocutoriam. Sic Episcopus restituere nequit adversus sententiam latam a delegato Papæ, nec Judex alius adversus sententiam latam a delegato Principis; quia delegatus in causa delegata major est ordinario, *c. pastoralis*, §. *præterea*, *de off. Jud. ord.* De Vicario autem generali Episcopi, quod is contra sententiam Episcopi restituere possit in integrum, etsi neget Pirh. *cit. n.* 68. admittit tamen Sbroz. *de off. vic. l.* 3. *q.* 13. *n.* 5. Odd. *tr. de rest. in integ. p.* 1. *quæst.* 33. *ar.* 22. *n.* 156. Conrad. *in templ. Judic. l.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 10. Maran. *de ord. Jud. p.* 6. *tit. & quandoq. appell. n.* 382. Rebuff. *in pr. tit. for. vic. n.* 155. pro quo etiam facere videtur, quod Judex habens jurisdictionem cum administratione possit restituere contra sententiam eorum, qui æqualem jurisdictionem habent; cum id multo magis urgere videatur, dum restituentis in integrum eadem est jurisdictio & tribunal cum eo, qui tulit sententiam, qualis ea est Vicarii generalis cum Episcopo, vide me, *loc. cit. numer.* 4. Contra sententiam vero definitivam propriam, multoque minus contra latam ab Episcopo suo, ubi ea jam transiit in rem judicatam, posse restituere Vicarium, ait Sbroz. *loc. cit. num.* 8. citans Imol. Franc. Decium, *in c. tua, de appellat.* Roland. *cons.* 28. & 43. *l.* 2. Covar. &c. Quod idem dicendum de quocunque alio Judice, exceptis supremis Principibus, quod restituere nequeant contra sententiam tam propriam quam inferiorum Judicum, ubi ea transiit in rem judicatam. Sbroz. *loc. cit. numer.* 10. citans eosdem, vide me *in Vicar. Episc. quæst* 78. *num.* 3.

QUÆSTIO MLXXX.

An restitutio in integrum sæpius peti possit?

1. RESpond. primo: Dum denegata semel restitutione sententia transiit in rem judicatam, ea denuo peti nequit, nisi quo ad fatalia, appellationis per negligentiam non observata, ne alias abeatur in infinitum, nullusque sit modus restitutionis, *l.* 1. *Cod. si sæpius in integrit. restitut.* Barbos. *ibidem num.* 4. Brunneman. *num.* 3. apud Wiestner. *hoc tit. num.* 87. vel, nisi novæ emergant depositiones in priore judicio ex aliqua negligentia omissæ, de quo vide dicta supra, ubi qualiter adversus sententiam contra se latam restituendus minor.

2. Respond. secundo: Dum restitutio petitur adversus restitutionem prius impetratam qua v. gr. minor restitutus est adversus repudiatam a se hæreditatem, dum hæc melius inspecta & discussa apparet denuo damnosa, ea secunda restitutio concedi potest juxta *L. ait Prætor.* §. 9. *ff. de minor.* non tamen concedenda restitutio tertia, vel ulterior. Wiestner. *loc. cit.* cum Brunnem. *in L. quanquam. C. si sæpius in integ. num.* 4.

QUÆSTIO MLXXXI.

Quis sit effectus restitutionis in integrum?

1. RESpond. primo: Respectu effectuum, quos parit restitutio in integrum, ea tripliciter considerari potest, nimirum primo ut obtinenda (dum ea competit alicui secundum jura, etsi ex prætoriana æquitate) sed nondum petita. Secundo ut petita quidem, sed necdum obtenta. Tertio ut jam obtenta, hoc prænotato

2. Respond. secundo: Effectus restitutionis obtinendæ nondum petitæ præter illum, quod beneficium illius transitorium sit ad hæredes aliosque successores universales, de quo supra est, quod cedi etiam possit aliis, non tantum ubi competit ratione doli commissi, aut ex actione, *quod metus causa*: in quo casu eam per cessionem in alium transferri posse ad instar aliarum actionum, constat ex L. *fin. Cod. de hered. vel act. vendita* juncta Gloss. *fin.* Sed etiam, ubi competit ratione præcise ætatis minoris. Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 109. Argum. L. *quod si minor.* §. 1. *ff. de minor.* & L. *si minori*, *ff. de administr. tutor.* & *ibi* Gloss. *vers. provocantes*. Non tamen effectus restitutionis in integrum obtinendæ necdum petitæ hic est, ut sciens rem beneficio hujus restitutionis a se revocabilem esse, constituatur per hoc præcise, secluso omni alio dolo seu deceptione commissa, possessor malæ fidei, adeoque impediatur fructus inde perceptos facere suos. Abb. *in c. plerique, de Immunit. Ecclesiar. num.* 28. Innoc. *ibidem*. Covar. *l.* 1. *var. resolut. cap.* 3. *num.* 5. Engels *hoc tit. numer.* 20. Reiffenstuel. *num.* 112. contra Felin. *in c. de quarta, de præscript. num.* 34. Imol. *in c. Apostolica, de donat.* Siquidem contrahens cum quocunque bona fide & valide super re frugifera perceptos ex ea fructus facit suos, nec tenetur contractum ipsemet rescindere, aut fructus restituere, antequam is officio Judicis rescindatur. Confirmantur hæc a simili, dum emptor, qui scit, rem a se emptam per retrovenditionem a se avocabilem, non idcirco censetur constitutus in mala fide. Et sane, si vi talis scientiæ consti-

tue-

tueretur emptor malæ fidei possessor, & teneretur contractum rescindere, & fructus restituere, antequam officio Judicis fiat restitutio, vel etiam antequam minor vel Ecclesia utatur suo jure, & petat restitutionem, jam jura ioique negarent hanc restitutionem post lapsum quadriennii foverentque malam fidem possessoris, qua is laboravit ab initio, & in qua postea perseverat. Dixi tamen: *secluso omni alio dolo*; quin si talis iotercurrerit, & inde graviter læsus minor, ac proinde emptor sciat, rem esse a se in hoc capite revocabilem, eo ipso evadit possessor malæ fidei, ac consequenter non facit fructus suos, sed tenetur in conscientia, non exspectata Judicis sententia tam hos quam rem restituere, non secus ac fur. Idque tamen non tam vi restitutionis a minore obtinendæ, quam ratione injustæ læsionis scienter ac dolose in alium commissæ, quæ jure naturæ ac divino ex motivo Justitiæ obligat ad restitutionem. Ac de tali læsione scienter ac dolose commissa procedit textus. *L. in causa §. interdum, ff. de minor.* quo alias nixi adversarii censent generari malam fidem & obligationem restituendi hoc ipso, quod sciatur obtinenda a læso restitutio in integrum.

3. Respond. tertio: effectus restitutionis in integrum petitæ, nondum obtentæ præter illum, quod pariat in possessore malam fidem, & consequenter is post eam petitam perceptos fructus non faciat amplius suos juxta dicta supra, est, quod regulariter suspendat executionem sententiæ latæ. Gloss. *in c. suscitata, hoc tit. vers. pensata.* Abb. *ibid. num. 8.* cum communi juxta L. *unic. Cod. in integ. restitut. postul. ne quid novi oper. fiat.* Siquidem restitutio io integrum (iotellige, petita, etsi noodum obtenta, obtinenda tamen) quo ad hunc effectum æquiparatur appellationi ioterpositæ. *L. si causa. Cod. de transactionib.* ubi: *si causa cognita prolata sententia appellationis vel in integrum restitutionis solennitate suspensa non est &c.* & *L. præses ff. de minor.* ubi; quod enim appellatio majoribus interposita præstat, hoc beneficio ætatis consequuntur minores. Proceditque hoc ipsum juxta Fachio. *l. 2. controvers. Jur. cap. 19.* qui dicit hanc sententiam communiorem, quemque citat ac sequitur Reiffenstuel. *hoc tit. num. 118.* Non solum, dum restitutio petitur principaliter per modum actionis, sed etiam, dum prius post petitam ab adversario executionem seotentiæ quasi per modum exceptionis proposita postulatur restitutio; cum jura dicentia, petitione restitutionis ioterposita, suspendi executionem sententiæ, loquantur generaliter. Neque per hoc, qood prius petita fuerit executio, mutatur natura restitutionis io integrum, quæ est remedium juris extraordioarium datum ad suspendendam executionem necdum factam. Quod si tamen quæstio super concedenda restitutione altiorem reqoirat indaginem, adsuotque coojecturæ, ex qnibus præsumi possit, quod malitiose, nimirum solommodo ad suspendendam executionem sententiæ petatur, executio non suspenditur, sed petenti eam præstatur cautio idonea de restituendis omnibus etiam fructibus interea perceptis, *cit. c. suscitata*, & *ibid.* DD. Quod ipsum tamen sublimitandum: nisi executio sententiæ non sit amplius revocabilis, ut si ea fuit de irroganda iofamatione, conjectionis in carcerem; eo quod tuoc locus cautioni idoneæ non suppetat. Argum. desumpto a sensu contrario ex *cit. c. suscitata.* Laym. *ibidem num. 4.* Reiffenst. *hoc tit. num. 120.* cum Baldo *in L. unic. Cod. de restitut. in integ.*

4. Respond. quarto: effectus restitutionis in integrum jam obtentæ principalis est, quod per eam unusquisque jus suum iotegrum recipiat, ut dicitur L. *quod si minor. §. restitutio, ff. de minor.* Ita ut per eam non tantum is, qui eam impetravit, sed etiam is, contra quem impetrata, in statum pristinum reponatur, ita exigente æquitate, ut sicut ille, qui restituitur, in damno non moretur, ita etiam ex ea lucrum cum detrimento alterius ferat. L. *ergo, §. sicut, ff. de minor.* cum leges subveniant minoribus, ne damnum patiantur, non ut cum alterius damno locupletentur, pro ut hæc patent ex dictis per decursum, *hoc tit.*

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

QUÆSTIO MLXXXII.

Quid tractetur hoc titulo?

RESpond. Tractatur de remedio aliquo Juris, quo ex prætoriana æquitate succurritur illis, in quorum præjudicium & damnificationem facta alienatio rei ex causa mutandi seu vitandi judicii. Dicitur *remedium*, quod est genericum. Sicut enim minoribus & Ecclesiis graviter aliunde læsis succurritur speciali remedio extraordinario restitutionis in integrum, uti & majoribus aliisque ex aliis capitibus læsis ope exceptionis ac variarum actioonum intentandarum, ita speciali hoc remedio succurritur omnibus læsis ex dicto capite alienatæ rei judicii mutandi causa. Dicitur secundo *Juris*. Dum tam in digestis & codice Justinianeo, quam in decretalibus de hoc remedio existet specialis hic titulus, etsi alias non tam ex rigore Juris seu Justitiæ quam æquitate Prætoris ortum suum illud habeat. Dum enim olim ante cæptum Judicium, seu antequam res censeretur litigiosa, liberum erat omnibus, rem suam io alium transferre; ex eo ipso autem quidam accipiebant occasionem res suas, de quibus timebant sibi litem movendam transferendi in alios, vendendo, donando &c. ut vel sic litem effugerent, aut saltem adversario seu actori futuro efficerent difficiliorem, dum traoslatarii illi erant potentiores, vel alibi commoraotes, aliave fora sortientes, hinc inquam Prætor ex naturali æquitate ut talibus fraudibus obviaretur; edicto suo constituit, ut taliter læsis sit actio tam contra sic dolose alienantem, quam contra talis rei alienatæ emptorem ut quem mallet ex iis, convenire valeat læsus, ut liquet ex *L. unic. Cod. hoc tit.* Uti hæc declarabuntur magis io sequentibus. Dicitur tertio: *alienatio*: per quam intelligitur omnis actus, per quem sive dominium, sive possessio rei transfertur. *L. item res, §. 1. ff. hoc tit.* & *ibi* Gloss. *vers. fecisse.* Sive is actus sit venditio, sive permutatio, sive donatio. L. *fin. ff. hoc tit.* & *ibidem.* Wesenbec. *in paratit. l. num. 6.* Dicitur quarto: *rei*: per quam intelligitur non tantum res ipsa, sed etiam jus ad rem & actio, quam quis habet adversus alium, dum hæc ceditur alteri, ut hoc edictum locum habeat tam in reo, ut hic agere possit contra actorem, qui actionem suam dolose cessit alteri, quam actori contra reum, qui rem suam traostulit in alium. Dicitur quinto: *causa judicii mutandi*: si enim ex alia causa alienet etiamsi animo doloso, non est locus huic edicto. Sed neque intelligitur præcise intentio vitandæ litis, ut mox declarabitur.

QUÆSTIO MLXXXIII.

Quid requiritur ad dictam alienationem, ut locum habeat hoc edictum prætorianum, seu actio factæ alienationis judicii mutandi gratia?

RESpond. requiruntur plura. Primo ut alienatio sit facta mutandi judicii futuri, & non illius, quod de facto jam est causa. *L. ex hoc edicto, §. 1. ff. hoc tit.* Si enim lite jam intentata & judicio cæpto, adeoque re jam effecta litigiosa, ea alienetur, alienatio ordinarie est ipso jure civili irrita, potestque res affecta vitio litigiosi a quovis possessore, quamvis hoc vitium ignorante vindicari, perinde ac nihil actum esset pro ut statuitur, *l. 2. & seq. C. de litigiosis.* Ubi etiam variæ decernuntur pœnæ tam contra rem litigiosam alienantes, quam eam scienter esse talem ementes. Ac proinde jam in eo casu contra talem alienationem opus non est remedio præsentis tituli.

2. Se-

2. Secundo, ut facta sit animo malo seu doloso, qualiter facta præsumitur, si translata in adversarium potentiorem ratione nobilitatis vel divitiarum, etsi ejusdem fori, a quo creditur adversarius divexandus, aut lis protelanda (intellige tamen, privatum, si enim potentiori ratione officii aut potestatis publicæ cedatur res vel actio, non est locus huic edicto; quia talis cessio est ipso iure irrita vel saltem sententia Judicis irritanda, & cedens causa cadit, jureque agendi privatur, *l. 2. ne liceat potentioribus*. Abb. *in cap. 2. hoc tit. num. 3.* Wesenbec. *ff. hoc tit. num 2.* Pirh. *hoc tit. num. 3.*) vel in personam extraneam, hoc est, alterius fori, seu alterius Judicis subjectam jurisdictioni. Vel si alio quovis modo per alienationem reddatur adversarii conditio durior aut deterior, uti hæc habeatur *in l. 1. seqq. hoc tit.* Unde jam huic edicto locus non erit, si quis citra dolum. V. g. ob infirmitatem, ætatem, aliamve necessitatem; imo odio & execratione molestiarum ac litium rem suam possidere desiit, aut in alterum, etiam potentiorem, transtulit, *l. 4. §. si quis, ff. hoc tit.* Idem est, si rem petitam, seu super qua litem sibi movendam timet, ex tali intentione litis declinandæ creditori suo solvat, vel venditori redhibeat, *l. 8. §. ult. & duab. seq. ff. hoc tit. L. item si res, §. 1. ff. eod.* cum enim cuilibet permissum rem suam alienare, qui hoc jure suo utitur, non censetur fraudem committere. *L. nullus ff. de Reg. Jur.* Multoque minus in alienatione necessaria inesse dolus potest, *l. 1. ff. de fundo dotal.* Sed neque edicto huic est locus, dum quis res suas, super quibus lis ei movenda creditur, testamento legat, *l. 8. §. sed hæredem, ff. hoc tit.* Cum enim moriturus res suas relinquere necesse habeat aliis, sive ex testamento, sive ab intestato succedentibus, quæ circa eas per ultimam voluntatem disponuntur potius ex necessitate & benigna voluntate, quam animo mutandi judicii relinqui censentur. Gloss. *in cit. §. sed hæredem, vers. non erit.* Wesenbec. *ff. hoc tit. num. 6.* Pirh. *hoc tit. nu. 4.* Wiestner. *num. 6.*

3. Tertio requiritur, ut actoris seu ejus, qui petit restitutionem ex hoc edicto intersit, hanc alienationem non esse factam, *cit. L. item §. 2.* Eo quod fecerit forte expensas aliquas propterea, nimirum ad consequendam rem illam alienatam, quam prætendere poterat, movendo super ejus consecutione litem; vel etiam quas in ejus consecutionem imposterum facere debeat, dum eas alias facere non debuisset. Vel etiam, quod passus sit aut passurus incommoditatem aliquam ex eo, quod alius & difficilior sibi substituatur per talem alienationem adversarius. *L. quia etiam, §. 4. ff. hoc tit. num 5.* Vwiestner. *loc. cit.* Dum enim nihil interest alicujus, non esse factam hanc alienationem, quia v. g. is, qui rem alienavit, dein iterum eam recepit ante motam litem, *cit. l. 8. §. si quis*, vel si alienans paratus sit subire nihilominus judicium, ac si eam adhuc possideret, *l. 3. §. fin. ff. hoc tit.* vel si in æque commodam personam res translata sit, cessat causa hujus edicti, nimirum damnum seu læsio alterius; adeoque & ipsum edictum.

QUÆSTIO MLXXXIV.

Cui & adversus quem detur hæc actio alienationis factæ judicii mutandi causa?

RESP. datur in primis ex hoc edicto actori actio directa adversus reum seu eum, qui proprietatem rei alienavit mutandi judicii causa, & utilis adversus eum, qui tantum alienavit possessionem. Gloss. *in cap. 1. hoc tit. v. commutationem.* Pirh. *hoc tit. num 1.* Datur quoque reo contra actorem, seu eum, qui actionem suam judicii mutandi gratia dolose cessit alteri. Abb. *in cap. 1. hoc tit. num. 6.* Bartol. *in L. cum miles, ff. eod.* Pirh. *loc. cit.* Reiffenst. *hoc tit. num. 11.* Sicut enim actor potest agere ad interesse contra eum, qui rem fraudulenter transtulit in alium judicii mutandi causa, ita etiam reus potest agere contra actorem seu eum, qui actionem suam cessit alteri, & ab eo repetere, quanti sua interest, actionem in alium translatam non esse; loquitur enim hæc rubrica generaliter de alienatione tali causa facta, non distinguens, an ea fiat per actorem, an per reum, quamvis etiam reus conventus ab eo, cui cessio actionis facta est; possit eum repellere per exceptionem, quod alienatio seu cessio actionis in eum facta fuerit causa mutandi judicii. *L. penult. ff. hoc tit.* Abb. Pirh. *LL. cit.* Reiffenst. *n. 12.*

QUÆSTIO MLXXXV.

Ad quid detur hæc actio?

RESPOND. conceditur ex hoc edicto contra dolose alienantem actio in factum ad interesse, qua conventus a læso alienans Judicis arbitrio tanti damnetur, seu tantum a lædente consequitur, quanti interest læsi, rem vel actionem in alium non translatam, ac idcirco difficiliorem adversarium non substitutum, aut etiam expensas aliquas factas non fuisse, *l. 1. & 3. hoc tit. & ibi* DD. Pirh. *hoc tit. num. 1.* Vwiestner. *num. 3.* Engels. *num. 2.* Reiffenst. *num. 4* Atque ita vi hujus actionis læsus quasi in integrum restituitur; cum, licet non consequatur rem ipsam, ut fere in aliis restitutionibus contingit, consequatur tamen quod sua interest. *l. 1. ff. hoc tit.* Vwesenbec. *ad hanc rub. ff. num. 1.* Porro præter remedium hujus edicti competit quoque læso actio in rem ipsam alienatam adversus illius possessorem, ita ut in electione læsi sit, an ad consequendam rem ipsam convenire velit illius possessorem, an vero actione in factum alienantem. Vwiestner. *hoc tit. num. 4.* citans Brunneman. *ad cit. L. unic. Cod. hoc tit. num. 3.* quia etiam ut uterque *num. 5.* addit. *cit. L. sin autem §. 3. & L. qui petitorio ff. de R. V.* competit illi actio adversus dolo alienantem, quam vocant utilem rei vindicationem; eo quod qui rem dolo possidere desiit, pro possessore habeatur, & actione in rem ipsam conveniri possit juxta leges citatas. Neque enim hæ actiones in rem ipsam actionem ex hoc edicto prætoriano concessam elidunt; cum remedium ordinarium & extraordinarium concurrere simul non impediantur, præsertim ubi hoc est pinguius vel commodius, uti in præsente contingit, dum vi hujus remedii prætoriani actor consequi possit quoque compensationem damni passi, ac incommoditatum, nec non impensarum factarum ob alienationem mutandi judicii causa factam. Vwiestner. *cit. num. 5.* cum Gonz. ubi etiam ex eodem, quod tempore introducti hujus remedii prætoriani producta nondum fuerit jure dicta actio in rem ipsam.

QUÆSTIO MLXXXVI.

An & qualiter hæc actio in factum ex hoc edicto competens læso transeat ad ejus hæredes?

RESPOND. Transit ad illos; quia non est pœnalis, sed rei persecutionem continet. *L. item si, §. fin. hoc tit.* Et quidem directa contra alienantem suo nomine, vel etiam possessorem rei alienatæ. Zoes. *ff. hoc tit. num. 7.* Pirh. *h. t. num. 12.* Utilis adversus eum, qui nomine alieno alienavit, ut Tutor & Curator. *L. nam etsi, ff. eod. & ibi.* Gl. Non tamen datur adversus hæredes alienantis; eo quod, licet pertineat ad rei persecutionem, ex parte debitoris tamen seu rei videatur dari ex delicto, nempe ex dolo alienantis. *L. item si, ff. hoc tit. & seq. & ibi* Gloss. *vers. post annum*, pœnalis autem actio ex parte rei in ejus hæredes non transit, *l. 1. ff. de privat. delict. §. non autem. Institut. de perpet. & temp. act.* ita Pirh. *cit. num. 12. in fine* cum Wesenb. *hoc tit. num. 7.*

QUÆSTIO MLXXXVII.

An & quid speciale Jus Canonicum statuat circa hanc alienationem?

1. RESPOND. Jus Canonicum non solum approbat statuta hoc in puncto a Jure civili, sed & duo superaddit. Primum *c. 1. hoc tit.* dum ultra hoc, quod Jure civili; nimirum *L. unic. Cod. hoc tit.* statuitur, ut sicut alienans, sic & possessor rei alienatæ conveniri possit coram Judice ordinario, statuit, ut vi rescripti Apostolici contra alienantem impetrati possit conveniri coram alieno Judice, nempe delegato, etiam is, in quem facta alienatio a timente litem & sciente, contra se tale rescriptum impetratum aut impetrandum, sive possessor rei alienatæ, dum is istius doli & fraudis est conscius, tametsi is in eo rescripto non exprimatur; quamvis alias rescripta ad lites sint strictæ interpretationis, & nequaquam ad personas in iis non expressas extendenda juxta *cap. sedes, de rescript.* & jurisdictio delegata ad alias personas in rescripto

non

non nominatas prorogari non valeat, *c. P. & G. de off. delegat.* Ratio autem hujus specialis dispositionis Jure civili non expressæ est odium, tam illorum, qui res ita dolose alienant, quam eorum, qui doli illius conscii eas admittunt, ut vel sic utrorumque iniquam conditionem alteri inferentium, superiorisque mandatum dolose eludentium malitia plectatur. Reiffenst. *hoc tit. num.* 14. Wiestner. *num.* 7. Tametsi autem dicta specialis dispositio Juris Canonici quo ad extensionem illam locum non habeat, dum possessor, seu is, in quem res vel actio translata est, bona fide eam acquisivit, nulla ratione doli illius conscius (neque enim, quod statutum est in odium alienantis per fraudem, nocere debet successori, si is in nulla culpa vel dolo fuit) potest nihilominus per actionem in rem ipsam ea ab eo repeti, & postquam recepta fuit, alienans conveniri per actionem in factum ad reliqua damna & expensas resarciendas.

2. Alterum in *cap. 2. hoc tit.* statuitur sub gravibus censuris Ecclesiasticis, ne clerici, sive titulo lucrativo donationis, sive oneroso venditionis aut emptionis faciant sibi cedi a laicis actiones personales, sive jura creditorum per dolum judicii mutandi causa, ne hac ratione reddant conditionem laicorum duriorem, pertrahendo eos a judicio sæculari ad Ecclesiasticum, dum forte juxta loci consuetunem vel causæ qualitatem reus sequi debet forum actoris. Porro tametsi universim & absolute prohibitum non sit, cedi clericis lites & actiones, sive ea cessio fiat per ultimam voluntatem vel legatum (in qua cessat præsumptio fraudis; cum moriturus non censeatur immemor salutis suæ. Pirh. *hoc tit. num.* 11. cum Abb. *in cit. cap. 2. in fine*:) sive inter vivos titulo donationis vel etiam venditionis, ita ut teneat venditio & emptio, modo fraus omnis absit, & non emantur judicii mutandi causa. Zoes. *in ff. hoc tit. num. ult.* Pirh. *loc. cit.* nihilominus in dubio cessionem litis seu actionis, etiam personalis, a laico factam clerico præsumi factam in fraudem & avaritiæ causa, habet Gloss. *fin. in cit. cap.* 2. Quod tamen habere locum, non in simplicibus clericis, sed in Prælatis, seu clericis jurisdictionem habentibus, ratione cujus coercere possint reos sibi subditos, ait Pirh. *loc. cit.* cum Mascard. *de probat. conclus.* 558. *nu.* 21. Verumtamen etiam præscindendo a tali clericorum Prælatura seu jurisdictione, adhuc præsumi fraudem, ubi fit cessio in illos titulo oneroso; eo quod emere actiones, præsertim dubias, & in judicium necdum deductas, sit species mercationis seu negotiationis in genere (& consequenter multo magis, ubi versatur circa actiones & lites forenses) clericis prohibitæ, etiam sub censuris Ecclesiasticis, ut patet ex *cit. cap.* 2. & notat *ibidem*. Abb. *not. ultim.* & cum eo Pirh. Etsi secus esse censeant, si fiat titulo lucrativo seu donationis; cum quilibet sua jura donare possit clerico & Ecclesiæ, & nullibi reperiatur cautum, quod in tali liberali cessione fraus præsumi debeat. Quamvis & præscindendo a tali titulo pure lucrativo, negari non potest, quin, quandoque cessio illa actionis ex certis circumstantiis & conjecturis dolosa ac simulata censeatur, ut dum fit personæ magis privilegiatæ. V. g. clerico vel scholari, ut Barbos. *in cit. cap. 2. numer.* 4. vel nimis modico pretio vendita; vel partim vendita, partim donata. *L. penultim. & ultim. Cod. mandati*. Abb. *loc. cit. a numer.* 4. Pirh. *hoc tit. numer.* 10. *in fine*.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS.

QUÆSTIO MLXXXVIII.

Arbitri nomen unde, & quotupliciter sumatur, & quid in præsente importet?

1. RESpond. primo: Arbitri nomen deductum ab arbitrari, quod idem ac censere, æstimare, sensum suum proferre significat, varie usurpatur. Ac primo quidem pro teste, ut dum dicitur quis sine Arbitris, hoc est, sine testibus, aut sine quoquam notante vel observante in secreto quid facere, ut *Genes.* 39. Secundo pro moderatore & dispositore libero rerum suarum, vel etiam alienarum, quatenus de iis pro arbitrio suo disponere valet, ut L. *in re mandata, ff. mandati. L. quis Cod. de decurionib.* Tertio pro Judice ut *L. quisquis. C. de postulando*, ubi: non idem in Judicio sit Advocatus & Judex, quoniam aliquem inter Arbitros & Patronos oportet esse delectum. Quarto vicinius accedendo ad significationem, in qua accipitur *hoc tit.* Sumitur pro aliquo assumpto ad æstimandum rem quampiam, super qua contractus initus, vel etiam ad edicendum quid sibi de hoc vel illo negotio videatur, seu ad controversiam aliquam, prolato suo prudente judicio componendum. Unde

2. Resp. secundo: Arbiter magis stricte, & quantum ad præsens propositum, describi potest, quod sit persona idonea, sive Juris, sive legis dispositione, sive ex partium conventione electa seu constituta, ut circa controversiam aliquam exortam judicium seu animi sui sensum, cui partes stare debeant, proferat. Molin. *tract. 5. de J. & J. disp. 30. num.* 2. Pirh. *hoc tit. num.* 1. Dicitur *persona idonea*: cum non quilibet ad fungendum officio Arbitri sit idoneus, ut videbimus paulo inferius. Dicitur: sive *ex Juris dispositione* &c. ad insinuandum duplex Arbitrorum genus, de quo mox. Dicitur: *ut judicium suum proferat*, nimirum non ut Judex stricte talis sententiam ferat, sed ad instar Judicis, seu partes Judicis suscipiens. Dicitur denique: cui partes stare debeant: siquidem assumitur ad controversiam terminandam uti circa hæc duo postrema est textus notabilis in *L. Idem Pomponius, §. recepisse, ff. de recept. arb.* ubi: *recepisse autem Arbitrium videtur, qui Judicis partes suscepit, finemque se sua sententia controversiis impositurum pollicetur* &c. Atque ex his vides, qualiter Arbiter differat a compositore amicabili, nimirum ut species a genere; cum Arbiter & Arbitrator dici possit amicabilis compositor, non contra, sic enim qui sponte sua absque prævio in unum compromisso discordantes inter se componit & pacificat, recte dicitur compositor amicabilis, non Arbiter aut Arbitrator ex defectu compromissi.

QUÆSTIO MLXXXIX.

Quotuplices sint Arbitri?

1. RESp. primo: Alii sunt Arbitri Juris seu necessarii, qui ex necessitate nimirum ita jubente lege, vel a Principe, vel a Judice, vel a partibus constitui debent. Sic ex præscripto legis v. g. *c. suspicionis, de off. deleg. c. ab Arbitris, eod. in 6.* a partibus eligendi sunt Arbitri, qui de causa suspicionis Judici objecta cognoscant. Item vi *c. pastoralis, de rescript.* si diversi Judices super revocatione literarum Apostolicarum discordent, eligendi a partibus Arbitri, qui de hoc puncto cognoscant. Item vi *can. clericus*, 11. *quæst.* 1. dum controversia orta est inter Episcopum ejusque subditum clericum. Alia exempla vide apud Pirh. *hoc tit. num.* 2. Alii sunt Arbitri voluntarii, qui passim compromissarii vocantur, qui nimirum nullo legis aut Judicis præcepto, sed spontaneo ac libero partium sese eorum judicio ac definitioni submittentium conventione mutua seu compromisso assumuntur ad controversiam inter eos ortam dirimendam. Molin. *loc. cit. a num.* 1. Pirh. *loc. cit.* Præter jam assignatam varia est inter hos arbitros Juris & compromissarios differentia. Ac primo quidem, quod arbitri juris eo ipso, quod ex legis vel Judicis præscripto assumendi ad hoc munus suscipiendum compelli possint, *c. cum speciali, de appell.* Gloss. *in c. suspicionis, vers. ad quos omnia*. Ratio etiam est, quod hi arbitri habeant jurisdictionem ad instar Judicum, ut paulo post dicetur. Unde, sicut munus judicandi est necessitatis, & omnino acceptari debet. L. *munerum §. judicandi, ff. de muner. & honor.* ita & munus arbitrandi. Secus est de compromissariis; de quibus L. *Labeo, ff. hoc tit.* quod nemo ab initio cogatur arbitrium suscipere: *quoniam hæc res libera & absoluta est, & contra necessitatem jurisdictionis posita*. Postquam tamen libere hoc munus acceptarunt, libere illud deponere nequeunt, sed ad illud implendum

supes

super controversia pronuncianda tenentur & cogi possunt, *cit. L. Labeo*, §. 1. Molin. *loc. cit. dist.* 25. *num.* 10 Pirh. *hoc tit. num.* 3. nisi causa cognita, eorum excusatio ob incidens aliquod impedimentum V. gr. infirmitatis, occupationis propriorum negotiorum, inimicitiarum cum parte litigantium, muneris alicujus Reip. suscepti, prout habetur *L. licet*, *& seq. ff. de recept. arb.*

2. Secundo: quod arbitri juris habeant a lege jurisdictionem quasi ordinariam ad instar Judicum. Ad expediendum omnia, quæ ad causam definiendam sunt necessaria. Unde partes citare possunt, præscribere terminum peremptorium, examinare testes, compellere eos ad testificandum, punire, si inobedientes sunt &c. Argum. *cit. c. suspicionis*, & *ibi* Gloss. *vers. ad quos omnia*. Abb. *ibid. n.* 3. Pirh. *loc. cit.* Dixi jurisdictionem quasi ordinariam, uti eam vocat Gloss. *loc. cit.* per quod indicatur, non esse eam mere ordinariam; quia eam non habent, nisi in certo casu, nec etiam mere delegatam; quia Princeps eos non elegit seu constituit, sed partes ipsæ, jure sic jubente, sed quasi mixtam ex utraque, quamvis magis accedere videatur ad delegatam. Argum. *c. suspicionis*, *& c. ab arbitr.* utpote quæ duo capitula tractant de arbitris juris, & tamen sunt posita sub titulo, *de off. deleg.* & non sub titulo, *de off. ordinar.* valet autem argumentum a situatione rubricæ; de quo vide Reiffenst. *in proam. ad decretal. a num.* 103. E contra compromissarii, cum totam potestatem suam habeant a partibus compromittentibus, quæ utpote privati, conferre nequeunt jurisdictionem, hanc nullam habent, sed solum cognitionem quandam. Unde licet sententiam de controversia ferre possint, nequeunt tamen compellere partes aut testes ad comparendum aut testificandum, aut etiam iis imperare litigantibus, eorumve contumaciam pœnis coercere, nisi quatenus eæ se libere per compromissum obligarunt. Gloss. *in cit. c. suspicionis*, *vers. ad quos omnia*, & Gloss. *in c. cum dilectus*, *hoc tit. vers. nisi de his*. Molin. *loc. cit. dist.* 31. *a num.* 1. Pirh. *num.* 3.

3. Tertio. Ab arbitris juris perinde fere ac ab aliorum Judicum tam ordinariorum quam delegatorum sententia ad eum, qui juri præest, aut qui ad assumendos arbitros compulit, appellari potest, *cit. c. ab arbitris*, juncta Gloss. *fin.* tum quia eorum, utpote virorum Judicum & jurisdictionem habentium, pronunciatio magis accedit ad judicialis sententiæ naturam; cum ex ea oriatur actio in factum, ut cum Mynsing. *centur. 4. observ.* 68. Pirh. *hoc tit. num.* 5. Tum quia æquum illis succurrere remedio appellationis, qui ad assumendos illos Judices arbitrarios compulsi sunt. E contra ab arbitris compromissariis non datur appellatio, *l. 1. Cod. hoc tit. L. non distinguemus*, §. 14. *ff. eod.* Siquidem, cum partes sponte elegerint hos arbitros, seque obligarint ad standum illorum arbitrio seu laudo, illud ipsum impugnare non debent, sed potius sibi imputare, si forte ab eorum sententia graventur. Gloss. *fin. in cit. c. ab arbitris*. Abb. *in c. suspicionis*, *num.* 7. Pirh. *cit. num.* 5. Tametsi autem non detur proprie dicta appellatio ab iis, possunt tamen partes supplicare Judici ejusque officium implorare, ut, si videantur tulisse sententiam iniquam, ea reducatur ad Justitiam secundum boni ac prudentis viri judicium, Pirh. *loc. cit.* cum Gloss. marg. *in cit. c. ab arbit.* Quin &, si arbitrium seu laudum manifestam contineat injustitiam, multoque magis, ubi apparet, arbitros dolose per collusionem aut ex falsis probationibus processisse, pars adversa, sive in judicio coram Judice ordinario, sive extra judicium executionem arbitrii postulans per oppositam exceptionem de dolo gravato seu læso per illud repelli potest. *L. non distinguemus*, §. *cum quidam*, *ff. hoc tit.* Pirh. *cit. num.* 5.

4. Resp. Secundo: arbitri compromissarii subdividuntur. Alii enim sunt, in quos ita expresse vel tacite compromissum, ut in causa sibi commissa servato juris ordine ac forma judicii procedere ac pronunciare debeant; ita ut coram iis partes citari, libellus offerri, lis contestari, testes examinari, aliæque solemnitates ad judiciarium processum requisitæ observari debeant; & hi proprie dicuntur arbitri eorumque sententia redacta ad similitudinem judicialis sententiæ arbitrium seu laudum dicitur, uti hæc habentur *L. sed & interpellatur*, §. *arbiter*, *ff. hoc tit.* & *L. penult. circa finem. Cod. eod.* Pirh. *hoc tit. num.* 6. citans Hiltrop. *in process. judiciar. part.* 1. *t.* 9. *a num.* 17. Quamvis partes compromittentes in tales arbitros remittere iis aliquid possint de solennitate illa & forma judiciali, cum tota eorum potestas sit a partibus, adeoque ab eorum voluntate libera dependeat ac mensuranda sit. Molin. *tr.* 5. *dist.* 38. *num.* 1. Argum. *L. diem*, §. *si quis litigatorum*, dum ibi dicitur: *si in compromisso hoc specialiter expressum sit*. Alii sunt, in quos ita compromittitur, ut sine juris ordine, & non observata forma judicii causam cognoscant, & de illa arbitrentur seu statuant, quod ipsis æquum & bonum videbitur, & hi ex usu DD. dicuntur arbitratores, eorumque sententia arbitramentum, etsi alias in Jure hæc nomina arbiter & arbitrator sæpe confundantur, & nomine arbitrorum veniant interdum etiam hi arbitratores, ut Molin. *loc. cit. dist.* 30. *num.* 1. & 38. *num.* 10. Pirh. *cit. num.* 6. Licet autem arbitratores stricte tales potissimum ac plerumque assumantur ad contractus perficiendos, puta, æstimando rerum pretia damnaque ex iis forte orta, quidve singulis discordantium super contractu competat &c. uti & ad alia extrajudicialia negotia controversa terminanda & expedienda. Abb. *in cap. Quintavallis de jurejurand. numer.* 8. Bartol. *in l.* 1. §. & *post operis ff. de oper. novi nunciat. num.* 1. interdum tamen etiam adhibentur ad lites, citra tamen, ut dictum, processum judiciarium definiendas. Argument. *auth. si vero contigerit*. *Cod. de judiciis* juncta Gloss. *vers. compositionem*. Molin. *citat. disputat.* 30. *num.* 4. & 6. Pirh. *citat. num.* 6. *in fine*. Quamvis tamen & tunc reipsa intervenire videatur contractus terminandus, dum tunc assumatur super contractu transactionis ineundæ, cujuscunque arbitramentum sit quædam transactio. Gl. *in auth. ut differenter Judices collat.* 9. *v. conventum*. Reiffenstuel. *hoc tit. num.* 8. citans Jo. Baptist. *Tom.* 3. *tract. tr. de arbitris cap.* 2. *num.* 2.

5. Præter has plures alias differentias inter arbitrum & arbitratorem affert Abb. *loc. cit.* Inter quas sunt, quod regulariter ad munus arbitratorum admittantur omnes, secus ad munus arbitrorum utpote a quo propter solemnitatem judiciariam ab arbitris servandam repelluntur fœminæ & quidam alii, de quibus paulo post. Quod sicut nemo esse potest Judex in propria causa. *L. unic. Cod. ne quis in sua*, ita nec Arbiter. *L. si de re sua*, *ff. de recept. arbit.* possit tamen quis esse arbitrator in causa & facto proprio, modo juste arbitretur. *L. libertus*, *ff. de oper. libert. L. si cum ea*, *de dotis promiss.* Abb. *loc. cit. num.* 10. Quod si arbitratoris arbitramentum iniquum vel enormem læsionem, vel etiam, ut alii, gravem continere probetur, ad petitionem partis eo læsæ reducendum sit ad æquitatem justitiæ arbitrio viri boni. Sententiæ vero seu pronunciato arbitri standum sit, sive ea æqua sive iniqua sit juxta *L. diem*. §. 2. *hoc tit.* ubi: stari *debet sententia arbitri*, *quam de re dixerit*, *sive æqua sive iniqua sit*. Differentia hæc postrema sumitur ex *L. societatem*, §. *arbitrorum*, *ff. pro socio*, ubi: arbitrorum genera sunt duo, unum ejusmodi, ut sive æquum, sive iniquum sit, quod arbitrati sunt, parere debeamus: alterum ejusmodi, ut, si, quod arbitrati, iniquum & injustum appareat, ad boni viri arbitrium redigi debeat. Cui differentiæ etsi cum Gloss. *in can. a Judicib.* 2. *quæst.* 6. *vers. eod.* Abb. *in c. Quintavallis*, *a num.* 29. Bartol. *in cit.* L. *societatem*, §. *arbitrorum*. Speculatore, *tit. de arbitr.* §. 1. *a num.* 5. inhæreant communiter utriusque Juris interpretes, quos etiam sequuntur plures recent. Reiffenst. *hoc tit. num.* 10. Wiestner. *num.* 13. ubi etiam pro ea hanc affert rationem, quod intellectus seu interpretatio juris ea sit præferenda, quæ communi interpretum aliorumque DD. sensu approbatur. Argum. *l.* 1. §. 1. *de off. quæst.* cum in re ambigua verius magisque integrum sit judicium, quod multorum, quam quod unius alteriusve ex mente Philosophi, 2. *Politic. cap.* 7. & 11. Baldi *in l.* 1. *ff. de Senator.* Menoch. *l.* 2. *præsumpt.* 75. *a num.* 1. Item simile sumptum a transactione, cujus naturam imitatur compromissum, a qua, ut sit finis litis, nullius injustitiæ aut apparentis læsionis, etiam enormis, prætextu receditur. *L. in summa*, §. 5. *ff. de condict. indebiti*. *L. hujus*, §. *fin. ff. ad S. C. Trebellian.* Verumtamen ab iis recedit Molin. *cit. dist.* 30. *num.* 7. cui inhæret Pirh. *hoc tit. num.* 7. dum duplex distinguit compromissum; unum, in quo expresse constat, ita partes compromisisse in arbitros, ut qualecunque tulerint arbitrium, sive æquum, sive iniquum, servetur; vel saltem ex circumstantiis constat, id partes suo compromisso intendisse; quia nimirum intenderunt se exponere quasi fortunæ, sive ferant damnum sive commodum ex judicio arbitratoris, perinde ac contingit in sortibus & lusu alearum, idque ad vitandos sumptus & molestias faciendas in judicio coram Judico ordinario vel delegato, & tunc certum est partes in utroque foro teneri stare arbitrio, etsi iniquum sit,

fit, & in alterius damnum cedat; quia utrimque contractus compromissi est æqualis; & de tali compromisso est prior pars *l. societatem*. Alterum compromissum, in quo partes simpliciter compromittunt in arbitros, ut, quod æquum justumque censuerint, pronuncient, absque eo, quod constat de alia jam dicta intentioue compromittentium; & tunc semper præsumendum, eos illo animo compromisisse, quod velint stare arbitrorum pronunciato, si non quomodocunque, sed quo decet virum bonum, modo pronunciarint juxta *cit. l. si libertus ff. de oper. libert.* & de hoc compromisso est pars posterior *l. Societatem*, ita ut tunc arbitrium cujuscunque arbitri ad arbitrium alterius viri boni redigi debeat, ubi apparet in eo iniquitas. Ita Molin. *l. c.* & quidem principiis juris naturæ conformiter, ut fatetur Wiestner. si solitis limitationibus, de quibus paulo infra, temperetur.

QUÆSTIO MXC.

In quo arbiter differat a Judice?

RESp. Quamvis arbiter, præsertim necessarius a Judice, ejusque pronunciatio a judiciali sententia non multum differat, non est tamen proprie Judex, nec ordinarius, nec delegatus, suntque plures etiam inter hunc & Judicem proprie talem differentiæ, quarum pleræsque cum *respons. 1. ad quæst. præced.* attigerimus, hic fere sermo est de arbitro compromissario inter quem & Judicem passim ab AA. quamplurimæ assignantur differentiæ, ut videre est apud Durand. in Specul. *tit. de arb. §. differt.* Hiltrop. *in proces. judiciar. part. 1. tit. 9. a num. 19* Quarum primariæ quadruplice fere classe comprehendi possunt. Prima quidem, quæ concernunt ejus constitutionem, quod nimirum constituatur libere a partibus & id muneris admittere non cogatur, secus ac accidit in Judice juxta dicta *quæst. præced.* Secunda, quæ concernunt ejus potestatem, dum, quia arbitria sunt stricti juris, extra tempus & locum evagari non potest, *l. non distinguemus §. fin.* neque ultra expressas in compromisso & dependentes ab iis aut necessario connexas causas porrigitur potestas ejus arbitrandi, *l. de his rebus ff. h. tit.* cum in arbitrium id solum venit, de quo actum est, ut veniret *l. 21. §. plenum ff. h. tit.* in judicium vero veniant omnia, quæ expresse, ne non venirent, non prohibentur, *l. solemus ff. de Judic.* unde & coram arbitro non est locus reconventioni, sicut coram Judice ordinario, *c. cum dilectus h. tit.* & *ibi* Abb. & Jo. And. *num.* 6. de quo plura infra. Neque arbitrium alteri delegare potest, nisi id in compromisso expressum *cit. l. non distinguemus §. 16. & 17. l. 32. §. quæsitum ff. h. tit.* uti Judex vices suas alteri committere potest, *l. more ff. de jurisdict.* Neque cogere potest testes aut punire contumaces (licet enim partem condemnare possit in expensas, eam tamen absentem ratione contumaciæ mulctare aut punire non potest propter defectum jurisdictionis. Wiestner. *h. t. num. 7.*) juxta dicta *quæst. præced.* Neque laudum suum seu arbitrium executioni dare *l. cum penult. C. h. tit.* Sed pro executione recurrendum ad Judicem ordinarium rei. Abb. *in cap. per tuas h. t. num.* 1. Speculat. *tit. de arb. §. differt. num.* 3. Gail. *l. 3. observat. 1. nu.* 5. Molin. *l. c. disp. 45. num.* 5. Neque sententiam invalidam, quam tulit, retractare potest, *l. qualem & l. seq. ff. h. tit.* uti id potest Judex, *l. si præses. L. quomodo & quando Judex.* Tertia, quæ spectant ad processum, dum coram compromissario non inducitur litis pendentia sicut coram Judice. Gail. *loc. cit. observat.* 141. *num.* 3. Pirh. *h. tit. num.* 9. Item procurator litigans coram arbitro satisdare, & dominum rem ratam habiturum, cavere non tenetur; quia solvere potest pœnam compromissi, & non stare sententiæ, *l. 32. §. arbitri ff. h. t. L. non distinguemus §. 20.* Secus ac procurator litigans coram Judice toto *tit. rem rat. hab.* Item in arbitrio non potest purgari mora, in quo dies præfixus est ab homine, *l. Celsus ff. h. tit.* in judiciis vero potest, *l. sancimus C. de fidejuss.* Quarta quæ fere consequuntur latam ab arbitro sententiam, dum partes non tenentur præcise stare laudo seu sententiæ arbitri, sed possunt ab ea recedere, etsi pactæ sint de non recedendo, *l. penult. §. sin autem C. h. tit.* Pirh. *cit. num* 9. sententiæ autem Judicis stare tenentur, si pactum sit de appellando, *l. fin. C. de temp. appell.* Item ex laudo neque actio, neque exceptio rei vindicatæ datur, sed solum pœnæ petitio, *l. 2. C. h. tit.* nisi laudum expresse vel tacite approbatum, *l. penult. C. eod.* datur autem actio & exceptio ex sententia Judicis *tot. tit. ff. & C. de re judicat.* Item laudum seu pronunciatio arbitri non infamat condemnatum, *l. quid ergo §. ex compromisso ff. de his qui not. infam.* Siquidem de crimine, quod infamat, cognoscere nequit; sicut e contra sententia Judicis lata super delicto famoso infamat *l. 1. & l. 4. ff. eod.*

QUÆSTIO MXCI.

Quinam in arbitros compromittere possint?

RESp. Primo in genere: regulariter omnes, qui rerum suarum liberam dispositionem habent, ut de iis, etiam alienando, disponere possint, possunt etiam compromittere. E contra super rebus, quas alienare non potest, nemo compromittere potest, dum compromissum alienationem inducit. Argument. *l. non solum C. de prædiis minor. & cap. cum tempore h. tit. & ibi* Abb. *loc. cit. num.* 3. Barbos. *num.* 2. Pirh. *h. tit. num.* 10. Ita ut compromissio, non secus ac transactio (cujus aliqua species est compromissio, & cui æquiparatur, cum ambæ tendant ad eundem effectum. Host. *in sum. h. tit. num. 7.* Molin. *tr. 5. de Just. & Jur. disp. 40. num* 6.) facta a non potente alienare sit omnino invalida. Quod tamen Molin. *loc. cit.* Pirhing *h. tit. num.* 10. Wiestner. *num.* 14. Reiffenst. *num.* 35 intelligendum ajunt cum effectu, dum nimirum compromissum actu inducit alienationem, seu translationem rei ab eo, qui illam alienare non potest; alioqui, si res permaneat apud illum (intellige vi compromissi latæque a compromissario sententiæ;) ita ut, si pars succumbens teneatur solummodo solvere pecuniam alteri parti, compromissio & sententia dicta sit valida. Unde jam

2. Resp. secundo in specie: compromittere nequeunt in forma compromissi inducentis alienationem furiosus & prodigus, *l. diem §. 5.* Pupillus sine authoritate tutoris, præterquam, si fidejussorem dedit, a quo postea peti potest, *l. si pupillus ff. h. tit. num.* 11. Minor pubes habens curatorem super rebus immobilibus iisque æquiparatis sine authoritate curatoris & Judicis decreto. Zoes. *in ff. de recep. arb. num.* 6. Pirh. *loc. cit.* Wiestner. *h. tit. num.* 15. Si tamen curatorem non habet, tenetur stare compromisso aut pecuniam solvere, non secus ac major. Pirh. *ibid.* Argum. *l. Labeo* juncta Gl. *v. commissa*. Licet, si læsus fuerit ex sententia compromissarii, subveniri ei possit per beneficium restitutionis in integrum. Pirh. cum Molin. *loc. cit. num.* 8. Servus, *l. non distinguemus §. si Servus ff. h. tit.* Tutores & curatores super rebus pupillorum & minorum, quas sine solennitate alienare nequeunt. Abb. *in cap. cum Tempore h. tit.* Gonz. *ibidem num.* 10. Pirh. *cit. num.* 11. Procurator sine speciali mandato, *cap. per tuas h. tit.* Abb. *ibid. num.* 2. Marant. *de ord. judic. part. 4. dist. 14. num.* 4. & si absque mandato compromisit, contra ipsum agi & executio fieri potest ac debet, *cit. cap. per tuas*. Abb. *ibid. num.* 6. Prælatus sine consensu capituli aliisque solennitatibus requisitis ad alienationem. Abb. *in cap. cum tempore num. 3. in fine*. Pirh. Wiestner. *LL. cit.* uti nec compromittere potest super libertate & privilegio exemptionis sui monasterii, ut constat ex *cit. cap. cum tempore*. Cum huic privilegio sine licentia Papæ renunciare nequeat. Wiestner. *h. tit. num.* 14. Reiffenst. *num.* 35. Pirh. *num.* 10. Clericus v. gr. Parochus aut alius beneficiatus sine consensu Episcopi in præjudicium suæ Ecclesiæ vel beneficii compromittere nequit *cap. pervenit h tit. & ibi* Gl. *fin.* Quamvis id possit de bonis suis patrimonialibus, aut etiam redditibus ecclesiasticis, quos fecit jam suos, seu quorum alienatio illi interdicta non est. Pirhing. *num.* 11. Religiosus, etiam administrationem habens, sine consensu sui superioris. Host. Pirh. *LL. cit.* Vasallus de feudo sine licentia domini directi, dum agitur de feudo transferendo. Host. *in sum. h. t. num.* 7. Curtius *de feudis par. 4. n quæst.* 8. Pirh. *loc. cit.* Ac denique mulier, etsi compromittere possit super re sua, non tamen pro alio, *l. non distinguemus & ibi* Gloss. magna *ff. h. tit.* Pirhing. *cit. num.* 11.

QUÆSTIO MXCII.

Quinam esse possint arbitri?

1. RESp. primo: Generatim loquendo omnes, qui specialiter non reperiuntur jure prohibiti, cujuscunque sint dignitatis, gradus, conditionis. *L. Labeo §. fin. h. tit.* est enim edictum de arbitris prohibitorium, nimirum certarum personarum, non secus ac edictum de Judicibus, *l. cum Prætor ff. de Judiciis*, quo qui expresse non prohibetur, per consequentiam admittitur, *c. cum apud de sponsal.* juxta Gl. *v. prohibitionum*. Tholos. *paratit. Juris Can. l. 5. tit. 4. c. 6.* Pirh. *h. t. num.* 12.

2. Resp. secundo in specie de quibusdam, de quibus forte magis dubium esse posset. Eligi in arbitros possunt etiam infames *c. infames §. cognitores 3. quæst. 7. l. Pedius ff h. tit.* Pirh. *l. c.* non est enim arbitrium pertinens ad dignitatem, quæ infamibus non patent. Zoes. *ff. h. t. nu.* 11. Item non tantum ingenui, sed etiam libertini *cit. l. Pedius*. Item filiifamilias, etiam in re patris, cum etiam Judices esse possint, *l. cedat & seq. ff. eod. cit. cap. infames §. filius* in publicis enim (quale est officium Judicis) filiusfamilias loco patrisfamilias habetur, *l. filiusfamilias ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt*. Item non solum privati, sed etiam in Magistratu constituti, *l. 3. §. ult. & l. seq. ff. h. tit.* Zoes. *ff. h. tit. num.* 15. Pirh. *num.* 12. *in fine* qui tamen dum ibidem addit, tales tamen cogi non posse, ut arbitrium recipiant, videtur id intelligere, etiam dum eliguntur in arbitros necessarios; nam alias nihil speciale diceret, dum etiam privati cogi nequeant, ut sint compromissarii seu arbitri voluntarii. Ac denique secundum Jus Canonicum partes compromittere possunt in Judicem suum proprium competentem, sive ordinarium, sive delegatum, ut arbitrum, sive ut causam, quæ coram illo tanquam Judice proprie tali agitur, tanquam Judex arbiter definiat. Gl. communiter recepta *in cap. cum tempore h. t. v. Magdeburgensis* Pirh. *h. t. num.* 13. Wiestner. *num.* 28. Et quidem quo ad Judicem ordinarium sumitur *ex cit. c. cum tempore* juncta Gl. *v. cit.* Abb. *ibid. num.* 5. & clarius *ex cap. ex parte h. tit.* ubi partes compromiserunt in Archiepiscopum Coloniensem, qui erat ordinarius compromittentium, uti & ex *c. penult. eod.* ubi compromiserunt in Cardinalem Legatum Sedis Apostolicæ, Legati autem a latere sunt Judices ordinarii. Quo ad Judicem vero delegatum sumitur ex *cap. cum olim h. tit. & cap. ex literis de præsump.* ubi partes compromiserunt in Judicis delegatos tanquam arbitros super causa illis antea delegata. Porro circa hæc notanda sequentia. Primo, quod tali compromisso in Judicem proprie talem, is deinceps recusari nequeat, neque ab ejus sententia appellare. Laym. *in cit. c. cum olim num.* 1. Pirhing *nu.* 13. Secundo, facto compromisso in Judicem proprium vel etiam tertium aliquem, Judicis proprii potestas ordinaria vel delegata non extinguitur, etiam quo ad eandem causam. Abb. *in cap. innotuit h. tit. a num.* 5. Molin. *loc. cit. disput.* 39. *num.* 8. Pirh. *h. tit. num.* 14. Unde partes, si velint, possint relicto compromisso (utpote quod ab eorum voluntate libere dependet & in fieri & in facto esse seu continuari) si res adhuc est integra, non tantum ab illo tertio, sed etiam a Judice proprio delegato quam ordinario ad eundem ut Judicem proprie talem redire. Quin &, ut Pirhing *num.* 14. potest actor, reo invito, causam coram eodem Judice delegato prosequi; cum ejus jurisdictio proprie judicialis non fuerit per dictum compromissum extincta, utpote authoritate publica concessa per rescriptum justitiæ, quæ rescripta suapte natura sunt perpetua juxta *l. 2. C. de diversis rescript.* Unde etiam, si per arbitros electos a partibus causa non expediatur, potest illam Judex etiam delegatus reassumere. Tertio partes relictis Judicibus ordinariis ita in arbitros compromittere possunt, ut tamen hi Judices retineant potestatem compellendi partes ad observandum arbitrium. Argum. *cap. innotuit. h. tit. & ibi* Laym. *num.* 2. Quarto, Judex in quem compromissum ut arbitrum, in dubio, num in causa processerit ut Judex, num ut arbiter, censendus est processisse ut Judex, si fecerit, quæ arbiter facere non potest; siquidem duplicem habens potestatem in dubio censeri debet usus esse ea, vi cujus actus sustineatur, & valeat eo modo, quo potest. Pirhing *num.* 15. cum Fagn. *in cit. cap. ex parte a num.* 34. Quinto: ubi causa aliqua delegata Judici in favorem publicum (secus, si in favorem privatum) non possunt partes compromittere in eum, ut tanquam arbiter causam definiat; neque etiam, eo relicto, in arbitrum alium; quia privati favori publico renunciare non possunt. Argum. *c. ad Apostolicam de regular.* Molin. *l. ult. cit.*

3. Dixi: secundum Jus Canonicum: quia Jure Civili, nempe *L. sed si §. 1. ff. h. tit.* prohitum, ne Judex ordinarius recipiat arbitrium rei, in qua est Judex, qua tamen lege non prohiberi, quo minus Judex delegatus suscipiat arbitrium, ait Molin. *cit. disp.* 39. *num.* 7. De cætero legem illam conciliare cum Jure Canonico diversimodo laborant AA. Ac primo quidem cum Gl. *in. cit. L.* Engels *h. tit. num.* 8. vult eam uti & alios similes textus loqui, non de arbitro proprie tali, sed de arbitratore. Secundo alii, ut Gonz. *in cap. cum sine num.* 18. Fagn. *in cap. ex parte h. tit. num.* 28. Pirhing *h. tit. num.* 13. Vallens. *h. tit. §. 3. num.* 2. cum Gl. *in cap. cum tempore v. Magdeburgensis*, & Abb. *ibidem num.* 6. volunt illam intelligendam de arbitrio proprie tali, eaque tamen solum prohiberi, ne Judex se offerat, aut jubeat in se compromitti, non vero prohiberi, illum acceptare compromissum, quod partes sponte ac libere ei deferunt, probantque id ipsum ex illis verbis legis: *inve se compromitti jubere prohibetur*, ubi particulam *inve*, non disjunctive sed copulative accipiendam volunt, ut Pagn. *loc. cit.* Affert etiam pro hac sententia hanc rationem ex Fagn. *num.* 32. Pirh. Quod lex civilis dubia juxta determinationem Juris Canonici sit accipienda; eo quod cum in dubiis recurratur ad consuetudinem optimam legum interpretem; potiore jure recurri in iis possit ad Jus Canonicum, utpote majoris authoritatis quam consuetudo, cumque constituenda non sit differentia inter Jus Civile & Canonicum, nisi ubi id clare expressum; adeoque cum hic articulus in Jure Canonico clare sit expressus, & lex civilis super eo dubia, hæc interpretanda juxta Jus Canonicum. Nihilominus, hoc non obstante, Wiestner. *h. tit. num.* 43. *in fine*, cum Anton. Blanc. *de compromiss. quæst.* 2. *num.* 47. Pet. Barbos. *in l. 1. ff. de Judic. art. 1. num.* 244. & Haunold. quos citat, rejectis istiusmodi reconciliationibus, fatetur aperte SS. Canones hoc in puncto recedere a legibus, & *cit. cap.* duos casus diversos prohiberi, nimirum & juberi, seu partes cogi ad compromittendum in se a Judice, & arbitrium sponte ab iis delatum suscipere.

QUÆSTIO MXCIII.

Quinam prohibeantur esse arbitri?

1. RESp. sequentes: Primo furiosus extra lucida intervalla, si forte talia habet: Surdus, mutus, pupillus. *L. sed etsi ff. h. tit.* Secundo servus, sive solus, sive cum aliis. *L. Pedius §. 1. ff. h. tit.* nisi forte communiter habitus pro libero. Argum. *L. Barbarius ff. de off. Prætoris*, vel nisi jam liber factus sententiam dixerit, partibus de novo in eum consentientibus, *cit. L. sed etsi*; Tertio minor 20. annis *L. cum lege ff. h. tit.* ubi etiam *§. fin.* Quod si major 20. annis, minor tamen 25. annis compromissum acceptans læsus fuerit arbitrando, restituatur in integrum.

2. Quarto mulier jure communi, uti fungi non potest officio Judicis (cum fœminæ ab officiis omnibus civilibus publicis remotæ, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire possint. *l. fœminæ ff. de Reg. Jur.*) ita nec arbitrium dicere possunt. *l. fin. Cod. h. tit.* Dum arbitraria ad similitudinem judiciorum redacta sunt *l. 1. ff. eod.* Sed neque hanc potestatem jure communi ei denegatam partes conferre possunt; cum pactis privatorum juri publico derogari nequeat juxta *cap. si delegati de foro compet.* Quod si tamen partes, etsi invalide, compromiserunt in fœminam ut vere arbitram, idque compromissum juramento confirmassent, illud servandum esset, & standum pronunciato fœminæ, non quidem in vim ipsius sententiæ, quasi hæc vim haberet aut authoritatem juris, sed in vim pacti jurati, quod, cum non sit contra bonos mores naturales, & sine peccato servari possit, stando nimirum arbitrio seu judicio fœminæ, omnino servandum esse, tenent Imol. *in c. dilecti h. tit. num.* 2. Beroius *num.* 6. Quorum sententiam probabilem dicit Pirh. *h. tit. nu.* 19. *in fine*. Nisi tamen mulier jurisdictionem haberet de jure communi, eamque per se exerceret. V. gr. ad

quam

quam jure hæreditario ac proprio pertineret Regnum, Ducatus, Comitatus, coi annexa jurisdictio; tunc enim, uti Judicis proprie talis, ita & arbitri officio fungi possit. Vel etiam de consuetudine regionis alicujus, aut privilegio. V. gr. dum Reginæ, Ducissæ non solum obtinent dignitatem, sed & jurisdictionem aliquam participant, uti est casus *cap. dilecti h. tit.* Ubi ab Abbate quodam Cisterciensi & Hospitalariis ex altera parte compromissum in Reginam Galliæ, & *ibi* Abb. *num.* 4. Innoc. *num.* 1. Molin. *cit. disp.* 39. *num.* 4. Pirhing *h. tit. num* 18. Tunc enim hac via acquisita potestate judicandi, accessorie quoque acquisita censetur potestas arbitrandi; cum hæc non tantum illi æquiparetur, sed & in ea ut pars in toto includatur. Abb. *loc. cit. num* 5. Pirh. *loc. cit.* Limitanda ulterius dicta hæc de fœmina & restringenda ad arbitrium proprie tale, quod fit servato, saltem ex parte, ordine judiciali, habetque authoritatem sententiæ judicialis, & quasi jus facit, quod habere non potest mulier, potest tamen esse arbitratrix in contractu aliquo aliove actu extrajudiciali; cum tale ejus arbitramentum seu compositio, neque secundum terminos juris, neque merita causæ fieri necesse sit. Abb *loc. cit. num.* 2. & *in cap. Quintavallis de jurejur. num.* 2. Molin. *loc. cit. num.* 4. Laym. *in cap. dilecti h. t. n.* 2. Pirh. *n.* 19. Wiestner. *h. t. n.* 20.

3. Quinto excommunicatum notorie non toleratum, sed vitandum, uti non potest esse Judex, ita nec arbitrum proprie talem, prolatumque ab eo arbitrium, non secus, ac judicialem sententiam invalidam esse. Argum. *cap. ad probandum de sent. & rejudic.* cum communi tenent Abb. *in cap. Quintavallis num.* 27. Molin. *loc. cit. num.* 6. Castrop. *tr.* 29. *disp.* 2. *part.* 14. §. 2. *num.* 3. Ugol. *de cens. tab.* 12. *cap.* 11. §. 6. *num.* 2. Pirh. *h. tit. num.* 24. eo quod a communione fidelium exclusus sit. Idem de arbitratore & amico compositore sentit Pirh. citatis Abb. Mol. *ubi ante*. Negant econtra Castrop. Ugol. *LL. cit.* citatique ab iis; eo quod nullo jure sit irritatum arbitramentum factum ab excommunicato non tolerato, utpote quod non profertur observata forma judicis. Quinimo negat idipsum de proprie dicto arbitrio compromissario, etsi admittat de arbitro necessario seu juris Wiestner. *h. tit. num.* 18. citans pro hoc Suar. *de cens. disp.* 16. *s.* 1. *num.* 6. *in fine*, eo quod licet susceptio compromissi & laudum seu arbitrii prolatio perinde fere ac actio, procuratio, testificatio in judicio interdicta sit excommunicatis vitandis, arbitrium tamen & cætera ab eo, perinde ac ab actoribus, procuratoribus ac testibus in judicio acta jure irritata non sint; cum laudum, etiam ordine judiciario privato prolatum sententia judicialis non sit, neque sicut ad hujus in Judice, ita ad arbitrii valorem in arbitro exigatur jurisdictio, ob cujus solius defectum in excommunicato vitando lata ab eo sententia actaque cætera judiciaria irrita & invalida sunt.

4. Sexto: Laicus neque esse arbiter etiam compromissarius in causa spirituali, ut constat ex *cap. contingit. h. tit.* Ubi generaliter prohibetur, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum, adjecta ratione: *quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur*. Et negotia ecclesiastica ecclesiastico judicio sint reservata *cap. decernimus de Judiciis* Felin. *ibid. num.* 8. Gratian. *discept. for. cap.* 379. *a num.* 1. Marant. *de ordin. judic. part.* 4. *dist.* 13. *num.* 11. Sed neque incidenter de talibus compromitti potest in laicum; cum ne incidenter de Spiritualibus cognoscere possit *cap. penult. de ord. cog.* Gloss. *in c. contingit v. in spiritualibus* Innoc. *ibid. num.* 1. Pirh. *h. tit. num.* 21. Neque etiam authoritate Episcopi; cum nullius inferior Papa possit laico committere causam spiritualem, adeoque nec potestatem dare, ut de re seu jure spirituali compromittat in laicum; cum inferior non possit constitutionem superioris (qualis est ista *cit. cap.* respectu inferioris Papa) tollere aut immotare Fagn. *in cit. cap. contingit num.* 5. Pirh. *cit. num.* 21. *in fine*. Estque tale compromissum, non tantum illicitum, sed & ipso jure invalidum Pirh. *num.* 21. cum Gloss. *in cit. cap. contingit v. spiritualibus* eo quod verba *non posse*, quibus utitur summarium *cit. cap.* negent potentiam seu potestatem juxta doctrinam communem Glossæ *in cap.* 1. *de Reg. Jur. in* 6. *v. non potest*.

5. Limitanda tamen hæc sunt primo: ita ut authoritate seu consensu superioris seu Judicis ecclesiastici compromissum de causis spiritualibus fieri possit in laicum simul & clericum, *cap. per tuas h. tit.* Gloss. *in cap. contingit v. spiritualibus*. Pirhing *h. tit. num.* 22. Idque, tametsi laici sint plures quam clerici. Argum. *cap. per tuas*. Ubi arbitri duo erant laici, unus clericus. Abb. *ibidem num.* 3. Mo-

lin. *cit. disp.* 39. *num.* 10. Pirhing. *num.* 22. *in fine*. His non obstante, quod Judex ecclesiasticus ordinarius. V. gr. Episcopus, non possit causam ecclesiasticam delegare laico una cum clerico, seu constituere eos in ea Judices delegatos; quia judicare in causa spirituali est actus jurisdictionis spiritualis, cujus citra concessionem a Papa factam ex plenitudine potestatis capax non est laicus, adeoque nec ejus capax redditur ex adjunctione clerici. Arbitrium autem ferre, uti & consilium dare super causa spirituali non est jurisdictionis, sed neque spiritualis. Abb. *in cap. contingit num.* 4. Jo. And. *in cap. per tuas num.* 12. Pirhing *LL.* uti id colligitur ex *cit. cap. per tuas*. Dum dicitur ibi: *non decet, ut arbitretur*. Adeoque satis indicatur, non esse absolute incapacem. Item ex eo; quod passim sæculares & laici in consistoriis Episcoporum sint Consiliarii, Assessores. Limitanda secundo, quod licet laici esse nequeant arbitri in dictis causis, possint tamen esse arbitratores juxta probabiliorem & communiorem, quam tenent cum Durand. *in specul. lib.* 1. *part.* 1. *tit. de arb. & arbitrat.* §. *restat. num.* 2. Jasone *in L. quoties C. de judiciis num.* 19. Covar. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 2. Fagn. *in cap. contingit num.* 20. aliisque ab eo citatis. Pirhing *h. tit. num.* 23. Wiestner. *num.* 25. contra Abb. *in idem cap. num.* 5. eo quod præterquam in *cit. cap.* non sit sermo nisi de arbitro, arbiter procedat ad instar Judicis servato ordine judiciario, seu per viam cognitionis judiciariæ & authoritativæ definitionis, adeoque arbitrando sibi assumat cognitionem causæ, quod laicis in causis spiritualibus permissum non est. Arbitrator vero sine ordine judiciario, & non per viam jurisdictionis, publicæ cognitionis & authoritativæ definitionis, sed per modum ministerii & cognitionis mere privatæ, quod sibi videtur proferendo, ejusque arbitramentum sententia non est, neque quasi sententia, sed amicabilis tantum inter partes intercessio ac ministeriale implementum compromissi. Neque etiam *in cap.* 2. *de judiciis*. Universaliter prohibeatur laicis tractare negotia ecclesiastica; cum etiam in iis laicus esse possit procurator. *cap.* 1. *de procur. in* 6. sed solum tractare illa judicando, disponendo de iis. De cætero laicus non prohibetur esse arbiter proprie talis (etiam absque assensu superioris, ut Abb. *in cap. dilecti num.* 8.) in causis civilibus & temporalibus clericorum, ut constat ex *cit. cap. dilecti & cap. exposita h. tit. & ibi* Gloss. *v. cum parte altera*, item ex *cap. contingit*, a sensu contrario. Dum enim ibi tantum prohibeatur compromitti in laicum in causis spiritualibus, consequenter id permittitur in temporalibus; cum, uno oppositorum specialiter prohibito, alterum permissum censeatur, *l. si inter ff. de except. rei judic.* Sed neque hac ratione clericus compromittens in laicum subjicit se jurisdictioni laici contra privilegium fori ecclesiastici; quia arbiter non habet jurisdictionem, sed notionem quandam; unde nec dici potest, prorogare clericos hoc modo jurisdictionem laici in eo, quod non potest, ne quidem de authoritate Episcopi juxta *c. significasti de foro compet.*

6. Septimo: Religiosus privatus nequit esse arbiter compromissarius. Gloss. *in l. Pedius §. ult. ff. h. tit.* Durand. *tit. de arb.* §. *sequitur a num.* 29. Pirhing *h. tit. num.* 24. Cum dictum arbitrium referat formam judicii, & Monachus esse non possit forensis judicii susceptor. Nisi tamen id exposcat monasterii sui utilitas, accedente superioris consensu, *cap. præsentium cap. monach. caus.* 16. *quæst.* 1. Multoque magis ex dicto consensu esse potest arbitrator, cum arbitramentum ut sæpe dictum, non requirat formam judicii. Abb. *in cap. Quintavallis de jurejur. num.* 13. Molin. *l. c. num.* 5. Pirh. *cit. num.* 24.

7. Denique sicut nemo in re propria esse potest Judex, sic neque arbiter; quia sibi jus dicere nequit, aut sibi imperare, *l. penult. ff. h. t. & ibi* Gloss. *v. imperare*. Potest tamen in re propria esse arbitrator, *l. veluti ff. pro socio*. Mol. *cit. d.* 39. *n.* 9. Pirh. *h. t. n.* 24.

QUÆSTIO MXCIV.

Quot assumi possint arbitri, & qualiter standum compromisso, dum inter se discordant?

1. RESp. ad primum: potest compromitti tam in unum quam in plures, eosque vel in pari vel impari numero, *cap. 2. & cap. innotuit. l. item si unus §. si in duos ff. h. tit.* Gloss. *in cap. 1. h. t. v. unus* Abb. *ibid. n. 2.* Quamvis consultius sit, ut, dum assumuntur plures, assumantur in numeru dispari. Arg. *c. 1. h. t.* ut vel sic facilius terminetur controversia, quam si in pari numero electi discordarent, sæpe nihil concluderetur.

2. Resp. ad secundum primo. Si omnes inter se discordent. V. gr. in taxanda aliqua quantitate pecuniæ, standum est pronunciato illius, qui minimam determinat; quia in hac minima parte consentiunt omnes, ut habet textus *cap. 1. h. tit. in 6.* & plus semper continent in se, quod minus est. *Reg. 35. Iur. in 6.* Adeoque qui condemnavit ad 15. condemnavit etiam ad 5. & in obscuris semper sequimur, quod minimum est, *l. semper ff. de Reg. Jur.* & si in diversis summis condemnent Judices minima spectanda est, *l. inter pars ff. de judic.* Quod si tamen unus aut alter pronunciet, quod (dum v. gr. reus condemnandus in certam summam) condemnari non possit minoris quam v. gr. in 12. jam clare patet, illos non consentire cum aliis condemnantibus illum in 6. vel 8. Adeoque non consentire omnes secundum quid seu in summam minorem contentam in majure. Unde tunc arbitrium non valere, cum Zoes. *ff. h. tit. num. 26.* Laym. *in cap. 1. h. tit. in 6.* ait Pirhing *num. 29.* De cætero his non obstat, quod qui majorem quantitatem determinavit, protestetur expresse, quod nolit consentire in minorem summam; cum protestatio contra ea, quæ non ex voluntate partium, sed juris dispositione dependent, nihil operetur. Argum. *L. cum in plures §. locator. ff. locati*. Gl. recepta *in L. alimenta C. de negot. gestor. v. ostendemus*. Pirhing *h. tit. num. 39.* Barbos. *axiom. 194. num. 1.* Reiffenst *h. tit. num. 53.* Limitanda nihilominus responsio, ut non procedat in arbitratoribus, aut etiam in iis, qui sunt assumpti ad declarandum pretium rei, vel mercedem. Hi enim, si discordent, non statur ejus arbitramento, qui minimam quantitatem pronunciavit, sed omnium pronunciatum est invalidum. Pirhing. *num. 40.* citans Francum *in cap. 1. h. tit. in 6. num. 3. limit. 2.* Covar. *l. 1. var. resol. c. 2. num. 6.*

3. Resp. ad secundum secundo: si in numero impari electi arbitri inter se discordent, standum est sententiæ majoris partis eorum. V. gr. Si duo condemnent Titium in decem, unus in 5. prævalere debet sententia duorum condemnantium in decem. Ita habet textus *cap. 1. h. tit. in 6.* Sic tam in Curiis & Comitiis quam judiciis, quorum formam imitantur arbitria, statutum, ut id obtineat, quod major suffragiorum & suffragantium numero decretum juxta *cap. 1. de iis, quæ fiunt a majore part. Capit. & l. quod major. ff. ad municipal.* Porro pars major non est accipienda comparatione facta ad partem aliam minorem, sed ad totum numerum. V. gr. super re controversa inter tres assumpti sunt arbitri 9. tres pronunciant pro Titio, duo pro Cajo, quatuor pro Sempronio, non valebit arbitrium horum quatuor, tametsi enim sunt major pars respectu aliarum partium minorum, non sunt tamen major pars totius hujus numeri novenarii arbitrorum; quia eorum quinque steterunt pro aliis. Valeret autem si pro uno pronunciassent quinque, pro altero tres & pro tertio unus. Considerantur enim omnes per modum unius corporis seu Collegii, cujus pars major concordare debet, ut contingit in electione. Pirhing *h. t. num. 39.* citans Lapum *in cap. 1, h. t. in 6.*

4. Resp. ad secundum tertio: Si in duos taliter compromissum, ut si ipsi ab invicem discordent, tertium aliquem incertum ab ipsis tunc prius, postquam discordarunt, nominandum assumant, tale compromissum indeque secutum laudum non valet. Secus, si illis concessum in casu istius discordantiæ assumere certum ipsis jam ante nominatum. V. gr. Sempronium *cap. innotuit. h. tit.* juncta Gloss. fin. Abb. *ibidem num. 8.* & AA. communiter, *l. item si unus §. si in duos ff. h. tit.* Ratio ita statuendi & irritandi tale compromissum & laudum fuit periculum novæ dissentionis, & emergentia inde inconvenientia, dum nimirum in assumendo illo iterum discordare possent, si tertius ille assumendus non esset illis antecedenter determinatus, atque ita ex discordiis novis natis lites protraherentur. Sed neque, quo minus tale compromissum & laudum jam ab initio fuerit invalidum, manetque deinceps tale, impeditur per hoc, quod duo isti arbitri in assumendo illo tertio concordent; est enim id quasi per accidens ad dicta jura, quorum intentio sic statuendi & invalidandi hæc fuit, ne in Tertio illo assumendo possent discordare, ac ita leges protrahere, quæ ratio semper urget, sive illi postea in illo tertio assumendo discordent, sive conveniant; cum semper verum fuerit, quod potuerint discordare. Ita cum Gloss. fin. *in cit. cap. innotuit.* Abbate *ibidem num. 3.* Bartolo *in cit. §. si in duos*. Durand. *tit. de arb. §. fin. num. 20.* Molin. *tr. 5. d. J. disp. 42. num 5.* Pirhing *h. tit. num. 42. not. 6.* Reiffenstuel *h. tit. num. 54. & 55.* uti id ex *cit. cap. innotuit.* constare videtur; ubi sententia concors illius tertii assumpti altero illorum duorum arbitrorum vi talis compromissi lata nulla esse dici videtur. Contrarium nihilominus sentiente *in cit. cap. innotuit.* Laym. *num. 4.* cum aliis apud Molin. *loc. cit.* Nimirum tale compromissum non esse irritum absolute & in se, sed propter modum illum adjectum, ut, si discordent, assumant tertium. Qui modus habendus pro non adjecto, si illi non discordent, sed concorditer arbitrentur. Quam sententiam, quoque probabilem dicit Pirhing. Ad illud, quod in contrarium objicitur ex *cap. cum a nobis h. tit.* Dum *ibi* dicitur, quod valeat compromissum factum in unum vel plures, ut ipsi vel per se causam definiant, vel per alios, quos ipsi elegerint, quamvis dicat Gloss. *ibidem v. mediatores*. Mediatores illos non fuisse veros arbitros, sed arbitratores aut amicabiles compositores, qui de plano sine ordine judiciario concordiam inter partes procurarunt, in tales autem arbitratores valide compromitti posse, ut in casu discordiæ eligant tertium incertum, quem illi voluerint, eo quod, si iniquum eorum arbitramentum redigatur ad æquitatem per arbitrium boni viri seu Judicis. Melius tamen dicitur cum eadem Gloss. *in 2. respons.* Abbate *in idem cap. num. 1. in 2. fout.* & Imol. *num. 2.* Pirh. *h. tit. num. 45.* Quod in hoc *cap.* detur ab initio & absolute, non vero in casu discordiæ (de quo loquitur *cap. innotuit.*) vi compromissi potestas arbitris, ut ipsi, si nolint per se proferre arbitrium, ad id faciendum substituant sibi alium unum vel plures; & sic cessaro periculum litis nimis diu protrahendæ, cæteraque dicta inconvenientia. Unde jam etiam patet nihil in contrarium urgere textum, *l. si unus §. principaliter ff. h. tit.* Dum ibi dicitur: *usitatum est etiam in duos compromitti, & debet Prætor cogere arbitros, si non consentiant, personam certam eligere, cujus authoritati pareatur &c.* Quia tale arbitrium a principio fuit validum, eo quod simpliciter in duos compromissum, adeoque non mirum, quod ex post facto teneat quoque compromissum, quamvis per Judicem cogatur eligi tertius, ut aliorum duorum arbitrorum dissensione non protrahatur controversia.

QUÆSTIO MXCV.

An & qualiter requiratur præsentia omnium arbitrorum, quando profertur laudum?

1. RESp. primo: ut sententia prolata a majore eorum parte sit valida, omnes omnino, etiam discordantes, præsentes esse, ubi ea profertur, requiritur de Jure civili juxta expressum textum, *l. item si unus §. fin. ff. h. tit.* Non secus, ac dum plures sunt Judices delegati, sententia, prolata a cæteris etiam concorditer, vel uno eorum absente, non valet, quia omnes jussi sunt judicare, *L. duo ex tribus ff. de sent. & re judic.* Unde etiam nullum arbitrorum, dum alii aut unus eorum absunt, cogitur sententiam suam dicere, *cit. l. item si unus §. item si plures*. Atque ita bene dicit Pirh. *h. t. num. 34.* hunc esse casum specialem, in quo plus operetur (nimirum ad invaliditatem sententiæ) absentia quam præsentia cum contradictione; cum uno contradicente, nihilominus valeat sententia reliquorum. Num vero omnes præsentes debeant quoque suam singuli proferre sententiam, in eo non ita conveniunt AA. Valere arbitrium a duobus latum tertio præsente arbitro, sive is sententiam suam proferat, sive taceat cum in textu *cit. L. non exprimatur*, censet Gloss. *ibid.*

ibid. §. *fin. v.* & *tertius*. Requiri tamen videatur in *L. sicut ff. eod.* juncta Gloss. v. omnes, ut omnes arbitrium proferant, sicut quilibet ex Judicibus delegatis sententiam suam ferre debet.

2. Resp. secundo: tametsi quo ad Judices delegatos servandum quoque Jus civile, nimirum ut si tres delegati sint simpliciter sine clausula: *si non omnes possint aut velint, reliqui procedant*: duo tertio absente, in causa delegata procedere non possint, ut habetur *c. ut quæstionibus h. t. in 6. in fine* juncta Gloss. fin. De arbitris tamen contrarium statutum est Jure Canonico, nimirum *cit. cap. ut quæstionibus*. Ut si v. gr. ex tribus arbitris a partibus assumptis (intellige simpliciter, ut Gloss. *ibid. v. electis*) unus legitime requisitus ad causam, super qua in eos compromissum, una cum aliis, pronunciata sua sententia, definiendam, absque legitimo impedimento interesse nolit, hoc casu alii duo, utpote penes quos totalis tunc remanet potestas, libere procedant, & negotium absque tertio, non obstante ejus voluntaria vel malitiosa absentia, definire possint. Ratio disparitatis hoc in puncto inter Judices delegatos & arbitros varia assignatur a Pirh. *h. tit. num.* 35. Nimirum, quod arbitri eligantur a partibus, quique pronunciare possunt, quod iis videtur. Benignius iis providere voluerunt Jura, & id, quod a compromittentibus iis concessum non est (nimirum, ut uno absente possint alii procedere valide) supplere. Idque, ut dicitur in *cit. cap. 2. h. t. in 6.* Ut lites (quæ propter arbitrorum voluntariam vel malitiosam absentiam plerumque hærent indecisæ) celerius finiantur. Quæ ratio locum non habet in Judicibus, utpote qui majore maturitate constituantur, quique juxta rigorem juris procedere debent, neque in judicando clementiores lege esse debent.

3. Varie nihilominus & hæc constitutio Juris Canonici limitanda venit. Ac primo quidem, ut solum servanda in foro ecclesiastico & civili in terris jurisdictioni Ecclesiæ Romanæ (vel etiam alterius, intellige, ecclesiæ) subjectis; in aliis vero locis in foro sæculari locum habeat constitutio illa Juris civilis. Gl. *in cit. cap. 2. h. tit. in 6. v. lex civilis* Molin. *tract. 5. de Just. disp. 42. num. 3.* Pirh. *h. tit. num.* 36. Secundo, ut nequidem in foro ecclesiastico locum habeat, ubi trium arbitrorum aliquis legitime impeditus abest. Gl. *loc. cit. v. impedimento*: Molin. Pirh. *LL. cit.* Tertio: ubi ex duobus arbitris unus, etiam citra legitimum impedimentum, abest; cum arbitrium latum a non majore parte sit invalidum. Gl. *loc. cit. v. pro præsente* Molin. Pirh. *LL. cit.* Quarto: ubi ita compromissum a partibus non valeat arbitrium, si unus absit, quomodocunque, sive legitime sive non legitime impeditus; cum totum compromissum pendeat ex compromittentium voluntate; & dispositio illa *cap.* 2. tantum loquitur de arbitris simpliciter assumptis absque contraria tali compromittentium voluntate; uti etiam propterea non vi hujus constitutionis præcise, sed ex positiva voluntate eorum possunt procedere cæteri arbitri in absentia unius vel alterius, si compromissum non simpliciter, sed adjecta clausula: *quod si non omnes*: sive *ut si non omnes possint, reliqui procedant*: in quo casu, si unus eorum negotium inchoavit, cæteri in eo se immiscere ulterius nequeant, nisi ob legitimum impedimentum non possit illud negotium prosequi, vel etiam citra impedimentum nolit, aut malitiose recuset illud prosequi. Argum. *cap. cum plures de off. deleg. in* 6. ubi ita statutum de pluribus cum tali clausula delegatis; quod extendi posse ad plures arbitros, cum Molin. *loc. cit. num* 7. ait Pirh. *cit. num.* 36. *in fine*. Denique ut locum non habeat in arbitris juris seu necessariis; cum hi magis accedant ad naturam Judicum delegatorum quam arbitrorum; & licet a partibus eligantur, potestatem tamen suam non habeant a partibus sed a Jure, adeoque non possunt partes aliam iis formam arbitrandi dare, quam a lege alias præscribitur hac in parte Judicibus delegatis, ita cum Franco *in cit. cap. 2. num.* 2. & 7. Pirh. *num.* 37. idem dicens de arbitratoribus. Qui etiam mox subjicit, quod, si compromissum in plures simpliciter, non exprimendo, qualiter sententiam ferre debeant, tunc in dubio præsumatur, actum, ut omnes simul arbitrentur, ita ut non valeat arbitramentum unius aliquo absente. Sed non satis video, cur in hoc casu, dum simpliciter compromittunt partes, nullam præscribentes formam compromisso & sententiæ ferendæ, non potius præsumendi sint compromittentes, se velle conformare & stare dispositioni illi Juris communis canonici, statuentis *cit. cap.* 2. ut si plurium arbitrorum aliquis absit sine legitimo impedimento, cæteri procedere possint.

QUÆSTIO MXCVI.

An dum compromissum in unum vel plures hac forma, ut arbitri consilium vel sententiam alicujus tertii exquirant, teneantur sequi in arbitrando illius consilium?

RESp. Tenentur illud exquirere, ita ut, si non exquirant, invalidum sit laudum; quia contra formam illis præscriptam pronunciatum; non tamen tenetur consilium illud sequi, seu conformare illi suam sententiam, *cap. cum olim h. tit.* dum enim ex obligatione legis, vel statuti, vel pacti tenetur quis in expeditione alicujus negotii exquirere consilium aliorum, non ideo tenetur illud sequi, sed satis est auditum vel petitum, & congruo tempore exspectatum. Non tamen propterea petitio illa est superflua; quia etsi obligatio sequendi illud, potest tamen consulentem illuminare, movere etiam ad sequendum, vel saltem deliberandum, an expediat illud sequi. Gl. *in cit. cap. v. sive discordet*. Secus tamen est, seu sequendum est consilium, ubi sic compromittentes voluerunt, quod ita voluisse, ubi id non expresserunt, præsumendum non est; cum arbitro libere dicendi sententiam facultas non adimi, sed relinqui debeat, ut id judicet, quod sibi justum & æquum videbitur, *l. item si unus §. inde Pomponius ff. h. t.*

QUÆSTIO MXCVII.

Compromissum qualiter perficiatur?

RESp. Perficitur solo consensu compromittentium & compromissariorum seu arbitrorum verbis aliisque signis externis, puta, nutu inter præsentes, scriptura seu per epistolam, vel per internuntium inter absentes manifestato. Fit quandoque compromissum per nudum pactum, estque contractus innominatus; quandoque per intervenientem stipulationem; qua partes se obligant ad standum definitioni & sententiæ arbitrorum, & tunc transit in contractum nominatum, & non nisi inter præsentes fieri potest. Quandoque fit adjecta pœna solvenda ab eo, qui arbitrio non steterit, interdum etiam firmatur juramento. Pirh. *h. tit. num.* 48. cum Molin *tr. 5. d. 32. a n.* 1.

QUÆSTIO MXCVIII.

Super quibus causis & rebus compromitti possit vel non possit?

1. RESp. primo: Super omni causa ac re compromitti potest, super qua expresse non prohibetur SS. Canonibus aut legibus compromitti; cum edictum de arbitris juxta dicta supra sit prohibitorium, nimirum certarum causarum. Molin. *l. c. d. 40. in princ.* Pirh. *h. t. num.* 25. cum communi.

2. Resp. secundo: Causæ, in quibus arbitri assumi nequeunt, sunt fere illæ, quæ ob sui gravitatem & præjudicii periculum majores Judices exigunt. Arg. *c. causa de in integ. rest.* & sunt fere sequentes. Primo causæ matrimoniales, maxime dum agitur de matrimonii carnalis vinculo, seu valore & invaliditate *cit. cap. causa* juncta Gl. *v. in matrimoniali* Molin. *loc. cit. dist. 40. num.* 4. Unde etiam Trid. *Sess. 24. cap. 20. de reform.* causas matrimoniales subtraxit Decanorum, Archidiaconorum aliorumque inferiorum, etiam visitantium judicio, ac solius Episcopi cognitioni & jurisdictioni reservavit.

3. Secundo causæ liberales, in quibus agitur de hominis libertate, ingenuitate, libertinitate, utpote quæ favore libertatis majores Judices habere debent, *cit. cap. causa* & *l. non distinguemus* §. *de liberali ff. h. tit.* intelligendo hæc de causis liberalibus stricte talibus, nimirum ubi quæritur, an quis servus, an liber, an ingenuus, an libertinus; non vero, ubi agitur solum de subjectione unius ecclesiæ ad aliam, super qua etiam arbitri cognoscere possunt juxta *c. cum olim de præscrip.* & *c. cum tempore h. t.* quamvis & de causis liberalibus stricte talibus, seu de causa status arbitri, ut & inferiores Judices incidenter cognoscere & arbitrari possint, juxta *l. cum proponas C. de reb. cred.* Molin. *l. c. n.* 2.

4. Tertio causæ criminales publicæ vel privatæ intentatæ criminaliter; hoc est, ad vindictam publicam seu pœ-

pœnam corporalem, vel etiam pecuniariam fisco applicandum, *cit. cap. causa & l. non distinguemus §. Julianus h. tit.* Neque enim privatorum arbitrio delatio accusatoris aut Judicis officium, sive judicialis inquisitio impediri, neque pœna remitti potest. Zoes. *ff. h. tit. num.* 19. Si tamen de crimine agatur solum civiliter, sive ad pœnam pecuniariam parti læsæ applicandam, potest in causa criminali ac famoso delicto compromitti in arbitros. Gl. *in cit. §. Julianus v. famoso delicto* Abb. *in cap. quintavallis de jurejur. num.* 1. & *in cap. causa num.* 4. Molin. *tr.* 5. *de Just. & Jur. d.* 40. *nu.* 1. Pirh. *h. t. nu.* 25.

5. Quarto in causa restitutionis in integrum decernendæ, *cit. cap. causa l. fin. C. ubi & apud quem* hæc enim solum coram Judice ordinario vel ejus delegato administrationem & jurisdictionem habentibus tractari & finiri potest juxta *cit. cap. causa* & quæcunque officio Judicis nobili exercentur, adeoque ad merum vel mixtum Imperium pertinent, arbitris committi non possunt, utpote nequidem simplicem jurisdictionem, sed meram cognitionem habentibus. Pirh. *num* 25. *in fine*, cum Abb. *in cit. cap. causa num.* 4. Nisi tamen talis causa cum causa principali arbitris commissa veniat incidenter. Et hæ sunt quatuor causæ enumeratæ in *cap. causa*, præter quas dantur & aliæ, ut

6. Quinto causa exemptionis ecclesiæ alicujus a jurisdictione ordinarii sine consensu Papæ, cui ea vi exemptionis immediate subjecta, compromitti nequit in arbitros in præjudicium exemptionis, cum id vergat in detrimentum Sedis Apostolicæ seu Ecclesiæ Romanæ, quippe ad cujus proprietatem pertinet talis ecclesia (dum enim Papa eximit ecclesiam ab aliis, consequenter eam suæ jurisdictioni immediate ac privative subjicit; eum ecclesia nulla possit esse acephala) pro ut hæc summantur ex *cap. cum tempore h. tit.* Quemadmodum & propterea exemptioni renunciare non potest Prælatus vel clerici exempti, pro ut dicitur *cit. cap. cum tempore* ubi; *etsi sponte voluerit, tamen nequiverit renunciare privilegiis sive indulgentiis libertatis.* Si tamen de ecclesiæ alicujus exemptione non agitur principaliter, quia constat illam exemptam esse, sed solum sit controversia, an Parochia aliqua vel Capella tali ecclesiæ vel Monasterio pleno jure sit subjecta vel incorporata, in arbitros compromitti potest. Argum. *cap. cum olim de præscript. & ibi* Abb. *num.* 18. Imol. *num.* 6. Innoc. *num.* 1. Renunciat enim tunc per compromissum ecclesia proprio suo juri, quod prætendit in illa Parochia, secus ac accideret in renunciatione exemptionis suæ manifestæ, cum jus illud exemptionis seu subjectionis immediatæ erga Sedem Apostolicam principaliter quoque spectet ad Ecclesiam Romanam. Adde, quod partes in iis, quæ concernunt tantum favorem earum, subjicere se possint arbitrio alicujus. Non potest tamen arbiter assumere cognitionem super privilegio Papæ, qui solus est Judex exemptorum, *cap. authoritate de privileg. in* 6. Pirh. *h. t. num.* 29. cum Fagn. *in cit. cap. cum tempor. num.* 9. & 10. & nemo inferior Papa de privilegio Sedis Apostolicæ cognoscere potest tanquam Judex *cap. cum venissent. de Judic.* qui autem Judex esse non potest, nequit quoque esse arbiter *l. cum lege ff. h. tit.* Porro quod dictum hic non valere compromissum super iis, quæ vergunt in præjudicium ecclesiæ aut superioris, id quoque dicendum de rebus ad communitatem aliquam. V. gr. regnum, civitatem, oppidum spectantibus, de quibus privati cives aut incolæ non possunt compromittere. Molin. *loc. cit. num.* 3. Pirh. *h. tit. num.* 29. Item dicendum de causis omnibus Papæ specialiter reservatis, ut super iis, quantumcunque velint partes & consentiant, arbiter intervenire nequeat. Abb. *in cit. cap. causa num.* 4. tales autem causæ Papæ reservatæ enumerantur a Gl. *in c.* 1. *de translat. Episcop. v. pertineant.*

7. Sexto super iis, quæ per sententiam indubitatam, quæ transivit in rem judicatam, nullo scilicet ab ea appellante aut supplicante, decisa sunt. Sumitur ex *cap. exposita h. tit.* sicut enim transactio, sic & compromissum non nisi super re aut jure dubio fieri potest. Spectat quoque vel maxime ad tranquillitatem publicam, lites semel decisas per sententiam Judicis, postquam hæc in rem judicatam transiit, non suscitari denuo, *l. si quis C. de reb. cred.* Dubia vero orta ex post super tali sententia interpretari & resolvere pertinet ad eum, a quo sententia prolata, *cap. inter alias de sent. excom.* & *L. fin. Cod. de LL.* Imol. *in cit. cap. exposita a num.* 2. Molin. *loc. cit. num.* 5. Nihilominus, ut colligitur ex *cit. cap.* si novæ quæstiones seu controversiæ (forte etiam occasione talis sententiæ) per talem sententiam non decisæ oriantur, ad eas decidendas assumi possunt arbitri. Pirh. *h. tit. num.* 31. Quin etiam, ubi partes expresse rei judicatæ renunciarunt (quod facere possunt; cum quilibet suo juri renunciare possit) compromittere super eadem possunt *cap. si diligenti de foro compet.* Surdus *decis.* 185. *num.* 12. Barbos. *in cit. cap. exposita num.* 3. Reiffenst. *h. tit. num.* 81.

8. Septimo: tametsi in causa electionis vel alia beneficiaria arbitri assumi possint, ut constat ex *cap. ex parte h. t. cap. cum inter de elect. cap. nisi essent de præb.* Abb. *in cap. penult. de in integ. rest. num* 4. Pirh. *h. t. num.* 25. & 58. Modo compromissum fiat in clericos, vel simul in clericum & laicum. Pirh. *ibid.* cum Abb. non tamen valet compromissum in causa beneficiali concernente ipsam collationem, nisi accedat authoritas superioris, aut in ipsummet ordinarium tanquam arbitrum compromittatur, *cap. ex parte h. t.* tum ne detur vitiosus ingressus ad beneficia quæ non nisi canonica institutione obtineri debent; tum quia ad ordinarium, & non ad inferiores, spectat, cognoscere de titulo canonico, ut ait Reiffenst. *h. t. num.* 77. citans Vallens. *h. tit. §.* 5. *num.* 2. Engels *eod. num.* 4. &c. Quod tamen ita accipiendum non est, quin duo v. g. contendentes de jure conferendi compromittere possint in arbitros; cum tunc, non ab ipsis arbitris adjudicantibus uni eorum jus conferendi, sed ab illo ipso, cui adjudicatur competere jus, confertur beneficium, & ita non deest canonica institutio; sed dum duo contendunt de collatione sibi facta, & compromittunt in arbitrum, ita ut illius sit beneficium, pro quo pronunciabit arbiter. Quia in tali compromisso Jure publico non approbato deficit, aut deficere potest canonica institutio in beneficio, cum ei obvenire posset, qui revera titulum nullum haberet. Ac ita arbiter compromissarius non potest adjudicare beneficium, cui voluerit ex compromittentibus, sed solum habenti titulum canonicum in illo. Fagn. *in cap. non sine h. tit. nu.* 10. Pirh. *tit. num.* 58.

9. Octavo: Causa alimentorum testamento relictorum. *L. cum hi ff. de transact.* & *l. de alimentis C. eod.* sicut & aliæ causæ, super quibus transigi non potest. Wiestner. *h. tit. num.* 36. citans Redoan. *de reb. eccl. non alien. quæst.* 2. *cap.* 36. *a num.* 15. Hunnium *Encycloped. part.* 2. *tit.* 40. *cap.* 4. *num.* 2.

QUÆSTIO MIC.

Quo se extendat potestas arbitrorum?

RESP. In genere: tota potestas officiumque arbitri pendet ex compromisso seu voluntate compromittentium, ita ut de iis tantum arbitrari possit, super quibus compromissum tanquam compromissi regula, *cap. cum dilectus h. t. L. non distinguemus §. de officio ff. h. t.* juncta Gl. *v. cautum & L. quid tamen §. plenum ff. eod. ubi: id venit in compromissum, de quo actum, ut veniret.* Pirh. *h. tit. num.* 49. cum Molin. *tr.* 5. *disp.* 44. *nu* 6. Idem esse dicens de arbitramento arbitratoris. Unde si terminos hos sibi positos egrediatur, sive quoad rem, super qua compromissum, sive quoad modum, in cognoscendo & proferendo laudo seu arbitrio sibi ab iis præscriptum, nihil agat *l.* 1. *l. qualem ff. h. tit.* Ita etiam, ut quæ ab eo gesta sunt, ne quidem consensu partium possint ratificari & convalidari, ut in vim laudi, & non tantum in vim pacti & conventionis sustineantur. Wiestner. *h. tit. num.* 39. cum Hunnio *ubi ante cap.* 6. *num.* 15. Potest nihilominus arbiter cognoscere & judicare dependentia seu necessario connexa cum causa principali, sine quibus ea commode expediri nequit, etsi ea in compromisso expressa non sint. Gl. *in cap. cum dilectus h. tit. v. nisi & ibidem* Abb. *nu.* 10. Gl. *in cit. §. de officio v. cautum.* Pirhing *h. tit. num.* 49. Sic pronunciare potest super fructibus perceptis ex re, super qua compromissum; cum veniant accessorie ad causam principaliter commissam. Gl. *cit. in §. de officio* Abb. *num.* 11. Item etsi punire nequeat partem ob contumaciam ejus in parendo, nisi de hoc & pœna conventum in compromisso. Potest tamen condemnare in sumptus, quos pars altera ob illam contumaciam fecit; cum in eo vertatur interesse partis adversæ. Abb. *loc. cit. num.* 12. Jo. And. *ibidem num.* 6. Item potest uni parti adjudicare rem litigiosam, eique imperare, ut, non quidem rem aliam, sed pecuniam det in compensationem juris dubii; cum pecunia non censeatur esse res prorsus alia, quia succedit in locum æstimationis rei. Abb. *loc. cit. num.* 8. Molin. *cit. disp.* 44. *num.* 6. Pirh. *loc. cit.* Ac denique potest statuere diem solutionis faciendæ. *L. quid*

tamen

tamen §. solutioni, *l. Celsus ff. h. tit.* Glos. *in cit. c. cum dilectus ver. nisi de his.*

QUÆSTIO MC.

An arbitri delegare possint vices suas alteri.

Resp. Negative, sed debet per seipsum dicere sententiam, per quam lis finiatur, *l. non distinguemus §. quæsitum ff. h. tit.* Bartol. *in summar. ibid.* censetur enim compromissum factum in hanc certam personam ex speciali confidentia erga eam, & ne, si liceret arbitrium delegare alteri, possit id transferri in inimicos compromittentium. Potest tamen hæc potestas delegandi concedi arbitro a partibus compromittentibus, ita ut, si is ipse arbitrium dicere nolit, alium constituat, sive unum, sive plures, per quos arbitrium pronuncietur, *cit. §. quæsitum*, *l. non compromissis hoc tit.* ubi: *in compromissi arbitrium personæ insertum personam non egreditur*. Abb. *in cap. cum a nobis h. t. n. 1. not.* 3. Pirhing *h. t. num.* 45.

QUÆSTIO MCI.

Num arbitri declarare possint sententiam a se latam, si dubium ex ea oriatur.

Resp. negative. Quia eo ipso, quod pronunciarint, functi sunt officio suo, ita ut ulterius in ea causa se miscere nequeant; adeoque tunc pro declaranda eorum sententia aditi debet Judex alius ordinarius, qui habet potestatem exequendi sententiam arbitri. Arg. *c. cum olim h. t.* Abb. *ib. not.* 3. Pirhing *h. t. n.* 47.

QUÆSTIO MCII.

Num coram arbitris locus sit reconventioni.

1. Resp. primo: Tametsi in judicio tam ordinario quam delegato reus conventus actorem coram eodem Judice reconvenire possit, *cap. 1. de mut. petit.* non potest tamen coram arbitris compromissariis reus reconvenire actorem, utpote super qua reconventione nihil compromissum, *cap. cum dilectus h. tit.* Ratio disparitatis inter Judicem & arbitrum in hoc puncto est, quod cum reus invitus litigare cogatur coram Judice ad instantiam actoris, conqueri actor non potest, si & ipse vicissim conveniatur a reo coram eodem Judice, cujus enim in agendo observat arbitrium, eum contra se habere Judicem in eodem negotio non dedignetur, *L. cum Papinianus C. de sentent. & interlocut. omn. Jud.* Arbiter vero compromissarius necessario, aut etiam magis ab actore quam reo, sed libero utriusque partis consensu eligitur. Pirhing *h. t. nu.* 50. Unde etiam ob eandem rationem, si Judex delegatus datus utriusque partis consensu, locum non habet reconventio coram illo delegato, & sibi imputare debet reus, quod in postulatione Judicis causam reconventionis non fecerit exprimi. Pirh. *nu.* 50. Bartol. & Abb.

2. Resp. secundo: Coram arbitris juris, utpote, qui non voluntate partium, sed ex juris dispositione necessario debent eligi, locum habet reconventio, si tales arbitri ad totam causam electi, ut contingit quando Episcopus contra clericum subditum vult movere litem. Abb. *in cap. cum dilectus num.* 7. Molin. *cit. disp.* 44. *nu.* 7. Pirhing *h. tit. n.* 51. Quia tales arbitri habent se velut delegati, habentque jurisdictionem delegatam ad instar Judicis delegati. Abb. *l. c.* Reiffenstuel *h. t. num.* 65. Si tamen & hi arbitri non eligantur ad totam causam, sed ad certum solum articulum definiendum. V. gr. an Judex tanquam suspectus recusari possit, in iis quoque non est locus reconventioni, ne alias, tali articulo diutius prolongato per reconventionem, progressus causæ principalis retardaretur contra *cap. 2. de appell. in 6.* Abb. Molin. Pirhing *LL. cit.*

QUÆSTIO MCIII.

An & qualiter in forma judicii procedere debeant arbitri.

Resp. Præter jam dicta in puncto incidenter supra hoc, compromissarius arbiter, etsi proprie ac stricte loquendo Judex non sit, neque judicium exerceat, aut sententiam stricte talem proferat, procedere tamen debet in forma judicii, seu servato ordine judiciali. Argument. *cit. cap. cum dilectus*. Abb. *ibidem num.* 4. Pirhing *h. tit. num.* 53. hinc cum hodiedum compromissa & arbitria ad similitudinem judiciorum redacta sint, *L. 1. ff. hoc. tit.* coram arbitro offerri debet libellus, & fieri contestatio litis, per quam interrumpitur præscriptio. *l. penult. C. h. t.* Glos. *in cap. cum dilectus v. nisi de his*. Abb. *cit. num.* 4. Quin & sententia seu laudum arbitri fieri quoque debet in scriptis. Abb. *loc. cit.* Pirhing *cit. n. 53. in fine*.

QUÆSTIO MCIV.

An arbitri exequi possint suam sententiam, aut eam mutare, aut etiam partes ab ea appellare.

1. Resp. ad primum negative, sed pro executione laudi facienda recurri debet ad Judicem ordinarium rei, contra quem facienda executio, *L. a D. Pio ff. de re Judic. l. penultim. C. h. t.*

2. Resp. ad secundum quoque negative. Sicut enim Judex publicata sententia definitiva functus est suo officio, sic etiam arbiter, ut laudum semel publicatum corrigere & revocare nequeat, *l. qualem §. 2. & l. quia ff. h. t.* Potest tamen arbiter sententiam interlocutoriam mutare, v. gr. dum jussit litigatores adesse prima Junii, potest mutare hanc diem jubendo adesse decima ejusdem.

3. Resp. ad tertium: A sententia arbitrorum voluntariorum seu compromissariorum appellari nequit, *l. 1. C. de recept. arb. can. a Judicibus* 33. *& can. si quis Episcopus* 36. *§. arbitrarii 2. quæst.* 6. Siquidem appellatio introducta, ut injustitia sententiæ corrigatur, *l. 1. ff. de appellat.* Jam vero sententia compromissarii emendari nequit, etsi ea iniqua fuerit, adscribant sibi compromittentes, qui nullo Juris aut Judicis præcepto coacti, spontanee elegerint iniquos arbitros. Adde, quod litigatores ideo compromittant in arbitros, ut eorum pronunciatione controversiæ finis imponatur, & a lite discedatur, quod, cum permissa appellatione, non fieret, censentur compromittentes sponte renunciasse appellationi. Zoesius *in ff. hoc. tit. num.* 31. Menochio *de arbitr. lib. 1. quæst. 70. num.* 10. Quamvis tamen, ubi laudum continet enormem læsionem ac evidentem iniquitatem, admitti ab eo appellationem, tametsi compromissum sit juramento confirmatum, dicat Pirhing *h. tit. num.* 97. citans Gail. *l. 1. observ. 150. num.* 9. Hiltrop. *in process. judic. p. 1. tit. 9. num.* 73. sed quidquid sit de hoc, certum id est de arbitris necessariis, sive Juris, sive Principis jussu assumptis, nimirum ab iis ad eum, qui eorum electionem præcepit, appellari potest, *capit. ab arbitr. de offic. delegat. in 6.* quia tales arbitri sunt instar Judicum, eorumque pronunciatio propius accedit ad naturam sententiæ judicialis; & quia æquum est, ut appellatio potius concedatur compulsis ad assumendos arbitros, quam qui sponte eos elegerunt. Gloss. *final. in citat. cap. arbitrii*. Barbos. *ibidem nu.* 3. Layman *§. contra*. Wiestner *num.* 49.

QUÆ-

QUÆSTIO MCV.

An igitur standum arbitrio continenti injustitiam vel iniquitatem aliam, & quod contra illud remedium.

RESP. Tametsi adversus laudum seu sententiam definitivam compromissarii, licet iniqua sit, non detur appellatio, sed standum illi, sive æqua, sive iniqua fuerit, ut dicitur, *l. diem proferre §. stari ff. h. tit.* modo servata sit forma in compromisso expressa, alias enim, ut patet, per se ipso jure nullum est. Non est tamen observandum tanquam ipso jure irritum, quando adversatur manifeste legibus aut SS. Canonibus, seu ejus executio manifestam inhonestatem seu peccatum quodcunque V. gr. Simoniæ, usuræ &c. continet; tunc enim ad talis inhonesti arbitrii observantiam partes, etiamsi alias observantiam jurarint, non astringuntur, ut constat ex *c. non sine h. t.* ubi deciditur, sententiam seu laudum arbitrorum ideo observandum non esse, quia clerici nequiter arbitrati sunt, præcipiendo solvi pensionem pecuniariam pro cessione beneficii, id quod Simoniacam commutationem involvit, & *c. ultim. de rer. permut.* ubi decernitur, arbitrium, in quo fit permutatio spiritualium cum temporalibus, & quidquid inde secutum, irritum esse. Abb. *in cit. c. non sine h. t. num.* 10. & 14. ubi, quod idem dicendum, nimirum ipso jure esse nullum quodvis laudum, si eo præcipiatur, quod sine peccato fieri non potest. Pirhing *h. t. num.* 56. qui etiam *num.* 59. ait, invalidum esse laudum, dum cedit in detrimentum seu præjudicium Ecclesiæ, juxta *c. pervenit h. t.* Porro quandonam tale arbitrium contineat Simoniam, quando non, vide apud Pirhing *n.* 57. Dum vero dolo malo ab arbitro pecunia aliave re corrupto, aut seu quo re aliquo affectu depravato, constat pronunciatum esse laudum, pars petens hujusmodi arbitrii executionem, & conveniens compromittentem alterum actione ex stipulatu ad pœnam promissam solvendam exceptione repelli potest. Quin etiam, cum pars petendo hujusmodi arbitrii executionem dolum faciat, etiam contra illam opponi potest exceptio doli, etsi alias solus arbiter dolum commiserit. Sumuntur hæc ex *L. non distinguemus §. cum quidam ff. h. t.* Item ex *L. arbitrorum Cod. eodem*. Idem est, dum arbitrii iniquitas seu injustitia notoria est (ex omni enim notoria iniquitate præsumitur dolus. Argument. *c. 2. de præsumpt.*) seu impediri & tunc poterit arbitrii talis executio exceptione doli, quæ defectum appellationis supplet. Abb. *in c. non sine h. t. num.* 2. Wiestner *h. tit. nu.* 50. citans Haunold. *Tom. 5. de J. & Jur. tr. 1. num.* 172. Reiffenstuel *num.* 98. citans Maranta *p. 6. spe-cul. aur. §. de appell. num.* 266. ubi etiam, quod talia exceptio doli orta ex præsumptione manifestæ iniquitatis impediat executionem laudi, etiam post decem dies. Idem denique, & quidem a potiore locum habet, tum ex arbitri pronunciatione partem ultra dimidium justi pretii, vel alias enormissime læsam esse apparet, quia ex tali læsione verus ac notorius dolus commissus intelligitur. Menochio *l. 5. præsumpt.* 3. *num.* 70. Brunneman *in L. si superstite Cod. de donat. num.* 7. Quin etiam præter exceptionem doli datur læso in hoc casu remedium seu actio, per quam tale laudum tanquam injustum & dolosum rescindi petatur officio Judicis, *L. 2. Cod. de rescind. vendit.* Hiltrop. *in process. judic. part. 1. tit. 9. num.* 69 & 72. Maranta *loc. citat. part. 4. dist. act.* 14. *num.* 8. Pirhing *hoc tit. num.* 97. Posse hoc remedium etiam intentari, etiamsi compromittens læsus ultra dimidium laudum approbasset. Pirhing *loc. cit.* citans Marant. *ubi ante*. Mynsing. *centur. 1. observ.* 33. Wesenbec *paratit. ff. h. tit. in fine*. Atque ita in his casibus fallit illud, quod habetur in *L. diem proferre §. stari ff. hoc titul.* Quod sententiæ arbitri stare debeat, sive æqua, sive iniqua. Reiffenstuel *hoc tit. num.* 76.

QUÆSTIO MCVI.

An igitur, quoties sententia arbitri iniquitatem seu peccatum continet, aut ea pars graviter læsa, hac petente, ea reduci possit arbitrio boni viri ad æquitatem.

1. RESP. ad primum: dum laudum evidenter peccatum (intellige distinctum ab injustitia; seu non remissibile per partes, de hoc enim ad summum intelligendi AA. paulo post citandi) continet, corrigendum esse per Judicem ordinarium, & reducendum ad arbitrium boni viri. Argument. *cap. non sine h. t.* ubi; *quoniam non decet sustinere, ut quod perperam arbitrati sunt, debeat incorrectum relinqui*: idque non obstante juramento, & tam de Jure civili quam canonico; cum etiam leges civiles velint, ut peccata corrigantur & non foveantur, ait Pirhing *h. tit. num.* 58. *in fine*, citans Hostiens. *in cit. cap. non sine v. incorrectum*, & Jo. Andr. *num.* 18. Verum non video, qualiter, cum tale laudum juxta dicta *quæst. præced.* sit ipso jure nullum & irritum, corrigibile sit, nisi per corrigibile intelligatur, quod debeat ex officio Judicis retractari.

2. Resp. ad secundum: sententia evidenter apparens iniqua & graviter læsiva partis, sive quæ continet solum peccatum injustitiæ remissibile per partes (intellige, quo ad obligationem resarciendi damnum) si homologata, hoc est, a partibus expresse vel tacite per lapsum decem dierum approbata est: tametsi ab Abb. *in c. Quintavallis de jurejurand. num.* 30. Pirhing *h. t. num.* 76. & passim a DD. & juri conformiter negetur esse reducibilis, seu peti posse reductionem, sed ei standum juxta *cit. l. diem*, asseratur; eo quod compromittens quodammodo transigat, seque staturum arbitrio compromissarii promittat, transactione autem, etsi enormiter læsiva facta, instaurari denuo litem jura non permittant, ac ita sit de jure. Nihilominus, ubi læsio esset enormissima, vel omnino evidenter iniquitatem contineret laudum, admittendam esse reductionem ad æquitatem arbitrio boni viri, & ea officio Judicis retractari posse, tenent Abb. *l. c. num.* 29. Gail. *l. 1. observ.* 150. *num.* 9. Pirhing *num* 76. & de moderna saltem tali praxi testatur Hunnius *in encycloped. part. 2. tit. 40. cap. 8. num.* 5 apud Wiestner *hoc. tit. num.* 52. Arbitrio autem boni viri intelligitur arbitrium Judicis ordinarii, non quidem ipsius arbitri aut arbitratoris, sed illius, coram quo, si compromissum non fuisset, causa definienda erat sive coram Judice ipsius rei, si actor ipsum in judicio convenire voluisset. Argum. *l. quoniam C. ubi & apud quem*. Cum petitio reductionis sit provocatio quædam ad Judicem competentem. Abb. *in cit. cap. dilectus num.* 20. Covarruvias *lib. 2. var. c.* 12. *nu.* 10. Gail. *l. 1. observ.* 49. *nu.* 2. Wiestner *num.* 59 Nec obstat, quod petitio reductionis habeat speciem appellationis, quæ fieri debet ad superiorem Judicis, qui tulit sententiam. Nam hæc reductio non est proprie appellatio, nec ei per omnia æquiparatur, sed in eo præcipue est similis appellationi, quod sententia arbitri aut arbitratoris per illam retractetur, sicut per appellationem sententia Judicis, qui eam tulit & a quo appellatur, ita Pirhing *n.* 78. *in fine*, cum Abb. *in c. Quintavallis de jurejur. n.* 39. Et hæc de sententia arbitri; arbitratoris enim arbitramentum quoties iniquum & graviter læsivum partis apparet, peti posse reductionem faciendam arbitrio boni viri, constat ex *l. societatem v. arbitrorum ff. pro socio*, idque non tantum intra decem dies, sed etiam usque ad 30. annos, docent Gail. *observ.* 150. *num.* 2. Hunn. *l. c.* ex communi & in Camera Imperiali recepta sententia ut Pirh. *n.* 79. & Wiestner *n.* 53. Cujus ratio est, quod jus petendi reductionem ad arbitrium boni viri sit jus personale, ideoque non præscribitur nisi 30. annis. Unde etiam sententia arbitratoris non transit in rem judicatam, nec producit actionem in rem in factum ex re judicata, nisi post lapsum 30. annorum, secus ac accidit in sententia arbitri, utpote contra quam non nisi intra decem dies peti potest reductio, quia magis assimilatur sententiæ Judicis, sententia autem arbitratoris non approbatur aut transit in rem judicatam, nisi lapsu 30. annorum, cum arbitrator sit veluti amicabilis compositor, & potius de facto quam de jure procedat. Ita Pirhing cum Gail. *l. 1. observ.* 150. *n.* 2. Marant. *l. c. n.* 113.

QUÆSTIO MCVII.

An a Judice reductionis, qui ut vir bonus arbitratus est, & laudum ab arbitratore latum, confirmavit, vel retractavit, appellari possit.

RESp. Affirmative. Covarruvias *lib. 2. var. resol. cap. 12. a num. 3.* Gail. *l. 1. observat. 149. a num. 5.* Zoesius *ff. hoc tit. num. 33.* Pirhing *hoc. tit. num. 31.* contra Bartol. &c. qui enim pronunciat super causa reductionis, alius non est, quam Judex ordinarius; a Judice autem ordinario in omnibus causis, tam civilibus quam criminalibus licitum est appellare, nisi prohibeatur, *L. & in majoribus Cod. de appellat.* & quamvis non sit permissa appellatio ab eo, cui præcise ut viro bono commissum est arbitrium reducendi laudum, non tamen est prohibita, si a Judice ordinario, uti fieri debet, tanquam viro bono fieret reductio; cum is per hoc non desinat esse Judex ordinarius, a quo appellare licet; & quamvis is succedat in locum arbitratoris, a quo non licet appellare, non tamen succedit jure subrogationis, sed ut Judex ordinarius ratione propriæ jurisdictionis; adeoque ab eo qua tali, seu ut cognoscente de causa reductionis potest appellari, etsi non liceret appellare ab eo ut arbitratore, dum in talem assumptus est.

QUÆSTIO MCVIII.

Quisnam sit effectus compromissi, dum alias pronunciata sententia iniquitatem non continet.

1. RESp. primo; dum per nudum & simplex pactum, nulla interveniente stipulatione, aut pœna adjecta, absolute compromissum est in arbitros, pronunciatumque laudum nondum a partibus receptum expresse (puta, subscriptione compromittentium, quæ Jure civili necessario requiritur, ut laudum expresse homologatum seu approbatum censeatur, ut constat ex *l. ne arbitrii & l. seq. h. tit.* Vel, quod sufficit de Jure canonico, verbis aliove signo, quo significetur, quod arbitrium latum placeat. Argument. *cap. per tuas*, ubi nulla fit mentio subscriptionis. Abb. *ibid. n. 9.* Molin. *d. 34. num. 8.* Pirhing *h. t. num. 65.* (aut tacite) hoc est taciturnitate 10. dierum illud approbando, per quod dicitur homologari ex textu *l. in arbitris §. fin. Cod. hoc tit.* ita ut deinceps reclamare vel illud reprobare nequeat, *L. penult. §. fin autem Cod. h. t.*) Jure civili nullam parit efficacem obligationem aut actionem; cum vigore hujus Juris ex pacto nudo nulla competat actio, *L. juris gentium §. sed nulla ff. de pactis*. Quamvis spectandu mores hodiernos, etiam ex tali pacto in foro civili competat actio. Reiffenstuel *h. tit. num. 84.* de quo vide dicta supra *ad tit. de pactis*. Adeoque jam inhærendo rigori Juris civilis, non cogantur partes post latum arbitrium stare eidem, sed possunt impune ei non parere. Quin & ipsi arbitri, etsi consenserint in compromissum nudo pacto, vi Juris civilis non possint cogi progredi in causa, arbitriumque proferre. Abb. *in c. per tuas h. t. nu. 9.* Molin. *tr. 5. de J. d. 34. num. 2.* Pirhing *hoc. tit. num* 61. & 64. Dixi: per pactum nudum: ubi enim pactum illud ex altera parte fuit impletum datione vel traditione alicujus, adeoque jam transiit in vestitum, jam etiam Jure civili debetur actio contra illum, qui pactum seu compromissum implere non vult, ut vel impleat, vel solvat; quantum interest alterius pactum impleri, vel ut reddat, quod accepit, pro ut, qui compromissum implevit, maluerit. Molin. Pirh. *LL. cit.* Idem est, si pactum seu compromissum factum interveniente stipulatione; cum tunc non sit opus, ut laudum sit homologatum seu approbatum cum aliud medium tunc competat ex stipulatione, nimirum actio ad interesse, quod etiam succedit in locum pœnæ, dum ea adjecta non est. Abbas *in c. per tuas num. 10.* Molin. *cit. tr. 5. disp. 35. num. 10.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de appell. num. 251.* Pirhing *h. tit. num. 64.*

2. Resp. secundo: Contrarium est de Jure Canonico, seu ex tali nudo compromisso, etiam a partibus non approbato competit actio alteri parti contra nolentem stare compromisso ad interesse, ut nimirum solvat illi, quanti ejus interest arbitrium servari. Argument. *c. per tuas h. t. & ibi* Gloss. *v. ratum haberi*, & Abb. *num. 10.* Marant. *p. 6. Ordin. Judic. de appellat. a num. 250.* Pirhing *cit. num. 61. juncto num. 64.* Atque ita tam partes sententiæ arbitrorum parere, quam arbitri post admissionem compromissi, illam exequi coguntur. Molin. *l. c. d. 35. a num. 1.* Pirhing *l. cit.* Porro, quod hic dicitur, partem teneri stare laudo ad interesse Jure Civili, dum intervenit stipulatio, & Jure Canonico etiam, dum hæc non intervenit, intelligendum: modo laudum non contineat iniquitatem, quia v. gr. dolo pronunciatum, aut aliud quicquam contra bonos mores; quia tunc juxta dicta supra competit parti gravatæ exceptio & reclamatio, quæ est quasi appellatio facienda intra decem dies, vide Pirhing *num. 66.* Per interesse autem hic non intelligitur ipsa res petita aut æstimatio ejus, sed expensæ in tali lite mota factæ aut faciendæ. Abb. *in c. per tuas h. t. nu. 17.* Reiffenstuel *h. t. num. 82.* Ita ut pars a laudo resiliens teneatur alteram partem servare indemnem, solvendo eidem, quantum ejus interest arbitrium servatum esse.

3. Resp. tertio: Si compromissum in arbitros absolute vel etiam interveniente stipulatione, sine tamen adjectione pœnæ & juramenti, laudum per ipsos pronunciatum, a partibus receptum expresse aut tacite, lapsu decem dierum approbatum, partibus interea non contradicentibus, nequidem extrajudicialiter, indistincte tam Jure Civili quam Canonico servandum, seu executioni mandari debet. Et sic oritur ex eo exceptio rei judicatæ & actio in factum ad petendam coram Judice ordinario executionem laudi, *L. ne arbitreris & L. penult. C. h. t. per tuas h. t. & ibi* Glos. *ver. ratum haberi*. Abb. *ibid. num. 8.* Zoesius *ff. h. t. num. 28.* Pirhing *h. t. num. 62. & 64.* Reiffenstuel *n. 86.* Idque etiam, licet compromissum sic approbatum a partibus fuerit nullum ex defectu mandati. V. gr. Si procurator non habens ad hoc speciale mandatum, adeoque non potens valide compromittere, compromisit, pro ut statuitur *in cit. c. per tuas*. Abb. *ibidem num. 2. & 4.* Pirh. *num. 63.*

4. Resp. quarto: Si compromissum cum adjectione pœnæ, arbitrium non receptum a partibus, etiam juxta Jus Canonicum, non debet necessario executioni mandari. Pirhing *num. 63.* Sed agitur ad pœnam, & compromittens recusans stare laudo tenetur, & compelli potest, constituta contra eum actione, ad pœnam statutam persolvendam, *c. per tuas, & L. ex compromisso ff. h. t.* Et quidem per procuratorem, si is compromisit sine mandato speciali, ut is tunc ex suo satis dare cogatur, *L. Plautius ff. de procurat.* uti & contra eundem agitur ad interesse, si pœna compromisso adjecta non fuit. Abb. *in cit. c. per tuas num 5. & 6.* Pirhing *num. 63.*

5. Resp. quinto: soluta illa pœna nolens stare laudo non cogitur ad standum illi, *l. 1. C. h. t.* Glos. *v. metu l. 2. ff. eod. Auth. decernitur C. eod.* ubi, quod præstita pœna liceat a judicatis recedere. Glos. fin. *in cap. dilecti h. t.* & Abbas *ibidem num. 17.* Uti idipsum locum habet in omni pœna conventionali contractui vel transactioni apposita, ita ut cogatur quis vel stare transactioni, vel pœnam solvere, *L. ubi pactum C. de transact.* Molin. *tr. 2. de Just. d. 556. num. 13.* Pirh. *h. t. num. 67.* Unde talis transactio seu compromissum fit quasi conditionatum, seu alternativum. Patitur tamen hoc ipsum exceptiones aliquas. Ac primo quidem nisi compromissio facta per nudum pactum, vel etiam per stipulationem adjuncta pœna, laudum fuerit a compromittentibus expresse homologatum seu approbatum, tunc enim non sufficit solvere pœnam, sed standum laudo, & illud dandum executioni. Pirhing *h. t. num. 68.* cum Molin. *cit. d. 35. num. 11. & 145.* Eo quod tunc compromittens, contra quem laudum pronunciatum, expresse illud approbando; eique consentiendo elegerit potius stare illa sententia, quam solvere pœnam, eaque electione censeatur tacite renunciasse illi potestati ex Juris dispositione sibi concessa vel solvendi pœnam, vel standi laudo arbitri. Secus est, dum sententia arbitrorum fuit tacite solum, approbata per lapsum illum decem dierum; eo quod tacita illa approbatio tantum auferat potestatem reclamandi contra sententiam post 10. dies, non autem potestatem eligendi potius pœnam solvere, quam stare sententiæ, adeoque compromittens quamdiu sententiam arbitri expresse non approbavit, potest, dum Judex vult sententiam arbitrorum executioni mandare, excipere, dicendo, se elegisse potius pœnam solvendam. Molin. *l. cit. num. 11. & 12.* Pirhing *num. 68.* Secundo; nisi in compromisso tali pœnali adjecta fuerit clausula: *Rato manente compromisso & arbitrio super eo lato:* itaut tunc compromittens, contraveniens laudo & illud implere teneatur, & nihilominus pœnam solvere, qua soluta, adhuc agi potest ad executionem laudi, eo quod tunc in effectu censeantur duo compromissa, unum pœnale obligans ad solutionem pœnæ, si non observetur, alterum simplex seu purum obligans simpliciter ad observationem laudi. Glos. *in cap. dilecti v. per pœnam*. Abbas *ibid.*

ibid. num. 17. Tuschus *l. c. concl.* 305. *num.* 2. Marant. *ubi ante num.* 263. Molin. *tr.* 2. *d.* 556. *num.* 13. *& tr.* 5. *d.* 35. *num.* 17. Gail. *l.* 1. *observ.* 150. *num.* 14. Pirhing *h. tit. num.* 69. Nihilominus tamen & in hoc casu compromittens gravatus contra sententiam arbitri potest petere, ut reducatur ad æqualitatem, ubi ea manifestam continet iniquitatem vel fraudem; cum partes, dum aliud non exprimunt, non censeantur in arbitros compromittere, etiamsi iniquum arbitrium tulerint. Molin. *tr.* 5. *d.* 30. *num.* 8. Pirhing *cit. num.* 69. ubi etiam subjungit, citans Molin. *ubi ante num.* 7. *& d.* 35. *nu.* 10. Quod licet compromittentes compromittendo renunciare possint dictæ reclamationi & petitioni reductionis, ac ita convenire inter se, ut utrimque observandum sit arbitrium, sive æquum sive iniquum, ubi tamen dolus intervenerit, & ob hunc iniquum latum arbitrium, adhuc tamen, non obstante hac conventione, competat exceptio, imo & actio de dolo parti læsæ; cum conveniens esse non possit, ut quis de dolo proprio non teneatur; quia tale pactum turpe est & contra bonos mores. Tertio: nisi compromisso præter pœnam adjectum sit juramentum de observando arbitrio; eo quod juramentum adjectum compromisso pœnali eandem cum dicta clausula: *rato manente*: vim habeat; juramentum quoque illud non vergat in æternæ salutis dispendium, aut præjudicium alterius. Ita tenent cum Abb. *in c. per tuas num.* 14. Molin. *cit. d.* 35. *num.* 20. *& d.* 36. *num.* 6. & Tusch. *l. c. nu.* 4. Barbosa *clauf.* 128. *num.* 3. quos citat & sequitur Reiffenstuel *h. t. num.* 89. Contrarium, posse partem adhuc, non obstante tali juramento, pœna soluta recedere a sententia arbitri (nisi forte alia fuerit intentio compromittentium, nimirum & ad arbitrium servandum, & ad pœnam solvendam, quæ tamen intentio non præsumitur, ut Pirhing *num.* 70) sentientibus cum Innoc. *in c. per tuas num.* 3. Layman *ibid. num.* 14. *& l.* 4. *Th. mor. tr.* 3. *c.* 9. *coroll.* 2. *except.* 3. & aliis, quorum sententiam probabiliorem censet Pirhing *h. t. num.* 70. *in fine*, eo quod juramentum intelligi debeat secundum terminos juris & actus, cui apponitur, *c. quemadmodum de jurejurand.* compromissum autem cum adjectione pœnæ ex Juris dispositione eam pariat obligationem alternativam, vel standi sententiæ, vel subeundi pœnam, relicta compromittenti optione alternativa, uti & compromissum sine adjectione pœnæ obligationem solvendi interesse, vel implendi laudum; adeoque juramentum adjectum non tam extendit quam intendit compromissum, faciendo, ut efficacius & firmius obliget ob vinculum religionis. De cætero

6. Resp. sexto: si compromisso absque pœna adjectum est juramentum de stando sententiæ arbitrorum, illud servandum est, tam de Jure civili quam canonico, daturque actio contra non servantem illud: ut constat ex *L. ne arbitris Cod. h. t. c. non sine c. pervenit c. cum tempore c. per tuas h. tit.* in quibus intervenit juramentum in compromisso, nec tamen Papa reprobavit illud, sed servari mandat. Abb. *in cap.* 2. *h. t. num.* 8. *& in c. per tuas num.* 13. Layman *ibid. num.* 11. Molin. *tr.* 5. *d.* 36. *num.* 2. Pirhing *h. t. num.* 71. Reiffenstuel *num.* 90. His non obstante, quod hodiedum Jure civili novissimo, puta *Auth. de Judicibus §. quia vero Novell.* 82. *Auth. decernit. C. h. t.* prohibeatur, compromissum confirmari juramento, & tali jurato compromisso nulla tribuatur actio, & proinde habeatur, ac si juramentum appositum non fuisset. Unde Bartol. *in citat. Auth. decernit.* puta, post hujusmodi prohibitionem Juris civilis nec de Jure canonico, nec ex natura rei partes teneri servare tale compromissum juratum. Nam etiam supposita & admissa illa prohibitione Juris civilis male inde deducitur, non esse tale juramentum servandum. Siquidem omne juramentum promissorium, si ex parte jurantis servari potest sine peccato, servandum est, tametsi juramentum etiam lege canonica & divina prohibitum fuisset apponi, seu emitti, adeoque compromittens apponendo illud compromisso peccasset. Abb. Molin. Laym. Pirhing *LL. cit. arg. c. etsi Christus de jurejur. & c. movet. caus.* 22. *qu.* 1. Quin etiam tenetur compromissor talis jurans stare arbitrio, etsi iniquum, & eo injuste gravatus sit, modo secundum se licitum sit & sine peccato ex parte compromittentis jurantis servari possit, ita ut neque reclamare, neque reductionem compromissi petere possit, nisi prius obtenta relaxatione juramenti. Molin. *l. c. num.* 3. Pirhing *num.* 72. Secus tamen est, seu non tenetur stare tali arbitrio iniquo jurans, si intentionem, ne quidem habitualiter, habuit standi arbitrio, sive æquum sive iniquum illud fuerit. Iidem *LL. cit.* In dubio autem, num jurans habuerit talem intentionem, præsumendum esse, habuisse illam, & sic standum arbitrio etiam iniquo, etsi affirmet Molin. *loc. cit.* Probabilius tamen id negant cum Gregor. Tholos. *partit. Jur. Canonic. lib.* 5. *tit.* 3. *c.* 10. Layman *in cap. per tuas h. t., num.* 13. Pirhing *num.* 72. juxta *L. si libertus ff. de operis libertor.* ubi est casus de compromisso jurato, & dicitur, quod non teneatur compromissor stare arbitrio, si illud aperte excedat æquitatem; eo quod compromittentium fere (hoc est regulariter) ea mens sit, se non obligare ad servandum arbitrium aliter, quam si limites æquitatis non excedat. De cætero quod hic dictum de arbitrio, idem locum habet in arbitramento, ut si juravit compromittens, se nolle ab eo recedere, teneatur illi stare, nisi ubi continet evidentem iniquitatem vel enormem valde læsionem. Pirhing *num.* 80. citato Maranta *ubi ante num.* 115. Zoesius *ff. h. tit. num. ult.* Hiltrop. *p.* 4. *tit.* 3. *a num.* 8.

QUÆSTIO MCIX.

Intra quod tempus committatur pœna, sive intra quod tempus implendum arbitrium, ut evitetur pœna, si quæ compromisso adjuncta.

1. RESP. primo: quando ab arbitro certum præfixum est tempus impletioni arbitrii. V. gr. solutioni faciendæ intra tres septimanas a lato arbitrio, tunc, si intra illud tempus facta non fuit solutio, cessante legitimo impedimento, committitur pœna, seu pœna adimplenda non obstante, quod postmodum offeratur solutio. Si tamen pars post præfixum tempus illud oblatam solutionem sponte acceptasset, ulterius pœnam exigere non poterit; eo quod acceptando illam solutionem solitarie censeatur juri suo, quod habet ad pœnam exigendam renunciasse. Uti hæc sumitur ex *L. Celsus ait ff. h. tit. & ibi* Glos. & DD. Quod si vero legitimum impedimentum fuit, quo minus arbitrium intra præfixum tempus impleri potuerit, si eo sublato, quam primum potuit, arbitrium pars non implevit, incurritur pœna solvenda, *l. arbiter calendis ff. h. tit. & cit. l. Celsus ait §. idem ait*, juncta Glos.

2. Respond. secundo: si arbitrorum sententiæ implendæ certum tempus præfixum non est, censetur concessum tempus modicum arbitrio boni viri seu Judicis taxandum, *L. si cum dies §. final. ff. hoc tit.* & Argument. *l. quod dicimus ff. de solut.* ubi, quod *τὸ debere statim resolvere*: cum aliquo temperamento temporis intelligendum est; nec enim cum sacco adire debet. Tale autem modicum tempus in actione reali censetur esse spatium 10. dierum, *l. promissor. §. si sine die ff. de constituta pecunia*. In actione vero personali spatium 4. mensium, *cap. quarenti de off. deleg.* juncta Glos. *ver. quadrimestri*.

QUÆSTIO MCX.

In quo loco arbitri causam cognoscere & desuper laudum pronunciare debeant.

RESP. Si locus ille determinatus sit, in eo cognoscere & pronunciare debent, nec partes ad alium locum citare debent, nec hæ ibi comparere, *l.* 21. *ff. h. t.* Si autem in compromisso nihil de loco statutum, causa cognoscenda & definienda in loco, in quo compromissum factum, *cit. l. §. si autem*. Quod si in locum inhonestum vel indecentem partes vocatæ sint, impune non parent, ita etiam, ut si locus respectu unius solum ex litigatoribus sit indecens, etsi alter, qui sine turpitudine ad eum accedere poterat, illuc non accedat, etiam hic pœnam compromissi non incurrat, *cit. l. §. sed si in aliquem*. Sed neque in ecclesia pronunciare possunt, laudumque ibi latum non tenet. Arg. *c.* 2. *de immunit. eccles. in* 6. ubi id decernitur de Judice; qualis cum saltem late loquendo, sit etiam arbiter, ad ipsum quoque id extenditur, dum agitur hic de peccato irreverentiæ impediendo. Secus est de arbitramento pronunciato ab arbitratore. Ita fere Pirh. *h. t. n.* 82. cum Abb. *in c. Quintavallis de jurejur. n.* 25. & Molin. *tr.* 2. *de J. d.* 44. *n.* 4.

QUÆ-

Q U Æ S T I O MCXI.

Quo tempore pronunciari possit laudum.

RESp. Non potest illud arbiter ferre diebus festivis seu feriatis in honorem Dei, nisi necessitas aut pietas suadeat aliud; ita etiam, ut processus ab illo in iis institutus, aut sententia lata sint nulla. Argum. *L. omnes C. de feriis*. In feriis autem legalibus seu civilibus, V. gr. messis aut vindemiæ, etsi regulariter loquendo non debeat, aut etiam cogi possit procedere arbiter, potest tamen id ad petitionem partium; vel etiam a Judice ex rationabili causa (v. gr. si immineat terminus compromisso statutus, & iotra illum causa terminari nequit, nisi etiam dies feriati impendantur) ad id compulsus. Molin. *l. c. num.* 2. Pirhing *h. tit. num.* 83. Contrarium autem est in arbitratore, qui etiam diebus fesiis licite proferre potest arbitramentum; cum in eo servari non debeat forma judicii seu ordo judicialis, maxime, si super illa re confici non debeat instrumentum publicum. Molin. *l. cit. num.* 3. Pirhing *l. cit.* qui tamen addunt, continere hoc ipsum tamen indecentiam aliquam, nisi adsit causa excusans.

Q U Æ S T I O MCXII.

Quot modis finiatur officium & potestas arbitrorum.

1. RESp. Finitur fere ut Judicum delegatorum sequentibus modis. Primo per mortem arbitrorum, vel si sint plures, unius illorum, si res adhuc sit integra, id est, sententia definitiva nondum prolata, *L. diem* §. 1. *L. non distinguemus* §. 13. *ff. h. tit.* Quia in plures arbitros simpliciter assumptos ita compromissum censetur, ut omnes simul supra re cootroversa prouncient. Argum. *L. duo ff. de re Judic.* Nisi tamen aliud in compromisso expressum, V. gr. ut uno defuncto, vel si nnus interesse oon possit, alter arbitrium proferat, vel ut compromissum transeat ad hæredes vel successores arbitrorum constituturum, *L. non distinguemus* §. *cum in plures ff. h. t. c. uno de off. deleg.* ibi: *uno delegatorum vel arbitrorum rebus humanis exempto, eorum officium exspiravit, nisi aliud in delegatione vel compromisso fuisset expressum &c.*

2. Secundo diuturna absentia arbitri ex quacunque causa ad remotas partes profecti, nec brevi redituri. Argument. *L. longius ff. de Judic.* Abb. *in c. præsentatu de test. attest nu.* 2. Layman *ibid. num.* 2. Idem est de alio impedimento superveniente & impediente, quo minus arbitri in causa procedere, eamque intra tempus congruum aut partium rationabili voluntate præfixum terminare non possunt. Molin. *tract.* 5. *d.* 43. *n.* 1. Pirh. *h. t. num.* 87.

3. Tertio morte utriusque vel unius compromittentium, *cap. ex parte h. t.* ita ut compromissum ad compromittentium hæredes non transeat, *c. compromissum h. t.* & ibi Abb. *nu.* 9. *L. diem ff. eod.* compromittentes siquidem plerumque compromittunt in arbitros ex singulari notitia, amicitia & fiducia, quam erga illos habent, quæ ratio in hæredibus deficere potest. Pirhing *h. t. nu.* 92. cum Abb. Unde etiam petitur ratio differentiæ hoc in puncto inter Judices & arbitros; quia Judex ordinarius non eligitur ratione amicitiæ & confidentiæ, sed ex necessitate legis aditur: & cur potius obligationes in judiciis transeant ad hæredes, quam obligatio ex compromisso, quod sicut personale est quo ad arbitros, ita etiam esse debet personale quo ad compromittentes. Nisi tamen partes aliud expressissent in compromisso, nimirum pro se & hæredibus, *cit. c. compromissum*, ubi illud notandum, quod si in compromisso solum expressum, ut uno compromittentium mortuo, compromissio transeat ad hæredes, non addendo, quod etiam, altero mortuo, transeat ad hæredes illius, per mortem cujusvis compromittentium exspiret compromissum; quia ex utraque parte compromittentium debet fieri mentio hæredum, alias non transibit ad hæredes, *l. sed & interpellatur* §. *final. h. t.* Glos. fin. *in c. ult. h. t.* Quia compromissum claudicare non debet, sed otrimque servari æqualitas. Hæredis autem nomine hic quoque venit hæres hæredis. Abb. *in cit. c. ult. n.* 9. Sed neque dum compromisit universitas aliqua, ejus membris aliquot mortuis, non solvitur compromissum. Blanc. *de compromiss. qu.* 7. *num.* 2. & 5. Brunnem. *in l. diem n num.* 8. apud Wiestner *h. t. num.* 57. Sic etiam dum Prælatus Ecclesiæ super juribus & rebus ecclesiæ compromisit cum debitis solennitatibus, consensu capituli & superioris, compromissum eo defuncto non exspirat, sed transit ad successorem, ut is eo stare teneatur, etsi de illo in compromisso nulla facta mentio, quia tunc compromissum factum est nomine ecclesiæ aut dignitatis, quæ non moritur. Abb. *in cit. c. ult. num.* 12. Molin. *c. d.* 43. *num.* 2. Pirhing *num.* 94. Secus est, seu extinguitur compromissum mortuo Prælato, laudo necdum lato, si is compromisit de re vel jure ecclesiæ, de quo solus disponere non poterat, quia ultra tempus vitæ suæ disponere non potest aut obligare successores, *cap. veniens de transact.* De cætero, ubi laudum arbitri latum est ante mortem compromittentis, etsi executioni necdum datum sit, transit tamen ad hæredes compromittentis, ita ut contra illos executio fieri possit, *l. diem* §. 1. *l. quamvis ff. h. tit.* Durand. *in specul. tit. de arb.* §. *differt*. Pirhing *h. t. num* 93. Item per mortem compromittentis (idem est dum is exspirat alio modo) non exspirant acta causæ in judicio, puta, depositiones testium, confessiones partium &c. quæ concernunt merita causæ, seu ad causam instruendam pertinent; cum hæc fidem faciant coram Judice ordinario, *l. penult. C. h. t.* Etsi exspirent, quæ pertinent ad ordinationem litis, seu ad instantiam judicii, ut citatio, litis contestatio, satisdatio &c. Neque etiam exspirat effectus compromissi una cum eo ante laudum pronunciatum jam productus. V. gr. quod præscriptio fuerit interrupta per contestationem litis, coram arbitris. Pirh. *num* 93. cum Abb.

4. Quarto pronunciatione sententiæ definitivæ super tota causa, vel super omnibus causis, super quibus est compromissum in arbitrum; quia hac ratione jam functus est suo officio, & arbiter esse desiit, *l. qualem* §. 1. *ff. h. tit.* & *ibi* Glos. *v. n tota*, ita ut dein nihil addere aut detrahere possit sententiæ, aut eam mutare vel corrigere, etsi in ea erraverit, aut eam interpretari aut exequi. Limitandam hoc ipsum primo: nisi in pronunciatione sua recessisset a forma compromissi; tunc enim pronunciatione hac contraria formæ compromissi, adeoque invalida, dici nequiret functus officio. Wiestner *h. t. num.* 62. citans *c. illud de præbend.* & *l. si se* §. 6. *re judic.* Secundo: nisi in compromisso expressum esset a partibus, quod arbiter possit judicare semel aut sæpius, & judicatum corrigere. Bartol. *in l.* 21. *ff. h. t.* Pirhing *n.* 94. Dixi a *sententia definitiva*, qua nimirum condemnat vel absolvit. Sententiam enim interlocutoriam, quæ non finit judicinm, mutare potest. Bartol. *in citat. l.* 21. §. *dicere*. Quamvis sententiam interlocutoriam quæ finit judicium, ut sic interlocutorie pronunciet, se non esse Judicem competentem, vel non esse procedendum obstante exceptiono rei judicatæ. Pirhing *num.* 94. cum Bartol. *ubi ante, num.* 3. Dixi etiam: *super tota causa*; si enim compromissum contineat plures articulos, & partes voluerunt, ut arbiter super omnibus simul pronunciaret, is vero dixit sententiam super uno aut altero articulo tantum, & nondum de aliis, non exspirat compromissum, & ideo sententiam, utpote invalidam, quia contraria formæ compromissi, mutare possunt arbitri. Pirhing *l. c.* Reiffenstuel *hoc tit. num.* 102. Si vero permiserunt partes, ut de singulis separatim pronunciare possit arbiter, exspirat compromissum respectu illius causæ vel articuli, super quo pronunciavit, neque sententiam super eo latam mutare potest, non vero exspirat respectu reliquorum, idque quia censentur esse plura compromissa. Iidem juxta *l. quid tamen* §. 1. *ff. h. t.*

5. Quinto: deficiente conditione, sub qua fuit compromissum, *l. litigatores* §. *fin. hoc titul.*

6. Sexto: lapsu termini a partibus ad definiendam litem præfixi, *cit. l. quid tamen l. si cum dies ff. h. t. l. non distinguemus* §. *summa ff. eod.* Possunt tamen partes terminum hunc semel præfixum prorogare, vel dare potestatem arbitris illum prorogandi, si impedimentum intervenerit, *l. non distinguemus* §. *dies compromissi* & §. *l. seq. ff. eod.* Et licet arbiter assumptus ad certum diem, eo elapso, cogi nequeat ad iterum acceptandum compromissum, dum per eum non stetit, quo minus intra terminum præfixum non pronunciarit, *L. quid tamen* §. *Papinianus ff. h. t.* Dum tamen ab initio convenit de prorogando termino, dum legitime impeditus non pronunciavit intra terminum præfixum, cogitur terminum prorogare. Pirhing *h. t. num.* 86. Vel etsi in compromisso de termino prorogando cautum non sit. Si tamen partes communi consensu velint tempus prorogari, cogi illum vel statim pronunciare arbitrium, si dies arbitrio præfixa exstitura sit, vel aliud compromissum acceptare, si id sine damno vel incommodo suo possit, ait *ibid.* Pirhing citata *l. cum quis ff. h. t.* & Glos. *in cit. l. quid tamen* §. *si cum dies ver. per eum*. Porro, si tempus nullum præfixum arbitrio dicendo, ta-

met.i

metsi alii, qui cum Glos. fin. *in l. si compromissum ff. h. tit.* volunt, arbitros etiam post triennium compelli posse ad proferendum arbitrium, probabilior tamen & communior, quam sequuntur Molin. *cit. d. 43. num. ult.* Pirhing *cit. num. 86. in fine*, habet, exspirare compromissum post triennium a lite contestata, si interea pronunciatum non sit; eo quod ita fit in judicio ad cujus similitudinem redacta sint arbitria. Hæc eadem dicta de arbitris locum quoque habere in arbitratoribus, habet Molin. *l. c.* cum generali appellatione arbitrorum etiam veniant arbitratores, *l. societatem l. arbitrorum ff. pro socio.* Juraque facientia mentionem de arbitris, etiam referri debeant ad arbitratores, nisi appareat ratio diversitatis, vel aliud in Jure expressum. Abb. *in c. penult. de off. deleg. n. 4. & in c. ult. h. t. num. 8.* Molin. *l. c. nu. 3.* Pirh. *num. 96.* Verumtamen, ut iidem juxta *l. Pomponius §. recepisse ff. h. 1. & ibi* Bartol. id intelligendum de arbitratoribus, qui jus partibus dant, & non de iis, qui solum amicabiliter eas componunt, ut tales nomine arbitrorum non comprehendantur, adeoque in iis hic dicta de arbitris locum non habeant.

7. Septimo: recusatione arbitri tanquam rationabiliter suspecti uni compromittentium propter odium, affinitatem, necessitudinem cum altero litigantium supervenientem, *L. 15. l. sed etsi ff. in servum l. fin. l. non distinguemus §. cum quidam ff. h. t.* Ita ut, si arbiter, ne ob talem suspicionem sententiam dicat, interpellatus, nihilominus eam dixerit, sententiæ valeat opponi exceptio doli, *L. non distinguemus §. 14.* & *ibi* Brunneman. *n. 17.* apud Wiestner *h. t. num. 59.*

8. Octavo: interitu rei super qua ferendum arbitrium, *l. non distinguemus §. item non est.* Nisi tamen ut ibidem dicitur, in tali casu interesset litigantium, V. gr. propter fructus & partus, ut explicat ibid. Glos. ita ut, non obstante interessu rei principalis, adhuc de his arbiter pronunciare posset.

9. Nono: acceptilatione, ut dum uni compromittentium accepto lata sit pœna, non cogitur arbiter dicere sententiam, sed exspirat compromissum, *l. Pomponius ff. hoc. tit.* Cum compromisso statur solum metu pœnæ, quæ & alteri compromittenti videtur accepto lata. Glos. *ibidem vers. alteri.*

10. Decimo: Judicio, uno nimirum compromittentium ab arbitrio recedente, litemque movente coram ordinario Judice. Licet enim hoc casu recedens ab arbitrio solvere cogatur pœnam, si quæ adjuncta compromisso, finitur tamen compromissum, ita ut deinceps causa ventilanda sit & terminanda coram Judice ordinario *l. si quis rem ff. h. 1.* & *ibi* Brunneman *n. 1.* Pirhing *h. 1. n. 94.* Wiestner *n. 61.*

11. Denique pacto seu transactione & mutuo consensu compromittentium, ut si partes conveniant, ut a compromisso discedatur. Molin. *l. cit. n. 4.* Pirhing *n. 95.* Vel si super re, super qua compromissum a partibus sit transactum. Iidem juxta *l. non distinguemus §. 5.*

F I N I S.

INDEX
ACCURATUS ET COPIOSUS
RERUM OMNIUM
IN HOC LIBRO PRIMO CONTENTARUM.

Numerus quæstionem significat, ubi duo sunt numeri, posterior paragraphum quæstionis indicat.

Abbas sive Prælatus.

Abbatissa.

Absens, Absentia.

Absolutio, Absolvere.

Accusator.

Actio.

Actor.

Actus.

Advena.

Adulterium.

Advocatus.

Ætas.

Alienatio.

Alimenta.

Annus.

Apocrisiarii.

Appellatio, Appellare.

Approbatio.

Arbiter, Arbitrator.

mi

Archi-Diaconus.

Archi-Episcopus *vide* Metropolitanus.

Archi-Presbyter.

Authenticæ.

Bellum.

Beneficium.

Be-

Bigamia.

Bona.

Brachium sæculare.

Breve.

Bulla.

Bullarium.

Canones.

Canonicus.

Canonizatio SS.

Capitulum.

Capitulum sede vacante.

Cardinalis.

Casus.

Catechumenus.

Cathedraticum.

Causa.

Cautio.

Censura.

Census.

Citatio.

Clausula.

Quid

Clauſura.

Clementinæ.

Clericus.

Coadjutor.

Coadjutoria.

Codex.

Collatio.

Commenda.

Concilium.

Concubinatus.

Concursus.

Confessarius.

Confessio.

Confirmatio.

Congregatio.

Consensus.

Conservator.

Possunt

Constitutio, *vide* Lex.

Consuetudo.

Quot

Con-

Contractus.

Crimen.

Criminosus.

Custos.

Data.

Dataria.

Datarius.

Debitum.

Decanus.

Decimæ.

Declaratio.

Decretalis.

Decretum.

Degradatio.

Delegatus, delegare, subdelegatus.

De-

A sub-

Delictum.

Devolutio.

 latio-

Diaconatus.

Diœcesis.

Dies.

Dieta.

Digesta.

Dimissoriæ:

Dispen-

Dispensatio.

Distributiones.

Doctor.

Doctrina.

Dogma.

Dolus.

Domicilium.

Donatio.

Dos.

Eccleſia.

Edictum.

Electio.

Emendæ.

Epiikeja.

Epiſcopatus.

Epiſcopus.

Episco-

Error.

Euchariſtia.

Examen.

Exarchus.

Exceptio.

Excommunicatio.

Excommunicatus.

Quòd

Executor executio.

Exemptus, exemptio.

Expensæ.

Expositus.

Ex-

Extravagantes.

Fœmina.

Feudum.

Fictio Juris.

Fidejussor.

Filius.

Filiusfamilias

Forma.

Forum.

Fructus.

Fundatio.

Fundator.

Furiosus.

Glossa.

Gratia *vide* Privilegium.

Hæreditas.

Hæres.

Hæresis.

Hæreticus.

Homicidium.

Horæ.

Hospitale.

Jejunium.

Ignorantia.

Illegitimus.

Imperator.

Imperium.

Hi

Impubes.

Incestus.

Indulgentiæ.

Infames, Infamia.

Insigne.

Institutio instituere.

Institutiones.

Instrumentum.

Interdictum.

Interpretatio.

Interstitium.

Irregulares.

Irregularitas.

Irre-

Irritatio irritare.

Judæus.

Judex.

Juramentum.

Jurisdictio.

Jus.

Jus Patronatus.

Laicus.

Laudum.

Legare.

Legatus.

Legislativa Potestas.

Legislator.

Legitima.

Legitimare, legitimus.

Lex.

Qua-

Lex

Lis.

Literæ *vide* rescriptum.

Majoritas.

Mandatum.

Maritus.

Matrimonium.

Metropolitana Ecclesia.

Metropolitanus.

Metus.

Miles.

Minor.

Missa.

Monachus.

Monasterium.

Moniales.

Mors.

Motus proprius.

Munus.

Negligentia.

Neophytus.

Notoreitas notorium.

Novellæ.

Novitius.

Nox.

Obedientia.

Obligatio obligare.

Obreptio, *vide* subreptio.

Opinio.

Ordinarius.

Ordo.

Ad

Originarius.

Origo.

Pactum, Pacisci.

Paleæ.

Pallium.

Pandectæ.

Papa.

Parochus.

Pater.

Patriarcha.

Patrimonium.

Patronus.

Pax.

Penſio.

Peregrinus.

Permutatio.

Perſonæ conjunctæ.

Petitio debiti:

Plebiſcita.

Pœna.

Pœnitentia.

Pollicitatio.

Populus.

Portio Canonica.

Possessor Possessio.

Postulatio.

Præbenda.

Præcedentia.

Præceptum *vide* Lex.

Prælatus.

Item

Præpositus.

Præscriptio.

Præstimonium.

Præsumptio.

Prætor.

Presbyterium.

Primas.

Primicerius.

Princeps.

Prin-

Prior.

Privilegium.

Probatio.

Processio.

Procurationes.

Procurator.

Prodi-

Prodigus.

Professio.

Promulgatio.

Pubertas.

Puer.

Pupillus.

Rasura.

Ratihabitio.

Ratiociniis obnoxii.

Rector.

Regina.

Regulæ Cancellariæ.

Regulæ Religiosorum.

Regularis.

Religiosus.

Renunciatio.

Rescriptum.

Reservatio, reservare.

Resignatio.

Responsa Papæ.

Restitutio in integrum.

Impedi-

Reverentia.

Reus.

Rota Romana.

Rubrica.

Sacramenta.

Sacrista.

Sanctio.

Scientia.

Scriptura.

Scrutinium.

Sententia.

Sepultura.

Servus.

Extenditur

Signatura.

Simonia, Simoniacus.

Sodomia.

Sollicitator.

Sponſalia

Sportulæ.

Statutum.

Stellionatus.

Stylus.

Subdiaconatus.

Subreptio.

Subsidium Charitativum.

Summarium.

Superfluitas.

Superioritas.

Superscriptio.

Spu-

Supplicare, Supplicatio.

Suſpenſio, Suſpenſus.

Synodus.

Tempus.

Tonsura prima.

Traditio.

Transactio.

Translatio.

Tregua.

Tributum.

Tutor.

Vagus.

Vaſallus.

Vectigal.

Verba.

Vicarius.

Vicarius Capituli sede vac.

Vis.

Visitatio.

Unctio.

Sup-

Unio.

Votum.

Usura.

Uxor.

Xenium.

